2.2.69

2/2/64

R. P. D.

CAROLI

MALLETI

AVRVM

MORALIS THEOLOGIÆ.

TOMVS POSTERIOR.

19

AVRVM
MORALIS THEOLOGIÆ.

Ex veterum, & recentiorum Theologorum, necnon Pontificij, Cæſareiq; Iuris Conſultorum Theſauris depromptum, & in ſubtiliſſimas Bracteas Malleatum,

A R. P. D. CAROLO MALLETO,

Taurinenſi Patritio, Monacho Ciſtercienſi e Congregatione Reformata Diui Bernardi, Examinatore Synodali, ac Sancti Officij Conſultore.

Opus nedum Confeſſarijs, & Pœnitentibus, ſed etiam Theoſophis, ac Iuris Vtriuſque Doctoribus vtiliſſimum.

TOMVS POSTERIOR

DE PRÆCEPTIS DECALOGI, ET ECCLESIÆ:

Vbi noua, & breui methodo explicantur omnes difficultates, tàm in Conſcientiæ, quàm Iuſtitiæ foro ad ea ſpectantes.

SERENISSMÆ CELSITVDINI

LVDOVICÆ MARIÆ CHRISTIANÆ,

PRINCIPIS PRIMOGENITÆ A SABAVDIA

DICATVS.

Cui præponitur Index Malleationum, & Bractearũ, ac Materiarũ poſtponitur Alter vtriuſq; Tomi.



AVGVSTÆ TAVRINORVM, MDCLV.

Sumptibus Alexandri-Federici Caualerij Bibliopolæ. S. R. Celſitudinis

Superiorum permiſſu.

2 2,69

SERENISSIMÆ CELSITVDINI

LVDOVICÆ-MARIÆ-
CHRISTIANÆ.

PRINCIPIS A SABAVDIA PRIMOGENITÆ.

QVAMVIS Æternus Mundi Opifex præcepta à creatis ſeruanda tulerit, nihilominus Legem mortalium, & immortalium omnium Reginam Pindarus appellauit. Normæ Iuris amplitudo, Sereniſsima Princeps, ex hac definitione clareſcit, & non modò homines complectitur, ſed ab ea nec excipit ipſummet Deum. Deus enim eſt prima lex, & eà ratione ad ſibi parendum adigitur; quod ſi Deus ſui detractaret imperium, illicò Deus eſſe deſineret. Obtemperandi neceſsitas, quam ſibi Deus impoſuit, rerum creatarum transfugit in agmina; & quoniam in tam vaſta earum varietate, nullibi omnipotentiam ſuam luculentius exercuit, quàm in homine, ita vt miraculorum maximum, ac etiam ſecundus Deus à quibuſdam nuncupetur, ab eodem exquiſitius exigit obedientiæ Vectigal. Promptæ voluntatis munere ad Dei præcepta implenda elegantiſsimum Templum dignitatis humanæ firmiſsimè fulcitur, altiſsimum culmen Olympus ſyderibus inſerit; Turris præcelſa in Cœlum attollitur. E conuerſo ſi contra Numinis edicta contumaciter agatur, ſacratum ædificium flagitioſis criminibus contaminatum miſerabili ruina delabitur. Saxeus montium Gigas in lutulentam planitiem conteritur; Turris immanitate inſignis longè, latèque proſternitur. Breui homo ille, quem D. O. M. tamquam alterum Deum in ſocium quodammodo ſibi benigniſsimè delegerat, ab excelſo ſecundæ Diuinatis ſolio turpiſsimè deturbatur. Principes, Summi Principis Dei vniuerſa prouidè gubernantis elatiores Imagines, diuinas itidem in terris vices gerunt. Datum eſt omnibus arctiſsimo affinitatis nexu cum Deo vinciri. Principe loco naſci

fortu-

fortunæ donum. eſſe affinem Deo voluntatis munus. Vinculum affinitatis Diuinæ obſeruatio legis. Finis legis Iuſtitia, imò, vt Paulus inquit Chriſtus. Hæc igitur affinitas eſt illa Diuinitas, quæ per obedientiam contrahitur, & per inobedientiam diſſoluitur. Eſt illa Diuinitas, quæ geminas primas Diuinitates firmiſsimè tuetur; quin etiam Princeps Iuſtus eſt tripliciter Deus, vt Homo, vt Princeps, vt Iuſtus; & non tantùm tribus rationalis animæ potentijs, ſed hac etiam triplici Diuinitate æternam refert Trinitatem. Inter Principes alij nimium ſibi tribuentes, ac ſi contra Pauli effatum omnis anima non eſſet Poteſtatibus Sublimioribus ſubdita, & omnis poteſtas à Deo non emanaret, indiſcriminatim omnia, vt lubet, impunè ſibi licere arbitrantur. Tù verò PIISSIMA PRINCEPS, quamquam legem non ſpernens, non legis timore, ſed libertate voluntatis, iuxta Auguſtini monitum, Optimos Mores eligis; legem adimplendo edoces cum MAXIMO, & HVGONE alterum è duobus, quibus regimur, eſſe fortiùs alio; ſiquidem non legis, ſed naturæ vi, Tibi à Rectiſsimis Parentibus inditæ, laudatiſsimæ Tuæ Vitæ rationem Iuſtitiæ moderamine componis. Nam ijs Familijs orta es, quæ eminentes inter Europæ primarias Regijs faſtibus Præclariſsimam Sanctimoniæ coronidem impoſuerunt. Amedeus IIX. Sabaudiæ Dux, & Ludouicus IX. Galliarum Rex è terræ Principibus Indigetes effecti, religiosè geſtis glorioſum ſibi aditum in Empyrium conſtruxerunt: Victor-Amedeus Pater, & Ludouicus XIII. Auunculus præſtantes meritis, IVSTORVM agnomina iure ſunt conſecuti; Genitores denique Tui, Idem Victor-Amedeus, & Chriſtiana Francica, quam hauſerunt à Maioribus morum ſanctitatem, auxerunt, & Filijs ingenuerunt. Rurſus Ille dum viueret, eoque poſtea Nobis immaturè prærepto, hæc Natorum, & ſubditorum frugi ſuperſtes, viuo exemplo in Generoſiſsimam Sobolem transfuderunt. Præterea, ne quid ad probitatem cumulatiſſimè comparandam deeſſet, educata es in Paterna Sabaudorum Aula, quæ perpetuis temporibus non ſolùm Armipotentium Equitum, ſed quoque egregiè Literatorum Virorum Academia fuit, vt nunc eſt; qui præter eximios Præceptores, præſertim inter Principum, etiam Fœminarum epulas, de diſciplinis, ac de virtutibus omnibus doctiſsimè diſſerentes, efficiunt, vt Regum Familia abſque laborioſa librorum volutatione, ſed eruditiſsimis eorum vocibus Regaliter imbuatur. Tu verò cum ad omnia ſublimia magno excolaris ingenio, altiſsima quæque paruo negotio mira diſcendi facilitate perſpicis. Perſpicuum ſanè eſt tibi futiles, ac mortuas eſſe virtutes, quæ ſola ratione comprehenſæ abſque ſolida exercitatione viuam non reducuntur ad praxim. Idcircò verita, ne Tuarum Actionum aliqua ſine Iuſtitiæ gubernaculis excidat, compendiariam Chriſtianæ legis diathecam à Diuo Amedeo Tuos inter Maiores Sanctiſsimo conditam, mentis oculis iugiter intueris,

ris. Sicuti mos erat quibuſdam Religioſiſsimis, membranas Decalogum continentes coronarum vice-frontibus circumponere,vt illius nunquam obliuiſcerentur. Iuſtitia, ceu virtutum omnium Regina, reliquas omnes complectitur. Quare nemo erit, quimiretur, ſi in Amantiſsima Iuſtitiæ Principe glorioſa conglobatione inſigniter omnes adglomerentur. Ea demum Tua Virtus eſt, vt cunctorum æquè admirationem, ac amorem excitauerit, meque ad hoc de Iuſtitia, & Iure volumen TIBI Iuris, & Iuſtitiæ RELIGIOSISSIMÆ CVLTRICI meritò nuncupandum impulerit. Verùm licet humillimum obſequium meum IVSTISSIMA PRINCEPS tua ſpiritalia dirigat, nihilominus non adſum, vt Sacerdos tuis expiationibus adhibitus, nec vt ea, quæ recta ſunt, intempeſtiua, & ſuperuacanea admonitione proponam; Verecundius eſt enim conſilium meum. Moſes ſupra montem à Deo legem accepit, Principes veluti montes cæteros ſuper homines eminent. Non vulgari virtute præditi tanquam montes ab omnibus ſuſpiciuntur. Obſecro CELSITVDINEM TVAM, quatenus ſupra geminum, altiſsimumque TVARVM, & Dignitatis, & Virtutum montem iſtas in Decalogi, & Eccleſiæ præcepta lucubrationes mihi ſiſtere liceat, vt rudiuſculum, ideòque obſcurius Aurum meum TVÆ SERENITATIS beneficio defæcacius redditum per circumiectas Climatum latitudines fulgidius eluceſcat. Taurini e Cœnobio Beatiſsimæ Virginis Mariæ Conſolatricis Anno MDCLV. peruigilio diei XXIIIX. Iulij, ſiue TVI Natalis optatiſsimi; quem feliciſsimè recurrentem precor celebrari videas per longiſsimas annorum ſeries.

TVÆ SERENISSIMÆ
CELSITVDINIS.

Seruus Humillimus,
atq; Addictiſsimus
D. Carolus Malletus Monachus.

[illegible] rat quibuſdam Rel[illegible], me [illegible]

quem [illegible] num vic[illegible] quorum [illegible]

[illegible] Iuſtitia, [illegible]

q[illegible] Q[illegible] Ama-

t[illegible] Principe [illegible] ad

g[illegible]. Ea demum Tua V[illegible], [illegible]corum [illegible] ad

ra[illegible] amorem [illegible] de I[illegible] & Iuri

volumen TIBI [illegible] CVLTRICI

me [illegible] nuncupandum impulerit. Verum [illegible] humillimum obſe-

quium [illegible] IVSTITIS [illegible] VA [illegible] IN [illegible] talia di-

rigat, nihilominus non [illegible] ſæculis [illegible] ad-

lubitus, [illegible] ea, quæ [illegible], [illegible] ſuperua[illegible] ad-

monitioni [illegible] Verecundiuſcit enim [illegible] meum Mo-

ſes ſuper [illegible] a Deo legem accepit, Principes vel [illegible] cæte-

ros ſuper [illegible] eminent. Non vulgari virtute prædi[illegible] tanquam

montes ab omnibus ſuſpiciuntur. Obſecro CELSITVDINEM

TVAM, quatenus [illegible], [illegible] TVAM, &

Dignitatis, & Virtutum [illegible] in [illegible], & [illegible] præ-

cepta lucubrationi [illegible] liceat, vt [illegible], ideóque obſe-

rius Aurum meum TVÆ SERENITATIS beneficio [illegible] red-

ditum per circumſtas [illegible] fulgidius effulgeat.

Taurini è Cœnobio Beatiſſimæ Virginis Mariæ Conſolatricis Anno

MDCLV peruigilio diei XXIIX Iulij, [illegible] TVI Natali [illegible],

quem feliciſſimè recurrentem [illegible] per [illegible] longiſſimas

annorum ſeries.

DE PRÆCEPTIS IN GENERE.

MALLEATIO I.

Peractis malleationibus, quæ pertinent ad doctrinam Sacramentorum. Pergo ad eas, quæ pertinent ad doctrinam præceptorum Decalogi, quæ tradita fuerunt Moyſi in tabulis lapideis deſcripta, & quia in primo præcepto præcipitur Cultus Diuinus, idcircò primò agam de ipſo, nimirum de adoratione, & quia Cultus Diuinus præſuponit fidem, ſpem, & charitatem, agam etiam de ipſis virtutibus Theologicis, & de vitijs contrarijs adorationi, & ipſis virtutibus, nimirum de ſuperſtitione, &c. De iſto tractant Theologi cum Magiſtro in 3. diſt. 23. *& S. Thomas* 2. 2. quæſt. 1. &c. *Summiſtæ* verb. adoratio fides, ſpes, charitas, *& omnes Doctores, qui tractant de præceptis Decalogi.*

Præceptum quid ſit?

BRACTEA I.

R. PRÆCEPTVM eſſe motionem Superioris imperatiuam ad aliquid agendum, vel fugiendum ex neceſſitate. Ita Silueſter *verb. præceptum* ex D. Thoma, & alij.

Sciendum ex hac definitione colligi primo, quod præceptum ſit actus rationis, & voluntatis tendens in ſubditos per modum imperij. Secundò, materiam præcepti eſſe actus virtutis, & vitij, quorum ille agendus eſt, hic verò fugiendus. Tertiò, præceptum imponere neceſſitatem obediendi, ita vt peccetur, ſi non fiat quod præcipitur.

2. Sciendum 2. Præceptum diſtingui à lege, quod lex imponi ſoleat Communitati; præceptum verò particulari, vt docet Suarez *lib. 1. de legib. num.* 2. Diſtingui etiam à Conſilio, quia quod præcipitur neceſſe eſt fieri. Conſilium autem nullam imponere neceſſitatem. Verum cum magna ſimilitudo ſit inter præceptum, & conſilium, cum vtrumque ſit quoddam legis præſcriptum, in quo non facile detegitur diuerſitas ex eo, quod legiſlator in ſuis legibus non velit ſemper exigere à ſuis ſubditis obedientiam debitam, ſed aliquando tantum ordinet ſimpliciter quid agendum ſit, in quo caſu ex potius iudicanda eſt conſulti vi, quàm præceptiua, & ita Silueſt. *in verb. præceptum quæſt.* 2. *&* 3. vbi infraſcripta ſtatuit primum an lex conſultiua ſit, vel præceptiua non poteſt ſemper cognoſci ex ipſius verbis, quoniam in lege aliquando verò precarium, vt rogo &c. nonnunquam verbum præceptiuum vſurpatur: Quod quando lex datur per verba præceptiua, teneri non poteſt conſultoria, niſi aliunde de intentione legiſlatoris conſtiterit. Tertium, cum lex datur per verba imperatiua non præceptiua non poteſt ex eorum ſignificatione cognoſci an ea ſit præceptiua, quoniam talia verba poſſunt in propria ſua ſignificatione tam à conſulente, quam à præcipiente vſurpari de qua voluntate ſi conſtare non poteſt recurrendum eſt ad materiam, quæ ſi præceptiua ſit ipſa quoquè lex præceptiua iudicabitur. Cenſetur non præceptiua, cum eſt de neceſſariis ad iuſtitiam, vel ad charitatem, vel ad diuinam reuerentiam, & ita Silueſter *loco cit.*

Quænam cadant ſub præcepto.

BRACTEA II.

R. CADERE ſub præcepto non modo actiones virtutum, & vitiorum, ſed etiam actiones ipſas indifferentes, quæ ex ſe nullam habent moralem bonitatem, vel malitiam, ſed ſolam vt à Religione in Dei cultum aſſumuntur. Licet eo ipſo, quod legitimè præcipitur res indifferens ponitur in aliquo officio virtutis bonaquè moraliter efficiatur, & hoc ipſo, quod legitimè prohibetur ſit repugnans alicui virtuti, ac moraliter efficiatur mala; ita S. Tho. 1. 2. *quæſt.* 33. *art.* 2. Suarez *lib* 13. *cap.* 17. Becan. *tract.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 2. *n.* 4. *& alij*, non poſſe dari conſilium, nec præceptum, ſed requiri, vt materia ſit ſaltem indifferens, & non determinatè mala. Tunc verò dicitur indifferens quando ſine bono honeſtari poteſt. An omnes actus virtutum poſſint ſimul collectiuè præcipi. Reſpondeo negatiuè, cum difficillimum ſit omnes actus virtutum collectiuè obſeruare. Non enim poſſunt omnes abſtinere à matrimonio, aut Religionem ingredi, &c. qui ſunt actus virtutum, & lex humana debet eſſe de re moraliter poſſibili, & non de rebus difficillimis, niſi commune bonum aliud poſtulet. Ita plures citati à Bonacina *diſp.* 1. *de legib. quæſt.* 1. *pun.* 5. *n.* 5. Secus verò dicendum eſt de actibus vitioſis, qui cum eam ſint prohibiti ſuperior poteſt iuſta interueniente cauſa eos

omnes collectinè interdicere & prohibere. Tum etiam quia cum lex naturalis obliget ad omnia peccata vitanda, id etiam poteſt prohiberi lege humana & ita Bonac. *loc. cit.*

An actus interni poſſint præcipi ab Eccleſia?

BRACTEA III.

PRIMA ſententia eſt affirmatiuum poſſe ab Eccleſia præcipi, & ita Gloſſa in Clementina 1. *de hereticis*, Adrianna *quolibet* 8. *artic.* 1. Roſella *verbo abſolutio* 1. *num.* 28. & alij. Ratio illorum eſt, quia ſicut Eccleſi poteſt remittere interiores culpas per abſolutionem Sacramentalem, eamque poteſt ſibi Pontiſex reſeruare, ergo etiam habet iuriſdictionem in actus internos. Secundò, poteſt pœnas pro peccatis debitas per Indulgentias remittere; ergo poteſt exercere iuriſdictionem ſuper actus internos, cum remiſſio pœnæ pro peccatis debitæ ſpectet ad iuriſdictionem. Tertiò, aliquando excommunicat propter interiorem actum, vt propter hæreſim mentalem. Can. *ſi quis per ſtipendium diſt.* 30.

Secunda ſententia eſt aſſerentium actus internos poſſe ab Eccleſia præcipi. Et ita D. Thomas 1.2. *qu.* 91. *art.* 4. Valentia *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 2. Becan. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 5. Paludan. *in* 4. *diſt.* 75. *qu.* 12. *n.* 6. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 12. *num.* 4. & alij plures. Ratio, quia humana iuriſdictio non poteſt ferre legem de actibus, de quibus non poteſt iudicare, nec punire, ſed poteſtas Eccleſiaſtica non poteſt iudicare de actibus merè internis, neque illos punire, ergo neque poteſt de illis legem ferre. Minor expreſſè habetur *in cap. Tua nos de Simon, nobis*, inquit Pontiſex, *datum eſt de manifeſtis tantummodo iudicare*, & Ratio eſt, quia iudicium ſupponit cauſæ cognitionem, actus autem interiores ſunt extra cognitionem humanam, & ideo iudicium de internis ſpectat ad ſolum Deum iuxta illud Regum, Homo videt ea, quę patent Deus autem intuetur cor, Maior autem colligitur ex Ariſt. *lib. eſſic. cap.* 5. dicente poteſtatem legiſlatiuam neceſſario debere habere coniunctam poteſtatem coactiuam, nam alias eſſet inutilis, & inefficax vnde fit hominem poſſe lege præcipere illa quę poteſt punire, non poteſt autem niſi iudicando, ergo ad ea tantum verſatur lex humana, circa quæ poteſt iudicium humanum verſari. Tum etiam quia Eccleſia nunquam præcepit actus merè internos; ergo ſignum eſt eos non poſſe præcipere, & per conſequens hæc poteſtas non fuit communicata Eccleſiæ, licet Chriſtus de poteſtate ſua abſoluta potuiſſet, ſi voluiſſet illam communicare, tamen de facto illam non dedit, cum ex nullo iure, vel Eccleſiæ traditione colligatur, & per conſequens non cenſetur conceſſa, ſed ſolùm quoad actus externos, quia cum Eccleſia ſit corpus viſibile, fuit data poteſtas circa exteriores actus, non autem circa interiores.

Sciendum actus internos eſſe in duplici differentia quoſdam eſſe abſolutè internos, qui nullam poſſunt habere connexionem cum actibus externis. Alios non eſſe abſolutè, & ſimpliciter internos, ſed poſſe habere connexionem cum actibus externis, & ſunt veluti quoddam complemendum, & perfectio actus externi, vt v. g. actus humilitatis, abnegationis propriè voluntatis, conformitatis voluntatis humanæ non Diuina ſunt actus abſolutè, & merè interni. At vero actus attentionis ſiue intentionis recitandi Diuinum officium ſunt actus non abſolutè, & merè interni quia poſſunt habere connexionem cum actu externo recitandi Diuinum officium ſicuti etiam contritio & attritio non ſunt actus abſolutè & ſimpliciter interni, quia habere poſſunt connexionem cum actu externo, immò ſunt veluti complementum, & perfectio actus externi, nimirum vel recitandi Diuinum Officium, vel Sacramenti pœnitentiæ, &c. Quibus poſitis.

Reſpondeo. Eccleſiam non poſſe præcipere actus merè internos. Ratio quia actus merè, & abſolutè interni nō ſunt ſub poteſtate eccleſię, ſed ſolius Dei, cuius eſt proprium illuminare abſcondita tenebrarum, & manifeſtare conſilia cordium. Tum etiam, quia Eccleſia non poteſt præcipere actus de quibus non poteſt ferre iudicium, & quos non poteſt punire, cuiuſmodi ſunt actus merè, & abſolutè interni ergo eos Eccleſia non poteſt præcipere. Et ita D. Tho. 2. *parte quæſt.* 91. *artic.* 4. Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 12. Valent. *part.* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 2. *pun.* 2. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. Salas *diſp.* 9. *ſect.* 1. *n.* 39. Clauis Regia *lib.* 3. *cap.* 6. *n. vltimus* & plures alij, qui fatentur quod licet Eccleſia non poſſit præcipere actus merè internos, tamen Chriſtum potuiſſe de poteſtate ſua abſoluta hanc poteſtatem Eccleſiæ communicare, licet de facto non communicauerit.

R. 2. Quod quando actus internus nullo modo eſt neceſſarius ad eſſe phyſicum, vel morale exterioris actus, ſed ſolùm coniugi poteſt ex arbitrio, ſeu libertate operantis, tunc nullo modo poſſe per legem Eccleſiaſticam præcipi, vel prohiberi. Vnde Eccleſia non poteſt pręcipere, vt oratio, vel ieiunium fiat cum hac vel illa intentione. Ratio deſumitur ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ non conſueuit cogere ad talem interiorem actum. Tum etiam quia per talem actum additur ſolùm externo bonitas quædam accidentaria per extrinſecam relationem, vel imperium ab actu interiori omnino diſtincto, ergo non poteſt illa bonitas pręcipi, ex vi pręcepti actus externi cum neceſſariam non habeat cum ipſo cōnexionem, ſed ſolùm voluntariam, Eccleſia autem non poteſt pręcipere actus internus, qui voluntariam ſolam connexionem poſſunt habere cum actibus externis.

R. 2. Actus internos, qui cum actibus externis poſſunt habere connexionem, poſſe ab Eccleſia præcipi, ita Auctores citati, & Reginald. *lib.* 13. *num.* 112 & alij. Ratio, quia Eccleſia poteſt præcipere actum externum perfectè, ſed illum non perciperet perfectè, ſi non pręciperet actum internum, qui cum eo poteſt habere connexionem, ergo, &c. Ratio minoris eſt, quia actus internus actus externi, cum quo habet connexionem cenſetur eſſe complementum & perfectio, ergo Eccleſia percipiendo perfectè actū externum, præcipit etiam indirectè actum internum, conſequentia patet, quia habet poteſtatem indirectam ſuper actus internos, ergo eos poteſt præcipere, non quatenus actus interni, ſed quatenus ſunt complementum actus externi.

Sciendum tres conditiones requiri in actu morali, vt ſit bonus. Prima conditio eſt, vt actus fiat ex ſufficienti cognitione. Secunda, vt liberè fiat. Tertia, vt non ſolùm ſit de re honeſta, ſed etiam cum circūſtantijs omnibus ad honeſtatem actus requiſiti, & ideò cū prima conditio ſit actus humani boni ſit, vt fiat ex ſufficienti cognitione, ſequitur actum humanum illum eſſe, qui eſt à voluntate dependenter ab

intelle-

ab intellectu, & quando præcipitur perfectè, talis actus præcipitur etiam indirectè actus internus cognitionis, cum ſit conditio requiſita ad actum externum humanum, vt v. g. quando præcipitur recitatio Diuini Officii, indirectè etiam præcipitur attentio. Ratio, quia ad hoc, vt recitatio Diuini Officii fiat, humano modo requirit attentionem, &c. ſicut etiam quando præcipit annuam confeſſionem, etiam indirectè præcipit actum doloris, qui eſt complementum, & perfectio Sacramenti pœnitentię, cum ad eſſentiam Sacramenti requiratur dolor.

An modus cadat ſub præcepto?

BRACTEA IV.

SCIANDVM modum virtutis duplicem eſſe, vnum ſpecialē, alterum generalem: ſpecialis eſt proprius cuiuſq; virtutis, vt in iuſtitia ſeruato iuris ordine reddere vnicuique, quod ſuum eſt in ieiunio abſtinentia cibi iuxta conſuetudinem introductam. In officio modus ſpecialis eſt, ipſum recitare cum debita attentione, & intentione. Item recitare ipſum cum debita diſtributione Pſalmorum, & iuxta modū pręſcriptū à Pio V. & ſic in alijs virtutibus. Modus generalis duplex eſt vnus ſupernaturalis, & diuinitus infuſus, qui eſt charitatis habitus, gratiæ gratum facientis comes indiuiduæ. Alter naturalis, & humana induſtria acquiſitus, qui eſt virtutis moralis habitus, quo virtuosè agitur.

Sciendum 2. Quædam præcepta obligare ſolùm materialiter, & non formaliter, ſiuè ſecundum rem, & non ſecundum modum quædam obligare materialiter, & formaliter, ſiuè ſecundum rem, & ſecundum modum, vt v. g. præceptum ſumendi Euchariſtiam in Paſchate eſt pręceptum, quod obligat ſolum materialiter, & non formaliter, ſiuè ſolùm ſecundum rem, & non ſecundum modum. Vnde ſuſcipiens ipſam indignè ſatisfacit præcepto. Præceptum verò recitandi Officium obligat materialiter, & formaliter, ſiuè ſecundum rem, & ſecundum modum, vnde recitans non cum debita attentione, ſeu intentione non ſatisfacit præcepto quoad modum, licet ſatisfaciat quoad ſubſtantiam, & per conſequens in materia graui, peccat mortaliter contra præceptum dicendi Officium, quod etiam dicendum de præcepto audiendi Miſſam, &c. Quibus poſitis.

R. Modum generalem ſupernaturalem non cadere ſub præcepto. Ratio, quia dum præcipitur actus virtutis, eo ipſo nō præcipitur actus charitatis, ideſt vt cum charitate tale opus fiat, ſed ſolùm præcipitur actus ipſe virtutis, & per conſequens modus generalis ſupernaturalis non cadit ſub præcepto. Ita Reginaldus *lib. 1. tom. 2. qu. 4.* & alij.

R. 2. Generalem virtutis modum naturalem, & acquiſitum partim cadere ſub pręcepto tàm Diuino, quam humano, partim ſub Diuino tantum, & non humano. Ratio primæ partis eſt, quia ad ſatiſfaciendum præcepto, ſiuè Diuino, ſiuè humano requiritur, vt id quod pręcipitur, humano modo agatur, ideſt ſcienter, & cum debita attentione. Vnde ſi ebrius, aut alia ratione mentis compos audiat Miſſam, &c. non ſatisfacit pręcepto cum humano modo ipſam non audiat, ideſt ſcienter, &c. Requiritur etiam, quod actus virtutis fiat cum debita intentione, ideſt cum electione finis non vi, aut coactus, ſed liberè cum per actum coactum non ſatisfaciat præcepto. Vnde ſi quis vi tractus interſit ſacro, non ſatisfacit pręcepto. Nec item ſi quis cogatur ieiunare, &c.

Sciendum hęc non habere locum in pręceptis, quæ ſolùm materialiter, ſiuè tantum ſecundum rem obligāt, quia in iſtis cum ſolùm requiratur actus exterior etiamſi coactè fiat, ſatiſfactum eſſe cenſebitur.

R. 3. Modum proprium cuiuſque virtutis cadere ſub pręcepto tàm Diuino, quam humano. Ratio, quia virtutis actio, de qua datur pręceptum, nequit ſine tali modo conſiſtere, cum ab eo ſuam ſpeciem, propriamque rationem pręcipiat. Vnde attentio in recitando Diuinum Officium, cum ſit modus ſpecialis, & perfectio ipſius Officij requiritur ad ſatisfaciendum, cum præceptum recitandi Diuinum Officium materialiter, & formaliter obliget, ideſt ſecundum rem, & ſecundum modum.

De diuerſitate præceptorum?

BRACTEA V.

RPRÆCEPTA primò diſtingui ratione materiæ in generale, & ſpeciale; generale illud eſſe, quod prohibet malum in genere, vel quod in genere pręcipit obſeruantiam mandatorum ſpeciale eſſe, quo pręcipitur virtutis actus in ſpecie, vel quod prohibet ſpecialem vitij actum, vel pertinentē ad iuſtitiam, vel ad charitatem. Secundò, diuiditur pręceptum ratione formæ in affirmatiuum, & negatiuum; affirmatiuum illud eſſe, quo aliquod pręcipitur, ſiuè pręcipiatur verbis affirmatiuis, aut verbis negatiuis. Pręceptum negatiuum illud eſſe, quo aliquid prohibetur fieri, vt v. g. *Vnum cole Deum*, eſt pręceptum affirmatiuum, cum hoc pręcepto pręcipiatur Cultus Diuinus. At verò non furtum facies, eſt pręceptum negatiuum, cum hoc pręcepto prohibeatur furtum. Pręceptum negatiuum omni tempore obligat, ideſt ſemper, & ad ſemper, præceptum verò affirmatiuum obligat ſolùm determinato tempore, ideſt ſemper, & non ad ſemper, ſeu in qualibet circunſtantia temporis. Tertiò, diuiditur ratione finis in morale, & cęremoniale; morale eſſe illud, quod ad rectam morum inſtitutionem eſt ordinatum; Cęremoniale, quod ad Dei Cultum ordinatur. Quartò, diuiditur in naturale, Diuinum, humanum, & mixtum; Naturale continet omnia, quæ à Deo fuerunt pręcepta in veteri lege, & à Chriſto in Euangelio. Humanum continet omnia præcepta lata, vel ab Eccleſia Summo Pōtifice, vel à quocunque alio habente ius condendi leges, & præcepta. Mixtūm dicitur illud, quod participat de Diuino, & naturali ſeu de Diuino, & poſitiuo, ſeu de naturali, & poſitiuo.

Sciendum 2. Multa eſſe peccata, quę non ſunt contra ſpecialem virtutem, ſed ſolùm contra Synderesim generaliter, & contra rationem; vt v. g. peccandi intentio in communi, & contra Synderesim, quæ in genere dictat malum eſſe fugiendum. Verùm ad hoc melius intelligendum.

Sciendum 3. Bonitatem moralem actionis humanæ eſſe conformitatem actionis cum recta ratione, quæ conformitas dicitur integritas, & conformitas humanæ actionis; Malitiam verò moralem eſſe priuationem conformitatis, & integritatis debitæ ineſſæ actui humano. Ratio eſt, quia bonitas, & malitia opponuntur, & ſicut bonitas conſiſtit in conformitate, & integritate, ita malitia conſiſtit in priuatione talis conformitatis, & integritatis, & ideò bonitatem eſſe aliquid reale, & poſitiuum, per quam homines ipſi, & eorum actiones à parte rei dicuntur bonæ, & dignæ laude. Malitiam verò eſſe aliquid rationis tantum, & priuatiuum, vt potè negatio bonitatis realis.

Sciendum 4. Bonitatem, & malitiam actus humani

A 2

mani aliam eſſe intrinſecam, & aliam extrinſecam. Bonitas, ſeu malitia intrinſeca eſt quando talis actio fieri non poteſt, quin non ſit bona, vel mala determinatè ob conformitatem, vel oppoſitionem, quam cum regula rationis neceſſariò debet habere. Bonitatem, ſeu malitiam extrinſecam illam eſſe, quam habet ex conformitate, vel oppoſitione cum aliquo præcepto iuris poſitiui, &c. vt v. g. furari, habet malitiam intrinſecam ex eo, quod habet oppoſitionem cum ratione iuris naturæ, at quia habet etiam oppoſitionem cum præcepto poſitiuo, idcircò præter malitiam intrinſecam, habet etiam malitiam extrinſecam. At verò *adorare Deum* habet bonitatem intrinſecam, quia adoratio Dei habet conformitatem cum ratione. Similiter etiam habet bonitatem extrinſecam, quia habet conformitatem cum iure poſitiuo.

Sciendum 5. Humanam actionem aliquando accipere ſuam bonitatem, vel malitiam ab obiecto aliquando à motiuo, ſeu fine actionis, vt v. g. delectatio moroſa quando eſt efficax, deſumit ſuam malitiam, vel bonitatem ab obiecto. Ratio eſt, quia cum ſit actus efficax, dicit ordinem ad executionē, & per conſequēs ab obiecto, circa quod tendit, ſpecificatur, vnde quādo aliquis delectatur de delectatione intendēs illam committere illa delectatio, cum ſit efficax ſpecificatur ab obiecto, & ideò habet malitiam fornicationis. At quando quis delectatur de re aliqua, non intendens illam exequi, illa delectatio ſumit ſuam bonitatem, vel malitiam à motiuo. Ratio eſt, quia cum non dicat ordinem ad actum externum, ſpecificatur ſolum à ſuo motiuo, ſeu fine, vnde inter actum internum efficacem, & inefficacem eſt hæc differentia, quoad actus efficax internus, cum reſpiciat actum externum, vt executioni mandandum, neceſſariò fertur in illum, & ab ipſo ſpecificatur, ob id intentio committendi copulam cum vxore alterius, eſt peccatum, quod habet eaſdem circunſtantias, ſeu malitiam, quam habet actus externus adulterij. Ratio, quia cum quis vult aliquid efficaciter, vult etiam illa, quæ ſunt illi adnexa, cum autem actui externo ſit adnexa malitia adulterij, ſequitur eandem malitiam eſſe adnexam intentioni committendi copulam cum vxore alterius. Actus verò inefficax, cum non feratur in obiectum, vt executioni mandandum, idcircò habet ſolum illam malitiam, ſecundum quam intellectui repræſentatur obiectum, & per conſequens erit bonus, vel malus iuxtà motiuum, itaut ſi motiuum erit bonum; actus inefficax erit bonus; ſi verò motiuum erit malum, ita etiam actus inefficax, actus efficax malus, eſt ſemper contra aliquam virtutem; actus verò inefficax malus contra Synderesim conſcientię.

Sciendum 5 Dubium eſſe, an detur humana actio, quę neque ſit bona, neque mala intrinſecè ex obiecto. Ad quod reſpondeo affirmatiuè. Ratio, quia vbi non eſt lex, ibi nec eſt etiam pręuaricatio, ſed dantur aliquę actiones, quę non ſunt prohibitę; ergo non erunt malæ, & quia non ſunt rationi conformes, nec etiam erunt bonæ, & per conſequens nec erunt bonę, nec malę, ſed indifferentes. Verùm ſi actus conſideretur in indiuiduo, quilibet erit determinatè bonus, vel malus. Ita S. Thomas 1.2. *quæſt*. 18. *art*. 8. Salas 1.2. *quæſt*. 21. *tract*. 8. *diſput*. *vnica*, *ſect*. 3. *num*. 21. Becanus 1.2. *tract*. 1. *cap*. 5. *quæſt* 6. & alij. Ratio eſt, quia omnis actus in particulari, aut conformatur rationi, aut non, ſi primo modo bonus eſt, quia ſit iuxta regulam rationis, cum bonum ſit iuxta pręſcriptum rationis operari. Si verò ſecundo modo fiat, erit malus, cum non conformetur rationi, & malum ſit non operari iuxta rationem; ergo in indiuiduo quilibet actus erit bonus, vel malus; & per conſequens in indiuiduo nullus erit actus indifferens.

De ſubiecto, cui datur præceptum?

BRACTEA VI.

R. Soli ſubditi ratione vtentes obligantur, ita vt eorum tranſgreſſione peccent. Ita Filliucius *tract*. 21. *cap*. 11. *quæſt*. 10. Layman *lib*. 1. *tract*. 4 *cap*. 10. & alii. Ratio eſt, quia poteſtas ferendi leges eſt iuriſdictionis, poteſtas autem iuriſdictionis non poteſt exerceri in eos, qui non ſunt ſubditi, cum nulla potentia poſſit agere extra ſuam naturam, & per conſequens, &c. Quod debeant eſſe ratione vtentes; patet, quia præceptum cum ſit directiuum, ſupponit vſum rationis. Tum quia obedientia tantum eſt eorum, qui ratione, & voluntate vtuntur. Ex quibus colligitur Legiſlatorem vi coactiua non teneri ſuis legibus, quamuis ex ęquitate, & vi directiua teneatur, quia tāquam caput ſe membris cōformare debet. Secundò infideles nō baptizatos nō obligari pręceptis Eccleſię, etiamſi ſint Cathecumeni, obligantur tamen Hęretici, & alii, qui per Baptiſmum ſemel Eccleſię ſunt ſubiecti. Tertiò, pueri ratione vtentes obligantur legibus Eccleſiaſticis quoad culpam, conſequenter tenentur ad confeſſionem annuam ad audiendam Miſſam in die feſto ad abſtinentiam à lacticiniis, & cibis vetitis in die ieiunii. Dixi quoad culpam, quia quoad pœnas ordinarias non obligantur, niſi ſint puberes, quales ſunt maſculi anno decimoquarto, puellę duodecimo abſoluto. Ita Vaſquez *de pœnitentia quæſt*. 99. *art*. 2. Em. Sà *verbo cenſura*. Pueri verò, qui nondum ad vſum rationis peruenerunt, non aſtringuntur legibus Eccleſiaſticis. Vnde poſſunt veſci carnibus diebus prohibitis intereſſe Diuinis tempore interdicti, & etiam ingredi Clauſtra Monialium. Ita Cordubà *de caſibus conſcientiæ quæſt*. 60. Em. Sà *verbo pueri*, Salas *de legibus diſput*. 14. *ſect*. 13. Sayrus *lib*. 5. *cap* 8. *num*. 31. & alii. Quod amentes non obligentur legibus; patet ex ſupradictis. Quartò, Clerici cum iure Diuino ſint exempti, non tenentur legibus ciuilibus vi coactiua, ſed tantum ex ęquitate, & vi directiua legibus non repugnantibus libertati Eccleſię. Ita Nauarrus *cap*. 23. *num* 88. Valentià *tom*. 4. *diſput*. 9. *quæſt*. 5. *pun*. 4. Clauisregia *lib*. 4. *cap*. 4. *num*. 16. Azorius *par*. 1. *lib*. 1. *cap*. 12. & communiter omnes. Vnde à Principe ſęculari puniri non poſſunt, &c. Quas leges Clericus vi directiua ſeruare teneatur, dictum eſt, cum de priuilegiis Clericorum. Quintò, peregrinos non obligari ſeruare leges loci, in quo pro aliquo tempore commorantur, præciſo tamen ſcandalo, & damno communi. An teneatur ſeruare præcepta iuris communis, quorum in proprio territorio obſeruantia viget, & non in loco, in quo pro tempore reperitur. Ad quod reſpondeo negatiuè, quia tunc valet priuilegium locale, quo frui poſſunt omnes, qui in loco morantur. Ita Sanchez 1. *mor*. *cap*. 18. Bonacina *de legibus pun*. 6. *num*. 61. & alii. Quintò vagos, qui nullibi certam habent habitationis ſedem; ſed huc, & illuc diuertunt obligari legibus, & conſuetudinibus locorum, in quibus reperiuntur. Ita Sanchez *lib*. 3. *de matrim*. *diſput*. 8. *num*. 14. Suarez *tom*. 1. *de Religione lib*. 2. *cap*. 14. *num*. 20. Sotus *in* 4 *diſt*, 18. *quæſt* 4. *art*. 2. Reginaldus *lib*. 13 *num*. 172. & alii. Ratio, quia vbique cenſentur habere domicilium, quia ſecus exempti eſſent ab omnibus ſtatutis, & legibus municipalibus, &c. quod non eſt dicendum.

Quo-

Quomodo præcepta debeant impleri?

BRACTEA VII.

R. PRÆCEPTA poſſe impleri ſine charitate, niſi hanc in ſubſtantia includant, vt v.g. præceptum dilectionia Dei. Ratio, quia tantum præcipitur ſubſtantia actus incluſi in præcepto, & nõ finis, vt v.g. vt honoretur parens. Verùm vt impletio præcepti ſit meritoria, requiritur charitas in operante. Vnde ſi quis ieiunet ob vanam gloriam, implet præceptum, quia illius ſubſtantiam implet, etiamſi impleat præceptum ex circunſtantia peccaminoſa. Et ita Sanchez 1.*mor.cap.*14. Layman *lib.*1. *tract.*4.*nu.*6.Cardinalis de Lugo *diſp.*22.*ſect.*2.*num.*23.

R.2.Ad ſatisfaciendum præcepto non eſſe neceſſe, vt opus præſtetur intentione ſatisfaciendi præcepto, ſed ſufficere, vt opus præſtetur intentione illud præſtandi. Ita Suarez *de ſacramentis diſp.*8.*ſect.*3. Vaſquez *par.*2.*quaſt.*100.*art.*9. Azorius *par.*1.*lib.*9.*cap.*2.*quaſt.*6. Sanchez *in opere morali lib.*1.*cap.*13.*num.*10. Valentia 2. 2.*diſput.*6.*quaſt.*2.*pun.vlt.*Ratio, quia lex tantum præcipit liberam operis externi executionem, non autem, vt alio peculiari actu quis intendat ſatisfacere præcepto. Tum etiam quia præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc eſt, vt aliquid fiat quia præcipitur, ſed tantum ad materialem.

R. 2. Satisfacere præcepto, qui facit opus cum intentione non ſatisfaciendi præcepto. Ita Vaſquez *loco citato*, Leſſius *lib.*2.*cap.*7.*dub.*10. Ratio, quia præcepta obligant tantum ad ſubſtantiam operis iniuncti; ergo illa poſita non eſt in poteſtate operantis, vt non ſatisfaciat, nec refert, quod actus non operetur vltra intentionem agentis, quia id intelligitur, quando eſt in poteſtate operantis ſatisfacere, vel non.

R.3.Vno actu duplici præcepto poſſe ſatisfieri, niſi aliud colligatur ex mente præcipientis. Sanctius *lib.*1.*cap.*14.& alii. Et poteſt quis eodem tempore diuerſis actibus duplici præcepto ſatisfacere, dummodo vnum non impediat alterum. Sanchez *loco citato*, & eſt communis. Ratio eſt, quia ille præcepto ſatiſfacit, qui facit id, quod præcepto præſcribitur, ſed eodem tempore diuerſis actibus poteſt facere id, quod præcipitur, quia plerunque temporum diuerſitas non præcipitur; ergo, &c.

R. 4. Qui violat præcepta materialiter tantum diuerſa; ita vt licet ſint plurium Legiſlatorum, habeant tamen idem motiuum formale, & verſentur circa eandem numero materiam vnum tantum peccatum committit, ſi verò præcepta ſint formaliter diuerſa, ob motiua proxima ſpecie diſiuncta, vel verſentur circa materiam numero diuerſam, committit plura peccata, quia ſunt obligationes, & malitiæ diuerſæ. Sanchez *lib.* 9.*de matrim.diſput.*15. Vaſquez 1.2. *diſp.*9.Card.Delugo *diſp.*16.*n.*245.& alii.

Quæ excuſent à transgreſſione præcepti?

BRACTEA VIII.

R. IGNORANTIAM inuincibilem excuſare à transgreſſione præcepti. Ratio, quia nullum eſt peccatum, niſi voluntarium; ſi verò ignorantia ſit vincibilis, non excuſat à transgreſſione præcepti. Ita D.Auguſtinus *lib.*1.*retract.cap.*18. Sanchez 10.*moral.cap.*16.& communiter omnes.

Sciendum ignorantiæ plures eſſe diuiſiones, quædam eſt prauæ diſpoſitionis, quæ error appellatur. Cum ſimul quis cum ignorantia habet errorem contrarium, vt ſi quis contractum contrarium licitum eſſe putet. Alia eſt puræ priuationis, quæ nõn eſt cum errore poſitiuo, ſed eſt ſimplex priuatio ſcientiæ. Secundò, alia eſt iuris, quando lex ignoratur, alia facti quando non ius, ſed factum ignoratur. Tertiò, alia eſt vniuerſalis, quæ & antecedens, & inculpabilis iuſta, & inuoluntaria ſolet appellari, quæ inculpabiliter priuat cognitione, & ſcientia malitiæ actus, qua cognita non fieret. Alia eſt vincibilis, quæ & conſequẽs culpabilis, improbabilis, iniuſta, & voluntaria dicitur, dicitur antecedens, quia antecedit quemlibet actum voluntatis, cum nec indirectè ſit voluntaria. Dicitur etiam inuincibilis, quia aut excludi nequit, aut non debet. Dicitur probabilis, iuſta, & inculpabilis, quia ſine culpa, & bona fide contracta eſt. Secunda, dicitur conſequens, quia ſequitur voluntatem, cum ſit tecta volita directè, aut indirectè, quia potuit ignorans, & debebat illam expellere, & ideò dicitur vincibilis, quia poterat vinci, culpabilis, iniuſta, & improbabilis, eo quod culpabiliter contracta ſit. Ignorantia vincibilis diuiditur in affectatam, & non affectatam, & affectata in craſſam, & ſupinam, de quibus alibi dictum fuit.

R. 2. Præcepta rem intrinſecè malam prohibentia ob nullum mortis periculum licere transgredi. Item quando mortis periculum coniungitur intrinſecè cum legis obſeruantia, v.g. quia imponens præceptum præuidet periculum, & eo non obſtante propter maius bonum id præcipit, tunc obſeruantia præcepti obligat cum vitæ periculo, vt ſi Epiſcopus parochis præcipiat tempore peſtis adeſſe, ne fideles Sacramentis deſtituti decedant; ſecus verò dicendum quando mortis periculum per accidens coniungitur cum legis obſeruantia. Et ita Sotus *in* 4. *diſput* 22. *quaſt.*1.*art.*4.Corduba *in ſumma quaſt.*137. Azorius *tom.*1.*lib.*1.*cap.*11.*quaſt.*1.Couarun.*cap.alma mater*, Henriquez *lib.*13.*de excommunicat.cap.*21.*num.*2.& alij.Ratio eſt, quia vel in Eccleſia non extat tanta poteſtas ad obligandum cum tanto rigore in legibus communibus, vel ſi ſit ex ſuaui prouidentia, non vtitur illa, nec ad commune bonum pertinet, vt illa vtatur.

R. 3. Impotentiam excuſare à transgreſſione præcepti, cum ad impoſſibile nemo poſſit obligari. *leg. nemo de reg.iur.in 6.*

Sciendum dubium eſſe, an teneatur implere partem præcepti, qui non poteſt ſolùm adimplere. Ad quod reſpondeo, ſi pars illa ſit notabilis; ita vt in illa ſaluetur ratio, ſeu finis præcepti; tunc qui non poteſt ſeruare, totam debet ſeruare partem. Quod ſi pars non ſit notabilis; vt in ea ſaluetur ratio præcepti, tunc qui non poteſt ſeruare totum præceptum, non obligatur ad partem, præcipuè verò cum præceptum eſt de re indiuidua.

R. 4. Diſpenſationem factam ex iuſta cauſa excuſare à transgreſſione præcepti. Sanchez *lib.*1.*cap* 20. Azorius 1.*par.lib.*5.*cap.*15.Salas *diſput.*20.& alij. Dixi ex iuſta cauſa, quia ſi ſecus licet diſpenſatio, teneat tamen tàm dans, quàm petens peccant, quæ ſint requiſita ad diſpenſationem dicta ſunt cum de matrimonio.

An qui dat operam actioni bonæ eo tempore, quo præceptum adimplendum eſt, peccet, & illud peccatum ſit manifeſtandum in confeſſione?

BRACTEA IX.

R. Pacoara, quoties omiſſio præcepti imputatur ad peccatum; quamobrem peccat, qui tempore Miſſæ audiendæ ex præcepto domi ſe retinet recitando coronam, vel curando infirmum præciſa neceſſitate curandi infirmum.

Dixi in reſponſione, quoties omiſſio præcepti imputatur ad peccatum, quia quando præcepti omiſſio non imputatur ad peccatum, actio bona, quę tunc temporis exercetur, non eſt peccaminoſa, cum nulli præcepto aduerſetur.

R. 2. Malitias actionum, quæ ſunt cauſa omiſſionis reuocari ad peccatum omiſſionis. Ratio eſt, quia voluntas, & cauſa furti nō habet aliam malitiam, quam furti; ergo etiam voluntas, & cauſa omiſſionis non habet aliam malitiam, quam omiſſionis. Tum quia tales actiones non habēt malitiam, niſi quia ſunt cauſa omiſſionis, ergo reducuntur ad peccatum omiſſionis. Tum quia illud eſt peccatum omiſſionis, quod opponitur pręcepto affirmatiuo, ſicut illud eſt peccatum commiſſionis, quod opponitur pręcepto negatiuo, omiſſio enim ſacri, v. g. eſt peccatum omiſſionis, quia opponitur pręcepto affirmatiuo audiendi ſacrum, & furtum eſt peccatum commiſſionis, quia opponitur pręcepto negatiuo prohibenti furtum; ſed actiones, quę ſunt cauſa omiſſionis, opponuntur pręcepto affirmatiuo, quo pręcipitur actio, & remotio impedimentorum ad talem actionem; ergo habent malitiam peccati omiſſionis. Ita plures citati apud Bonacinam *de legib. diſp. 2. quæſt. 4. pun. 4 5. propoſit. nu. 26.*

R. 3. Quando concurrunt duo pręcepta incompoſſibilia, quæ eodem tempore ſeruari nequeunt per ſe loquendo ſeruandum eſſe maius Pręceptum, cum grauius Peccatum ſit violare pręceptum grauius, quā leuius; vnde quando ſimul cōcurrunt præceptum naturale Diuinum, & præceptū Diuinum ſolummodo, vel humanum eligendum eſſe pręceptum naturale Diuinum, quia grauius eſt pręceptum, quam pręceptum Diuinum ſolummodo, & humanum; ſicut etiam ſi Diuinum pręceptum, vel naturale concurrat cum humano, ſeruandum eſſe potius Diuinum, & naturale, quam humanū. Ratio eſt, quia pręceptum Diuinū, vel naturale pręponderat humano; ſicut etiam quando concurrunt ſimul pręceptum affirmatiuum, & negatiuum ſeruandum eſſe negatiuum, quia negatiuum pręceptum præponderat affirmatiuo, ſicut etiam prępōderat pręceptum altioris virtutis regulariter cum pręcepto inferioris virtutis.

R. Eligentem ad impletionem inferius pręcepti, relicto ſuperiore peccare iuxta qualitatem exceſſus, quando exceſſus eſt paruus, & modicus peccare venialiter; ſecus verò ſi exceſſus ſit grauis; quando verò nullus apparet exceſſus inter hęc duo pręcepta quodlibet eorum ad libitum eligi poteſt, quia non eſt maior ratio, cur potius vnum pręceptum eligatur, quam aliud. Ita Reginaldus *lib. 13. n. 36.* Sanchez *in opere morali lib. 1 cap. 10. n. 20.* Vaſquez *1. par. diſp 66. cap. 4. nu. 21.* Corduba *lib. 5. qu. 5.* Becanus *tract. 1. cap. 4. qu. 8. nu. 7.* Suarez *de pœni. diſp. 3. ſeſſ. 10. n. 7.* & alij.

An vt præceptum obliget ſub mortali culpa grauem materiam requirat?

BRACTEA X.

R. Præceptum, vt obliget ſub mortali requirere materiam grauem, ita vt non ſit in poteſtate præcipientis, obligare ſub mortali in materia leui, etiam ſi id maximè velit, & intendat. Ita Driedo *lib. 3. de libertate chriſtiana cap. 3.* Caſtro *lib. 1. de lege penali cap. 5.* Sotus *lib. 1. de iuſtit. quæſt. 6. artic. 4.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 25. num. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 6. quæſt. 5.* & alii. Ratio, quia lex naturalis Diuina non obligat ſub mortali in materia leui, ergo multo minus poteſt facere id lex humana: Tum etiam, quia tale præceptum eſſet iniuſtum. Tum etiam, quia non eſſet in edificationem, ſed in deſtructionem.

Sciendum, quod licet præceptum ſub mortali impoſitum in re leui non obliget, obligare tamen ſub veniali. Verum in tali præcepto duo ſunt diſtinguenda: Vnum eſt rem talem præcipi: aliud eſt præcipi ſub tali obligatione, & pœna: Primum, non eſt iniuſtum, quia ſupponimus materiam præcepti ſimpliciter honeſtam eſſe, & in ſuo gradu iuſtam, & capacem præcepti. Secundum verò iniuſtum eſt, in ordine ad peccatum mortale ob rationes allatas. Eſſe iuſtum, & validum in ordine ad peccatum veniale, quoniam vt ſic culpa commenſuratur præcepto. Ita Suarez *de legib. cap. 25. num. 6.* Sanchez *lib. 6. ſum. cap. 4. num. 46.* & alii.

Sciendum 2. Dubium eſſe quomodo poſſimus cognoſcere præceptum, obligare ſub mortali. Ad quod reſpondeo primò cognoſci ex verbis, quibus fertur, præceptum, vt v. g. ſi ſub iſtis verbis feratur, iubemus, obligamus, præcipimus, &c. Ita Silueſter *verbo præceptum quæſit. 2.* Vaſquez *diſp. 158. cap. 3.* Suarez *lib. 2. de legibus cap. 15.* Em. Sà *verbo lex*, & alii. Similiter præceptum obligare ſub mortali, quando adhibetur verbum iniungimus, aut mandamus. Secundò, præceptum obligare ſub mortali, quoties ſub his verbis editur Præcipio ex vi voti, iuramenti, aut in virtute Sanctæ Obedientiæ, aut ſub indignatione Dei, aut Sanctorum, aut ſub maledictione æterna, &c. Ratio, quia præcipiens hac loquendi forma, cenſetur velle obligare in quantum poteſt. Ita Nauarrus *cap. 23. num. 53.* Em. Sà *verb. lex*; & communiter omnes. Vltimò, præceptum obligare ſub mortali, quoties fertur imperatiuo modo, niſi aliud ex coniecturis appareat. Ita Silueſter *verb. præceptum quæſit. 2.* Armilla *verb. lex num. 4.* & alii plures. Similiter ſi feratur his verbis ſancimus, intendimus, &c. Azor. *loco citato quæſit. 7.* & plures apud Silueſtrum *verbo præceptum.*

Sciendum 3. Materiam legis ciuilis, ſeu humanæ poſſe eſſe grauem in omnibus virtutibus, præſertim principalibus, ſeu cardinalibus iuxtà doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 3. in vnaquaque verò virtute illam eſſe grauem, cuius omiſſio, vel violatio notabilem habet deformitatem, ſeu turpitudinem in ſua ſpecie: Gradus autem, ſeu grauitas talis turpitudinis prudenti arbitrio iudicandus eſt, ſpectata communi æſtimatione hominum, & grauium, Doctorumque virorum prudentum ſenſu, & opinione. Secundò loco conſideranda eſt propoſitio medij ad finem per legem intentum, nam ſi leuiter illū impediat, aut diminuat, quamuis finis in ſe grauis ſit læſio eius per talem medium, non poteſt grauis reputari, & è contrario ſi defectus in aliqua materia

graui-

graniter lædit finèm intentum à lege, licet in ſe aliquid minimum eſſe videatur, nihilominus in ratione medij eſt quid graue, & ideò vt eſt materia talis præcepti, eſt materia grauis. Vnde ſequitur, vt materia præcepti ſecundum ſe leuis, & incapax obligationis ſub mortali ex circunſtantiis boni communis adiunctis, ſit grauis, & cadat ſub obligatione, ſub mortali, ſimiliter quæ cenſetur materia grauis, reſpectu vnius præcepti poſſit eſſe leuis, reſpectu alterius, ſi ad ipſius finem non multum conducat, & ita communiter.

An ex appoſitione pœnæ grauis præſumatur præcipientem obligare ſub mortali?

BRACTEA XI.

R. Ex appoſitione pœnæ grauis, v. g. capitis mortis, mutilationis, &c. licere conijcere culpam eſſe grauem. Ratio, quia alloquin præſumeretur præceptum eſſe iniuſtum, ſi pro leui culpa grauem pœnam imponeret. Ita Couar. *reg. peccatum part.* 2. §. 5. *num.* 3. Suarez *lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 4. & alij, & ideò præceptum continens leuem pœnam, obligare ſolum ſub veniali.

R. 2. Non obligare præceptum ſub mortali, ſed ſolum veniali, quando tranſgreſſori præcepti imponitur pœna excommunicationis minoris. Ratio, quia hæc cenſetur pœna leuis, Vaſquez 1. 2. *diſp.* 158. *num.* 4. Sanchez *lib.* 6. *ſum. cap.* 4. *num.* 48. Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 18. *num.* 4. & alij communiter.

R. 3. Quando tranſgreſſori apponitur pœna excommunicationis maioris, tunc præceptum obligare ſub mortali. Ratio, quia cum ſit grauis cenſura non fertur, niſi ob peccatum mortale.

R. 4. Præceptum latum ſub pœna interdicti ſuſpenſionis, &c. obligare ſub mortali. Ratio, quia cum grauiſſimæ pœnæ ſint, non ſolent imponi, niſi ob peccatum mortale. Ita Silueſt. *verb. præceptum quæſt.* 3. Angelus *verb. lex num.* 4. & alij. Quod etiam dicendum eſt de irregularitate ex delicto, aut de reali, aut verbali depoſitione. Ita Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 26. *num.* 4. Beccan. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 15. *num.* 10. & alij.

An præceptum, & lex ciuilis obligent in conſcientia?

BRACTEA XII.

R. Legem ciuilem, & præceptum habere vim obligandi in conſcientia. Ita D. Th. 1. 2 *quæſt.* 96. *artic.* 4. Valentia *diſput.* 7. *pun.* 6. Sotus *lib.* 1. *de inſtit. quæſt.* 6. *artic.* 4. Bellarm. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. Couar. *in regul. peccatum part.* 2. §. 3. Nauar. *in ſum. cap.* 23. *num.* 54. & alij. Ita colligitur ex illo Pauli ad Rom. 13. *Qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt ſibi ipſis damnationem acquirunt*, & ex illo 1. Petri *cap.* 2. *Subiecti igitur eſtote omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tamquam à Deo miſſis in vindictam malefactorum, hæc enim voluntas Dei eſt*, & ex pluribus alijs locis ſcripturæ. Tum etiam, quia legislator ciuilis fert leges, vt Miniſter Dei per poteſtatem ab ipſo receptam ſaltem mediatè, ergo obligat in conſcientia ad parendum; Conſequentia patet, quia qui reſiſtit Miniſtro Regis in eo, in quo Miniſter eſt, & quatenus repræſentat perſonam Regis, cenſetur reſiſtere ipſi Regi, ergo in tranſgreſſione talis legis, intercedit Dei offenſio, & iniuria, ergo læditur conſcientia, quia lex in conſcientia obligat. Tum etiam, quia lex iuſta obligat in conſcientia, & per conſequens qui contra illas agit, facit contra Diuinam voluntatem, ergo illa tranſgreſſio eſt verè culpa, atque adeò contra obligationem in conſcientia. Tum etiam, quia lex humana participat de lege æterna naturali, quatenus voluntate Dei, & dictamine rationis naturalis nititur, ergo ſicut lex æterna obligat in conſcientia, ita & hæc S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 4.

An præceptum, ſeu lex ciuilis fundata in præſumptione, obligent in conſcientia?

BRACTEA XIII.

SCIENDVM duplex eſſe genus præſumptionis. Primum, quo legislator in quouis caſu particulari præſumit aliquid, & ratione iſtius legem conſtituit, quia in ſingulis caſibus ita præſumit, & hanc præſumptionem appellant Iuriſperiti iuris, & de iure, quia ſcilicet ius ita præſumit. Secundum genus præſumptionis eſt, quo legislator non præſumit fraudem, vel aliquid ſimile in ſingulis caſibus, ſed quia prudenter iudicat in re aliqua non rarò fraudes contingere, vel alia incommoda legem vniuerſalem conſtituit, qua fraudes, & incommoda, quo fieri poteſt impediantur huiuſmodi ſunt leges, quæ irritant quoſdam contractus, niſi fiant cum talibus conditionibus, &c. Quo poſito

R. Quando lex fundatur in præſumptione priori modo, non obligat in conſcientia non ſubſiſtente præſumptione, ſeu veritate facti, & ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia veritas præfertur præſumptioni, & ideò intentio, quæ in præſumptione fundatur, non creditur extendi ad caſum, in quo veritas non ſubſiſtat.

R. 2. Leges fundatæ in præſumptione ratione ſolius moralis periculi fraudum, vel aliorum incommodorum, quę frequenter accidere ſolent, obligant in conſcientia, & habent ſuos effectus, etiamſi in particulari caſu, non interueniat id, quod timeri poterat. Ratio, quia leges humanę reſpiciunt ea, quę frequentius accidunt, & id ſatis eſt, vt generaliter obligent quomodo verò diſcernendum ſit quando lex fundatur in pręſumptione periculi tantum, ſeu in eo, quod frequentius accidit, vel etiam in pręſumptione, quę in quolibet caſu particulari legislator aliquid pręſumit, non poteſt certa regula aſſignari: ſed ex materia, & verbis legis adiuncto vſu, & interpretatione Doctorum id colligendum eſt.

Sciendum dupliciter poſſe aliquem fieri reum pęnè ex tranſgreſſione legis. Primò, quia lex illa, vt eſt, à proximo legislatore directè imponit talem pęnam. Secundò, inferri poteſt reatus pœnæ ſolum conſecutiuè: Priori modo verum eſt non poſſe legislatorem obligare ad pœnam, quam nullo modo poteſt infligere; Poſteriori autem modo poteſt lex, ſeu pręceptum ciuile non obligat ad pęnam, v.g. inferni priori modo, ſed tantum poſteriori, eo quod Deus voluit obſeruari leges à ſuis Miniſtris latas etiam ſuo pœna Inferni, vel Purgatorij, quia tranſgreſſiones earum continent veram culpam.

An præceptum, ſeu lex iniuſta obliget in conſcientia?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM quinque modis pręceptum, ſeu legem dici iniuſtam. Primò, quando repugnat legi, & pręcepto Diuino, & tunc certum eſt non obligare, quia Deo magis, quam hominibus obedire oportet. Secundò, quando aduerſatur bono communi. Tertiò, quando tranſcendit, & excedit facultatem, & poteſtatem legislatoris: Quartò, quando ſubditis imponitur onus improportionatum cauſę. Quintò, quando fundatur in falſa pręſumptione contra rei veritatem notam illi, contra quam fertur lex, vel pręceptum. Quibus poſitis

R. Non peccare eum, qui non ſeruat legem, vel præceptum quinque ſupradictis modis iniuſtum; præciſo tamen ſcandalo, & perturbatione Reipublicæ. Ratio, quia illa lex obligat, quæ eſt recta rationis ordinatio ad commune bonum inſtituta; ſed lex, ſeu præceptum quinque ſupradictis modis iniuſtum non eſt recta rationis ordinatio, ergo non obligat, ita Suarez *lib.* 1. *cap.* 9. & alii. Dixi præciſo ſcandalo, &c. nam ratione vitandi ſcandali, &c. homines tenentur ad obſeruantiam legum; quoties eas ſine culpa ſeruare poſſunt.

Sciendum dubium eſſe an teneamur obedire legi, aut præcepto quando adeſt dubium de ipſius iuſtitia, & obligatione. Ad quod reſpondeo affirmatiuè; & ita Vaſquez *part.* 2. *diſp* 151. *cap.* 4. Suarez *lib.* 1. *de legibus cap.* 9. *num.* 20. Salas *diſp.* 10. *ſect.* 2. & alii. Ratio, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, ergo in fauorem præcepti, ſeu legis erit iudicandum, cum legiſlator, & ſuperior ius habeat præcipiendo.

Sciendum ad maiorem notitiam ſupradictorum nullum pręceptum affirmatiuum, ſiue negatiuum impleri poſſe, niſi per actum humanum, & liberum, quo quis voluntariè, & liberè efficiat id, quod pręcipitur, & ideò requiritur notitia in pręcipiente, & libertas in obediente. Ratio eſt, quia per præcepta affirmatiua iuſtè imponitur hominibus exercitium alicuius actus, ergo humano modo efficere debent, & per conſequens liberè ex parte obedientis, ſicut iuſtum debet eſſe ex parte pręcipientis. In præceptis verò negatiuis, quibus ſolum prohibetur homini ne aliquem actum exerceat poſitiuum quoquo modo contingat, ſatis omiſſio ſufficit ad ſatisfaciendum. Ratio, quia per ſolam negationem actus prohibiti homo eſt conformis præcepto. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 9. *num.* 5. & alii.

Notanda de præceptis Decalogi.

BRACTEA XVI.

SCIENDVM 2. Præcepta Decalogi ſecundum communem Doctorum ſententiam eſſe iuris naturalis. Vnde quamuis eiuſmodi præcepta in veteri lege fuit tradita ſemper tamen manere; non enim morte Chriſti ſublata ſunt, ſed non manent, vt præcepta veteris legis, ſed quatenus ſunt præcepta legis naturalis. Eſt aut Decalogus compendium eorum omnium, quæ chriſtianus debet agere, ſicut Symbolum Apoſtolorum eſt ſumma eorum omniū, quæ idem debet credere, Oratio Dominica eorum omniū, quæ debet ſperare, & petere, & eſt quaſi ſpeculum, quod baptizato traditur, vt videat quantum per fidem renouet vitam ſuam.

Sciendum 3. in Decalogo non dari expreſsè præcepta de omnibus actibus virtutum, & vitiorum, ſed ſolum de hiis, qui patent. Vnde ſequitur omnes chriſtianos, qui ad annos diſcretionis venerint, rationiſque vſum habuerint, ſicut tenentur obſeruare, ita & ſcire præcepta Decalogi, cum illius notitia ſit neceſſaria ad ſalutem: Triplex ordo inuenitur in præceptis; Primus ordo in eo conſiſtit, quod cum eſſent ſcripta in duabus tabulis; Præcepta prioris tabulæ pręcedant poſterioris tabulæ, quia illa continent dilectionem Dei, & hęc dilectionem proximi; Secundus ordo eſt proprius pręceptorum ſecundæ tabulę, vt primum ſit de non deferendo alteri cultum, quam Deo, quod ad cordis fidelitatem pertinet; Secundum, de non aſſumendo nomen Dei fruſtra, quod ad oris veritatem ſpectat; Tertium demum de exhibendo illi honorem, & obſequium, quod ad probitatem morum reducitur; Tertius ordo eſt proprius pręceptorum ſecundę tabulę, quo illud pręponitur de honorandis parentibus tanquam dignius, ac maioris obligationis, deinde ſubiunguntur alia, quę ad proximum pertinent, & quia maius malum eſt lędere proximum in vita, quam in bonis externis ſit, vt quartò de honorandis parentibus ſuccedat; quintum de non occidendo; Deinde ſextum de non adulterando; Septimum, de non furando: Octauum, de non dicendo falſum teſtimonium: Nonum, de non concupiſcenda vxore alterius; & decimum de non concupiſcenda re aliena.

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI:

Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.

MALLEATIO II.

De Religione, & adoratione.

BRACTEA I.

SCIENDVM nomen Religionis dupliciter poſſe accipi:primo vt ſignificat eam virtutem moris, qua Iuſtus,& debitus honor,cultuſquè Deo tribuitur; altero modo vt ſignificat ſtatum, & vitæ conditionem multorum hominū ſpeciali modo, & regula colentiū Deum;& nomen Religionis hic non ſumitur prout ſignificat ſtatum quendam, & conditionem vitæ multorum hominum colentium Deum ſpeciali regula, ſed ſumitur priori modo, quatenus ſignificat: virtutem moralem qua tribuitur cultus Deo debitus. Quibus poſitis.

R. Religionem eſſe virtutem moralem quę debitum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio exhibet. Dicitur primo virtus,quia efficit bonum eum qui illam poſſidet,eiuſquè opus bonum reddit,& laude dignum: colere enim Deum laudabile eſt; Secundò dicitur Moralis, quia Dei excellentia quæ colitur virtute Religionis reſpicit Deum quatenus eſt auctor naturæ, qui cultus ex natura rei eſt conformis creaturæ Rationali, quamuis ſi reſpiciatur Deus quatenus eſt auctor rerum ſupernaturalium poſſit dari Religio infuſa habens pro obiecto cultum Dei, quatenus inuoluerit honeſtatem ſupernaturalem; Tertio dicitur quæ debitum cultum exhibet, his enim verbis ſignificatur materia ſiue obiectum materiale Religionis,hic enim eſt cultus Dei actus videlicet voluntaria tum elicitus tum imperatus, quo Deo exhibemus honorem,& reuerentiam, qualis eſt actus adorandi Deum per genuflexionem, apertionem capitis, ſacrificando, &c. vltimo dicitur tanquam primo rerum omnium, &c. his enim verbis ſignificatur obiectum formale, & ratio cur tribuatur prędictus honor Deo, ea autem eſt ratio principij rerum omniū quæ maxima excellentia eſt.

Sciendum ſecundò,obiectū materiale Religionis eſſe actiones humanas,quibus deferrimus Deo honorem, & reuerentiā. Ratio eſt,quia in virtutibus moralibus ijdem actus externi qui fiunt ab internis ſecundum ſe ſumpti; & vt priores in ordine intentionis ſunt materia taliū virtutum, Religio autem virtus quædam moralis eſt, idem ergo cultus, quem efficienter Religio exhibet Deo, erit obiectum materiale ipſius Religionis, omnis autem actus humanus honeſtus, quatenus referri poteſt In honorem, & gloriam Dei poteſt eſſe materia Religionis.

Sciēdum tertio, actus Religionis communiter diſtingui in duo genera: primum in interiorem, qui duo ſunt, Deuotio, & Oratio; Deuotio eſt promptus voluntatis affectus ad aliquid efficiendum propter obſequium honorem, & cultum Dei, de quo tractat S. Thomas 2.2. *quæſt*.82. Oratio eſt actus,quo aliquid à Deo ſuppliciter petimus; ſecundo in exteriores, qui pręcipuè tres ſunt; alij quibus aliquid Deo offerimus; alij quibus Deo quidpiam promittimus; alij quibus rem aliquam Deo ſacram adhibemus ad aliquid ſaciendum. Inter eos actus quibus Deo aliquid tribuimus alius eſt quo Deum veneramur certa aliqua Corporis inclinatione, vel ſubmittendo, aut aperiendo caput,vel genuflectendo, vel totum corpus inflectendo, aut proſternendo aut pectus tundendo; & hic actus dicitur Adoratio, de quo S. Thomas 2.2. *quæſt*.84. Alius eſt actus quo aliquid immolatur, ſacrificatur, aut quolibet modo offertur Deo aliqua ratione mutatum, ſiue cum alijs permixtum, de quo S. Tom. 2.2.*quæſt*. 85. Alius quo aliqua Deo offerimus ad eius miniſtros alendos, vt ſunt Decimæ, Primitiæ, &c. de quibus S. Tom. 2.2. *quæſt*. 86.& 87. Actus verò quò promittimus aliquid Deo eſt votum de quo S. Tom. 2. 2. *quæſt*. 88. Actus quo nomen Dei adhibemus ad ea confirmanda quæ dicimus eſt Iuſiurandum, de quo S. Tom. 2. 2. *quæſt*. 89. Actus quo nomen Dei adhibemus, vt inducamus homines vel moneamus res alias procreatas ad aliquid faciendum vel non faciendum dicitur Adiuratio, de quo S. Tom. 2. 2. *quæſt*.90. Actus quo nomen Dei adhibemus ad auxilium ab eo petendum, vel ad ipſum laudandum eſt inuocatio,de quo actu S. Tom. 2.2. *quæſt*. 91. Poſtremus Religionis actus eſt quo res Deo ſacras adhibemus ad ſanctificandos.vel quomodolibet mutandos homines,qualis actus ſunt ſacramenta,& ea quę ſacramentalia vocantur conferre; vel ſuſcipere; ſigno Crucis frontem, & pectus munire, rem Diuinam audire, denique vt qualiber re à Chriſto vel ab Eccleſia inſtituta ad aliquid ſacrandum vel ſacrificandum. Inter hos Religionis actus pertinent ad primum Decalogi Pręceptum Orare, Pręcari Deum, ſacrificare, ipſum venerari, reuereri, Colere, & tandem inuocare.

Reſpondeo ſecundò, Adorationem eſſe exhibitionem reuerentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur. Ita S. Tom. 2. 2. *quæſt*. 88. *art*.1. Alij vero ſic definiunt Adoratio eſt actus, quo ſignificatur ſubmiſſio creaturæ, & reuerentia ob alicuius excellentiam. Vnda ſequitur motiuum adorationis eſſe ipſius excellentiam; & cum nō ſit eadem In Deo, & creaturis ſequitur, non eſſe eandem ſed diuerſam eſſe adorationem Dei, & creaturum; cum enim excellentia alia ſit creata, quę competit creaturis, & alia increata quę competit Deo dicendum eſt actū adorationis propter excellentiam increatam eſſe adorationem Dei, quæ dicitur Adoratio latriæ, ſignificans ſupremum cultum proprium Dei, cum enim Deus excellentia ſua increata ſuperet omnes creaturas neceſſe eſt vt cultus, & honos qui Deo tribuitur maior ſit quocunque honore creaturarum: Actus Adorationis propter excellentiam creatam dicitur Dulia, quæ debetur creaturis propter ipſarum excellentiam ac ſanctitatem,ſed quia vna creatura poteſt eſſe magis excellens, & magis ſancta, quam ſit alia ſequitur vt vna poſſit adorari maiori adoratione quam alia,& hæc adoratio dicitur Hijperdulia, ideſt maior honor,& hac adoratione adoratur Beatiſſima Virgo MARIA. Et ita S. Thom. 2. 2. *quæſt*. 103. *art*. 3. & 4. Clauis regia *lib*. 4 *cap*. 3. *n*. 4. Rodriguez 1. *part*. *cap*. 8. *n*. 1. Azorius 1. *part*. *lib*. 9. *cap*. 5. *quæſt*. 7. & alij communiter. Ex quibus colligitur triplicem eſſe adorationem, primam Dei propriam quæ dicitur Latria, ſecundum propriam Beatæ Virginis, quæ dicitur Hyperdulia, tertiam conuenientem ſanctis, & dicitur Dulia.

Sciendum quartò Adorationem duplicem eſſe internam, & externam: interior adoratio conſiſtit in recognitione, ſeu mentali confeſſione ſupremi dominij, quam rationalis creatura Deo offert ex affectu ſubmiſſionis, ac reuerentiæ;exterior autem adoratio conſiſtit in exhibitione ſigni externi,quo creatura rationalis proteſtatur internam de Dei excel-

lentia exiſtimationem, & ſubmiſſionis affectionem; ex quibus colligitur, adorationem principaliter eſſe in mente, ſecundariò autem in actione externa tanquam ſigno expreſſiuo ſubmiſſionis,& adorationis; & ita S. Thomas *quæſt.* 84. *act.* 1. Scotus in 3. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *paragr. de* 2. *ſcieud.* Suarez. *part.* 3. *tom.* 1. *diſp.* 51. *ſect.* 2 *& tom.* 1. *de Relig. tract.* 2 *lib.* 1. *cap.* 1. Bellarminus *lib.* 1. *de cultu ſanctor. cap.* 12. & alij.

R. 3. adorationem Dei, ſiue Latriam eſſe actum externum Religionis quo per conuenientem aliquem corporis geſtum proteſtamur noſtram ſubiectionem erga Deum, vt erga ſummum omnium Dominum.

Sciendum quinto adorationem Latriæ deberi Trinitati, & cuilibet Diuinæ Perſonæ, nam tribus vnica tantum veneratio tribuitur, quatenus tres Perſonas veneramur vt vnum Deum rerum omnium conditorem, & ſummum earum Dominum, & moderatorem cui nos ſubijcimus, & in eo ſpem noſtram, & fiduciam ponimus. Secundò Chriſto Domino Latriæ cultus etiam debetur, quoniam, & ſi homo ſit, eſt etiam Deus, ita vt ſit vna, & eadem Perſona Diuina ex duabus, & in duabus naturis ſcilicet Diuina, & humana ſubſiſtens, & cum eum veneramur, cultus noſter in perſona non in natura humana, abſque perſona terminatur, aut terminatur quidem in natura humana, ſed vt à verbo Diuino aſſumpta, & ei mirabili nexu, & vinculo coniuncta. Quod ſi diſtinguamus in Chriſto duplicem naturam Diuinam, & humanam, tunc etiam Chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe adorandum adoratione Latriæ nō quidem ratione illius, & per ſe quo pacto ſolo Deo debetur, ſed ratione alterius, cum quo coniuncta eſt, & facit quid vnum, & ſic etiam humanitati Chriſti ratione verbi Diuini, cui eſt ſubſtantialiter vnita debetur Latria S. Thom. 3. *part. quæſt.* 25. *art.* 1. & alij communiter. Quod idem etiam dicendum eſt de Euchariſtia, adoranda enim eſt eodem modo, quo ipſe Chriſtus adoratur, qui realiter, & ſubſtantialiter eſt in illa. Similiter de Imaginibus dicendum erit, adorandas eſſe adoratione Latriæ quatenus ſunt Imagines repræſentatiuæ prototipi: quare cum Deus, & Chriſtus honorentur adoratione Latriæ etiam Imagines Dei, & Chriſti eodem modo adorandæ ſunt S. Tom. 3. *part. quæſt.* 25. & alij communiter. Vnde Imago dupliciter poteſt honorari: Primò ratione ſui, & ſic in Imagine Dei nulla eſt Diuinitas vel virtus propter quam colenda ſit, nec in ea eſt ponenda fiducia: Secundò ratione Prothotipi, & rei repræſentatæ quam cōcipiamus eſſe in ipſa tanquam repræſentatum in repræſentante; & ſic ipſa imago eſt terminus adorationis, & ipſam adorando Chriſtum adoramus. Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de vener. ſanctor.* ſic etiam Deus dupliciter poteſt honorari. Primò in ſe ipſo. Secundò in ſua imagine: primò modo adoratur per ſe, & eſt terminus adorationis ſine vllo alio: ſecundò modo adoratur in alio, vel imago adoratur per aliud, & relatiuè, & ipſa imago eſt terminus adorationis non quidem per ſe, ſed ratione rei repræſentatæ, quatenus in imagine ſecundum peculiarem quandam habitudinem repræſentati videlicet, & repræſentantis ineſt ipſum imaginatum; ſunt enim imagines vice prothotipi, & ipſum prothotipum ſed alio modo, ideò in Tridentino *ſeſſ.* 25. dicitur quod adorare imaginem eſt ipſum Chriſtum adorare. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 1. *quæſt.* 24. *punc.* 2.

R. 4. reliquias Chriſti ve Sudarium faces, ſpinæ, Claui, &c. adorandas eſſe adoratione Latriæ quatenus habent quandam habitudinem contractus ad Chriſtum, ita vt propter hoc cogitemus quodammodo Chriſtum eſſe in ipſis; & ideò adorantur. Latria non quidem per ſe, ſed per aliud; lignum autem Crucis adoratur etiam adoratione latriæ propter Chriſtum, quem tetigit, & in qua ipſum cogitamus quodammodo eſſe. Similiter etiam adorantur adoratione latriæ Cruces, quæ ex lignis fabricantur ad ſimilitudinem Crucis, in qua Chriſtus pependit, quia in his repræſentatur Chriſtus Dominus in cruce pendens: non autem quatenus eſt imago Crucis illius, in qua Chriſtus mortuus eſt; claui verò, & alia inſtrumenta, quæ de nouo conficiuntur ad repræſentandos clauos vel alia inſtrumenta, quæ in Chriſti paſſione fuerūt, adhibita adorātur adoratione latriæ. Ratio eſt, quia nullus adeſt titulus, ratione cuius adorari poſſint, non enim poſſunt adorari ratione contractus, quia Chriſtum non tetigerunt, neque poſſunt adorari ratione repræſentationis, quia repræſentant inſtrumenta in Chriſti paſſione adhibita, quæ per ſe non ſunt adoranda, ergo inſtrumenta quæ de nouo fiunt ad repræſentandos clauos, aut alia inſtrumenta in Chriſti paſſione adhibita non ſunt adoranda excepta Cruce; hæc enim eſt differentia inter Crucem quę nunc conficitur, & alia inſtrumenta paſſionis quod crux quæ nunc conficitur non ſolum repræſentat Crucem in qua Chriſtus pependit, verùm etiam repræſentat ipſum Chriſtum, & ideò adoranda eſt, quatenus Chriſtum repræſentat; cętera verò inſtrumenta non repręſentant Chriſtum, ſed ſolum illa inſtrumenta, quæ Chriſti paſſioni interfuerunt, & ideò nōn ſunt adoranda. Ita S. Thom. 3 *part. quæſt.* 25. *art.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 6. *quæſt.* 3. *& alij.* Nomen item IESVS, & MARIÆ adorādum eſſe adoratione reſpectiua propter eum, quem repræſentat. Ratio eſt, quia licet res inanimata non ſit adoranda ſecundum ſe, cum in ſe non habeat excellentiam, ob quam adoratur, tamen ſi ſpectetur vt ſubrogata in locum rei adorandæ poteſt adorari, ſicut adoratur exēplar cum prothotipo; tū quia ſi quis nominibus ſacris exhibeat ignominiam peccat contra Religionem; ergo ex Præcepto Religionis nominibus ſacris tribuendus eſt honor, & per conſequens ſunt adoranda.

R. 5. adorationem quæ tribuitur Sanctis eſſe actū externum Religionis, quo per geſtum conueniētem proteſtamur noſtram ſubiectionem erga illos propter ipſorum ſanctitatem & excellentiam. & ita colligitur ex pluribus concilijs, vt Niceno 2. *art.* 6. Trid. *ſeſſ.* 25. tum ex ſacra ſcriptura, in qua habetur ſæpè exhibitum eſſe honorem Sanctis, Angelis, hominibus viuentibus, & mortuis propter ipſorum ſanctitatem, & excellentiam; tum quia poſſumus eos precibus inuocare; ergo etiam adorare; tum etiam quia gloria & honor tribuendus eſt homini bonum operanti; cum ergo Sancti bonum ſint operati par eſt, vt honorentur, & adorentur.

R. 6. Reliquias etiam Sanctorum adorandas eſſe eodem cultu, quo Sancti per habitudinem ad illas: vnde non per ſe, ſed ratione illorum adorandæ ſunt adoratione Duliæ. ita colligitur ex pluribus Concilijs Chartaginenſi, & Maguntino, Bracarenſi, & Tridenc. & ita Suarez *tom.* 1. *in* 3. *par. diſp.* 55. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 11. *pun* 5 *&* 6. Azor *tom.* 1. *lib* 9. *cap.* 8. *quæſtio* 2 Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctis cap.* 1. Sanchez *in ſum. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 1. Quod verò adorandæ ſunt eodem cultu quo Sancti, ratio eſt quia Reliquię poſſunt apprehendi vt coniunctæ illi perſonæ, conſequenter vno & eodem actu adorari poſſunt; immò etiamſi non apprehendantur vt coniunctæ poſſunt adorari adoratione reſpectiua propter ſanctitatem & excellentiam illius perſonæ, cuius ſunt reliquiæ,

Ratio

Ratio quia præciſa operatione intellectua verum eſt illas eſſe veras Reliquias, dignas veneratione reſpectiua. Ita auctores citati.

R. 7. Agnos Dei quos cereis figuris expreſſas cernimus coli, & adorari poſſe; ratio eſt quia ſunt benedicti, & ſacri, & ſimul cum Deo apprehendi poſſunt, ſicque cum Deo adorari poſſunt ſicut imago ipſius. Ita Azot. 1. *part. lib. 9. cap. 9. queſt.* 3. Vaſquez. 3. *part. diſp.* 110. *cap.* 2. Sanchez. *in ſum. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 26.

Sciendum prohibitum eſſe Laicis, & Clericis in minoribus conſtitutis tangere huiuſmodi agnos ſanctos Oleo ſancto, & Chriſmate conſecratos. Ita colligitur *cap. ſacratas diſt.* 23. vbi vetitum eſt Laicis tangere res ſacras, non tamen peccant mortaliter, qui eos attingunt ſine contemptu, ſicuti nec mortaliter peccat, qui tangit Reliquias, quas apud ſe geſtat, vt ſi tangat accommodando illas in Cruce, vel Reliquiario, modo abſit contemptus, vel indecentia in tangendo, quia ſimplex contractus non videtur materia grauis, & ſufficiens ad mortale. Ita Azot. 1. *part. lib. 9. cap. 9. queſt.* 3. & alij.

Quid ſit Fides.

BRACTEA II.

R. QVOD Fides eſt virtus ſupernaturalis inclinans Intellectum ad credendas res à Deo reuelatas propter ipſius auctoritatem: ſiue fides eſt virtus Theologica à Deo infuſa, per quam firmiter aſſentimur ob Dei auctoritatem his, quæ à Deo reuelata ſunt, & ab Eccleſia propoſita vt à nobis credantur. Dicitur primò virtus ſupernaturalis, ſiue virtus Theologica à Deo infuſa, vt ſciamus fidem non eſſe quid naturale, vt eſt fides humana, qua fidem præſtamus dictis hominum, ſed eſſe quid ſupernaturale, conſequenter Dei donum optimè in Concilijs appellari. Dicitur etiam ſupernaturalis, quia non acquiritur humanis operibus. Dicitur ſecundò inclinas intellectum, vt oſtendatur in quanam Animæ potentia virtus fidei reperiatur. Tertiò dicitur ad credendas res à Deo reuelatas, ſiue per quam firmiter aſſentimur his, quæ à Deo reuelata ſunt, &c. vt oſtendatur obiectum materiale circa quod verſatur Fides, cum autem fides verſetur circa miſteria à Deo reuelata dicendum eſt res à Deo reuelatas eſſe obiectum materiale Fidei. Ita S. Thom. 2. 2. *queſt.* 1. *art.* 1. Malderus ibidem *ſect.* 2. Vltimò dicitur propter ipſius auctoritatem, vt oſtendatur obiectum formale, ſeu ratio formalis, qua creduntur res fidei. Ratio eſt, quia actus fidei non nititur auctoritate humana, ſed Diuina, conſequenter ratio ob quam credimus eſt auctoritas Diuina.

Sciendum obiectum materiale fidei Diuinæ eſſe verbum Dei, ſeu quidquid diuinitus viatoribus obſcurè reuelatum eſt, v. g. Deus eſt, Deus trinus, & vnus eſt, Filius Dei homo factus eſt. Ita S. Thom. 2. 2. *queſt.* 1. *art.* 1. Porrò verbum Dei, quod fidei obiectum eſſe dixi tripliciter diuiditur: primò verbum Dei, aliud eſt quod Deus per ſe ipſum nullo alio tanquam Nuntio, aut Legato interueniente reuelat: tale erat verbum, quod factum eſt à Domino ad Ieremiã, &c talis erat vox de Cęlo lapſa Matth. 3. Petr. 1. *Tu es filius dilectus, &c.* Aliud autem eſt verbum Dei, quod Deus per alium, tanquam legatum ſuum loquitur, ac reuelat: ſic in veteri Teſtamento locutus erat Deus Patriarchis, & Profetis, & per hos deinde Populo vniuerſo. Secunda diuiſio eſt, verbum Dei aliud eſt ſcriptum, & aliud non ſcriptum, ſeu traditum, nam verbum, quod Deus ad Adam, & Patriarchas locutus erat non ſtatim litteris mandatum fuit, ſed per traditionem perfectum vſque ad Moyſem, qui Pentateuchum ſcripſit; neque nouum Teſtamentum, quod Chriſtus condidit ſtatim ſcriptum fuit, ſed annis aliquot poſt eius aſcenſum, quando ſe ſcribendi, vel occaſio, vel neceſſitas obtulit; tum etiam quia nec omnia ſcripta sũt, quæ Chriſtus docuit, & Apoſtoli Eccleſijs tradiderunt: tertia diuiſio, verbum Deum aliud eſt, quod publicam auctoritatem habet, vt ab omnibus fidelibus recipi debeat, vt eſt Teſtamentum vetus, ac nouum, item traditiones, tum Diuinæ, tum Apoſtolicæ; ac denique Eccleſiæ definitiones, ſeu Canones, alterum eſt quod publicam auctoritatem non habet, ſed priuatim alicui à Deo reuelatum, ac nondum Eccleſiæ ſatis conteſtatum eſt.

De Obiecto formali Fidei.

BRACTEA III.

R. RATIONEM formalẽ, ſub qua fidai, ſiue formale principium, quo fidei Diuinæ aſſenſus nititur eſſe primam veritatem, & auctoritatem Dei obſcurè reuelantis. Ita S. Thom. 2. 2. *queſt.* 1. *art* 1. Caiet. *ibidem* S. Bonauentura *in* 3. *diſt.* 23. *art.* 1. *queſt.* 1. *num.* 13. Durandus ibidem *queſt.* 7. *num.* 6 Ricardus *diſt.* 24 *art.* 1 *queſt.* 1. & alij.

Sciendum ex communi doctrina veracitatem Dei dicentis duobus modis conſiderari poſſe, vel in actu primo, vt intrà Deum eſt, quaſi quædam proprietas eius, vel in actu ſecundo, quatenus ex ea nobis externo ſigno, quidpiam reuelatur, atque hoc poſteriore modo accipiendum eſt, quod prima veritas in dicendo, ac reuelando exterius ſit ratio formalis fidei, idque Doctores communiter exprimunt cum dicunt, obiectum fidei Diuinæ eſſe verbum Dei quatenus obſcurè reuelatum, vt ſenſus ſit propoſitionibus fidei, non alia ratione nos aſſenſum præbere, niſi quatenus à ſumma veritate nobis obſcure reuelatæ ſunt.

Sciendum 2. ſi Deus fidei veritatis rationali creaturæ reuelet cum euidentia ſui reuelantis, tunc creaturam nullo alio adminiculo indigere ad certiſſimum fidei Diuinæ aſſenſum eliciendum. Quod intelligendum eſt ſermonem eſſe de euidentia Dei reuelantis non abſolutè, & ſecundùm eſſentiam, ſed quatenus Deus reuelans, ſiue loquens eſt, ita vt hoc ſolum Creatura euidenter cognoſcat Deum eſſe qui ipſi loquitur, aut reuelat. Secundò ſermonem non eſſe de euidentia Dei reuelatæ, ſed ſolius Dei reuelantis; ſic enim Deus rem reuelatam clarè, euidenter, & intuitiuè intellectui viatoris exhibeat, orietur ſcientia, & non fides, fides enim eſt argumentum rerum non apparentium, id eſt inclinans intellectum ad aſſentiendum in rebus obſcuris.

Sciendum 3. quod licet verbum Dei, tum ſcriptum, tum non ſcriptum in ordine ad ſe infallibilem certitudinem habeat ob ſolam auctoritatem Dei atteſtantis, tamen in ordine ad nos, ſiue vt à nobis certum, & indubitatum fidei aſſenſum mereatur ſecundum ordinariam Dei legem pluribus adminiculis extrinſecis indiget, quotieſcumque Dei reuelantis euidentiam non habemus, eiuſmodi fidei perſuadendæ adminicula ſunt inprimis miniſterium hominis prædicantis fidem, quia parui ſunt, quos Deus fidei miſteria per ſe ipſum edoceat cum docentis euidentia: deinde præter miniſterium hominis pro-

ponentis fidem requiruntur alia argumenta, & incitamenta acceptandæ fidei, vt ſunt quæ à Doctoribus dici ſolent ſigna Catholicæ fidei, videlicet miracula, quæ in conteſtationem propoſitæ fidei à Chriſto Apoſtolis alijſque ſanctis patrata ſunt, & alia plura, vt v. g. vitæ innocentia, &c.

Sciendum intellectum viatoris ad fidei Diuinæ aſſenſum eliciendum in genere cauſæ efficientis quẽ maximè pendere à concurſu, & ſpeciali auxilio Spiritus Sancti illuſtrantis intellectum, ac mouentis voluntatem; quod colligitur ex pluribus locis ſcripturæ Ioan. 16. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus cæleſtis traxerit illum*, & Marc. 9. *Credo Domine adiuua incredulitatem meam* 1. ad Corinthios 12. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto*.

An in Beatis ſit Actus, vel Habitus fidei.

BRACTEA IV.

R. In Beatis non eſſe actum, vel Habitum fidei. Ita S. Thom. de fide *quæſt. 5. ar. 2.* Valentia ibidem *pun. 2.* Becanus 2. 2. *de fide cap. 11. q. 1. nu. 4.* & alij & quod in Beatis non ſit actus fidei patet, quia quæ cognoſcuntur à Beatis clarè cognoſcuntur iuxta illud D. Pauli 2. ad Corinthios 5. *Videmus nunc in Ænigmata tunc autem facie ad faciem*, & puræ Corinthios 13. Nunc ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum eſt euacuabitur, quod ex parte eſt, ideſt fides, quæ propter obſcuritatem dicitur cognitio, ex parte, quæ excludetur aduentu claræ cognitionis in Cœlo habendæ. Quod verò in Beatis non ſit habitus fidei patet etiam, quia fruſtrà conſeruatur Habitus, vbi poſſibilis non eſt actus, Habitus enim conſeruatur ob actum cum autem actus fidei nequeat eſſe in Beatis ſequitur Habitum fidei reperiri non poſſe in Beatis; quod etiam dicendum eſt de Dęmonibus, vel etiam de damnatis, in quibus non poteſt reperiri fides quoad habitum, & actum; quod non poſſit reperiri quoad habitum patet, quia damnati peccant contrà fidem per actus infidelitatis, & per actus infidelitatis fides amittitur. Quod in damnatis non ſic fides quoad actum patet etiam, quia actus fidei eſt actus bonus, & ſupernaturalis, qui non poteſt elici abſque ſpeciali Dei auxilio, damnati autem ſeu Dęmones carent ſpeciali Dei auxilio; ergo, &c.

An fides Diuina ſit diſcurſiua.

BRACTEA V.

NEGATIVAM ſententiam docent Capreolus in 3. *diſt. 34. quæſt. 1. art.* 3. Banes 2. 2. *quæſt.* 2. *quæſito* 1. *dub.* 4. Valentiâ *tom. 3. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 2. Canuſ. *lib. 12. de locis Theologicis cap.* 3. Thurianus de fide *diſp. 6. dub.* 1. Suarez de fide *diſp. 6. ſeſſ* 4. Coninchus de ritibus ſupernaturalibus *diſp. 9. dub.* 7. Ratio eſt quia fides Diuina cum infallibilis ſit alia re niti non debet præter auctoritatem Dei reuelantis: ſi autem fides diſcurſiua eſſet niteretur illatione, ſeu conſequentia naturali lumine cognita; ergo fides non eſt diſcurſiua. Nihilominus

R. 1. quod fides Diuina diſcurſiua eſſe non poteſt circa omnia obiecta ſua. Ratio eſt quia alioquin ſequeretur proceſſus in infinitum, eſto quod Sanctiſſimam Trinitatẽ diſcurſiuè eſſe credã, quia diuinitus id reuelatum eſt, ipſam verò reuelationem non propter aliud credere poſſum, ſed propter ſe ipſam, adeòque immediatè, & ſine diſcurſu. vt docet Caiet. 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. Paludanus ibidem *quæſt. 3. §. de fide tamen infuſa.*

Sciendum in primo illo principio fidei, nimirum in Sanctiſſima Trinitate tria omnino cõtineri, quod Deus eſt, quod prima & ſumma veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt, quod Deus aliquid obſcurè reuelauit, v. g. Sacroſanctam Trinitatem, hæc omnia & ſingula in fide ſupponuntur, & acceptantur non per aliud prius veluti medium oſtenduntur; ſi enim crederem Deum eſſe, & in dicendo veracem eſſe eo argumento, quia Deus veraciſſimus id reuelauit tũc in argumento ſeu medio ſupponeretur id, ſeu tanquam medium aſſumeretur, quod oſtendendum foret.

R. 2. valdè credibile eſſe, quod etiam alijs omnibus obiectis materialibus humanus intellectus per fidem aſſentiri poſſit abſque diſcurſu, ſicut enim poſſibile eſt vt vni obiecto materiali, eique primario v. g. quod Deus eſt propter reuelationem, abſque diſcurſu aſſentiamus ſimili modo fieri poſſe videtur, vt alios fidei articulos, v. g. Sanctiſſimam Trinitatem propter eandem ratione ſine diſcurſu credamus.

R. 3. probabiliſſimè dici, quod fides diſcurſiua eſſe poſſit circa plerſque obiecta materialia, quæ proinde mediatè appellari licet, quia in aliud prius tanquam medium aſſentiendi reſolui poſſunt: talia obiecta ſunt quod Deus trinus & vnus eſt, quod filius Dei incarnatus eſt. Ratio quia diſcurſus hominis in eo conſiſtit, quod humanus intellectus aſſentitur vni propoſitioni, & exinde propter perſpectam annexionem medij cum conſequente mouetur ad aſſentiendum alteri Propoſitioni; id autem fieri poteſt in aſſenſu fidei circa Sanctiſſimam Trinitatem, v. g. prius intellectus aſſentiatur, ſeu credat quod prima veritas hoc reuelauit, & exinde moueatur ad alterum poſteriorem aſſenſum, ſeu fidei actum quod Deus trinus eſt, aptiſſimè enim ratio à priori redditur Deus veraciſſimus eſt, dixit ſe trinũ eſſe in Perſonis; ergo Deus trinus eſt perſonaliter, & ſub iſta ratione cenſetur vera opinio Durandi in 3. *diſtin. 24. quæſt. 1. num.* 16. Vaſquez *part. 1. diſp. 5. cap. 3. num.* 5. Becani 2. 2. *cap. 8. concluſ.* 2. & videtur eſſe S. Thomæ de verit. *quæſt. 4. art.* 8. vbi ait quod teſtimonium veritatis primæ, ſeu auctoritas Dei reuelantis ita ſe habet in fide, ſicut ſe habent principia in ſciẽtijs demonſtratiuis, & 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in corpore*, quod veritati primæ aliquid reuelanti fides innititur tanquam medio, nam v. g. Deum trinum, & vnũ eſſe, ideò per fidem credimus, quia Deus veraciſſimus id reuelauit; quare priore actu credimus reuelationem Dei tanquam principium, & exinde mouemur ad aſſentiendum rei reuelatæ.

An fides ſit neceſſaria ad ſalutem?

BRACTEA VI.

SCIENDVM quod duplex eſt fides, ſupernaturalis ac Theologica, vna habitualis ac permanens, altera actualis & tranſiens, illa à Deo infuſa ineſt omnibus fidelibus non ſolum iuſtis, ſed etiam peccatoribus, itemque infantibus ac amentibus qui baptizati ſunt; fides autem actualis ſolis ratione vtentibus cõpetit: ſecundo quod fides actualis Theologica iterum duplex eſt vna explicita ſiue expreſſa, per quam fidei aliqua propoſitio ſpeciatim creditur, v. g. quod Deus trinus eſt, quod anima rationalis eſt, ſiue quando aliquid creditur in particulari, & in ſeipſo: vnde qui credit Chriſtum reſurrexiſſe

xiſſe à mortuis dicitur habere fidem explicitam myſterij reſurrectionis Chriſti, altera verò eſt implicita, per quam fidei propoſitio non in ſe ipſa ſpeciatim creditur, ſed in aliqua alia, in qua implicitè continetur generatim creditur, v.g. qui credit, verum eſſe quidquid Eccleſia Catholica credendum trahit, is myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis, & alias fidei veritates implicitè cędit. Ita Gabriel in 3. *diſt.* 25. *q. vnica art.* 1. *notab.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. Toletus *lib.* 4. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 2. *num.* 2. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 2. *par.* 7. *& alij*.

Sciendum 2. duobus modis aliquid neceſſarium ad ſalutem, neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti: illud dici neceſſarium neceſſitate medij quo prętermiſſo ſalus non obtinetur, quamuis inculpabiliter prætermittatur: illud dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quo culpabiliter prætermiſſo ſalus non obtinetur, eo verò inculpabiliter omiſſo ſalus obtineri poteſt, vt patet exemplo reſtitutionis, quæ neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, quæ nihilominus ſi ex impotentia, vel inculpabili ignorantia prætermittatur ſalus obtinetur, quia omiſſio non eſt culpabilis, quibus poſitis.

R. 1. fidem habitualem neceſſariam eſſe ad ſalutem neceſſitate medij tam paruulis quam adultis, & ita cômuniter omnes Doctores: ratio eſt quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo ad Hebræos 11. & ita traditur in Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Tum quia anima non eſt accepta Deo ſupernaturalium bonorum largitori niſi ſupra naturæ vires eleuata ſecundum intellectum ornata ſit habitu ſupernaturalis cognitionis, aut fidei ſecundum voluntatem habitu ſupernaturalis amoris, ſeu charitatis.

R. 2. fidem acceptam pro actu credendi eſſe omnibus vſum rationis habentibus neceſſariam neceſſitate medij. Ita Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. & communiter omnes Doctores. Ratio eſt, quia ad Hebræos 11. dicitur *Accedentem ad Deum oportet credere*; tum quia fides ex eodem Apoſtolo eſt ſperandarum rerum ſubſtantia; tum quia in Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. dicitur ſine fide nulli vnquam contigiſſe iuſtificationem; ergo fides neceſſaria eſt neceſſitate medij ad iuſtificationem; nam illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij ad iuſtificationem, ſine quo non contingit iuſtificatio.

Sciendum 3. poſt Chriſti aduentum & ſufficientem Euangelij promulgationem neceſſarium eſſe ad primam & vltimam ſalutem, ad Gratiam ſcilicet & ad gloriam credere explicitè: primò Deum eſſe & remuneratorem eſſe. Ratio eſt, quia ad Hebræos 11. dicitur *Accedentem ad Deum opportet credere, quia eſt & inquirentibus ſe remunerator eſt*; tum quia qui tendit in finem debet illum præcognoſcere: ſed finis eſt viſio Dei remuneratoris; ergo debet præcognoſci exiſtentia Dei remuneratoris; ergo debemus credere Deum eſſe & remuneratorem eſſe. 2. myſterium Trinitatis. Ratio eſt, quia hoc myſterium eſt fundamentum noſtræ ſalutis iuxtà illud Mathæi 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; cognitio autem fundamenti noſtrę ſalutis maximè neceſſaria eſt; tertiò myſterium Chriſti: ratio eſt, quia Chriſtus eſt fundamentum noſtræ ſalutis, cum per ipſum ſaluati, & liberati ſumus.

Sciendum 4. non omnes articulos, qui ad Chriſtum pertinent neceſſariò credendos eſſe neceſſitate medij, ſed eos qui ſunt fundamentum noſtræ ſalutis, vt Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, mortuum eſſe, ac reſurrexiſſe pro totius humani generis ſalute. Ita Baunes 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 8. Malderus ibidem *quæſt.* 2. *art.* 5. Valentia ibidem *diſt* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 4. Becanus ibidem *cap.* 12. *quæſt.* 2. *num.* 2. Thurianus *diſp.* 27. *dub.* 8. Reginald. *lib.* 17. *nu.* 18.

R. 2. fidem actualem neceſſariam eſſe non ſolû neceſſitate medij, verum etiam neceſſitate pręcepti ad ſalutem; quod ſit neceſſaria neceſſitate medij côſtat ex rationibus ſuprà allatis; quod verò neceſſaria ſit neceſſitate pręcepti colligitur ex verbis Marci vltimo, vbi dicitur *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*; ex quibus verbis colligitur fidem actualem neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti, cum nullus condemnetur, niſi peccauerit, ſeu niſi fecerit contra præceptum; tum etiam quia quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti, & quilibet tenetur aſſumere medium ſibi neceſſarium ad ſalutem.

Quando nam teneatur homo ex præcepto elicere actum fidei.

BRACTEA VII.

R. TENERI primò elicere actum fidei, quando quis baptizatus eſt in infantia, & poſtea adeptus vſum rationis cognoſcit neceſſitatem fidei, hic enim tenetur directè ex vi Præcepti ad eliciendos actus fidei, & ſi eos non eliciat grauiter peccat, niſi pro inaduertentiam ſeu ignorantiam inuincibilem excuſetur. Ita Bonauent. 3. *diſt.* 15. *art.* 1. *quæſt.* 7. Angel. verb. fides *nu.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 2. Philiarcus *tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. & alii. Ratio eſt, quia quilibet tenetur aſſumere medium neceſſarium ad ſalutem, alioqui grauiter peccat exponêdo ſe periculo damnationis, niſi ob inaduertêriam, aut ignorantiam inuincibilê excuſetur: ſecûdò tenetur homo actum fidei elicere, quando tenetur ſe ad Deum conuertere, & gratiam ante amiſſam recuperare. Ratio eſt, quia homo non poteſt gratiã amiſsã recuperare niſi ſpem habeat illius recuperandæ, ſeu remiſſionis peccatorum conſequendæ: non poteſt autem hanc ſpem habere abſque actu fidei, quo credat remiſſionem peccatorum, & gratiæ recuperationem. Tertiò quando fidem exteriùs tenetur cônfiteri, quam non poteſt confiteri abſque actu interno fidei, tunc enim obligatur ad actum fidei eliciêdum propter actum externum confeſſionis, quem præſtare non poteſt abſque actu interno fidei. Ratio eſt, quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media, ſine quibus finis ſubſiſtere non poteſt: actus autem externus côfeſſionis fidei ſi humano modo fiat, non poteſt ſubſiſtere ſine actu interno. Quarto quãdo periculum incidendi eſt in aliquod peccatum mortale, niſi actus fidei eliciatur: ratio eſt, quia quilibet tenetur aſſumere mediû neceſſarium ad euitãdû peccatû, alioquin exponit ſe periculo peccandi, & peccat eo peccato, cuius periculo ſe exponit non aſſumendo medio ad illud præcauendum. Quintò in articulo mortis quatenus homo tenetur ſe tunc ad Deum conuertere per actum contritionis, qui in articulo mortis neceſſarius eſt: actus autem contritionis habet adiûctum actum fidei & ſpei implicitum, cum nullus poſſit Deum ſuper omnia diligere, & peccatum deteſtari ſuper omnia, quatenus eſt Dei offenſa, niſi in Deum credat, & ſperet. Ita Valentia 2. 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *pun.* 5. & alij.

Quos Articulos teneamur ex Præcepto explicitè credere?

BRACTEA VIII.

R. Omnes fideles teneri ſcire,& credere miſteria contēta in ſymbolo Apoſtolorū iure diuino: & ita cōmuniter oēs. Ratio eſt, quia hæc ſunt præcipuè noſtræ fidei rudimenta; tū etiam quia omnia ea publicè circunferuntur in Eccleſia,& credenda omnibus proponuntur, quaſi explicitè ſcienda, & credenda, quod fideles teneantur iure diuino, patet, quia omnes tenentur amplecti expliciter doctrinam Euangelij,& illi credere,at ſumma Euangelij continetur in articulis ſymboli, ergo,&c. Ita Azor. *tom.*1. *lib.*8.*cap.*6. *quæſt.*4. Ban. 2. 2. *quæſt.*3. *art.*8. & alij.

Sciendum articulos fidei ſciri poſſe tripliciter: primò ſecundum ſubſtantiam, ideſt ſecundum ſignificationem generalem,& ſimplicem vocum,quę continentur iu eo articulo, vt v. g. ſubſtantia articuli Trinitatis eſt Deum eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & hos non eſſe tres Deos, ſed vnum: item ſubſtantia articuli,quo credimus vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam, & hominem non poſſe ſaluum eſſe extrà Congragationem hominum, qui profitentur fidem Chriſti, & Religionem. Secundò poſſunt ſciri ſecundum modum, ideſt ſecundum eam declarationem, quæ communiter habetur in Cathechiſmis præſertim Romano, qui ad Parochos eſt directus. Tertiò poſſunt ſciri ſecundum difficultates,quę communiter fieri ſolent circà illos, vt ſcilicet poſſit ſufficiens ratio reddi eorum, quæ creduntur; quando ergo dicimus omnes fideles teneri ad ſcienda contenta in ſymbolo non intelligimus ſecundò, & tertiò modo, ſed primò, videlicet ſecundum ſubſtantiam: Paſtores autem, Curati, Confeſſarij, & Concionatores tenentur ſcire etiam ſecundo modo; debent enim docere rudiores,& inſtruere, Epiſcopi, & Prælati tenentur ea ſcire tertio modo, quia debent eſſe parati ad reddendum rationem eius fidei, quæ eſt in ſuis Ouibus, eaſque defendere ab Hereticis; tum etiam quia cum teneantur fungi munere ſuo tenentur etiam ea explicitè noſcere, quę ſpectanr ad eorum munus,& officium, nam qui tenetur ad finem, tenetnr etiam ad media conducentia ad ipſum.

Sciendum 2. quod non modo tenentur ſcire articulos fidei, ſed etiam Præcepta Eccleſiæ ſcire, orationem Deo faciendam eſſe pro neceſſitate corporis,& animæ,extare obligationem ſubueniendi proximo indigerit, ſimiliter teneri, ſcire ſacramenta, decem Præcepta, & Orationem dominicam, & primò, quod pertinet ad ſacramenta debent ſcire ea, quæ ſunt obligati recipere, vt Baptiſmum, Pęnitentiam, Euchariſtiam, alia verò ſcire debebunt,quando tenebuntur illa ſuſcipere, vel voluerint, vt Ordines, & Matrimoniū, &c. Secundò quoad Decalogum non eſt obligatio illud memoriter ſcire eo ordine, quo contineri ſolet in Doctrina Chriſtiana,ſed ſatis eſt ſi interrogatus reſpondeat,v. g. non eſſe peierandum, non furandum, non occidendum; quod etiam dicendum eſt de Oratione Dominica non obligari, vt eam memoriter ſciant, ſed vt ſolùm quis ſciat ea, quæ petenda ſunt à Deo; quamuis Nauarus dicat peccare venialiter ſi neſciat memoriter. Quartò de Salutatione Angelica, & Salue Regina non eſt dubitatio vlla, communiter enim Doctores affirmant, neminem teneri ad illa ſcienda, quamuis bonum, & laudabile ſit ea ſcire.

Sciendum 4. Rudes, & ignorantes debere, aliquos articulos explicitè cognoſcere, ſaltem ſecundum ſubſtanriam, vt, v.g. Deum eſſe trinum, & vnū filium Dei eſſe incarnatum,& pro nobis mortuum, &c. Ratio eſt quia fides eſt neceſſaria neceſſitate medij,& idcircò,ſaltem principaliores articulos,quoad ſubſtantiam debent cognoſcere. Si verò ſunt tam rudes, & ignorantes, vt non poſſint articulos cognoſcere, quoad ſubſtantiam; facere ratione impotentia excuſantur explicitè eos cognoſcere,ſed ſatis erit, quod implicitè eos cognoſcant Val. 2.2. *diſp.*1. *quæſt.*2. *part.*4. & alij.

Sunt ramen obligati, ea miſteria explicitè credere. Quia licet impotentia excuſet ad cognoſcendos, & ſciendos articulos explicitè; non tamen excuſat à credendo; Cum quis poſſit ſaluari abſque ſcientia, non tamen poteſt ſaluari abſque fide. Et ideò non eſt abſoluendus ille,qui ignorat principaliores articulos fidei. Ratio quia caret medio ſimpliciter neceſſario ideſt fide, & per conſequens non eſt capax abſolutionis. Si verò neſciat diſtinctè, & explicitè, tamen quia credat, & aſſentiatur ijs explicitè cū proponitur à Confeſſario; ſic abſolui poteſt. Qđ ſi ſciat articulos,ſed ignorat alia, quę ex pręcepto debet ſcire ſi ignorātia probabilis fuerit abſolui poteſt dummodo promittat ea ediſcere. Ratio quia, & ſi peccauerit ex negligentia præterita tamen, quia dolet de præterito,& ſit miſteria, quę per neceſſitate medij ſcire debet, idcircò poteſt abſolui, Qđ ſi ſæpius de hac re certiore facti adhuc neglexerint tunc abſolutio differenda eſt donec addiſcant ſi id commodè pręſtare valent; ſin minus inſtruendi ſunt à Confeſſario, & poſtea abſoluandi, Azor. *tom.*1.*lib.*8.*cap.*8. *quæſt. final*,

An homo teneatur aliquando fidem exterius confiteri?

BRACTEA IX.

Sciendum Præceptum duplex eſſe, vnum affirmatiuum, & alterum negatiuum: affirmatiuū illud eſſe,quo præcipitur aliqua actio faciēda,negatiuū eſſe illud,quo prohibetur aliqua actio; Præceptum affirmatiuum obligare ſemper, ſed non ad ſemper, Pręceptum negatiuum obligare ſemper, & ad ſemper, quibus poſitis.

R. Hominem teneri ex Præcepto affirmatiuo fidem exterius aliquando confiteri; & ita colligitur ex verbis Lucæ 9. *Qui me erubuerit hunc filius hominis erubeſcet* & ex verbis Mathęi 10. *Qui me confeſſus fuerit confitebor,& ego eū,&c. Et qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*, & ex pluribus alijs locis ſcripturæ, & ita D. Thom. 2.2. *quæſt.*3.*art.* 2. Valentia 1. 2.*diſp.*1.*quæſt.*3.*pun.*2. Reginaldus *lib.*3. *num.*20. Sanchez. in opere morali *lib.*2. *cap.*4. & alij.

Sciendum caſus, vel tempora, in quibus obligat Præceptum externæ confeſſionis fidei hæc eſſe: primùm quando quis in odium fidei, & Chriſtianæ Religionis interrogatur; tunc enim tenetur profiteri fidem, etiamſi ſit pæriculum vitæ: Secundò quando ea confeſſione fidei probabiliter creditur ſecutura conuerſio infidelium, vel confirmatio fidelium: Tertiò quādo ex ſilentio ſubtraheretur honor Deo debitus, & fides infirmiorum periclitarerur, vel nos ipſi verſaremur in periculo abnegandi fidem. Ita Valentia *tom.*3.*diſp.*1. *quæſt.*3.*part.*2. Bannes 2.2.*quæſt.* 2.*art.*8.

2. *art*.8. Sylueſt. verbo *fides num*.8. Toletus *lib.3.cap.* 17.*num*.2. Quartò quando compellimus præſtare actum Religionis, tūc enim implicitè cogimur profiteri fidem verbo, vel facto. Ita colligitur *ex cap. Non ſolùm cap. exiſtimant* 11. *quaeſt*. 3. Syluester verbo *fides quaeſt*.5. Azorius *cap.7.quaeſt*.4.

Sciendum 2. obligationem confitendi exterius fidem poſſe ad duo capita reuocari: Primò quando non confitendo exterius fidem ſubtraheretur honor debitus Deo, quia videlicet interrogatus de fide tacet; ex quo reputant alij non habere fidem, vel fidem non eſſe veram: Secundò quando non confitendo fidem ſubtrahitur vtilitas proximo, quę eſſet illi impendenda. Ratio eſt quia cuiuslibet virtutis actus cenſetur eſſe in præcepto quando neceſſarius eſt ad finem Charitatis erga Deum, vel proximum: ac in duobus dictis temporibus confeſſio fidei cenſetur neceſſaria ad finem Charitatis; ergo tunc obligabit.

R.2. Præcepto negatiuo ſemper quemcunque obligari abſtinere à dictis, & factis, quibus vera fides negatur. Ratio eſt, quia vt dictum eſt Præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper; ſed præceptum de non neganda fide eſt negatiuum, ergo tale præceptum de non neganda fide ſemper obligat. *Et ita communiter Doctores*; ex quibus ſequitur eum peccare contra Præceptum fidei negatiuū, qui dicit ſe non eſſe Chriſtianum, niſi fortè interrogaretur apud aliquas nationes vbi nomen Chriſtianus ſignificat potius nationem aliquam, quam Religionem, quia tunc negando ſe eſſe Chriſtianum, negaret potius nationem, quam Religionem. Secundò peccare etiam contrà Præceptum negatiuum fidei, qui affirmaret ſe eſſe Turcam, vel Hæreticum Ita Azor. 1.*part. lib*.8. *cap*.27. *quaeſt*.1. Arragon. 2.2.*quaeſt*.3.*art*.2. *dub.vlt*. Becanus de fide *cap*.9. *quaeſt*.3. *n*.3. Reginald. *lib*.17.*num*.23. & alij.

Tertiò eum peccare contrà præceptum negatiuum confeſſionis fidei, qui vtitur ſignis, veſtibus, vel factis proteſtatiuis alicuius falſę Religionis; Ratio eſt, quia hoc eſt intrinſece malum, & contrà pręceptum negatiuum de fide non neganda: verum.

Sciendum 3. veſtem, aut ſignum tripliciter poſſe dici proprium alicuius nationis; primò ex more Patriæ, aut Regni, & ſic Itali aliter induuntur, quam Hyſpani, & Galli; Secundò ex lege, aut conſuetudine ad diſtinguendam Religionem quidem, ſed non ad ipſam proteſtandam, ſed ob aliquem finem politicum. Tertiò ex eadem lege, vel conſuetudine ad diſtinguendam, & proteſtandam Religionem ob cultum, & obſequium exhibendum auctori illius ſectæ, veſtis primo modo licitè adhiberi poteſt, quia nō eſt ſignum proteſtatiuum Religionis, ſicut etiam veſtis ſecundo modo non eſt ſignum contrà externam confeſſionem fidei. Ratio eſt, quia cum tale ſignum non ſit inſtitutum in ordine ad cultum Diuinum non eſt ſignum proteſtatiuum Religionis; & idcircò vſus ipſius non ſignificabit immediatè aliquid, quod pertineat ad Confeſſionem externam Religionis: veſtis tertio modo non poteſt licitè adhiberi. Ratio eſt quia eſt ſignum proteſtatiuum Religionis, & eo vti eſt facere contrà Præceptum negatiuum de fide non neganda; tum etiam, quia ſigna proteſtantia, ſeu indicantia contrariam fidem ſunt intrinſecè mala, & ſemper ſignificant aliquid falſum; quale ſignum videtur genuflexio ante Idolum, vel ante Maumetum ſeriò facta, niſi fortè obſequij gratia fiat ſicut facit ſeruus dum brachium Dominæ adorantis Idolum ſuſtentat, ſimulque cum ea genuflectit, vt obſequium Dominæ præſtet; huiuſmodi enim genuflexio non eſt actio religioſa erga Idolum ſed eſt obſequium erga Dominam. Ita Reginaldus *lib*.14.*num*.13. Azorius *lib.8.cap.6*. ideò excuſantur milites aſſumentes inſignia infidelium, vt infideles in bello occidant, vel ne ab ipſis capiantur, modo delatio illorum ſignorum non ſit ſignum proteſtatiuum falſæ Religionis. Similiter qui Concionibus, vel ceremonijs Hæreticorum interſunt; animo confutandi, aut notandi ipſorum ceremonias non facere contrà præceptum negatiuum fidei. Ratio eſt, quia ille acceſſus eſt indifferens, & non eſt ſignum proteſtatiuum Religionis, eſſet autem contrà Præceptum negatiuum confeſſionis fidei ſi quis metu mortis, aut perſcriptionis bonorum; templa Hæreticorum ingrederetur, aut ipſorum conciones audiret, dum Princeps hoc iubet fieri in contemptum Catholicæ Religionis. Ita Sanchez. *in ſum.lib*.2.*cap*.4.*num*.27. Ratio eſt, quia notabilis honor Deo debitus ſubtrahitur ingrediendo templa in tali euētu. Item non peccare contrà præceptum negatiuum confeſſionis fidei, qui metu mortis comedit carnes Feria 6. vel Sabbato. Ratio eſt, quia carnium eſus non eſt per ſe ſignum proteſtatiuum hæreſis, & infidelitatis, ſed res indifferens. Ita Azor. *lib*.8.*cap*.27.*quaeſt*.3. Fillincius *tract*.22. *cap*.3. *num*.84. & alij; nec peccare contrà confeſſionem externam fidei, qui interrogatus an ſit Clericus, vel Sacerdos negat ſe eſſe Clericum, aut Sacerdotum, licet dicat mendacium. Ratio eſt, quia non negat fidem, ſed peculiarem tantummodo ſtatum; cum etiam Laici Chriſtiani ſint, ſicuti etiam non peccat contrà confeſſionem externam fidei Clericus, aut Religioſus, qui dum tranſit per loca Hæreticorum deponit veſtes Clericales, aut Religioſas. Ratio eſt, quia licet negent ſtatum Clericalem non negant tamen Religionem, ſicuti etiam non facit contrà Præceptum negatiuum confeſſionis fidei, qui interrogatus ab Hæreticis an Miſſam audiuerit negat ſe audiuiſſe Miſſam, quia id negare eſt tantum negare opus Catholici, non autem eſt negare Religionem. Vnde ſequitur, licitum eſſe viro Catholico in terris Turcarum iuxta de cauſa vti ſignis, aut veſtibus, quæ iuxta Religionis conſuetudinem adhiberi conſueuerunt, modo delatio illius habitus non ſit ſignum proteſtatiuum Religionis. Ratio eſt, quia delatio talis habitus ſecundum ſe conſiderata eſt ſignum indifferens: Secundò licitum eſſe veſci carnibus diebus ab Eccleſia vetitis ad ſaluandam vitam, vel bona, &c. Ratio eſt, quia prohibitio Eccleſiæ non obligat cum tanto periculo, & incommodo, non licere tamen Hæbreorum Sinagogas, & Moſcheas adire tempore, quo Hæbrei, vel Turcæ cauſa orandi, vel adorandi Maumetum ingrediuntur. Ratio eſt, quia hoc eſt ſignum ex ſua natura ſignificatiuum falſæ Religionis, & Sectæ; ſecus verò dicendum erit, ſi Sinagogas, & Moſcheas ingrederetur, vt aliquem inueniret negotij cauſa, vel alia iuxta ratione abſque intentione interius, vel exterius colendi Maumetum, &c.

An qui

An qui priuata auctoritate interrogatur an ſit Chriſtianus, vel Catholicus, teneatur ex Præcepto reſpondere, ſe eſſe Chriſtianum?

BRACTEA X.

R. Interrogatvm de fide à priuata perſona nō teneri ex præcepto affirmatiuo fidei reſpōdere ſe eſſe Chriſtianum, vel Catholicum, ſed poſſe reticere, etiamſi ex tali reticentia conijciant aſtantes ipſum non eſſe Chriſtianum. Ratio eſt, quia quando fit interrogatio à priuata perſona non cenſetur ſubtrahi honor Deo debitus, nec eſſe tempus tunc obligans ad confeſſionem. Ita Azor. 1. *part. lib.* 8. *cap.* 27. *quæſit.* 1. Sanch. *in ſum. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Reginald. *lib.* 27. *num.* 25. & alii communiter.

Sciendum eum, qui de ſua fide interrogatur priuata auctoritate teneri fidem exterius cōfiteri quoties fides alioquin putaretur falſa, vel quoties fidem non confitendo proximus magnum pateretur ſcandalum, quia in iſtis duobus caſibus, qui priuata auctoritate interrogatur, tenetur fidem confiteri; quando verò non oritur ex confeſſione fidei vtilitas proximi non tenetur ad fidem confitendam; ſecus verò ſi infidelis ob vlterius confeſſionem inducere-tur ad fidem, nec extaret aliud medium, quo ad eam induceretur. Item ſi proximus ſit in periculo negandæ fidei, & huic periculo proſpici poſſit per confeſſionem fidei. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *pun.* 2. & alii.

R. interrogatum de ſua fide ab eo, quo publica poteſtate fungitur, aut à Iudice teneri ex præcepto affirmatiuo confiteri fidem etiamſi ex confeſſione fidei mors impendeat ipſi confitenti. Ratio eſt, quia magnus honor Deo debitus ſubtraheretur non confitendo fidem cum in Deum magnus honor redundet ex publica fidei confeſſione facta. Ita Malderus 2.2. *quæſt.* 3. *art.* 2. *membr.* 2. Valentia loc. cit. Azonius *lib.* 8. *cap.* 6.

Sciendum eum non peccare contra præceptum affirmatiuum confeſſionis fidei, qui ob periculum mortis, vel ob aliam iuſtam cauſam non geſtat ſignum quod geſtare iubetur ad diſtinguendos Catholicos ab alijs vt Catholicos occidat. Ratio eſt, quia tale præceptum cum ſit iniuſtum, & iniquum non obligat; tum etiam quia præcepta humana non obligant cum tanto incommodo. Ita Malderus 2.2. *quæſt.* 3. *art.* 2 *memb.* 3. *propoſ.* 3. Becanus 2.2. *de fide cap.* 9. *quæſt.* 5. *cap.* 39. Silueſter verbo *fides num.* 25. Bannes 2.2. *quæſt.* 3. *art.* 2. *dub.* 2. & alij.

Quibus elicitum ſit fugere tempore perſecutionis fidei?

BRACTEA XI.

R. Iis quorum præſentia neceſſaria eſt non eſſe licitum fugere tempore perſecutionis fidei, vt colligitur ex Auguſtino *epiſt.* 180. ad Honoratum, & fundatur in illo Ioannis 10. *Mercenarius autem fugit*; & ex alijs locis: tales autem ſunt Paſtores, Curati, & aliæ perſonæ, quæ fugientes tempore perſecutionis à ſuis Eccleſijs cum periculo vt fides minuatur, aut deſeratur à ſubditis peccant contra præceptum affirmatiuum confeſſionis fidei. Secundò ijs quorum præſentia non eſt neceſſaria, licitum eſt fugere, iuxtà illud Matthæi *cum perſequentur in vna ciuitate fugite in aliam.*

An prohibita ſit communicatio cum infidelibus?

BRACTEA XII.

R. Non eſſe licitum communicare cum infidelibus, quoties ex eorum communicatione imminet periculum peruerſionis. Ratio eſt, quia quilibet tenetur abſtinere ab his, quę ſibi cauſam ruinæ afferre poſſunt.

Sciendum in ſequentibus caſibus prohibitum eſſe communicare cum Iudæis. Primus eſt habitare ſimul cum ipſis, cap. *Nullus* 28. *quæſt.* 1. quod intelligendum de habitatione continua non autem de diſcreta, & diuiſa, excipitur iſte caſus niſi Chriſtianus eſſet miſſus ad prædicandum. Secundus ad eorum conuicia accedere, vel eos ad ſua inuitare, & cibum capere cum eis. Cap. *omnes* 28. *quæſt.* 2. propter familiaritatem, quæ magis nutritur in cibis, quam in colloquio. Tertius ſimul in balneo lauare. Cap. *nullus* quid intelligendus eſt de balneo priuato non autem de communi. Quartus eos vocare ad ſuas infirmitates, eiſque vti pro medicis. Cap. *nullus*, vt nimirum vitetur familiaritas, emere autem ab eis medicinalia non eſt prohibitum: excipitur etiam caſus neceſſitatis, quando alius medicus non haberetur, vel non ita peritus. Ita Silueſter verbo *Iudæus num.* 2. Quintus medicinam ab eis accipere. Cap. *nullus*, hoc eſt ſponte oblatam, vel datam eorum conſilio, & aduocatione; id enim arguit familiaritatem, & præſtantiam quandam ſupra Chriſtianos, alioquin emere modo ſupradicto non prohibetur ex Silueſtro loco cit. Sextus nutrire filios ipſorum Iudæorum in eorum domibus. Cap. *ad hæc*, quia id abſque familiaritate fieri non poteſt. Septimus ſeruire illis vt famulos in eorum domibus. Octauus ſubijci eis vinculo ſeruitutis. Cap. *malorum de Iudæis*, & l. *Deo nobis* §. *is ita C. de Epiſcopis*, *& Clericis*, ne videantur Iudæi ſuperiores Chriſtianis. Nonus veſci eorum azimis. Cap. *nullus*. Ratio eſt, quia eſt cibus proprius ipſorum, quem comedunt ſecundum ſuam legem cæremonialem, quæ iam abolita eſt. Decimus eſt admittere illos in publicis officijs Chriſtianorum. Cap. *nullus* 54. *cap. conſtituit* 17. *quæſt.* 4. & cap. *cum ſit de Iudæis*, & *cap. fin. de Iudæis*.

Quot ſint ſpecies infidelitatis?

BRACTEA XIII.

R. Species infidelitatis eſſet res: nimirum Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis. Ita S. Thomas 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 5. Valentia 2.2. *diſp.* 1. *quæſt.* 10. Reginaldus *lib.* 27. *num.* 35.

Sciendum infidelitatem aliam eſſe materialem, & ſecundum puram negationem, quæ peccatum non eſt, ſed magis pœna peccati. Etenim infidelitas materialis dicitur, quę inuincibilis eſt, ideſt nulla adhibita diligentia tolli poteſt, vel certè tolli non debet, aut quia de fide Chriſtiana nihil vnquam aliquis audiuit, aut ſi audierit, tamen poſt diligentem conſiderationem non deprehenderit ſufficientia argumenta, quibus ad fidei acceptationem, & aſſenſum prudenter moueatur, vt docet S. Thomas 2.2. *quæſt.* 1. *art.* 4. Caiet. ibidem Bannes 2.2. *quæſt.* 10. *art.* 1. Azorius *tom.* 1 *lib.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 6. Vaſquez 2.2. *diſp.* 120. *cap.* 3. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 2. *lib.* 4. Altera eſt infidelitas formalis, & ſecundum cōtrarietatem, adeòque peccatum formaliter, ac contrariè fidei Diuinæ oppoſitum, cuius tres ſunt ſpecies ſupra enumeratæ.

An

An Pagani compelli poſſint ad ſuſcipiendam fidem?

BRACTEA XIV.

R. Paganos ſubiectos Principibus Chriſtianis non poſſe cogi ad ſuſcipiendam fidem, ſed ſolum modo hortari. Ratio eſt, quia actus credendi debet eſſe liber, & ideò fides non debet ſuſcipi metu mortis, aut alterius ſupplicij: hortari autem, vt dictum eſt, poſſunt ad ſuſcipiendam fidem, quia hortatio non tollit libertatem, ſicut etiam poſſunt allici donis, & obſequijs propter eandem rationem, multò minus poſſunt cogi Pagani non ſubiecti ad ſuſcipiendam fidem propter rationem ſupra allatam.

Sciendum quod licet Pagani ſubiecti non poſſint compelli ad ſuſcipiendam fidem, poſſunt tamen cōpelli ad audiendum Euangelium. Ratio eſt, quia auditio Euangelii non tollit libertatem, cum etiam poſt auditionem illius remaneant liberi; infideles verò non ſubditi non poſſunt cogi ad audiendum Euangelium. Ratio eſt, quia coactio ſupponit iuriſdictionem in cogente, cum autem nullus habeat iuriſdictionem in non ſubditos, ſequitur nullum poſſe cogere infideles non ſubditos ad audiendum Euangelium. Ita apud Bonacinam de præceptis Decalogi *diſp.3. quaſt.2. pun.7. num.3.* & alios.

Sciendum 2. Principes habere ius agendi contra Paganos: primò ſi ſubiecti ſint Principi Chriſtiano, poteſt hic lege eos compellere, vt cuſtodiant ius naturæ, & vnum Deum colant, nihil audeant perpetrare in contemptum, vel iniuriam Chriſtianæ Religionis. Secundò poſſunt punire illatas iniurias, aut blaſphemias contra Chriſtianam Religionem. Cap. *in nonnullis de Iudæis.* Tertiò poſſunt efficere, vt non impediant, vel perſequantur eos, qui ad fidem Chriſti conuertuntur. Quartò ne vi vel fraudibus, vel minus alios inducant ad adoranda Idola. Quintò ne innocentes, vel nocentes immolent ſuis Diis. Ita ex Couaruuia in regula peccatum *pun.* 2. §. 10. *num.3.* Sextò illi ritus tollerati poſſunt, qui Eccleſiaſticæ poteſtati iniurioſi non ſunt, aut innocentibus.

Quæ prohibeantur Iudæis, qui Chriſtianis Principibus ſubiecti ſunt?

BRACTEA XV.

R. Multa eſſe prohibita tàm lege ciuili, quàm Canonica; primò enim interdicitur his quæcunque adminiſtratio, vel dignitas apud Chriſtianos leg. *hac valitura Cod. de Iudæis.* Secundò prohibentur nouas ſynagogas extruere. leg. *eadem, & cap. Conſuluit de Iudæis*; permittitur tamen antiquas retinere, & reficere. Tertiò vt qualitate habitus publicè ab aliis populis diſtinguantur. cap. *in nonnullis de Iudæis.* Quartò prohibetur in die Paraſceues oſtia, & feneſtras habere apertas, immò tota die clauſas tenere. cap. *ſuper his.* Itē ne in diebus lamentationis, & Dominicæ Paſſionis in publicum prodeant. cap. *in nonnullis.* Quintò non licet Iudæo habere ſeruum Chriſtianum. leg. *Deo nobis* §. *his ita Cod. de Epiſcopis, & Clericis*, & cap. *fraternitatem diſt* 54.

Sciendum Iudæos puniri poſſe ciuilibus pœnis ob crimina, quæ in Rempublicam, vel alios priuatos homines committunt ſpiritualibus pœnis puniri nō poſſūt, cū Eccleſiæ nō ſubiiciātur, cū ſint extra illā.

An Princeps poſſit permittere Hebræis vſuras?

BRACTEA XVI.

R. Quod quamuis vſuras exigere, & accipere ſit per ſe malum, vtpotè contra naturale præceptum & Diuinum, cui etiam adſtringuntur Iudæi, tamen non peccat Princeps, qui eas Iudæis permittit ad grauiora mala vitanda, nec etiā Principem peccare facientem ſtatutū, vt Chriſtiani ſoluāt vſuras Iudæis promiſſas. Ratio eſt, quia id eſſet tantū imperare, vt ſtent promiſſis, quod malum non eſt. Similiter penè Principem condere ſtatutum, quo præcipiat Iudæis ne vltra certam quantitatem vſuras exigant, id enim non eſt dare præceptum, ne vſuræ exigantur, ſed tantum ne immediatè accipiantur.

Sciendum Notario Chriſtiano licitum eſſe inſtrumentum ſcribere vſurarium inter Chriſtianum, & Iudęum: dummodo in gratiam Chriſtiani illud conſcribat, & ab eo vocatus: ſicut enim nō peccat Chriſtianus promittens vſuras, ita nec Notarius eam promiſſionem ſcribens, tenet enim ſe tātum ex parte Chriſtiani, & eum ſuo opere conſentit, non autem eum vſura Iudæi. Ita colligitur ex Medina de *vſuris quaſt.* 4. & aliis.

Sciendum 2. Eccleſiam poſſe remittere vſuras ſoluendas à Iudæo conuerſo ſi debitæ ſint creditoribus incertis, vel ignotis, quia tunc ſoluendæ eſſent pauperibus, poterit enim Eccleſia cōdonare illis, vel tāquā pauperibus, vel cōmutare in aliū vſū, qui tandē cedat in commune bonum Religionis, & fidei, ſic enim ſuauior redditur eorum conuerſio; ſi verò creditores certi ſint, & cogniti Eccleſia non poteſt cōdonare illis, niſi ipſi ſponte, & liberaliter remittant, quia Eccleſia non priuat eos iure ipſis debito; neque verò adeſt cauſa vrgens, ob quam eos priuare debeat propter commune bonum Religionis.

De Hæreſi.

BRACTEA XVII.

R. Hæreſim eſſe errorem voluntarium in intellectu contra aliquem articulum fidei cum pertinacia. Ex ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 1. Azorius *lib.* 8. *cap.* 9. & alii. Primò dicitur *Error*, hoc eſt aſſenſus falſus, intellectus, ſiue mentis, quia ſicut actus fidei intellectu cōſumatur, ſic etiam error fidei contrarius intellectu, ſiue mente completur. Secundò dicitur *voluntarius*, quia ſicut aſſenſus fidei oritur, & exiſtit ex volūtatis affectu, ita etiā hæreſis eſt aſſenſus rationis cōtra fidē ex volūtate electionis profectus, quo fit vt aſſēſus cōtra fidē, ſi deliberatione careat, nō ſit hæreſis, vt ſunt plures motus rationis, qui ſubitò contra fidē irrepunt. Tertiò dicitur contra aliquem articulum fidei, quia error in aliis rebus non facit hæreſim. Vltimò dicitur cum pertinacia, id eſt cum certa ſcientia, quod Eccleſia ſentiat contrarium eius, quod ipſe credit. Vnde qui tenet aliquid contra fidem, ſed ignorat eſſe contra illam, non eſt hæreticus; & ideò pertinacia conſiſtit in eo, quod error ſit ſcienter contra Romanam Eccleſiam.

Sciendum quod Hæreticus ſicut, & Hæreſis dicitur dupliciter: vno modo impropriè, & materialiter de eo, qui quomodocunque tenet errorem fidei Catholicæ contrarium, altero modo propriè, & formaliter

liter de eo ſolo, qui verè habet hæreſim ſuperiùs definitam, ita vt is Hæreticus propriè ſit, qui ſemel Chriſti fidem profeſſus eſt, & nihilominus ſub nomine Chriſtiano reſiſtet doctrinæ Chriſti ab aliqua eius parte recedendo pertinaciter: vnde ad conſtituendum aliquem Hæreticum formaliter, primò requiritur, vt ſacro Baptiſmate ablutus Catholicam fidem fuerit ipſius Baptiſmatis ſuſceptione profeſſus: ſecūdò errorem in intellectu non tantum in opere externo, vel ſermone: tertiò vt aliquam fidei ſententiam credat, aliquam neget hoc eſt non ex toto omnem fidei ſententiam neget, his enim apoſtata eſt, non Hæreticus, quoniam à fide penitus recedit; Quartò requiritur pertinacia: vnde Auguſtinus epiſtola 162. *errare quidem potero, ſed Hæreticus non ero.*

Sciendum 2. Dubium eſſe, an Cathecumenus poſſit fieri hæreticus? Ad quod reſpondeo non poſſe Hęreticum fieri ſi fidem abijciat cum nondum Eccleſię membrum fuerit. Ita Arragonius 2.2.*quæſt.11.art.2.dub.3.* Toletus *lib.4.cap.3.paragr. adhuc opus eſt* Sanchez. *lib.2.cap.7. num.34.* Ratio eſt, quia Hæreticus propriè dicitur, qui ab Eccleſia, cuius membrum erat diuerſum pertinaciter ſentiendo ſe ſegregat: Cathecumenus autem licet per fidem incohatiuè membrum Eccleſiæ factus ſit, non tamen formaliter, & completiuè, cum fidem in Baptiſmo profeſſus non ſit, & ideò Hæreticus non poteſt fieri, cum nondum fuerit baptizatus.

An dubius in fide ſit infidelis?

BRACTEA XVIII.

R. Qvod qui dubitat, hoc eſt iudicat res fidei eſſe dubias, & ambiguas Hæreticus eſt. Ratio eſt, quia de fide eſt, res fidei eſſe certas, non autem dubias: talis autem iudicat eſſe dubias; ergo habet errorem contra ſententiam fidei. Secundò qui dubitat hoc eſt hæret ſuſpenſus, & neutri partî aſſentitur metaphyſicè loquendo non eſt Hęreticus, licet moraliter dici poſſit. Ratio primæ partis eſt, quia hæreſis eſt aſſenſus pertinax contrarius alicuius ſententiæ fidei: at qui dubitat, hoc eſt manet ſuſpenſus non aſſentitur alicui parti; ergo non eſt Hæreticus, quia hæreſis eſt error contrarius fidei: at error dicit aſſenſum, vel diſſenſum; ergo, &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia communiter cum dubitatione intellectus circà res fidei coniungitur etiam actualiter iudicium, quo iudicatur, res fidei eſſe ambiguas, & dubias: at quando adeſt tale iudicium moraliter iam eſt hæreſis; ergo, &c.

Sciendum dubium eſſe, an qui tantum exterius negat rem fidei abſque errore intellectus ſit hæreticus? Ad quod reſpondeo in foro exteriori talem præſumi Hæreticum. Ratio eſt, quia ex probatione externa præſumitur animus internus; in foro verò conſcientiæ talem non eſſe hæreticum. Ratio eſt, quia deficit error in intellectu: hęreſis autem non poteſt eſſe abſque errore in intellectu.

R. Eum qui contrà voluntatem patitur cogitationes vel blaſphemias hæreticas contrà Deū, & Sāctos non eſſe hæreticum. Ratio eſt, quia hæreſis eſt error voluntarius: at his inuoluntariè patitur huiuſmodi cogitationes; ergo, &c.

Sciendum aptiſſimum remedium ad eiuſmodi tentationem ſuperandam eſſe eas cogitationes contemnere, & ita alia omnia agere, ac ſi non eſſent: Ita S. Bonauentura in *opuſc. de perfect. Religionis cap.3.* & alij. Ratio eſt, quia diſputando cum eis, & repellendo illas tenacius infiguntur in imaginatione, & accenduntur magis.

An error in fide ex ignorantia craſſa ſit ſatis ad hæreſim?

BRACTEA XVIIII.

R. Errorem in fide ex ignorantia craſſa, ac proindè culpabili reduci ad hæreſim tanquam imperfectam ſpeciem ad perfectam. Ratio eſt, quia id etiam accidit in alijs peccatis ex ignorantia craſſa, reducuntur enim ad ſpeciem perfectam cuius eſſent, ac ſi cum ſcientia commiſſa fuiſſent, hinc ſequitur non diferre ſpecie, ſed tantum accidentaliter.

Sciendum talem errorem non eſſe perfectè hæreſim, nec incidere in excommunicationem ſi exterius manifeſtetur. Ratio eſt, quia ad hęreſim requiritur pertinacia: qui autem habet ignorantiam caret ſcientia, conſequenter non poteſt eſſe pertinax; quod verò non incidat in excommunicationem exteriùs manifeſtantem errorem contrà fidem ex ignorantia craſſa patet, quia cenſura non incurritur, niſi per actum perfectum, & conſumatum; ſecus verò dicendum erit de errore in fide ex ignorantia affectata, ſi quidem affectatio oriatur ex contemptu, & parua eius æſtimatione, quia cenſetur ſatis pertinax, qui negligit ſcire, quę proponit Eccleſia ex contemptu ipſius; item ſi affectet neſcire, ſiue vt liberius peccet; adeſt enim maior ratio voluntarij, & ſufficiens pertinacia; ſi verò tantum oriatur ex negligentia, & incuria addiſcendi probabilius eſt non eſſe veram hæreſim, quia videtur deeſſe pertinacia, & ita poſſunt intelligi Doctores, qui abſolutè dixerunt, ignorantem ex affectata ignorantia non eſſe verum hæreticum.

Quis cenſeatur pertinax contra fidem.

BRACTEA XX.

Sciendvm pertinaciam in materia hæreſis eſſe aſſertionem in propoſitionem aliquam, quam ſcit quis ab Eccleſia, aut Sūmo Pontifice reijci, tanquam hæreticam, & falſam id fide, & ita plures apud Sanchez. *cap.7.num.25.& 26.* & alij. Vnde.

R. Pertinaces cenſeri: primò qui baptizati, & nutriti inter Hæreticos hæreſim complectūtur poſtquam audierint res fidei, & ſufficienter illis propoſitæ fuerint, ſi non credant. Secundò qui ſcientes aliquid eſſe ab Eccleſia definitum, tamen non credunt, etiamſi dicant ſe paratos eſſe ab Eccleſia corrigi. Tertiò qui in his, quæ ab Eccleſia adhuc definita non ſunt ita mordicus vni parti adhæret, vt etiamſi Eccleſia contrarium definiret paratus eſſet ad ſuam partem defendendam, in quo notandum non ſatis eſſe diſpoſitionem habitualem, ſed requiri actum elicitum perſiſtendi in ea opinione, etiamſi Eccleſia contrarium definiret. Quartò qui exiſtimans Eccleſiam falsò aliquid definiuiſſe ſentit contrarium eius, recedit enim talis à fide ſi non materialiter, quia verè Eccleſia illud non definiuit ſaltem formaliter, quia conuincitur exiſtimare non eſſe vera omnia ab Eccleſia definita. Quintò qui tam firmiter adhæret vni opinioni putans eſse de fide, vt etiamſi Eccleſia decernat non eſse, tamen non ſit paratus acquieſcere tali definitioni. Vltimò, qui negaret propoſitionem Theologicam, quę infertur

ex

ex vna de fide, & altera euidente lumine naturali, eſſet hæreticus. Ratio eſt,quia ex duabus illis præmiſſis ſequitur concluſio de fide, non immediatè, quod in ſe renelata ſit, ſed mediatè ex tali diſcurſu quare eodem modo erit hæreticus nempè mediatè, & indirectè,vt v.g. ſi quis negaret Chriſtum eſſe riſibilem,eſſet hæreticus,cum talis concluſio deducatur ex vna de fide,Chriſtus eſt verus homo,& altera euidenti omnis homo eſt riſibilis.

Quotuplex ſit Hæreſis?

BRACTEA XXI.

R. DVPLICEM eſse vnam internam, & alteram externam; hæreſim internam eſse, quæ non exprimitur ſigno aliquo externo: hæreſim externam, quæ verbis,ſiue alio opere, aut facto manifeſta ſit,quæ deſcribi poteſt error voluntarius pertinax contra fidem verbo, vel alio externo ſigno hæreſis proteſtatiuo expreſsus.

Sciendum hæreſim purè mentalem non inducere excommunicationem latam contra hæreticos. Ratio eſt,quia punit actus internos,cum illius iuriſdictionem non ſubijciantur, hæreſim verò externam non tantum eſſe reſeruatam ratione communicationis,ſed etia ratione culpę.Ita Suarez *tom.4.diſp.29 ſect.2.nu.8.*vnde abſolutio data abſque legitima facultate irrita eſt,quoad vtrûque,ſiue autem hæreſis externa nota ſit,ſiue occulta,ſiue probari poſſit,ſiue non ſemper incurritur excommunicatio.

Sciendum 2. plures conditiones requiri ad hoc vt hæreſis dicatur externa. Primò debet eſſe talis, vt ſi aliquis adeſſet, poſſet illam percipere, ſiue ſignum eiuſmodi eſſet verbum, ſiue factum, ſiue ſcriptum, ſiue ſignum manifeſtaret id ex ſe, ſiue ratione temporis, aut circunſtantiarum. Vnde ſi quis manifeſtaret hæreſim per actus indifferentes non cenſetur hæreticus, quia talis actus non eſt ex ſe manifeſtatiuus hæreſis, nec malus ex obiecto, ſed tantummodo ex animo, vt ſi quis malè ſentiens de Sacramento ante ipſum pertranſiens non detegeret caput,aut reuerentiam non exhiberet,quia talia ſigna non ſunt intrinſecè manifeſtatiua hæreſis, ſed ſolummodo extrinſecè & ex praua intentione. Secunda conditio eſt, vt actus externus quo manifeſtatur hæreſis, debeat eſſe peccaminoſus moraliter, & intrinſecè malus, quia ſi ex ſolo animo eſſet malus,non ſatis eſſet.Tertia conditio,vt talis externus actus ſit manifeſtatiuus hæreſis; vnde ſi quis ex hæreſi interna motus exerceret bona opera, aut caueret à malis iuxta præſcriptum hereticæ Sectæ, tamen quia huiuſmodi actio non manifeſtaret hæreſim, ideò non eſſet ſufficiens, niſi ex circunſtantijs agnoſcerentur ex hæretico motiuo ea fieri.

Quomodo diſtinguatur propoſitio hæretica, non Catholica,ſuſpecta de hæreſi, &c.

BRACTEA XXII.

R. PROPOSITIONEM hæreticam dupliciter conſiderari: primò vt mente formatur; ſecundò vt formatur voce,vel ſcripto;priori modo,proinde eſt ac hæreſis: poſteriori modo eſt ſignum hereſim in mente latentem enuncians, ac manifeſtans.

Propoſitionem non Catholicam eſſe, quæ fidei Catholicæ aduerſatur, à quocunque proferatur, vt materialiter nihil differat ab hæretica.

Propoſitionem ſuſpectam de hæreſi eſſe,quæ poſſit ſenſum Catholicum, & hæreticum habere reſpectu perſonæ,à quâ profertur:ita vt reſpectu vnius ſit Catholica,& reſpectu alterius ſit hæretica.

Propoſitionem ſapientem hæreſim eſſe, in qua ſagaci quodam odoratu Theologorum, &c. aliquid fidei Catholicæ contrarium includi deprehenditur.

Propoſitionem temerariam illam dici, quem de ſpectantibus ad fidem aliquid enunciat, quod nulla ratione,nullaque authoritate probari poteſt.

Propoſitionem ſcandaloſam eſſe,quæ præbet occaſionem peccandi.

Propoſitionem malè ſonantem eſſe,quæ licet cõtra fidem nihil manifeſte contineat,continet tamen aliquid,quod pias voces offendere poſſit.

Propoſitionem ſciſmaticam, & ſeditioſam eſſe, quæ vniuerſaliter, aut particulariter vnionem Eccleſiæ tollit.

Propoſitionem iniurioſam eſſe, quę alicui fidelium ſtatui,aut alicui perſonæ detrahit.

De pœnis Hæreticorum.

BRACTEA XXIII.

R. POENAS hæreticorum plures eſſe. Prima eſt excommunicatio lata in Cœna Domini contra hæreticus formaliter, receptatores, fautores hæreticorum formaliter, contra legentes, retinentes,&c. libros hæreticorũ.Secunda pœna eſt Irregularitas, quæ incurritur ab hæretico etiam occulto,modo ſit externus. Tertia pœna eſt priuatio dignitatum,& beneficiorum Eccleſiæ,officiorum,& publicarum functionum ipſo iure ante hæreſim adeptis.Quarta pœna eſt priuatio ipſo iure omnis iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Quinta pœna eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Sexta pœna eſt confiſcatio omnium bonorum ipſo iure, & liberatio ſubditorum à iuramento fidelitatis. Septima infamia, ſupplicium capitis,&c.

Quid ſit ſpes?

BRACTEA XXIV.

SCIENDVM cum duæ hominis potentiæ ſint, ſupernaturalibus donis, ac virtutibus ornari, ac perfici debent,vt Deo homo gratus,& acceptus fiat,inter Theologicas virtutes,vnica fides intellectum ornat, ac perficit, ſpes, & charitas voluntatem. Ratio eſt, quia viator abſoluta cognitione non poteſt complecti Deum,ſicut eſt:ſed ſolum cognoſcere cum Analogia ad creaturas,vt docet Apoſtolus 1. ad Corinthios 13. *Videmus nunc per ſpeculum in Ænigmate:* amore autem voluntatis in Deum tẽdere poſſumus, non tantum cum ordine ad nos quatenus nobis bona promittit, ac largitur (qui eſt amor concupiſcentiæ ſua natura imperfectus) ſed inſuper etiam Deum abſolutè amare poſſumus,quatenus in ſe bonus, atque perfectus eſt, qui eſt amor amicitiæ,quod S.Paulus citato loco expreſſit *Charitas nunquam excidit*, quia eadem manet in via, & in patria, propterea quod amor charitatis cum imperfectam in hac vita, tum perfectam in altera vita cognitionem ſequi poſſit.

Sciendum 2. quod habitus ſpei Theologicæ duobus modis conſiderari poteſt: primò adæquatè in ordine ad omnes actus ab ipſo procedentes,ſic pro

materiali

materiali obiecto habet omne bonum, quod ſupernaturali lumine nobis diuinitùs prouenire cognoſcimus, cuiuſmodi in primis eſt ipſe Deus tanquam ſupernaturalis finis, ac Beatitudo noſtra; tum verò media ſupernaturalia ad hunc finem conducentia, ac denique bona naturalia, ſed temporalia. Secundò conſiderari poteſt habitus ſpei in ordine ad vnum tantum eius primarium actum, qui eſt expectatio certa Beatitudinis æternæ per media diuinitus ordinata, quomodo communiter definiri ſolet, quibus poſitis.

R. ſpem eſſe virtutem infuſam Theologicam, per quam ſperamus à Deo vitam æternam cum omnibus medijs ad eam conſequendam neceſſarijs ex Dei auxilio, gratia, & miſericordia, & noſtra cooperatione nobis prouenientē; virtus infuſa, ac Theologica ponitur loco generis, in quo ſpes cōmunicat cū fide, & charitate. Ita Vaſquez *par.2.diſp.* 15. Reginaldus *lib.17.cap.6.num.*75. Valentia *tom.2.diſp.2.quæſt.* 1. *pun.*1. Malderus 2. 2. *quæſt.*17. *art.5.ſect.*1. Becanus 2.2. *cap.17.quæſt.2.num.*8. Bannes ibidem *quæſt.16.art.5.* & alij communiter. Reliqua verba ponuntur loco differentiæ. Illud autem quod dicitur ex Dei auxilio, &c. continet ea, quibus fulcitur ſpes, vt ſit certa, & firma; fulcitur enim gratia, miſericordia, & promiſſione Diuina, itemq; meritis Chriſti, & Sanctorum, ac etiam noſtris tanquam cauſis minus principalibus, & inſtrumentis; ſiue definitur vt alij volunt; ſpes eſt virtus Theologica, & ſupernaturalis: qua ſperamus Beatitudinem Diuino auxilio obtinendam. Et ita Bonacina *quæſt.3.de Spe pun.2.num.2.*

Sciendum 3. ſpem conuenire cum fide, & charitate in eo, quod ſit virtus Theologica, ſeu quæ circa Deum tanquam obiectum verſetur, ſed ab eis multum differre, præſertim à fide, quæ eſt in intellectu, & eſt bonorum, ac malorum præſentium, præteritorum, ac futurorum vniuerſalium, ac particularium, ad nos, aut ad alios ſpectantium; cum ſpes de ſe ſit tantum bonorum futurorum, & particularium ad nos ſpectantium, atque fides ſit prior ſpe, ſicut mater ſua prole: charitas autem vtraque poſterior eſt origine, ſed perfectione prior, & durabilior; ita vt perſeueret in Beatis, in quibus fides, & ſpes non inueniuntur; ſed euacuantur per claram viſionem, plenamque fruitionem Dei.

An extet præceptum ſpei, & quando obliget?

BRACTEA XXV.

R. Certum eſſe, & de fide extare præceptum ſpei, quo obligamur aliquando actum ſpei elicere; quod colligitur ex verbis Pſalmi quarti *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino*, & ex verbis Pſalmi 61. *Sperate in Domino omnis congregatio populi.* Ratio eſt, quia omnis actus ad ſalutem æternam nobis neceſſarius poſitus eſt in præcepto; tum etiam quia non eſt Beatus, qui non ſperat; ergo, &c.

R. 2. huiuſmodi præceptum, quando eſt affirmatiuum non obligare ſemper, ſed ſolummodo in aliquibus caſibus. Primus eſt, quando quis iuſtificatur per proprium actum, ſaltem prima vice. Secundus quando grauiter tentatur de præſumptione, vel deſperatione cum periculo peccandi, quia tunc ad vitandum peccatum tenetur timere, ac ſperare. Tertius poſtquam in deſperationem lapſus eſſet, vel præſumptionem, tenetur elicere actum ſpei, & timoris ſi iuſtificari velit. Quādo verò præceptum eſt negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper. Ratio eſt, quia hæc eſt natura præceptorū negatiuorū, vt ſemper, & ad ſemper obligent; ergo, &c, quia nunquam eſt deſperandum, vel præſumendum. Ita Valentia *tom.13.diſp.2.quæſt.* 4. *pun.* 1. Sanchez in opere morali *lib.2.cap.33.num* 3. Reginaldus *lib.17.num.*78. & alij.

De deſperatione. quæ opponitur virtuti ſpei.

BRACTEA XXVI.

R. Deſperationem eſſe diffidentiam de aſſequenda Beatitudine propter defectum Diuinæ Gratiæ, & meritorum propriorum, vt quando quis exiſtimat ſe damnandum, eo quod non credat Deum miſerturum ipſius, ideoque non intendit conuerti. Et ita D. Thomas, & Interpretes ipſius 2.2. *quæſt.*20. & Summularij in verbo *Deſperatio*, & alij.

Sciendum deſperationē primò diuidi in purā, & mixtam: pura dicitur, quæ eſt abſque vllo errore intellectus circa fidem: mixta verò quæ coniuncta eſt cum dicto errore, vt per eam fides, & ſpes amittātur, cum per puram amittatur ſola ſpes: ad cognoſcendum verò quando coniunctio ea cōtingat, examinandus eſt actus intellectus, à quo deſperatio ipſa procedit, ſi enim contineat errorem contra fidem, amittitur etiam fides, & eſt duplex peccatum, nempè deſperationis, & infidelitatis; ſin ſecus manet fides, & eſt vnicum peccatum deſperationis, vt v.g. ſi quis deſperet, quia putat nō eſſe Beatitudinem æternam, aut non eſſe Deum ita deſperat, vt ſimul erret contra fidem; qui verò deſperat, eò quod putet Deū non ſibi condonaturū, aut ſe nunquā benefacturum, peccat ſolūmodo contra ſpē, & nō contra fidē, quia nō eſt cōtra fidē putare, & dicere Deus non parcet mihi. Porrò vtraque illa deſperatio peccatū eſt contra Spiritū Sanctum, licet pura deſperatio ſit minus peccatū, quā mixta, ex eo quod pura contineat ſolūmodo vnam malitiam, mixta verò duas malitias.

Sciendum 2. deſperationem ex parte ſubiecti diuidi etiam in mentalem, quę eſt tantum in voluntate, & in verbalem, quæ foras prorumpit in verba deſperationis; diuiditur etiā ex obiecto circa quod verſatur in deſperationem veniæ, ſeu remiſſionis peccatorum, qualis fuit in Cain, & Iuda proditore, & in deſperationem melioris vitæ, ſeu deſiſtendi à vitijs, & gratiæ obtinendæ ad exercenda virtutum opera, & in deſperatione vitæ æternæ conſequendæ.

An is, cui fieret reuelatio ſuæ damnationis debeat, aut poſſit adhuc ſperare?

BRACTEA XXVII.

R. Non peccare deſperando. Ratio eſt, quia impoſſibile eſt ſperare id, quod non eſt poſſibile. Sed poſita reuelatione damnationis aſſecutio Beatitudinis neceſſitate quadam conſequente impoſſibilis eſt illi, cui facta eſt reuelatio damnationis; ergo impoſſibile eſt, vt ſperet Beatitudinem; ergo ipſam de ſperando non peccat, tum etiā quia hæc propoſitio eſt vera, ego non ſaluabor poſita reuelatione meę damnationis, neq; huic propoſitioni videtur aliqua ratio turpitudinis ineſſe, cum ſit conformis Diuinæ reuelationi, ergo non videtur mortaliter peccare, qui deſperat poſita reuelatione ſuæ damnationis, cum ſolūm huic propoſitioni præbeat aſſenſum: ego non ſaluabor. Ita plures

citati apud Lorcam.2.2.*diſp*.18.*queſt*.22.*art*.1. Bannes 2.2.*queſt*.22.*art*.1.Turian.ibidem *diſp*.65.*dub*.2. Quod tamen intelligendum eſt modo negatio futurę Beatitudinis non reducatur in defectum omnipotentię, vel miſericordię Dei;conſtat enim Deum poſſe quẽlibet ad Beatitudinis gloriam promonere,& ad claram ſui viſionem aſſumere, nec poſita illa reuelatione tolli, quin ſecus poſſit ſua omnipotentia Beatitudinem conferre.

Quid ſit Charitas?

BRACTEA XXVI.

R. Charitatem definiri poſſe Charitas eſt virtus, qua in nobis diuinitus infuſa Deum ſuper omnia propter ſe, & proximum ſicut nos ipſos diligimus. Cùm autem dicitur virtus infuſa ſignificatur id, in quo Charitas conuenit cum fide, & ſpe, nimirum quod non noſtro labore, ſed ſolo Dei munere habeatur à nobis, iuxta illud Pauli ad Romanos 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Illud verò quod ſubiungitur, qua Deum,&c. indicat tum primarium Charitatis obiectum, quod eſt Deus tanquam ſupernaturalis noſter finis per fidem à nobis cognitus in hac vita; per viſionem verò, & fruitionem habendus in futura; tum etiam primariũ Charitatis actum, qui eſt amor amicitiæ, qui in hoc diſtinguitur ab amore concupiſcentiæ, quod amor amicitiæ ſit quo bonum, ſeu perfectionem volumus amico propter ſe ipſum,& amor concupiſcentię ſit, quo bonũ alteri volumus propter nos,ſeu ꝓpter noſtram vtilitatem. Quod in definitione ponitur ſuper omnia indicat modum Charitatis,qui eſt diligere Deũ plus cæteris rebus omnibus, illum ſcilicet illis præponendo, & eas illi poſtponendo iuxtà verbum Domini Matthæi 10. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me,non eſt me dignus*. Quod vltimo loco ponitur, & proximum ſicut nos ipſos indicat ſecundarium ac minus principale obiectum Charitatis, quod eſt Nos ipſi, ac proximus.

Sciendum dubium eſſe an teneamur amare Deum ſuper omnia intenſiuè, an verò ſolùm appretiatiuè. Ad quod reſpondeo nos teneri amare Deum ſuper omnia appretiatiuè, non verò intenſiuè. Quod teneamur Deũ ſuper oĩa appretiatiuè diligere,ratio eſt quia Deus eſt ſummum bonum,ſummum autem bonum eſt ſuper omnia diligendum. Quod verò non ſit obligatio diligendi Deum ſuper omnia intenſiuè; ratio eſt, quia cum nobis certò conſtare non poſſit, an vnus actus ſit maior, & intenſior alio, ſequeretur hominem maximis vexari ſcrupulis ferè ſemper dubitando, an actus ſit ſufficienter intenſus, & vehemens: hoc autem non eſt conforme Diuinæ bonitati, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Ita Suarez. de pœnit.*diſp*.4.*ſect*.4.*num*.7. Reginald.*lib*.17.*n*.97. Sanchez. in ſum. *lib*.2.*cap*.3. *&* 5. & alij. Tunc Deus dicitur amari ſuper omnia intenſiuè quando actus amoris Dei eſt intenſior vehementior,& feruentior omni alio amore;tunc verò dicitur amari ſuper omnia appretiatiuè, quando Deus magis æſtimatur, quam æſtimatur cætera, ſeu quando præfertur cæteris, vt contingit quando homo ita eſt affectus erga Deum,vt paratus ſit pati potius omnia mala,vel rea omnea perdere, quàm Deum offendere. Ita Azor. 1 *part*.*lib*.9.*cap*.4. *queſtio* 1. Toletus *lib*.4.*cap* 4. *num*. 6. Sanchez. in opere morali *lib*.2. *cap*.35. *n*.2.& alij.

Quomodo Charitas augeatur in hac vita?

BRACTEA XXVII.

R. 1. Charitatem augeri in hac vita. Ita S.Thomas *quæſt*. 24 *art*. 4. & communiter cum eo omnes Doctores. Ratio eſt, quia in hac vita homo eſt, vt ambulet, & perficiatur,ambulat autem, & progreditur per Charitatem, in alia autem non augetur.

R. 2. Augeri per actus Charitatis, tàm elicitos, quàm imperatos, quia augetur per bona opera facta in gratia,ſiuè ſint actus ipſius Charitatis, qui dicuntur ab ea eliciti,ſiuè actus aliarum virtutũ, vt Fidei, Spei, Religionis, Temperantiæ,&c. qui ab ea imperantur. Secundò augeri,tàm per actus intentiores, quàm per æquales habitui; qui enim ita operatur meretur, vt à Deo augeatur habitus ipſe Charitatis; ſatis enim diſponitur ad illam vtendo donis acceptis cum tanta perfectione, quanta poteſt; ergo, &c. non eſt autem neceſſe augeri per eos actus efficientia phyſica, quo pacto requireretur, vt habitu eſſent intenſiones actus. Tertiò augeri etiam per remiſſiores, vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ*.6. *cap*.10. & *Canon*.32. vbi dicitur iuſtos per bona opera creſcere in iuſtitia,nõ diſtinguit de intenſioribus, vel remiſſioribus;ergo nec nos diſtinguere debemus; & hoc augmẽtũ Gratię confert ſtatim in fine actus remiſſionis, vel continuationis illius:& ex his quatuor colliguntur. Primùm iuſtos per omnes actus Charitatis poſt iuſtificationem verè, & propriè creſcere in iuſtitia coram Deo: Secundùm iuſtos per continuationem operum Charitatis verè mereri augmentum gloriæ, Gratiæ, & Charitatis: Tertiùm iuſtos per omnes actus Charitatis mereri augmentum gloriæ eſſentialis, ac proinde Gratiæ, & Charitatis: Quartùm huiuſmodi augmentum infallibiliter reddi iuſtis ſi in gratia perſeuerauerit, etiamſi poſteà nullum actum intenſiorem efficiant.

Quando nam Præceptum Charitatis ergà Deum obliget?

BRACTEA XXVIII.

Sciendum duo eſſe Præcepta Charitatis, primum de Deo, alterum de proximo diligendo: Præceptum de diligendo Deo ſuper omne bonum traditur in Deuteronomio *c*.6.apud S.Matthæum *cap*.22. Lucam 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*. Senſus autem verborum, eſt; quod homo diligere Deum debet ex omnibus facultatibus ſuis, quarum quatuor præcipuè ſunt: vna intelligendi: ſecunda appetendi: tertia ſentiendi: quarta loca mouendi,vt proinde nihil ſit in intellectu, in voluntate, ac deſiderio, neque in ſenſu,neq; in externa operatione, quod non Deo ſubijciatur, ſiue in Deum referatur: præceptum hoc de diligendo Deo primum,ac maximum dicitur Matth. *cap*.22. quia eſt excellentiſſimæ virtutis, à quo vniuerſa lex pẽdet, & Prophetæ; & prima ad Corinthios 13.*Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria hac, maior autem horum eſt Charitas*. Quod etiam extenditur ex eo, quod Charitas tanquam Regina imperet omnibus alijs virtutibus earum actiones dirigens, in Deũ finem noſtrum vltimum ſupernaturalem, eaſque ex humanis reddens Diuinas, ac æternæ vitę meritorias, dum nempè ſua cooperatione facit, vt ex amore

Dei perueniant, & exerceantur, quibus poſitis.

R. Deũ Præcepto negatiuo Charitatis ſẽper, & ad ſẽper diligẽdũ eſſe ſuper omnia: Præcepto verò affirmatiuo ſẽper quidẽ eſſe diligendũ, ſed non ad ſẽper.

Sciendum 2. Præceptum Charitatis de diligendo Deo duplex eſſe, vnum affirmatiuum, & alterum negatiuum: Præceptum affirmatiuum diligendi Deum non ſemper obligare, ſed ſolummodo obligare aliquibus temporibus, vt quando inſurgunt tentationes odij Dei, & eſt periculum illis conſentiendi. Ita Sanchez. in ſum. *lib* 2. *cap.*45 *num.*9. Ratio eſt, quia quilibet tenetur ex Præcepto Charitatis, ea media aſſumere, quæ conducunt ad non habendum odio Deum, medium autem ad non habendum odio Deum dum inſurgunt tentationes incitãtes ad odium Dei eſt amor, & dilectio Dei; ergo, &c. Secundò obligat dũ eliciẽdus eſt actus cõtritionis ex directa obligatione ipſius, cõtritio .n. eſt actus Charitatis, qui ꝑ cõſequẽs eliciẽdus eſt, quãdo elicitur actus Contritionis. Tertiò Præceptum Charitatis obligat etiam in articulo mortis, nam qui morti proximus eſt in magno exiſtit vitæ ſpiritualis, & ſalutis periculo, & neceſſitate: Preceptũ autẽ charitatis obligat in magna neceſſitate. Ita Reginaldus *lib.*17. *num.*98. & alij. Licèt plures Doctores intendant obligationem diligendi Deum ad plura alia, nimirum, quando puer ꝑuenit ad vſum rationis, vel quãdo ſuſcepturus eſt Baptiſmũ, in die feſto, tẽpore martyrij, &c.

An proximus ſit diligendus?

BRACTEA XXIX.

R. PROXIMVM diligendum eſſe; & ita colligitur ex Deuteronomio 6. *Diliges proximũ tuum ſicut te ipſum*, & Ioannis 12. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Secundò non ſolùm homines iuſtos, verum etiam impios diligendos eſſe; ita Beccanus 2. 2. *cap.*20. & alij: non ſolùm amicos, verum etiam inimicos. Ratio eſt, quia tam amicus, quam inimicus eſt noſter proximus, & ſunt capaces Beatitudinis; tum etiam, quia ius naturale dictat faciendum eſſe alijs, quod nobis ipſis fieri cupimus, tum etiam, quia Matthæi 5. dicitur *Diligite inimicos veſtros, & benè facite his, qui oderunt vos.*

Sciendum, quod licet ex Charitate teneamur diligere proximum nimirum non tamen regulariter tenemur ſalutare inimicum dum nobis occurrit, quia ex Charitate obligati ſolum ſumus pręſtare inimicis noſtris beneficia, & ſigna dilectionis generalia, non tamen ſpecialia. Ita S. Thom. *quæſt.*25. *art.* 8. *&* 9. Caietan. ibidem, Ricardus in 3. *diſt.*30. *art.*1. *quæſt.*1. Gabriel *quæſt. vnica art.*2. Nauarus *cap.*14. *n.*25. Ratio primæ partis eſt, quia non exhibere beneficia, & ſigna dilectionis generalia eſt aliquo modo ſe vindicare, quod priuatis perſonis interdictum eſt iuxtà illud Leuitici 19. *Ne quæres vltionem, neque eris memor iniuriæ Ciuium tuorum:* regulariter autem, vt dictum fuit, non eſt obligatio demonſtrandi ſigna ſpecialia dilectionis inimicis, & ideò ipſũ inuiſere, meſtum ſolari, hoſpitio excipere, obuiam factum ſalutare per ſe loquendo non teneris, niſi his in aliqua neceſſitate poſitus ſit. Ita S. Thomas loco cit. *art.*9. S. Bonauentura *in* 3 *diſt.*9. *art.*1. *quæſt.*5. Ricardus ibidem *art.*1. *quæſt.*1. Ratio eſt, quia præceptum affirmatiuum de exhibenda ſpeciali dilectione, aut beneficentia non obligat ſemper, ſed in caſu neceſſitatis, iuxtà illud, *ſi eſurierit inimicus tuus ciba illum.* Dixi *per ſe loquendo*, quia aliunde fieri poteſt, vt teneamur inimicum ſalutare, &c. primò ratione ſcandali vitandi, ſi negando ſpecialia ſigna amoris, quæ anteà præſtare ſolitus eras maius contrà te hominis odium, vel iram concites. Secundò ſi ſalutatione, vel ſimili beneuolentiæ ſigno animum inimici tibi, ac Deo facilè conciliaturum arbitreris. Tertiò ſi ad depellendum odium, quod aduerſus hominem geris neceſſarium eſſe exiſtimes ſpecialia amoris ſigna ipſi præſtare. Denique inimicum ſalutantem viciſſim ſalutare neceſſe eſt, veniam petenti tribuere, & alia tunc amoris indicia exhibere, quæ declarent ſimultatẽ depoſitã, & amicitiã reintegratã eſſe; ſicut docet S. Th. 2. 2. *q.*83. *art.*8. Nauarus in manuali *cap.*14. *n.*9. Quæ tamẽ intelligẽda ſunt de obligatione Præcepti, non autem de perfectione Chriſtianæ Charitatis.

An teneamur proximo ſubuenire cum periculo proprio vitæ, aut facultatum?

BRACTEA XXX.

SCIENDVM neceſſitatem duplicem eſſe: vna eſt extrema, altera non extrema; extrema contingit, quando quis non poteſt ſibi aliundè moraliter prouidere, ideoq; infans baptizandus exiſtens in mortis articulo dicitur eſſe in extrema neceſſitate baptiſmi; neceſſitas non extrema contingit, quãdo quis neceſſitate laborans poteſt ſibi aliunde prouidere, quibus poſitis.

R. Proximo verſanti in extrema, & moraliter inſuperabili neceſſitate ſpirituali ſuccurrendum eſt cum certo periculo propriæ vitæ, dummodo ſpes æquè certa proximum iuuandi affulgeat nullumque grauius damnum inde ſecuturum putetur. Ita D. Auguſtinus *lib. de mendacio ad conſentium cap.*6. S. Th. 2. 2. *quæſt.* 26. *art.*5. Malderus ibidem Adrianus, *in* 4. *quæſt. de correctione fraterna*. Valentia 2. 2. *diſp.*3. *q.*4. *pun.*3 Bannes 2. 2. *quæſt.*26. *art.*5. Ratio eſt, quia primò Ioannis 3. dicitur, *& nos debemus pro fratribus animas ponere:* quare ſi infans abſque Baptiſmo moriturus ſit, niſi à me miniſtretur, teneor illum baptizare, etiam cum vitæ meæ periculo. Ita Valentia, Malderus locis citatis: item ſi populus in infidelitatis errore verſetur, aut peſtis contagione laboret omni Sacerdote deſtitutus debebo cum proprio vitæ periculo remedium adhibere, ſi poſſum: item ſi quis in articulo mortis exiſtens habeat cõſcientiam peccati mortalis, nec valeat actum contritionis elicere, tenemur cum vitæ periculo abſolutionem ſacramentalem conferre, modo adſit ſpes conuerſionis, & modo hoc abſque animæ noſtræ periculo facere poſſimus. Qui verò ratione officij ex iuſtitia obligati ſunt ad proſpiciendum ſpirituali aliorum ſaluti, non tantum in extrema, ſed etiam grauia ſpirituali neceſſitate conſtitutis auxilium ferre debent cum proprio vitæ corporalis diſcrimine.

R. 2. Extrà neceſſitatem extremam ſpiritualem proximi non tenemur ex charitate proximo ſubuenire cum periculo vitæ, aut cum notabili damno famæ, aut facultatem. Ratio eſt, quia præceptum charitatis non obligat cum periculo vitæ, &c. niſi in caſu extremæ neceſſitatis. Quod intelligendum eſt de neceſſitate particularium, non autem de neceſſitate communitatis, quia in neceſſitate graui cõmunitatis ſubueniendum eſt cum periculo vitæ. Ratio eſt, quia bonum ſpirituale communitatis pręponderat bono priuato, conſequenter illi ſubueniẽdum eſt cum periculo vitæ, etiamſi neceſſitas ſit ſolum grauis, & communitas non poſſit ſibi aliunde

proui-

prouidere abſque magna difficultate; ſi verò neceſſitas communitatis non eſt grauis, ſed leuis tantum non tenemur illi cum tanto periculo ſubuenire, quia cuilibet competit ius tuendi propriam vitam; nec recta ratio dictat illa, cum graui damno prodigenda eſſe, præcipuè quando communitas aliter ſibi poteſt prouidere. An verò teneamur vitam noſtram exponere periculo pro vita temporali amicorum? Reſpondeo regulariter nos non teneri, in aliquibus caſibus poſſe ſi velimus, modo damnum alijs non proueniat. Ratio eſt, quia hic actus eſt honeſtus, & rectè rationi conformis; ſi verò damnum alijs inde proueniat non poſſumus vitam noſtram prodigere pro vita alterius, quia neque iuri alterius cedere, aut damnum alteri afferre.

An vnum magis, quam alium diligere poſſimus?

BRACTEA XXXI.

R. Iusta de cauſa poſſe nos vnum magis diligere, quam alium, non ſolum quoad actum internum, verum etiam quoad actum externum. Ratio eſt, quia natura dictat magis eſſe diligendos coniunctos, quam extraneos, & ex coniunctis magis diligendos eſſe conſanguineos, quam affines. Ita S.Th.2.2.*quæſt*.26.*art*.6. Valentia *tom*.3.*diſp*.3.*quæſt*.4.*pun*.4. & alij communiter; ideòque primo loco diligendum magis eſſe Patrem, quam Matrem, illique potius ſubueniendum eſſe in neceſſitate corporali, quam alijs: ſecundò loco diligendam eſſe Matrem: tertiò loco vxorem, quia reputatur vna Caro cum marito: quarto loco filios, qui ipſi ſunt cæteris coniunctiores, & de ſubſtantia Patris proceſſerunt: quinto loco diligendi ſunt cæteri conſanguinei, ita vt coniunctiores præferantur alijs: ſexto loco cæteri non conſanguinei, & cæteris paribus præferendus eſt vir iuſtus peccatori. Ita Arragon. 2.2. *quæſt*.26.*art*.9. & alij.

Sciendum quod licet iſte ordo in dilectione regulariter ſeruandus ſit, iuſta tamen cauſa peruerti poteſt: vnde ſi mater ſit valdè benefica erga filium in temporalibus, & ſpiritualibus, Pater verò non ſit ita, ſed negligens circà filij curam, filius poterit magis primo loco diligere matrem, illamque præferre patri, dum vterque neceſſitate laborat. Ita S.Thomas 2.2.*quæſt*.26.*art*.10. & alij. An verò Pater ſpiritualis in neceſſitate ſpirituali præferendus ſit Patri carnali, & naturali? Reſpondeo probabiliter ſuſtineri poſſe, Patrem ſpiritualem debere præferri. Ratio eſt, quia ſicut in neceſſitate temporali Pater præfertur cæteris, qui ſunt nobis coniuncti ſecundum naturam ex S.Thoma 2.2.*quæſt*.26. & alijs, ita in neceſſitate ſpirituali præferendi ſunt cæteris paribus illi, qui nobis ſunt magis coniuncti ſecundum ſpiritum. Ita Abulenſis in cap. Matthæi *quæſt*.66. & alij. Dixi *Cæteris paribus*, quia ſi aliquis non ſit nobis proximè coniunctus ſecundum ſpiritum fieri poteſt, vt præferendus ſit Pater carnalis: Ratio eſt, quia magna eſt ergà Patrem obligatio. Ita S. Thomas 2.2. *quæſt*. 26 *art*.8. Valentia *tom*.3.*diſp*.3. *quæſt*.4 *pun*.6. Maldetus 2.2.*quæſt*.26. *art*. 6. & alij, & ſupra dicta intelligenda ſunt de ordine Charitatis ſeruando inter perſonas priuatas, quia quando agitur de perſona publica in ordine ad priuatam, magis diligenda eſt perſona publica, quam priuata. Ita Valentia *tom*.3. *diſp*.3.*quæſt*.4.*pun* 5. & alij.

An teneamur ex Præcepto facere eleemoſynam proximo in neceſſitate conſtituto?

BRACTEA XXXII.

SCiendum virtutem miſericordiæ eſſe Charitati valdè affinem, quippè eam ex qua proximè naſcitur, teſte S.Ioanne *epiſt*.1. *cap*.3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Definitur à S. Auguſtino lib. de Ciuit. cap.5. Alienæ miſeriæ in corde noſtro compunctio, qua vtique ſi poſſumus ſubuenire compellimur.

Sciendum 2. Nomine eleemoſynæ intelligi actum, quo aliquid alteri ex compaſſione damus ad ipſius ſubleuandam neceſſitatem propter amorem, & bonitatem Dei, & hic dicitur actus miſericordiæ corporalis imperatus à Charitate, ſi ob amorem Dei fiat, quę opera miſericordię ſunt quatuordecim, ſeptē corporalia, ſeptē verò ſpiritualia, quibus poſitis.

R. Non modo iure Diuino, ſed etiam naturali tenemur eleemoſynam facere pauperibus; quod iure Diuino teneamur, patet ex prima ad Timoteum *cap. vlt. Diuitibus huius ſæculi præcipe facilè tribuere*, & ex epiſt.1.Ioannis cap.3. *Qui habuerit ſubſtantiam mundi, &c.* & ex Matthæi cap.25. *Eſuriui, & non dediſtis mihi, &c.* Quod verò etiam teneamur iure naturæ, patet ex illo principio: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*; & ex præcepto diligendi proximum.

Sciendum 1. neceſſitatem triplicem eſſe. Prima eſt communis, qua communiter pauperes laborant, vt eſt illa pauperum oſtiatim ſtipem quærentium. Secunda dicitur grauis, & eſt illa, quam incurrunt, qui non habent neceſſaria ad ſtatum, & ſuam conditionem. Tertia dicitur extrema, & eſt illa, quam quis patitur cum probabili mortis periculo, quia non habet neceſſaria ad vitam ſuſtentandam.

Sciendum 2. bona, ex quibus facienda eſt eleemoſyna, aut eſſet ſuperflua vitæ, & propria naturæ, ſed non ſtatui, aut eſſe ſuperflua non ſolum vitæ, verum etiam ſtatui. Illa bona dicuntur ſuperflua vitę propriæ, ſed non ſtatui, quando poteſt ſine illis ſuſtentari vita, non verò decens perſonæ ſtatus; tūc verò dicuntur ſuperflua vitæ, & ſtatui; quando ſine illis ſuſtentari poteſt vita, & decens perſonæ ſtatus, & ita Vaſquez in opuſculis moralibus *tract. de eleemoſyna cap*.1.*dub*.5. Nauarus in manuali *cap*.24. & alij.

Sciendum 3. quod cum præceptum dandæ eleemoſynę affirmatiuum ſit, non omni tempore obligat, & ita Paludanus in 4.*diſt*.15.*quæſt*.3 *art*.7. obligationem faciendæ eleemoſynę corporalis ex duplici capite oriri. Primò ex parte dantis, ſi habeat bona ſuperflua, ſiue ea ſint ſuperflua naturæ, & vitæ, ſiue ſint ſuperflua perſonæ, ideſt non neceſſaria ad perſonæ ſtatum, ac dignitatem tuendam. Secundò ex parte accipientis ſi in neceſſitate poſitus ſit, quæ vt dictum eſt, triplex aſſignatur: vna extrema, cui niſi ſuccurras, vita periclitabitur: altera grauis, cui niſi ſuccurras vitam ægrè, ac difficulter ſuſtentabit: tertia ordinaria, ſiue communis, qualis eſt eorum, qui oſtiatim mendicant, quibus poſitis.

R. Tēpore neceſſitatis extremæ dādam eſſe eleemoſynam de ſuperfluis vitæ, etiamſi neceſſarijs ſtatui. Ratio eſt, quia ordo charitatis poſtulat per ſe loquendo, & cęteris paribus, vt proximi vitam pluris faciamus, quam dignitatem propriam. Ita S. Antoninus *par*. 2. *tit*. 1, *cap*. 24. Siluester verbo *eleemoſ.*

*quæſt.1.concluſ*5. Nauarrus in manuali *cap.* 24. *num.* 5. Valentia *tom* 3.*diſp.*3.*quæſt.* 9. *pun.* 4. Petrus Nauarra *lib.*3.*cap.*1.*num.*361.Caietan.2.2.*quæſt.*32 *art.* 6. Secundò in neceſſitate extrema alicuius proximi, ex cuius vita pendeat notabiliter ſalus Reipublicæ eſſe, eſſe obligationem ad faciendam eleemoſynam ex neceſſarijs ad decentiam,& vitam,quia ſalus totius,ordine charitatis præferenda eſt ſaluti partis. An verò habens ſuperflua naturæ,ſtatui teneatur facere eleemoſynam proximo etiam extra neceſſitatem ipſius extremam,ſed in graui,ſeu in communi? Reſpõdeo de ſuperfluis faciendam eſſe eleemoſynam, nõ modo in extrema,& graui neceſſitate, ſed etiam in ordinarijs pauperum neceſſitatibus,prout quiſque iudicauerit. Ita S.Thomas 2.2 *quæſt.*32 *art.* 5. Nauarrus loco cit.& alij apud Valentiam *tom.*3.*diſp.*3. *quæſt.* 9. *pun.*4. Azorius 2.*par.lib.*12 *quæſito* 2.*cap.*7. apud Bannem *quæſt.*32 *art.*6.*dub.* 3. apud Malderum 2. 2. *quæſt.* 32.*art.*6.*dub* 4. & apud alios. Ratio eſt, quia ad Timoteum 1. cap. vltimo dicitur *Diuitibus huius ſæculi præcipe facilè tribuere:* facilè autem tribuitur collata pauperibus eleemoſyna ordinarijs ipſorum neceſſitatibus,& ideò diuites, qui de ſuperfluis non faciũt eleemoſynam extra extremam, vel quaſi extremam neceſſitatem grauiter peccare. Secundò Aduocatum peccare mortaliter non ſuſcipiendo patrocinium pauperis, & Medicum, Chirurgum non præſtando operam ſuam indigenti. Ratio eſt, quia ſicut tenemur de ſuperfluis vitę,& ſtatui ſubuenire communi, vel graui pauperum neceſſitati,ita Medicus, Aduocatus,vel Chirurgus tenetur à fortiori operam ſuam præſtare,quæ ſibi neceſſaria non eſt. An verò diuites teneantur inquirere pauperes, vt illis faciant eleemoſynam? Reſpondeo non teneri, ſed ſufficere; vt animo ſint parati ad eorum neceſſitates ſubleuandas, dum occurrerint; quia præceptum charitatis non adeò ſtrictè obligat,ſecus dicendum eſt de Epiſcopis, iſti enim tenentur ex officio neceſſitatibus occurrere;nam Patres pauperum nuncupantur. Ita S.Thomas 2.2 *quæſt.*21.*art.*1.Vaſquez in opuſc. *cap.*4. *de eleemoſ.num.*14.Corduba *lib.*2 *quæſtionum quæſt.*14.

R. 2. habentem ſuperflua vitæ,ſed non ſtatui non teneri in communi, aut graui proximi neceſſitate eleemoſynam facere de ſuperfluis vitæ, ſed non ſtatui: teneri verò in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate modo non ſit periculum, vt ipſi in ſimilem neceſſitatem incidant. Ratio eſt, quia recta ratio non dictat nos teneri neceſſaria noſtro ſtatui contemnere,ad ſubueniendum communi,aut graui, pauperum neceſſitati. Ratio ſecundæ partis eſt,quia ratio naturalis dictat vitam proximi præferendam eſſe decenti ſtatui,vt ſupra dictum eſt.

Sciendum quod quãdo multi diuites norunt indigẽtiam aliquorũ ſinguli per ſe tenentur ad eã ſubleuandam,iuxta qualitatem perſonæ. Ratio eſt,quia præceptum charitatis æqualiter afficit omnes, cum vnicuique Deus mandauerit de proximo ſuo. Ita Azorius *cap.*8.*quæſit.*5.Reginaldus *lib.* 4.*num.*247.& alij communiter.

An qui non dedit eleemoſynam, cum obligaretur, teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXXIII.

R. QVI non dat eleemoſynam, cum teneatur ex officio, vt quia eſt Paſtor exiſtentis in neceſſitate,vel Princeps temporalis,& Dominus illius, vel officium habet aliquod à Republica, cui incumbit cura pauperum egentium, obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia tales tenentur ex iuſtitia, & ratione officij, & non faciendo eleemoſynam violant iuſtitiam, & ideò obligantur ad reſtitutionem. Secus verò dicendum eſt de his, qui tantum tenentur ex charitate,& miſericordia. Ratio eſt,quia ex violatione charitatis non oritur obligatio reſtituendi,ſi contra eam fiat, ſed tantum committitur culpa, quia denegando eleemoſynam facit contra præceptum charitatis, ſed dubium eſt, an peccent mortaliter, qui leuem eleemoſynam denegat pluribus pauperibus, quibus ſingulis tenebatur ſolum ſub veniali modicã illam eleemoſynam tradere. Ad quod reſpondeo affirmatiuè:ratio eſt,quia leues illæ eleemoſynæ videntur conſtituere vnam materiam notabilem ſufficientem ad mortale peccatum. Et ita Vaſquez 1.2.*diſp.*146.*cap.*1 *& alij.*

An debitor extremam neceſſitatem patiens, teneatur reſtituere rem acceptam, ſeu ſoluere debitum creditori ſimili neceſſitate laboranti?

BRACTEA XXXIV.

R. NON teneri reſtituere rem debitam creditori ſimili neceſſitate laboranti. Ratio eſt, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt cõmunia,tum etiam quia melior eſt conditio poſſidentis. Ita Sotus 4. *de iuſtitia quæſt.* 7. *art.* 4. Caietanus *quæſt.*262. *art.* 5. Toletus *lib. de ſeptem peccatis cap.* 39. Reginaldus *lib.*4.*num.*316. & alij. Secus verò dicendum erit de debitore, qui retinet rem alienam, qui eſt ſolummodo in graui neceſſitate,ſi creditor ſit in extrema neceſſitate,quia tũc debitor qui eſt in graui neceſſitate, debet reſtituere rem alienam creditori,qui eſt in extrema neceſſitate. Ratio eſt, quia creditor non amiſit dominum rei,etiamſi ſolum eſſet in graui neceſſitate,ſicut debitor. Ex quibus colligitur eum,qui rem alterius commodatam, vel locatam,vel pignori datam retinet pro tempore, quo vterque laborat extrema neceſſitate poſſe retinere, quia melior eſt conditio poſſidentis, & neceſſitas extrema facit omnia communia.

Sciendum illum,qui aliquid accepit, & conſumpſit in extrema neceſſitate non teneri ipſam rem reſtituere tranſacta ipſa neceſſitate. Ratio eſt, quia cum in extrema neceſſitate neceſſitas faciat omnia communia non dicitur accepiſſe, & conſumpſiſſe alienum,ſed proprium, modo de illa re nihil ſuperſit tranſacta neceſſitate. Secundò modo non acceperit, mediante aliquo contractu transferente dominium in accipiente, vt contractu mutui, & emptionis. Ratio eſt,quia poſito tali contractu non dicitur conſumpſiſſe rem communem, ſed propriam, quo mediante contraxit obligationem reſtituendi rem ipſam. Secus verò dicendum eſt de illo, qui iniuſtè, aut licitè etiam mediante aliquo contractu aliquid accepit ante neceſſitatẽ extrema. Ratio eſt, quia contraxit obligationem reſtituendi, quæ per ſuperuenientem extremam neceſſitatem non fuit extincta, ſed ſolum ſuſpenſa. Dixi ſupra mediante aliquo contractu transferente dominium in accipientem, quia ſi res fuit accepta per contractum nõ transferentem dominium, vt v. g. per contractum depoſiti, vel accommodi accipiens non tenetur ad

reſti-

reſtitutionem rei conſumptæ in extrema neceſſitate. Ita Petrus Nauarr. *lib.4.cap.4.num.26.* & alij.

De quibus bonis facienda ſit eleemoſyna?

BRACTEA XXXV.

R. De bonis alienis fieri poteſt eleemoſyna, quādo proximus laborat extrema, vel quaſi extrema neceſſitate, & faciēs eleemoſynā nihil propriè habet. Ratio eſt, quia in caſu extremę neceſſitatis omnia ſunt cōmunia, & per conſequens qui non habet propria, de alienis poteſt facere eleemoſynam.

Sciendum quod qui habet bona propria, & aliena non poteſt regulariter loquēdo ex bonis alienis facere eleemoſynā, ſed debet ipsā facere ex propriis. Ratio eſt, quia actus tradendę eleemoſynę eſt actus dominij, ꝙ non cenſetur habere in rebus alienis, cū habeat propria. Ita Medina *quaeſt.5.de eleemoſyna.* Azorius 2.*par.lib.12.cap.12.* Vaſquez in opuſcul. *elemoſ.cap.* 2. & alij de conſenſu verò domini expreſſo, vel rationabiliter præſumpto, de alieno etiam in graui neceſſitate, vel communi poteſt fieri eleemoſyna, quia tunc non fit inuito Domino, & ſicut hic poſſet, ita etiam alius de conſenſu illius; De bonis quæ in communi ita poſſidentur, vt ſingulis ſua portio debeatur non poſſe fieri eleemoſynam abſque conſenſu expreſſo, vel præſumpto illorum, ad quos illa bona pertinent. Ratio eſt, quia alioquin fieret iniuria domino; tum etiam quia quod ad omnes pertinet ab omnibus approbari debet. Ita Medina *Cod. de eleemoſ. quaeſt.*4. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 285. & alij.

Sciendum 2. eum, qui non habet ex proprijs, vnde poſſit neceſſitatem pauperis ſubleuare, poſſe aliena capere ad ſubleuandam pauperis neceſſitatem, quoties pauper tantam patitur neceſſitatē, vt poſſit ſibi alienum capere, vt ſibi ſubueniat, quia ita alter poteſt accipere, vt alteri ſuccurrat. Ita Vaſquez *cap.* 1. *de eleemoſ. dub.7.num.72.*

An de bonis turpiter acquiſitis poſſit fieri eleemoſyna?

BRACTEA XXXVI.

R. Turpiter acquiſita ob circunſtantiam accidentalem actionię, vt ex meretricio, vel homicidio patrato, vel ſententia iniuſtè prolata poſſunt dari in eleemoſynā. Ita S. Thomas *quaeſt.32.art.7.* Caiet. ibidem, Medina *quaeſt.* 5. & alij. Ratio eſt, quia talium rerum iuſtè acquiritur dominium, etiamſi actio, per quam acquiritur, mala ſit, vt alibi dicetur. Secundò turpiter acquiſita ob actionē ipſam iniuſtam, ita vt acquiſitio etiam ipſa iniuſta ſit, vt per furtum, vſuram, donationem extortam, ſimoniam, &c. non poſſunt dari in eleemoſynam. Ratio eſt, quia eorum non acquiritur dominium, & actus eleemoſynæ ſupponit dominium in re, de qua fit eleemoſyna, excipitur tamen caſus extremæ neceſſitatis, quia in iſto caſu de turpiter acquiſitis ob actionem ipſam iniuſtam, quando alia deſint, poteſt fieri eleemoſyna. Tertiò ſi iniuſtè acquiſita non ſunt eadem numero reſtituenda, ſed loco ipſorum poſſunt alia conſimilia reſtitui; tunc arbitror poſſe fieri eleemoſynam de iniuſtè acquiſitis, non ſolum in extrema neceſſitate, verum etiam extra neceſſitatem proximi extremam, nam qui ea tradit in eleemoſynam, nulli facit iniuriam, cum ob eleemoſynam non reddatur impotens ad ſatisfaciendum.

Quis poteſt facere eleemoſynam?

BRACTEA XXXVII.

R. Eos poſſe facere eleemoſynam, qui rerum ſuarum habent dominium, & plenam adminiſtrationem; quod etiam dicendum eſt de his, qui ex conſenſu expreſſo, aut rationabiliter præſumpto eorum, qui habent dominium, & liberā adminiſtrationem, eleemoſynam faciunt. Secundò filios poſſe facere eleemoſynam de rebus, quarum habent dominium, vel vſumfructum; vt de Peculio Caſtrenſi, vel quaſi, non autem de profectitio, cuius proprietas, & vſusfructus eſt penes patrem, nec de aduentitio, cuius vſusfructus eſt apud patrem, ipſo viuente. Tertiò de bonis patris poſſe facere eleemoſynam, quando habent conſenſum patris, vel ſpem probabilem ratihabitionis, & quando eleemoſynæ ſunt tenues, facilè præſumi poteſt conſenſus patris. Quartò quando peregrinantur, vel reſident in ſcholis remoti à patre, tunc poſſunt facere eleemoſynas, quas alij ſuæ conditionis ſolent. Quintò quando accipiunt aliquam certam pecuniæ ſummam pro ſua ſuſtētatione, ſi reſtringant expenſas, poſſunt, quod ſupereſt erogare in eleemoſynas. Sexto quando eſſet extrema neceſſitas proximi, quia tunc omnia ſunt communia quoad vſum.

Sciendum regulariter ſeruos nō poſſe facere eleemoſynam de bonis dominorum: & ita communiter omnes. Ratio eſt, quia non habent adminiſtrationem vllam bonorum domini; excipiuntur tamen quinque caſus, primus eſt extrema neceſſitas, ſecundus ſi detur modicum quid & rarò, quia tunc præſumitur conſenſus domini; tertius quotieſcunque adſit conſenſus domini, ſaltem interpretatiuus; quartus quando probabiliter ſperatur ratihabitio; quintus quando de certa portione ſibi aſſignata ad victum detraheretur aliquid per abſtinentiam, modo id non cedat in præiudicium domini.

Sciendum 2. Religioſum adminiſtratorem bonorum ſui Monaſterij poſſe facere eleemoſynam iuxta præſcriptum regulæ, & conſtitutionem earumdem Religionum. Religioſum non adminiſtratorem non poſſe facere eleemoſynam de bonis Monaſterij, & peccare mortaliter, ſi abſque conſenſu ſuperioris in materia graui id faciat; in tribus tamen caſibus videtur poſſe facere eleemoſynam: primus quando Religioſus peregrinatur, vel commoratur extra Monaſterium cauſa ſtudiorum, vel alterius negotij poteſt tunc facere eleemoſynam de bonis, quę vſu conſumuntur. Ratio eſt, quia in his Religioſus eſt adminiſtrator rerum ſibi cōceſſarum, & adeſt tacitus Superioris conſenſus. Secundus caſus, quando Superior adiri non poteſt, & occurrit grauis neceſſitas, qua de ſuperfluis Monaſterij poteſt facere eleemoſynam ſub ſpe ratihabitionis. Ita Armila de eleemoſyna §. 5. Tertius quando eleemoſyna eſſet exigua, quia tunc probabiliter præſumitur conſenſus Superioris.

Sciendum 3. vxores in ſequentibus caſibus poſſe facere eleemoſynam. Primus de ſuis bonis paraphrenalibus, & de bonis, quę conſtante matrimonio illi deuenirent per hæreditatem, vel donationem. Ratio eſt, quia horum bonorum vxor habet dominium, & adminiſtrationem. Secundus quando vxori relicta eſſet adminiſtratio, & diſpenſatio bonorū,

vel quia maritus eſt abſens, vel ægrotus, vel amens, vel, &c. Tertius quando ei aſſignatur à viro certa pecuniæ ſumma ad victum, quia tunc de eo, quod ſupereſt, vel quod ſibi ſubtrahit, poteſt facere eleemoſynam, Palud. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *act.* 6. Silueſter verbo *eleemoſ. quæſt.* 5. §. 5. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 144. Quartus quando propria arte, atque induſtria aliquid lucratur; quod intelligendum eſt, modo familia non patiatur detrimentum, quia ſi ipſa indigeret, ipſa præferenda eſt: Secundò quod eas tantum eleemoſynas faciat de bonis viri, quæ mulieres illius ſtatus, & conditionis facere ſolent. Vltimò poteſt facere eleemoſynam ad vitandum damnum temporale; & ſpirituale ipſius viri. Silueſt. loco cit. §. 8. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 154.

Sciendum 4. quod licet eleemoſyna omnibus facienda ſit, tñ vt docet Becanus *cap.* 21. *dub.* 10. *nu.* 23. reprehendi non debent Magiſtratus, qui ex ciuitatibus ſuis, pauperes peregrinos expellere ſolent, ſi id faciant: primò quia pauperes domeſtici peregrinis præferendi ſunt, ſi vtriuſque ſatisfieri non poſſit: ſecundò quia peregrini ſæpè inferunt morbos, corruptelas hæreſes, contentiones, proditiones, &c. tertiò quia multi ex illis ſano, & integro corpore ſunt; qui excluſi, de victu per labores honeſtè acquirendo cogitabunt; nam eiuſmodi robuſti, qui cibum manuum labore, acquirere poſſunt, à mendicitate arcendi ſunt iuxta *tit. Cod. de mendicantibus validis lib.* 11.

Quo ordine facienda ſit Eleemoſyna?

BRACTEA XXXVIII.

R. ELEEMOSYNAM hoc ordine faciendam eſſe dum omnibus fieri non poteſt, vt exiſtentes in maiori neceſſitate præferantur his, qui non exiſtunt in tali neceſſitate, vt v. g. qui exiſtit in neceſſitate extrema præferatur his, qui exiſtunt ſolùmodo in graui neceſſitate, & ex his, qui exiſtunt in extrema neceſſitate, vel in graui neceſſitate coniunctiores præferantur minus coniunctis, vt v. g. conſanguinei præferantur affinibus, & ex conſanguineis, & affinibus, qui propinquiores ſunt, & ita communiter omnes.

An ex Præcepto Charitatis teneamur corrigere Proximum?

BRACTEA XXXVIIII.

SCIENDVM correctionem fraternam eſſe actum miſericordiæ ſpiritualis, quo per conuenientem ſermonem proximum à malo peccati ad bonum honeſtatis conuertere nitimur: ſecundum illud Pſalmi. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, &c.* Ita D. Thomas in 4. *diſt.* 19. & alij. Quo poſito.

R. Ex præcepto naturali, & Diuino obligari nos corrigere proximum indigentē correctione. Ratio primæ partis conſtat, tum ex illo principio naturali. *Quod tibi vis fieri, &c.* tum etiam ſicuti iure naturæ quis obligatur eleemoſyna corporali ſubuenire proximo indigenti, ita etiam obligatur illi ſubuenire eleemoſyna ſpirituali, nimirum correctione fraterna. Ratio ſecundæ partis colligitur ex Lucæ 10. *Si peccauerit in te frater tuus increpa illum*, & ex verbis Matthæi 18. *Si peccauerit in te frater vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.*

Sciendum 2. Tres conditiones requiri, vt obliget hoc præceptum. Prima eſt notitia peccati, qua ſcilicet quis ſciat fratrem eſſe in peccato mortali, vel in periculo peccandi. Secunda vt ſit ſpes emendationis. Tertia vt ſit opportunitas perſonæ, vt ſcilicet non ſit alius, qui commodè id præſtare poſſit, nec differenda videatur occaſio, nec aliter emendatio ſperetur. Nauarrus *cap.* 29. *num.* 12.

Sciendum 3. Peccata mortalia eſſe materiam neceſſariam correctionis, & ideò homines tenentur ex Præcepto correctionis ad corrigenda omnia peccata mortalia non emendata; Peccatum verò veniale non eſt materia neceſſaria correctionis, quia per ipſum non amittitur gratia, ideò non datur obligatio ſub mortali, aut ſub veniali ad correctionem venialium, niſi talia ſint, vt proximè diſponant ad mortale, aut magnum alijs afferant detrimentum. Ita Azorius *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſit.* 4. Reginald. *lib.* 4. *cap.* 25. *num.* 333. Silueſter verbo *correctio num.* 1. Nauar. *cap.* 24. *num.* 12. & 13.

R. 2. Præceptum correctionis eſſe affirmatiuum, & per conſequens ſemper obligare, ſed non ad ſemper.

Sciendum 4. Omnes homines rationis capaces eſſe obligatos ad correctionem faciendam. Ratio eſt, quia hoc Præceptum eſt de iure naturali; verum Prælatos ſtrictius ligari Præcepto correctionis, quàm homines priuati. Ratio eſt, quia Prælatus ex ratione officii, & ex charitate tenetur conſulere bono priuato ſubditorum.

Sciendum 5. Correctionem faciendam eſſe eo ordine, quem Chriſtus Dominus in Euangelio præſcripſit. Primò, quòd correctio fiat ſecreto; *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Secundò, vt coram teſtibus corrigatur, ſi priuata, & ſecreta monitio non profuit, *Si te non audierit adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel triū ſtet omne verbum.* Tertiò, vt Prælato denūcietur quoties correctio obſeruatis duobus primis modis non profuit; *Quod ſi non audierit eos dic Eccleſiæ* Poſtremò, ſi neque audierit Eccleſiam, *Sit tibi ſicut ethnicus, & Publicanus.*

Sciendum 6. Teſtes adhiberi in correctione, vt fateantur illud eſſe peccatum, de quo delinquens arguitur. Secundò, vt ſint teſtes coram Prælato delinquentem eſſe reum talis criminis, & corripientem munere ſuo perfunctum eſſe. Tertiò vt etiam ipſi correctionis munere fungantur. Ita Petrus Nauarrus *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 4. *num.* 264. Malderus 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *dub.* 3. & alij.

Sciendum 7. Dubium eſſe an qui corripuit delinquentem adhibitis teſtibus teneatur alios teſtes adhibere ante denunciationem faciendam Prælato, ſi ſperet ex ipſa repetitione correptionis aliquam emendationem? Ad quod reſpondeo ſi velit poſſe alios teſtes adhibere. Ratio eſt, quia nulla videtur ratio in contrarium. An verò poſſit denunciari Prælato proximus, ſi poſt priuatam monitionem, vel etiam poſt monitionem ſpontè reſipuit? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia denunciatio ad Prælatum faciēda eſt ob neceſsitatem ſpiritualem delinquentis; ſed delinquens, qui poſt primam monitionem, vel etiam ſine monitione ſpontè reſipuit non eſt amplius in neceſsitate ſpirituali cum non ſit in ſtatu peccati, nec probabiliter periculum immineat incidendi in peccatum. Ita Nauarrus *cap.* 24. *num.* 14. Malderus *loco cit. dub.* 4. Quod intelligendum eſt modo proximus non exiſtat in probabili periculo relabendi, quia tunc ſeruandus eſt ordo correctionis à Chriſto præſcriptus.

Sciendum 8. Prælatum poſſe iudicialiter procedere contrà delinquentem per correctionem non emenda-

emendatum modo ſeruatus fuerit ordo correctionis. Ratio, qoia tunc vtiliter geritur negotium delinqoentis, ad quem à peccato rettahendum Eccleſia omnem conatum adhibet,

De cauſis excuſantibus à correctione fraterna?

BRACTEA XXXX.

R. Plvres eſſe caoſas excuſantes ab obligatione faciendi correctionem. Prima quando non adeſt cognitio certa peccati, quia alioquin corrigẽs proximum de peccato, quod certò neſcit ab ipſo commiſſum exponeret ipſum periculo iracondiæ, cum molti ægrè ferant ſibi delictum non patratum obijci, non tamen requiri cognitionem ita certam, vt exclodat omnem formidinem oppoſiti, quia hæc ſola, requiritur in iudice, vt poſſit punire pœna ordinaria ſtatuta in iure, fieri tamen poteſt, vt aliqnando proximuum teneamur corrigere, etiamſi de peccato ipſius cognitionem certam non habeamus, vt ſi ruinæ proximi periculum immineat, quia in iſto caſu periculum præferendum eſt contriſtationi proximi. Secunda eſt, quando non adeſt ſpes emendationis, quia quoties correctio non ſperatur profutura non tenemur corrigere proximũ, cum ad opus inutile non teneamur, & multò minus proximum eſſe corrigendum quando creditur, correctionem futuram pernicioſam. Ratio eſt, quia correctio adhibetur tanquam medium ad emendationẽ proximi conſequẽdam: non eſt autem obligatio aſſumẽdi mediũ, dũ ſpes obtinẽdi finẽ nõ adeſt; ſi verò ſolum dubitetur, correctionem eſſe profuturam non eſt propterea omittenda, quia ex quo peccatum eſt certum, & fructus dubius facienda eſt correctio de peccato certò, & bene ſperandom de fructu; ſi verò ſimul dubitetur, correctionem profuturam, ac etiam allaturum damnum ſpirituale, non tenemur tunc correctionem facere, vt ſi rationabiliter dubitetur, proximum prolapſurum eſſe in aliquam blaſfemiam, vel commiſſurum aliud peccatũ. Ratio eſt, quia correctio dirigitur ad ædificationem, & vtilitatem, & non ad deſtructionem, & ruinam; ergo non eſt obligatio corrigendi, dum probabiliter timetur damnum, & ruina ſpiritualis proximi; Secus verò dicendum erit ſi corripiendus in extrema neceſſitate ſalutis exiſtat, quia tunc correctio adhibenda eſt, etiamſi dubitetur ipſam eſſe profuturam, & obfuturam. Secundò etiam quando peccatum delinquentis vergit in damnum publicum, vel in detrimentum innocentis, quia tunc admonendus eſt innocens, vel Reſpublica, vt ſibi conſulat, quamuis ex tali admonitione ruina delinquentis timeatur, quia Reſpublica, & innocens ius habent ne damnum ſibi inferatur, & ruina delinquentis malitiæ ipſius adſcribenda eſt, nec delinquens debet innocenti ob propriam culpam præferri. Tertia præceptum correctionis nonobligare cum periculo mortis, vel grauis damni temporalis. Ratio eſt, quia præceptum charitatis de facienda correctione non obligat cum tanto periculo, & incommodo modo non teneatur ex officio corrigere, quia ſi ſic Prælatus, aut ad ipſum ſpectet ex officio corrigere tenetur etiam cum periculo mortis, aut alterius grauis dãni corripere peccata ſubditorũ, quando eſt ſpes emendationis, niſi, quod per accidens obſtet, priuatus verò regulariter, vt dictum eſt non tenetur cum periculo mortis, & grauis damni correctionem facere, tenetur tamen in caſo extremæ neceſſitatis. Ratio eſt quia bona ſpiritualia proximi præponenda ſunt bonis temporalibus proprijs. An verò teneamur corrigere proximum peccantem ex ignorantia vincibili, vel inuincibili; ſi peccat ex ignorantia vincibili tenemur ipſum corrigere, dum adeſt ſpes emendationis. Ratio eſt, quia ipſius ſalus eſt periculo, & adeſt ſpes emendationis; ergo, &c. Si verò proximus peccat ex ignorantia inuincibili adhuc diſtinguẽdum eſt, vel tenemur ex officio corrigere, vel non; ſi tenemur ex officio debemus corrigere proximum, modo adſit ſpes emendationis, quamuis peccet ex ignorantia inuincibili: Si verò non tenemus ex officio, non tenemur corrigere proximum peccantem ex ignorantia inuincibili, quia proximus faciens aliquid ex ignorantia iuris, vel facti non peccat, conſequenter ſalus ipſius non exponitur periculo, & ideo præceptum correctionis in tali caſu non obligat.

De peccatis contrarijs charitati in Deum, & in proximum, & primum de odio.

BRACTEA XXXXI.

Sciendvm odiom directè opponi amori, & charitati: quare ſicut duplex eſt amor, vnus beneuolentiæ, ſiue amicitiæ, alter concupiſcentiæ, ita duplex quoque eſt odium, vnum dicitur odium perſonæ, quo perſonæ alicui, quæ nobis diſplicet malum volumus, quatenus abſolutè ipſi malum eſt: alterum dicitur odium qualitatis, ſeu odiũ abominationis, quo perſonam auerſamur non ſecundum ſe ipſam, ſed ſecundum malum ipſi adiacens, quatenus id, vel nobis, vel alteri, vel communitati repugnat. Secundò odium eſſe alienationem, & auerſionem voluntatis ab eo, quod æſtimatur vt noxium, & malum, quibus poſitis.

R. fieri poſſe, vt homo in hac vita Deum odio habeat. ita S. Thomas *quæſt.* 34. *art.* 1. & Valentia *diſp.* 39. II. *pun.* 1. & colligitur ex ſcriptura *n.* 10. *Et fugiant, qui te oderunt* Pſalmo 138. *Non me oderunt te, Domine oderam.* Non obſtat, quod ſit bonum quoddam in ſe, nam etiam id quod bonum eſt, poteſt peruersè odio haberi.

Sciendum 2. Deum eſſe obiectum odij materiale per ſe, non autem formale; quod ſit obiectum materiale patet, quia Deus per actum odij in ſeipſo refugitur à voluntate: quod non ſit obiectum formale odij patet, quia nulla res ea ratione poteſt eſſe obiectum odii, nam eſſe obiectum formale eſt refugi à voluntate, vt habet rationem aliquam boni: hoc autem eſſe non poteſt, quia ſolum ſub ratione aliqua mali veri, vel apparentis poteſt à voluntate refugi per actum, qui eſt nolle. Secundò malum ratione cuius Deus eſt obiectum materiale odii, non eſt in ipſo Deo, nec poteſt concipi eſſe in ipſo Deo, ſed tantum eſſe in aliquo effectu habente ordinem ad Deũ. Ratio eſt. quia malum huiuſmodi eſt malum pœnæ, quod infligit peccatoribus, vel malum quod priuat quiete, aut voluptate, ſed hæc mala non ſunt in ipſo Deo, ſed in ipſius effectibus, nempè in hominibus, quos punit; ergo malum huiuſmodi non eſt in Deo.

R. 5. Certum eſſe poſſe proximum in ſe odio haberi; & colligitur ex verbis ſcripturæ Leuitici 19. *Non oderis fratrem tuum*, & primæ Ioannem 2 *& fratrem ſuum odit*; tamen proximum non eſſe obiectum odij formale, ſed materiale per ſe, quatenus non tantum, vt peccator eſt, ſed etiam vt alii ratione

mali

mali, ad quod habeat ordinem refugitur à voluntate. Secundò malum ratione cuius proximus eſt obiectum odii poteſt eſſe, & ſæpè eſt in eodem proximo; Ratio, quia ſæpè odit aliquis proximum, vel quia actionem aliquam egit contrà ipſum, vel quia laborat vitio aliquo corporeo, vel animæ, quæ ſunt in ipſo met proximo.

R. 3. odiũ inimicitiæ tũ contra Deum, tum contra proximum per ſe, & intrinſecè eſſe malum, & ex genere ſuo peccatum mortale, & colligitur ex verbis ſcripturæ Pſalm. 3. *Superbia eorum qui te oderũt, aſcendit ſemper*, & ex lib. Numeri cap. *Diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui te oderunt*. Ratio eſt, quia odium inimicitiæ directè opponitur, maximè virtutum charitati, quia ſicut per charitatem volumus Deo, ac proximo bona, & de eiſdem gaudemus, &c. ita è contrario per odium inimicitæ triſtamur de bonis Dei, ac proximi; volumus autem, vel deſideramus eis mala, inſuper cum proximo malum accidiſſe cognoſcimus. Secundò odium inimicitiæ aduerſus Deum eſſe omnium peccatorum grauiſſimum peccatum. Ratio eſt, quia charitas eſt virtus omnium excellentiſſima, & actus charitatis eſt omnium aliorum actuum præſtantiſſimus; ergo actus odij eſt omnium grauiſſimus, nam grauitas peccati deſumitur ex priuatione perfectionis, qua priuat; cum autem actus odij priuet perfectione actus charitatis, qui eſt omnium præſtantiſſimus, ſequitur odium Dei eſſe peccatum omnium grauiſſimum. Ita S. Thomas 2.2. *quæſt.34.art.2.* S. Antoninus *par. 2.tit.8. cap.3.* §.4. Toletus *lib.4.cap.9.num.1.* & alii communiter. An in peccato odii contra Deum poſſit eſſe paruitas materiæ. Reſpondeo negatiuè: ratio eſt, quia quodlibet odium in quolibet indiuiſibili actu habet totam malitiam peccati odii, & per conſequens in eo non datur paruitas materiæ.

R. 4. odium proximi eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia directè odium aduerſatur charitati, eamque tollere poteſt, peccatum autem quod charitatem per ſe deſtruit, eſt mortale ex ſuo genere, licet in iſto odio poſſit dari paruitas rei, vt ſi quis leue malum alicui optet, aut modicam quandam auerſionem habet in proximum. Et ita Tolet. *lib. de ſeptẽ peccatis c.70.* Emanuel Sà *verb. Indignatio*, & alii, & ideò peccare mortaliter cõtra charitatem, qui alicui malum deſiderat ex diſplicentia perſonæ. Secundò qui gaudet de malo proximi ob malum ipſius: ſecus ſi gaudeat de malo, vel triſtetur de bono ex bono motiuo. Tertiò grauiter peccare contra charitatem, qui abſolutè vult alteri carentiam Beatitudinis, vel pęnas inferni, &c. Ratio eſt, quia ex charitate tenemur proximum diligere, præcipuè in ordine ad Beatitudinem. Quartò eos peccare, qui alicui deſiderant mortem; ſecus verò qui eam deſiderant ne præuertatur, quia tunc motiuum huius deſiderij cenſetur honeſtum. Quintò peccare etiam peccato odij, qui malum rebus alienis ex diſplicentia perſonæ, ad quam pertinent deſiderat; ſecus verò dicendum ſi malum deſiderat non ex diſplicentia perſonæ, ſed ex prauo affecto in ipſas res alienas.

R. 5. Maledictionem non eſſe actum odij elicitum, ſed imperatum. Ita Auguſt. *lib.1. de ſer. Domini in monte* S. Tho. 2.2. *quæſt.76.art.1.* Maledicere eſt malum alicui dicere, quod elicitiuè ad intellectum pertinet; non ad voluntatem. Veruntamen cum maledictio fiat per modum imprecandi: aliud non eſt quam expræſſio voluntatis auerſæ ab altero; ideoq; ab odio imperatur.

Sciendum aliquando licitum eſſe; hominibus malis, maledicere ex odio abominationis; non quidem malum optando, quatenus malum eſt, ſed quatenus boni rationem habet: quia per illud maiora mala impediuntur. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.76.art.1.* Verum proximo abſquè iuxta cauſa maledicere charitati repugnat, & ad peccatum odij pertinet; interdum verò iuſtitiæ aduerſatur, & ad contumeliam ſpectat, vt ſi quis in faciem ex animo alicui maledicat. Interdum peccatur contra charitatem, ſiuè contumeliã; vt ſi quis alicui abſenti maledicat, interdum vice verſa committitur peccatum contumeliæ contra iuſtitiam, vel pietatem; vt ſi quis in faciẽ alicui maledicat, ſed non animo, quod id euenire optet; quia tunc non peccat peccato odij, ſed ſolum contumeliæ. Deniquè aliquando accidit, vt verba maledictionis erga hominem, neque charitati, neq; iuſtitiæ notabiliter repugnent, ſed ſolum virtuti manſuetudinis, patientiæ, &c. ideoquè culpam venialem non excedant, vt ſi parens filio, hęrus ancillæ malum imprecetur, non ex animo, vt ita eueniat, atquè etiam, ſine notabilis honoris diminutione, vt docet Nauar. *cap.13.n.17.* & alij.

De peccato Inuidiæ?

BRACTEA XXXXII.

SCIENDVM inuidiam dictam eſſe à nimis videndo, ſeu intuendo in proſperitatem alterius. Definitur ex Ariſtot. 2. *Rhetoricorum cap.9. &* 10. & S. Thoma *quæſt.36.art.1.* Triſtitia de bono alieno, quatenus id malum inuidentis æſtimatur tanquam propriam ipſius excellentiam diminuens. Quo poſito.

R. Eſſe peccatum mortale ex ſuo genere contrarium charitati. Ratio eſt, quia charitas gaudet de bono proximi, Inuidia verò triſtatur de bono proximi. Ita Nauarrus *cap.23. num.*118. Reginald. *lib.* 17. *num.*129. Becanus 2.2. *cap.27.num.7.* & alij; ex accidenti verò peccatum erit tantum veniale, tum quando plenus conſenſus voluntatis defuerit, vt in ſubitis, & ferè naturalibus motibus, quibus homo triſtatur de bono proximi ſibi æqualis; tum quando bonum proximi, de quo quis triſtatur eſt leue, vt accidit quando quis triſtatur de bono leui alicuius, ſemper tamen eſt peccatum inuidia. Vnde qui dolet de gradu ab altero adepto, aut de illius doctrina, vel de alio bono, quatenus putat inde ſuam doctrinam, vel dignitatem, vel aliud bonum diminui peccat peccato inuidiæ.

De peccato Accidiæ?

BRACTEA XXXXIII.

R. ACCIDIAM eſſe triſtitiã voluntatis de bono aliquo Diuino exiſtimato, vt malo ꝓprio ob difficultatem illud obtinendi, quę triſtitia affert proinde negligentiã actionũ ſpiritualium, vt ſi quem tædeat pænitentiam agere ex quadam pęnitentiæ nauſea, aut ſi nollet concionem haberi, aut ieiunium eſſe. Ita S. Thomas 2.2. *quæſt.36. art.1.* Reginaldus *lib.17.num.107.* Valentia 2. 2. *diſp.3. q.12. pun.1.* Toletus *lib. de ſeptem peccatis cap. 68.* Caiet. 2.2. *quæſt 35.art.2.* & alij.

R. 2. Accidiam eſſe peccatum mortale in ſuo genere. Ratio eſt, quia triſtari de bono malum eſt, quia eſt cauſa mali nempè negligentiæ in actionibus piis. & ſpiritualibus. Vnde ſequitur, Accidiam oppoſitam eſſe charitati, quia charitatis proprium eſt gaudere in exercitio dilectionis, Accidiæ verò propri-

prium eſt in eiuſmodi exercitio triſtitiã capere; poterit tamen aliquando eſſe peccatum veniale: primò ratione imperfectionis actus, quia videlicet non ſit plenè deliberatus: ſecundò ratione actionis, quæ omittatur ex ea, ſi enim non præcipiatur ſub mortali, ſed tantum ſub veniali erit etiam Accidia tantum peccatum veniale.

De Diſcordia, & Contentione?

BRACTEA XXXXIV.

SCIENDVM Diſcordiam definiri ex S.Thoma *quæſt.37. art.*1. Diſſentionem voluntatum circà bonum, quod ex charitate velle debemus. Dicitur primò *Diſſentio*, quia ſicuti concordia, & pax in voluntatum conſenſu conſiſtit *Circà bonum*. Nam diſcordia circà malum non vitioſa, ſed laudabilis eſt, quo ſenſu dixit Chriſtus Matthæi 10. *Non veni pacem mittere, ſed gladium; veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem ſuum, &c.* Quo poſito.

R.1.diſcordiam eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, quoties quis diſcordat à voluntate illius, cum quo tenetur ex vinculo charitatis concordare. Ratio eſt, quia huiuſmodi peccatum opponitur charitati; ideòque ſuppoſita materia graui erit peccatum mortale, ob paruitatem verò materiæ, ſeu ob indeliberationem erit peccatum veniale, vt ſi quis ab alio diſſentiat in his, quæ proximo graue detrimentum non afferunt.

R.2. contentionem definiri à S.Thoma *quæſt.* 38. *art.*1. impugnationem veritatis cum confidentia clamoris.

Sciendum quod veritas dupliciter impugnari poteſt ſecundum Caietanum verbo *Diſcordia art.*1. vel intentione formali, vt ſi quis agnitam veritatem impugnet, vel intentione virtuali, vt ſi quis doctrinã oppugnat non curans, ſiue ea vera ſit, ſiue falſa, eademque ratio eſt de eo, qui veritatem oppugnat per culpabilem ignorantiam exiſtimans eſſe falſitatem.

Sciendum 2. contentionem non eſſe malam, ſi diſputationis gratia vſurpetur, & modus ſeruetur; hæc enim vſitata eſt in ſcholis. Secundò non eſſe malam, ſi fiat ſuo tempore, loco, & modo, animoque defendendi veritatem contra falſum alterius dictum, quibus poſitis.

R.3. contentionem, ſeu veritatis oppugnationẽ, ſiue directè, ſiue indirectè volũtaria ſit in graui materia ex genere ſuo eſſe peccatũ mortale. Ratio eſt, qa opponitur paci, ac charitati, per quam debemus proximo conſentire in bonis ipſi neceſſarijs.

De Sciſmate.

BRACTEA XXXXV.

R. SCISMA eſſe voluntariam, & pertinacem ſubtractionem, & ſeparationem ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ, vel Summi Põtificis, qui Principem in Eccleſia locum habet; & ita communiter Doctores.

Sciendum Eccleſiam eſſe vnum quoddam myſticum corpus conſtans ex diuerſis fidelibus tanquam membris inter ſe cum capite connexis, & illum eſſe Sciſmaticum, qui ſe ſeparat à tali corpore, quia nolit ſe gerere, vt membrum huius corporis in aliqua actione pertinente ad Eccleſiæ corpus, & conſequẽter neque velle ſe ſubijcere viſibili corporis capiti, quod eſt Summus Pontifex Chriſti Vicarius. Qui verò ſe ſubtrahit ab obedientia ſui Prælati, ſeu ab obedientia Epiſcopi, vel particularis Eccleſia ſuæ Diœceſis non eſſe propriè Sciſmaticum, quia Sciſma eſt rebellis diuiſio, & ſeparatio ab Eccleſia vniuerſali, vel ab ipſius capite. Ita Hugolinus de *Cenſur. Papa reſeruatis* 2. *part. cap.* 1. *n.* 3. Azor.1. *part lib.* 8. *cap.* 20. *quæſito* 4. & alij.

R. 2. Sciſma eſſe grauiſſimum peccatum mortale ex ſuo genere. Ratio eſt, quia opponitur charitati, tum etiam quia per Sciſma violatur vnitas corpus Eccleſiæ. Ita Valentia 2.2. *diſp.* 3. *quæſt.* 15. *pun.* 1. Reginald. *lib.* 17. *n.* 113. & alij communiter, quod peccatum non poteſt fieri veniale, quia in eo non poteſt dari paruitas materię, cum habeat totam ſuam malitiam ſimul.

Sciendum 2. peccatum ſciſmatis tribus modis præcipuè committi poſſe: primò per ſolam voluntatem: ſecundò per voluntatem opere externo conſumatario. Tertiò ipſo opere, vt qui realiter ſe ſeparant ab Eccleſia Dei, quod duobus modis fieri poteſt: primò non ſolum quoad obedientiam, ſed etiam quoad fidem. Secundò ob obedientiam, & non quoad fidem.

Sciendum 3. varias eſſe pœnas Sciſmaticorum: prima eſt priuatio Eccleſiaſticæ poteſtatis, cap. *Didicimus*; quod intelligendum eſt de poteſtate iuriſdictionis, non autem de poteſtate ordinis, quia Sciſmaticus non priuatur poteſtate ordinis: ſecunda eſt pœna excommunicationis, quam Sciſmaticus ipſo facto incurrit, vt patet ex Bulla Cœnæ excommunicatione prima: tertia pœna eſt inhabilitas ad beneficia in futurum conſequenda, cap. *Quia diligentia de elect.* verum Sciſmaticus non priuatur beneficijs acceptis ob ſolũ Sciſma, niſi habeat adnexum hæreſis crimen. Ratio eſt, quia non eſt imponenda pœna, niſi in iure habeatur, nec etiam incurrere irregularitatem, modo crimen non ſit notorium. Ratio eſt, quia non eſt ponenda irregularitas, niſi in iure expreſſa habeatur, in iure autem nulla habetur irregularitas contra Sciſmaticos. Ita Suarez *tom.* 5. *de* cenſuris *diſp.* 43. *ſect.* 2. *num.* 7. Sayrus de cenſuris *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. & alij.

De ſuperſtitione.

BRACTEA XXXXVI.

R. SVPERSTITIONEM eſſe falſam religionem, ſeu cultum vitioſum, quo indebitus cultus Deo exhibetur colendo Deum modo indebito, vel creaturam culto Diuino, & ideò duplex eſt ſuperſtitio, vna indebiti cultus Diuini, ratione modi indebiti colẽdi Deum, quatenus Deus colitur modo indebito, & altera ratione rei cultæ, quatenus creatura colitur cultu Dei. Primi generis ſuperſtitio eſt, cum quis Deum honorat, & colit falſis, vanis, & friuolis cæremonijs, deinde cum quis Deo cultum tribuit inanem, & vanum, commentitia, & friuolis cęremoniijs eum venerando, friuolis autem cęremonia eſt, quæ nec Dei, nec Eccleſiæ, nec Sanctorum, nec piorum, & doctorum hominum auctoritate, nec certa, aut veriſimili ratione inſtituta eſt; nam temerè illud fit, quod abſque ratione fit. Poſterioris generis ſunt hæ ſuperſtitiones, quibus Diuinus cultus rei creatæ offertus, qualis eſt Idolatria, & eæ ſuperſtitiones quibus aliquid obtinendum, cognoſcendum, prædicendum curat quiſpiam, quod ſolus Deus dare, ſcire, & renunciare poteſt, qualis eſt Diuinatio, vana obſeruatio, &c.

Sciendum quod ſuperſtitio poſterioris generi di-

uiditur

uiditur etiam in duos modos, nam vnus modus falſitatis eſt cum ordine ad rem ſignificatam, à qua diſcordat ſignificatio cultus, vt ſi quis hodie Deum colere præſumat ceremonia Agni Paſchalis, per quā ex Diuina inſtitutione futura Chriſti paſſio ſignificatur. Alter modus falſitatis eſt ex parte ipſius colentis, ſi quis colat Deum tanquam publicus, ſine ab Eccleſia conſtitutus miniſter, cum commiſſionem nullam habeat, vt ſi quis ſacrificium offerat, cum Sacerdos non ſit, vel ſi Sacerdos excommunicatus, & ab Eccleſia præciſus nomine Eccleſiæ ſacrificet, vel alia Sacramenta miniſtret, quæ ipſi commiſſa non ſunt, ſed prohibita.

De prima ſpecie ſuperſtitionis, quæ eſt Idolatria.

BRACTEA XXXXVII.

SCIENDVM Idolatriam dici ab idolo, quod eſt effigies alicuius falſi numinis, & ſimulacrum, quod numen inane, & vanum repræſentat. Vnde imagines Dei, Angelorum, & Sanctorum Cœli Ciuium, Eccleſiaſtici ſcriptores Idola nequaquam appellant, ſed imagines, ita vt imago ſit germana veræ, & certæ rei alicuius effigies, & ſimilitudo, imago rei inanis, & vanæ, vel rei falſæ ſimilitudinem deferens dicitur Idolum.

Sciendum 2. tres actus præcipuè concurrere in Idolatria perſimiles his, qui reperiūtur in vero cultu Dei. Primus eſt exiſtimatio Diuinitatis, & perfectionis Deo propriæ. Secundus affectus reuerentiæ, quo tanquam ſupremo numini Idolatra ſe ſubmittit Idolis. Tertius eſt externum ſignum, quo ſignificetur interior opinio, & ſubmiſſio; vt ergo aliquis ſit Idolatra, primò debet habere opinionem aliquā Diuinitatis de Idolo, ſeu re, quæ adoratur. Secundò affectum adorationis. Tertiò adorationem ipſam, hoc eſt exhibitionem ſigni ſubmiſſionis, & recognitionis internæ de Diuina excellentia.

Sciendum 3. Idolatriam dupliciter accipi: primò impropriè pro quolibet peccato, cui homo adhæret, quo pacto D. Paulus ad Epheſios 5. vocat Auaritiam, Idolatriam: ſecundò propriè pro cultu, quo quis creaturæ tribuit honorem Dei, quibus poſitis.

R. Idolatriam eſſe grauiſſimum peccatum ex ſuo genere, & ita communiter omnes Doctores. Ratio eſt, quia quantum in ſe eſt, tollit honorem Deo, illumque transfert ad creaturam, ac ſi eſſet Deus.

Sciendum 4. non excuſari à peccato mortali Idolatram, qui metu mortis idolatratur. Ratio eſt, quoniam per ſe, & intrinſecè malum eſt Diuinum cultum rei creatæ, & vanæ deferre, nec etiam ignorantiam ab hoc peccato excuſare, quia recta ratio euidenter dictat non eſſe colendam creaturam loco Dei.

Sciendum 5. mortaliter etiam peccare, qui ficto animo colit Idolum, vt mortis periculum euadat. Ratio eſt, quod & ſi Idolatriæ crimen mente, & animo non perpetret, ore tamen ipſo, vel facto perpetrare cenſetur. Ita Azorius 1. *par. lib. 9. cap.* 11. *quæſito* 2. & alij.

De ſecunda ſpecies ſuperſtitionis, quæ eſt Diuinatio?

BRACTEA XXXXVIII.

SCIENDVM Diuinationem triplicem eſſe, vna Diuina, qua ſupernaturali Dei beneficio futura, & occulta cognoſcuntur: altera humana, qua futura, & occulta prædicuntur ex proprietatibus rerum, & altera Diabolica, quæ nihil aliud eſt, quam ſignificatio occultorum, quæ fit ope Dæmonum. Dicitur autem ſignificatio, vt oſtēdātur, Diabolicā illā ſignificationē cōſiſtere in verbis, vel ſignis exterioribus, non autē in ſola mēte, ſicut ſcientia, quæ acquiritur per vanam obſeruationem. Illud verò *Occultorum* indicat Diabolicę Diuinationis obiectum eſſe, ea quæ homo per ſe naturaque ſua ſcire non poteſt; reliquum autem definitionis ſeparat Diabolicam Diuinationem à prophetia, quæ eſt à Deo, & à Diuinatione humana, quæ viribus humani ingenii obtinetur; de qua vltima ſpecie Diuinationis hoc loco tractamus, quam ſpeciem ſuperſtitionis conſtituimus, quia cedit in injuriam Deo curare vanis mediis aliunde id, quod ad ſolum Deum pertinet, & ab eo ſolo quærendum eſſet, Tum quia talis Diuinatio, vt dictum eſt nititur ope Dæmonis, à quo quis edoceri vult illum inuocando expreſſè, vel tacitè.

Sciendum quod quamuis Dæmones certo nō cognoſcant futura contingentia, quæ non habent cauſam determinatam, ſed à noſtro pendent arbitrio longè tamen plura de rebus futuris aliiſque occultis cognoſcere poſſunt, quam homines. Primò enim cognoſcunt noſtras affectiones, & inclinationes: Secundò cauſas naturales, & virtutes earum: Tertiò longam habent rerum experientiam: Quartò ſcripturas melius intelligunt, quam homines: Quintò ſciunt, quod ipſi, & alij Dæmones ſint facturi ſi Deus permiſerit, ac poſita in ipſis hac cognitione fit, vt Diuinatores arte Dæmonis aliqua poſſint prænunciare, & diuinare.

Sciendum 3. Diuinatores à Dęmone doceri primò, aut quia Dæmones ſumpta viſibili forma illos alloquūtur, aut quia format in aere vocē, aut quia tradit ſcripturā in qua continetur res prænuncianda, aut quia in ſomnis, aut etiam in vigilia diſponit ipſorum Phantaſmata ad diuinādum iuxtà Phantaſmatum diſpoſitione. Ita Sanchez. in opere morali *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 8. Pereijrus *cap.* 5. *num.* 35. Quibus poſitis.

R. Diuinationem tertio modo conſideratam eſſe prædictionem inordinatam eorum, quæ ad ſolum Deum ſpectant, idque in debitis modis minimè à Diuina Prouidentia conſtitutis. Ita S. Thomas. 2. 2. *quæſt.* 95. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. Valen. *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 12. & alij communiter. Primò dicitur *Prædictio*, & in hoc conuenit cum Diuinatione in communi. Secundò dicitur *Inordinata*, quia ſi hæc à Deo haberetur non contineret vitium. Tertiò dicitur *Eorum quæ ad ſolum Deum*, qualia ſunt miſteria Gratiæ, & Diuinæ Prædeſtinationis: Item cognitio contingentium, & liberorum, ſiuè futurorum, ſiuè præſentium occultorum tamen, vt ſunt cogitationes cordis, & facta hominum occulta. Quartò ex *indebitis modis*, quia modi, quibus id aſſequuntur Diuinatores ſunt indebiti, & minimè à Deo conſtituti.

Sciendum 4. Diuinationem Diabolicam duplicem eſſe: vna quæ fit cum expręſſa Dęmonis Inuocatio-

catione ; altera quæ fit per tacitam Dęmonis inuocationem : prior fit cum expreſſo pacto, vel ſaltem explicito propoſito, ac voluntate aliquid à Dęmone diſcendi: ſecunda fit per pactum, ac ſocietatem cum Dæmone implicitam, vt cum quis notitiam alicuius rei ex ſigno aliquo conſequi ſeriò confidit, quam illud naturaliter nullo modo indicare poteſt, vt quando quis mediis vanis, quibus ſe immiſcet Dæmon procurat cognitionem rerum latentium, quæ vim humanam ſuperant. Ita Azorius 1 *part.lib.9.cap.* 13. Reginaldus *lib.*17 *num.*165. Sanchez.in ſum. *lib.*2. *cap.*38.*num.*13. Valen.2.2.*diſp.6 .quæſt.*22. *pun.*2. Clauis regia *lib.*4.*cap.*5. Leſſius *lib.*2.*cap.*43.*dubit.*5.

Sciendum 4. Diuinationem cum tacita Dæmonis inuocatione contingere, etiamſi ille, qui vanis ſignis vtitur non intendat Dæmonem inuocare, ſed ſatis eſt, quod vtatur his ſignis ad inquirendam veritatem occultam ſignificatam per illa, & illam credat. Ratio eſt, quia volens res aliquas diuiſim per media vana, quibus ſe ſe Dæmon libenter ſolet immiſcere tacitè intendit Dæmonem inuocare, quamuis proteſtetur ſe nullam cum Dæmone ſocietatem intendere, neque cognitionem aliquam ipſius ope, ſeu miniſterio conſequi velle; nam proteſtatio contraria facto non excuſat, quia illa re ipſa contrà proteſtationem ſuam faciunt quando adhibent ſigna tanquam idonea ad cognoſcendam veritatem, quæ nullam ad hunc finem proportionem, ſeu vtilitatem habere poſſunt, niſi ex inſtitutione, & ope Dæmonis, quam proinde ipſo facto petere cenſetur. Dęmonis inuocationem etiam contingere in adhibendis mediis inutilibus ad diuinandum, etiãſi Dęmon nullum anteà pactum cum aliquo inierit concurrendi cum eo, qui huiuſmodi ſignis vſus fuerit, cum enim hæc ſigna inutilia ſiat ad diuinandum his, qui ſeriò huiuſmodi ſignis vtitur Dæmonem tacitè inuocare videtur, quem conſtat ſe libenter immiſcere huiuſmodi vanis, & inutilibus ſignis.

Sciendum 5. Diuinationem cum pacto expreſſo, ſæpè alia grauiſſima peccata adiuncta habere, v. g. abiurationem Baptiſmi, & Apoſtaſiam à Chriſto, Idolatriam ergà Dæmonem per genuflexionem, ſacrificium, &c.

Sciendum 6. Diuinationem cum expreſſa Dæmonis inuocatione pluribus modis contingere. Primò per apparitionẽ fictam in figuris, vel aſſumptis corporibus. Secundò per ſigna apparentia in corporibus terreſtribus, vt in ligno, ferro, lapide, &c. Tertiò per Negromantiam, quæ fit excitando aliquem mortuum. Quartò per animalia. Quintò per aera. Sextò per ignem. Septimò per aquam. Octauò per ſomnia, quatenus homo per ſomnia à Dæmone immiſſa diuinare intendit.

R, 2. Diuinationem per pactum expreſſum, aut tacitum cum Dæmone eſſe peccatum mortale ex genere ſuo. Ratio eſt, quia nimìs grauem, & manifeſtam deformitatem habet; tum etiam, quia per Diuinationem initur ſocietas cum Dæmone, quia per Diuinationem homo ſubiicit ſe diſciplinæ Diaboli, vt ab ipſo occulta doceatur, ipſumque tacitè honorat fidem ipſius documentis præbendo, &c. & ita communiter omnes Doctores.

Sciendum 7. Diuinationem per pactum implicitum cum Dæmone aliquando excuſari à peccato mortali, vel propter ignorantiam non craſſam, vel propter imperfectionem ſuperſtitionis ſi non certa fides, ſed ſolum timor quidam, aut ſuſpicio concipiatur euentus euenturi; ſicuti prænotio ſigni vani indicat. Ita Caietanus in ſum.verbo *ſuperſtitio cap.* 9. Nauarrus *cap.*11.*num.*38. Leſſius *lib.*2.*cap.*43.*dub.*8. *num.*43. Suarez. *cap.*10.*num.*6. & alij.

Sciendum 8. Diuinationes factas cum pacto expreſſo, vel tacito Dæmonis eſſe eiuſdem ſpeciei, quia taciti, & expreſſi pacti eadem eſt ratio, differunt tamen inter ſe, ſicut completum, & incompletum, perfectum, & imperfectum intrà eandem ſpeciem, licet in Confeſſione exprimenda ſit circumſtantia pacti expreſſi, vel taciti. Et ita Sanchez.*tom.* 1.*lib.*2.*cap.*9. Reginaldus *lib.*17.*num.*170. Sanchez.*lib.*2. *cap.*38. *num.*14. & alij. Ratio eſt, quia Diuinatio cum expreſſa, Dæmonis inuocatione includit plures malitias, quam Diuinatio cum tacita Dæmonis inuocatione; includit enim aliquando hæreſim, aut adorationem Dæmonis, aut alia peccata, quæ omnia manifeſtanda ſunt in Confeſſione. Similiter eſſe eiuſdem ſpeciei, Diuinationes, quæ fiunt per aerẽ, per aquam, ignem, &c. Ratio eſt, quia quouis modo fiant eandem ſpecificè habent cum regula rationis oppoſitionem, & priuant actum eadem perfectione. Ita Suarez. *tom.*1.*de Relig.lib.*2. *de ſuperſt.cap.* 9.*&* 10. Azor. 1. *part. lib.*9. *cap.*12. *quæſite* 3. Sanchez. *lib.*2.*c.*38.*n.*14. & alij. Vnde talis circumſtãtia, quod Diuinatio fiat per aerem, ignem, &c. non eſt aperiẽda in Confeſſione, quia diuerſitas rei non mutat iudicium Confeſſarij, nec diuerſam ſpeciem peccati conſtituit.

An omnis prædictio ex Aſtris ſit illicita?

BRACTEA XXXXIX.

SCIENDVM Aſtrologiam duplicem eſſe vna eſt naturalis, quæ etiam dicitur Aſtronomia, cuius munus eſt cognoſcere naturam, & proprietates ſtellarum ex affectibus; & præterea ex ipſarum proprietatibus, & motibus prænoſcere affectus in ipſis Cœlis euenturos: altera Aſtrologia iudiciaria eſt, & diuinatoris, & hęc quidem ſi affectus qui per eam prędicuntur naturales ſunt, aut neceſſarij non eſt prohibita: ſi contingentes, tunc aut prædicuntur in vniuerſali tantum, vel in particulari: ſi in vniuerſali ſæpè erunt neceſſarij, vt Petrum eſſe moriturum; ſi in particulari, tunc vt plurimum dicentur contingentes, & incerti; v. g. matrimonium eſſe in euodum cum perſona talis conditionis, aut tali tempore euẽturam infirmitatem, Bella, &c. & ideò certum eſt huiuſmodi Aſtrologiam omninò ſuperſtitioſam eſſe, quoties certiùs, & cũ maiori firmitate prædicit tales effectus, quã ex Aſtris cognoſci poſſint; cum .n. tales affectus pendeant à libero hominis arbitrio non poſſunt ex aſpectu Cœlorum cognoſci alioquin liberum hominis arbitrium tolleretur; & ideò.

R. Aſtrologiam priori modo conſideratam quatenus naturalis eſt, licitam eſſe, & non prohibitam, ſecundo modo conſideratam in caſibus contingentibus, qui dependent à libero arbitrio modo ſuprafcripto illicitam eſſe, & prohibitam.

Sciendum 2. Dubium eſſe, an ſit peccatum inclinationem ex Aſtris, tanquam certam nuntiare in rebus contingentibus? Ad quod reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia tolleretur libertas hominis, ipſiuſque opera tribuerentur neceſſitati fati, quod hæreticum eſt, ſicuti non poſſet eſſe etiam certa côiectatio temperamenti, ac propenſionis naturalis habita ex aſpectu Aſtrorum obſeruato puncto natiuitatis cuiuſcunque hominis; ſicuti notauit Caietanus *q.*95.*art.*5. Suarez. *cap.*11. *num.*9. Ratio eſt, quia temperamentum prolis non tantum ex Cœli influxu, ſed multò minus ex materia conceptionis, ac nutri-

tionis

tionis dependet: tum quia vt S. Auguſtinus notauit *lib. 2. de doctrina Chriſt. cap. 22.* punctum illud ſiue momentum natiuitatis, quod Mathematici exactiſſimè obſeruandum eſſe aiunt deprehendi certò non poteſt ob rapidiſſimum Cęli motũ, aliaque impedimenta; accedit quod vis Aſtrorum non dubiè etiam in fętum vtero materno incluſum influat, ideoque etiam punctum conceptionis, itemq; animationis obſeruandum eſſe videatur, quorum tamen obſeruatio Mathematicis multò magis impoſſibilia eſt.

Sciendum 3. peccatum eſſe grauiſſimum prædicere futura contingentia libera ex Aſtris. Ratio eſt, quia prædictio futurorum contingentium fundatur in Aſtris tanquam in cauſis, & ſic eſſet hæreticum, vel tanquam in puris figuris, & ſic continet ſuperſtitionem, ſicut auguria, & aliæ diuinationes.

Sciendum 4. pręter Aſtrologiam alteram ſpeciem Diuinationis eſſe Phiſonomiam, cuius partes ſunt Metopoſcopia, & Chiromantia, ſecũdũ quas ex corporis, puta vultus, manuum, &c. lineamentis liberè contingentes euentus proſpera, vel aduerſa fortuna prædicuntur. Tertia ſpecies Diuinationis eſt per ſomnia: eſt autem ſomniorum triplex genus, quædã proficiſcuntur ab internis humoribus motum aliquem in phantaſia cauſantibus, ex quo ſomnia illis humoribus conformia conſurgunt: aliquando ſomnia proficiſcuntur à corpore circunſtante, à quo imaginatio excitatur: aliquando ab aere, aut à Cęlo taliter imprimente, aliquando à cogitatione præcedente, aliquando ab Angelo bono, vel à malo. Regula autem ad cognoſcendum an ſomnia ſint à Deo ab Angelo lucis, aut à Dæmone; prima eſt, quando ſomnium impellit ad malum, vel ad aliquod indiſcretum ſignum eſt, ſomnium eſſe à Dæmone: quando verò ad bonum inuitat, credo poteſt eſſe à Deo, quamuis illud bonum, ad quod ſomnium inuitat, ſit cum humilitate, & timore præſtandum, quia Dęmon aliquando transfigurat ſe in Angelum lucis. Secunda regula eſt, quando homo poſt ſomnium remanet turbato animo minus prõpto, & diſpoſito ad opus bonum ſignum eſt, ſomnium eſſe à Dæmone, quando verò lætiori, & aptiori exiſtit animo in Deum, & in bonum, credibile eſt eſſe à Deo; quando autem dubitatur, an ſit à Deo, vel à Dæmone præſumi poteſt eſſe à Dæmone, vt docet Martinus Delrius *lib. 4. cap. 3. quæſtio 6.* Ex quibus ſequitur non licere fidem præſtare ſomnijs à Dæmone immiſſis, licere verò fidem adhibere ſomnis, quæ à Deo proficiſcuntur. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 43. dub. 8. num. 54.* & alij.

Sciendum 5. tertiam ſpeciem Diuinationis eſſe per ſortes; eſt autem triplex genus ſortium, diuiſorium, conſulatorium, & diuinatorium: ſortes diuiſoriæ per ſe malæ non ſunt, ſed ſæpè bonæ, ac vtiles, ſiue ad honeſtum ludum, ſiue ad hęreditatis diuiſionem, aut litis alicuius compoſitionem, dummodo litigãtes, qui ius æquale habent, in ſortitionem conſentiant. Ad huc vt ſors diuiſoria licita ſit infraſcriptæ conditiones requiruntur: prima eſt, vt fiat in his caſibus, in quibus non prohibetur, ideò vt ſupra dictũ eſt fieri poteſt ad ſedandas lites, vt inter hæredes, legatarios, &c. quia hoc nullo iure prohibetur. Similiter quando Princeps vt rem gratam alicui faciat, non vult omnes reos mortis plectere, ſed aliquos tantum, curat mitti ſortes, non enim vlli facit iniuriam, cum omnes ſint rei mortis, & par ſit omnium conditio: item quando milites non conueniunt inter ſe, qui nam præcedere debeant in incurſione contra hoſtes, ſortes mittere poſſunt. Ita Leſſius *cap. 43. dub. 7. num. 35.* Secunda conditio eſt, vt non violetur iuſtitia, ſed illæſum ſeruetur ius partium, ideò non licet mittere ſortes inter dignum, & indignum, quia fieri poteſt, vt ſors cadat in fauorem indigni, & violetur ius digni; & ſic in ſimilibus. Ita Clauia regia *lib. 4. cap. 5. num. 20.* Reginaldus *lib. 17. num. 174.* & alij. Tertia vt non fiat cum irreuerentia rerum ſacrarum, ideò non licet adhibere librum Euangeliorum in mittendis ſortibus, quia fieret irriuerentia rei ſacræ. Quarta vt non expectemus ab Aſtris, aut ex ope Dæmonis ſortem fęliciter euenturam. Quinta conditio vt non fiat in electionibus Eccleſiaſticis, vel ad alia miniſteria Eccleſiaſtica. Cap. Eccleſia de ſortilegijs. Ita Azorius *lib 9. cap. 12.* Suarez *cap. 12.* & alij. Ratio eſt, quia electio ad dignitates Eccleſiaſticas fieri debet inſpiratione Spiritus Sancti, & concordia electorum, non verò per ſortes: ſortes conſulatoriæ ſunt, in quibus occultæ veritatis manifeſtatio, aut conſilii alicuius directio à Deo imploratur: quare licitę sũt, ſi vel Dei iuſſu, aut inſtinctu fiant, vt patet ex pluribus locis ſcripturæ: ſortes Diuinatoriæ ſunt, quibus latentis veritatis manifeſtatio, vel conſilii directio non à Deo, conſequenter à Dęmone expreſſè, aut tacitè imploratur, ideòque ſuperſtitioſę ſunt, atq; illicitæ, & prohibentur in cap. *Si quis Archiepiſcopus.*

De tertia ſpecie Superſtitionis, quæ eſt vana obſeruatio.

BRACTEA I.

SCIENDVM vanam obſeruationem contingere, quando ex conſideratione alicuius euentus caſualis conijcitur aliquid proſperi, vel aduerſi, & hoc modo obſeruatio videtur coincidere cum Diuinatione; differt tamen in hoc, quod obſeruatio refertur ad opus obſeruantis: Diuinatio verò potius ad ſpeculationem, & cognitionem. Quibus poſitis.

R. Vanam obſeruationem eſſe ſuperſtitionem, qua medijs inutilibus minimè à Diuina prouidentia cõſtitutis procurantur commoditates, ac variæ corporum immutationes, quæ ex ſola Diuina Prouidẽtia, & potentia expectanda eſſent: vt contingit, quãdo quis medijs inutilibus contendit acquirere bona temporalia, vt ſanitatem, ſcientiam, &c. aut quãdo aliquibus verbis intendit alligare Dæmonem, illumque vi includere in annulo, vaſe, &c. Et ita Valentia *2. 2. diſp. 6 quæſt. 13. pun. 2.* Sanchez *lib. 2. cap. 42. num. 11.* & alij, aut quãdo quis mittit Chirographum animalibus noxijs, vel cum ipſis litem mouet, vt illa expellat. Ita Martinus Delrius *lib. 3. par. 2. quæſt. 4. ſect. 4.* & alij, aut quando quis profert aliqua verba, vt habentia vim ad aliquem effectum, vt ad mouendum annulum, vt quota diei hora cognoſcatur, etiãſi hoc fiat præmiſſa proteſtatione hoc non faciendi ex pacto cum Dæmone, cum enim conſtet hoc eſſe ſuperſtitioſum, proteſtatio cenſetur contraria facto: Ita Philiarcus *tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 11.*

Sciendum 2. quod vana obſeruatio quadrupliciter diſtingui poſſe videtur: prima vt ſit, quãdo commodum expectatur in rebus externis, videlicet in animalibus, ſegetibus, vineis, &c. Secunda verò quando expectatur bonum corporis vt ſanctitas, liberatio ab hoſtibus non poſſe vulnerari, vel interfici, defendi ab igne, vel ab aqua: tertia quando expectatur bonum animæ naturale, aut ars aliqua, vel

ſcientia,& hæc dicitur ars notoria, qua quis ex quibuſdam ieiunijs,& orationibus ſuperſtitioſis credit ſe conſecuturum ſcientiam abſque labore: quarta quando expectantur bona ſuper naturalia, vt certa remiſſio peccatorum omniū,certa ſalus, viſio Chriſti, vel Beatæ Virginis in articulo mortis per certas quaſdam orationes, aut per certas quaſdam Indulgentias,de quibus nulla habetur Diuina promiſſio, quæ omnes ſunt peccaminoſæ mortaliter, tum quia continent pactum expreſſum, vel implicitum cum Dæmone,tum ob alias rationes ſupra dictas.

Sciendum 3. tres eſſe ſpecies vanæ obſeruantiæ, ars notoria,obſeruatio ſanitatum,obſeruatio euentuum. Artem notoriam eſſe, vt ſupra dictum eſt, ſuperſtitionem qua quis credit conſecuturum ſcientiam abſque labore per quædam ieiunia, &c. & hæc ſuperſtitio eſt peccaminoſa mortaliter, quia continet tacitam cum Dæmone ſocietatem,cui tribuitur id,quod eſt proprium Dei,nimirum poſſe infundere ſcientiā abſq; labore. Ita Reginaldus *lib.17.n.*188. & alij. Obſeruationem ſanitatum eſſe ſuperſtitionem, qua adhibentur aliqua inania, & inutilia media ad ſanandos morbos hominū,vel animalium,vt quando ad curandos morbos adhibentur verba, ſigna, cæremoniæ,vel etiam res naturales quę non habent virtutem ad producēdum effectum ſanitatis,& ideò ſignum eſt habere pactum initum cum Dæmone; & ideò ſupeſtitioſum eſſe ferre imagines,aut caracteres inſcriptos ſacris verbis, aut ſigno crucis certa cum fiducia euadendi ab hoſte,aut expellendi morbos, aut non moriendi ſine præmiſſa confeſſione. Ratio eſt,quia adhibentur ad effectus, ad quos non habent vim. Similiter ſuperſtitioſum eſſe, dum in publicis ſupplicationibus imago alicuius Sācti proijcitur in flumē,vt pluuat, aut dum putat tot orationes prodeſſe; & non pauciores,aut candelā debere eſſe tantæ longitudinis,& non minoris, aut Miſſam non prodeſſe,niſi tot candelæ,vel talis coloris adhibeantur. Obſeruationem euentuum eſſe genus ſuperſtitionis, quo ex conſideratione alicuius euentus conijcitur,quid ſit futurum,vt ſi quis ex eo quod aliquid caſu euenit,aliquid ſibi proſperi, vel aduerſi promittat, indeque actiones ſuas moderetur obſeruans loca, verba audita, tempora, vel occurſus hominum, aut animalium, quod ſuperſtitioſum eſt, & peccatum mortale ex ſuo genere, niſi ignorantia, aut bona fides excuſet. Ita Leſſius *lib.2.cap.* 44. Nauarrus *cap.*11.*num* 24. Sanchez *cap.*40.*num.*13.

De quarta ſpecie ſuperſtitionis, quæ eſt maleficium?

BRACTEA XXXXXI.

R. MALEFICIVM eſſe artem nocendi alijs ope, & poteſtate Dæmonis. Ita Valentia 2.2.*diſp.* 6.*queſt.*13 *pun.*4. Clauis regia *lib.*4 *cap.*6.*num.* 23. Reginaldus *lib.*17 *num.*175.& alij.

Sciendum maleficiorum eſſe quinque genera: primum genus eſt, quæ fiunt ad inueſtiganda, quæ latent,& quæ procul abſunt,vt ſecreta hominum longè diſtantium: ſecundum eſt eorum, quæ fiunt ad morbos inferendos, & ad alia quæuis mala in bonis fortunæ inducenda: tertium eſt eorum,quæ fiunt ad ſanitatem procurandam: quartum eorum quæ fiunt ad alios effectus communi omnium indicio impoſſibiles: quintum eorum quæ fiunt ad magicas, & ſuperſtitioſas operationes.

Sciendum 2. duplex etiam eſſe maleficium: vnum dicitur amatorium, & eſt quo homines excitantur ad amorem, & maximè ad impudicum, & quamuis Dæmon ex ſe non poſſit mouere, & cogere voluntatem ad amandum, excitare tamen poteſt tribus modis: primò mouendo imaginationem, & repræſentando illi varia Phātaſmata inducentia ad amorem: ſecundo adhibendo multas cauſas naturales, quę faciunt res apparere pulchriores, quam ſint: terriò mouendo ſenſitiuum appetitum concupiſcibilem. Alterum verò maleficiū dicitur veneficum, & eſt quo opera Diaboli, nocet quis alteri in ſua, vel ſuorum perſona, cuius ſpecies ſunt ſupra narrata genera.

Sciendum 3. grauiſſimum peccatum eſſe maleficium, cum inducat pactum expreſſum, vel tacitum cum Dæmone,& ſæpius habeat coniunctam Apoſtaſiam,vel hæreſim,& iniuſtitiam,ac etiam ſacrilegiū. An maleficium poſſit nocere viris bonis. Reſpondeo, ꝙ quādo malefici vtūtur cauſis naturalibus ad nocendum,vt venenis poſſunt ſine dubio quibuſuis hominibus nocere, quando verò ipſimet non agūt, ſed Diabolus,tunc bonis rarò nocet,nec id facit,niſi Deo permittente propter maius bonum eorum, qui patiuntur.

Sciendum 4. nō eſſe licitum petere à malefico parato ad ſoluēda maleficia,ut maleficiū diſſoluat. Ratio eſt,quia id cēſetur intrinſecè malum,& quod eſt intrinſecè malum,nullo modo poteſt peti,licet poſſit rogari maleficus, vt maleficium diſſoluat modo licito faciendo ea,quæ præſtari poſſunt ſine ope Dęmonis, v. g. ſignum deſtruendo, vel diſſoluendo ligaturas,aut aliud quid ſimile faciendo. Secūdò nec licet etiam petere à malefico,vt ſoluat maleficium, quod modo licito conſtat ſolui poſſe, quando conſtat,eum modum licitum ab eo ignorari. Ita Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *de iuramento cap.*13.*num.* 5. Ratio eſt,quia qui tali modo petit,cenſetur petere, vt alio maleficio deſtruat maleficium;cum non petatur, vt modo ſibi incognito, & proinde impoſſibili maleficium deſtruat; quia cum ſola media ſuperſtitioſa norit præſumptio eſt, contra ipſum, & per conſequens qui petit à malefico deſtructionem maleficij modo licito, ſed incognito peccat. Tertiò licere Iudicibus volentibus maleficum torquere, efficere, vt eius corpus abluatur,& vt capilli totius corporis abradantur. Quia id non ſit gratia alicuius ſuperſtitionis, ſed dumtaxat ne maleficium lateat foraminibus inſertum, vel crinibus inſperſum, aut aliqua vnctio ſubſit, quibus maleficus non ſentiat dolorem tormentorum. Ita Martinus del Rio *lib* 5.*diſquiſ. magic.ſect.*9.*dub.*3 Quartò quod quando maleficus nouit medium licitum, & illicitum ſoluēdi maleficij;probabiliter credat,vt maleficus modo licito ſoluat, aut dubius vtro illorum ſoluat, licitum eſt petere abſolutè diſſolutionem. Ratio quia petitio eſt ex ſe indifferens, & perſona à qua petitur,poteſt id licitè exequi:& ideò ceſſat morale periculum, vt docet Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.*2.*de ſuperſtitione cap.* 18 *num.*2. Si verò petens ſit moraliter certus,fore vt Medio illicito maleficus ſoluat, nec etiam peccat, dummodo non intendat medium illicitum. Ratio eſt, quia ſicut non peccat, qui iuſta cauſa petit mutuum ab vſurario nolēti mutuum dare,niſi ſub vſuris,cum non cooperetur peccato alterius,vtpote qui ſola ſua malitia peccat. Ita ſi maleficus nollet ſoluere modo licito ſibi cognito maleficium, ſed illicito; petens ſolutionem non peccat, dummodo non intendat medium illicitum. Et ita Sanchez in moralibus *lib.*2.*cap.*41.*n.*14 Quintò nullatenus licere petere à Dęmone, vt ceſſet maleficio aliquē vexare. Quia

licet vexatio illa poſſit in ſe eſſe bona, tamen illam à Dæmone poſtulare eſt intrinſecè malum, quia inuoluit pactum, & ſocietatem cum ipſo Dæmone. Sextò licere ſignum maleficij deſtruere animo deſtruendi pacti cum Dæmone initi, & obtinendæ ſalutis. Ratio eſt, quod auferendo ſignum tali intentione nec pactum, nec amicitia cum Dæmone confirmatur, nec illi honos exhibetur; immò potius pactum ſoluitur, ac Dæmone conſumpto ab eius amicitia receditur, ob id quem ſignum fœderis aufertur, aut comburitur, etiamſi in maleficium redundet aliquod damnum, quia auferens nulla ratione concurrit ad malefici damnum, ſed ſolum ſibi conſulit auferens ſignum; & ideò ſi malefico ſequantur damnũ, præter intentionem ſequitur, cum non intendatur. Ita Sanchez *loco citato*.

Sciendum 5. multa eſſe remedia cõtra maleficium: quædam ſunt naturalia, vt quæ petuntur ex herbis, quod quidem remedium licitum eſſe cenſetur: ſecũdum remedium eſt ſpirituale, quod multiplex eſt: prima legitimus vſus Sacramẽtorum à Chriſto Domino Inſtitutum, nam vt Diabolus per Sacramentorum abuſum liberam habet poteſtatem nocendi hominibus, ita per legitimum eorum vſum habet impeditam: ſecundum eſt exorciſmus: tertium inuocatio nominis Chriſti, quod initio naſcentis Eccleſiæ fuit frequentiſſimum: quartum eſt pia oratio: quintum eſt ieiunium iuxta illud Matthæi 17. *Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio*: ſextum eſt ſignum crucis: ſeptimum ſunt reliquiæ Sanctorum, quas aduerſus Dæmones magnam vim habere conſtat: octauum eſt aqua benedicta: nonum eſt oleum conſecratum pro infirmis: decimum eſt præſentia, & ſpecialis virtus quorumdam Sanctorũ adhuc viuentium: vndecimum eſt principium Euangelii D. Ioannis deſcriptum, & collo appenſum ac proteſtantes contra Dæmones noſtram fidem, &c.

Sciendum 6. Confeſſarium in confeſſione debere inquirere à malefico: primò an pactum inierit cum Dæmone, & promiſerit ſe derelicturum Chriſtum, & ab eius fide diſceſſurum: ſecundò an exhibuerit honorem Dæmoni, & alia ſacrilegia commiſerit cõtra auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: tertiò an cum pacto ſit coniuncta hæreſis: quartò quomodo confecerit maleficium, & ex quibus rebus ſacris, vel non ſacris: vltimò an per maleficium damnum intulerit, quia ſi damnum intulit, tenetur ad reſtitutionem. Ita Suarez *lib. 7. de ſuperſtit. cap. 14. num. 12.*

De Sacrilegio.

BRACTEA LII.

R. Sacrilegium definiri à S. Thoma 2. 2. *quæſt. 99 art. 1.* & ab alijs violationem rei ſacræ; per rem autem ſacram intelligitur quælibet res creata, quæ ex peculiari dedicatione ad Deum, & violatio dicitur quælibet irriuerentia illi facta.

Sciendum ſacrilegium triplex eſſe contra perſonam, contra locum, & contra res Diuino cultui dicatas. Ratio eſt, quia tres res ſpecialiter dicuntur ſacræ, perſona, res, & locus. Ita S. Thomas loco cit. *art. 3.* Summiſtæ verbo *Sacrilegium*, & Canoniſtæ *cap. ſacrilegium 17. quæſt. 4.* contra perſonam quatuor modis committitur ſacrilegium: primò inferendo manus violentas in eam: ſecundo quando violatur forma talis perſonæ: tertiò quando violatur immunitas Clerici in ſoluendis tributis, &c. quartò quãdo violatur votum Caſtitatis, ſiue illud ſit ſimplex, ſiue ſolemne. Locus ſacer violatur: primò frangendo, ſpoliando, incendendo, vel deſtruendo loca ſacra: ſecundò per effuſionem ſeminis, aut ſanguinis iniurioſam: tertiò per extractionem perſonæ à loco ſacro, exceptis caſibus in iure permiſſis: quartò furando in Eccleſia, ſi res ſit ſacra, & ſi non ſit ſacra, ſit poſita ſub cuſtodia Eccleſiæ, quia ſi res ſit tradita Eccleſiæ, in cuſtodiam ipſam furando non committitur ſacrilegium. Ita Leſſius *lib. 2. cap 45 n. 14.* Coninchus de pœnit. *lib. 7. diſp. 4 nu. 22.* Henriquez *lib. 5. cap. 6. num. 5.* & alij. Sacrilegium contra res ſacras committitur: primò abutendo Sacramentis, vel ea indignè adminiſtrando, & in peccato mortali, vel recipiendo, vel conferendo indignis, vel alia ratione conculcando, proijciendo, &c. ſecũdò profanando vaſa ſacra, & ornamenta; vt calices, veſtes ſacras, &c. tertiò violando imagines; vt faciũt hæretici, aut pingendo imaginem ſacram indecorè: quarto abutendo ſcripturia; vt etiam ſolent hæretici.

R. 2. Sacrilegium eſſe peccatum mortale ex ſuo genere. Ratio eſt, quia per ſacrilegium fit grauis iniuria Deo, ratione inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ poteſt eſſe peccatum veniale, vt ſi quis leuiter percutiat Clericum, vel rem paruam furetur in Eccleſia. Ita Bonacina *diſp. 3. de Præceptis Decal. quæſt. 6. pun. vnico num. 29.*

De Blaſphemia.

BRACTEA LIII.

R. Blaſphemiam eſſe conuicium, ſeu verbum contumelioſum, quod iacitur in Deum, aut in Sanctos. Ita colligitur ex D. Thoma 2. 2. *quæſt. 23 art. 1.* Valentia ibidem *pun. 1.* Azorio *lib. 9. cap. 6. quæſt. 2.*

Sciendum Blaſphemiã aliã eſſe cordis, & aliã oris, ſiue vnam mẽtalem, & alteram verbalem: aliam eſſe ſimplicem, & aliam hæreticalem; blaſphemia ſimplex eſt, quæ non opponitur articulis fidei; vt ſi quis dicat maledictus ſit Deus, &c. item ſi quis nominet membra Chriſti pudenda. Ita Suarez *tom. 1. de relig. 3. lib. 1. cap. 5. num. 8.* Sanchez in *ſumm. lib. 2. cap. 32. num. 6.* & alij. Blaſphemiam hæreticalem illam eſſe, quæ articulis fidei directè opponitur, vt ſi quis dicat, abnego Deum, fidem Chriſti, Crucem, &c. Ita Sanchez *lib. 2. cap. 32. num. 11.* & alij; & in his caſibus non modo committitur blaſphemia, verum etiam hæreſis, modo adſit aſſenſus, intellectus cum pertinacia.

Quibus modis committatur Blaſphemia?

BRACTEA LIV.

R. Duobus præcipuè modis Blaſphemiæ peccatum committi: primò tribuendo aliquid Deo per contumeliam, quod non habet eiuſque Diuinæ bonitati repugnat, vt appellando Deum iniuſtum, crudelem, &c. ſecundò auferendo aliquid Deo, quod illi conuenit, vt dicendo non poſſe facere, quod poteſt facere, non habere rerum prouidentiam, &c. Ita Valentia 2. 2. *diſp. 1. quæſt. 13. pun. 1.* & alij.

Sciendum, quod primo modo committitur Blaſphemia deteſtando Diuina, vt maledicendo Deum, illique aliqua mala imprecando, quia tribuitur aliquid Deo, quod non habet. Secundò committi blaſphemiam exprobrando ea, quæ Deus habet, ſeu

tribuendo

tribuendo, quæ habet, ſed irriuerenter, vt iurando per corpus, aut ſanguinem Dei ex indignatione, vel ira, contra Deum. Ratio eſt, quia tribuitur aliquid Deo per contumeliam, quod non habet; ſecus verò dicendum ſi non ex indignatione, vel ita contrà Deum ea proferat. Ratio eſt, quia hæc propoſitio per corpus, vel ſanguinem Dei nullum continet errorem poſt aſſumptam à Chriſto humanitatem. Tertiò blaſphæmiam committi ab eo, qui iuramentum emittit per pudendas partes Chriſti, vel Sanctorum, & qui Chriſto tribuit pudendas partes fœminarum. Quartò committi blaſphæmiam maledicendo creaturis, vt creaturæ Dei ſunt, aut blaſphæmando res ſacras, nam per huiuſmodi maledictionem tribuitur aliquid Deo per contumeliam, quod non habet, aut aliquid aufertur, quod habet. Quintò committi etiam blaſphæmiã ſpernendo Sanctos, quia ſicut in Sanctis laudatur Deus, ita etiam in illis blaſphæmari, & contumelia affici poteſt. Ita Cordoba *lib.1.quæſt.17.num.15.* Reginaldus *lib.18.num* 195. ideòque committit peccatum blaſphæmiæ, qui dicit *Putana Vergine*, vel *Al diſpetto della Vergine*, aut *Della noſtra Donna*. Ratio eſt, quia hæc verba ex communi modo loquendi intelliguntur de Beata Virgine, cum ipſa per Antonomaſiam dicatur Virgo, & Domina noſtra. Sextò committi blaſphemiam dum ea, quæ ſunt Dei propria communicantur creaturis, quo ſcelere ſe obſtringunt molles fœminarum amatores, quas dum ardenti amore proſequuntur nominibus Dei proprijs audent appellare. Septimò committi blaſphæmiam ab eo, qui Deum turpibus verbis laudat intendens Deum laudare, nam huiuſmodi verba contemptum potius, & irreuerentiam continent, quam laudem, & proferens oſtendit in actu exercito Deum his gaudere, conſequenter videtur Deo tribuere, quid ei non conuenit. Octauò illum eſſe blaſphemum, qui dicit *Al diſpetto di Di* vel *rinego Di* tacita vltima vocali O, nam blaſphæmans tribuit eã Deo, quæ ei non conueniunt, vel aufert, quod Deus habet; neque obſtat vltimam ſyllabam non fuiſſe prolatam, quia blaſphæmans veram habuit intentionem blaſphæmandi, & re vera protulit blaſphæmiam, quamuis ſe continuerit à prolatione vltimæ vocalis.

R. 2. Blaſphæmiam eſſe peccatum mortale ex genere ſuo. Ita S. Thomas 2.2.*q* 13.*art*.2. Suarez. *tract*. 3. *de Relig.lib.*1.*cap* 6. Reginaldus *lib*.18.*num*.197. Ratio eſt, quia grauis iniuria Deo apertè infertur ponendo errorem in Diuino intellectu, vel malitiam in Diuina voluntate; attamen ab incõſiderationem non eſt pluſquam veniale, vt quando quis non aduertit illud, quod dicit. Quod duobus modis contingere poteſt: primò cum quis ex ſubita paſſione prius protulit verbum, quam aduerterit ad eius ſignificationem; ſecundum, quam continet blaſphæmiam: poſterior eſt, quo contingit blaſphæmare ex praua conſuetudine, quæ quamuis nullatenus excuſet ſi voluntaria ſit, tamen ſi in ipſo actu tollat re vera aduertẽtiam rationis à mortali excuſat perinde, ac ſi paſſione, plenum rationis vſum impediẽte perturbatus talia verba proferret.

Sciendum, quod qui proximũ blaſphæmat eidem maledicendo non peccat peccato blaſphæmiæ propriè accepto, niſi maledicat proximo per ordinem ad Deum; peccat tamen mortaliter ſi maledicat cũ deſiderio notabilis damni. Ratio eſt, quia facit contrà Charitatem, qua debemus proximum diligere, illique bonum, & non malum concupiſcere. Secus dicendum erit, ſi ſolùm ex paſſionis impetu imprecetur alicui graue malum, quod tamen re vera nollet ipſi euenire, quia non dicitur grauiter lædere Charitatem. Ita Toletus *lib*.4. *cap*.13. Nauarr. *cap*.12.*num*.86. Clauis regia *lib*.6.*cap*.13.*num*.3. Caiet. 2.2.*q*.13.*art*.1. Quod etiam dicendum eſt de eo, qui maledicit creaturis rationalibus ſecundum ſe, & propter ſe ipſas, non peccare ſcilicet peccato blaſphæmiæ: ratio eſt, quia creaturæ irrationales non ſunt noſter proximus ad quẽ diligendũ præceptum charitatis obligat; ſecus verò dicendum erit, ſi creatura irrationalis malediceretur in ordine ad creaturam rationalem, quia tunc peccaret mortaliter, quia ſicut cõmittitur mortale peccatũ maledicẽdo creaturis rationalibus, ita & etiã maledicẽdo irrationalibus per ordinẽ ad creaturas rationales, cũ perinde ſit ac maledicere ipſiſmet creaturis rationalibus.

R. 3. Quod blaſphæmiæ in Deum, & Sanctos licet videantur aliqua ratione ſpecie inter ſe diſtingui, attamen moraliter loquendo non differunt ſpecie, ſed ſũt eiuſdẽ ſpeciei grauiores, aut leuiores pro grauitate, aut leuitate materiæ. Ratio eſt quia participant in eadem ſpecie malitiæ blaſphæmiæ. Ita Valent 2. 2. *diſp*.1.*quæſt* 13. *pun*.1. Aragon. 2 2.*quæſt*.13. *art*.1. Bann. ibidem Azorius *lib* 9. *cap* 28. *quæſit*.10. & alij. In ordine tamen ad confeſſionem debet exprimi, an blaſphæmia fuerit prolata in Deum, vel in Sanctos, quia in hoc duplex malitia intercedit, vna contra perſonam, quæ contumeliam afficitur cum ſit per ſe honore digna, & adoratione Duliæ, altera quatenus redundat in Deum, & ipſi cenſetur principaliter fieri.

De tentatione Dei?

BRACTEA LVI.

R. Tentationem Dei eſſe actum contra Religionem, quo quis abſque iuxta cauſa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentũ de Diuina perfectione, ſiue de attributis Diuinis. Ita S. Thomas 2.2.*q*.97. *art*.1. Clauis regia *lib*. 4.*cap*.6.*num*.12. Nauarrus *cap*.11.*num*.40. Reginaldus *lib*.17.*num*.225.

Sciendum tentationem Dei eſſe peccatum non tantum oppoſitum timori Dei, ſed etiam alijs virtutibus, vt v. g. Religioni, fidei, ſpei, & ſimplicitati diuerſa tamen ratione, timore enim Dei opponitur, vt eſt nimia quædam, & imprudens audacia, Religioni verò quatenus eſt Dei irreuerentia, & fidei quatenus prouenit ex incredulitate, ſpei quatenus eſt temeraria quædam præſumptio, ſimplicitati quatenus eſt nimia quædam curioſitas.

Sciendum 2. quod Deus à nobis tentari poteſt dupliciter: primò expreſſè, vt cum aliquid directa intentione dicimus, aut facimus eo fine, vt exploremus vtrum ipſe poſſit, aut velit aliquid facere, vt ſi quis petat miraculum fieri pro ſe, vel pro alio. Secundò tacitè, vt cum quis talem finem non proponit quidem ſibi, tamen id quod facere conatur eiuſmodi eſt, vt fieri non poſſit ſine miraculo, ſeu ſine ſupernaturali Dei virtute, vt ſi quis vellet viuere ſine vllo cibo, vel potu, vel bene docere, aut concionari ſine vllo ſtudio, ſanitatem recuperare in graui morbo ſine vllo remedio, traijcere latum fluuium ſine nauicula, aut arte nauigandi.

Sciendum 3. quod licet peccatum tentationis Dei ſi abſque iuſta cauſa fiat ſit peccatum mortale, quia eſt contemptus Dei, contemptus autem Dei eſt peccatum mortale ex ſuo genere, Clauis regia *lib*.4 *cap*. 7. *num*.12. Soarez. *tom*.1. *de Relig. tract*.3. *lib*.1. *cap*.2. *num*.16. & alij, vt quando expreſſè tentatur Diuina

tantum proferre, niſi ſtimul adſit animus, ſiue voluntas iurandi, verumque Deum teſtem inuocandi, alioqnin erit non verum, ſed fictum, & doloſum iuramentũ, quod interdum ratione ſcandali, aut dãni amouendi obligat, nõ itẽ propriã ex religionis virtute obligationem affert; contra verò ſi animus, ſiue voluntas interna iurandi adſit, verum coram Deo iuramentum exiſtit ſine vlla ſignorum expreſſione, perinde ac votum ſola mente conceptum. Et ita Couar. *cap. quamuis pactum*. Azor. *tom*. 1. *lib*.1.*cap*.2. *quæſt*.4. Suarez *lib*.1.*de iuram*.*cap*.1.*num*.4. Sanchez *lib*. 3.*cap*.1.*num*.2. Malderus 2.2.*cap*.10.*dub*.6.*num*.1.

Sciendum 5. iuramentum debere in ſe continere non meam aſſertionem, ſed inuocationem Diuini teſtimonij, ſaltem virtualem. Vnde qui enunciatiuè profert hæc verba, *Coram Deo loquor, Deus ſcit, Deus videt meam conſcientiam:* non ſunt iuramenta, vt docet Sotus *lib*.8.*quæſt*.1.*art*.1. Suarez 2 2.*quæſt*.8. & alii, licet vt iuramenta huiuſmodi loquẽdi formulæ frequenter vſurpentur, vt D. Paulus 1. ad Timotheum 5. 2. ad Timotheum 2. *Teſtificor coram Deo, &c.* ad Galatas 1. *Coram Deo, quia non mentior*, ad Romanos 1. *Teſtis mihi eſt Deus*. Similiter præſumuntur iuramenta, dum proferuntur à viris ſolitis iurare, niſi aliter conſtet de animo iurantis, nam actus præſumitur factus iuxta conſuetudinem. Secundò non emittere iuramentum, qui dicit *Per fidem*, nihil aliud addendo, niſi fortè ex intentione dirigat verba ad fidem Catholicã; ratio cur non ſit, verum iuramentum eſt, quia verbum *Fides* abſolutè prolatum abſtrahit à Diuina, & humana; conſequenter non eſt ratio, cur dicamus potius adduci ad fidem Diuinam, quam ad humanã, niſi intentio dirigatur ad Diuinam. Ita Reginaldus *lib*.28.*num*.6.*&* 7. Emanuel Sà verbo *iuramentum num*. 1. Tertiò non eſſe verum iuramentum iurare per falſos Deos, ſed actum idolatriæ, ideòque per ſe loquẽdo nullam ex virtute religionis obligationem parere, licet per accidens ob conſcientiam erroneam infidelis iurantis teneatur ſtare iuramento propter affectum, quem habet. Ita Suarez. *cap*.5. *num*.7. Clauis regia *lib*.5.*cap*.3.*num*.21. Quartò non eſſe verum iuramentum, quando aliquis ex ita dicit, *Per Deum, vel corpus Dei*, non intendens Deum inuocare in teſtem, nec aliquid confirmare. Ita Reginaldus *lib*. 18. *num*. 9. Angelus verbo *Periurium*, & alij.

Sciendum 6. quod inuocatio Diuini nominis in teſtimonium tum explicitè, tum implicitè fieri poteſt: explicitè ſit, quando quis dicit; *Iuro per Deum, inuoco Deum, inuoco Chriſtum, Sanctiſſimam Trinitatem, aut per Chriſtum*; implicitè verò ſit dupliciter. Primò quando quis rogatus, vt iuret, manu tangit Crucem vel librum Euangeliorum, vel aliud ſignum facit, quo ſe iurare oſtendit, vt ſi ſubſcribat aliquam ſcripturam, in qua iuramentum continetur. Secundò implicitè ſit iuramentum, quando ſit per creaturas nõ abſolutè ſpectatas, ſed vt in Deum relatas, prout in his Diuina vis, ſeu Potentia ſpecialiter elucet, qua ratione iurauit Moyſes *Deuteronomio cap*. 3. *&* 4. *Teſtes inuoco Cælum, & terram*, & Chriſtus apud Matthęũ *cap*. 5. mentionem facit iuramenti, *Per Cælum, quia thronus Dei eſt, & per terram, quia eſt ſcabellum pedum eius, & per Ieroſolymam, quia eſt Ciuitas magni Regis, &c.* ſicut etiam quando quis iurat per Sanctos, per animam rationalem, &c. quia dum hoc modo iuramus, non volumus creaturas nobis eſſe teſtes, ſed Deum qui in ipſis ſingulari modo reſidet, accipitur enim continens pro contento, creatura pro Creatore, & ſignũ pro ſignato. Similiter quando in teſtem adducitur creatura tantæ dignitatis, vt in ea ſpecialiter reluceat bonitas Dei, excitetque in nobis eius memoriam; vt quando iuratur per animam rationalem, vel per Sanctos, &c. quia tunc creatura illa cenſetur adduci in ordine ad Deum; quando verò in creatura quę in teſtem adducitur, non relucet peculiari ratione bonitas Dei, non cenſetur creatura adduci per ordinem ad Deum, vt quãdo quis dicit per has veſtes, per hos capillos, &c. modo creatura non adducatur cum vero animo iurandi, quia ſi ſic adduceretur in ordine ad Deum, & per conſequens eſſet verum iuramentum.

Sciendum quod quando ſolum aliquid affirmando, & negando adhibetur verbum *Iuro*, non cenſetur iuramentum, ſi proferens non intendat iurare, quia tunc non adducitur Deus in teſtem. Secus dicendum eſt, ſi hoc dicat animo adducendi verè Deũ in teſtem, nam ad iuramentum non ſunt neceſſaria verba; ſed ſufficit, vt quis ſua mente intendat ſe vinculo iuramenti obſtringere. Ita Suarez *lib*. 1. *de iuramento cap*.13.*num*.3. Sanchez in Summ. *lib*.3.*cap*.2.*num*. 3.*&* 12. Petrus Ledeſma in Summ. *tom*.2.*tract*.11.*cap*.1. *dub*.1.

De diuiſionibus Iuramenti.

BRACTEA II.

R. IVRAMENTVM primò diuidi in iuramentum neceſſarium, quod à lege, vel ſuperiore defertur ad litem finiendam, ad criminis purgationem, ad fidei profeſſionem, ad obedientiã, vel ſubiectionem, &c. & in iuramentum voluntariũ, quod ſponte ſuſcipitur, & interdum ex partium voluntate, ſeu conuentione; quare conuentionale tunc appellatur; ſecundò diuiditur in iuramentum iudiciale, quod præſtatur à iudice, idque vel in principio litis; vt iuramentum calumniæ, vel in litis progreſſu vt deciſorium, quod aliquando eſt liberum, aliquando eſt neceſſarium *ex cap. fin. de iureiurando*, tuncque liberum cenſetur, cum is cui defertur, iuſtam cauſam habet recuſandi, aliàs cenſetur neceſſarium; & in extraiudiciale quod pars pacti extra iudicium defert ſine coactione illud præſtandi: tertiò diuiditur iuramentum in verbale, reale, & mixtum; iuramentum verbale eſt, quod ſit per verba, Diuini numinis conteſtationem expreſsè, vel virtualiter ſignificantia; iuramentum reale eſt ſi ſola aliqua actione, v. g. tactu Euangeliorum libri, &c. inuocandi voluntas exprimatur; iuramentum mixtum eſt, quod præter verba corporalem etiam actionem continet, v. g. tactum ſceptri, tactum Euangelij: quamobrem in iure appellatur iuramentum corporale: quartò diuiditur iuramentum in ſimplex, & ſolemne: iuramentum ſimplex illud eſt, quod ſit per ſimplicem inuocationem diuini numinis in teſtimonium, &c. ſolemne autem iuramentum dicitur, quod vel certam verborum formulam, vel corporalem alicuius rei tactum, aut præſentiam requirit, vt maiorem auctoritatem, æſtimationemque pariat: quintò diuiditur iuramentum in iuramentum, quod ſit per ſimplicem conteſtationem, qua Deus in teſtem adducitur, vt dicendo *Teſtor Deum, iuro per per Deum, per fidem Dei, vel Chriſti*: & in iuramentum, quod ſit per execrationem, & contingit, quando quis aliquid affirmat, vel negat, non ſolum adducẽdo Deum in teſtem, ſed etiam in iudicem, & vindicem, ſeu punitorem ſi falſum ſit, quod iurat, vt ſi quis dicat, *Peream, non mouear hinc, Dæmon me accipiat, &c.* niſi verum ſit, quod aſſerit, aut promittit: ſextò diuiditur iuramentum in aſſertorium, & promiſſorium: iuramentum aſſertorium eſt illud, quo confir-

matur dictum de præſenti, vel de præterito, vt *iuro per Deum*, Petrum occiſum fuiſſe à Ioanne, &c. Promiſſorium illud eſt, quo confirmatur dictum de opere futuro, vt *iuro per Deum*, quod veniam ad talem locum, vel dabo tibi centum nummos aureos: iuramentum promiſſorium adijcitur contractui, vel alteri actui confirmandi, ſiue non retractandi iuris cauſa: tale eſt iuramentum obedientiæ, *cap. nullus 3. cap. legebatur 3. de maior. & obed. cap. quamquam diſt. 23.* ſimiliter tale eſt iuramentum fidelitatis, *cap. veritatis 13.* iuramentum, quo quis iurat aliquid ſe facturum, vel iudicio ſiſti, item exequi, *cap. 1. de ſequeſt. poſſeſſ.* vel aliquid daturum, *cap. cum contingat 28. cap. quamuis 2. de pact. in 6. cap. Quinta vallis 23. cap. veniens cap. debitores 6.* iuramentum contractui confirmatorium; quo is vim, quam alioquin non haberet, accipit, *cũ contingat 28. cap. licet mulieris 2.* modo moribus bonis naturalibus, aut publicæ vtilitati non repugnet: iuramentum aſſertorium eſt, quo rei præſentis, vel præteritæ veritas aſſeritur. Tale eſt iuramentum veritatis, quod præſtant teſtes in dicendo teſtimonio, *cap. nuper 51 de teſtibus, & atteſt. cap. 2. de iuramento calumniæ cap. exteris 32.* ſimiliter iuramentum quo quis iurat ſe non calumniandi animo, ſed exiſtimans ſe bonam cauſam fouere ad litigandum venire, & reus iurat ſe arbitrari iuſtam cauſam habere defendendi, & in aliis ſe non odio differendi iudiciũ, gratiam, probationes, vel iuramentum ab alio exigere. Item iuramentum malitiæ, quo quis de malitia ſuſpectus requirente Iudice, iurat ſe non malitioſè exceptionem proponere, dilationem petere. Item iuramentum purgatorium, quod præſtat accuſatus, vel diffamatus de aliquo crimine, quod non fuit probatum, & iurat, & purgat ſe ita non commiſiſſe: ſeptimò diuiditur iuramentum in abſolutum, cui ſcilicet nulla conditio additur, & in conditionatum, cui additur conditio, quod quidem non obligat, niſi conditio impleatur ex *cap. Peruenit 2. de iureiurando.*

An licitum ſit iurare?

BRACTEA III.

R. IVRAMENTVM ſi debito modo fiat eſſe licitum, & eſſe actum Religionis. Ita S. Thomas loco cit. *art. 4.* Ratio eſt, quia pertinet ad cultum, & venerationem Dei eius infallibilem veritatem, & auctoritatem agnoſcere, ac prædicare, quod fit per iuramentum.

Sciendum quod ad hoc, vt iuramentum ſit licitũ, tres conditiones requiruntur, Veritas, Iuſtitia, & Iudicium, iuxta illud Ieremiæ *cap. 4. Iurabis viuit Dominus in veritate, iudicio, & iuſtitia.* Veritas in eo conſiſtit, vt veraciſſimi numinis teſtimonium non adducatur in confirmationem falſi, aut mendacij. Vnde iuramentum aſſertorium in omni materia etiam leui eſſe peccatum mortale, quoties iurans credit non eſſe verum, quod aſſerit, etiamſi iuret ex bono, & neceſſario fine, aut ex timore nam adhuc verum eſt Deum adduci in teſtem falſi, quod eſt intrinſecè malum, nec poteſt cohoneſtari ex bono fine. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 9.* Silueſtr. verbo *Periurium quæſit. 1.* Clauis regia *lib. 5. cap. 5. num. 7.* & alij. Secundò eum peccare mortaliter, qui promittit aliquid habens animum illud non præſtandi, vel credens, vel dubitans ſe ſolum non præſtiturum, vel non poſſe præſtare; qui verò iurat ſe fracturum brachia filio, vel ſeruo habens intentionem ſolùm grauiter puniendi non peccat mortaliter peccato periurij, quia cum hæc verba dicantur per exaggerationem Deus non adducitur in teſtem falſi. Iuſtitia, ſeu æquitas iuramenti in eo conſiſtit, vt æquiſſimi numinis teſtimonium non adducatur in confirmationem rei, aut dicti iniqui, ſiue peccato obnoxij. Iudicij diſcretio in eo conſiſtit, vt fiat cum neceſſitate, & reuerentia, & cum prudenti intellectus conſideratione, propterea ſi fiat ſine neceſſitate, vt in re leui, quã non ſit neceſſe iuramento confirmare committitur peccatum defectu iudicij veniale, quia non ſit grauis irriuerentia Deo. Ita Leſſius de *iuramento diſp. 3. num. 17.* Sanchez in Summ *lib. 3. cap. 6. num. 22.* Clauis regia *lib. 5. cap. 4. num. 32.* Iuſtitia iuramenti in eo conſiſtit, vt nõ fiat de re illicita, quia materia iuramenti debet eſſe res licita, & honeſta, vt infra dicetur, & irriuerentia fit Deo ipſum adducendo in teſtimonium rei illicitæ.

Qualis debeat eſſe materia Iuramenti.

BRACTEA IV.

R. IVRAMENTVM debere eſſe de re licita, & honeſta non peccaminoſa. Ratio eſt, quia iniuria fit Deo ipſum adducẽdo in teſtimonium rei illicitę, & peccaminoſæ, & ideò iuramentũ non obligare, ſi iuramentum non poſſit adimpleri ſine peccato, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, nec obligare poteſt, quando ſine peccato non poteſt adimpleri, cum peccatum ſit ſemper vitandum.

R. 2. Materiam iuramenti non eſſe rem indifferentem, ſeu impoſſibilem, aut impeditiuam maioris boni, ſeu contrariam Diuinis conſilijs. Ratio eſt, quia actio humana, quæ ſecundũ ſe, ſiue ex obiecto indifferens eſt, ſi in indiuiduo ad nullum finem referatur manet otioſa, conſequenter non poteſt eſſe obiectum iuramenti. Quod tamen intelligendũ eſt, quandiu res illa manet indifferens: ſecus verò dicẽdum ſi res illa annexum habeat aliquid boni, vt v.g. ſi non fricando barbam euitabis culpam vanitatis, aut non ludẽdo effugies aliquam peccati occaſionẽ, aut ſi non tranſeundo per talem viam euades periculum alicuius peccati, quia tunc teneris rem promiſſam iuratam adimplere, quia tũc eſt materia apta iuramenti. Ita Nauarrus *cap. 12. n. vlt.* & alij. Secundò dummodo iuramentum de re indifferenti non ſit factum in fauorem alterius, quia licet iuramentum de re indifferenti non obliget, tamen factum in fauorem alterius obligat. Ratio eſt, quia adimpletio iuramenti in hoc caſu non eſt actus indifferens, ſed actus virtutis, videlicet veracitatis, & fidelitatis; tũ etiam quia quilibet curare tenetur, ne videatur Deũ in teſtem falſi adduxiſſe. Quod materia iuramenti non ſit res impoſſibilis, patet etiam, quia impoſſibilium nulla datur actio poſſibilis; quod verò materia iuramenti non debeat eſſe impeditiua maioris boni, patet etiam, quia Deus non vult ſe obligare ad aliquid impeditiuum maioris boni, aut contrarium ſuis conſilijs; & ideò Azorius *lib. 9. cap. 5.* Nauar. *cap. 12. n. vlt.* aſſerunt iuramentum contra conſilium propria auctoritate violandum eſſe, nec indigere diſpenſatione, nam malum eſt ſemper fugiendum, conſequenter iurans aliquid contra Dei conſilium nõ debet ſeruare iuramentum, ſed adimplere debet conſilium; vt ſi iuraſti non mutuare, aut non dare eleemoſynam, aut non ingredi Religionem, &c. non teneris iuramentum adimplere.

An Iuramentum de materia prohibita lege humana, obliget?

BRACTEA V.

R. Ivramentvm factum de re prohibita lege humana ciuili directa immediatè in bonum publicum non obligare. Ratio eſt, quia lex, quæ immediatè dirigitur ad bonum publicum obliget ad culpam, iuramentum autem non obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum, quod ſit culpabile, & peccaminoſum, materia enim iuramenti non eſt peccatum, & iuramentũ non eſt vinculum iniquitatis, iuramentum verò factum contrà legem, quæ primariò, & immediatè reſpicit commodum, & fauorem perſonę priuatę obligat modo non vergat in præiudicium tertij. Ratio eſt, quia cum hęc lex immediatè feratur in fauorem perſonæ priuatæ, & quælibet perſona priuata poſſit cedere iuri ſuo, per conſequens ſi cedat iuri ſuo cum iuramento, validum, & obligatorium erit iuramentum.

Sciendum legem immediatè tunc reſpicere bonũ commune, quãdo ex eius tranſgreſſione immediatè læditur bonum commune, vt eſt lex de non extrahendis frumentis ex Prouincia, &c. tunc verò reſpicit bonum priuatum, quando ex tranſgreſſione legis non læditur immediatè bonum commune, vt ſunt leges, ne minor contrahat ſine curatore, &c. quæ quamuis mediatè reſpiciant bonum commune, quatenus bonum priuatum redundat in communitatem, nihilominus immediatè reſpiciunt bonum priuatum, quatenus ex earum violatione non læditur immediatè bonum commune, nam Reipublicæ non multum intereſt, vt bona ſint vnius, quam alterius Ciuis. Ita Abbas *cap.* Cum contingat de iureiurando, & alij apud Sanchez. in ſumma *lib.3.cap.9.num.*31.

Sciendum 2. Iuramentum factum contra bonos mores naturales non obligare, cum ſint de re illicita; quando vero iuramentum eſt contra leges Ciuiles reſpicientes bonum priuatum obligare, quia hoc iuramentum non cenſetur de re illicita, cum quilibet poſſit cedere iuri ſuo; ſecus verò dicendum eſt ſi iuramentum ſit contra bonos mores Ciuiles in ordine ad bonum publicum, vt ſupra dictum eſt.

An Iuramentum confirmet contractum inualidum?

BRACTEA VI.

Sciendvm aliud eſſe Iuramentum firmare contractum faciendo illum validum, qui alioquin eſſet inualidus: aliud Iuramentum eſſe ſeruandum, quamuis enim iuramentum aliquando non firmet contractum, vt quando quis promittit vſuras vſurario, nihilominus ſeruandum eſt, quoties ſeruari poteſt abſque peccato, & ſine præiudicio alterius, ſiuè confirmet contractum, ſiuè non. Secundò contractum irritari poſſe à iure poſitiuo duobus modis: primò ob bonum commune: ſecundò propter bonum priuatum. His poſitis.

R. Contractum non firmari Iuramento quando contractus eſt irritus propter bonum commune. Ratio colligitur ex *Cap. ſi diligenti de foro competente*: Ratio eſt, quia nullus priuatus renunciare poteſt fauori legis proſpicientis immediatè bono communi; tum etiam, quia iuramentum, quod cadit ſupra contractum irritum ob bonum commune cenſetur de re illicita; ergo, &c. tum etiam, quia tale iuramentum præiudicat bono communi.

R.2. Contractum firmari iuramento quando contractus eſt irritus principaliter propter vtilitatem priuatam, modo iuramentum poſſit ſeruari ſine peccato. Ratio eſt, tum quia contractus, quo vxor conſentit in alienationem fundi dotalis iure poſitiuo eſt irritus; ſi verò illi addatur Iuramentum eſt validus, & ſeruandus; ergo ſignum eſt iuramentum firmare contractum inualidum propter vtilitatem priuatam. Quod tamen intelligendum eſt, modo aliqua turpitudo non inueniatur in eo, in cuius fauorem præſtatur iuramentum, nam quoties in receptione rei promiſſæ cum iuramento reperitur aliqua culpa, promiſſio non firmatur iuramento. Ratio eſt quia ſi iuramento firmaretur, ſequeretur illum, in cuius fauorem præſtatur iuramentum acquirere aliquod ius, ſicut acquirit per contractum validum, ſed non poteſt acquirere ius ad actionem illicitam, ergo, &c. Vnde contractus per vim, dolum, vel metum extortus non firmatur iuramento, ſicut etiam contractus non firmatur iuramento quoties iuramentum contrarium eſt alteri iuramento, vt infrà dicetur.

An Iuramentum factum contra prius iuramentum ſit validum?

BRACTEA VII.

R. Ivramentvm contra iuramentum prius emiſſum non obligare, ſicut neque obligat iuramentum contra votum emiſſum, aut promiſſionem iam factam. Ratio eſt, quia poſterius iuramentum, ſiue iuramentum contra votum iam emiſſum, &c. cenſetur de re illicita, & de re, quę ſine peccato ſeruari non poteſt, cum adimpleri, nequeat ſine violatione iuramenti voti, ſeu promiſſionis.

R.2. Geſta contra obligationem iuramenti valida eſſe, niſi aliunde ſint irrita, ideò reuocatio teſtamenti facta contra iuramentum de non reuocando teſtamentum valida eſt, ſicuti etiam validum eſt matrimonium contractum contra votum ſimplex caſtitatis. Ratio eſt, quia iuramentum non reddit iurantem inhabilem ad faciendum actum contrarium validum; ergo geſta contra iuramentum ſunt valida.

Dixi niſi aliunde ſint irrita, quia fieri poteſt, vt huiuſmodi actus, & geſta irritentur à iure, propterea ſi mulier iuret, ſe non alienaturam fundum dotalem, & poſteà ipſum alienet abſque Iudicis auctoritate, alienatio non eſt valida; non quia ſit contrà iuramentum, ſed quia irritatur à iure.

An ex Iuramento animo ficto facto oriatur obligatio?

BRACTEA VIII.

Sciendvm iuramentum tripliciter poſſe fieri: primò abſque animo iurandi: ſecundò cum animo iurandi, ſed non cum intentione ſe obligandi: tertiò cum animo vitandi, & ſe obligandi, ſed non cum animo adimplendi. Quibus poſitis.

R. Iuramentum emiſſum abſque animo iurandi nullam.

nullam coram Deo inducere obligationem. Ratio eſt, quia tale iuramentum non cenſetur verum iuramentum, ſed fictum. Dixi *Coram Deo*, quia in foro externo iurans cogeretur ad ſeruandum iuramentum ob præſumptionem veri iuramenti; fieri quidē poſſet ratione ſcandali, quod oriretur ex tranſgreſſione iuramenti, quod iurans obligaretur ſtare iuramento, quando iuramenti adimpletio neceſſaria eſt ad impediendum damnum, cuius eſſet cauſa iurans non adimplendo iuramentum fictè emiſſum. Ita Leſſius *lib.2.cap.42. num.45.* Azorius *lib.11.cap.4. quæſito 2* Caiet. 2.2. *quæſt.89.art.7.* Valentia 2.2. *diſp. 6. quæſt. 7. punct. 4.* Sanchez. in ſum. *lib.3. cap. 10. num. 16.*

R. 2. Iuramentum emiſſum animo iurandi, ſed cum animo non ſe obligandi non obligare ex vi iuramenti. Ita Azorius 1. *part. lib.11. cap. 4. quæſito 2.* Sylueſter verbo *iuramentum 4.quæſito 7.* Armilla eodem *verbo num.14.* Sanchez. in ſum. *cap.10. num.8.* & alij apud Leſſium *lib.2. cap.42. dub.8.* apud Sanchez. in ſum. *lib.3.cap.10.num.13.* Ratio eſt, quia iuramentum obligat iuxta intentionem iurantis; ergo iuramentum factum cum animo non ſe obligandi non obligat. Tum quia tale iuramentum deficit in eſſentialibus, ergo, &c.

R. 3. Iuramentum emiſſum cū animo non adimplendi obligare. Ratio eſt, quia tale iuramentum habet omnia requiſita ad eius ſubſtantiam, cum ſit emiſſum animo iurandi ſe obligandi, licet non cum animo adimplendi, quæ iutat, & ſublato poſteriori non tollitur, quod eſt prius: ſed in iuramento animus exequendi eſt poſterior animo ſe obligandi; ergo ſublato animo exequendi non tollitur animus ſe obligandi, qui conſtituit eſſentiam iuramenti. Ita Leſſius *lib.2.cap.42. dub.8. num.41.* Sanchez. *lib.3. ſum. cap.10. num.5.* Suarez. *lib.2.cap.2.* & alij.

Sciendum 2. committere peccatum mortale iurantem cum animo non iurandi, vel cum animo non ſe obligandi, vel cum animo non adimplendi quoties iuramentum rationabiliter exigitur. Ratio eſt, quia intercedit grauis deceptio; ſi verò iuramentum irrationabiliter exigatur ſi iurans iurat verum, non peccat mortaliter, quia non facit grauem iniuriam homini cum irrationabiliter extorqueat iuramentum, neque iniuriam grauem facit Deo, cum non adducatur Deus in teſtem falſi, ſi verò falſum eſt, quod iurat peccat mortaliter ſi iurans intendat materiam falſam iuramento confirmare, ſi verò non intendat materiam falſam confirmare iuramento, ſed ſolum vſurpat illa verba ad ſignificandum aliud mente conceptum non peccat mortaliter ſecluſo ſcandalo. Ratio eſt, quia habet ius vſurpandi ea verba, iuxta ſenſum, quem voluerit.

An Iuramentum dolo, vel errore præſtitum ſit validum?

BRACTEA IX.

R. Ivramentvm dolo, & errore præſtitum non obligare quoties error, & dolus verſantur circa cauſam finalem iuramenti. Ita Suarez. de iuramento *lib.2. cap.11.num.7.* Sanchez *in ſum lib.3.cap.11. num.40.* & alij. Ratio eſt, quia iuramentum non obligat extra intentionem iurantis: at intentio ſic iurantis nō eſt in eo caſu, quod ſi teni ſcitet nollet iurare, nec ſe obligare, ergo, &c. Tum etiam, quia Deus acceptat iuramentum ſecundum intentionem eius, qui bona fide iurat, non autem ſecundum intentionem eius, qui iuramento dolo extorſit: idcircò iuramentum non obligat quoties error, & dolus ſunt circa cauſam finalem, vel circa ſubſtantiam rei promiſſæ; hinc puella, quæ dolo inducta à fratribus hæreditati. Paternæ cum iuramēto renunciauit pro certa dote longè minoris valente non tenetur ſtare iuramento, ſicut nec ille, qui nuptias promiſit puellæ putans eam eſſe virginem, & poſteà intelligit fornicatam fuiſſe. Quod intelligendum eſt, etiamſi error, & dolus ſit tantummodo comitans, ideſt etiamſi iurans cognito errore iuraſſet, nam adhuc deeſſet conſenſus poſitiuus, & actuale voluntarium.

R. Si verò error, & dolus verſantur ſolummodo circa cauſam impulſiuam, iuramentum obligare: ratio eſt, quia ſupponitur adeſſe ſufficiens conſenſus ad obligandum.

An Iuramentum metu extortum obliget?

BRACTEA X.

R. Ivramentvm metu graui extortum, etiamſi ſit iniuſtè extortum obligare, ita vt qui per metum grauem compulſus aliquid promittit peccet mortaliter ſi non præſtet, ſicut peccaret ſi talis metus nō interueniſſet, & ſic habetur *Cap. ſi verò de iuramento, & cap. ad audientiam de his, qui vi*; tum quia iuramentum ſemper eſt ſeruandum ne Deus videatur adductus in teſtem falſi: hinc ſequitur eum, qui iuramento promiſit vſuras teneri ad eas ſoluendas ratione iuramenti, licet promiſſio ſecundū ſe ſit inualida. *Cap debitores de iureiurādo*, quāuis iurās facta ſolutione poſſit repetere ſolutū: ſecūdò eū teneri ad redeūdū in carcerem, qui iurauit ſe redditurum, etiamſi timeatur mors euentura. Ratio eſt quia ille regreſſus eſt actus licitus, & honeſtus cum ſit actus fortitudinis, niſi fortè iurauerit cum limitatione mente concepta, aut niſi relaxationem obtineat iuramenti, aut niſi tempore iuramenti inſcius fuerit tanto periculi, nam iuramentum habet hanc tacitam conditionem, niſi notabilis mutatio ſuperueniat. Ita Leſſius *lib.2. cap.10. num.14.* Angelus verbo *Iuramentum num.5.* & alij apud Sanchez. *cap.2. num.32. & 34.* An peccet mortaliter, qui non adimplet iuramentum metu extortum? Reſpondeo affirmatiuè: ratio eſt, quia grauem iniuriam Deo facit, cum efficiat vt Deus in teſtem falſi adductus eſſe videatur. Ita S. Thomas 2.2. *quæſt.89. art.7.* Sanchez. *lib.3.cap.11.num.14.* & alij.

Quinam poſſint Iuramentum emittere?

BRACTEA XI.

R. Prohibitvm eſſe maſculis ante decimum quartum annum, & puellis ante duodecimū ſolemniter iurare in iudicio in cauſis ciuilibus. Ratio eſt, quia ante prædictum tempus non cenſetur habere iudicium perfectum ad iurandum; & ita colligitur *cap. pueri 2.2.quæſt.5.* in criminalibus non admittitur minor ad iurandum ante vigeſimum annum *leg.inuiti ff.de. teſtibus*. Item periurus ad iurandum in iudicio non admittitur iuxta caput *Paruuli*, & docet S. Thomas 2.2. *quæſt.89. art.10.* Ratio eſt, quia quem ſemel peieraſſe conſtat, periculum, atque ſuſpicio eſt iterum peieraturum. Tertio Sacerdotes non leui de cauſa iurare in Iudicio compellendi ſunt, ſed quandoque ob neceſſitatem, vel magnam vtilitatem iurare poſſunt, videlicet ad purgationem

gationem ſui, vel alterius innocentiam probandam, ne lædatur, vel rem ſuam perdat; item pro fide, pro obedientia, pro pace, pro indemnitate Eccleſiæ pro abſolutione à vinculo excommunicationis, &c. ſicut Syluester verbo *Iuramentum* 2. *quæſt.* 3. colligit ex *cap ſignif. de elect.* Quartò Clericum iurare non debere coram Laico exigente iuramentum coactiuum, ſiue neceſſarium. Ita intelligendum eſt *caput nullus* 22. *quæſt.* 5. alioquin non prohibentur Clerici etiam Sacerdotes poſtulante aliqua neceſſitate præſtare iuramentum coram Laico, non tanquam ſuperiore ſuo, ſiue non coactiuum, ſed voluntarium.

Sciendum iuramentum præſtari poſſe per Nuncium, vel Procuratorem ſeruata duplici limitatione: prima modo actus talis ſit, qui per Procuratorem præſtari poſſit, aut modo lex proprium iuſiurandum non requirat, ſeu non præſcribat, vt quis propria manu iuret: ſecunda modo, Procurator ſpeciale mandatum habeat ad iurandum. Ratio eſt, quia iuramentum eſt res maximi momenti, & ſtrictè obligat eum, cuius nomine fit; ergo non debet ſine ſpeciali ipſius mandato emitti.

An liceat iuramentum expoſcere ab eo, qui exiſtimatur peieraturus?

BRACTEA XII.

R. Iuramentum licitè exigi ab eo poſſe, qui creditur peieraturus eſſe. Ita S. Thomas *quæſt.* 89. *art.* 4. Salonius 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 4. Suarez de iuram. *lib.* 3. *cap.* 13. Sanchez in Sum. *lib.* 3. *cap.* 8. Reginaldus *lib.* 28. *num.* 76. Ratio eſt, quia qui exigit iuramentum, non intendit periurium, ſed iuramentum, etſi peierat, tale periurium pendet ſolum ex malitia peierantis, non autem ab eo, qui exigit iuramentum. Vnde ſequitur Iudicem poſſe petere iuramentum ab eo, quem ſcit peieraturum. Ratio eſt, quia faciens quod lex præcipit, quodque incumbit illi ex officio, non cenſetur delinquere, cum ſeruet legis præſcriptum, iuriſque ordinem prout incumbit ei.

R. 2. Non ſolum exigi poſſe ab eo, qui creditur peieraturus iuramentum, verùm etiam poſſe exigi ab eo, qui ſcitur iuraturus per falſos Deos, modò iuramentum exigatur abſolutè, & in genere, & non per falſos Deos, & ex rationabili cauſa, quia prauũ iuramentum imputandum eſt malitiæ malè iurãtis, nam exigens iuramentum, vtitur iure ſuo, & petit rem licitam ex iuſta cauſa, & non intendit ipſum iurare per falſos Deos, cum in genere ſolummodo exigat iuramentum.

R. 3. Abſque iuſta cauſa non poſſe exigi iuramentum ab eo, qui creditur peieraturus. Ratio eſt, quia peccat contra charitatem proximi, cum præbeat illicitam occaſionem peierandi, ideòque peccatum mortale committit contra charitatem.

Vtrum poſſimus in iuramento vti æquiuocatione.

BRACTEA XIII.

Sciendum verba habere duplicem ſenſum: vnum naturalẽ, & alterum ciuilem, & non cõmitti mendacium illa proferendo iuxta ſenſum, quem proferens intendit, etiamſi audientes contrarium intelligat. Ratio eſt, quia mentiri eſt ire contra mentem, tunc autem non itur contra mentem, cum verba proferuntur ſecundum earum ſignificationem naturalem, vel ciuilẽ. Secundò non committi mendacium, quando verba faciunt verũ ſenſum ex additione in mente proferentis retenta. Ratio eſt, quia non itur contra mentem, Ita Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 26. Sanchez in Sum. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 13. 14. *&c.* Azorius *par.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. *quæſito* 5 Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42 *dub* 9. *num.* 48. Suarez de iuram. *lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 4. & 5. & 6. Tertiò æquiuocationem varijs modis contingere poſſe: primò quando verba proferuntur ſub vno ſenſu, & non ſub illo, qui intenditur ab eo, qui exigit iuramentũ: ſecundò quando verba prolata faciunt verum ſenſum ex additione in mente proferentis retenta: tertiò quando verba prolata reſtringuntur iuxtà aliquam retentionẽ in mente ſeruatam, vt ſi quis petat, vt mutues pecunia negare, potes te pecuniam habere cum tali reſtrictione in mente retenta, ſcilicet vt illi commodes. Quibus poſitis.

R. Qui alio ſenſu iurat, quam alter intelligat, nõ peccat, modò habeat iuſtã cauſam vtendi tali æquiuocatione. Ratio eſt, quia iurans in tali euẽtu nõ tenetur ad mentẽ alterius loqui, nec totã ſuám mentẽ illi aperire; ergo poſita iuſta cauſa potes verba in alium ſenſum proferre, quam alter intelligat, & iurare iuxta ſenſum, quem ipſe concipis, vel addito aliquo alio quod faciat iuramentum verum. Ita Nauarrus *cap.* 12. *num.* 8. & alij. Vnde ſequitur eum, qui iuramento promiſit latroni centum libras addendo in mente, ſi debuero, non peccaſſe iurando, quia habet iuſtam cauſam vtendi ambigua oratione, & reſtrictione occulta, & tale iuramentum nullam inducere obligationem. Ita Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *pun.* 4. Nauarrus in Summ. *cap.* 12 *num.* 24. Azor. loco cit. Sanchez in Summ. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 38. Secundò habere iuſtam cauſam vtendi æquiuocatione, qui non interrogatur à ſuo Iudice, vel ſi interrogatur à ſuo Iudice, non interrogatur ſeruato iuris ordine, quod etiam dicendum eſt de teſte, dum non interrogatur iuridicè, aut dum habet iuſtam cauſam non ferendi teſtimonium in iudicio, vt ſi graue damnum ſibi timeat, tunc reſpondendo poteſt vti æquiuocatione, *v. g.* ſe non vidiſſe, aut ſe neſcire, &c. addita reſtrictione, vt teneatur dicere. Ita Nauarrus *cap. humanæ aures* 22. *quæſt.* 5. & alij, & ideò toties quoties datur iuſta cauſa vtendi æquiuocatione, vel ad euitandam mortem, vel ad ſaluandas res proprias, vel alia ſimili cauſa, non eſſe periurum eum, qui vtitur æquiuocatione in iurando cum reſtrictione in mente retenta.

An iurans ex conſuetudine peccet mortaliter?

BRACTEA XIV.

R. Habentem conſuetudinem iurandi, ſed non mentiendi, non eſſe in ſtatu peccati mortalis; etiamſi non conetur talem conſuetudinem euellere. Ratio eſt, quia non cenſetur per talem conſuetudinem eſſe in occaſione proxima peccati mortalis, cum talis conſuetudo non pertrahat ad periuria, cum non habeat conſuetudinem mentiendi, licet habeat conſuetudinem iurandi. Ita Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *pun.* 3. Suarez *lib.* 3. *cap.* 7. Sanchez *lib.* 3. *cap.* 5. Reginaldus *lib.* 28. *num.* 87. & alij. Qui verò habet conſuetudinem iurandi, & mentiẽdi, & confingendi mendacia cum iuramento, peccat mortaliter, ſi talem conſuetudinem non conetur euellere. Ratio eſt, quia ratione talis conſuetudinis

cenſetur eſſe in occaſione proxima peccati, cum talis conſuetudo pertrahat ad periuria, nimirum ad coniungenda iuramenta cum mendacio. Ita Suarez *lib.3.cap 6.* Reginaldus *loco cit.* & alij. Tertiò qui habet conſuetudinem iurandi, & mentiendi, ſed non coniungendi mendacium cum iuramento; videtur eſſe in ſtatu peccati mortalis, dum conſuetudinem non curat extirpare. Ratio eſt, quia cenſetur in morali periculo peierandi. Ita Valentia loco cit. Petrus Ledeſma 2.*tom.ſumm.tract.11.cap.5.dub.3*, & alij.

Sciendum habentem conſuetudinem iurandi, & mentiendi poſſe abſolui, dummodo firmum propoſitum habet abſtinendi in futurum ab huiuſmodi iuramentis. Ratio eſt, quia ratione firmi propoſiti cenſetur interrumpi occaſio proxima peccandi. Tum etiam, quia talis conſuetudo non dicitur occaſio extrinſeca, ob quam deneganda ſit abſolutio.

An violans Iuramentum, peccet mortaliter?

BRACTEA XV.

R. Violantem Iuramentum promiſſorium in materia notabili peccare mortaliter. Ratio eſt, quia violando tale iuramentum facit notabilem iniuriam Deo, et per conſequens cenſetur peccare mortaliter.

Sciendum dubium eſſe, an violans iuramentum in materia leui peccet mortaliter, circa quod tres ſunt ſententiæ. Prima eſt aſſerentium violationem iuramenti eſſe mortalem, quando res parua iuramẽto promiſſa eſt tota materia promiſſionis. Ratio eſt, quia in iſto caſu violans iuramentum promiſſorium in re parua, quæ ſit tota materia promiſſionis cenſetur grauem iniuriã inferre Deo; & per conſequens, &c. Si verò res parua non ſit tota materia promiſſionis, ſed ſolummodo pars; tunc iſti Doctores putant violantem iuramentum promiſſoriũ in re parua peccare tantummodo venialiter ratione paruitatis materiæ, & hanc ſententiam tuetur Caietanus, & alij. Secunda ſententia eſt dicentium violantem iuramentum promiſſorium in re parua peccare tantummodo venialiter, & huic opinioni fauet. Nauarrus *cap.12 num.10.* Suarez *lib.10.cap.16.* Azorius *lib. 5. cap.23.quæſt.2.* Sanchez *cap.4.num.23.* Emanuel Sà verbo *Iuramentum num.7.* Tertia ſententia affirmat, violantem iuramentum promiſſorium in re parua ſeriò promiſſa peccare mortaliter. Ratio eſt, quia facit grauem iniuriam Deo adducendo ipſum in teſtem falſi, nimirum in promiſſionem rei paruæ ſeriò promiſſæ; & licet iſtę tres opiniones videantur probabiles, tamen prima & tertia videtur mihi probabilior.

Sciendum 2. etiam dubium eſſe, an qui in ordine ad correctionem emiſit iuramentum comminatoriũ de infligenda alicui pœna, teneatur ipſam infligere? Ad quod reſpondeo teneri, modò eius adimpletio non ſit impeditiua maioris boni, aut non ſit ſublata cauſa comminationis. Ratio eſt, quia iuramentum obligat, ne Deus videatur adductus in teſtem falſi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia iuramentum habet hanc tacitam conditionem, niſi cauſa varietur. Secus verò dicendum, ſi iuramentum comminatoriũ non erit ad correctionem, ſed ex paſſione, & amore vindictę, quia in hoc caſu non obligat, cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis.

An obligatio Iuramenti tranſeat ad hæredes?

BRACTEA XVI.

R. Quod obligatio iuramenti propria ex virtute religionis omninò perſonalis eſt ſolummodo iurantem afficere, & non tranſire ad hæredes. Ita S. Thomas 2.2 *quæſt.98. art.2.* Caietanus ibidem, Sotus *lib. 8. quæſt. 1. art.2.* Abbas *in cap. veritatis nu.3. de iuramen.* Syluester verbo *Iuramentum 4.quæſt.3.* Sanchez *lib.3.cap.13.* Vnde ſequitur, hæredes illius qui iurauit ſe ſoluturum vſuras vſurario non teneri eas ſoluere, cum talis obligatio iuramẽti ſit perſonalis, quæ afficit ſolummodo ipſum iurantem, etiamſi iurans pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus iurauerit, non obligantur ſucceſſores ex vi iuramenti, quia talis obligatio iuramenti perſonalis eſt, obligabuntur tamen ex vi pacti, ſiue contractus, ſi nulla turpitudo interuenit ex parte iurantis promiſſionem exigentis. Vnde ſequitur, hæredes non ſeruantes contractum iuratum, vel promiſſionem iuratam defuncti non peccare peccato periurij, quia ipſi non tenentur vinculo iuramenti: peccare tamen contra iuſtitiã, quia obligatio realis in ipſis deriuatur. Ita Suarez *lib.2. de iuramento cap. 31.* Reginaldus *lib.18.nu.35.* Sanchez in opere morali *lib. 7.cap.20.*

R. 2. Obligationem iuramenti propriè promiſſorij tranſire ad hæredes, aut ſucceſſores eius, cui iuratum eſt. Ita Doctores *in cap. veritatis*, vbi Abbas *num. 3. de iureiurando*, Angelus verbo *iuramentum 5. num. 40.* Silueſtr. eodem verbo *4.quæſt.3.* Couarruuias *cap. quãuis pactum 7. pun.1. cap. 7.* & alij, idque probatur partim ex lege ſi pactum de probationibus. In quo habetur pactum, ſiue promiſſionem tibi factam ad hæredem quoque extendi, licet expreſſum non fuerit: ſic iuramentum fidelitatis factum Domino feudi cenſetur etiam factum ſucceſſoribus eius; nec eſt neceſſe, quod in iuramento fiat expreſſio ſucceſſorum, ſed ſatis eſt, quod præſtetur tali perſonæ ratione dignitatis, aut dominij, &c.

Quomodo iuramentum ſit interpretandum?

BRACTEA XVII.

R. Iuramentum iudicandum eſſe iuxta naturam actus, cui adiungitur. Ratio eſt, quia iuramentũ ſortitur conditiones actus ſub quem cadit God. de non numerata pecunia, cap. quemadmodum de iureiurando; tum etiam, quia iurans intendit iurare quod promittit, & do quocunque eodem modo, & iſtis conditionibus ſub quibus promittitur; & ideò iuramentum ſapit conditiones eius actus, cui adiungitur; hinc eſt vt qui iurat ſponſalia intelligatur iurare iuxta conditionem ſponſalium, ita vt ſi ſponſa fornicetur, nõ obligetur iuramento. Secundò eum, qui promiſit aliquid Titio cum iuramento non teneri ſtare promiſſioni ſi Titius fiat ingratus, & ſic de cæteris.

R. 2. Iuramentum in dubio ita explicandum eſſe, vt quantum fieri poteſt minus obliget ſeruata verborum proprietate. Vnde iuramentum, aut votum non ludendi debet intelligi de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratia ſuſcipitur, niſi aliter conijciatur de iurantis, aut vouentis intentione. Ratio eſt, quia iuramentum reſtringendum eſt, vt quantum fieri poteſt minus obliget. Ita Nauarrus *cap.12. num.11.* Rodriquez, *1.part. cap.169. num.10.*

Sanchez

Sanchez. in ſum. *lib.3 cap.*18. Regiualdus *lib.*18.*num.* 47. Dixi, *niſi aliter*, conſtet de iurantis, aut vouentis intentione, quia ſi conſtaret iurantem, aut vouentem ſe voluiſſe obligare ad abſtinendum à ludo licito tenebitur abſtinere, quamuis ludus ſit recreationis gratia. Ratio eſt, quia iuramentum, & votum obligant iuxta intentionem iurantis, & vouentis. Vnde qui iurauit abſolute non ludere, non ſolum poteſt ipſe vi iuramenti non ludere, ſed nec etiam per aliũ. Ratio eſt, quia qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur. Secundò qui iurauit non ludere, vt facilius poſſit vacare Diuinis tenetur à ludo etiam licito abſtinere, cum talis videatur eſſe intentio iurantis. Tertiò qui timore iacturæ facultatum iurauit non ludere tenetur etiam à ludo lecito abſtinere, quia iactura facultatum non modo fit in ludo illicito, ſed etiam in licito: verum non erit peccatum mortale ſi ludo licito ludet paruam ſummam, & non ſit periculum ira incaleſcendi, vt magna pecuniæ quantitas prodigatur. Ratio eſt, quia talis ludus videtur per epicheiam exceptus, & parum pro nihilo reputatur. Ita Sanchez. *lib.* 3. *cap.* 18. *num.*7. *&* 8.

Quibus modis tollatur, aut impediatur obligatio Iuramenti?

BRACTEA XVIII.

R. Obligationem iuramenti dupliciter poſſe impediri ne inducatur: primò per legem deſtruendo omninò contractum humanum ſupra quem cadit, quia deſtructo fundamento deſtruitur etiam, id quod ipſi innitebatur: ſecundò prohibendo exequutionem, ita vt ſine peccato nequeat adimpleri: cum enim iuramentum non ſit vinculum iniquitatis, dicendum eſt. ipſius obligationem impediri dum ipſius exequutio prohibetur. Ita Sanchez. in ſum. *lib.*3. *cap.* 22. *num.*11. Molina *diſp.* 271.

R. 2. Obligationem iuramenti iam inducti primò auferri mutatione materię, vt v.g. ſi materia iuramẽti fiat illicita, q̃a iuramẽtũ nõ eſt vinculũ iniquitatis, aut ſi fiat impoſſibilis, cũ ad impoſſibile nemo obligetur. Secundò remittitur obligatio iuramenti remiſſione, ſeu relaxatione illius, in cuius fauoré fuit factum iuramẽtũ, q̃a is poteſt cedere iuri ſuo, & iuramentum cenſetur factũ ſub hac tacita conditione, ſi his in cuius fauoré ſit illud acceptet, & illo in cuius fauorem fuit factũ iuramentum non acceptante, vel remittente ipſam obligationem liber erit iurans ab obligatione iuramenti. Ita Clauis regia *lib.*5.*cap.*7. Leſſius *lib.*2.*cap.*42.*dub.*12. *num.*47. Henriquez *lib.*11. *cap.*14. *num.*6. Nauarrus in manuali *cap.*22. *num.*25. Azor. *lib.*11.*cap* 9. Tertiò tollitur obligatio iuramenti per irritationem factam per ſuperiorem, cui ſubiecta eſt materia iuramenti. Ita Pontifex irritat iuramentum Clerici de dandis certis fructibus conſanguineo, iuramentum Canonici de ſeruando ſtatuto, quod ſit præiudiciale iuribus Eccleſiæ, &c. ita etiam Rex poteſt irritare iuramentum ſubditi de non donanda certa ſumma pecuniæ, de eundo in aliquem locum, &c. poteſt enim prohibere ne donet, ne diſcedat: tunc autem eo ipſo iuramentum incipit eſſe de re illicita, & ideò deſinit obligare. Tertiò Parentes poſſe irritare iuramenta realia, & perſonalia filiorum; Dominos ſeruorum, & viros vxorum in his, quæ præiudicant poteſtati eorum. Ita D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 89. Syluester verb. *Iuramentum* 7.*quæſt.*7. Sanchez. *lib.*6.*de matrim.diſp.*39. *num.*10. Suarez. *lib.* 2.*de iuram.cap.*38. Azorius *lib* 11.*cap.*10 Regiuald.*lib.* 18.*num.*64. & alii. Licet quod ſi ſuperior, Pater, &c. conſenſerint in iuramenta ſubditorum non poſſint abſque noua cauſa licitè irritare, quia temerè irritarent. Quartò obligatio iuramenti tollitur per commutationem, vt quando quis commutat materiam iuramenti in aliam meliorem, & illa materia dicitur melior, quæ omnibus conſideratis eſt Deo gratior.

Sciendum non modo habentem poteſtatem commutandi iuramentum poſſe in id commutare, quod eſt melius, aut in rem euidenter æquè bonam, ſed etiam ipſum met iurantem poſſe materiam iuramenti commutare in melius. Ratio quia poteſt commutare vota; ergo etiam iuramenta. Ita Valentia 2.2.*quæſt.*6.*diſp.*7.*pun.*4. Toletus *lib.*4. *cap.*27.*num.*3. Reginaldus *lib.*18.*num.*63.& alij.

An qui facultatem habent diſpenſandi in iuramentis poſſit diſpenſare nolente eo, in cuius fauorem factum eſt iuramentum?

BRACTEA XIX.

Sciendum iuramentum aliquando fieri in honorem Dei, & ſic includit votum, aliquando in fauorem hominis, qui aliquando acceptat, aliquando non. Quo poſito.

R. Iuramentum factum in fauorem hominis, qui illud acceptauit non poſſe commutari, vel diſpenſari nolente eo, in cuius fauorem factum eſt. Ratio eſt, quia ſuperior non poteſt tollere ius alterius, ſine vrgentiſſima cauſa: ille autem, qui acceptauit iuramentum habet ius per acceptationem iuramenti; ergo, &c. Si verò aliqua iniuria pręceſſit, aut aliqua turpitudo verſetur ex parte recipientis iuramentum, tunc cenſeo iuramentum in fauorem hominis factum poſſe diſpenſari, atque commutari abſque conſenſu, vt quando iuramentum à latrone fuit extortum metu mortis, &c ſi verò iuramentum factum fuit in honorem Dei, vt ſi quis iurauit recitare officium, &c. poteſt hoc iuramentum relaxari, & commutari ab eo, qui facultatem habet ordinariam commutandi, & relaxandi ſimile votum, modo adſit iuſta cauſa, cum inferior non poſſit diſpenſare in his, quæ ſunt de iure Diuino abſque cauſa.

Sciendum 2. Poteſtatem diſpenſandi in iuramentis præter Summum Pontificem reſidere penes Epiſcopos, & alios Prælatos iuriſdictionem habentes quaſi Epiſcopalem; excipiuntur tamen iuramenta, quorum abſolutio Romano Pontifici reſeruatur, & iuramenta, quę habent annexum votum Papæ reſeruatum.

Sciendum 3. Dubium eſſe, an qui non obſeruat id in quod auctoritate ſuperioris iuramentum fuit commutatum, ſit periurus? Ad quod reſpondeo negatiuè; ratio eſt quia facit ſolum contra pactum, quo rem illam loco materiæ iuratæ acceptauit.

MALLEATIO IIII.

DE VOTO.

Quid ſit votum?

BRACTEA I.

SCIENDVM nomen Voti dupliciter accipi, interdum pro deſiderio, ſeu prece accipitur; vt prouerbiorum 31. *Quid eſt dilecte votorum*, ideſt deſideriorum, & in canone Miſſæ, *Tibique reddunt vota ſua*, ideſt deſideria, & preces. Secundò ac frequentiùs pro promiſſione Deo facta, vt apud Eccleſiaſticum in *cap. 5 ſi quid vouiſti. Deo memor eris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio*, & Pſalmo 94 *Reddo Altiſſimo vota tua*, Pſalmo 69. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*; atque hinc interdum transfertur nomen voti ad rem ipſam voto promiſſam, vti apud Deuteronomium *cap. 12. Offeretis in loco illo holocauſtas, & victimas veſtras, &c.* vota, atque donaria. Quibus poſitis.

R. Votum ſecundum poſteriorem acceptionem definiri promiſſionem voluntariam, & deliberatam factam Deo de aliquo bono meliori Et ita communiter omnes Doctores: primò dicitur *Promiſſio*, quia ad votum non ſufficit habere propoſitum faciendi aliquid, vt ingrediendi Religionem. Ratio eſt, quia per ſolum propoſitum homo non habet intentionē ſe obligandi, nec propoſitum vllam inducit obligationem ad mortale, aut veniale, ſed ſolum qui habet propoſitum, oſtendit affectum propriæ voluntatis in ordine ad aliquid faciendum; ex quo fit, vt qui propoſitum non obſeruat, non dicatur mendax. Ratio eſt, quia qui proponit, non ſe obligat ad aliquid faciendum. Ita Nauarrus *cap. 12. num* 24. Sanchez *lib. 4. cap. 1. num. 20.* Azorius *lib. 11 cap. 13 quæſito* 5. Clauis regia *lib 6. cap. 2.* Toletus *lib. 4 cap. 17.* Silueſtr. *verbo votum 1 quæſito 2* Leſſius *lib. 2. cap 4 dub. 21.* Suarez *lib. 1. de voto cap 2 num* 8 & alij; & ideò ad votum requiritur promiſſio, quia quis per promiſſionem ſe obligat ad aliquid faciendum, quæ promiſſio neceſſariò non requiritur, quod ſit explicita, ſed ſatis eſt, quod implicita, & virtualis, vt patet in recipiente ordinē ſacrum in Eccleſia Latina, cum enim ex eiuſdem Eccleſiæ inſtitutione ordini ſacro ſolemne votum caſtitatis ſit annexum, ordinatus etiamſi non fecerit expreſſam promiſſionem, adſtringitur voto caſtitatis eo ipſo, quod ſacrum Ordinem ſuſceperit ſecundum Eccleſiæ Latinæ ritum: ſecundò dicitur in definitione, quod promiſſio ſit deliberata, cùm promiſſio ad voti eſſentiam ſpectans debeat eſſe plenè deliberata, ſeu facta cum plena rationis aduertentia ad id, quod promittitur: ſufficit tamen ad rationem voti, quod ſit emiſſum eo rationis iudicio, quod ad peccatum mortale committendum requiritur; & ſufficit, quia conſentaneum eſt deliberationem, quæ ſufficit ad obligandum ſe Diabolo, ſufficere poſſe ad obligandum Deo: ſecundò dicta promiſſio debet eſſe cum propoſito promittendi, quia niſi ipſa ex tali propoſito procedat, votum erit tantummodo fictum, & præſumptum perinde, atque donatio non procedens ex propoſito donandi, prout cenſetur facta cum propoſito minimè alienandi à ſe rem donatam, quia quando actui apponitur expreſsè aliqua conditio contra ipſius ſubſtantiam deſtruitur, efficiturque irritus per talem exiſtentiam expreſſam. Sic igitur vouens habendo propoſitum non vouendi tantum fingit votum externa ſpecie verborum, quandoquidem dicens voueo, vel promitto mentitur, quia loquitur contra mentem, quā interiùs contradicit. An verò ſufficiat deliberatio virtualis ad ipſum votum reſpondeo, quando votum eſt in ſe volitum ſufficit deliberatio virtualis, quando verò votum non eſt volitum in ſe non ſufficit deliberatio virtualis: vnde qui præuidet, fore vt in ſomnis emittat iuramentum, vel votum, ſed non adhibet diligentiam ad non emittendum, ſi poſtea in ſomnie emittat votum, non validè vouet, quia non operatur humano modo, nec facit actum humanum. Ita Suarez *lib. 1. de voto cap. 10. num.* 5. Sanchez in Summ. *lib. 4. cap. 1. num. 6.* Nauarr. *cap. 12. num.* 26. Tertiò promiſſio debet eſſe cum propoſito implendi promiſſum, quia ſine eo vouere, potius eſt illudere Deo, quā promittere, perinde eſt, ac ſi quis homini aliquid promitteret addendo ſe non habere animū implendi promiſſum, oriri tamen obligationem ſeruandi votum, ſicut & iuramentum factum animo iurandi, & ſe obligandi, etiamſi iurando non habuerit animū adimplendi illud. Ratio eſt, quia non eſt de eſſentia promiſſionis, vt quis habeat animum præſtandi rem promiſſam, ſed ſolùm vt habeat animum conferendi ius aliquod ad eam exigendam, & qui ſic vouet, peccat iuxtà materiæ grauitatem, quia animus violādi votum; ita eſt peccaminoſus, ſicuti eſt ipſa violatio: violatio autem voti eſt grauis, aut leuis iuxta materiæ grauitatem.

Si verò quis promittat cum animo poſitiuo non ſe obligandi, aut cum animo etiam negatiuo, ideſt abſque expreſſa, vel tacita intentione ſe obligandi nō obligatur vi voti: vnde ſi quis ignorans vim, & eſſentiam voti vouere velit, non autem voti obligationem contrahere, ſe re vera nec vouet, nec obligatur, quia incogniti nulla voluntas, & error circa ſubſtantiam, ſiue eſſentiam rei vitiat actum. Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 9 num. 3.* Suarez *lib. 1. de voto cap 3. num. 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 6 quæſt. 6. pun. 1.* Ratio eſt, quia non cenſetur habere expreſſam, vel tacitam intentionem ſe obligandi: votum autem in tantum obligat, in quantum vouens intendit ſe obligare, Ita Nauarrus *cap. 12. num.* 27. Sanchez *lib. 4. in ſumm. cap. 1. num. 16* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 1. num. 13.* Tertiò dicitur in definitione, quod promiſſio ſit volūtaria, quia votum inuoluntariè factum nullam inducit obligationem. Vnde ſequitur promiſſionem per errorem, vel dolum circa ſubſtantiam, vel cauſam finalē extortam non habere vim voti, neque obligare. Secundò qui non habet voluntatem promittendi, ſeu vouendi tacitam, vel implicitam, actualem; vel virtualem non validè vouet, quia obligatio voti dependet ab intentione vouentis: vnde qui non habet intentionem actualem, vel virtualem, explicitam, vel implicitam ſequitur ipſum nolle ſe obligare: ille dicitur habere expreſſam, & actualem volūtatem, qui verè, & realiter intendit promittere, quod promittit: ille verò dicitur habere intentionem implicitam, vel virtualem, qui ignorans naturā voti vult promittere ea intentione, qua cæteri promittunt, aut qui ſciens naturam voti, vult vouere, non habēs expreſſam voluntatem ſe obligandi, nam ſciens naturam voti, & vouens promittere, cenſetur velle facere actum ſecundum ipſius naturam, natura autem voti eſt, vt obliget. Tacitam etiam, & virtualem voluntatem circa votum caſtitatis habet ille, qui recipit Ordines ſacros ignorans illis annexum eſſe votum caſtitatis ex ſtatuto Eccleſiæ, nam qui vult ſtatum aliquem, vult etiam virtualiter onera illi ſtatui annexa. Ita Sanchez de matrim. *lib. 2. diſp. 27. num. 11.* An obligetur ad votum caſtitatis, qui ad Ordines

nes ſacros accedit ſciens illis eſſe annexum votum caſtitatis, quod tamen reſpuit nolens actu poſitiuo ad illud ſe obligare?

R. Obligari etiam ad caſtitatem ſeruandam, non quidem ratione voti, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, quæ præcipit inſignitos ordinibus ſacris ſeruare caſtitatem. Ita Paludanus *in 4 diſt 27 quaſt.1.art 2.num 14.* Sanchez. in ſum. *cap.1.num.29* Sy ueſt. verb. *matrim.* 8.*quæſt.12.dub* 2. & alij. Quartò dicitur in definitione *facta Deo*, quia votum propriè loquendo ſoli Deo fit cum ſit actus latriæ, ſiue Religionis, qua ſolum Deum colimus: vnde vota, quæ fiunt Sanctis, ipſi dicuntur fieri, quatenus in ipſis Deus honoratur, tum etiam quia fiunt Deo in Sanctis. Vltimò dicitur *de meliori bono*, vt oſtendatur votum non obligare, niſi materia eius ſit bona, & honeſta: dicitur *de meliori*, non quia id quod vouetur debeat eſſe optimum, ſed ita intelligitur vt melius ſit, quam eius oppoſitum, quia materia voti debet eſſe aliquid Deo gratum, illud autem eſt Deo gratum, quod eſt melius, quam eius oppoſitum. Ita Suarez *lib 2.de voto cap 4. n. 3.* Azorius *lib.11 cap 14 quæſt.6.* Nauarrus *cap.12. nu 29.* Rodriquez. *2 parte cap.34.* & alij; & ideò non eſſe validum votum factum de rebus, quæ repugnant conſilio cum non ſit de meliori bono. Secundò non eſſe validum votum de non mutando, de matrimonio futuro, de eleemoſyna non facienda, &c. cùm eorum oppoſitum ſit melius.

De Diuiſione voti?

BRACTEA II.

R. Votum primo diuidi in votum deliberatum, & indeliberatum; votum deliberatum illud dici, quod factum eſt cum intentione ſaltem virtuali ſe obligandi; indeliberatum verò quod ſine deliberatione antecedenter factũ eſt. Secundò diuiditur votum in Reale, Perſonale, & mixtum: Reale illud eſſe, quo res aliqua Deo promittitur, vt v. g. eleemoſyna: Perſonale eſt, quo promittitur Deo aliqua actio ipſius perſonæ, vt ieiunare, audire miſſam, &c. Mixtum eſſe illud, quo promittitur res aliqua cum actione ipſius perſonæ, vt eleemoſyna pro dicendo miſſam B. Virginis, & ipſam audire. Tertiò diuiditur votum in ſolemne, & ſimplex: votum ſolemne illud eſſe, quod fit cum certis ceremonijs præſcriptis ab Eccleſia, & res ipſa quæ promittitur traditur, & acceptatur ab eo, qui vicem Dei tenet, cuiuſmodi eſt votum Religionis in profeſſione, & votum caſtitatis in ordinum ſuſceptione: votum ſimplex conſiſtit in ſimplici promiſſione, quæ fit Deo. Quartò diuiditur votum in temporale, & perpetuum: temporale illud eſſe, quod durat vſque ad certum, & determinatum tempus: perpetuum quod durat vita vouentis. Quintò diuiditur in commune, & particulare: votum commune illud eſſe, quod fit ab aliqua communitate, vniuerſitate, vel Collegio, &c. particulare, quod fit à certa, & determinata perſona: Sextò diuiditur in expreſſum, & tacitum: expreſſum, quod verbis illud exprimentibus celebratur: tacitum eſt quod non fit verbis illud exprimentibus; ſed quatenus aliquid fit, cui eſt annexum votum, vt eſt votum caſtitatis; quod emittitur in ſusceptione ſacri ordinis. Septimò diuiditur in reſeruatum, vt eſt illud, quod reſeruatur ſuperiori, & non reſeruatum, quod nemini reſeruatur. Octauò diuiditur in abſolutum, & conditionatum: abſolutum eſt quo quis abſolutè, & ſine conditione vouet: conditionatum verò, quod fit ſub conditione: abſolutum homo ſtatim, ac poteſt implere tenetur, niſi certum tempus præfixerit: cõditionatũ verò non tenetur implere, donec ſecuta ſit cõditio, quia cõditio ſuſpẽdit obligationẽ illius.

Sciendum conditionem, quæ in aliqua diſpoſitione apponi ſolet, aut eſſe contra ſubſtantiam diſpoſitionis, aut eſſe impoſſibilem, aut turpem, aut neceſſariam, aut contingentem, & honeſtam: votum factum ſub conditione contra naturam, & ſubſtantiam voti eſſe inualidum *Cap fin. de condition. appoſitis*; vnde qui vouet ea conditione, vt non obliget, inualidè vouet, quia conditio appoſita eſt contra naturam voti. Similiter; qui vouet Religionem ea conditione, vt aliquid proprij ſibi referuet inualidè vouere. Ita Azorius *1 part. lib. 11 cap. 15.* & alij. Secundò qui vouet ſub conditione impoſſibili inualidè vouet cum non velit obligari, niſi ea conditione appoſita; cum autem conditio impoſſibilis poni nequeat, idcircò ſequitur nolle eum obligari; ſecus dicendum de matrimonio, quia in ipſo conditio impoſſibilis cenſetur pro non adiecta. Ita Molina *tom.1. de iuſtit. diſput.206.* Sanchez. *lib.4. cap 23. num.8.* Tertiò votum factum ſub conditione turpi; quæ ſit contra ſubſtantiam voti inualidum eſſe: ſecus verò dicendum ſi conditio turpis non ſit contra ſubſtantiam voti, ſed ſolum apponatur per modum conditionis, nec vouens ad illa dirigat votum. Ratio eſt quia adſunt omnia requiſita ad votum, videlicet intentio, materia honeſta, & finis honeſtus. Quartò votum factum ſub conditione neceſſaria validum eſſe, ſtatimque obligare, nam cum ea conditio ſit neceſſariò euentura habetur pro impleta. Quintò votum factum ſub conditione honeſta contingente obligare adimpleta conditione. Ratio eſt, quia votum de re licita obligat iuxta intentionem vouentis, & per conſequens impleta conditione. An vouens pendente conditione poſſit aliquid facere, quo ſe reddat ineptum ad voti exequutionem? Reſpondeo negatiuè: ratio eſt, quia vouens tenetur votum adimplere adimpleta conditione, non poteſt autem uotum adimplere adimpleta cõditione, reddẽdo ſe ineptũ ad voti exequutionem: quod tamen intelligendum eſt cum duplici limitatione: primò vt conditio poſita ſit poſſibilis, & vt vouens non ſit moraliter certus conditionem non eſſe euenturam, quia ſi eſſet moraliter certus, conditionem non eſſe euenturam, aut conditio ſit impoſſibilis nõ peccat faciendo aliquid, quo ſe reddit ineptum ad exequutionem voti. Ratio eſt, quia fruſtra expectatur effectus, cuius nullus eſt euentus. Secundò vt adimpletio conditionis non pendeat à uoluntate uouentis, nam ſi conditio ab ipſius uoluntate pendeat, ita vt vouens reſeruaret ſibi libertatem adimplendi, aut omittendi eam conditionem non peccet reddendo ſe ineptum, aut impediendo conditionis euentum. Ita Rodriquez *2 part. cap.58 num.2* Clauis regia *lib.6. cap.8. num.4* Syluester *verbo votum 2. num.2* Azorius *lib 11 cap.20 quæſt.ult.* & alij. Vltimò diuiditur uotum in morale, & pœnale: morale dicitur, quod ſpectat ad mores tanquam ſtimulus ad ſtudium, & exercitium uirtutis: pœnale uerò dicitur quod in pœnam alicuius peccati ſuſcipitur, aliquando quidem ſub conditione, ut cum quis uouit peregrinationem cum luſerit aleis, &c. aliquando uerò abſolutè, ut cũ quis uouit peregrinationẽ, &c. quia cõmiſit homicidium, & utroq; modo eſt uerũ uotum, per quod uouens conſentit in obligationẽ ſubeundi talem pœnam, cum hac tamen differẽtia, ut ſi ſit poſterioris modi ad exequutionẽ ſtatim obliget, nõ itẽ ſi prioris modi, cũ illius obligatio ſuſpendatur.

An votum metu emiſſum ſit validum?

BRACTEA III.

SCIENDVM metum alium eſſe intrinſecum, aliũ extrinſecum: Intrinſecus dicitur ille, qui eſt à cauſa intrinſeca, v. g. à graui infirmitate, vel à timore alicuius mali imminentis: metus extrinſecus eſt, qui incutitur à cauſa extrinſeca, ideſt à cauſa libera, ſeu ab homine. Secundò metum ſubdiuidi in metum cadentem in conſtantem virum, & in metum cadentem in inconſtantem virum: metus cadens in conſtantem virum eſt ille quo eligitur minus malum, vt impediatur maius malum, quod aliter non poteſt impediri: metus cadens in virum inconſtantem eſt ille, quo maius malum eligitur ad fugiendum minus: metus cadens in conſtantem virum, aut eſt iuſtus, aut iniuſtus, eſt iuſtus quãdo iniuſtè incutitur, vt quando quis minatur malum, quod iuſtè poteſt inferre: metus iniuſtus eſt qui iniuſtè incutitur, nimirum quando quis minatur malum, quod iuſtè non poteſt inferre. Denique metus, qui prouenit ab extrinſeco aliquando incutitur in ordine ad hunc effectum particularem, aliquando non, ſed in ordine ad alium finem. Quibus poſitis.

R. Votum emiſſum metu graui illatum à cauſa intrinſeca validum eſſe. Ratio eſt, quia huiuſmodi votum cenſetur voluntarium; ergo, &c. Secundò votum emiſſum ex metu graui incuſſo à cauſa extrinſeca non ad extorquendum votum, ſed ad alium finem validum eſt: ratio eſt, quia cum vouens à nemine compellatur cenſetur voluntarium; cum metus non ſit cauſa voti, ſed occaſio, Ita Nauarrus *cap.* 12. *num.* 52. Suarez. *de voto lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. Sanchez. *cap.* 3. *num.* 4. & alij. Tertiò votum factum ex metu graui iniuſtè incuſſo à cauſa extrinſeca ad extorquẽdum votum inualidum eſſe iure Eccleſiaſtico, Ita Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *pun.* 4. Azorius 1. *part. lib* 11. *cap.* 15. *quæſito* 6. & alij. Ratio eſt, quia tale votum non cenſetur purè voluntarium, cum ſit extortus à cauſa extrinſeca minante: ad votum autem requiritur voluntarium perfectum, ergo, &c. An verò ſit irritum iure naturæ? Reſpondeo negatiuè; ratio eſt, quia metus ille incuſſus à cauſa extrinſeca ad extorquendum votum non excludit totaliter voluntarium, nec deliberationem, & per conſequẽs votum iure naturæ eſſe validum, cum illud voluntarium, & illa deliberatio ſufficiant ad peccatum mortale; tum etiam, quia cæteri contractus tali metu celebrati iure naturæ ſunt validi; ergo etiam votum.

Sciendum quod cũ metus incuſſus à cauſa extrinſeca, vnus ſit grauis, qualis eſt metus mortis, amiſſionis bonorum, amiſſionis famæ, periculum carceris, iniuſtè excommunicationis, excuſationis, &c. & alius leuis, votum non irritatur ex metu leui non cadente in conſtantem virum, quamuis ille metus ſit cauſa voti. Ratio eſt, quia cenſetur ſufficienter voluntarium, & Eccleſia non irritat huiuſmodi vota. Secundò requiritur, quod metus grauis ſit iniuſtè incuſſus, quia metus iuſtè incuſſus non irritat votum; cum ratione huius, nulli fiat iniuria. Tertiò requiritur quod metus grauis ſit incuſſus ad extorquendũ uotũ, quia ſi erit incuſſus ad aliũ finẽ, & non ad hunc, votum erit ualidum, cum cenſeatur voluntarium, & ſponte emiſſum. Vnde ſequitur nullum eſſe uotum profeſſionis, quod emiſſum fuit ob timorem Patris minantis graues iniurias, &c. Ratio eſt, quia uotum illud non cenſetur perfectè uoluntarium, quod requiritur ad emittendum uotum. Secundò eum non teneri uoto caſtitatis, qui metu cadente in conſtantem uirum acceſſit ad ſuſcipiendos ordines, etiamſi teneatur caſtitatem ſeruare ratione præcepti Eccleſiæ. An uotum metu graui emiſſum, & iuramento confirmatum obliget ſaltem ratione iuramenti? reſpondeo negatiuè: ratio eſt, quia iuramentum ſequitur naturam rei, cuius eſt actus, cum autem uotum metu graui emiſſum ſit inualidum, ſequitur iuramentum, quod ſupra ipſum cadit, ſortiri conditionem illius.

An Votum factum per errorem, aut dolum ſit validum.

BRACTEA IV.

R. VOTVM editum ex ignorantia, ſiue errore tollente voluntarium, qualis eſt error, aut dolus verſans circa ſubſtãtiam rei promiſſæ, nullius roboris eſſe. Ratio eſt, quia talis error, aut dolus tollunt voluntarium, cum nihil magis ſit contrarium conſenſui, quam error: de ratione autem voti eſt promiſſio ſit voluntaria. Ita Sotus *lib.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 2. *num.* 11. & alij.

Sciendum ignorantiam duplicem eſſe, vnam negatiuam, & alteram prauæ diſpoſitionis: ſi ignorantia negatiua ſit circa ſubſtantialia rei promiſſæ, irritum eſt votum; ſi verò circa accidentalia rei promiſſæ, validum eſt votum. Ratio prioris partis eſt, quia incogniti nulla eſt voluntas; ideò qui rei ſubſtantia ignorata vouit, non habuit voluntatem eam vouendi, ſeu ad illam ſe obligandi: vnde qui vouit adire limina Apoſtolorum, quæ credit non longè diſtare, ſed poſtea comperit longè diſtare, nõ tenetur ad ſeruandum votum, quia deeſt voluntarium, ob errorem circa rem promiſſam. Ratio poſterioris partis eſt, quia cum accidentia, ſiue circunſtãtiæ ſint connexæ rei promiſſæ; ideò qui hanc voluntariè vouet, etiam illas conſequenter vouiſſe cenſetur, niſi expreſſè excludat. Ignorantiam prauæ diſpoſitionis impedire valorem voti, non tantum ſi circa ſubſtantialia rei promiſſæ verſetur, ſed etiam ſi circa accidentalem circunſtantiam, quæ ſecundũ falſam exiſtimationem vouentis notabiliter obiectum immutat, vt ſi quis ordinem Carthuſianorum ſe ingreſſurum vouet exiſtimans in eo permiſſum eſſe carnibus veſci, ita vt talis error ſit antecedens, ſiue cauſa vouendi, quia eo ſuppoſito minimè voueret, is voto non obligatur. Ratio eſt, quia talis Religionem illam non abſolutè vouet, ſed vt affectam tali circunſtantia, quæ licet ſit accidens obiecti, ſiue rei promiſſæ materialiter, pertinet tamen quodammodo ad ſubſtantiam obiecti formaliter; excipiendum tamen eſt votum profeſſionis ſolemnis, quod inſtar matrimonij carnalis ob nullum errorem ad rei promiſſæ ſubſtantiam non pertinentem infirmatur.

R. 2. Votum ſimplex factum per errorem, & dolum circa cauſam motiuam, & finalem inualidum eſſe. Ratio eſt, quia cenſetur emiſſum ſub hac tacita conditione, ſi cauſa finalis, & motiua ſubſiſtat. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 12. & alij. Dixi *votum ſimplex*, quia votum ſolemne factum in profeſſione, vel in ſuſceptione ſacrorum Ordinum non irritatur per dolum, & errorem circa cauſam finalem, vt conſtat ex ſupradicta ratione. Vnde ſequitur, qui falsò credens ſe eſſe inſtitutum hæredem, vouit eleemoſynã non teneri cognito errore adimplere votum, cum cenſeatur factum per errorem circa cauſam motiuam,

uam,& finalem,& ſic de alijs dicendum eſt.

Sciendum dubium eſſe, anceſſante cauſa finali voti,vel iuramenti ceſſet etiam ipſius obligatio,vt v.g. quis vouit non tranſire per aliquam viam ex eo,quod ibi habitet mulier fornicaria,cum qua peccare conſueuit,poſſit poſtea per illam tranſire,ſi ipſa mutauerit, alibi domiciliũ.Ad quod reſpõdeò affirmatiuè;& ita Azorius 1.*par.lib.*11.*cap.*15.*quęſito* 3. Syluester verbo *votum* 2.*quęſito* 8.Sanchez in opere morali *lib* 4. *cap.* 2. *num.* 42. Suarez *lib*.4.*cap*.18.*num*.4. Ratio eſt,quia votum non obligat vltra intentionẽ vouentis : vouens autem non cenſetur habuiſſe intentionem obligandi ſe ceſſante cauſa finali voti , quod fuit emiſſum ob talem cauſam.

R. 3. Votum factum per dolum,vel errorem circa cauſam tantum impulſiuam validum eſſe . Ratio eſt,quia talis dolus,& error non tollunt voluntariũ. Vnde ſequitur teneri eum votum adimplere, qui vouit dare eleemoſynam ex motiuo paupertatis, ſed libentiùs,quia exiſtimabat eum eſſe virum probum,vel doctum,ſed poſtea comperit illum eſſe improbum,& indoctum . Ratio eſt,quia cauſa finalis, & motiua voti ſubſiſtit , quamuis non ſubſiſtat impulſiua,quæ eſt probitas,& doctrina.

Quænam ſit materia Voti?

BRACTEA V.

SCIENDVM nomine materiæ intelligi res ipſas, quas ob honorem Dei , ſeu facturos nos , ſeu omiſſuros promittimus:propinquè autem ipſã noſtrã operationẽ,ſeu omiſſionẽ Deo promiſſã, v.g. Voueo me eleemoſynã daturum,ieiunaturum , non blaſphematurum , &c. Secundò materiam voti tres conditiones requirere: prima eſt,vt ſit actus humanus,ſeu quem exercere,uel nõ exercere liberum ſit vouenti,nam ſi actus ſit,quem vel exercere, vel non exercere,ſitum non ſit in ipſius poteſtate ineptè peculiari obligatione aſtringet ſe ad id , quod velit, ei continget:ſecunda vt ſit opus bonũ, vtpotè quod debeat gratum eſſe Deo , cum votum ſit promiſſio facta Deo , quam ipſe non acceptat , niſi factam de re ſibi grata;nihil autem quod bonum non eſt, Deo gratum eſt:quapropter votum nonniſi de bono fieri poteſt:tertia conditio eſt,vt idem bonum opus non ſit tale , quod ex ſe priuet hominem aliquo bono , quod bonum ſit,quodque magis placeat Deo.Ratio eſt,quia vt homo maneat per votum obligatus Deo neceſſariũ eſt omninò, vt Deus acceptet illud,quod ei promittitur: at non eſt credendum , quod Deus ab homine bonum, per quod priuat ſe bono meliori.Ita D.Thomas 2.2.*quæſt* 88.*art*.2 Quibus poſitis.

R. Opus malum non eſſe materiam voti conſequenter votum de re mala inualidum eſſe.Ratio eſt, quia promiſſio debet eſſe de re conueniente ei, cui fit:at opus malum non eſt conueniens Deo, vtpotè iniurioſum,ideòque nec ab eo acceptatur.Vnde ſequitur votum de re aliqua prohibita à Superiore eſſe inualidum,quia de re illicita: ſecundò inualidum eſſe votum de immoderatis macerationibus corporis, quæ iuri naturali aduerſantur ; vt ſunt,quæ ſunt coniunctæ cum periculo mortis,aut alicuius morbi. Ratio eſt,quia vouẽs exponeret ſe periculo faciendi rem malam , cum fieri poſſit , vt macerationes immoderatæ grauiter noceant. Tertiò inualidum eſſe votum , quoties promittitur aliquid ad conſequendum malum finem,vt ſi quis voueat eleemoſynam, vt obtineat vindictam,& inualidum eſſe votũ, quo meretrix certam eleemoſynam promittit, ſi tot nũmos lucrata fuerit meretricando intendens à Deo exaudiri,vt multi ad ipſam accedant:validum verò eſſe votum,quando opus bonum promittitur ob finem principalem bonum , ſed ſecundarius finis eſt malus, cum ſit de re Deo grata,& accepta. Ita Azorius *lib.* 11. *cap.* 15 *quæſito* 3. Nauarrus *cap* 12.*num*.30. Valentia 2.2.*diſp.*6.*quæſt.*6.*pun.*2.Suarez *lib.* 1. *de voto cap.*5.*num* 5.Sanchez *lib* 4 *cap.*6.*num.*13.Toletus *lib*.4 *cap.*17.*num* 16.& alij.

Sciendum 2. quod qui vouet , opus malum , vel opus bonum ob finem malum committit peccatum, quod habet duas malitias : vnam propter effectum, quem vouens habet ad opus prauum,vel ad prauum finem:alteram contra Religionem voti, cum faciat contra reuerentiam Religionis volendo ſe ad peccatũ obligare,& ideò ſi materia erit notabilis, peccatum erit mortale,ſi verò leuis veniale:hoc tamen intelligendum eſt cum duplici limitatione : prima modò,hoc votũ non emittatur,tãquam aliquid Deo placens , vel ad obtinendum à Deo malum , vel ad agendas gratias Deo pro malo fine obtento ; tunc enim committitur peccatum blaſphemię,cum Deus efficiatur auctor peccati: blaſphemia autem ſemper eſt mortalis . Ita Nauarrus *cap.*12.*num*.33. Syluester verbo *votum* 1.*quæſito* 4.Reginaldus *lib.*18.*tract.*3. *nu.* 257 Secunda limitatio eſt,modò opus non dirigatur ad malum finem,licet venialem, dum emittitur votum profeſſionis;tunc enim committitur peccatum mortale , quia cum votum, quod ob malum finem emittitur , ſit inualidum , ſequitur etiam inualidam eſſe profeſſionem,quæ tria vota continet,qui autem inualidam profeſſionem facit , mortaliter peccat, quia decipit Religionem in re graui ; & fieri poteſt, vt Religio graue damnum patiatur.

An materia Voti debeat eſſe poſſibilis?

BRACTEA VI.

R. TAM materiam proximam,quàm remotam voti debere eſſe poſſibilem , ideſt in poteſtate vouẽtis. Ratio eſt quia impoſſibilium non eſt obligatio ; quod verò materia proxima debeat eſſe de re poſſibili;patet,quia materia proxima ſunt actiones humanæ : at non poteſt eſſe actio humana , quæ homini non ſit poſſibilis ; ergo materia proxima voti debet eſſe de re poſſibili . Quod uerò etiam materia remota debeat eſſe eodem modo de re poſſibili;patet etiam,quia actio noſtra non po teſt uerſari circa rem impoſſibilem, uel in ſe, uel in ordine ad uſum noſtrum . Vnde uotum nunquam uenialiter peccandi ob moralem eius impoſſibilitatẽ poſt adde peccatum,eſt irritum, ut docet Sotus *lib.* 7.*quæſt*.1.*art*.3 Aragonius 2.2.*quæſt*.88.*art*.2. Nauarrus *cap*.12.*num*.65.Emanuel Sà uerbo *votum num.* 20. Rodriquez *par* 2.*cap*.98.Azorius *tom*.1.*lib*.11.*cap*.14.*quæſt*. 4.Sanchez de *matrim.lib*.9.*diſp*.35.*num*. 25. Suarez *lib.* 2.*cap*.3.Toletus *lib*.4 *cap*.17.*num*. 10. Valentia *diſp.* 6. *quæſt* 6 *pun*.2.Validum tamen eſt uotum nullum pec catum cum plena deliberatione committendi . Ratio eſt , quia licet homini in hac uita ſine ſpeciali priuilegio poſſibile non ſit euitare omnia peccata , quę fiunt ex ſurreptione,ſiue cum deliberatione imperfecta, attamen poſſibile eſt homini cum ordinaria Dei gratia, ut nunquam in peccatum plena animi deliberatione conſentiat: ſecundò ualidum eſſe uotum certi generis peccati euitandi,cuius declinatio non ualdè ardua eſt,u.g.nunquam ullam rem ne modicam quidem furandi , nunquam ſine cauſa iurandi,pręterea ualidum eſt uotum ab omni peccato

mortali ſe continendi. Ratio eſt, quia tale uotum exequi homini impoſſibile non eſt, licet multis ualdè difficile: quamobrem his non expedit talia uota edere.

R. 2. Inualida eſſe uota illius, qui duo uota ſimul emiſit incompoſſibilia uolens ſe ad utraque pro eodem tempore obligare, quia cenſetur uota rei impoſſibilis, ideòque inualidum eſt uotum eius, qui eodem tempore uouit audire confeſſiones, & ſeruire Hoſpitali, ſi uoluit ſe pro eodem tempore ad utrumque obligare. Secus uerò ſi uoluit tantum ad unum eorum ſe obligare, quia tunc tenetur ſolum unum implere.

R. 3. Quod ſi uotum ſit partim de re poſſibili, partim de impoſſibili inſpiciendum eſſe utrum partes totius promiſſæ ſint diuiſim, & ſine dependentia inter ſe, ita ut partes ſingulę fuerint per ſe materia uoti; tunc utile per inutile non uitiatur, ſi utile ab inutili ſeparari poſſit, & ideò ualidum eſſe uotũ quoad partem poſſibilem; ſi uerò partes totius collectiuè, & per modum unius, ſeu indiuidui promiſſę fuerint, tunc ruente una parte ruunt etiam aliæ, cum non fuerit intentio uouentis obſeruare unam partem abſque altera. Exemplum prioris partis erit, ſi uoueris ieiunium integrę hebdomadę, & omnibus diebus ieiunare non poſſis, ieiunare debes, quibus potes, quia ſingulorum dierum ieiunium ſenſu diuiſo uouiſti, & ſic de cęteris dicendum eſt. Exemplum ſecundæ partis eſt, ſi uoueris Eccleſiam te ædificaturũ, & poſtea ſuperueniente paupertate non poſſis, nõ teneris ad partem poſſibilem, uel aliã donationẽ ad templũ aliquod conferas. Et ita Sãchez *lib. 4. cap. 10.* Suarez *cap. 2. n. 5.* & alij; & ideò hæc ſit regula generalis, quod quando materia eſt indiuiſibilis non obligatur ratione uoti ad partem, quando quis totum non poteſt exequi. Secus uerò dicendum, quando materia eſt diuidua, & diuiſibilis.

Sciendum dubiũ eſſe, an quis teneatur ad acceſſoriũ uoti, quã do nõ poteſt adimplere principale? Ad quod reſpõdeo negatiuè, niſi fortè conſtet uouentẽ habuiſſe intẽtionem obligandi ſe ad acceſſorium in defectum principalis. Ratio cur non teneatur adimplere, acceſſorium eſt, quia uouens præſumitur nolle ſe obligare ad acceſſorium, niſi dependenter à principali; & ideò in hoc ſtandum eſt in intentione uouentis, nam uotum ab ea uires ſuas accipit.

An qui vis actus moraliter bonus ſit apta voti materia?

BRACTEA VII.

SCIENDVM tria bonorum moraliter genera diſtingui, unum poſitorum in præcepto, duo reliqua poſitorum tantum in conſilio, inter quæ, ea quæ ſecundum genus conſtituunt, quæ ſunt aptiſſima inſtrumenta ad bonitatem, honeſtatemq; conſequendam, quæ dicuntur antonomaſticè conſilia Euangelica; ut abrenunciatio temporalium, cuſtodia caſtitatis, profeſſio obedientię: tertium uerò genus cætera conſtituunt, quæ etiamſi ad ſtatum perfectionis non ſpectent peculiariter tanquam propria illius inſtrumenta pertinent, tamen ad communem uirtutis ſtatum, ut ieiunare, largiri eleemoſynam, preces fundere, &c. quæ dici ſolent opera ſupererogationis. Quibus poſitis.

R. Nullum moraliter bonum quatenus impeditiuum eſt alterius melioris eſſe aptam uoti materiam; & patet, quia de ratione uoti eſt, quod eligatur id, quod eſt melius ad perfectionem, & ſanctificationem animæ, & ideò uotum retrahens ab agendo eo quod melius eſt non placet Deo, nec diſplicens acceptatur.

R. 2. Omne bonum honeſtum, niſi ſit impedimentum maioris boni poſſe eſſe materiam uoti. Ratio eſt quia bonum honeſtum idem eſt, ac uirtutis actus, qui quatenus talis referri poteſt ad Dei gloriam, & ordinari ad ipſius cultum, ſic ut fiat materia uouentis Religionis.

An Matrimonium poſſit eſſe materia voti?

BRACTEA VIII.

REGVLARITER actum matrimonij contrahendi non eſſe per ſe materiam aptam uoti. Ratio eſt, quia non eſt de meliori bono cũ inducat effectum repugnantem meliori bono, quale eſt Religionis ſtatus, uel caſtitatis ex Tridentino *ſeſſ. 24. canon. 11.*

Sciendum in tribus caſibus poſſe tale votum eſſe validum: primus ſi quis teneatur ex præcepto matrimonium contrahere, vt v.g. ob commune bonũ, vel pacem alicuius Regni; tunc enim eſſet de meliori bono; ſecundus ſi cenſeatur medium neceſſarium ad vitandum periculum intemperantiæ; tunc enim melius eſt nubere, quàm vri, non obligat tamen cõparatione perfectioris ſtatus, vt ſi vellet ingredi Religionẽ, vel tentare alia media ad ſeruandam cõtinentiã; nam cũ Dei gratia poteſt, & tunc illi nõ eſſet melius nubere cum perfectiori modo poſſit vincere ſuam fragilitatem. Tertius ſi fiat intuitu pietatis, vt ad tollendam ex turpi lucro meretricem, vel è periculo pauperem virginem, quia tunc obligari videtur voto non quidem abſolutè, vt eam ducat, ſed conditionatè ſi aliquam ducere uelit, hanc ducat. Et ita Henriquez *lib. 11. cap. 6. nu. 5.* Suarez *lib. 2. cap. 59. n. 18.* Philiarcus de offic. Sacerdot. *tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 27. num. 3.* & alij.

An Votum de re indifferenti ſit validum?

BRACTEA IX.

REGVLARITER Votum de re indifferenti non eſſe validum. Ratio eſt, quia res indifferens inutilis eſt, & vana, nec de ſe conducit ad Dei gloriam, vel hominis ſalutem. Vnde fit, vt inepta ſit ad votum, quod cum fiat, Deo debet ad ipſius gloriam conducere.

Sciendum quod ſicut opus indifferens per adiectionem circunſtantiæ boni finis reddi poteſt moraliter bonum, ſic etiam reddi poteſt aptum, vt ſit voti materia tanquam eleuatum ex bonitate, quam accipit ex fine, in quem ordinatur. Ita Caietanus verbo votum *cap. 2. Nauarrus cap. 12. num. 28.* & alij. Ideò ſequitur inualidum eſſe votum, quo quis vouit non abſcindere ungues in diebus Sabbati, uel de nõ nendo die Sabbati, uel non coquendo tunc panem, etiamſi addant in honorem Beatæ Virginis hæc facere: ſimiliter uana, ac nulla eſſe uota de non lauando, aut pectendo capite die Sabbati in honorem eiuſdem Virginis, uel de non comedendo caput in honorem Sancti Ioannis. Ratio eſt, quia talia uota de ſe non important magis bonum morale, & quod ad Dei gloriam, & æternam ſalutem conducat quã ipſorum contraria. Cęterum uotum factum de indifferentibus cohoneſtatis ex circunſtatia obligat tantum, quandiù circunſtantia ipſa durat: & ratio

eſt

eſt, quia ceſſante huiuſmodi circunſtantia ceſſat cohoneſtatio operis, ex qua habet, ut poſſit eſſe materia apta uoti. Dixi *regulariter* rem indifferentem non poſſe eſſe materiam uoti, quia concurrentibus iſtis conditionibus poteſt eſſe: prima eſt, ut adſit finis bonus: ſecunda ut res indifferens conducat, & inſeruiat ad talem bonum finem, alioquin perinde eſſet, ac ſi finis honeſtus non adeſſet: tertia eſt, ut in uoto rei indifferentia ille finis honeſtus intendatur ab ipſo uouente. Ratio eſt, quia ſi finis non intendatur à uouente, res manet indifferens; ſi uerò finis honeſtus intendatur, ab eo cohoneſtatur: quarta conditio, ut honeſtus finis, ob quem res indifferens fuit uoto promiſſa, nondum ceſſauerit, alioquin res adhuc eſſet indifferens ob rationem ſupra allatam; uotum uerò rei bonę factum ob finem indifferentē, aut ad obtinenda bona temporalia ualidum eſſe; quia eſt de bono meliori, quam ſit eius oppoſitum, tum quia ſicut ualidum eſt iuramentum factum ob finem aliquem temporalem, ita ualidum eſt uotum. Ita Syluester uerbo uotum 1. *quæſito* 4. Angelus ibidem *num.* 4. Suarez *lib. 2. de iuramento cap. 5. num.* 5. & alij.

R. 2. Votum factum contra prius uotum inualidū eſſe. Ratio eſt, quia cenſetur uotum de re illicita, & per conſequens nullam inducere obligationem, licet geſta rei ex ſe licitæ contra prius votum valida ſint: ratio eſt, quia votum non reddit vouentem inhabilem ad agendum; ergo ipſius acta ſunt valida. Vnde validum eſt matrimonium factum ab eo, qui ſimplex votum caſtitatis habet, quamuis peccet contrahendo, nam eſt actus rei ex ſe licitæ.

De Obligatione voti?

BRACTEA X.

R. Ex Voto obligationem oriri præſtandi id, quod voto promiſſum eſt, & ita colligitur ex pluribus locis ſcripturæ Iſaiæ cap 19. *Colent eum in hoſtijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino & ſoluent*. Deuteronomij cap. 23. *Si nolueris polliceri abſque peccato eris, quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis obſeruabis*, & ex pluribus alijs, & licet obligatio voti non ſit ex iuſtitia propriè dicta, ſed ex virtute Religionis habet tamen in ſe perfectam rationem debiti licet non ad æqualitatem, cum cultus, vel gratiarum actio Deo in recognitionem dominij, ac beneficiorum voto promiſſa, vel debita minimè reſpondeat, ſiue æquetur, atque etiam in totam ipſius hominis vtilitatem cedat.

R. 2. Quod quando vouens non præſcripſit tempus adimplendi votum, tenetur adimplere quamprimum commodè poteſt, niſi iuſtam differendi cauſam habeat. Ratio eſt, quia hęc obligatio oritur ex Diuino præcepto Matthæi. 5. *Redde Domino vota tua:* vnde ſi nacta opportunitate obligationem voti differat notabiliter in materia notabili peccat mortaliter. Secus verò dicendum in materia leui. Ratio eſt, quia votum eſt quaſi quædam priuata lex, quam quiſque ſibi ſponte imponit, ideòque eius obligatio ad modum aliarum legum explicanda eſt, vt ad eius grauitatem, tum intentio ferentis obligationem, tum etiam capacitas materiæ requiratur. Dixi niſi iuſtam cauſam differendi habeat, quia iuſta cauſa poteſt exequutionem differre. Ratio eſt, quia votum habet ſuas uires ab intētione vouentis: vouens autem non præſumitur voluiſſe ſibi tam ſtrictam obligationem imponere, vt voti adimpletionem iuſta de cauſa differre nequeat. Vnde ſequitur, qui vouit ingreſſum Religionis non præſcripto ſibi tempore ingreſſum differre, donec aptus ſit laboribus Religionis perferendis.

R. 3. Quod quando vouens præſcripſit ſibi tempus debet adimplere votum tempore præſcripto. Ratio, quia votum adimplendum eſt iuxta intentionem vouentis, à qua voti obligatio pendet, & per conſequens qui præſcripſit ſibi tempus, tenetur tempore præſcripto perſoluere; ſi verò vouentis prçuideat fore vt tempore præfixo impedimentum incidat debet enim ante exequi, & ita Suarez. *lib. 4. cap. 14. num. 7.* Sanchez. *lib 4 cap 14. num* 18. & alij. Ratio eſt, quia cum tempus præfixum ſit, tanquam terminus, ſiue finis exequutionis differendæ, ideò ſi eo tempore votum impleri nequeat debet ante illud tempus impleri, ne contra promiſſionem dilatio fiat vltra tempus præfixum, idque ſimiliter locum habet in alijs debitis, quæ abſolutè, & ſimpliciter contracta ſunt adiecta aliqua mora in gratiam debitoris.

An qui votum non ſoluit intra certum, & determinatum tempus teneatur lapſo eo tempore votum perſoluere?

BRACTEA XI.

R. Cum diſtinctione, aut votum eſt factum in honorem, & deuotionem illius temporis principaliter, aut factum eſt abſolutè, ſimpliciter: ſi factum eſt in honorem, & deuotionem temporis, vt ſi deuotione Beatæ Virginis vouit quis ieiunare die Sabbato, &c. non tenetur lapſo eo tempore, vel die votum adimplere. Ratio eſt, quia hoc votum obligat eo modo, quo obligant Præcepta Eccleſiæ; Præcepta autem Eccleſiæ non obligant tranſacto tempore ab Eccleſia præſcripto; ergo neque votum. Si verò votum factum eſt abſolutè, & ſimpliciter, tempus autem fuit adiectum non ex deuotione, aut intuitu ipſius temporis, ſed vt votum intra illum terminum ſtatim adimpleatur, & non vltra differatur, vouens tenetur adhuc votum adimplere lapſo eo tempore; ſicut enim Titius iuſſus dare decem intra menſem Maij, ſi non dederit intrà menſem non propterea liberatur à debito ſoluendo quia habet duo Præcepta, vnum dandi decem, alterum dandi intra menſem Maij, ita qui vouit rem tali tempore adimplendam ſi eo tempore non adimpleuit non eſt immunis ab obligatione voti, quia duo vota videtur virtualiter habere, vnum dandi rem promiſſam, aliud dandi tali tempore. Vnde qui vouit aliquid intendens principaliter honorem alicuius diei propter venerationem alicuius miſterij, quod eo die repræſentatur, non tenetur rem promiſſam elapſo eo tempore adimplere. Si verò intentio vouentis non ferebatur principaliter, ſed ſecundariò in honorem talis temporis vouens tenetur elapſo eo tempore ad voti exequutionem, niſi aliter conſtet de mente vouentis, Pęnitens verò cui à Confeſſario iniunctum fuit ieiunium feriæ ſextæ tenetur eo die tranſacto ieiunare ſi eo die non ieiunauit. Ratio eſt, quia Confeſſarius principaliter reſpexit ſatisfactionem, aut remedium peccatorum, ſecundariò deuotionem talis diei. Ita Suarez. *lib. 4. cap. 13. num. 5. & 6.* Quod intelligendum eſt non modo de votis perſonalibus, ſed etiam de realibus, licet in votis realibus raro ſoleat circumſtātia temporis principaliter intendi conſequenter tarò ceſſat

votorum realium obligatio tranſacto termino præfixo. Ita Suarez *loco cit. num. 9.*

An Obligatio voti tranſeat ad hæredes defuncti?

BRACTEA XII.

R. Obligationem voti realis ad hæredem poſt additam hæreditatem tranſire. Sumitur ex *cap ex parte de cenſib. & l. 2. de pollicitationibus ſi ſponte, qui decimam bonorum vouit deceſſerit, &c. heres ipſius hereditario nomine decima obſtrictus eſt; voti enim obligationem ad heredem tranſire conſtat.* Ratio eſt, quia hæres voluntariè adeundo, & acceptando hæreditatem defuncti, ſicuti commoda eius, & omnia iura acquirit, ita etiam onera, & debita, ſeu reales obligationes in ſe ſuſcipit, inter huiuſmodi obligationem eſt etiam uotum reale, ideſt promiſſio Deo facta alicuius rei in honorem ipſius præſtandæ; ergo, &c.

Sciendum quod obligatio, qua hęres tenetur ad ſoluenda realia uota defuncti non eſt ex uirtute Religionis, quæ ſolum uouentem aſtringit, ſed ex uirtute iuſtitiæ ratione acceptatæ hæreditatis una cum omnibus eius iuribus, & oneribus. Secundò licet teſtator prohibuerit hæredi ne uota ſua realia perſolueret, nihilominus tenetur, atque ad id cogi poteſt à iudice ſub pęna hæreditatis amittendæ. Ratio eſt, quia hęres voluntaria hæreditatis aditione, & tacito quaſi contractu ſuſcepit omnes reales obligationes defuncti; ergo, ſicut teſtator ad implenda uota realia compelli poteſt, ita, & etiam hæres. Ita Nauarrus *cap. 12. num. 56.* Rodriquez. *part. 2. cap. 99.* Sanchez. *lib. 4. cap. 15. num* 28. Tertiò non tenetur hæres defuncti ſoluere vota vltra uires hæreditatis aditæ, ideſt non niſi ex eo, quod deductis expenſis neceſſarijs funerum, & debitis, &c. ſupereſt, quippè de quo ſolo ille diſponere poterat uouendo, aut legando ad cauſas pias. Ita Paludanus in *4. diſt. 38. q. 4. art* 3. Silueſter uerbo *votum 4. q. 7.* Sanchez. *lib. 4. moral. cap. 15. num. 36.* Immò probabilius eſſe uidetur, neque legitimam bonorum partem deſcendentibus; uel aſcendentibus debitam uotis, uel legatis ad pias cauſas grauari poſſe. Ita Rodriquez. *loco cit.* Sanchez. *lib. 6. de matrim. diſp. 36. quaſt. 1. num. 7.* & alij. Ratio eſt, quia nullus poteſt diſponere in præiudicium rei alteri debitæ: ſed legitima eſt debita filijs: ergo pater non poteſt ſuo uoto diſponere in præiudicium legitimę: ergò uota perſoluenda ſunt ex bonis, quæ ſuperſunt ſalua legitima. Quartò ſolutionem uotorum præferendam eſſe omnibus legatis, etiam pijs, quia prior eſt obligatio uotorum quippe quæ defunctum aſtringebat, non ita obligatio legatorum: vt verò debita iuſtitiæ uotorum exequutioni hæres præferre debet, quia uota ſoluenda ſunt ex bonis defuncti, ſicut, & legata: bona autem cuiuſcunque cenſentur, quæ ſuperſunt deducto ære alieno. Quomodo uerò ſe gerere debeat hæres in perſoluendis uotis, quando bona ex quibus uota perſoluenda ſunt non ſufficiunt ad ſatisfaciendum omnibus uotis? Reſpondeo diſtinguendo, aut hęres cognoſcit quodnam uotum ſit de re meliori, aut non: ſi cognoſcit quodnam ſit de re meliori debet illud exequi, quia repræſentat perſonam defuncti; ſicut ergo defunctus tenebatur perſoluere uotum de re meliori, ita, & etiam hæres: ſi uerò non cognoſcit quodnam uotum ſit de re meliori debet perſoluere uotum, quod prius fuit emiſſum, etiam ſi uota fuerint acceptata ab his in quorum fauorem emiſſa ſunt, aut etiamſi defunctus præceperit hæredi, vt ea perſolueret, nam adhuc hæres maiori obligatione non tenetur, quam teneretur defunctus, qui nó aliter pręſumitur in hoc caſu hæredi præcepiſſe ſolutioné votorum, quam ipſe teneretur; non enim præſumendum eſt debitum: defunctus autem tenebatur vota modo recenſito perſoluere. Ita Sanchez. *lib. 4. cap. 13. num* 41.

R. 2. Vota merè perſonalia defuncti non tenetur hæres exequi, quia hæres ſuccedit defuncto eiuſque perſonam repræſentat tantum in realibus commodis pariter ſiuè iuribus, atque oneribus, ſiuè debitis *leg heredem ff de regulis iuris*; non item in priuilegijs, & obligationibus perſonalibus, niſi ſponte ſe obliget ad vota perſonalia defuncti exequenda. Secundò niſi ſub ea conditione hæres non neceſſarius inſtitutus ſit, vt omnia vota exequatur.

R. 3. Neque vota mixta hæres implere tenetur, niſi quod in his reale eſt per ſe, & independenter à perſonali obligatione defuncti, aut promittere intenderit. Id verò in dubio, & niſi ex rei promiſſæ natura, &c. coniectura capi poſſit, præſumi non debet.

An votum ita obliget vouentem, vt nequeat per alium adimplere votum perſonale, reale, aut mixtum?

BRACTEA XIII.

R. Primo obligationem voti perſonalis ſolum vouentem, & non aliam perſonam obligare. Ita Silueſter verbo *votum 2. quaſt* 9. Sotus *lib. 7. qu. 2. art. 1.* Sanchez. *lib. 4. cap. 25.* Suarez. *de voto lib 4 cap* 9. & alij. Ratio eſt, quia obligatio voti, & cuiuſcumque promiſſionis ex propriæ voluntatis conſenſu naſci debet; ergo non alium, quam ipſum vouentem, ac conſentientem obligat. Vnde vouens tenetur votum ipſemet implere, & non liberatur ſi per alium impleat, v. g. qui vouit ſe ieiunaturum, & peregrinaturum non ſatisfacit ſi alium roget, vt ſuo loco ieiunet, peregrinetur, &c. Ratio eſt, quia votum factum proprium promiſit; ergo ad illud obligatur.

R. 2. Vouens qui non poteſt adimplere votum reale per ſe ipſum tenetur per alium adimplere. Ratio eſt, quia materia huius voti non eſt actus ipſius vouentis, ſed res: cum autem res poſſit per alium exhiberi ſequitur vouentem debere votum reale adimplere per alium, ſi per ſe ipſum non poſſit.

R. Votum mixtum non poſſe per alium impleri ſi ſpectetur ſecundum eam partem, quæ perſonalis eſt: ſi verò conſideretur ſecundum partem realem debet adimpleri per alium, quoties vouens non poteſt per ſe ipſum illud implere, modo votum ſit æqualiter reale, & perſonale, & non ſit reale tantummodo acceſſoriè. quia ſi quaſi erit reale acceſſoriè nó tenetur per aliũ adimpleri, nam principale trahit acceſſoriũ: ſed principale eſt perſonale; ergo, &c. Vnde qui vouit peregrinationem Lauretanam, quam poſteà non poteſt ſuſcipere non teneri in eleemoſynam conferre ſumptus, quos feciſſet in peregrinatione, nam ſumptus ſe habent tantummodo acceſſoriè ad votum perſonale peregrinationis.

An

An ſit peccatum non adimplere votum?

BRACTEA XIIII.

R. Violare votum in materia graui eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia talis violatio grauem iniuriam Deo infert: in materia verò leui non eſt, niſi peccatum veniale. Ratio eſt, quia non magis obligat votum, quam præcepta: ſed præcepta in materia leui obligant tantum venialiter; ergo etiam votum.

R. 2 Qui dubitat an votum emiſerit non peccat non adimplendo votum. Ratio eſt, quia in dubio iuris melior eſt conditio poſſidentis, & qui dubitat an votum emiſerit habet ſolum dubium iuris; ergo, &c.

Sciendum quod quando materia voti non ſolum eſt debita ex obligatione voti, ſed etiam ratione præcepti violans votum committit peccatum, quod habet duas malitias, vnam contra votum, & aliam contra præceptum. Ratio eſt, quia peccata ſpecificantur penes diuerſas virtutes, & perfectiones debitas, quibus priuãt ſubiect. ſed hic adeſt priuatio duplicis perfectionis; ergo adeſt peccatum, quod habet malitias. Secundò vouentem ſufficienter adimplere votum, dum abſque intentione adimplendi votum nihil cogitãs de voto obſeruat rem promiſſam. Vnde ſequitur, qui vouit inuiſere limina Apoſtolorum ſatisfacere uoto, etiã ſi illa viſitet abſq; intẽtione adimplendi votum: ſed ſolum cauſa curioſitatis, vel alio titulo; Item vouentem, quem penitet uouiſſe non peccare mortaliter modo non habeat intentionem omittẽdi rem promiſſam, vel non adimplendi votum, peccare tamen mortaliter ſi haberet intentionem non adimplendi votum in materia graui. Ita Nauarrus *cap.12. num* 55. Azotius *lib.11. cap.15. quæſito vlt.* Rodriquez. 2. *part. cap.99. num* 3. Sotus *lib.7. quæſt.2 art.4.* & alij apud Suarez. *lib.5 de voto cap.3. num.4.* & apud Reginaldum *lib.18. num.239.* & apud Clauem regiam *lib.6. cap.6. num.12.*

An magis meritorium ſit opus ex voto, quam ſine voto?

BRACTEA XV.

R. Magis meritorium eſſe opus ex voto, & ita S. Thomas 2.2 *q* 88. *art.6.* Henricus Gandauenſis *quodlibeto* 13. *quæſt.*14. Thomas Valdenſis *lib.3 de Doctrina Chriſtiana cap.*21. Maior in 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 4. & alij. Ratio quia nobilioris virtutis nobilius eſt opus: Religio autem omnium virtutum moralium nobiliſſima eſt; ergo, &c. Tum etiam quia qui ex voto bonum operatur magis Deo ſe ſubijcit, ac impendit, quia non opus tantum, ſed, & operandi facultatem Deo conſecrat, ſicuti plus dat, qui vna cum fructu etiam arborem donat, uti notauit D. Anſelmus *in lib. de ſimilitud. cap* 84. Tum etiam quia ſicut grauius peccat, & maiorem pœnam meretur, qui mente obſtinata, & omninò ad malum determinata peccat, ita melius agit, & plus à Deo meretur, qui itentatis opera uoluntate per uotum obfirmata exercet: quare S. Auguſtinus inquit in *lib. de Sancta Virginit. cap.*8. Virginitatem non tam honorari, quia virginitas eſt, quem quia Deo dicata eſt.

Ad quid obliget votum Caſtitatis, & non nubendi?

BRACTEA XVI.

R. Qvod qui habet votum caſtitatis, aut virginitatis non poteſt matrimonium contrahere. Ratio eſt, quia per matrimonium contrahitur obligatio ad copulam, virginitas verò, & caſtitas important obligationem abſtinendi ab omni copula. Ita communiter DD. vnde ſequitur habentem votum caſtitatis mortaliter peccare contrahendo matrimonium, licet hoc faciat animo ingrediendæ Religionis ante conſumationem matrimonij, aut ob alium finem boneſtum, v. g. ob tuendam ſanitatem, &c. Secundò peccare conſumando matrimonium, aut petendo debitum abſque diſpenſatione. Ratio quia virginitas, & caſtitas ſecundum ſe important negationem omnis venereæ voluptatis voluntariæ, quamquam teneatur reddere debitum coniungi petenti.

R. 2. Qui habet votum non nubendi peccat nubendo, quia facit contra uotum, tamen poteſt reddere, & petere debitum, quia uotum non nubendi non æquiualet uoto caſtitatis, ſed ſolum importat negationem ſtatus matrimonialis, quæ negatio cum ſit facta impoſſibilis per matrimonium iam contractum, ſequitur abſtrictum eo uoto poſſe licitè petere, & reddere debitum, immò nec peccauit contra uotum fornicandi, quia aliud eſt uotum non nubendi, & aliud non fornicandi.

Sciendum uotum caſtitatis non æquiualere uoto ſimplicis Religionis. Ratio eſt, diuerſa eſt horum uotorum obligatio, nam qui habet uotum ſimplex Religionis peccat quidem contrahendo matrimonium, quia facit contra uotum, & contracto matrimonio, ſed non conſumato tenetur adhuc ingredi Religionem, cum talis ingreſſus non ſit illi factus impoſſibilis, & conſumando peccat mortaliter, ſed tamen poſtea poteſt petere, & reddere debitũ, quia qui uouit Religionem non tenetur ui uoti ad ſeruandam caſtitatem ante profeſſionem, niſi aliter uouens expreſſerit, quia uotum Religionis non habet pro materia caſtitatem; ſed ſtatum, in quo uouenda eſt caſtitas. Ita Suarez. *lib.4 de voto cap.6. num.*15. mortua verò uxore tenebitur adhuc ingredi Religionem, quia illius uotum per matrimonium non ceſſauit abſolutè, ſed fuit ad tempus ſuſpenſum quãdiu impedimentum perſeuerat. Ita plures apud Sanchez. *lib.9. diſp.33. num* 11. apud Clauem regiam *lib.6. cap.7. num.7.* & qui habet uotum caſtitatis, ut ſupra dictum eſt contrahendo matrimonium non poteſt petere debitum licet poſſit reddere.

Ad quid obliget votum Religionis?

BRACTEA XVII.

R. Qvod qui vouet certam, & determinatam Religionem, non tenetur ipſam ingredi ſi in ipſa non obſeruentur eſſentialia Religionis. Ratio eſt, quia daretur magnum periculum peruerſionis, ut docet Nauarrus *cap.12 num.46.* Reginaldus *loco cit. num.*380. & uotum non obligat cum tanto periculo. Si uerò in ea Religione, quam uouit uiget regularis obſeruantia tenetur ipſam ingredi. Ratio eſt, quia tenetur ſtare uoto, & promiſſioni Deo factæ, licet arctiorem, aut æquè arctam poſſit

ingredi,

ingredi, & ita Sanchez. In *ſum. lib.4. cap.16. num.26.* Ratio eſt, quia uouens poteſt propria auctoritate commutare uotum in aliud, quod conſtat eſſe æquale.

Sciendum dubium eſſe, an uouens ingredi Religionem ſatisfaciat uoto aſſumendo habitum equitum Religionis approbatæ? Ad quod reſpondeo negatiuè; & ita Nauarrus de *redditibus quæſt.* 1. & 3. Sanchez. in ſum. *lib.4.cap.16. num.*11. & alij. Ratio eſt, quia uouentes regulariter ſolent uouere ſtatum illius Religionis, in qua uiuitur in communi longè à tumultibus, & curis ſæcularibus. Ita Sanchez. *loco cit.* Secundò dubium eſſe, an qui uouit Religionem, ſed non admittitur, niſi ad ſtatum laicalem teneatur illum ingredi? Ad quod reſpondeo cum diſtinctione, uel uouens eſt præditus conditionibus, quas habent hi, qui debito tempore ad ſacros ordines promouentur, aut non eſt præditus his conditionibus: ſi eas conditiones habet, non tenetur ingredi Religionem, niſi admittatur ad ſtatum Clericalem, quia præſumitur tacitè eum uouiſſe illum ſtatum, ad quem communiter tales perſonæ ſolent admitti: ſi uerò prędictis dotibus ornatus non ſit tenetur ingredi ad quemcumque ſtatum admittatur. Ita Azorius 1.*part. lib.*11. *cap.*22. *quæſit.*4. Sotus *lib.7.quæſt.*2.*art.*1. Sanchez. *lib.4.cap.16. num.*56.

Sciendum 2. Coniuges non ſolùm ante contractum uerum etiam poſt contractum matrimonium poſſe uouere continentiam, aut Religionem inuito altero coniuge, & uotum obſeruare ingrediendo Religionem. Ratio eſt, quia iuxta *cap. verum, & cap. ex publico* concedunt ſpatium duorum menſium poſt matrimonium contractum, ut coniuges deliberare poſſint de ſtatu Religionis capeſſendę: immò tranſacto hoc ſpatio poſſunt adhuc ingredi Religionem, & in ea ualidè profiteri ſi matrimonium nondum erat conſumatum. Ita Clauis regia *lib.6.cap.5.n.*32. Henriquez. *lib.2.de matrim. cap.5. num.*8. & alij: Secundò coniugem non poſſe poſt conſumatum matrimonium uouere Religionem, niſi habeat iuſtam cauſam diuortij perpetui, ob quod ei liceat Religionem ingredi. Ratio eſt, quia nullus poteſt uouere in præiudicium alterius. Ita Henriquez *lib.*1.*de matrim. cap.*17. & alij. Secundo non poſſe poſt contractum, & conſumatum matrimonium uouere altero inuito continentiam. Ratio eſt, quia hoc uotum eſt contra ius alterius habentis ius exigendi debitum. Tertiò poſſe poſt conſumatum matrimonium coniugem uouere abſtinentiam reddendi debitum altero conſentiente. Ratio eſt, quia nulli facit iniuriam, cum ſcienti, & conſentienti non fiat iniuria?

R. 2. Quod qui vouit alicuius determinatæ Religionis inſtitutus, ſeu profeſſionem, & ad illam non fuit admiſſus liber eſt ab obligatione voti. Ratio eſt, quia votum non obligat ad impoſſibile, aut vltra intentionem vouentis: vouens autem non ſe obligat ad Religionem, à qua repellitur. Et ita communiter Doctores. Quod tamen intelligendum eſt cum duplici limitatione: prima modo non ſtet per ipſum vouentem ne recipiatur, quia ſi per ipſum ſtat, ut nō recipiatur nō eſt liber à voto. Ratio eſt, quia culpa nulli patrocinatur: ſecunda modo paſſus ſit repulſam ſimpliciter, & non tantum ad determinatum tempus, & ab his, ad quos pertinet admiſſio, quia ſi paſſus ſit repulſam ab alijs, aut etiam ab his, ad quos pertinet ad determinatum tempus non erit liber ab obligatione, & tenetur elapſo eo tempore ingredi volentibus Religioſis ipſum admittere in Religionem. Ita Nauarrus *cap.*12. *num.*4. Reginaldus *lib.*18.*num.*379.& 380. Rodriquez. *cap.*95 *num.*4. & 5. Azorius 1 *part. lib.*1.*cap.*22. *quæſt.*5. Arragonius 2. 2. *quæſt.*88. *art.*3 Valentia ibidem *diſput.*6. *quæſt.*6. Sanchez.*lib.4.cap.*16.*num.*52 & alij. Vnde ſequitur, eum qui non fuit admiſſus ob inſitiam teneri acquiſita ſcientia religionem ingredi, quia non fuit dimiſſus ob impedimentum perpetuum, ſed temporale, & ideò eo ſublato tenetur ingredi Religionem: & ſic de alijs dicendum eſt.

Sciendum 3. quod qui in genere vouit Religionem dimiſſus ab vna tenetur aliam adire, quia alioquin non adimplet votum, nec ſtat promiſſis, quia tale votum æquiualet voto diſiunctiuo: de natura autem voti diſiunctiui eſt, vt ſi vouens vnam partem tradere nequeat, alteram tradat: non tenetur tamen adire monaſteria, aut aliam Religionem extra Prouinciam, niſi expreſſè, vel tacitè intenderit ſe obligare ad id faciendum. Ita Silueſter verbo *Religio* 2. *quæſito* 16. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. Valentia *diſp* 6. *quæſt.*6. *pun.*4. Rodriquez 2. *part. cap.*95. *n.*4. & alij; nec tenetur etiam adire ſingula Monaſteria Prouinciæ, ſed ſatisfacere adeundo ſolum diuerſas diuerſorum ordinum.

Quid teneatur facere vouens qui poſt votum Religionis antequam paſſus ſit repulſam ab his ad quos ſpectat init matrimonium? Reſpondeo inito matrimonio, ſed nundum conſumato teneri Religionem ingredi, quia ingreſſus adhuc eſt poſſibilis, vt dictum ſupra; ideó peccat prima vice petendo, cæteris autem vicibus non amplius peccat: mortua coniuge poſt matrimonium conſumatum tenetur ingredi Religionem ob rationem ſupra allatam.

R. 4. Quod qui vouit ſimpliciter Religionem liber eſt ab obligatione voti, ſi poſt ingreſſum exeat è Religione ante factam profeſſionem, modo nihil de profeſſione cogitauerit votum emittendo. Ita Sotus *lib.7. de iuſtitia quæſt.*3.*art.*1. Arragonius 2.2.*q* 68. *art.*3. & alij. Ratio eſt, quia huiuſmodi votum iuxta diſpoſitionem iuris concedentis annum nouitiatus cenſetur emiſſum, etiamſi abſque iuxta cauſa exeat, modo bona fides ingreſſus ſit. Ratio eſt, quia votum Religionis habet hanc tacitam conditionem, ſi facta per nouitiatum experientia Religio mihi placuerit. Ita Nauarrus *lib.2. conſilior. de voto conſil* 25. Azorius 1.*part.lib.*11.*cap.*22.*quæſito* 6. Clauis regia *lib.* 6.*cap.*10.*num.*21. & alij apud Sanchez *lib.4.cap.*16 *nu.* 89. Si verò votum emittendo, aliquid de profeſſione cogitauit, & intendit profiteri non eſt liber à voto ſi poſt ingreſſum exeat. Ratio eſt, quia tenetur votum implere iuxta id, quod intendit: intendit autem ingreſſum, & profeſſionem: ergo, &c.

Quomodo explicandum ſit votum?

BRACTEA XVIII.

R. Votum eſſe explicandum iuxta intentionem vouentis. Ratio eſt, quia votum eſt veluti quædā lex priuata, lex autē priuata obligat iuxta intētionē legislatoris; ergo explicādū eſt iuxta intentionē vouentis. Si verò non conſtat de intentione vouentis ſeruandæ ſunt infraſcriptæ regulæ. Prima vt attendantur verba, quibus emiſſum eſt votum, & iuxta communem illorum intelligentiam votum explicetur, ex hac regula ſequitur, eum qui vouit non bibere vinum poſſe bibere ceruiſiam; & quia ceruiſia verè non venit nomine vini quamuis inebriat; & ſic de alijs dicendum eſt. Secunda regula eſt, vt votum ſtrictè explicetur ſeruata verborum proprietate, & communi intelligentia. Ratio

eſt,

eſt, quia vitandum eſt periculum peccati, quantum fieri poteſt, periculum autem peccati vitatur quantum fieri poteſt ſtrictè explicando votum. Ita Suarez *lib. 4. cap. 7. num. 17. & 18.* Ex hac regula colligi poteſt eum, qui vouit non bibere vinum poſſe ſumere vtramque ablutionem in miſſa, quia votum eſt ſtrictè explicandum ſolum quantum fieri poteſt: votum autem non bibendi vinum non poteſt ita ſtrictè explicari, vt excludat ablutionem in miſſa, alioquin eſſet contra communem vſum, & Eccleſiæ præceptum & ſic de alijs dicendum. Tertia regula eſt, vt quando dubitatur de intentione vouentis ſeruetur materia voti, ac ſi eſſet materia alicuius legis Diuinæ, vel humanæ; votum enim eſt lex quædam priuata, cuius auctor, & conditor eſt ipſe vouens. Vnde qui vouit audire miſſam, aut recitare officium teneri cum intentione audire miſſam, & recitare officium. Ratio eſt, quia ſubſtantia recitationis officij includit attentionem, tanquam modum neceſſariũ: vnde qui vouit officiũ, vouit etiã attentionẽ.

An obligatio voti tollatur per ceſſationem cauſæ, aut notabili mutatione rerum?

BRACTEA XIX.

R. Vt ſupra dictum eſt obligationem voti ceſſare ceſſante cauſa finali, & motiua voti. Ratio conſtat ex ſupradictis. Secundò obligationem voti ceſſare ob ſuperuenientem notabilẽ mutationem, quæ ſi fuiſſet tempore voti, votum non iuiſſet factum. Ratio eſt, quia votum conditiones promiſſionis aſſumit, ſupra quam cadit: ſed de natura promiſſionis eſt, vt non obliget, quoties ſuperuenit notabilis mutatio, ergo etiam votum. Ita Molina *tom. 2. diſp. 272.* Nauarrus *cap. 18. num. 7.* Henriquez *lib. 11. cap. 14. num. 1.* Valentia *2. 2. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 6. pun. 4.* Clauis regia *lib. 6. cap. 7. num. 1.* Suarez *lib. 4. de voto cap. 9. num. 4.* Reginaldus *lib. 18. num. 2.* Sanchez in ſum. *lib. 4. cap. 2. num. 20.* Hoc tamen intelligendum, niſi vouens habuerit intentionem ſe obligandi formalem, aut virtualem non obſtante qualibet mutatione obligandi ſe ad votum.

Sciendum non quamlibet mutationem ſufficere ad tollendã voti obligationẽ, ſed ſolũ quãdo ſuperuenit tanta mutatio, præſertim ex parte materiæ, vt ea exiſtente, aut præuiſa votum iudicio prudentis emiſſum non fuiſſet. Ita Sotus *lib. 7. de iuſtit. quæſt. 2. art. 1.* eſt Em. Sà verbo votum *n. 19.* Rebellus *lib. 18. quæſt. 11. num. 6.* Caiet. *2. 2. quæſt. 103.* vt quando materia voti facta eſt illicita, aut impeditiua maioris boni aut indifferens. Ita Valentia *2. 2. diſput. 6. qu. 6. pun. 4. quæſit. 4.* & alij.

De irritatione voti?

BRACTEA XX.

Sciendum irritare votum nihil aliud eſſe, quam per ſubtractionẽ materiæ, aut libertatis eius, qui vouet illud reddere irritum, ſeu obligandi vim ei adimere. Vnde irritare alterius votum non pertinet ad auctoritatem eccleſiaſticam, ſed potius ad poteſtatem dominatiuam, prout expreſſit Armilla in verbo *votum* §. 12. & deducitur ex cap. manifeſtum, & *cap. noluit 33. quæſt. 5.* Cuiuſmodi poteſtas varia quidem eſt, ſed duplex in genere, vna in vouentem, qua eius voluntas ita ſubordinata eſt voluntati alterius, vt votum quod emittit includat in ſe conditionem ſi alter conſenſerit, aut ſi non repugnauerit: huius generis ſunt poteſtates Patris in filium, Tutoris in pupillum, Prælati in Religioſum ſuum, altera verò in materiam voti, qua vouens ſic alteri ſubijcitur quoad illud, de quo facit votum, vt in eo voluntas ipſius pendeat ab illis voluntate; cuius generis ſunt poteſtates mariti in vxorem, & Curatoris in minorem vigintiquinque annorum quoad bona, quorum habent adminiſtrationem. Secundò irritationem eſſe actum liberum voluntatis eius, à quo votum pendet, per quem fit, vt votum, vel amplius non ſit, vel non obliget. Quibus poſitis.

R. Summum Pontificem directè non poſſe irritare omnia vota Chriſtianorum, & probatur ex cap. magni de voto, vbi id ſupponitur ab Innocentio tertio: & ratio eſt, quia nec in omni voto includitur conditio, ſi Papæ placuerit, nec ſunt voluntates fidelium, ita dependentes, vt non poſſint obligari firmiter Deo, niſi dependenter à conſenſu Papæ, ſed ea ſolum quæ ipſius adminiſtrationi obeſſe poſſunt: poſſe tamen Summum Pontificem irritare vota Religioſorum, quæ poſſunt irritari ab ipſorum Prælatis: ratio eſt, quia habet poteſtatem dominatiuam in omnes Religioſos.

R. 2. Vota ſeruorum facta ante ſeruitutem, ſiue tempore ſeruitutis poſſe irritari à Domino quoties repugnant ſeruitio, quod ei debent. Ratio eſt, quia Domini habent poteſtatem dominatiuam quoad ea vota ſeruorum, quę vergunt in eorum pręiudicium: ratio eſt, quia vota facta cum alterius præiudicio, tanquam de alieno exhibita non placent Deo; vnde quando materia voti, quod ſeruus emittit talis eſt, quæ poſſit Domino præiudicium parere debet votum, vt licitum ſit, ac validum includere conditionem ſi Dominus conſenſerit, aut ſaltem ſi non contradixerit: vnde ſequitur tale votum irritum fieri ſi Dominus non conſentiat, vel contradicat: Verum irritationem duplicem eſſe vnam directam, & alteram indirectam, ſeu impropriam, quæ in hoc differunt, quod quando eſt vera irritatio extinguitur proprie obligatio voti: quando verò non eſt propria, ſed ſolum indirecta irritatio proinde eſt; ac voti ſuſpenſio; quæ tandiu durat, quandiu perſeuerat prohibitio; & ceſſante prohibitione votum priſtinas vires obligandi recuperat.

R. 3. Vota vxoris poſſe irritari à marito, quæ ſibi præiudicant, aut quę impediunt domus, & familiæ gubernationem: vnde maritus poteſt irritare ea vota vxoris, quę præiudicant ſibi vſu matrimonij, educatione liberorum, & gubernatione familię non poſſe tamen irritare votum, quod vxor emiſit de non exigendo coniugale debitum, ideſt de non compellendo eundem maritum ad illud reddendum, nam in eo non præiudicat ipſi, cui non ſubijcitur ea ex parte, ſed ſui iuris eſt; & ideò poteſt ſine facultate ipſius ſe taliter obligare. Secus verò dicendum de voto non reddendi debitum emiſſo ab vxore, quia tale cedit in præiudicium mariti, immò, & de voto non petendi debitum ab vxore emiſſo, quando matrimoniũ ipſi marito redditur oneroſum in eo, quod compellatur ſemper petere debitum, aut quod pre verecũdia plerumq; petere non audeat: Siluester in verbo *matrimonium 7. quæſt. 5.* & alij. Secundò maritum poſſe irritare votum abſtinentiæ, ieiunij, peregrinationis, &c. quia repugnant gubernationi domeſticæ, votum autem orationis, non peierandi, &c. non poſſe à uiro irritari. Ratio eſt, quia licet uir ſit caput uxoris in his, quæ pertinent ad gubernationem domus, & familiæ adminiſtrationem tamen in his mulier non eſt ſubiecta uiro, & hæc nota non cenſen-

cenſentur marito præiudicialia. Ita Silueſter uerbo *votum 4 quæſito* 2. Sanchez *lib.4. cap.31. num* 9. Valentia 2. 2. *diſput 6. quæſt.6. pun.6. quæſito vltimo* Clauis regia *lib 6.cap* 19.*num*.19. & alij. Tertiò maritum poſſe irritare uotum uxoris emiſſum cum ipſius licentia. Ita Sanchez *cap*.34. Suarez *lib.6 cap.4. num* 10. Clauis regia *lib.6. cap* 10. *num* 9. Reginaldus *lib* 18. *num* 304. & alij. Ratio eſt, quia maritus dans uxori licentiam ad faciendum uotum non amiſit poteſtatem in uxorem; ergo neque amiſit poteſtatem irritandi uota ob poteſtatem, quam habet in uxorem.

R. 4. Vxorem etiam poſſe irritare uota mariti ſibi præiudicialia, ſunt enim in hoc pares, ut eſt uotum geſtandi habitum Religionis, dandi copioſam eleemoſynam ex bonis dotalibus, peregrinandi, &c. Ita Leſſius *lib* 2 *cap* 40.*dub*.10. *num* 83. & alij apud Clauem regiam *lib.6 cap* 10 *num* 20. apud Suarez *lib. 6. cap*.4 apud Reginaldum *lib* 18.*num*.314 & alij.

R. 5. Quod Pater quemadmodum, & Tutor omnia omnino uota impuberis ſimpliciter, & directè irritare poteſt, ſiuè illa realia ſint, ſiuè perſonalia; & ita colligitur ex *cap* 30.*numeror*. & traditur à S. Tho. *quæſt* 98.*art*.9. à S. Autonino *part*.2. *tit*.11. *cap* 2.§.6. à Silueſtro uerbo *votum* 3 *quæſt. quinta* & Nauarrus *cap*.12. *num* 64. à Suarez *lib.6. cap.6.* & alij communiter. Ratio eſt, quia naturali æquitate ualdè conſentaneum eſt, ideòque iure gentium introductum uidetur, ut homines utriuſque ſexus in tenera, & impubera ætate, in qua tenuem, imbecillemque rationis diſcretionem obtinent aliena Patris, uel Tutoris uoluntate regantur ſaltem, quoad firmitatem obligationis, ita ut non ſit firma omninò, donec Pater illam approbet, & maximè in negotio grauiſſimo, quale eſt obligationis ad Deum, quæ per uotum contrahitur, quia igitur conditio impuberis uouentis eſt, ut dependeat à Patris poteſtate cuiuſcumque materiæ reſpectu ſit, ut in omni uoto ipſius includatur conditio, niſi Pater repugnauerit, ideòq; & locum habet irritatio etiam ſi vouentes retulerint ea vota exequenda tempore pubertatis, quia adhuc habent dictam tacitam conditionem. Ita Nauarrus *cap*.17. *num* 67 Sotus 7. *de iuſtitia quæſt*.3. *art*.1. Valentia *tom* 3. *diſput*.6. *quæſt* 6. *pun* 6. Azorius 1 *part*. *lib*.11. *cap*.17. *dub*.8. & alij dummodò adepta pubertate pubes factus ea non confirmaret. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt*.89. *art*.7. Lopes 1. *part. inſtructionis cap* 74. Nauarrus *cap* 12. *num*.71. Suarez *lib.6. cap.6. num*.9. Leſſius *lib.2.cap.40.num*.8. & alij.

Sciendum dubium eſſe, an Pater poſſit irritare vota filiorum puberum? Ad quod reſpondeo Patrem nō poſſe irritare vota perſonalia filiorum puberum, quæ non repugnant domeſticæ gubernationi, aut poteſtati Patris, licet enim filius pubes liberam habeat de actionibus ſuis perſonalibus diſponendi facultatem, tamen hanc poteſtatem non habet in præiudicium paternæ poteſtatis, conſequenter Pater poteſt irritare vota perſonalia filiorum puberum vergentia in præiudicium Paternæ poteſtatis. Ita Arragonius 2. 2. *quæſt*. 88. *art*.9. Reginaldus *lib*. 18. *num*.317. Valentia 2. 2. *diſput*.6 *quæſt*.6. *pun*.6. & alij; vota verò realia filiorum puberum relata in tempus quo filii erunt ſui iuris non poteſt irritare Pater. Ita Nauarrus *cap*.12. *num*.64. Sylueſter verbo *votum* 4. *quæſito* 2. Leſſius *loco cit*.*num* 81. & alij.

R. 6. vota Religioſorum excepto voto arctioris Religionis poſſe irritari à Prælato, etiam ea, quæ ſunt de actionibus poſitis in conſilio, & ipſi abſolutè conceſſis, immò & ea quæ verſantur circa actiones in præcepto poſitas, vel ordinis regula præſcriptas, quæ tacitam conditionem in ſe includunt, *niſi Prælatus re cognita contradixerit*. Ratio eſt, quia Prælatus poteſtatem habet omnia huiuſmodi vota directè infirmandi, ſiue irrita reddendi, per quam irritationem omnis eorū obligatio tollatur. Ita S.Th. *quæſt* 88.*art* 8. Sotus *lib*.7. *de iuſtitia quæſt*.3. Nauarrus *cap* 12.*num* 75. Medina in ſum. *part*.2.*cap* 14.§.6. Suarez *lib 6 de voto cap 7 num*.7. Sanchez *lib* 4 *cap*.33 *n* 7. Excipitur vt dictum eſt votum arctioris Religionis, quia cum non ſubiaceant voluntati Prælati non poteſt ab eo irritari. Et nō modo vota Religioſorum poſſunt irritari à Superiore; etiamſi in illis conſenſerit, verum etiam ab eius vice gerente, modo habeat iuriſdictionem generalem, quia in tali generali facultate includitur etiam facultas irritandi vota; vota autem nouitiorum non poſſunt irritari à Prælato Religionis, quia nouitij ſunt adhuc ſui iuris, licet poſſit ſuſpendere vota ipſorum perſonalia, quæ repugnant probationi, quia Prælatus poteſtatem habet in nouitios, quatenus conducit ad probationem. Ita Azorius *lib* 11.*cap*.17 *quæſito* 2. Clauis regia *lib.6.cap*.10.*num*.17. Leſſius *lib.2.cap* 40.*dub*.12. *nu*.80. vota verò nouitiorum realia regulariter loquendo non poſſunt à ſuperiore ſuſpendi, quia hæc non impediunt obſeruantiam regularem.

Sciendum 2. Quod licet ſuperior poſſit irritare vota Religioſorum, tamen Religioſus poteſt vouere, quæ non repugnant regulæ, vel præcepto ſuperioris. Ita Nauarrus *cap*.12.*num*.67. Silueſter verbo *votum quæſito* 3. Leſſius *lib.2.cap* 40.*dub*.13.*num*.73. Rodriquez *part*.2. *cap* 89. & talia vota ſtatim obligant nullo expectato ſuperiorum conſenſu, & in eiuſmodi votis nō includitur conditio affirmatiua ſi ſuperior conſenſerit, ſed ſolum negatiua, dum ſuperior non contradixerit. Ratio eſt, quia cum ea materia nullo pacto ſit interdicta, & ſit bona, eſt apta voto emittendo, & quandiù non interdicitur, eſt ſita in vouentium poteſtate ideòq; ſtatim obligant, donec ſuperior contradicat.

De commutatione voti?

BRACTEA XXI.

SCIENDVM commutationem eſſe ſubſtitutionem operis honeſti loco alterius per votum promiſſi eodem vinculo manente; vt ſi peregrinatio mutetur in orationes, ieiunia, in eleemoſynas, &c. quibus poſitis.

R. Quemlibet poſſe commutare ſua vota in melius, & non ſolum in melius, verùm etiam ineuidenter æquale. Ita Nauarrus *cap*.12. *num*.75. Henriquez *lib.7.cap*.30 *num*.5. Clauis regia *lib.6.cap* 12. *n*.5. Reginaldus *lib*.18.*num* 347 Valentia *tom*.3. *diſput*.6. *quæſt*.6 *pun*.7. & alij. Ratio eſt, quia qui commutat votum in melius nullam facit Deo iniuriam cum rem illi gratiorem exhibeat. Quod etiam dicendum eſt quando commutatur in rem euidenter æqualem propter eandem rationem; Si verò dubium ſit, an ſit æquale non licet cōmutare votū in id, quod dubitatur æquale. Ratio, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis; tum quia fieri poteſt, vt Deus hanc commutationem non acceptet.

Sciendum 2. Dubium eſſe an facultas delegata ad commutandum in votis extendatur ſolum ad vota facta ante conceſſionem illius facultatis, verum etiam ad illa, quæ poſt conceſſionem illius facta ſunt? Ad quod reſpondeo extendi. Ita Clauis regia *lib.6. cap*.12. *num*.16. Suarez *lib.6. cap*.15. *num*.4. Sanchez *lib.4.cap*.53.*num*.26. & alij. Ratio eſt, quia facul-

facultas abſoluendi à peccatis, & à cenſuris non ſolum extenditur ad peccata commiſſa ante tempus Iubilæi; verum etiam ad ea, quæ tempore Iubilæi perpetrata ſunt; ergo etiam facultas commutandi, vel diſpenſandi extenditur ad vota facta poſt Iubilæi conceſſionem, non tamen extendi ad vota Summo Pontifici reſeruata, niſi id ſufficienter exprimatur. Ratio eſt, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus ſi ſpecialiter rogaretur. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 354. Suarez *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 28.

Sciendum 3. quod ſi commutatio fiat in melius, commutantem non poſſe redire ad prius votum. Ratio eſt, quia illa commutatio habet vim noui voti; & proinde non poterit redire ad prius votum; auctoritate propria cum nullus poſſit auctoritate propria commutare votum in minus, ſi verò commutatio fuerit facta inæqualis poterit redire vouens ad prius votum. Ratio, quia redeundo ad prius votum, nulli fit iniuria. In minus verò votum non poteſt commutari, propter iniuriam, quæ Deo fieret.

An qui, tempore Iubilæi voluntariè, vel ex obliuione non curauit commutari vota poſſit tranſacto tempore Iubilæi illorum commutationem obtinere?

BRACTEA XXII.

R. Qvod ſi Pœnitens in Sacramento pœnitentiæ tempore Iubilæi implicitè aliquo modo petierit commutationem voti, ſi aliquod habeat, aut habuerit intentionem fruendi priuilegio, poteſt tranſacto tempore Iubilæi illius commutationem obtinere. Ita Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs cap.* 11. *num.* 4. Em. Sà *num.* 14. *de Indulg.* Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 15. *num* 17. Clauis regia *lib* 6. *cap.* 12. *num.* 17. Ratio eſt, quia facit omnia opera præſcripta ad aſſequendum Iubilæum, tum quia habuit intentionem fruendi tali priuilegio. Secus verò dicendum ſi tempore Iubilæi noluerit frui tali priuilegio, quia tunc tranſacto Iubilæo, ipſius priuilegio non poteſt amplius frui, & ſub hac ratione exiſtimo veram opinionem Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 16. *num.* 14. Beia 2. *part. caſu* 9. & aliorum, non poſſe amplius tranſacto Iubilæo frui priuilegio commutationis, cum non habeat amplius Confeſſarius iuriſdictionem ad commutandum. An facta commutatione liberum ſit vouenti ſeruare prius votum? Reſpondeo affirmatiuè, etiamſi commutatio ſæpius facta fuerit: ratio eſt, quia commutatio fit in fauorem vouentis, qui poteſt cedere ſuo fauori, & per conſequens primum votum adimplere. Ita Azorius *lib.* 11. *cap.* 18 *quæſito* 10. *&* 12. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 362. Clauis regia *lib.* 6. *cap.* 12. *dub.* 5. & alii.

Vtrum obligatio voti tollatur per diſpenſationem?

BRACTEA XXIII.

Sciendvm diſpenſationem eſſe relaxationem Iuris ab habente legitimam poteſtatem per auctoritatem Eccleſiaſticam, & in hoc differt diſpenſatio ab irritatione, quæ fit per auctoritatem dominatiuam; Secundò in Eccleſia eſſe auctoritatem auferendi obligationem votorum, vt patet ex vſu, & traditione Eccleſiæ antiquiſſimæ. Ratio eſt, quia omnis lex humana indiget interdum diſpenſatione: votum autem eſt quædam lex priuata; ergo &c. Quibus poſitis.

R. Ordinariam poteſtatem diſpẽſandi ſuper omnia vota eſſe tantum in Summo Pontifice, ſi de immediata poteſtate ſermo ſit, & de iure Diuino. Dixi *de immediata*, quia hanc Chriſtus dedit tantum Petro, & ſucceſſoribus eius: vnde tres prærogatiuas habet; prima eſt, vt ſit independens à quocumque alio in terris, ideòque ſibi reſeruare poteſt vota reſpectu aliorum Prælatorum; ſecunda, vt ſit vniuerſalis reſpectu omnium votorum, perſonarum, & locorum; tertia, vt ab eo dimanet in cæteris, qui illam quoquomodo participant.

R. 2. In Epiſcopis eſſe ordinariam poteſtatem reſpectu votorum, quæ reſeruata non ſunt, & in ordine ad ſubditos ſuæ Diœceſis. Ita S. Thomas *quæſt.* 88. *art.* 12. Silueſter verbo *votum quæſt.* 3. Nauarrus *cap.* 12. *n.* 75. Ratio eſt, quia ad Epiſcopale regimen hæc poteſtas erat neceſſaria.

Sciendum non modo poſſe Epiſcopum diſpenſare cum ſuis ſubditis, intra propriam Diœceſim, ſed etiam extra. Ratio eſt, quia hæc diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis voluntariæ, qui extra propriam Diœceſim exerceri poteſt: poſſe etiam diſpenſare in votis Religioſorum de licentia ſuperioris eorundem. Ratio eſt, quia diſpenſatio cenſetur concedi ex commiſſione data ab illo ſuperiore; ſine ſuperioris licentia non poteſt impẽdi diſpenſatio, quia tunc Religio non cenſetur conſentire, niſi fortè ſuperior iniuſtè deneget licentiam, aut ita longè abſit, vt non poſſit concedere licentiam, nec alius adſit, qui locum ſuperioris ſuſtineat, nam per epicheiam præſumendum eſt, Summum Pontificem nolle Epiſcopis denegare facultatem diſpenſandi cum Religioſis, qui alioquin Sedem Apoſtolicam adire cogerentur, & fortè vagari cum aliquo Religioſi ſtatus dedecore. Ita Molina *tom* 4 *de iuſtitia diſp* 561. *num.* 3. Suarez *de Cenſuris diſput.* 41 *ſect* 2. *num* 12. Auila de Cenſuris *part.* 2. *cap.* 7 *diſput.* 1. *dub.* 6. Sanchez *lib* 4. *cap.* 19. *num* 38. & alii.

Sciendum 2. Ad diſpenſationem, ſicut etiam ad commutationem requiri cauſam, & ita Suarez. *cap.* 17. *num* 2. Caiet. *verbo diſpenſatio* Silueſter *verb votum.* 4 *quæſ.* 3. Nauarrus *cap.* 12. *num.* 57. & alii. Ratio eſt, quia inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris ſine cauſa. Cauſa verò iuſta ad diſpenſandum eſt vtilitas Eccleſiæ: honor Dei, vtilitas, & fructus ſpiritualis, morale periculum ſæpius violãdi votum, imperfecta deliberatio in voto faciendo, metus incuſſus ab homine ad extorquẽdum votum, dubium de obligatione voti, notabilis difficultas ſuperueniens executioni voti, & alia iudicio prudentis.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis?

BRACTEA XXIIII.

Sciendvm vota reſeruata Summo Pontifici eſſe quinque, votum Caſtitatis perpetuæ, votum Religionis approbatæ, votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum, votum ad S. Iacobum de Compoſtella, in quibus Epiſcopus non poteſt diſpenſare. Secundò in generali facultate diſpenſandi in votis non comprehendi facultatem diſpenſandi in his votis, quia in generali conceſſione nõ veniunt

ea,

ea, quæ veriſimiliter non eſſet quis in ſe ſpecie conceſſurus, iuxta regulam duris in *6.* immò ſi Summus Pontifex in conceſſione diceret concedimus omnia vota, etiam caſtitatis tacito voto Religionis, vel è conuerſo concederet omnia vota etiam Religionis tacito voto caſtitatis facultas non extenderetur ad votum caſtitatis, quia à diuerſis non fit illatio; tum quia Summus Pontifex tacendo vnum, & exprimendo aliud ſufficienter indicaſſe videtur nolle ſe omnem gratiam concedere, ſed eam ſolum, quam patitur verborum ſignificatio, poſito illud quod tacetur anteà eſſet reſeruatum. Ita Suarez *cap.25. n.8.* & Sanchez *lib.4.de voto cap.38.num.21.* Si verò detur facultas generalis diſpenſandi in votis reſeruatis cenſetur conceſſa facultas etiam diſpenſandi in his omnibus quinque. Ratio eſt, quia ſufficienter indicatur conceſſa facultas diſpenſandi in his votis facta ipſorum generali expreſſione cum mentione reſeruationis. Ita Sanchez *lib.4.cap.40.num.17.Suarez lib.6.cap.25.num.5.* Item in priuilegio, quo facultas conceditur diſpenſandi in votis, excepto voto caſtitatis, & Religionis conceditur facultas diſpenſandi in votis triplicis peregrinationis, & in priuilegio quo conceditur facultas in omnibus votis excepto voto caſtitatis comprehenditur etiam facultas diſpenſandi in voto Religionis; & in priuilegio diſpẽſandi in omnibus votis excepto voto Religionis, continetur etiam facultas diſpenſandi in voto caſtitatis. Ratio eſt, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. *Cap. 2. de coniugio leproſorum*, & *cap. dominius 32 quæſt.7.* & Summus Pontifex excipiẽdo aliqua videtur aliorum gratiam facere. Si verò Summus Pontifex excipiat ſolum vota minora non facta mentione maiorum, vt ſi concedat tria vota peregrinationis non facta mentione voti caſtitatis, & religionis, non cenſetur facultas conceſſa diſpenſandi in votis caſtitatis, & religionis. Ratio eſt, quia Summus Pontifex excipiendo longè minora præſumitur à fortiori velle, maiora excipi, niſi aliter ex circunſtantijs de ipſius mente colligatur. Quibus poſitis.

R. Epiſcopum poſſe diſpenſare in voto caſtitatis, quando imminet graue periculum expectando diſpenſationem Papæ, vt quando eſt periculum magni ſcandali, vel damni tertiæ perſonæ, vel datur periculum incontinentiæ, quia in his caſibus cenſetur habere tacitam licentiam diſpenſandi, cum Papa ſoleat reſeruare ſibi diſpenſationes non in perniciem, ſed in vtilitatem animarum. Secundò in voto caſtitatis emiſſo per metum etiam leuem. Ratio eſt, quia reſeruatio votorum eſt odioſa, & conſequenter ſtrictè explicanda, & ideo non extendenda ad vota per metum emiſſa. Tertiò, quando dubitatur, an votum Caſtitatis, ſit validum, vel reſeruatum; quia caſus reſeruari non ſunt dubij, ſed certi. Quartò, quando Epiſcopus poteſt diſpenſare in voto principali, cui tanquam acceſſorium annexum eſt votum Caſtitatis, poteſt etiam in voto caſtitatis acceſſorio diſpenſare, vt ſi quis voueat non ludere ſub pœna ſeruandæ caſtitatis, cum Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto non ludendi, poteſt etiam diſpenſare in voto Caſtitatis. Quintò, Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis conditionalibus ante conditionem impletam, quia talia vota non cenſetur reſeruata cum non ſint perfecta, & per conſequens reſeruationem ad illam non extendi. Quod ſi aliquando vota aliqua ſint quoad formam conditionata, vel quoad temporis determinationem, abſoluta verò, quoad ſubſtantiam obligationis, vt promitto ingredi in Religionem, ſi mater obierit, &c. tunc quia æquiualent abſolutis rectè dici poterunt reſeruata, in quibus Epiſcopus non poteſt diſpenſare. Sextò, quando Summus Pontifex commutauit ſibi votum reſeruatum, in aliud non reſeruatum. Epiſcopus poteſt in ſecundò voto non reſeruato diſpenſare, cum obligatio voti circa materiam reſeruata ſit ablata. Ita Suarez. *lib.6. c.20. n.15.* Silueſter verbo *votum 4. quæſt.7.* Reginaldus *lib.* 18 *num.332.* Azorius *lib. 11.c. 18.quæſit.11.* Clauis regia *lib.6. c.12. n.23.* Septimò, in voto caſtitatis non perpetuo, v.g. in voto caſtitatis ad duos, vel quinque annos facto, quia tale votum non cenſetur votum ſimpliciter Caſtitatis, & votum reſeruatum eſt votum ſimpliciter caſtitatis. Octauò, quando votum disiunctiuè emittitur, & vna pars voti eſt reſeruata, altera verò non, modo vouens non elegerit partem reſeruatam. Ratio eſt, quia in alternatiuis electio eſt debitoris. Ita Clauis regia *lib.6.c.11.n.62.* Azorius 1, *part. lib.11. cap.19. quæſit.30.* Suarez. *lib.6.c.4. n.4.* Sanchez *lib.4.c.4.n.42.* Regin. *lib.18.n.338.* & alij. Dixi *modo vouens non elegerit partem reſeruatam*, quia facta electione materiæ reſeruatæ conſtat remanere reſeruatum.

Sciendum 2. quod licet Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto non acceptato, tamen in voto facto in fauorem tertij, & acceptatum non niſi ex vrgentiſſima cauſa diſpenſare poteſt, & adſit conſenſus illius, in cuius fauorem fuerit factum. Ratio, quia Epiſcopus per diſpenſationem non poteſt afferre præiudicium tertio, qui aquiſiuit ius in rem voto promiſſam per acceptationem, Reginald. *lib.18. n.355.* Clauis regia *lib.6 c.11.n.121.* Sanchez. *lib.4. c.41. num.7.* Azor. 1.*part. lib.11. c.19.quæſito* 12. & alij.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto Religionis.

BRACTEA XXV.

R. Poſſe diſpenſare in illis caſibus, in quibus poteſt diſpenſare in voto Caſtitatis. Secundò, in voto Religionis non approbatæ, quia Religio non approbata non eſt verè Religio conſequenter votum illius non eſt propriè votum Religionis. Tertiò, commutando votum Religionis arctæ in votum laxioris Religionis, quia hæc non dicitur propriè diſpenſatio in voto Religionis, ſed in circunſtantia ipſius. Ita Leſſius *lib.2.c.40. dub.13. n.105.* Clauis regia *lib.6.c.11. n.63.* Azorius 1.*parte lib. 11.cap.18.quæſito* 8. Reginald.*lib.18. n.331.& 335.* & alij, apud Sanchez. in opere morali *lib.4.cap.40. num.74.* Quartò in voto Religionis facto ad duos, vel tres annos tantum, quia hoc non videtur votum perfectum Religionis. Quintò in voto non nubendi, vel non fornicandi, quia hoc non uidetur votum Caſtitatis perfectæ, ſed partialis, vt docet Nauarrus *c.12. n.76.* Reginald. *n.332.* & *334.* Azorius *lib. 11. cap.19. quæſito 5.* Sextò Epiſcopum poſſe diſpenſare in differenda exequutione voti Religionis, quia hæc non videtur diſpenſatio in ſubſtantia voti, ſed in circunſtantia temporis, dummodo non ſit periculum, vt vouens ob longam dilationem fiat impotens ad votum perſoluendum, quia tunc conceſſio dilationis æquiualeret diſpenſationi circa ſubſtantiam. Ita Sanchez. & Suarez. locis citatis.

An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni Caſtitatis, & Religionis?

BRACTEA XXVI.

R. Poſse ex iuſta cauſa; & ita communiter Canoniſtæ, & ferè omnes Theologi. Ratio eſt, quia poteſt diſpenſare in voto ſimplicis Caſtitatis; ergo poteſt etiam in ſolemni, cum ſolemnitas dependeat à conſtitutione Eccleſiæ, & ſimiliter in voto paupertatis, & obedientiæ facto à Religioſis. Ita Angelus verbo *votum* 4. *quæſt*.5. Gutier. de matrim. *cap*.123.*num*.1.*&* 2. Nauarrus *cap*.12. *num*.77. Leſſius de voto *dub*.14.*n*.111. Azorius 1.*part*. *lib*.12.*cap*.7.*quæſito* 1. Sanchez *lib*.8.*de matrim.diſput*.8. *num*.7. Valentia 2.2.*diſput*.6 *quæſt*.6.*punt*.7.Reginald. *lib*.18.*num*.329. & alij. Dixi *iuſta cauſa*, quia ad diſpenſationem requiritur cauſa in his, quę ſunt de iure Diuino, & naturali. Ita D.Thomas 2. 2. *quæſt*.88. *art*.12. Sotus *lib*.7.*quæſt*.4. *art*.3. Sanchez *lib*.4. *cap*.45. & alij. Iuxta cauſa eſt vtilitas Eccleſiæ, honor Dei, vtilitas, & fructus ſpiritualis vouentis, morale periculum ſæpius violandi votum, imperfecta deliberatio in voto faciendo, metus incuſſus ab homine ad extorquendum votum, notabilis difficultas, ſuperueniens exequutioni voti, & alia huiuſmodi iudicio prudentis conſideranda. An Epiſcopus poſſit commutare, vel diſpenſare in voto facto in fauorem tertij. Reſpondeo, poſſe antequam votum ſit acceptatum. Ratio eſt, quia Epiſcopus illi non facit iniuriam cum non acquiſierit ius, poſt quam fuit acceptatum non poſſe regulariter, quia alter iam acquiſiuit ius; & ideò abſq; vrgentiſſima cauſa non poteſt ipſum priuare iure acquiſito, niſi adſit conſenſus illius, in cuius fauorem fuit factum. Ita Suarez *lib*.6. *c*.15.*n*.7. Reginaldus *lib*.18. *n*.355. Clauis regia *lib*. 6. *c*. 11. *n*. 121. Sanchez. *lib*.4.*c*.41. *n*. 7. & alij.

An Patrochi, & alij Sacerdotes poſſint diſpenſare in votis.

BRACTEA XXVII.

R. Parrochos, aut alios Sacerdotes nō poſſe diſpenſare in votis, niſi ſpeciale priuilegium habeant. Ratio quia non habent iuriſdictionem in foro externo, quæ requiritur ad diſpenſandum in votis, licet illis poſſit demandari.

Sciendum hoc priuilegio gaudere Confeſſarios mendicantium, exceptis votis Summo Pontifici reſeruatis, Capitulum ſede vacante, quia ſuccedit in locum Epiſcopi, Prelatos habentes Diœceſim, & iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem: Item Prælatos Regularium; habent enim poteſtatem, quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos. Ita Clauis regia *lib*.6. *cap*.11.*num*.88. Suarez *lib*.6.*cap*.10.*num*.14. & alij apud Sanchez *lib*.4. *cap*. 39. *num*. 3. & apud Reginaldum *num*.340.

Sciendum 2. habentes facultatem cōmutandi ſibi delegatam, non poſſe diſpenſare diſpenſatione propriè dicta. Ratio, quia cui conceditur minus non conceditur maius: ita auctores citati: ſimiliter habentem facultatem diſpenſandi, vel commutandi vota, non poſſe relaxare iuramenta. Ratio, quia facultas non eſt extendenda vltra verborum proprietatem, &c. An ſuperior ſciens obſtrictum voto facere contra votum, & tacens cenſeatur diſpenſare? Reſpondeo negatiuè quoties cum taciturnitate non ſunt coniuncta talia ſigna, quibus ſufficienter iudicetur diſpenſatio. Ita Suarez *lib*. 6. *de voto cap*.27. Tabiena verbo *Abſolut.num*.43. & alij; licet contraria opinio ſit etiam probabilis, quam ſequitur Sanchez in ſum. *lib*.4.*cap*.47.*num*.46. Clauis regia *lib*.6. *cap*.11.*num*.214. & alij.

An qui prius votum Religionis, aut caſtitatis emiſit, & poſtea virginem defloraust promiſſione futuri matrimonij teneatur potius ad votum, quam ad matrimonium?

BRACTEA XXVIII.

R. Teneri potius ad votum, quam ad matrimonium. Ratio, quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis, hic autem notabiliſſima eſt mutatio, cum vinculum iuſtitiæ ſuperuenerit, & grauiſſimum proximi damnum, ſi votum impleatur, tum etiam quia iuſtitiæ vinculum fortius eſt, quam Religionis, ſed ad votum tenetur ſolum vinculo Religionis, & ad matrimonium tenetur vinculo iuſtitiæ; ergo magis tenetur ad matrimonium, quam ad votum. Tum etiam, quia ſicut ex charitate tenetur quis votum præcedens ſuſpendere, nimirum ob indigentiam parentum, &c. ergo tenetur etiam votum ſuſpendere ob ſuperueniens vinculum iuſtitiæ. Quod tamen intelligendum eſt dummodo fęmina ignorauerit votum, quia ſi id ſciuerit debet ſibi imputare, quod ſit decepta; & alter tenetur votum adimplere. Quod affert Pontius de matrimonio *lib*.6.*cap*.12.*num*.9. non placet. Ita nobiſcum ſentiunt Vaſquez *opuſcul.de reſt.c*.3.§.2. *dub*. 6. *num*. 20. Sanchez de matrimonio *lib*.7. *diſput*.45. *num*.3.

Sciendum tamen, votum vires habere, & eſto quod matrimonium contrahat non poteſt petere debitum, ſi votum eſt caſtitatis, & diſſolutis ſponſalibus ex cauſa iuſta, vel mortua vxore, teneri abſtinere à nuptijs, & ſi votum Religionis fuit tenetur ipſam ingredi, quia votum per matrimonium non extinguitur, ſed ſolum ſuſpenditur. Sanchez loco citato.

An ſit contra votum paupertatis inſcio ſuperiore ex nummis à pænitentibus acceptis emere libros, & expoſitos illos in cella tenere?

BRACTEA XXIX.

R. Regvlariter eſſe contra votum paupertatis. Ratio eſt, quia accipiendo pecuniam, & expendendo, facit contra votum paupertatis, cum exerceat actum dominij. Dixi regulariter, quia ſi pecuniam accipiat, & expendat de conſenſu expreſſo, vel tacito ſuperioris, non facit contra votum. Ratio eſt, quia conſenſus Prælati tacitus, vel expreſſus aufert proprietatem in Religioſo. Ita Nauarrus *in cap. non dicatis num*. 16. Bettol. à S. Fauſto *de vitio paupertatis quæſt*.23. & alij.

Sciendum pecuniam duplici titulo poſſe dari Religioſo. 1. Abſolutè, & ſimpliciter, & vt eam expendat in proprios uſus. 2. Vt pecunia, quæ datur, ac-

quitatur Monaſterio, ſi pecunia fuit data priori modo peccat Religioſus, eam accipiendo, & expendendo, & ita Silueſt. *verbo Religioſus 6. quæſt. 7.* Rodriquez *tom. 3. de regular. quæſt. 29. artic. 10.* Leſ. *lib. 2. de iuſtitia cap. 4. dub. 5.* Haſtenus *diſquiſ. monaſt. lib. 4. tract. 7. de paupertate* Ratio, quia ex ui uoti paupertatis tenetur Religioſus, ut nihil uelit habere, poſſidere, uel uti tamquam proprium, ideſt affectu retinendi iure ſuo, ſeu independenter à uoluntate ſuperioris, unde Iſidorus *Monachi nichil peculiare ſibi facere audeant, neque in ſuis cellulis, ſine regulari diſpenſatione habere, vel poſſidere præſumant.* Si pecunia fuit data ſecundo modo peccat Religioſus illam expendendo abſquè conſenſu tacito, uel expreſſo ſuperioris. Ita Nauar. loco citato, & alij. Ratio eſt, quia expendendo pecuniam abſque conſenſu tacito, uel expreſſo exercet dominium rei, quod non habet.

Sciendum Religioſum non peccare contra uotum paupertatis, ſi abſque ſuperioris licentia accipit pecuniam, ut ipſe liberè diſponat de ipſa in eleemoſyna nominis eius; qui dedit, & ita Diana, & cum eo plures citati *tract. 2. de dubijs regul. reſol. 65.* Secundò Religioſum non peccare contra uotum paupertatis accipiendo depoſitum, ita ut deponens dominium, & poſſeſſionem retineat. Etiamſi Religioſus eo utipoſſit impetrata ſuperioris licentia. Diana loco citato.

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI.

Memento, vt dies Sabbati ſanctifices.

MALLEATIO QVINTA.

In tertio Præcepto, duo præcipiuntur: Primùm ſanctificatio Sabbati, vt agnoſcatur Deo dicatum: Secundùm ceſſatio ab operibus ſeruilibus ad famulandum Deo, nempè vt liberi ab operibus profanis, mente Deo intenti, cultum illi exhibeamus, idcircò agam de obſeruatione feſtorum, & de ijs, quæ prohibentur in die feſto. Tractant de hoc Præcepto Theol. in 3. d. 37. S. Thomas 2. 2. quæſt. 122. Summiſtæ V. Feria, & Dominica,

De Obſeruantia Feſtorum.

Ad quem pertineat dies feſtos inſtituere?

BRACTEA I.

SCIENDVM Præceptum celebrationis feſtorum partim morale eſſe, atque ex lege naturali deſcendens, quatenus abſolutè præcipitur, ut poſthabitis alijs negotijs temporalibus Dei cultui, atq; adorationi tempus aliquod tribuamus, partim uerò fuiſſe Præceptum ceremoniale, quatenus tempus certum uidelicet integra dies Sabbati deſignatur, in quo ab alijs operibus abſtinendum. Tum in memoriam beneficij creationis, nam Deus mundum ſex diebus perfecit. *Geneſis cap. 2.* tum uerò in figuram Chriſti toto Sabbato in ſepulcro quieturi, nunc uerò Eccleſia loco Sabbati conſtituit diem Dominicum, quia Dominicus dies eſt ſignum illius diei, qua Chriſtus reſurrexit. Secundò ne uideremur conſentire cum Iudæis, & eorum ceremonias obſeruare. Tertiò propter multas, & uarias prærogatiuas, quibus hæc dies gaudet, ut uidere eſt apud Clauem regiam *lib. 7. cap. 1. num. 6.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 4.* & alios. Vnde colligitur, obſeruationem Dominicæ diei non eſſe de iure Diuino, ſed de iure Canonico, ut ſunt etiam feſtiuitates aliorum Sanctorum, quę ab Eccleſia inſtitutæ ſunt. Quibus poſit.

R. Spectare ad Summum Pontificem, & Concilium generale inſtituere dies feſtos, & abrogare in tota Eccleſia. Ratio eſt, quia Summus Pontifex, & Concilium generale, habent iuriſdictionem ſupra ipſam, & per conſequens in tota Eccleſia poſſunt conſtituere feſta. Epiſcopũ iure cõmuni poſſe in ſua tãtũ Diœceſi feſtos inſtituere, ut colligitur ex *c. vl. de ferijs*, & ex *c. 1. de conſecrat. diſt. 3.* & ita Sanc. in opere morali *lib. 2. c. 47. n. 11.* Clauis regia *lib. 7. cap. 3. n. 16.* Em. sà uerbo *feſtum* Angelus uerbo *feria 5. num. 5.* & alij; licet conſuetudine receptum ſit, ut feſti dies inſtituãtur ab Epiſcopo adhibito ſolum Clericorum conſilio. Principem ſæcularem, uel Ciuitatem, uel Rempublicam non poſſe dies feſtos, tamquam ſanctos inſtituere; & ita communiter omnes; & colligitur ex *Cap. cum Laicis de rebus Eccleſiæ non alienandis*, & *cap. decernimus de iudicijs*. Ratio eſt, quia obſeruatio diei feſti continetur inter ſpiritualia, quia immediatè, & directè refertur ad bonum animæ, & ad res ſacras, ſupra quæ Laici non habent poteſtatem; ergo, &c. poſſe quidem Principem, & Rempublicã, &c. diem feſtum inſtituere, ſi per diem feſtum intelligatur uacatio à publicis actionibus, & forenſibus prætextu ciuilis honoris, &c. & poſſe tranſgreſſoribus pœnam irrogare. Vnde colligitur per ſolam Laicorum conſuetudinem non poſſe dies feſtos introduci, nam eorum poteſtas non extenditur ad actus Religioſos. An uerò teneamur dies feſtos conſuetudine, aut uoto, aut maiorum iuramento inſtitutos obſeruare? Reſpondeo non obligare in ratione uoti, aut iuramenti, quia eſt tantum obligatio perſonalis, niſi fiat aliquod ſtatutum, vel inducatur

dicatur conſuetudo legitima cum approbatione Prælati, quæ etiam poſteros obligare queat : in obſeruandis autem feſtis obſeruanda eſt lex, conſuetudo, qua attenta, & dies feſtus apud nos incipit à media nocte, vſque ad mediam proximè ſequentem, vt etiam contingit in ieiunio.

Quæ opera prohibeantur in die feſto?

BRACTEA II.

SCIENDVM Præceptum obſeruandi feſtum eſſe affirmatiuum, & negatiuum, quatenus eſt negatiuum prohibet opus ſeruile, quatenus affirmatiuum pręcipit auditionem miſſę, &c. de qua obligatione audiendi miſſam ſufficienter egimus, cùm de ſacramentis, Malleatione de ſacrificio miſſæ. Secundò obligationem Pręcepti affirmatiui non terminari ad actum dilectionis, vel ad actum conſtitutionis eliciendæ in die feſto, nec obligari fideles abſtinere in die feſto particulariter à peccatis : ita vt ſi peccent per actum contrarium, actus contineat duas malitias, vnam contra Religionem, & alteram contra virtutem, cui opponitur.

Sciendum 2. Præceptum negatiuum colendi feſtum præcisè cadere in abſtinentiam ab operibus ſeruilibus, vt conſtat ex *cap. 1. de feriis cap. licet & cap. conquaſtus*, & quemadmodum tranſlatio Sabbati in Dominicam antiquiſſima eſt, ita etiam vacatio, & quies; quę fiebat in Sabbato tranſlata eſt ad dies feſtos; aliter tamen præcipitur ceſſatio ab operibus in noua lege, aliter in antiqua; multa enim opera permittuntur Chriſtianis in facto, quæ non permittuntur Iudæis in Sabbato.

Sciendum 3. Opera ſeruilia illa dici, quæ reſpiciunt commoditatem corporis, & per Seruos exerceri ſunt ſolita, vt arare, fabricare, &c. & alia huiuſmodi opera męchanica, quę ſeruis propriè conueniunt, etiamſi per liberos nonnunquam exerceantur. Ita Toletus *lib. 4 cap. 24.* Clauis regia *cap 2. n. 2.* Nauarrus *cap. 13. num. 3.* Reginaldus *lib 14. num. 35.*

Sciendum 4. Quod inter opera exteriora, ſeu corporalia, quædam ſunt ſeruilia ex ſuo genere, quæ ſcilicet ſeruorum ſunt propria, vt fodere, arare, ruere, &c. ad quorum exercitium ſerui haberi ſolent deputati : Mæchanica, quæ dicuntur, eo quod artes mæchanicæ in illis dirigere debent operantem, quædam verò genere ſuo ſunt libera, cuiuſmodi cenſentur illa, in quibus artes liberales dirigere debent agentem, vt numerare, cantare, docere, ſcribere, conſilium dare : quædam denique ſunt opera communia, vtpotè quæ tàm à liberis, quàm à ſeruis communiter exercentur, vt iter conficere, pila ludere, tripudiare, &c. Secundò opera, quæ ex ſuo genere non ſunt ſeruilia non cenſeri prohibita, nec ſeruilia, ex eo quod in die feſto fiant principaliter pecuniæ, ſeu mercedis cauſa. Ratio eſt, quia ſolummodo opera ſeruilia prohibita in die feſto, & opus eo ſolo nomine, quod fiat lucri gratia non eſt cenſendum ſeruile; ergo nec probibitum hoc præcepto : intentio igitur, & ſpes lucri non facit, vt opus, quod aliàs ſeruile non eſt ex ſuo genere cenſeri debeat ſeruile, & prohibitum hoc præcepto : quare opus quodcumque, quod licitè fieri poteſt in feſto ſine quæſtu poteſt etiam fieri ob lucrum. Quibus poſitis.

R. Licitum eſſe in die feſto exercere opera libera, quæ propriè dicuntur opera animæ. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt. 122. art. 4.* Nauarrus *cap. 13. num. 12.* Graffius *1. part. deciſ. lib. 2. cap. 34. nu. 16.* Sotus de iuſtit. *q. 4. art. 4.* & alij cõiter. Ratio, q̃a talia opera libera, ſeu opera animæ non ſunt ſeruilia; ergo in die feſto fieri poſſunt : vnde Aduocato licitum eſt in die feſto dare operam ſtudijs cauſa litium, ſcribere, informare Iudices ſcripto, agere priuatim de lite cum Procuratore, &c. Ita Suarez *cap 30. num 9.* Azorius *cap. 27. quæſito 11.* Reginaldus *lib. 9. num. 35.* & alij. Secundò licitum eſſe Doctori diebus feſtis conficere conſilia, etiamſi hoc faciat ob lucrum. Tertiò licitum eſſe ad conſilia conuenire; & eligere ad officia diebus feſtis; nam electio eſt opus animæ, quamuis terminetur ad negotia temporalia.

De operibus non ſeruilibus, & forenſibus prohibitis in die feſto?

BRACTEA III.

R. QVATVOR prohiberi, opera non ſeruilia in die feſto. Primò mercatum, ſecundò placitum, tertiò iudicium ad mortem, vel ad pœnam, quartò iuramentum in iudicio.

Sciendum nomine mercati tria poſſe intelligi. Primò Nundinas, quæ ſemel, vel bis in anno fiunt, iuxta conſuetudinem diuerſarum Regionum : Secundò eos mercatus particulares, quæ ſingulis habentur hebdomadis : Tertiò ipſum actum mercandi, quo pacto compræhenduntur omnes contractus emptionum, venditionum, &c. Nundinas primò modo eſſe probibitas iure communi *cap. 1. de feriis*, ſed cõſuetudine legitimè præſcripta ius abrogatum iam eſſe; & ita Caiet. verbo *feſtorũ violatio*, Nauarr. *cap. 13. num. 8.* Suarez *cap. 29. num 4.* Nundinas ſecundò modo, hoc eſt mercatum etiam nunc prohibitum eſſe, nec contrariam conſuetudinem vigere, ſaltem vniuerſaliter : Tertiò actum mercandi, & contractus emptionum, & venditionum eſſe prohibitos iure Canonico, conſuetudinem tamen abrogaſſe magna ea parte legem huiuſmodi.

Sciendum 2. nomine Placiti intelligi ſententiam Ciuilem, & ſtrepitum iudicialem, ſeu quæcumque pertinent intrinſecè ad actum iudicij, ſeu quæcumq; ſpectant ad formationem Proceſſus, vel ad prolationem ſententiæ; hæc enim prohibentur fieri in die feſto *cap. 10. de feriis*, & ſi fiunt irritantur à iure, duo tamen poſſunt excuſare huiuſmodi actionem exercitare in die feſto; primò neceſſitas, quia ſcilicet alio tempore, teſtes haberi commodè non poſſunt : Secundò pietas, & ſic Iudices rurales excuſantur iuſdicentes Ruſticis in die feſto, ne perdant diuturnum laborem neceſſarium ad vitam. Nauarrus *cap. 13. num. 13.* ſic etiam in die feſto excuſantur iudicantes cauſam miſerabilium perſonarum.

Sciendum 3. Quod nomine iudicij criminalis intelligitur ſententia mortis, aut alia quæuis corporalis pœna, quæ prohibentur in die feſto, ſiue fiant per ſententiam definitiuam, ſiue interlocutoriam, ex cauſa poſſet aliquando in die feſto ferri ſententia ad mortem, ſiuè quia conditio temporis id exigat, vt tempore belli, ſiuè quia timeatur, ne iuſtitia impediatur; ſiue denique, quia malum augeatur, niſi ſtatim puniatur. Ita Caiet. verbo *feſtorum violatio*.

Sciendum 4. Iuramentum in iudicio eſſe vniuerſaliter prohibitum in quolibet cauſa, ſecluſa cauſa pacis, aut magnæ neceſſitatis, aut cauſæ piæ. Ita Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 30. num. 17.* Azorius Clauis regia locis citatis. Ex quibus colligitur, citationem factam in die feſto præciſa neceſſitate non tenere. Ita Suarez *cap. 30. num. 4.* Sicut nec etiam

facientes foſſam, aut vallum in die feſto pro defenſione Reipublicæ. Septimò excuſantur Curſores, quorum opera vtilis eſt Reipublicæ, ſicut etiam excuſantur ab audienda miſſa. Octauò mulliones, aut Rhedarij, qui cum beſtijs, aut Rhedis, ſeu curibus oneratis onere mercium tranſportandarum iter inchoant in die feſto ſi nequeant iter differre in aliud tempus, cæterum verò minimè. Quinta cauſa eſt abſentia à loco, in quo celebratur dies feſtus: ratio eſt, quia nullus tenetur legibus ſui domicilij, quę non obligant in loco vbi pro tempore repetitur. Ita Nauarrus *cap.13. num.5.* Clauis regia *lib.7. cap.3. num.12.* Suarez *cap.14. num.11.* Sexta cauſa eſt diſpenſatio, nam per diſpenſationem tollitur obſeruatio legis.

Sciendum 4. Quod quando cauſa diſpenſationis eſt dubia adeundum eſt Epiſcopo ſi commodè adiri poteſt; Epiſcopus enim diſpenſare poteſt in caſibus frequenter contingentibus; ſi verò commodè nequeat adiri Epiſcopo, Parochus poteſt ob iuſtam cauſam facultatem ad tempus, non verò in perpetuum concedere; quamuis enim Parochus non poſſit diſpenſare in iure communi, nihilominus ita permittente conſuetudine in aliquibus caſibus particularibus diſpenſare poteſt, quia conſuetudine acquiri poteſt iuriſdictio; quando verò manifeſtè conſtat de cauſa iuſta ſeruilitet laborandi, nulla tunc requiritur Epiſcopi, vel Parochi facultas. Ratio, quia exemptus à lege non indiget noua exemptione, optimum tamen conſilium eſt ad euirandum ſcandalum, dum opera ſeruilia publicè facienda ſunt petere conſenſum Epiſcopi, vel Parochi. Et ita Suarez *cap.32.* & alij.

DE QVARTO PRÆCEPTO DECALOGI.

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.

MALLEATIO SEXTA.

Expletis Malleationibus, quæ ſpectant ad primam Tabulam, quæ Dei cultum, & honorem reſpiciunt; agendum eſt de illis, quæ reſpiciunt ſecundam Tabulam, quæ ad Proximi dilectionem pertinent; quorum primum eſt præceptum de honorandis parentibus, & quia hoc nomen dupliciter ſumitur, Ciuiliter, et naturaliter; Idcircò primò agam de ipſo ciuiliter ſumpto, nimirum de Principe, qui Pater Reipublicæ dicitur, &c. Secundò de ipſo naturaliter ſumpto, nimirum de officio Patris circa filios, &c. Tertiò, de officio filiorum circa eos, qui eorum curam gerere tenentur. Quartò de obligatione viri circa vxorem; & è contra, de officio Domini circa ſeruos, & è contra. Tractant de iſto Theol. cum Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 102. Summiſtæ V. pietas, &c.

De Principe quatenus eſt Caput Reipublicæ, & de obligationibus ſubditorum.

Quo iure Reges, ſeu Principes ſint inſtituti?

BRACTEA I.

SCIENDVM Reges, & Principes à Deo conſtitutos eſſe, qui ergà humanum genus vice ſua funguntur, quibus proinde obtemperare par eſt; & dicitur Rex quaſi Regens à regendo, & gubernando Regnum ſuum, vel quaſi tectum gerens, quia eius munus eſt rectitudinem, & iuſtitiam in ſuo Regno per leges ſtatuere, & inducere, & per flagitia collapſam, & corruptam per correctionem, & punitionem delictorum punire, & reſtituere. Dicitur etiam Princeps, quia ſicut Sol ſedem habet in Regno oculus mundi, Reipublicæ anima, Cor Regni, Vicarius Chriſti, quippe qui ad clauum Regni peruigil diù noctuque ſedere debeat, ad dirigendos pedes ſuorū ſubditorum in viam pacis. Quo poſito.

R. Regulariter loquendo Reges iure gentium eſſe inſtitutos, *lege ex hoc iure ff. de iuſtit. & iure* vnde Cicero *lib.3. de Regibus*, ſine Imperio nec domus vlla, nec Ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtat, nec rerum naturam omnis, nec ipſe mundus poteſt; & S. Thomas *lib.1. de regim. Principum cap.1.* Naturale inquit, eſt homini, vt in ſocietate multorum viuat, & neceſſe eſt eſſe in hominibus per quod multitudo regatur, nam cum vnuſquiſque id, quod ſibi congruum eſt, prouideat multitudo in diuerſa diſpergitur. Vnde Salomon ait *vbi non eſt Gubernator diſſipabitur Populus*; hinc & Iulius Cæſar apud Dionem præclarè ſcripſit naturam duas neceſſarias res eaſdéq; ſalutares humano generi cõparaſſe vt alij cū Imperium eſſent, & alij eis ſubijcerentur, nihilque eſſe, quod circa hæc vt minimo quidem ſpatio perdurare queat. Vnde Plato in Prothagora *congregati homines*, ait, *ſibi inuicem nocebant* ſe inuicem iniutijs, & damnis afficiebant, quare diſperſi iterum à ferijs lacerebantur: neceſſe igitur fuit, vt congregati in officio vnius Imperio continerentur. Eſt ius Regnum, ſiue Principatus virga illa Circea,

qua uactæ, feræ, hominesque miteſcunt, quæ feroces obedientes facit, vbi non eſt hoc firmamentū omnia ruunt, diffluunt omnia vbi non eſt hoc vinculum; ex his igitur perſpicuum eſt Regna eſſe conſtituta, creatos Reges, vt eſſent alij alijs priores, & poſteriores; eſſent qui præſiderēt, & qui ſubeſſent, qui imperarent, & qui parerent; ſic igitur naturę inſtinctu homines congregati ſunt, & Ciuitas eſt conſtituta; ſic plures Ciuitates natura duce in vnam Prouinciam conuenere, quæ ſe ſe inuicem tuerentur, & ita Regna orta, & inſtituta ſunt.

An Reipublicæ ſit vtilior Principatus vnius, quam paucorum, vel multorum?

BRACTEA II.

SCIENDVM tria Reipublicæ gubernandæ genera ſcriptoribus da tali materia, tradita fuiſſe, aut enim Rempublicam gubernat vnus, aut pauci, aut multi: Principatus vnius grecè dicitur Monarchia, latinè Regnum: Principatus paucorum dupliciter appellatur Ariſtocratia, aut Olygharchia; Ariſtocratia eſt optimatum Principatus, ſiue adminiſtratio, ſiue imperium: Olygharchia eſt paucorum Principatus: Principatus multorum dicitur Democratya, hoc eſt popularis Principatus, ſiue ſtatus. Quibus poſitis.

R. Monarchiam eſſe optimam Reipublicæ adminiſtrandæ rationem, & formam. Ita S. Thomas *lib. 1. de regim. Principum cap. 1.* Ægidius Romanus in *tract. de regim. Ppincipum lib. 3. cap 3.* Prima ratio ſumitur ex pace, & cōcordia, qui eſt Reip. finis, nā quo plures ſūt, q gubernā', eò magis voluntate, & moribus diſſident. Secunda ratio ducitur ex ciuili potentia, quæ eſt ad Ciues tuendos, & conſeruandos neceſſaria, ac virtus, facultas, ſiue poteſtas quò magis vnita eſt robuſtior, & fortior. Tertia eſt ex ipſa natura, nam vbicumque naturaliter multa reguntur, eſt vnum quod cætera regit: in corpore animalis eſt vnum cerebrum, à quo ſenſus ducuntur, vnum Cor, à quo omnes Corporis motus pendent, vnum caput, à quo cætera membra diriguntur; ſic in Mundo vnus Sol, qui præeſt diei, vna Luna, quæ præeſt nocti, vnum primum Cœlum, & vnus primus motus, à quo reliqui Cœli, & motus gubernatur: Apes vnum Regem agnoſcunt, & Grues vnum Ducem ſequuntur. Quarta ratio ſumitur ab ipſa experientia; experimus enim Ciuitates, & Prouincias, quæ ſunt in vnius poteſtate pace, & tranquillitate frui, rerum copia affluere, commodiùs, & melius conſeruari, nam facilius vnius imperio, quam multorum paretur, facilius ſubditorum impetus reprimuntur, & quo oportet animi reuocantur. Vnde in difficillimis quibuſque temporibus Dictator Romæ creabatur, qui ſummum Imperij ius habebat; tum etiam, quia ſtabilior, & firmior, & diuturnior eſt Monarchia, quam Demogratia: Denique Deus vnum Moyſem Populo Hebreorum præfecit, deinde Ioſuè poſtquam per vnum Iudicem totam Rempublicam adminiſtrauit; & tandem Sauli primò poſteà Dauid, & poſteris Regiam poteſtatem conceſſit; ergo, &c.

An magis expediat Reipublicæ habere Regem per ſucceſſionem, quam per electionem?

BRACTEA III.

R. MAGIS expedire bono Reipublicæ Regem ſucceſſione ſuſcipere, quam ſuffragio quærere; nam in primis filij Regum ſunt benę nati, bene educati, & inſtituti; deindè ſunt Populo magis grati, & chari, q̄ externi, diliguntur tāquā alūni, & cōſortes, & hinc eſt, vt Populus libentiùs ſuſcipiat eiuſmodi Regem, & ei libentiùs pareat; deinde huiuſmodi Reges propè nouerunt mores hominum, vires, & potentias Populi, & ingenia ſubditorum. Externi cum eliguntur ſuffragio ſolent mores gentis, & Patriæ mutare, tum etiam, quia ſub Regibus ſucceſſione ad Regnum venientibus, minus populus tributis vexatur, quam cum Reges ſuffragio Regnū capeſſunt, quia tunc neceſſe eſt, vt populus noua munera offerat, noua ſoluat militum ſtipendia, noua quoque hoſpitia paret, & exhibeat ad recipiendos eos, qui cum nouo externo Rege veniunt; tum quia qui eligitur poſteà fauet ſuis, & eos amat, colit ad honores dignitates, & officia promouet, alijs aduerſatur, eos deprimit, negligit, ac proinde non facilè omnibus fidit, interegna etiam ſæpè longa contingunt, in quibus Populus, ſine Principe fluctuat, omnia rapinis, latrocinijs, & cędibus replentur, viæ publicę tutæ non ſunt, Ciuitates, & Populi turbantur. Ægidius Romanus de regim. Principum *lib. 3. part. 2. cap. 5.* tres inquit, potiſſimæ rationes ſunt, quibus probatur melius eſſe, vt per ſucceſſionem Regnum accipiatur: prima ſumitur ex ipſo Rege, qui Regnum adminiſtrat, nam & ipſo quod in Regno eſt filius ſucceſſurus ipſum Regnū adminiſtrat, & curat tamquam bonum ſuum, ac proprium, vt potè in ſuis filijs, ac poſteris duraturum: ſecunda ratio ducitur ex filiò, qui in Regno ſuccedit, nam filius imitatur mores, & exempla Patris, Paternæ adminiſtrationis formam ſeruandam curat: tertia ratio accipitur ex ipſo Populo, qui regitur conſuetudo eſt veluti altera natura; ergo Imperium, & Principatus vſu ipſo, & conſuetudine fiunt quaſi naturales, & Populus aſſuetus Imperijs Patrum, Filiorum; & Nepotū quaſi naturaliter paret: quò autē magis volūtariū aliquid eſt, eò eſt faciliùs, iucūdiùs, & gratiùs.

An Regnum quod ratione ſanguinis ad filium defertur filio primogenito ipſo iure debeatur?

BRACTEA IV.

R. DEBERI Primogenito; id enim colligitur ex *cap. licet de voto*, & voti redemptione, vt docet ibi Panormitanus, & cæteri Doctores, & ex *cap. Grandi de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6.* vbi id docet Francus, & Panormitanus tradit in *conſ. 89. lib. 1.* Oldradus *conſil. 93.* Cardinalis in *cap. un. naturale diſt. 1.* Paulus in *conſ. 164. volum. 2.* Decius in *conſilio 397.* Antonius Corſetus in *tract. de poteſtate Regia part. 2. quæſt. 9.* Martinus Laudenſis in *tract. de primogenitis quæſt. 8.* & alij. Quod colligitur ex pluribus Hiſtorijs, vbi colligitur receptus mos, vt filius natu maximus Regnum ſuſciperet. Sic Iuſtinus *lib. 41.* in Macedonio, ius ſuccedendi in Regno deferebatur ad filium promogenitum Ioſaphat plures filios habens dedit eis multa munera auri, & argenti cum Ciuita-

tibus

tibus munitiſſimis in Iuda: Regnum autem tradidit Ioram eo quod eſſet primogenitus 2. *Paralipomenon cap.21.* Sed quid dicendum eſt, ſi gemini nati ſint? Reſponden illum in Regno ſuccedere, qui primò fuerit in lucem editus, vt contingit in Iacob, & Eſau *Geneſ.* 25. Quod ſi non apparet manifeſtè vter eorum prius in lucem prodiderit. Reſpondet Ioãnes Andreas in additionibus ad ſpeculatorem *lib.4 cap.31. de feudis:* ſi pares ſint conſilio, prudẽtia, iudicio, & virtute, res poterit ſorti committi, vel Pater poterit vnum alteri præferre, vt ſit gratiæ locus; ſi pares non ſint, prudentiori, & digniori dandum eſt Regnum. Oldradus *conſil.94* rationes affert, in quibus tale ius innititur, vt ſcilicet primogeniti in Regno ſuccedant. Ratio præſcribit, inquit, vt filius natu maximus Regnum accipit, quia eſt cæteris honorabilior, & ætate major, ac proinde prudentior & ſapientior, & robuſtior, iuniores item ſenioribus detulerunt honorem; ergo, &c.

An Rex teſtamento filium primogenitum pro arbitrio ſuo priuare Regno poſſit?

BRACTEA V.

R. Negatiuè: & ita Innocentius in *cap. licet de voto, & voti redemptione,* Francus, & alij in *cap. Grandi de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6.* Abbas in *cap. intellecto de iure iurando.* Antonius Corſetus in *tract. de poteſtate regia par.2. quæſt.8.* Martinus Laudenſis de principalibus *quæſt.130.* Nec etiam Regem poſſe ſuo nutu Regnum diuidere, dando vnam partem vni filiorum, & aliam alij, & multò minus poſſunt partem Regni alicui extraneo dare; nam ſic poteſtas Regia minueretur; & paulatim Regnum periret. Regnum igitur eſt indiuiduum. Baldus in *auten. hoc amplius num 7. Cod. de fideicommiſ.* Oldradus *conſ. 94.* Martinus Laudenſis de *Principibus quæſt. 10.* Quod ſi Rex plura Regna habeat de conſenſu filiorum poterit vnum Regnum vni, & alterũ alteri dare, quia tunc Regnum non diuidit. Baldus in *cap 1 § item ſacram. lib.2. feudor. de pace iuram. firmanda,* & in prædicta autentica *hoc amplius num.20.* Martinus Laudenſis de primogenijs *quæſt.13.* Antonius Corſet. de *poteſtate Regia par.2. quæſt.7.*

An primogenitus ſi fuerit Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus ſuccedat in Regno?

BRACTEA VI.

R. Succedens in Regno, niſi conſuetudo, vel ſtatutum peculiare obſtet. Ita Martinus Laudenſis de *primogenituris quæſt.30.* Albericus in autentica *ingreſſi de ſacroſanctis Eccleſijs num.16.* Quod ſi primogenitus fuerit factus Monacus in Regno non ſuccedere, nec Regnum ad Monaſterium tranſire, ſed ad natu ſecundum, vel ſi frater nullus extet ad alium quemlibet ſanguine propinquiorem. Ita Baldus in *lege Deo nobis § hoc etiam Cod de Epiſcopis, & Clericis,* & gloſſ. in *cap. ſcripſit nobis Theotbecca 27. quæſt.2.* ait, eo ipſo, quod quis efficitur Monacus, deſinit eſſe Rex, Imperator, &c.

Quid dicendum quando filium primogenitum Pater ſuſcepit, antequam Rex eſſet? Et deinde Rex effectus ex iuſto quoque matrimonio ſecundum filium generauit? Vter eorum debeat ſuccedere in Regno?

BRACTEA VII.

Communis eſt inter Iuriſconſultos opinio, vt refert Antonius Corſetus de poteſtate Regia, antequam Pater Rex eſſet, filium Regis non dici, nec in Regno ſuccedere tanquam natu maximum. Sic Synus in *leg. Imperialis Cod. de nuptijs.* Bartolus in *lege cum ſatis Cod. de agricol. & cenſib.* & in *leg. Senator,* & in *leg. ſi Senatores Cod de dignitatibus lib. 12.* & ibi Doctores Martinus Laudenſis de *Principibus quæſt.442* Gloſſ. in *cap. Iam itaque 1. quæſt. 4.* ſic ait. Si quis habet filium, & poſtea Decurio creatur ille filius non dicitur filius Decurionis, ſed illi tantum qui poſtea geniti ſunt.

Altera ſententia eorum eſt, qui dicunt Regnum ad filium, quem Pater genuit, cum vir priuatus eſſet deferri. Ita Salicetus in *leg. Imperialis* docet filium Regis dici eum, quem Pater genuit, antequam Rex eſſet, & tanquam primogenitum in Regno ſuccedere; ſic etiam Franciſcus Ripa in *cap. inter cæteras de reſcriptis num.13. & 15.* & ideò ſecundum hanc opinionem.

R. Talem filium ſuccedere debere in Regno. Ratio eſt, quia filius ratione ſanguinis ſuccedit in Regno, & filij ante & poſt dignitatem Regiam nati eiuſdem ſanguinis, & generis ſunt, & eiuſdem Patris filij; ergo maximus natu, quamuis ante Regnum genitus iure ſuccedit; item etiam quia filius genitus ante Sacerdotiũ vocari debet filius Sacerdotis, vt probant Doctores in *cap. inter cæteras de reſcriptis,* & in *cap. ad extirpandas de filijs Presbyterorum,* & in *leg. Senatoris filium ff de Senatoribus* habetur, nec intereſt, an in Senatoria dignitate conſtitutus eum ſuſceperit, an ante dignitatem Senatoriam; ergo, &c.

An Regnum deferatur primogenito iure hæreditario, an verò iure ſanguinis?

BRACTEA VIII.

R. Regnum deferri primogenito iure ſanguinis, non iure hæreditario.

Sciendum magnam eſſe differentiam inter hæc duo, quia cum Regnum filio iure tantum hæreditario debetur, tunc filius in Regno ſuccedit, vt hæres: natura autem hæreditariæ ſucceſſionis eſt, vt nemo poſſit ex parte agnoſcere, & probare, & ex parte reſpuere, & refutare vltimam voluntatem defuncti, ac proinde totam hæreditatem vel admittere debet, vel repudiare: item cum Regnum ſolo hæreditario iure debetur, poteſt Pater Regnum tanquam hæreditatem filiorum vni, quem ipſe maluerit relinquere, & non relinquit Pater Regnũ primogenito vt hæredi, ſed iure ſanguinis, quando Regnũ electione, vel bello, vel alia ratione comparatur nõ ſucceſſione, tum iure tantum hæreditatis Regnum filijs relinquere debet; cum verò lege, vel conſuetudine

dine per ſucceſſionem Regnum acquirit, tunc iure ſanguinis debetur Primogenito, qa lex ipſa, vel cõſuetudo voluit vt ad Primogenitũm tranſiret: hinc eſt vt Cõſtãtinus Magnus tres filios hæredes Imperii reliquerit, quia Imperium non iure ſucceſſionis acquiſierat.

An Reges Chriſtiani in his, quæ Ciuilia ſunt ſubijciantur Summo Pontifici?

BRACTEA VIIII.

R. In Spiritualibus conuenire inter omnes Catholicos Reges eſſe ſubiectos Summo Pontifici, tanquam capiti, & Summo Chriſti Vicario: Reges verò, & Principes, qui in temporalibus nullum ſuperiorem agnoſcunt non eſſe ſubiectos in temporalibus Summo Pontifici. Ratio eſt, quia ipſi habent ſupremam in temporalibus auctoritatem, & nullum in iuriſdictione temporali agnoſcunt ſuperiorem, & Regnum habent à Deo, non autem à Summo Pontifice: iuxta illud ad *Romanos 13. omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas, niſi a Deo, & Prouerb 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*. Et B. Petrus Apoſtolus monet, vt ſubiecti ſimus omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tamquam ab eo miſſis. Tum etiam, quia ſi Regna, & Principatus ſubijcerentur Summo Pontifici, ſequeretur habere auctoritatem priuandi eos Regno, quod non videtur concedendum; ſubijciuntur tamen poteſtati Summi Pontificis in temporalibus, quatenus poſtulat finis ſupernaturalis Eccleſiæ, ad quem ſpiritualis poteſtas ordinatur, quare ſi ita exigat finis ſupernaturalis poteſt Summus Pontifex deponere Reges eoſq; Regnis ſuis priuare, &c. Ratio eſt, quoniam Summus Pontifex eſt Paſtor vniuerſalis totius gregis Chriſtiani à Chriſto inſtitutus, iuxta illud Ioannis 21. *Paſce oues meas*: Paſtoris autem eſt errantes oues cuiuſcunque ordinis ſint, ac dignitatis in viam reuocare, eaſque quacunque ratione ad viam compellere; ergo eo ipſo, quod à Chriſto Paſtor Eccleſiæ eſt conſtitutus cenſetur illi tradita prædicta poteſtas.

Quæ virtutes Regem, & Principem deceant?

BRACTEA X.

R. Oportere Principem pluribus virtutibus ornatum eſſe: primò illi conuenire Religionem, ac pietatem; nempè vt benè de Deo ſentiat, & vt rectum ei cultum exhibeat: vnde 1. *Paralipomenon* 28. filium ſuum Salomonem iam moriturus Dauid his verbis alloquitur, *Tu autem Salomon fili mi ſcito Deum Patris tui, & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario, omnia corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit, ſi quæſieris eum inuenies, ſi autem dereliqueris eum proiciet te in æternum*; ſi quidem, vt habetur in *lege inter claras Cod. de ſum. Trinit. & Fide Catholica*, nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe: nihil eſt, quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quam vera Religio, nihil etiam antiquius, charius, aut magis neceſſarium ipſa Chriſtiana veritate Regi, vel Principi eſſe debere, declarat id, quod à maioribus noſtris inſtitutum eſt, vt liber Euangeliorum, quo Diuina veritas cõtinetur diebus ſingulis Principi, cum ſacro intereſt oſculandus offeratur, vt ex eo colendæ Religionis admonitus meminerit ſtudioſiſſimum ſe eius eſſe opportere, quia firmiſſimum eſt Reipublicæ fundamentum Religio, quæ Deo debitum cultum, & honorem defert, qua neglecta nihil poteſt eſſe in Republica præclarum, ſtabile, & firmum. Decet ſecundò Principem, & Regem Clementia, lenitas, humanitas, manſuetudo, nihil eſt, dicebat Antoninus Imperator Pius, quod imperatorem Romanum magis commendet gentibus, quam Clementia. Vnde Dauid Rex pius, & Propheta Deum precabatur dicens, *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius* & de Moyſe *numeror. 12.* dicitur, *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui* morabantur in terra. & Salomon *Prouerbior. 20.* inquit, *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roborantur Clementia tronus eius*; & ideò procul ſint à Regibus, & Principibus ii adulatores, qui monent non flocci pendendum Principem, ſi crudelis habeatur, modo hac via ſubditos dicto audientes efficiat, *oderint dum metuant*, hoc non veri Philoſophi docuerunt, hanc viam non oſtendit Chriſtus veritas ipſa, qui amore, & benignitate omnes à peccato reuocabat, & ad Diuinum cultum trahebat, nil tam peculiare imperialis maieſtatis, quam humanitas, per quam ſola Dei ſeruatur imitatio, Rex apum ſine aculeo eſt exemplar lenitatis, & Clementię Regibus ait Seneca, *lib. 1. de Clementia*, in cuius rei ſignum Reges oleo manſuetudinis, perungi ſolent. Tertia virtus Regum eſt liberalitas, de qua dixit Polybius, Principis eſt benefaciendo vniuerſis liberalitate, & Clementia ſponte ſubiectos gubernare. Alexander Magnus interrogatus quis optimus Principum eſſet, Qui inquit, amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit. Titus Veſpeſianus noctu recordatus, quod nihil tota die præſtitiſſet illam edidit vocem, *O amici diem perdidi*: Marmor Romæ repertum eſt, in quo ſcriptum erat potentiſſima Dos in Principe liberalitas, & Clementia, licet etiam in donationibus ſit modus ſeruandus. Quarta virtus Principum eſt iuſtitia; Iuſtitia namque eſt Principatus Arx, & ideò Regum, & Principum officium eſt proprium facere iudicium, & iuſtitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos, & peregrino, pupilloq; & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à Potentibus præbere auxilium; & D. Bernardinus Senenſis ſermone 16. Sabbati poſt Dominicam primam Quadrageſimæ Nullus, inquit Princeps à Deo ordinatur in terris, niſi vt tanquam ſuus miniſter vitia comprimat, ſcelera obiuat, Populos dirigat, & iuſtos moneat, atque virtutes inſerat, & qualiter non ad ſuam gloriam temporalem, ſed ad gloriam Dei, nulla in Principatu ſæuior bellua, quam impunitas delinquentis, nihil tam regimina infirmat, quàm lãguor Iuſtitiæ ſub nomine pietatis, & inſigne exercendæ Iuſtitiæ acceptum geſtant Principes, & ob eiuſdem omiſſionem Deus flagella, & plagas infligere ſolet. Quod noſcens B. Amedeus Dux Sabaudiæ Regijs, ac Sereniſſimis ſucceſſoribus hoc memoriale reliquit, *facite Iuſtitiam, & Iudicium, diligite Pauperes, & Dominus dabit pacem in finibus veſtris*. De ratione Iuſtitiæ eſt vnicuiquè ius ſuum tribuere; vnde Salomon *Prouerb 9. Rex iuſtus erigit terram, Rex, qui iudicat in veritate Pauperes, tronus eius in æternum firmabitur*: vnde Auguſtinus *lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 4. Remota iuſtitia, quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia*. Iuſtitia eſt, qua Rex, Iudices, & Magiſtratus conſtituit, lege ſancit, delicta, & ſcelera vindicat, bonos præmiis debitis afficit, honorum, dignitatum, & officiorum titulos diſtribuit, tributa, & vectigalia, & onera iuſta imponit. Quinta virtus, quæ in Princi-

pe magnam laudem habet, eſt fortitudo, & pręſertim bellica. Porrò fortitudo in rebus aduerſis, & periculoſis maximè apparet, magni enim, & fortis animi eſt, ait Cicero in libro de officiis, nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil quod homini accidere poteſt intolerandum putare. Sexta virtus, quę in Regibus, & Principibus relucere debet, eſt Prudentia; illud enim fuit ſemper in more poſitum, vt ad Reipublicæ adminiſtrationem ad res bellicas, & ad alia grauia negotia in quibus Ciuium ſalus, & communis vtilitas continetur, qui aut prudentes eſſent, aut Prudentiæ opinionem haberent deligerentur: duo ſunt, quæ ab egregiis Principibus expetuntur ſanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique Prudentia, bifariam verò Prudentia comparatur, videlicet vſu, & memoria, quorum alterum rerum experimentis, atque tractatione perfruitur, res ſcilicet pręteritas, & earum euentum ad memoriam reuocando, res præſentes funditus, & medullitus intelligendo, totum Reipub. ſtatum, eiuſque commodi, & incommodi radices comprehendendo; tandem res futuras attentè præuidendo; alterum Hiſtoriarum cognitionem, bonarumque artium peritia, nec non ſapientum virorum congreſſu conſtat; ſiquidem ſcripſit Vegetius de re militari, nullum magis docere, vel meliora ſcire, vel plura, quam Principem, cuius doctrina poteſt omnibus prodeſſe ſubiectis: Alphonſus Arragonum Rex cum audiſſet quēdam Hiſpanorum Regem dixiſſe, non decere Principes literas ſcire exclamauit, eam bouis eſſe vocem, non hominis. Septima virtus Regum, ac Principum eſt ſcientia, ac ſapientia, quia cum Regum, Ducum, ac Principum ſit Populos ſibi ſubiectos ad obſeruantiam legum inducere, in via iuſtitiæ regere, ab exceſſibus cohibere, in virtutibus in pacifico ſtatu conſeruare, de omnibus rectè iudicare, atque ad optatum finem perducere, clarè conſtat ſapientiam maximè eſſe illi neceſſariam. Octaua Regis virtus eſt magnificentia, cuius eſt impenſis, & ſumptibus non parcere, Regum eſt magnifica templa extruere, Cœnobia ædificare, ampliſſimis donare redditibus, Academias publicas erigere, Dei miniſtros ſuſtentare, Pauperorum inopiam ſubleuare, captiuos redimere, viduas, & orphanos alere, hoſpitales domus communes pietatis gratia conſtruere, &c. Nona Regum virtus eſt magnanimitas, cuius proprium eſt magna, & excelſa virtutum opera præſtare, nam quamuis virtutis opus non debeat eſſe honoris, & gloriæ ſtudio, quæ minora ſunt bona, quàm virtus, at ipſa virtutum opera per ſe ſunt digna honore, laude, & gloria, quippè quæ virtuti debentur Decima, virtus Principum, & Regum eſt facere cum conſilio ſapientum, quæ faciunt, quia fieri poteſt, vt Reges, Principes, &c. Soli tantam regiminis, & imperij molem ſuſtinere non queant, ideò varijs Conſiliarijs opus habent, à quibus in hac gubernatione iuuentur, quia multæ manus onus leuius reddunt, & cum negotia magni ſint ponderis, & incerta, eo quod poſſint benè, vel male pertractare, idcircò caueat Chriſtianus Princeps in regendo ſuo Principatu, ne in illius adminiſtratione ſibi ſoli cedatur nec proprio innitatur ſenſui, ſed in magnis, & dubijs in ſe ipſo diffidens alios prudentes aduocet.

An Regia poteſtas ſit de iure naturali?

BRACTEA XI.

R. Tum Regiam, tum quamuis aliam ſupremam ciuilem poteſtatem, quam pro arbitratu Reſpublica ſibi eliget eſſe immediatè à Republica, & mediatè à Deo per lumen naturale, & poteſtatem, quam Reſpublicæ conceſſit, vt ſibi deligeret ciuilem poteſtatem, prout vellet, & expedire iudicaret: quare deſcendit a lumine naturali, eſt tamen ſimpliciter de iure humano Reipublicæ pro arbitratu ſibi deligentis non ſolùm perſonam, aut perſonas, quibus tribuat poteſtatem, ſed etiam modū, quantitatem, ac durationem talis poteſtatis; ſicuti enim leges ſummi Pontificis deriuantur à poteſtate, quam iure Diuino habet ad eas condendas, ſunt tamen ſimpliciter de iure humano, ita etiam ſuprema ciuilis poteſtas, quā pro arbitratu ſibi Reſpublica eligit deriuatur à naturali poteſtate, quam ad illud conſtituendum habet, eſt tamen de iure humano; neque eſt eadem ratio de ſuprema ciuili poteſtate, vt non ſit de iure humano, & de ſuprema Eccleſiaſtica poteſtate ſummi Pontificis, poteſtas namquè ſummi Pontificis, nec conſtituitur ab Eccleſia, nec ab ea variari, minui, aut coarctari poteſt, ſed ſolum Eccleſiæ à Chriſto fuit conceſſum, vt iuxtà leges quas ipſi ſummi Pontifices præſcriberent facultatem haberet eligendi perſonam, cui poteſtas illa applicaretur: at verò ſuprema ciuilis poteſtas conſtituitur à Republica, talis, vel talis, & tanta, vel tanta hoc vel illo modo reſtricta, &c. pro ipſius Reipublicæ arbitrio. Ita plures apud Molinam *de inſtit. tract. 2. diſp. 26.*

Vtrum Chriſtus quatenus homo Rex fuerit temporalis, & Dominus orbis?

BRACTEA XII.

PRIMA ſententia eſt dicentium, Chriſtum fuiſſe Regem temporalem huius mundi quatenus Homo eſt, quæ ſententia fundatur in illo D. Pauli ad Hebræos 1. *cap. quem conſtituit hæredem vniuerſorum, &c.* tum etiam, quia id pertinere videtur ad Chriſti dignitatem, & excellentiam, quin, & illi videtur debitum ex gratia vnionis humanitatis cum verbo, per quam quatenus homo conſtitutus eſt caput, & Dominus non ſolùm hominum, ſed etiā Angelorum: tum etiam quia de Chriſto ſcriptum legimus habere in veſtimento, & in fæmore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium; tum etiam ex alijs rationibus, & hanc tuentur Burgenſis *addit. 2. ad cap. 1. Matthæi.* Albertus Biglitius 5 *lib. Hyerarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 3.* Almainus *de poteſtate Eccleſiaſtica, cap.* 8. Nauarrus *cap. nouit. de iudiciis notab. 3. num.* 8. Hoſtienſis *cap. ſuper is de voto,* & alij ex iuris peritis, qui in omni fundamento aſſeuerant, Summum Pontificem, qui à Chriſto eam poteſtatē accepit, quam Chriſtus habuit in terris Dominum eſſe temporalem totius orbis.

Secunda ſententia negat Chriſtum habuiſſe dominium omnium rerum temporalium, ſed Regnum ipſius fuiſſe ſpirituale Eccleſiæ militantis primum in hoc ſæculo, & triumphantis, poſtea in ſempiternum in alio; & ita Sotus *in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. & 4. de Iuſtitia, quæſt. 4. art. 1.* Ioan. Parihenſis *de auctoritat. Regia, & Papali c. 8. & 9.* Bartholomæus Medina *3. parte, quæſt.*

*quaſt.*59. & alij. Ratio illorum eſt quoniam vbicūq; in ſacris litteris mentio ſit de Regno Chriſti ſermo eſt de Regno ſpirituali, non verò de temporali; ergo abſquè vllo fundamento aſſeritur, Chriſtum fuiſſe Regem temporalem. Antecedens patet primò ex illo pſal.2 *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon Montem ſanctum eius*, id eſt ſupra Eccleſiam, quæ eſt Regnum ipſius, & Matthæ. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum*; & ex verbis dictis à Chriſto ad Pilatum *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, quibus verbis manifeſtè docuit, ſe non eſſe Regem temporale, & nihilominus habere Regnum alterius rationis à mundanis, & caducis Regnis. Quibus poſitis.

R. Quod Chriſtus, quatenus homo eſt Rex Eccleſiæ in terra militantis, & in Cœlo triumphantis cum pleniſſima poteſtate omnium, quæ ad finem ſupernaturalem Eccleſiæ proprium neceſſaria ſunt, & hoc eſt Regnum proprium Meſſiæ, de quo Chriſtus dixit, *Regnum meum non eſt ex hoc Mundo*. Secundò quod Chriſtus non ſolum habuit, pleniſſimam poteſtatem in ſpiritualibus ad condendam Eccleſiam, quam ſuo ſanguine acquiſiuit ad leges illi ferendas, ad inſtituenda ſacramenta, & poteſtates Eccleſiaſticas, quibus adminiſtraretur, & ad cætera omnia, quæ ad finem illius ſupernaturalem conſentanea iudicaret, ſed etiam ad eundem finem habuit pleniſſimam auctoritatem in temporalibus, ita videlicet, vt mutare potuerit, & poſſit Regē, cæteraque omnia in temporalibus diſponere, quæ ad finem ſupernaturalem Eccleſiæ viderit expedire, & per conſequens Summum Pontificem habere plenam poteſtatem in temporalibus ſuper membra Eccleſiæ, quantum præcisè fuerit neceſſarium ad finem Eccleſię ſupernaturalem. Tertiò, quod Chriſtus, quatenus ex Dauide per carnalem propagationem deſcendebat, neque erat iure hæreditario Dominus orbis, neque Rex Iudeæ. Ratio primæ partis eſt quoniam, neque Dauid, neque vllus ſuorum progenitorum Dominus fuit orbis, vt iure hæreditario, quatenus ex Dauide deſcendebat Dominus eſſet orbis. Ratio ſecundæ partis eſt, quia licet exploratum ſit Beatam Virginem, ac Ioſeph ex Regia Dauidis ſtirpe deſcendiſſe, non tamen conſtat nō fuiſſe alios Poſteros Dauidis, ad quos potius hæreditario iure Dauidis Regnum illud pertineret; prætereà temporale Regnum Dauidis in Ieconia, aut ſedecia eius Patruo iuxta Ieremiæ vaticinium fuiſſe finitum. Quartò quod Chriſtus quatenus homo in hoc ſenſu non fuit Dominus orbis, nec temporalium rerum, quod nec iura, nec dominia Regnorum, aliarumque rerum, ab alijs abſtulit, ſibiq; vſurpauit, ſed ſinguli perinde remanſerunt in iuribus, ac dominijs Regnorum, & aliarum rerum, ac ſi Chriſtus in hunc mundum non veniſſet, idque non ex donatione Chriſti, quatenus hominis, quaſi illa prius accepetit, & poſteà hominibus impertinerit, ſed quia ſicut Regnorum adminiſtrationem, ac poſſeſſionem aliarum rerum temporalium contempſit, ſic etiam Regna ipſa, & res alias propris dominis reliquit. Quintò quod Chriſtus, quatenus homo, dono Patris excellentiæ poteſtatem habuit ſuper omnia temporalia, & ius in omnia creata, non ſolum præcisè quatenus expediens fuerit ad finem ſupernaturalem, & ſpiritualem Eccleſiæ vniuerſalis, ſed etiam abſolutè, ita vt abſque cuiuſquam iniuria vſurpare ſibi potuerit, & poſſit omnia mundi regna. Reges deponere, ac denique de rebus omnibus tēporalibus ad libitum diſponere ex iure, & poteſtate, quam ſuper omnia habet; quo fit, vt ea ratione, quatenus homo dici poſſit Dominus orbis, Rex Regum, etiam quoad temporalia omnia, quia temporalia omnia illi omninò ſubiacent, & ipſe eſt caput, & Dominus omnium, & quemadmodum Deus quatenus Deus eſt, Dominus vniuerſalis omnium, neq; cum hoc ſuo dominio vniuerſali pugnant dominia particularia creaturis libero arbitrio præditis à Deo conceſſa, ſic etiam Chriſto quà homo eſt conceſſit ius, & poteſtatem abſolutam ſuper omnia creata, omnia plenè illi ſubiciendo, etiam in temporalibus quoniam id dignitas, & excellentia Chriſti hominis poſtulabat ex dono vnionis, quo caput hominum, & Apoſtolorum ex natura rei, eo ipſe eſt conſtitutus ſuo quaſi iure id ſibi vendicabat. Neque id tollit ab hominibus alijs iura, & dominia Regnorum, cæterarumque rerum, quas Deus illis conceſſit, ſed ſolùm ea omnia Chriſto ſubiecit, ita vt ab eius imperio metuque dependeant, non quidem quod à Chriſto, quatenus homine, & non à Deo dominia rerum hominibus ſint collata, ſed quod ab ipſo Chriſto ea ipſa prorſus dependeant, tamquam illi ſimpliciter, ac penitus ſubiecta.

An Reges, & Principes in ſuis Regnis, & Principatibus habeant ſupremam, ſicut Imperator in ſuo Imperio poteſtatem?

BRACTEA XIII.

R. Reges, (ſi ab omni feudo Regnum ſit immune, ac liberum) habere ſupremam auctoritatem in ſuis Regnis, ac Principatibus, ſicut Imperator in ſuo Imperio. Azorius *part.2. lib. 11. cap.5.* Secundò ſuam auctoritatem habere à Republica, ſeu à Populo, ideòq; Regiq; confert omnem auctoritatem, & iuriſdictionem neceſſariam ad regendum, & gubernandum, ita vt tota auctoritas, & iuriſdictio Regni, & Principatus reſideat in ipſo Rege, & Principe, & ab ipſis in cætera diffundatur.

Quod ſint obligationes Principis?

BRACTEA XIIII.

R. Primo, Principem poſſe condere leges ob bonum commune: Secundò, ſi ratio poſtulauerit exponere vitam ſubditorum, & bona pro bono communi, & ab eis exigere poterit, quæ fuerint iudicata neceſſaria ad conſeruationem Coronæ. Molina *tract.2. diſp.25.* Tertiò obligationes Principes in ordine ad Rempublicam eſſe quatuor: prima, vt ſeruet Religionem in ſuis Regnis, & eam faciat ſeruare puram, catholicam, & illibatam: ſecunda vt ſeruet Rempublicam, & vitas ſubditorum incolumes: tertia vt ſeruet honorem ſuorum Ciuium, & ſeruare faciat, quarta vt ſeruet fortunas, & bona temporalia ſuorum ſubditorum, & ſimiliter eas ſeruare faciat, in his enim quatuor conſiſtit fœlicitas Regni, & eis ſpretis maxima calamitas, & ad has reduci poſſunt omnes obligationes Principis.

De obligationibus ſubditorum circa Principem?

BRACTEA XV.

R. Svbditos tres officij partes Regibus, Principibus, & Ducibus impendere debere; primò honorem, & reuerentiam, Dominis enim temporalibus, & magiſtratibus. etiamſi mali ſint cultus, & honor debetur, quatenus ſcilicet Dei vices, & cōmunitatis, cui præficiūtur in terris gerūt, vt tradit D. Thomas 2 2. *quaſt.63. art.3.* Graff. *lib.2. deciſ. aureor. cap 57. num.1.* Sayrus *lib 7.* Clauis regia *cap.7. num* 12. Iauellus in Polytica Chriſtiana *tract.5. cap.3.* vbi admonet Chriſtianum Populum ne Principem ſuum ad iram, & indignationem prouocet, quod tribus potiſſimum modis contingit: primò ſi ei debitus honor, & reuerentia non exhibetur; ſecundò ſi erga eum debita ſubiectio, & fidelitas non ſeruatur; tertiò ſi rebus ſuis, & iuribus iniuris inferatur, proinde lætbaliter delinquunt ſubditi, ſi ex contemptu debitum honorem illi denegant, multò magis ſi grauem iniuriam inferant, quod ad crimen læſæ maieſtatis refertur. Iulius Clarus in praxi criminali in § *læſæ maieſtatis* Proſper Farinacius de *crimine læſæ maieſtatis quaſt.*112. Secundò obedientiam pręſtare tenentur iuxta illud Apoſtoli ad Hæbreos cap.13. & ad Romanos cap.13. *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*; ſiquidem Populi obedientia eſt fælicitatis parens, & ſine obedientia, & lege omnis iuſtus Principatus, & recta pollitia deſtrueretur, nulla eſſet inter Ciues pax, & non aliter homines in Ciuitate congregarentur, quam Bruta in ſtabulo. Tertiò ſubditi Principi ſubſidium, etiam tēporale præſtare debent, vt ſcilicet de ſuis facultatibus cenſum, tributum, collectas, vel vectigal impēdant; ius namque Regis, & Principis eſt, vt quæ ad bella gerenda, & ad pacem conſeruandam, denique viuendum neceſſaria ſunt à Populo ſibi ſubminiſtrentur.

An Reges, & Principes poſſint ferre leges?

BRACTEA XVI.

R. Reges, & Principes pro ſuo Regno, & Principatu leges ferre poſſent. Ratio, quia habent poteſtatem publicam ſupremamque iuriſdictionem in ſuo Regno. Bartolus *leg.vlt.C.de legibus* S. Thomas 1 2. *quaſt.90 art.3.* Suarez *lib 3.cap.9.* Sales *diſput.7 ſect.11.num.51.* & alij apud præcitatos Doctores. Quod dicendum eſt non modo de Principibus, qui ſupremam iuriſdictionem temporalem habent, & nullum alium ſuperiorem agnoſcunt, ſed etiam de Ducibus, & Principibus, qui Imperatorem, vt ſuperiorem recognoſcunt, ſi ab eo talem facultatem condendi leges acceperunt, & ita Suarez *lib.4. de legibus cap. 8. num. 3.* Salas *diſput. 7. ſect.2.num.46.& 68.* Vaſquez 1.2. *diſput.153.cap.2.& 3.* Ratio eſt, quia poteſtas condendi leges, eſt poteſtas iuriſdictionis, quæ delegabilis eſt. Secundò Principem, qui tulit legem non obligari vi coactiua ad ipſam ſeruandam: ratio eſt, quia lex non obligat, niſi ſubditos, nullus autem eſt ſibi ſubditus; tum etiam, quia ſic decernitur *leg.Princeps ff. de legib.* vbi dicitur, quod Princeps legibus ſuis ſolutus eſt. Ita Silueſter verbo *lex*, Tabiena eodem *verbo* Clauis regia *lib.3.cap.4.num.5.* Sotus 1. *de Iuſtit. quaſt.6. art.7.* Reginald. *lib.13.num.162.* Valentia *tom.2.de legib.cap.35.num.15.* Azorius *part.1. lib.5. cap. 11.* Salas de *legib. diſp.14.ſect.2.num.8.*

R. 2. Principem, licet non obligetur vi coactiua ſeruare proprias leges, vi tamen directiua, quæ fundatur in iure naturę teneri ad ſeruandas ſuas leges habentes rationem, & materiam de ſe vniuerſalem, & accommodatas non ſolùm ſubditis, ſed etiam ipſis Principibus; ratio, quia debet alios ſuo exemplo inſtruere, & caput debet conformari membris, ſi tamen lex non contineat materiam vniuerſalem, & ipſis Principibus accommodatam, tunc non obligatur leges ſuas ſeruare, cum aliter non poſſit probari ſufficienti iure, & ratione Suarez *lib.3 de legib.c.35.* Leſſius *lib.2.cap.35.* Salas loco cit. *num 9* & alij. Ratio, quia in materia vniuerſali, vt ſupra dictum eſt, & ipſis accōmodata debet inſtruere alios ſuo exemplo, iuxta illud *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Non autem in particulari.

Sciendum Non peccare Principem non ſeruando propriam legem. Ratio quia lex non obligat vltra intentionem legiſlatoris: legiſlator autem non præſumitur tantam obligationem ſibi velle imponere. Tum etiam quia ad ſeruandas ſuas leges non tenetur ſolum, niſi ex honeſtate, & ęquitate, & per conſequens non videtur directè ſubditus ſuis legibus ſed ſolum indirectè Ita Clauis regia *lib.12.cap.9. n. 2.* Vaſquez *part.2. diſp. 169 cap.7.* Silueſter verbo *lex quaſt. 14.* Couar. *cap. Alma mater part. 1. n. 5. & 7.* Victoria, Sotus, & alij apud Vaſquez, qui contrariam ſententiam tenent, nimirum eos peccare, quia ſupponunt legiſlatorem obligari directè ſuis legibus, quod nos negamus, cum non ſit ſubditus, ſed tantum indirectè obligari.

An Princeps teneatur ſeruare leges à ſuis anteceſſoribus latas?

BRACTEA XVII.

R. Principem non obligari ſecluſo ſcandalo, ſeruare leges à ſuis anteceſſoribus latas. Ratio eſt, qui huiuſmodi leges non ſunt latæ à ſuperiore, cum Princeps gaudeat eadem facultate, qua gaudebant ſui anteceſſores.

Sciendum tamen Principē obligari ſeruare leges ſuorū prędeceſſorum declaratorias iuris naturæ, aut iuris diuini, nō ex vi legis humanæ, ſed Diuinę, & naturalis; nā ſupremus Princeps reſpectu iuris Diuini, & naturalis ſubditus eſt. Ita Tiraquellus de vtroque contractu *lib.1 gloſſ 1.§ 13.num* 39. quem citat, & ſequitur Salas *diſp.14 ſect 3.num* 31. An teneatur ſeruare legem à Pontifice latam? Reſpondeo non obligari obſeruare vi coactiua leges Pontificis poſitiuas, etiamſi ordinatas ad bonum publicum; niſi ab ipſis fuerint acceptatæ. Ratio quia lex poſitiua non obligat, niſi ſit acceptata; leges verò declaratorias iuris Diuini, & naturalis obligari ſeruare. Ratio, quia cum ſit ſubditus legis naturalis, & Diuinæ eorum declarationibus etiam ſit ſubditus: legi verò Pontificis ordinatæ ad bonum publicum Eccleſiæ, obligari ſeruare, vt conſtat ex ſupra ſcriptis.

R. 3. Non teneri Principem ſeruare ſtatuta, ſeu leges Prouinciarum ſibi ſubditarum. Ratio, quia non ſunt latæ à ſuperiore, ſed ab inferiore, modò non fuerint ab ipſo confirmatæ; quod ſi fuerint confirmatæ, tunc tenetur ſtare legibus, & ſtatutis municipalibus illarum Prouinciarum, modò confirmatio ſit ſubſtantialis, & non accidentalis.

An

An Princeps poſſit condere legem circa matrimonium ſuorum ſubditorum?

BRACTEA XVIII.

R. Non poſſe Principem legem aliquam conſtituere circa matrimonium. Ratio eſt, quia ſi poſſet, eſſet; quia materia huius ſacramenti eſt contractus: ſed hoc non ſatis eſt, vt poſſit Princeps naturalis leges condere, ad ſubſtantiam matrimonij directè, vel indirectè pertinentes, ex eo quod materia matrimonij per Chriſtum ſacra facta eſt, & per conſequens extra iuriſdictionem Principis ſecularis. Ita Pontius de *matrim. lib. 7. cap. 2. num. 3.* Secundò neque circa acceſſoria matrimonij poſſe Principem ſæcularem ferre legem ex defectu poteſtatis, ſi ex eo acceſſorio impeditur principale: poſſe tamen circa alia accidentalia, vel acceſſoria, quæ non pertinent ad eius ſubſtantiam, neque ex ſe impediunt principale, vt v.g. leges ferre circa dotē, & lucrū dotis, vel donationes inter virum, & vxorē, & ſponſalitiā largitarē. Ita Riccius *par. 3. deciſ.* 178. Bellettus *diſquiſ. Clerical. tit. de exempt. Clericorum à ſtatutis ſecular.* §. 4. *nu.* 3. Tertiò Principem poſſe condere legem aduerſus filios contra iuſtam parentum voluntatem nubentes; & ita Molina de *iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſput.* 176. Rebellus *par. 2. quæſt* 14 *sect. 1.* Pontius de *matrim. lib. 2. cap. 1. §. 3. num. 39.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 11. num.* 4. & alij. Ratio quia ad Principem ſpectat condere legem in ordine ad bonum publicum Reipublicę; & licet *ſeſſ. 24. cap. 11.* Concilium Tridētinum prohibeat Principibus ne ad matrimonia cogerent ſubditos, non tamen, ne impediant, iuſtis ex cauſis prohibuit; & licet quilibet habeat ius ad liberè contrahendum ſimpliciter, non tamen habet ius ad contrahendum indignè, & cum peccato, & per conſequens Princeps poteſt condere legem, ne filij contra iuſtam parentum voluntatem nubant.

An Princeps ſi diſponat per legem, quæ ad funera, & exequias pertinent, faciat contrà libertatem Eccleſiaſticam?

BRACTEA XIX.

R. Cum diſtinctione, vel in lege Princeps diſponit de his, quæ ſpectant ad Clerum, & cultum Diuinum, aut animarum ſalutē, &c. v.g. de numero Miſſarum, de candelis, de eleemoſina Clericorum, & de numero eorum, vel Religioſorum, qui debent comitari funus, & ſimilibus, & in hoc caſu lex eſſet contrà libertatem Eccleſiaſticam, ſed ſi ſolum in lege prohibeat abuſum circà pompam funeris, vt de veſtibus lugubribus, & de alijs externis ſolemnitatibus, quæ nullam habet Relationem ad cultum Diuinum, & ex quibus nihil vtilitatis minuitur Eccleſijs, aut Clericis, tunc huiuſmodi lex eſſet valida, neque aliquid contineret cō trà libertatem Eccleſiæ. Ita Alterius de cenſibus *tom 1 diſp. 16. cap. 6.* Reginaldus in praxi *tom. 1. lib. 9. c.* 23 *num.* 360. Duardus in *Bulla Cœnæ lib. 2. canon. 15. quæſ.* 19 *num* 7. Naldus in *ſumm: verb. Statutum*, Megala in *3. part. lib. 3 cap.* 10 *quæſt* 3 *num.* 54. An Princeps poſſit condere legem qua moderentur ſumptus ceræ, & candelarum ſi intelligitur de cera, & candelis, quæ in Eccleſia, & apud funus comitantes ferunt Caietanus in *ſum. verbo excommun. cap.* 31. Nauarrus in *manuali cap. 17. num.* 120. Graf. in *deciſionib. part. 1. lib. 4. cap.* 18. *num.* 135. Souſa in *Bulla Cœnæ cap. 16. diſp.* 93. Layman. in Theolog. *lib. 4. cap. 9. tract. 9. num. 3.* aſſerunt poſſe Principem ferre legem; & ratio eſt quia numerus cereorum, & candelarū ſpectat potius ad pōpam, & temporalem honorem defuncti, quam ad cultum Diuinum. Sed.

R. Non poſſe Principem condere legem circà numerum cereorum, &c. Ratio eſt, quia talis numerus non ſolum ſpectat ad pompam, ſed etiam ad eleemoſinam Eccleſiæ, & Clericorum, & Religioſorum, & idcircò non poſſe Principem condere talem legē, quia eſſet contrà vtilitatem Eccleſiæ, & Clericorū, & Religioſorū. Et ita Tabiena *verbo excommunicatio*, & alij plures, cum indirectè prohibeat facultatem dandi eleemoſinam Eccleſijs, Clericis, & Religioſis.

An Princeps prohibens per legem in contractibus adhiberi iuramentum ad vitanda Periuria faciat contrà libertatem Eccleſiæ?

BRACTEA XX.

R. Negative ratio eſt quia ad Principem ſpectat formam in contractibus ſeruandam p̄ſcribere, & immutare: iuramentum autem ſpectat ad formam contractus, & ſicut Princeps p̄cipere poteſt iuramentum contractui addi, vt contractus maius robur, & vires habeat, ita etiam interdicere poteſt illud emitti. Ratio eſt quia cuius eſt aliquem actum præcipere, eiuſdem eſt etiam illum prohibere, quoties expedire iudicauerit; tum etiam quia licet iuramentum ſit actus Religionis, & vt ſic in laicam iuriſdictionem non cadat, nihilominus, vt eſt actus humanus, & quid acceſſorium contractui, qui ſub laicam poteſtatem cadit, præcipi, & prohiberi poteſt à Principe, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. *leg. etiam, cod. de iure dot. & regul. acceſſor. §. 2. de regul. diuiſ. in 6.* Ita Bonacina de *cenſur. diſp. 1. quæſt. 16. sect. 2. pun. 1. n. 26.*

Et quid de Principe, qui facit legem, vt nullus Moniales alloquatur ſine licentia ſui Ordinarij.

BRACTEA XXI.

R. Talem legem aduerſari libertati Eccleſiaſticæ, & per conſequens condens talem legem ſiuè ſtatutum incurrere in excommunicationem Bullæ. Ratio eſt quia per huiuſmodi legem ſiuè ſtatutum aufertur libertas monialibus vtēdi iure ſuo, & faciendi quod ad ipſis fieri licet. Bonacina loco *cit. n.* 27. Secundò ſimiliter talem legem ſiue ſtatutum condentem de puniendis concubinis Clericorum incurrere etiam in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia facit contrà libertatem Eccleſiæ. Ratio quia concubinatus ab Eccleſia prohibetur. *c. nemo blandiatur 32. quæſt.* 4. & in Tridentino *ſeſſ. 24. c.* 8 conſequenter puniri debet ab Eccleſia; tum etiam, quia fæmina quę turpem habet conſuetudinem cum Clerico Sacris Ordinibus inſignito ſacrilegium cōmittit: ſacrilegium autem fæminarum ab Eccleſiaſtico Iudice punitur. *cap. virginitas 27. quæſt. 1. cap. cū ſit de foro compet. & cap. quis quis 17. quæſt.* 4. tum etiā quia huiuſmodi fæmina eſt de familia Clerici; ergo à Iudice Eccleſiaſtico puniri debet; licet Bonacina *loco cit.* ſentiat, talem legem, ſeu ſtatutum non eſſe contrà

contrà libertatem Eccleſiaſticam, cum Iudicibus eccleſiaſticis non tollatur facultas cognoſcendi de eodem delicto, & per conſequens non eſſe contrà libertatem Eccleſiæ. Tum etiam quia eſſet in odium fœminarum ne turpiter cum Clericis commiſceantur, & fœminæ Iudicibus ſæcularibus ſunt ſubditæ; & per conſequens talis lex, ſeu ſtatutum non cenſetur contrà libertatem Eccleſiaſticam, quæ opinio cenſetur etiam probabilis.

An Princeps, qui non facit legem contrà libertatem Eccleſiaſticam, ſed ab alio factam promulgari curat incurrat in excommunicationem Bullæ?

BRACTEA XXII.

R. INCVRRERE: ratio quia cũ huiuſmodi promulgatio maius robur, & vim tribuat legi, ſeu ſtatuto præcedenti, vim legis, & ſtatuti habet: præſertim ſi edatur iuſſu ipſiuſquè illud promulgari curret, in Canone autem excommunicãtur quomodolibet facientes ſtatuta, & Decreta contrà libertatem Eccleſiaſticam. Ita pluries citati apud Bonacinam de *cenſuris diſput.1. quæſt.16. ſect.2. pun.1. num.* 7.

An Princeps peccet manifeſtando cum damno tertij legem conditam, ſed non dum promulgatam?

BRACTEA XXIII.

R. NON modo Principem ſeu Magiſtratum peccare manifeſtando legem conditam, ſed nondum promulgatam, ſed etiam teneri ad reſtitutionem damni ſecuti tertiæ perſonæ, quod patitur ob huiuſmodi manifeſtationem. Ratio eſt, quia Princeps, & Magiſtratus curare debent, ne huiuſmodi decretis v.g. quibus mutatur pretium terũ damnum cæteri patiantur ante promulgationem, Ita Bonacina de *contract.lib.diſp.3.quæſt.2.pun.5. propoſ. 4.num* 14. & lex Principis non obligat niſi poſt promulgationem ipſius. Secundò eum, qui Principem induxit ad eam legem ſibi manifeſtandam, obligari ad reſtitutionem damni ſecuti, non quia vſus ſit ea ſcientia præcisè, ſed quia Induxit Principem, ſeu Magiſtratum ad inferendum damnum alijs per manifeſtationẽ dictæ legis condendæ, cum Princeps, & Magiſtratus ex officio teneatur damna ſuorum ſubditorum impedire, cooperans autem actione iniuſtè, damnificatiuæ, tenetur ad reſtitutionem in defectum Principalis, Ita Leſſius *lib 2.cap.21.dub* 5. Molina *tract 2 diſp* 354. & alij. Tertiò, Principem non poſſe alteri aliquid cõcedere, cum præiudicio tertij, ſicut etiam non poteſt aliquid præcipere cum præiudicio alterius. Ratio eſt, quia præceptum Principis intelligitur ſemper ſaluo iure tertij *leg. nec Henricus C. de mancipat. liberor.* quando autem ex certa ſcientia fecerit cenſetur diſpenſare.

An ſententia Principis vim habet legis?

BRACTEA XXIV.

R. QVOD ſi Princeps ferendo ſententiam habeat intentionem interpretandi, aut ferendi ſententiam, tunc ſententia Principis habet vim legis, vt v. g. ſi dedit ſententiam in aliqua lite, videtur eum eſſe legis intellectum. Secus autem dicendum eſt, quando Princeps ius dicens priuatis, aliquam fert ſententiam, non conſtituens vtilius interpretatio generalis ſit, nec expreſsè legis verba ita interpretans, vt inde conſtet voluiſſe Principem illam interpretationem vim legis obtinere. Ita Sanchez *lib.2. de matrim. diſp.14. num.4.* & alij.

An Princeps poſſit concedere licentiam, vt aliquis domum exponat ludo prohibito?

BRACTEA XXV.

SCIENDVM pro maiori intelligentiam ludum alearum, & taxillorum non eſſe de iure naturæ prohibitum, eſt enim res indifferens, neque per ſe, & intrinſecè deſtinata ad vſum prauæ actionis. Ita Molina *de iuſtit. tract 2. diſp* 5 o. & alij. Secundò, huiuſmodi leges prohibentes talem ludum non obligare ſaltem ſub mortali. Ita Medina in *ſumm cap.* 14. Valentia *diſp* 5 *quæſt* 6. *pun.* 5. Caiet. verbo *Ludus*, & *quæſt.*168 *num* 3 Salas *dubit.*3. Ratio præcipuè eſt, quia vel non ſunt vſu receptæ, vel contraria conſuetudine ſunt abrogatæ. His poſitis.

R. Non poſſe Principem permittere, nec concedere licentiam, vt aliquis exponat domum ludo taxillorum, & alearum, & aliorum ſimilium. Ratio eſt, quia illicitum eſt inſtituere res indifferentes, quando in tali tempore, vel loco moraliter quaſi ſemper deſtinantur ad prauum vſum: ſed hoc euenit in iſto caſu; ergo, &c. Antecedens patet, quia talia præbere eſt, præbere moraliter occaſionem peccandi, & præbere moraliter occaſionem peccandi loquendo eſt ſcandalum cooperationis; ergo, &c. Minor etiam ex accidentibus communibus probatur, quia talis ludus in tali tempore, & loco ſemper mortaliter deſtinatur ad prauum vſum, nimirum ad blaſphemias, rixas, &c. vnde Sanchez in opere morali ait, quod talis ludus rariſſimè ſine peccato exercetur; & hanc ſententiam tuentur Gabriel in 4. *diſtinct.* 13. *quæſt.* 13. *dub.* 6. Syluester verbo *Ludus quæſt.* 15. Nauarrus in *manuali cap.* 19. Valentia *tom.* 2. *diſputat* 5 *quæſt.* 6 *punct.* 2. §. 2. Molina *tract.* 2. *diſp.* 516. *num.* 5. Lopez in *inſtructorio par.* 2 *cap.* 32. & plures alij. Secũdo Principes nõ modò nõ poſſe permittere domi ad talem ludum, ſed etiam poſitiuè teneri ſub onere peccati mortalis talem ludum prohibere, & exponentes dictam domum tali ludo punire. Ita Belochius in *praxi moralis Theologia par.* 2. *quæſt.* 4. Alcazer de *ludo cap.* 45. Iacobus de Graffiis *par* 1. *lib* 2. *cap.* 122. *num.* 17 *&* 19. & alij; licet plures ſequantur opinionem contrariam, nimirum licitum eſſe miniſtrare res indifferentes, & vendere etiam cũ cognitione praui abuſus: ſed ludus taxillorum, &c. eſt indifferens, nec per ſe determinatus ad aliquem prauum vſum; ergo præbere taxillos ludentibus, ſeu domum exponere ad ludendum non erit peccatum mortale, etiamſi ludendo blaſphement, & rixentur. Sed.

R. 2. Licitum eſſe miniſtrare res indifferentes, quã-

do in tali loco, & tempore quaſi ſemper non ordinarētur ad vſum prauum, vt in iſto caſu, vel licitum eſſe miniſtrare res indifferētes cum cognitione praui vſus, quando non miniſtrantur in ipſo immediatè exercitio, quod vt plurimum conducit ad prauum finem. Secus autem ſi miniſtrentur immediatè exercenti actu prauam actionem, quia tunc miniſtrans, vel concedens domum cenſetur cooperare prauæ actioni, & per conſequens ad peccatum.

An Princeps laicus poſſit litteras Apoſtolicas à Legato, vel Nuncio Apoſtolico exigere, vt cognoſcat, an ſit verus Sedis Apoſtolicæ Legatus, vel Nuncius.

BRACTEA XXVI.

R. PRINCIPEM laicum non poſſe huiuſmodi litteras quaſi ex propria auctoritate exigere, non ſolum dum vult illorum executionem impedire, verum etiam dum illas auctoritatiuè intendit cognoſcere. Ratio eſt, quia auctoritatiua recognitio huiuſmodi litterarum ad Eccleſiaſticum Iudicem ſpectat, laicus enim non eſt competens Iudex inter Eccleſiaſticas perſonas, neque in cauſis Eccleſiaſticis, etiam ex prorogata iuriſdictione. *Cap. nullus, & cap. ſi diligenti de foro competenti*; ſi verò id ſolum faciat, vt ſciat, an verè legatus ſit, poterit petere litteras à Legato ſuæ iuriſdictionis. Secundò Principem laicum nō incidere in excōmunicationem Bullę, ſi litteras Apoſtolicas petat ſibi exhibere nō vt illarum executionē impediat, ſed vt illas examinet, ac recognoſcat. Ratio eſt, quia Summus Pontifex excōmunicat ſimpliciter impedientes litterarū Apoſtolicarū executionē, aut prohibētes ne prędictę litterę executioni mandētur ſine beneplacito cōſenſu, vel examine laicę poteſtatis: non verò examinātes: ergo, &c.

An Princeps poſſit aliquem condemnare ſine cognitione cauſæ?

BRACTEA XXVII.

R. REGVLARITER non poſſe condemnare niſi citatum, & auditum, &c. Eſt communis Doctorū ex Leſſio *lib. 2. c. 29.* Ratio, quia id eſſet negare arma Reo, quibus iure poteſt ſe defendere, poſſet enim negare delictum ſi eſſet occultum, ſi publicum excuſare eo modo, quo poterit, & aliter agere eſt contra ius naturale. Vnde Azorius *part. 2. lib. 11. cap. 7.* ſic aſſerit *Peccat Rex* qui per ſe, aut per alium condemnat hunc vel iſtum ſubditum inaudita cauſa, aut denegata ei ſe tuendi, & defendendi poteſtate, aut non habita publica notitia ex publicis in iudicio probationibus, vt colligitur ex S. Thoma 2. 2. *quæſt. 67. art. 1.* & Caiet. in *Sum. verbo Homicidium*; ſententia enim cum ſit actio publica ferenda eſt non ex priuata notitia, ſed ex publica in iudicio habita. Item iuris naturalis eſt, ne quis non auditus vel non defenſus damnetur. *Clementina Paſtoralis* §. *cæterum de ſentent. & re iudicata* gloſſ. in *extrauag. c. de dolo, & contumacia*: quare homicidę ſunt ij Principes, qui ſubditum non auditum, non data facultate ſe tuendi ſecūdum leges interfici iubent, vel officijs, & dignitatibus, &c. quæ non ſunt ex numero eorum, quæ ad nutum tolli poſſunt priuata notitia, & non publica priuant, & peccant miniſtri, qui huiuſmodi Principum mandatis obediunt; ſunt enim mandata contra Ius Diuinum, & naturale, in quibus parere Principi non cogimur. Ita Azorius *loco cit.* Secundò dari plures caſus, in quibus Princeps non tenetur ſeruare ordinem iuris: Primùs quando delictum eſt publicum, ita vt excuſari non poſſit: ſicuti quando latrones reperiuntur inflagranti delicto, quia tunc poteſt reus abſque citationibus condemnari, & ſi ex publica interfectione probabiliter timeatur periculum occultè poteſt ipſum interficere, quia factum notorium eſt loco accuſatoris, & teſtium. Nauarrus *cap. 25. n. 11.* Secundùs, quando eſſet periculum rebellionis, vel grauis perturbationis ſi iuridicè procederetur. Silueſter verbo *homicidium 1. quæſt. 2.* Nauarrus *loco cit.* Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 3. n. 192.* Ratio quia Iudex nullam illi facit iniuriam. Tertiùs, ſi quis machinaretur Reipublicæ perniciem, aut proditionem, quæ non poteſt aliter auerti, quam per occultam interemptionem machinatoris, ideòque Princeps poteſt iubere, vt ſine cognitione cauſæ interficiatur, modo indubiè conſtet de pernicie per illum attentata, & porrò exequenda, niſi tempeſtiuè occurratur. Quartùs, quando delictum ſoli Principi, & aliquibus alijs notum eſſet, vt duobus vel tribus, ita vt iuridicè probari poſſit, tunc enim ſi non poſſit puniri publicè abſque graui incommodo, occultè interfici poſſet. Ratio, quia tunc conſtat non habere reum vllam defenſionem in Iudicio; quod tamen intelligendum eſt, exiſtente aliqua iuſta cauſa, quę cogat Principem hoc efficere; ſecus autem ſi nulla adſit cauſa, quia tunc tenetur citare reum, & illum condemnare ordine, & iure ſeruato. Ita Thurrianus 2. 2. *tom. 2. diſput. 48. dub. 4. n. 2.* Villaboa in *ſum. tom. 2. tract. 14. difficult. 4. n. 7.* & alij.

An Princeps poſſit auocare cauſas à Iudicibus ordinarijs?

BRACTEA XXVIII.

R. PRINCIPEM poſſe ad ſe auocare cauſam à Iudicibus ordinarijs.

Sciendum Auocationem duplicem eſſe, vnam expreſſam, quoties Princeps cauſam coram aliquo Iudice pendentem ab eodem auocat; alteram tacitam, vt quando Princeps cauſam coram Iudice ordinario cęptam alteri delegat, & ſcienter committit: ex hoc videtur eam a Iudice ordinario tacitè auocare. Ita Couar. *practicar. quæſt. lib. vnico quæſt. 10. cap. 9. n. 4.* & alij.

An Princeps cum ſuis ſubditis poſſit ſe obligare?

BRACTEA XXIX.

R. PRINCIPEM cum ſuis ſubditis poſſe ſe obligare obligatione naturali iuxta *caput primum de probationib.* ita etiam Panormitanus, Fellinus, Antonius, Imola, & alij ibidem.

Sciendum pro maiori intelligentia triplicem eſſe obligationem. Prima naturalis eſt, quæ ex iuſtitia propriè dicitur, & ad mortale obligat: Secunda ciuilis, quę in iure poſitiuo fundatur: tertia honoraria, quæ fundatur in iure fidelitatis, ſiue veracitatis, per quam honorati viri ſua dicta, & promiſſa liberaliter de beneuola quadam honeſtate ſub peccato adimplere tenetur, etiamſi de iuſtitia non intendant ſe obligare, nec ex lege poſitiua ad id cogi valeant.

R. 2. Principem cum ſuis ſubditis non contrahere propriè obligationem ciuilem, per quam cogi poſſit, etiamſi ſuarum legum diſpoſitionibus ſe vellet ſubiicere, & ſecundum eas iudicari. Ratio eſt, quia Princeps ſuis legibus non ſubditur vi coactiua, nec in ſe alteri propriam iuriſdictionem poteſt tribuere, ſicut nec alterum ſibi ſuperiorem conſtituere valet.

Sciendum 2. Iuxta Panormitanum, & Fellinum hanc obligationem naturalem apud Principem debere ſubire locum obligationis ciuilis, ita vt velit per ſuas leges in ſuo foro, quoad lites, quas cum ſubditiś habet ac ſi eſſet vnus ex priuatis. Tertiò Principem teneri ſtare contractibus celebratis cum ſuis ſubditis, & aliter faciendo peccat, & ita Reginaldus in *ſua praxi tom.1 lib.13.cap.17.num.168.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 35. num. 23.* Salas *de legibus diſput.14. ſect.2.num.27* Azorius *part.1.lib.5.cap.11.quæſt.1.* Villabos in *ſum.tract.2.dub.3.num.6.* Quartò donationem factam à Principe non recognoſcente ſuperiorem validam eſſe, etiamſi non ſit ad pias cauſas. Ita *lege ſancimus §.exceptis C.de donat.* Item ſi datio fiat à donato tali Principi *Autentica item à priuatis C. eodem*: item de donatione facta à magiſtro militum militibus de rebus mobilibus, &c.

R. 3. Principem etiam ſine cauſa poſſe reuocare donationem, ſeu priuilegium gratioſum pro libito ſuæ voluntatis, Ita colligitur ex *tex.lege qui fundum*, & tradunt plures apud Barboſam *iuris vniuerſi Eccleſiaſtici lib.1. cap.2. num.116.* Secundò non modo poſſe Principem reuocare donationem gratioſam factam in fauorem alicuius, ſed etiam factam ob merita, dummodo ipſam ex cauſa reuocet.

An Princeps poſſit reuocare priuilegia conceſſa?

BRACTEA XXX.

R. Posse Principem reuocare priuilegia conceſſa etiam poſt ius quæſitum, à ſe, aut à ſuis prædeceſſoribus conceſſa pro libito ſuæ voluntatis. Ita Couar. *lib.3.variar.cap.6.n.1.* Peregrin. de *iure fiſci lib.1.tract.3.num.19 &c.* Secundò conceſſiones gratioſas per obitum Principis non expirare, etiam re integra, cum Principum beneficia ſecũdum honeſtatem debeant eſſe permanſura, niſi contrarium ex intentione, vel aliunde colligatur, quia Princeps intendit beneficium, quam perfectum conferre, vt ita plenior ſit liberalitas. Ita Molina de *primogen. lib.4.cap.31.num.20.*

An Princeps poſſit eſſe capax rerum ſpiritualium?

BRACTEA XXXI.

R. Ex conceſſione Papæ poſſe Principem eſſe capacem ſpiritualium, vt conferendi beneficia, &c. Ita gloſſ. in *cap. decern.* Abbas in *cap.quarto num.7.de Iudice*, Innocentius *in cap. Quod ſicut num.3.* vbi etiam Hoſtienſis Cardinalis, & alij, Fellinus in *cap dilecto de teſtibus*, & alij plures. Secundò non modo poſſe Principem ex priuilegio, ſed etiam ex conſuetudine habere ſpiritualia, vt decimas, &c. ita Innocentius in *cap. cit. Quod ſunt*, & alij apud Bellettum *diſquiſit. Clerical. §. 1. de fauore Clericali num.35. & 36.* Tertiò non poſſe Principem abſque auctoritate Epiſcopi indicere obſeruantiam alicuius feſti in ordine ad cultum Diuinum. Ita Abbas in *cap.2.num.2.de ferijs* Suarez de *virtute, & ſtat. Religionis lib.2 cap.12.* Azorius *inſtitut.moralium part.2. lib.1. cap.26.* licet auxilium Eccleſiæ poſſit dare contra trãſgreſſores legis Eccleſiaſticę circa obſeruantiam feſtorum iam ab Eccleſia indictam. Ita auctores citati, nec etiam poſſunt concedere licentiam operandi diebus feſtiuis. Ita Angelus *verb.dies feſtus* Siluester *verbo Dominica num.4.* Sotus de *iuſtitia lib.2. quæſt.74.art.4.* immò laici operantes intuitu licentię à ſuperiore ſæculari illis conceſſæ, poſſunt à ſuperiore Eccleſiaſtico puniri, & maximè ratione peccati, à quo non poſſunt diſpenſari, niſi ab Eccleſiaſtico. Ita Alderanus de *general. ſtat. interpret. concluſ. 1. num.15.*

R. 2. Principes poſſe irritare iuramenta ratione materiæ. Ratio eſt, quia licet non habeant directã poteſtatem in illa, tamen ratione materię omnia illa, quæ præiudicant eorum iuri, & dominio irrita facere poſſunt: ita Princeps poteſt irritare iuramentum ſubditi, de non donando certam ſummam pecuniæ, de eundo in aliquem locum, & ſimilibus; poteſt enim prohibere, ne donet, ne diſcedat: tunc autem eo ipſo iuramentum incipit eſſe de re illicita, & ideò deſinit obligare, licet plures ſequantur opinionem contrariam. An Princeps poſſit cogere Clericum ad ſibi præſtandum iuramentum pro feudalibus? Reſpondeo affirmatiuè, pro feudalibus tamen ſolum, quæ dependent ab ipſo Principe. Ita apud Bellettum *loco cit.§.5.num.1.*

An Princeps poſſit prohibere venationem?

BRACTEA XXXII.

R. Principes ſupremos temporales, tàm in locis publicis, quàm in priuatis poſſe prohibere venationem, etiam poſita pęna, propter publicam vtilitatem, tunc etiam propter ſuam recreationem. Ita Medina *C.de reſtitut.quæſt.12.* Molina *diſp.46.* Salon *2. 2. quæſt. 62. art. 3.* Arragonius *ibidem dub.vlt.* Bannes ibidem *dub.5.* Valentia *tom.3. diſput.5.quæſt.6.dub.6.* Rebellus *1. part. lib.1. quæſt.14. ſect.2.* Em. Sà *verbo venatio num.4.* Vaſquez *cap. 5. de reſtitut. §.2 dub.2.* Ratio, quia cum Princeps pro Republica laboret habere debet neceſſaria ad ſui ſuſtentationem, & debet habere locum ſuæ recreationi accommodatum, & hoc fit per prohibitionem, & reſeruationem venationis: vnde venatio reſeruari poteſt, non ſolum cauſa ſuſtentationis, ſed etiam recreationis gratia, præſertim quando ipſius dignitati conducit. Secundò quod quando Princeps tale ius ſibi reſeruat, debet damna, quæ à ſuis feris referuntur reſarcire, & cauere ne inferãtur, cũ par nõ ſit, vt oblectationem capiat, & venationem ſibi reſeruet cum damno Populi, niſi venationem reſeruaret de conſenſu Populi, quia quilibet poteſt iuri ſuo cedere, aut tale ius ſibi reſeruaret, in terra hoſtili ſe occupata, quia tunc non teneretur ad damna, ſed quiſque ſibi cauere debet; Princeps enim haberet ius prohibendi venationem non obſtante damno, quod ſequi poteſt. Tertio Principem non ſolùm poſſe prohibere venationem, aut ius venandi alicui concedere, ſed etiam ſub pęnis venationem reſeruare, vel ob vtilitatem publicam, vel ob ſuam recreationem, & efficere venantes contra prohibitionem inhabiles ad acquirendum dominium ferarum, & ſubiacere alijs pęnis. Couar. *regula peccatum part.2. §.8.num.6.*

An legitimatus à Principe, poſſit recipere ordines?

BRACTEA XXXIII.

R. NEGATIVE: ratio eſt quia Princeps non poteſt tollere impedimenta canonica. Ita Miranda in *manuali Prælator. tom. 2 quæſt. 2. art. 5.* Rodriquez *quæſt regular. tom. 1. quæſt. 16. art. 10.* vbi notat quod Sacerdos diſpenſatus in ſæculo, & habens ibi beneficium curatum ſi Religionem ingrediatur, non cenſetur diſpenſatus ad officia, & dignitates Ordinis. Secundò Principem non poſſe legitimare filium Clerici, ſi ipſe filius ſit Clericus. Ratio eſt, quia actus legitimationis eſt actus iuriſdictionis, qui in Clericum exerceri non poteſt, cum liber ſit à ſeculari poteſtate. Ita Baſilius Pontius de *matrim. lib. 11. cap. 6. n. 9.* Auguſtinus de *legibus tom. 1. lib. 2. contron. 23. num. 65.* Quod ſi dicatur, legitimationem in effectu nõ tã reſpicere perſonam Clerici legitimandi, quam bona ipſa, quę ſita ſunt in territorio Principis legitimantis? Reſpondeo non ſolum perſonam Clerici, ſed etiam bona Clericorum eſſe exempta à ſeculari poteſtate, & iuriſdictione Principis, & per conſequens Principem nec reſpectu bonorũ, poſſe legitimare Clericum filium Clerici.

An Princeps poſſit ferre leges circà Beneficia Eccleſiaſtica?

BRACTEA XXXIV.

R. NEGATIVE: vnde Princeps non poteſt ferre legem ne beneficia dentur externis, neq; vt illis non inſuantur penſiones, nec etiam admittantur, aut exequutioni mandentur inconſulto Principe, litteræ Apoſtolicæ, quibus iuri patronatus laicorum derogatur. Ratio, quia Principes non habent poteſtatem ſuprà ſummum Pontificem, quem conſtat poſſe conferre beneficia, cui voluerit. SecundòPrincipes ratione ſui officij non habere poteſtatem congregandi Epiſcopos ob bonum commune Reipublicæ, aut Eccleſiæ, & eis præcipiendi, vt hoc vel illud faciant. Ratio eſt quia de iure Diuino ſunt exempti à Principum ſæcularium iuriſdictione, poſſe tamen eos rogare, vt ad ſe veniant nõ tamen præcipere; & licet vocentur Patroni, nomen vſurpatur pro defenſore, & protectore, nec licet tamen inferre ipſos habere auctoritatem poteſtatem congregandi Epiſcopos Bonacina *part. 1. diſput. 10. quæſt. 2. pun. 1. §. 1. num. 14.* Diana *tract. 1. de immunit. Eccleſiaſt. reſolut. 23.* nec etiam Principes poſſe curare, vt Epiſcopi reſideãt in ſuis Epiſcopatibus, nec alia, quæ de iure ſpectent ad Epiſcopum, vt ne diſſipent bona Eccleſiarum, ne decimas exigant pluſquam cõſuetas. Ratio, quia laici non habent iuriſdictionem in Clericos: poſſunt tamen monere Romanum Põtificem, vt curet diſciplinam Eccleſiaſticam ab Epiſcopis ſeruari.

An Princeps poſſit punire Clericum delinquentem ratione officij ſibi ab ipſomet Principe conceſſo?

BRACTEA XXXV.

R. NEGATIVE, quia exemptus eſt à laica poteſtate, quamobrem Clericus, qui officium tutoris, vel curatoris, vel adminiſtratoris bonorum exercuit, & in eo deliquit, non poteſt in iudicium à laico ad reddẽdã rationem vocari, quamuis enim delinquat aſſumendo huiuſmodi officium, non tamen amittit priuilegium fori. Ita Bonacin. de *legib. diſput. 10. quæſt. 2. pun. 1. §. 1. nu. 24.* Ambroſinus de *immunit. Eccleſiaſtica cap. 20. num. 54.* Duardus in Bullæ Cænæ *lib. 2. canon. 15. quæſt. 21. num. 273.* vbi ſic aſſerit. Clericus trahi non poteſt ad forum ſæculare etiã ratione officij ſibi conceſſi à Principe ſæculari, ſi in eo delinquat, nec etiam ratione cuiuſcunque artificij, ſi quam artem exerceat, quæ conſules habeat, ac primates, apud quos illius artificij iuriſdictio reſideat, & hanc ſententiam tenent etiam plures alij.

An Princeps poſſit in Principatu permittere liberam Religionem?

BRACTEA XXXVI.

R. NEGATIVE: nihil enim magis animos obligat, quam vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, & concedere licentiam, vt quiſq; colat Deum arbitratu ſuo, non ſolum eſt nutrire diſſenſiones, ſed etiam augere, atquè confirmare, nec Principem poſſe tuta conſcientia permittere, vt in Diuinis, ſiue in Religione aliquid, quis innouet, ſed hoc eſſe munus Pontificis, videlicet curare ne quis in Religione aliquid innouet, ipſius eſt interpretari, & declarare ea, quæ ſunt in Religione obſcura, ambigua, & dubia; quia ſolum Pontifici ſub perſona Petri dictum fuit 10. 21. *paſce oues meas*, & ab ouili Eccleſiæ arcere lupos, aut reducere, vel tolerare pertinet ad ius paſcendi. ergo à nemine fieri poteſt ſine licentia ſummi Pontificis, & licet hæretici à fide defecerint, Pontifex retinet ad huc ĩus in illos ſicut paſtor in oues errantes cap. maiores de baptiſmo cap. 1. de ſponſalibus; curare tamen debent Principes Chriſtiani, vt conſulto Romano Pontifice, & admonito, arceantur Religionis innouatores: vnde apud Dioniſium Caſſium *lib. 52.* leguntur hæc verba. eos qui in Diuinis aliquid innouant odio habe, & coerce, non Dei ſolum cauſa, quem tamen, qui contemnit, nec aliud ſanè magnè quidẽ fecerit, ſed quia noua quædam numina ij tales introducentes multos impellunt ad mutationem rerum, vndè coniurationes, ſeditiones, conſiliabula exiſtunt, res profectò minimè conducibilis Principatui, propter rationes allatas, & propter aliaſquæ afferuntur à Patre Diana *part. 10. reſolut. 3.* Lactantius *lib. 5. inſtit. cap. 19.* nihil eſt in rebus humanis Religione præſtantius, ea ſumma vi oportet defendi.

An

An liceat Principibus permittere Meretrices in aliquo loco Ciuitatis?

BRACTEA XXXVII.

R. AFFIRMATIVE: Ita S. Thomas 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 2. Graffina 1. *part. lib.* 2. *cap.* 7. & alij plures. Ratio eſt, quia etiam Deus permittit multa mala, vt euitentur maiora, vel vt ſequantur maiora bona: immò à Principe permitti poſſe meretricibus Patronnos, qui eas defendant. Ita Rodriquez citatus à Bonacina *quæſt.* 4. *de matrim. pun.* 14. *n.* 4.

An Princeps poſſit aliquem compellere, vt alicui nubat?

BRACTEA XXXVIII.

R. PRO bono communi poſſe Principem perſuadere aliquem, vt alicui nubat: non poſſe tamen ipſum compellere, vt matrimonium contrahat. Ratio quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrim. cap.* 5. excommunicat omnes Principes ad matrimonium compellentes, cum matrimonium liberè debeat contrahi: & ita plures citati apud Sanchez de *matrim. lib.* 2. *diſput.* 27. *num.* 3. & alij.

An Princeps poſſit non admittere in Epiſcopum: perſonam ſibi ſuſpectam?

BRACTEA XXXIX.

R. POSSE Principem in aliqua Ciuitate ſui dominij non admittere in Epiſcopum perſonam ſibi ſuſpectam, de qua non poſſit confidere, ne fortè reuellet aduerſarijs ſecreta ſui dominij. gloſſ. 1. *in cap. nullus* 61. *diſt.* Innocentius in *cap. ſuper ijs, num.* 8. *de accuſatione*, Abbas in *cap.* 1 *num.* 9. & in *cap. cum terra, num.* 2. & in *cap. quod ſicut* §. *quod ſuper eo, num.* 7. *de electione* Ioannes Andreas in *cap. nobis nu.* 12. *de iure Patronatus*, Hoſtienſis in *ſum. Tit. de elect.* §. *quis poſſit eligere, num.* 5. Barbatius *conſil.* 11. *num.* 9. *vol.* 1. Quod tamen de facto Princeps facere nequit, niſi de licentia Papæ. Ita Belletus *diſquiſit. Clerical. cap.* 1. §. 15. *de diſciplina clericali, num.* 22. & in *Tit. de fauore cleric.* §. 5.

An Princeps abſque violatione Iuſtitiæ poſſit remittere delicta abſque cauſa?

BRACTEA XXXX.

SCIENDVM remiſſionem delictorum duplicem eſſe, vnam generalem, & alteram particularem: generalis eſt quæ fit à Principe, lege, aut ſtatuto, vt qui in tali bello ſeruierint tanto tempore ſuis ſumptibus talia delicta ſint eis remiſſa, vt etiam quãdo Princeps ingreditur de nouo aliquam Ciuitatem, ſolent vinctis illius, qui accuſatores non habens, & quorum delicta non ſunt enormia, quæ Reipublicæ minimè expediat remanere impunita: parcere condonando illis ea delicta, aut etiam quãdo reuerſus parta inſigni victoria parcit ſimiliter vinctis alicuius Ciuitatis, alijs etiam ſimilibus de cauſis ſolent Principes facere remiſſionem generalem criminum, aliæ autem ſunt remiſſiones particulares, quibus aliquibus de cauſis Principes condonant, ac remittunt aliquibus culpas, & delicta, quando accuſatores non habent, qui ſuam aut ſuorum iniuriam, circà ea crimina proſequantur, quæ non multum expedit Reipublicæ, vt impunita non maneant; atque inter alias cauſas in reuerentiam ac memoriam Chriſti, qui in ara Crucis pro ſuis crucifixoribus orauit, ſanctiſſimæque Paſſionis ipſius, qua veniam noſtrorum delictorum nobis omnibus promeruerit, ſolent Principes Chriſtiani die veneris ſancti, aliquibus delinquentibus parcere, quæ omnia conſtant ex *lege Abolitio* iuncta lege ſequenti, & *lege interueniente ff. ad Turpillum*, *& ex leg.* 1. 2. *&* 3. *tit*, 22. 32. *& part.* 7. iuncta *lege* 49. Quo poſito.

R. non poſſe Principem abſque cauſis ſuprà narratis remittere delicta aliquorum ſubditorum, tam remiſſione generali, quam ſpeciali abſque violatione Iuſtitiæ. Ratio quia abſque cauſa delicta non debent remanere impunita, & regulariter Princeps niſi aliqua iuſta cauſa excuſet debet adminiſtrare iuſtitiam. Secundò quod quando Princeps remittit delicta, ante ſententiam aduerſus Reum datam, cenſentur omnia condonata, quæ ob illud crimen incurruntur, tam ſcilicet pęna temporalis, quam pecuniaria, ſeu confiſcationis bonorum, niſi aliud exprimatur, neque Reus manet infamis, eſto ob illud crimen pœna incurratur infamiæ. Tertiò quando crimina remittuntur à Principe reo, poſt latam ſententiam. Reſpondeo cum diſtinctione, vel ſolum Princeps dicit remittere delictum, & tunc ſolum cenſetur remittere pęnam temporalem, non verò confiſcationis bonorum, aut aliam pecuniariam, neque pęnam infamiæ, ſi quam ob illud delictum incurrit; ſi verò Princeps, qui delictum condonat dicat reſtituo te in integrum, in Prouinciam, aut ſtatum priſtinum, vel reſtituo te in ſtatum, in quo eras ante delictum commiſſum, tunc etiam pecuniaria omnis pęna confiſcationis, aut quæcumque alia cenſetur remiſſa, ita vt illi reſtituenda ſint omnia bona illius, quæ à fiſco fuerant aſportata: ſecus verò quæ fiſcus iam alienauerit, cum hæc non cenſeatur illi condonata niſi aliud exprimatur. Molina de *Iuſtitia commutatiua tract.* 3. *diſput.* 48. *n.* 11.

An Princeps poſſit concedere monopolium?

BRACTEA XXXXI.

R. PRINCIPEM poſſe concedere monopolium de rebus quę ſolum ſpectant ad delicias humanas, vel luxum, ornatum, & pompam, quas nemo cogitur emere, vt ſunt picturæ veteres, tapetes, aleæ, chartæ luſorę. &c. & ita leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *nu.* 199. Nauar. *cap.* 23. *nu.* 22. Molina *diſp.* 345. Ratio quia cum nemo de neceſſitate cogatur, eas emere nulli fit iniuria. Ita auctores citati. Secundò de rebus, quæ neceſſariò ſpectant ad vitam politicam ob bonum publicum, & honeſtam cauſam, vel quia tales merces nemo poteſt ſufficienti copia aduehere ob ſumptus, quos non facilè poteſt facere, vel etiam ob aliam commoditatem, & cauſam. Poſſe Principem concedere monopolium. Ita auctores citati, & Rodriquez *part.* 2. *cap.* 54. *nu.* 1. dummodo tamen taxetur pretium moderatum, vel relinquatur iudicio prudentum taxandũ ne liberum ſit monopolis vendere merces pretio quo ipſis placuerit. Rodriquez *part.* 2. *cap.* 82. Leſſius, Molina locis citatis, Rebellus de *monopolio quæſt.* 7. *n.* 3. ad reſtitutionem obligaretur Princeps, qui conceden-

do monopolium pretium non taxaret, vel taxãdum non remitteret, quia non taxando cenſeretur cauſa damni. Rebellus loco cit. Nauarrus *cap.23.n.93.*&c. Tertiò Principem qui pro bono publico eget pecunia, abſque alia cauſa poſſe concedere monopolium taxando tamen res moderato pretio, ne emptores plus iuſto grauentur. Ita Rebellus, Leſſius, Molina, Rodriquez locis citatis. Ratio, quia ſicut ob neceſſitatem poteſt imponere tributum, ita pretio poteſt concedere monopolium, quod minus eſt grauamen, quam tributum. Quartò non poſſe Principem in rebus neceſſarijs ad vitam politicam abſque cauſa concedere alicui priuilegium monopolij. Ita auctores citati, Sotus *lib. 6. de Iuſtitia quaſt. 2. art. 3.* Nauarrus *cap 23. n. 92.* Roſella verbo *emptio* §. 23. Ratio, quia tali conceſſione ſubditi plus iuſto grauarentur, cum pretio maiori ob raritatem venditorum emere cogerentur; tum etiam quia alijs venditoribus fieret iniuria, cum abſque cauſa iniuſtè impedirentur, ne vendant, & Principes auctoritate, quam habent, non poſſunt vti in damnum commune, & conceſſio priuilegij monopolii, abſque iuſta cauſa vertitur in damnum commune, cum ciues priuentur libertate emendi res ab alio venditore; tum etiam quia Princeps non poteſt abſque iuſta cauſa diſpenſare in lege iuſta, lex autem prohibens monopolium eſt iuſta. Ita Salon. *de Iuſtitia tom.2.*&alii, ergo, &c.

An Princeps admittens inhabilem ad actum ſcienter cenſeatur cum eo diſpenſare?

BRACTEA XXXXII.

R. Principem ſupremum cenſeri cum eo diſpenſare. Ratio eſt, quia ad valorem diſpenſationis non requiritur cognitio cauſæ, ſed ſatis eſt voluntas eius ad diſpenſandum, qui poteſt diſpenſare, & ſatis conſtat de ea, hoc ipſo, quod ſcienter promouet ad actum, ad quem de iure non poſſet admitti. Secundò Principem ſupremum non poſſe diſpenſare abſque cognitione cauſę ſcienter ad actum impeditum, non ipſorum lege, ſed iure communi, licet ſpeculatiuè opinio contraria ſit probabilis: in praxi tamen præmittenda eſt cognitio cauſæ, vt dignoſcatur, an expediat. Filliuccius *tract.10. de ſacram. matrimonij part.2. cap.10. num.249.* & alij.

An Principes aſſumentes ad officia ineptos peccent?

BRACTEA XXXXIII.

R. Principes qui ad officios ſummunt ineptos, vel q male exiſtimantur adminiſtraturi tale officium peccant mortaliter, & tenentur ad damna ſequuta. Ratio, quia cum conferant, hæc officia ex debito ſui muneris, tenentur lege iuſtitię procurare aptos miniſtros, quia propter hoc tributa accipiũt. Secũdò teneri ex officio Principẽ regulariter aſſumere digniores ad officia, ex iuſta tamẽ cauſa poſſe Principem relicto digniori eligere dignum ad officium. Ita Thurrianus in *ſelectis diſput. 102.* & alij. Si verò ſine cauſa anteponit idoneum magis idoneo peccat, non tamen obligatur ad reſtitutionem. Ratio primæ partis eſt, quia aptiori facit iniuriam preferendo ei ſine cauſa minus dignum.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia non violat iuſtitiam.

An Principes poſſint vendere officia ſui Status?

BRACTEA XXXXIV.

R. Non fore contra iuſtitiam ſi rationabili cauſa idoneis alioquin viris officia, quæ conſtituuntur in bonis, & Patrimonio Principis, & quæ luctuoſa ſunt vltra labores, & induſtriam officialium iuſto pretio vendere. Ita Azorius *tom.2. lib.11. cap.6.* dummodo tamen officiales, ſeu ementes ex emptione non aſſumerent occaſionem opprimendi ſubditos extorſionibus, oneribus, & expenſis ſuperfluis: Nauarrus *cap. 27. num. 7.* Regulariter tamen officia non deberent vendi.

An Princeps dubius de iuſtitia Belli poſſit Bellum mouere?

BRACTEA XXXXV.

R. Quando poſt diligentem inquiſitionem dubitatur de iuſtitia belli, ſi agitur de cauſa iniuriæ, non licet bellum mouere, quia in dubijs tanti momenti, vbi de multorum hominum morte periculum eſt, oportet eligere partem tutiorem; ſi verò de cauſa poſſeſſionis agitur; ille, qui poſſidet non tenetur reddere, neque illi iuſtè moueri poteſt bellum, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, tum etiam quia ſi res ageretur coram Iudice, nunquam in re dubia Iudex ſpoliaret poſſeſſorem; vnde ſi ſtante illo dubio, ille qui poſſidet ſpoliaretur ab altero poſſet illi bellum mouere ad recuperandum id, quod perdidit, quia per iniuriam fuit ei ablatum; ſi verò res de qua dubium eſt, à neutra parte poſſideatur non licet inferre bellum pro habenda re integra, quia eſt contra æquitatem, vt vbi vterque habet æquale ius, alteri id, totum adiudicetur, licet tamen pro habenda medietate, vel iuſta compenſatione vti; ſi alter nolit pacificè conſentire, quia omninò diuidenda eſt, vel ex æquo compenſanda, & tandem ſi in dubio is, qui non poſſidet videatur habere plus iuris, poteſt compenſationem petere ab illo, qui poſſidet, quam ſi dare nolit, poteſt illi bellum mouere, quando negotium eſt tanti momenti, vt iudicio Prudentum expediat illud terminari, etiam per arma.

Quid requiratur in Principe, vt bellum ſit iuſtum?

BRACTEA XXXXVI.

R. Tria requiri: primum eſt auctoritas indicentis bellum; quæ reſidet penes principem ſupremum, ſiuè Rempublicam perfectam. Ita Molina *diſp.100.* Couar. *regula peccatum part.2. §. 9. num.1.* Caiet. 2. 2. *quæſt. 40. art. 1.* Sotus *de iuſtitia quæſt.3. art.5.* & alij communiter: Secundum recta intentio, vt quando ſuſcipiatur bellum ob bonum commune, vel ob pacem, &c. verum iſta conditio non eſt adeò neceſſaria, vt ea deficiente bellum dicatur iniuſtum; inducens obligationem reſtituendi, quam obligationem inducit defectus primæ, & tertiæ conditionis, quæ eſt iuſta cauſa bellum mouendi iudicio Prudentum, &c. Ita Molina *diſput. 107.* Bannes *2.2. quæſt.40. art.1.* Rodriquez *1. part. cap. 126. num.2.*

Secun-

Secundò quando Princeps iuſtè mouet Bellum licitum eſt accipere bona, tám innocentium, quàm nocentium, quando aliter ſuum recuperare non poteſt. Ratio, quia tunc puniuntur innocentes, tamquam partes cõmunitatis, quę deliquit, Victoria de *iure belli num*. 41. prætereà Innocentes poſſunt directè ſpoliari ſuis bonis, quando ex eis iuuantur, vel muniuntur inimici. Princeps verò qui iniuſtè bellum gerit; tenetur ad reſtitutionem omnium ablatorum ab innocentibus. Ratio, quia cenſetur iniuſta cauſa damni.

An Princeps poſita iuſta cauſa tenetur bellum indicere?

BRACTEA XXXXVII.

R. NEGATIVA: ſed prius petendam eſſe ab eo, cui vult bellum indicere condignam ſatisfactionem, quæ oblata, non poteſt indicere bellum. Ratio, quia oblata ſufficienti ſatisfactione ceſſat iniuria pręterita, & cauſa iuſta ſuſcipiendi bellum, vel proſequendi ſi iam ſit inceptum. Ita Molina *diſput*. 103. Rodriquez 1. *part. cap*. 126. Em. Sà *verbo bellum*, Bannes 2. 2. *quæſt*. 40. *art*. 1. *dub*. 8. Similiter bellum debet ex Charitate intermitti, quando ex eo ſequuturæ ſunt ſcandala, & damna longè maiora toti Reipublicæ, quamuis inimicus nolit condignam ſatisfactionem exhibere, quia charitas dictat maius damnum præcauendum eſſe.

An Princeps poſſit bellum gerere ex opinione probabili, licet ab altero Principe poſſideatur Ciuitas prætenſa, etiam cum opinione probabili?

BRACTEA XXXXVIII.

NEGATIVAM ſententiam tenet Villabol. in *tom. 1. tract. 1. difficult*. 17. *n*. 6. *&* 7. & ante ipſum illam tenuit Vaſquez *part*. 2 *tom*. 1. *diſput*. 64. *cap*. 3. *num*. 11. Monteſinus in *part*. 2. *tom*. 1. *diſput*. 29. *quæſt*. 5. *num*. 224. & alij. Sed

R. Si opinio verſetur circa ius, affirmatiuam ſententiam tenere contra præfatos Doctores Sanchez in ſuis *practicis diſputationibus*, *diſput*. 44. *num*. 58. vt videre eſt apud ipſum, vbi plures affert rationes pro hac firmanda ſententia, apud Becanum in *ſum. Theolog. part*. 3. *cap*. 25. *quæſt*. 51. Molinam de *iuſtitia tom*. 1, *tract*. 2. *diſp*. 103. Valentiam *tom*. 3. *diſput*. 3. *quæſt*. 16. *punct*. 17. Salas *in part*. 2. *quæſt*. 21. *tract*. 8. *diſput. vnica ſeſſ*. 15. Tanerum ex 2. 2. *diſput*. 2. *quæſt*. 6. *dub*. 4. & plures alios.

Quando nam cenſeatur iuſta cauſa in Principe ad Bellum gerendum?

BRACTEA XXXXIX.

R. MVLTAS eſſe: Prima, quando negatur id quod iure debetur, ſiue quando Bellum eſt neceſſarium ad recuperanda propria bona, quæ ab hoſtibus iniuſtè detinentur: Secunda pro tuenda Republica contrà aduerſarios illam iniuſtè oppugnantes, & ad impedienda Reipublicę damna: tertia contrà eos qui ferunt opem, & auxilium hoſtibus: quarta quando contumelia publica Principi rogata eſt: quinta quando ſubditi ſunt rebelles: ſexta quando aliqui afferunt opem malefactoribus: ſeptima quando aliqui violant fœdera, & pacta inita, de quibus fuſiùs agit Molina *diſput*. 104. Azorius 3. *part. lib*. 2. *cap*. 7. *quæſito* 34. Valentia *loco cit*. An, Princeps infidelibus poſſit licitè Bellum gerere? Respondeo triplex eſſe genus infidelium, quoſdam eſſe ſubiectos Principi Chriſtiano de facto, & de iure, vt ſunt Iudęi in Italia, & alii, qui habitant in terris Chriſtianorum, quoſdam eſſe ſubiectos Chriſtianis de iure, & non de facto, vt ſunt Turcæ, & alii, iniquè occupantes terras, in quibus Chriſtiani habent ius, licet de facto a Turcis poſſideantur: quidam denique non ſunt ſubiecti, neque de iure, neque de facto, vt ſunt Iudęi, & Pagani, qui nunquam ſubiecti fuerunt Imperio Romano, neque poſſidens terras Chriſtianorum: In fidelibus ſecundi generis poteſt Princeps Chriſtianus licitè Bellum inferre, tertii verò generis poſſe auctoritate Papæ vt conuertantur, &c.

An ſint Principis, quæ acquiruntur in Bello?

BRACTEA L.

R. Res immobiles, quæ acquiruntur in Bello eſſe Principis indicentis Bellum: res verò mobiles acquiri militibus eas capientibus, niſi aliter ſtatuant Principes, aut conſuetudine ſit receptum. Ratio eſt vt audaciores fiant ad debellandos hoſtes; ita Tabiena verbo *Bellum nu*. 11. Si verò Bellum eſſet iniuſtum non poſſunt acquiſita retineri, ſiue illa eſſent aduerſariorũ, ſiue aliorum, quia Domini, non amiſerunt illarum dominium per Bellum iniuſtum: tormenta verò bellica, quæ acquiruntur, & accipiuntur ſunt Principis facientis bellum, ſicuti, & alia inſignia arma.

An Princeps poſſit licitè concedere repreſalias?

BRACTEA LI.

R. AFFIRMATIVE: & ita ſentiunt Caietanus, Silueſter verbo *Repreſſalia*, concurrentibus tamen iuſtis conditionibus; & ita Iacobus Granado in 2. 2. *D. Thomæ controuer*. 3. *tract*. 13. *diſput*. 4. *ſect*. 8. *n*. 73. Caſtro Pallaus *tom*. 1. *tract*. 6. *diſput*. 5. *pun*. 4. Coninch. in 2. 2. *diſput*. 31. *dub*. 7 *&* 8. *n*. 152. Molina *tom*. 1. *diſput*. 121. Suarez in *Encheridio lib*. 7. Binsfeldius *tract. de iniurijs, & damno dato cap*. 8. *quæſt*. 4. Villabos in *ſum. tom*. 2. *inſtit*. 5 *difficult*. 4. Valentia *tom*. 3. *diſput*. 3. *quæſt*. 16. *pun*. 3. Layman in *Theolog. moral. lib*. 2. *tract*. 3. *cap*. 12. *n*. 13. Ratio eſt, quia in Bello iuſto bona Innocentum licitè diripiuntur, quando eſt neceſſarium ad obtinendã ſatisfactionem plenam; ergo id fieri poteſt per repreſalias.

Sciendum omnes ciues alicuius Reipublicæ conſtituere vnum corpus, atque ita cenſeri aliquid vnũ, vt quod Reſpublica facit cenſeantur omnes facere, atque ita hac parte cenſeantur omnes, & ſinguli peccaſſe, atque eſſe punibiles in ſuis bonis, quę cenſentur bona Reipublicæ, quæ eius dominio ac diſpoſitioni ſubſunt, qualia ſunt omnia bona fortunę non ſolum communia, ſed etiam priuata ſingulorum ciuium. Vnde innocentes licet ob aliorum culpam non poſſint puniri, poſſunt tamen compelli, vt ſatiſfaciant pro debito, quod tanquam pars illius Reipublicæ contraxerunt, & hoc efficitur in caſu Belli, & Repreſſaliarum.

Scien-

Sciendum 3. requiri has conditiones, vt licitè poſſint concedi repreſſaliæ: prima vt manifeſtè conſtet ciues vnius Reipublicę feciſſe iniuriam ciuibus alterius Reipublicæ v.g. aliqua eorum bona capiendo, detinendo, non ſoluendo debita ex iuſtitia, &c. ſecunda, vt ſuperiores illius Reipublicæ, cuius ciues iniuriam intulerunt rogati, vt faciant iuſtitiam id recuſent, aut negligant: tertia, vt apertè conſtet illos culpabiliter nolle facere iuſtitiam: quarta, vt ſupremus Princeps Reipublicæ læſæ adeatur, & cauſa cognita concedat facultatem capiendi repreſſalias: quinta, vt non inferatur alteri Reipublicæ plus damni, quam ſit neceſſe ad plenam ſatisfactionem pro iniuria ac damnis acceptis: ſexta, vt non concedatur in perſonas Eccleſiaſticas. Lorca in 2.2. *D. Thomæ quæſt. 40. art. 1. ſect. 3. diſp. 52.* negatiuam ſententiam tenet, quia hic modus compenſandi natura ſua iniuſtus eſt, & quia per ſe infert nocumentum innocenti, & punit vnum, pro peccato alterius, quod humana iuſtitia fieri non poteſt, non minus in bonis externis, quam in perſonis, & ita iure ciuili, & canonico reprobatæ ſunt repreſſaliæ, vt patet in *Autentica, vt non fiant pignorationes*, & in *cap. ſi pignorationes de iniur. in 6.* nec valet dicere quod licet inferre bellum toti Reipublicæ propter iniuriam ab aliqua eius parte illatam, ſi Cōmunitas, & Princeps vindicare neglexerint: ergo pariter licebit ſolam compenſationem damni accipere à quibuſcunque Reipublicę membris. Nam reſpondet primò diſparem eſſe rationem, quoniam iniuria, aut damnum, pro quo petuntur repreſſalia non eſt tantum, aut tanti momenti, vt ſit iuſta cauſa Belli: nam ſi eſſet, iā non eſſet repreſſalia, ſed Bellum. Nos autem loquimur de repreſſaliis, vt à Bello diſtinguuntur, non ergo eſt tam vrgens cauſa, vt tota Reſpublica puniri poſſit; quare licet læſi non aſſequatur reſtaurationem damni petendo eam à Principibus, non ſufficit vt innocentes patiantur, & contrà totam Rempublicam agi poſſit. Secundò etiam in Bello iuſto innocentes lædi non poſſe in bonis externis per ſe, & directè. Ità Lorca. Sed.

R. hunc modum compenſandi non eſſe iniuſtum natura ſua quando efficitur auctoritate Principis, & ſeruatis ſuprà dictis conditionibus, quia aliter ſatisfactio obtineri nequit, quod æquitati naturali nullo modo repugnat, cū is qui grauatur in repreſſaliis ſit huius grauaminis obnoxius eorum Reipublicæ cuius eſt pars, & cui ſua bona obſtricta ſunt. Canones citati à Lorca intelliguntur de repreſſaliis, quæ ſine ſupremi Principis auctoritate efficiuntur, & non ſeruatis conditionibus ſuprà ſcriptis. Sed illud verò quod aſſerit innocentes non poſſe lædi in bonis externis per ſe directè etiam in Bello iuſto: ergo neque in repreſſaliis. Reſpondeo cum Molina *diſput. 120. & 121.* Valentia *tom. 3. diſput. 33. quæſt. 16. pun. 3. §. 4.* in Bello iuſto etiam innocentes poſſe ſpoliari ſuis bonis, & libertate quando aliter nequit ſatisfactio obtineri pro iniuriis, & damnis acceptis.

An Princeps poſſit ob iniuſtam interfectionem ſui ſubditi directè interficere ſubditum innocentem alterius Principis?

BRACTEA LII.

R. Negatiue: ratio, quia talis interfectio eſt abſolutè, & intrinſecè mala, & à Deo prohibita. Exodi 23. *Inſontem, & iuſtum non occides*; neque ex aliqua cauſa honeſtari poteſt; licitum tamen eſt eos ſpoliare bonis, quibus præſtare poſſunt auxilium hoſtibus, vt dictum eſt, & docet Molina *diſput. 121.* Vittoria de *iure Belli*, Em. Sà verbo *Bellum, nu. 2.* & alii.

An Princeps poſſit dare vrbem militibus in prædam?

BRACTEA LIII.

R. Principem poſſe promittere Ciuitatem diripiendam militibus ſi aliter credatur, Ciuitatem non poſſe obtineri, niſi promiſſione facta de Ciuitate tradenda militibus in prædam. Ratio eſt, quia aliquando neceſſe eſt præmio excitare milites, & aliter perſæpè hoſtes, nec debellari, nec malefactores puniri poſſent. Ità Azorius *tom. 3. lib. 2. cap. 7. quæſt. 19.* Fillincius *tract. 29. de bello, c. 188.* & alij. Secundò in cauſis grauiſſimis poſſe dare vrbes militibus in prædam. Molina *diſput. 122.* Victoria *de iure belli, num. 13.* Reginaldus *lib. 21. num. 115.* Azorius *3. part. lib. 2. quæſito 13.* Valentia *tom. 3. diſput. 3.* & alij. Non eſſe tamen licitum inferre hoſtibus pro paruo damno, damnum longè excedens ſibi illatum, vt prouinciam, & deuaſtare vnam Prouinciam, niſi fortè hoc neceſſarium ſit ad pacem. Ità Victoria *loco cit.* Reginaldus *lib. 21. cap. 8. ſect. 4. nu. 19.* & alij.

Sciendum non modo licitum eſſe Ciuitatem promittere, & tradere diripiendam militibus ante acquiſitionem ipſius Ciuitatis, ſed etiam aliquando licitum eſſe tradere Ciuitatem diripiendā militibus poſt victoriam, tum ad excitandos milites, tum etiā ad terrendas alias Ciuitates hoſtiles, tum ad pænā hoſtium, vt luant in bonis temporalibus culpam iniuſtitiæ, & quando traditur Ciuitas diripienda, dux debet militibus præcipere, vt abſtineant à direptione Eccleſiarum, ab occiſione innocentium. Ita Azorius *tom. 3. lib. 2. cap. 7. quæſito 13.* Fillincius *loco citato num. 199.*

An Principes poſt partam victoriam iiſdem pænis afficere poſſint hoſtes iniuſtè pugnantes, quibus afficere poterant in ipſo conflictu?

BRACTEA LIV.

R. Poſſe dummodo hoc conducat ad finē belli, & vt pax melius conſeruetur. Ita Azorius *loc. cit.* Molina *diſp. 122.* Victoria *de bello, n. 44.* Reginaldus *loco cit. n. 114.* Rodriquez *1. part. cap. 126.* Lopes *1. part. cap. 61.* poſſunt etiam occidi obſides, quibus non eſt data fides de ſalute ſi comperti fuerint nocentes. Ita Em. Sà verbo *Bellum*; ſi verò ſint innocentes, non poſſunt occidi, vt etiamſi illi, qui eos miſerunt non ſtent promiſſis. Ità Molina *diſput. 122.* Lopes *loco citato*, poſſunt tamen alijs pęnis affici, vt carcere, exilio, priuatione bonorum, damnatione ad triremes; Reginaldus *loco citato*, & alij. Chriſtiani verò, & eorum filij non poſſunt in ſeruitutem redigi, ſed ſolum detineri donec pretio redimantur; eſt enim hoc introductum in fauorem fidei, quo fauore non gaudent Apoſtatæ à fide, cum illam violarint, infantes verò Hæreticorum, & Apoſtatarum baptizati ſi capiantur in Bello non poſſunt in ſeruitutem redigi, niſi alius titulus intercedat. Ita Azorius *3. part. lib. 2. cap. 7. quæſito 27.* & alij. An Princeps poſſit occidere eos, qui ſe dediderunt? Reſpondeo diſtinguendo,

ſtinguendo, aut ſunt nocentes, aut innocentes: ſi ſunt innocentes non poſſunt occidi: ſecus ſi ſint nocentes; niſi fortè ſe dederint cum hac conditione, ne læderentur; tunc enim fides ſeruanda eſt. Azorius *loco cit. quæſit.* 11. Secundò Principem facta pace cũ hoſtibus non teneri bona illis remittere, quæ ſubditi ſui tempore belli acquiſierunt. Ità apud Barboſam *collect. Doctorum in partem l. decretal. cap. iuſtum, num.* 4. Quando verò bellum iniuſtè fuit illatum, obligari ad reſtitutionem omnium bonorum ablatorum ab innocentibus. Ratio, quia ob bellum iniuſtum cenſetur iniuſta cauſa damnorum cauſatorũ à ſuis militibus, non modo parti contrariæ, ſed etiã proprijs ſubditis, & per conſequens eſt obligatus ad reſtitutionem, & ipſo non reſtituente obligãtur Conſiliarij, qui bellum perſuaſerunt, & etiam obligantur, qui bona hoſtium receperunt. Ratio, eſt quia Conſiliarius tenetur inſolidum in defectum principalis; ratio ſecundæ partis eſt, quia iniuſtè retinent.

An Princeps poſſit tranſitum denegare in ſuo Statu exercitus alterius Principis?

BRACTEA LV.

R. Si ex illo tranſitu timeatur aliquod damnum poſſe denegare: Si verò non timetur damnum non poſſe licitè denegare tranſitum. Ita Diana *tract.* 4. Miſel *reſolut.* 64. quia ex hac denegatione ſequerẽtur mala, quia poſſet Princeps, cui denegatus eſt tranſitus ſuo exercitu, licitè mouere bellum; & de hoc plura in ſcriptura ſacra habẽtur exempla. An Princeps ſi concedat tranſitum infidelibus per ſuum Statum ad deprædãdos Chriſtianos, incurrat aliquam pœnam? Reſpondeo ſi rogatus concedit licentiam tacitè, vel expreſsè incurrere in excommunicationem Bullæ; ratio eſt, quia hic dicitur auxilium, & fauorem Infidelibus præſtare. Secus autem ſi non rogatus negatiuè ſe habet, quia tunc non dicitur auxilium, & fauorem infidelibus præſtare. Ratio eſt, quia fauor, & auxilium importare videntur actionem, ſeu cooperationem moralem, vel phyſicam, hic autem negatiuè ſe habendo, ſeu permittẽdo, dum ex iuſtitia non tenetur impedire, non exercet actionem Phyſicam, vel moralem in damnum Chriſtianorum, quamuis cenſeatur peccare contrà Charitatem, & Religionem Chriſtianã; ſicut etiam non incurrit Princeps, qui ſolum permittit arma deferre infidelibus, cum cenſura ſolum feratur contrà ferentes, vel mandantes ferre arma infidelibus.

An Princeps, qui conſilium præſtat infidelibus, fauorem, &c. contrà Principem Chriſtianum ne ita potens, & fortis fiat, incurrat in excommunicationem Bullæ?

BRACTEA LVI.

PRIMA ſententia eſt, poſſe Principem Chriſtianum, vti opera infidelium, illiſq; arma tradere occaſione Belli, quod ipſe gerit aduerſus aliũ Principem Chriſtianum, & per conſequens licitum eſſe auxilium præbere infidelibus contrà Principem Catholicum, qui probabiliter creditur ſuperatis infidelibus arma ſuſcepturus contrà alios Principes Catholicos, illoſq; profligaturus, & ſuperaturus, nã par ratio videtur. Ratio eſt, quia cuique licitum eſt ſe defendere, & tueri *leg. vt vim ff. de iuſtitia, & iure*; & qui præſtat auxilium, vel fauorem infidelibus contra Principem Chriſtianum, ne potentior fiat, vtitur iure ſuo, cum hoc non faciat intentione præſtandi auxilium, & præſtandi fauorem infidelibus in damnum Chriſtianorum, & Catholicę Religionis, ſed ne Principis Chriſtiani vires augeantur cum periculo aliorum Principum. Sed

R. Cum ſecunda ſententia non poſſe Principem Chriſtianum præſtare fauorem, &c. Infidelibus contra alium Principem Chriſtianum. Ratio, quia infideles, vt plurimum iniuſtum, & iniquum bellum contra Chriſtianos Principes gerunt; nullo autem iure licitum eſt fauere, & cooperari actioni iniquæ, & iniuſtæ; tum quia Summus Pontifex in ſua Bulla excommunicat eos, qui Infidelibus, vel Hæreticis à Sancta ſede denunciatis auxilium, & fauorem quomodolibet præſtant, qua loquendi forma videntur excludere omnem tergiuerſationem.

An Princeps poſsit impedire, & detinere victualia per cuius territorium Romam aduehuntur, vt illa in ſuorum commodum impẽdantur, dum in ſuo Principatu grauis Annonæ Charitas vrget?

BRACTEA LVII.

R. AFFIRMATIVE: & ita Hugolinus *cap.* 8. Duardus *lib.* 2. *can.* 8. *nu* 2. & alii. Ratio eſt, quia neceſſitas non habet legem, ſed ipſa facit ſibi legem, *cap. ſicut non de conſecrat. diſt.* 1. *& cap. quod non eſt licitum de regulis iuris*; tum quia metus grauis incommodi excuſat à Cenſuris, tum etiam quia *cap. diſcipulus de conſecrat. diſt.* 5. excuſat Chriſtus diſcipulos euellentes, & edentes ſpicas, quia id fame coacti faciebant: tum quia ordinata charitas à ſe ipſo incipit, & à proximioribus, etiamſi Romana Curia eſſet in pari neceſſitate, quia tunc melior eſt conditio poſſidentis. Si verò eſſet in extrema; & Principis ſubditi non eſſent in tali neceſſitate, tunc princeps non poſſet impedire, & retinere victualia. Ratio, quia priuatus in graui neceſſitate res alienas non poteſt ſibi applicare; ergo neq; Princeps poteſt in præfato caſu victualia, quæ Romam in commune bonum aduehuntur detinere, vt in ſuorum ſubditorum vſus impendant.

An Princeps obligetur ad reſtitutionem damnorum, quando cogit ſubditos, vel non ſubditos militare?

BRACTEA LVIII.

R. PRINCIPEM non obligari ad reſtitutionem damnorum cauſatorum ſubditis ſi eis ſtipendium ſoluit. Ita Petrus Nauarrus *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *num.* 270. & alii; ratio eſt, quia ſubditi tenentur obedire ſuo Principi, & eodem iure tenentur ſe damnis, & periculis belli exponere, quia

licet

licet Princeps non habeat dominum vitæ, nec membrorum ſuorum ſubditorum habet tamen regimen, & adminiſtrationem eorundem ſuorum ſubditorum in ipſorum bonum ac commune: ratione autem huius regiminis, & adminiſtrationis in eum finem poteſt illos exponere periculis, quantum recta ratio præſcribit, & poſtulat commune Reipublicæ bonum: poteſt item illos punire, etiam vitam in pęnam eis auferendo, ſi ita opus ſit, & mereantur eorum delicta, & efflagitet commune Reipublicę bonum, quę poteſtas à Deo iure naturali deſcendit. Ita Molina *de iuſtitia commutat tract.3.diſput.1.num.*8. Si non ſunt ſubditi, & Principes cogat eos militare, etiamſi ſtipendium ſoluatur, tenetur Princeps cogens ad reſtitutionem damni, quod inde patiuntur non ſubditi. Ita Petrus Nauarra *loco cit.* & Corduba *quæſt.39.pun.2.* Ratio, quia actione iniurioſa damnum eſt ſequutum non ſubditis, & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, Princeps cogendo cenſetur iniuſta cauſa damni dati; ergo obligatur ad reſtitutionem dãni ſequuti. Si verò Princeps non cogat, ſed tantum precibus, & ſuaſionibus moueat ad militandum non ſubditum Corduba *loco cit.* aſſerit etiam in hoc caſu Principem teneri ad reparanda damna, quæ ex bello paſſus eſt non ſubditus, at Petrus Nauarr. *loco cit.num.*272. docet non teneri. Ratio eſt, quia vocati, & rogati liberè, & ſpontè ad bellum proficiſcuntur: ſibi igitur imputare debent damna ſequuta.

An Principes poſſint occidere obſides, ſi qui eos tradidit, violet pactum?

BRACTEA LIX.

R. Non poſſe occidi obſides ſi ob aliorum culpam non ſeruetur pactum. Ita Molina *diſp.* 122. Bonacina *diſput.2 quæſt.vlt.§.3. de homicidio*. Ratio eſt, quia Exodi *cap.7.* habetur *inſontem, & iuſtum ne interficias*: obſes, qui non dedit cauſam frangendi pactum cenſetur innocens; ergò, &c. & licet non poſſint vita priuari, poſſunt tamen alijs pęnis puniri, ſpoliari, v. g. bonis, detineri, in ſeruitutem redigi ſi Chriſtiani non ſint, quæ omnia mouere debent, & poſſunt hoſtes ad ſtandum promiſſis. Secundò poſſe Principem per inſidias ſeclusis tamen mendacijs victoriam procurare, & ſtratagemate. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.40. art.3.* Molina *diſput.*111. Azorius 3. *part. lib.1. cap.7. quæſito* 14. & 15. Silueſter verbo *bellum quæſito* 8. *num.*9: Em. Sà verbo *bellum num.*15. Angelus eodem *verbo num.*17. & alij. Quod etiam probatur ex pluribus locis ſcripturæ Ioſuè *cap.*8. iuſſit Deus poneret inſidias, Deus autem nihil iubet iniuſtum.

An Princeps non capacibus ad militandum poſſit dare ſtipendia militum, & ius ea exigendi à Communitatibus cum alijs acceſſoribus correſpondentibus?

BRACTEA LX.

R. Negatiue. Ratio eſt, perſonæ ſimiles, ſicut non ſunt capaces militię, ita etiam non ſunt capaces ſtipendiorum militibus aſſignandorum pro actuali militia: vnde filis ea dando facit contra iuſtitiam; tum etiam quia Communitates iniuſtè his ſtipendijs grauantur, cum cogantur ſoluere onera ſuperflua, & cum maximo damno Communitatis, ſoluere ſtipendia perſonis, quæ militiæ non inſeruiunt, nec inſeruire poſſunt. Secundò Principem obligari ad reſtitutionem damnorum cauſatorum Communitatibus, & alijs perſonis priuatis, ob talia ſtipendia; ratio, quia facit contra iuſtitiam, & ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtitutionis, tum etiam, quia non habet ius exigendi tributum, niſi ex iuſta aliqua cauſa, vt in iſto caſu, ob militiam, quæ reſpectu harum perſonarum non datur, & per conſequens ſi Princeps confert ſtipendia illis, & eis aſſignet Communitates ad ſolutionem, facit contra iuſtitiam, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem damnorum cauſatorum cum iis exactionibus iniuſtè grauentur Communitates. Tertiò accipientes talia ſtipendia obligari ad reſtitutionem Communitatibus, & alijs perſonis, à quibus acceperunt. Ratio eſt, quia ea acceperunt contrà iuſtitiam, & iniuſtè detinent; ergo, &c. Quod ſi fuerunt conſumptę obligantur ad ęquiualens. Quartò Principes, qui ita aggrauant Communitates, ita vt non poſſint ſoluere debita ſuis particularibus creditoribus obligantur ad reſtitutionem damnorum creditorum Communitatis. Ratio eſt, quia iniuſtè aggrauando Communitates cenſentur cauſa damnorum creditoribus, cum ob grauamen nõ ſint ſuis creditoribus ſoluendæ Communitates, & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, & per conſequens obligantur ad reſtitutionem.

R. 2. Principem Clericis inſeruientibus bello in officio Capellani, Confeſſarij, &c. poſſe aſſignare ſtipendia militum, & ius ea exigendi à Communitatibus cum ſuis acceſſorijs, &c. Ratio eſt, quia iſti re vera inſeruiunt bello; etiam ſi non pugnent, cum inſeruiant militibus in officio Capellani, Confeſſarij, &c. & per conſequens poteſt Princeps illis aſſignare ſtipendia militum, & ius ea exigendi à Communitatibus.

R. 3. Poſſe Principem filijs militum veterum mortuorum, aſſignare ſtipendia militum, ſicut etiam poteſt ea aſſignare vxoribus militum, mortuorum in bello. Ratio eſt, quia ea aſſignando non violat iuſtitiam, cum remuneretur merita patrum, & virorum mortuorum in filijs, & vxoribus, ad quod Princeps tenetur.

R. 4. Poſſe Principem conciliarijs in cauſa belli, aſſignare ſtipendia militum, & ius ea exigendi à Cõmunitatibus, cum ſuis acceſſorijs. Ratio eſt, quia iſti licet actualiter non pugnent in bello, tamen moraliter concilium dando concurrunt ad bellum faciẽdum, cum militare non modo datur is, qui actualiter pugnat, verum etiam is, qui moraliter concurrit ad ipſum faciendum, cum bellum conſiſtat in actionibus phyſicis, & moralibus.

An Principes concedentes locum ad duellum incurrant excommunicationem?

BRACTEA LXI.

Affirmatiue reſpondeo; & colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25.de reformat.cap.*19. ex Bullis Pontificum, & præcipuè Clementis octaui, & aliorum. Secundò Principem Chriſtianum concedentem locum in ſuo territorio duobus infidelibus ad duellum non incidere in excommunicationem. Ratio eſt, quia ſicut infideles non ſunt ſubditi Eccleſiæ, qui ſunt principales in actione non

incurrunt

incurrunt excommunicationem, ita nec videtur incurrere Princeps, qui minus principaliter ad duellum cooperari videtur, incurrit autem ſi concedat locũ Chriſtiano pugnaturo cum infideli, quia Chriſtianus ipſe incurrit; ergo etiam Princeps, qui locum ad duellum concedit. Ita Sanchez in *ſum. lib.2. cap.36. num.29.* Tertiò licitum eſſe Principibus terminare bellum duello aliquorum. Ita Azorius *3. part. lib.2. c.5 q.3.* Nauarrus *cap.15. num.9.* Sanchez in *ſum. lib.2. cap.36 num.16.* Toletus *lib.5. cap.6.* Beccanus *tract. de fide cap.26 queſt.4.* & non ſolùm in bello aggreſſiuo, ſed etiam defenſiuo, & non modo quando Principes ſunt pares, verum etiam quando vnus eſt altero potentior.

An reſcripto Principis illegitimi legitimi fiant?

BRACTEA LXII.

R. Per reſcriptum Principis non ſolum naturales filios, ſed etiam ſpurios, & ex damnato concubitu genitos legitimis naturalibus reſtitui, ſicut etiam libertini redduntur ingenui, quoniam iure ſcripto extra legitimum matrimonium nati, fiunt inhabiles ad iura legitimorum, & proinde nutu, & indulgentia Principis poſſunt apti, & habiles effici ad iura legitimorum, ac proinde legitimatus priuilegio Principis habeatur pro legitimo. Ita Bartolus in *leg. ſi is, qui pro emptore ff. de vſu captione num.39.* & communiter omnes Doctores, quo fit, vt filius illegitimus legitimis natalibus reſtitutus tranſeat in patriam poteſtatem, & habeat iuſdicendi teſtamentum eſſe nullum, vel eſſe inofficioſum, quale ius eſt quoque filio legitimo; hinc etiam fit, vt talis filius ſuccedat Parentibus ab inteſtato, & ei debeatur legitima portio ex bonis Parentum: non poteſt tamen efficere Princeps priuilegio, vt illegitimus habeatur, ac ſi à principio ex legitimo matrimonio natus eſſet, quia Princeps non poteſt facere, quod is, qui extra matrimonium natus eſt, vel ex matrimonio non legitimo ortus, vt ex matrimonio legitimo ortus ſit, ſed ſolum efficit vt habeatur proinde, ac ſi à principio ex legitimo matrimonio natus eſſet: vnde legitimi facti non manent habiles ad ſpiritualia, niſi legitimentur à Papa, & per conſequens legitimatos à ſingulari Principe minime admitti ad Eccleſiaſtica beneficia, &c. ſed legitimationem Pontificiam eſſe neceſſariam, vt plures teſtantur apud Barboſam *collectanea Doctorum in partem primam Decreti.* Ratio, quia Principes Sęculares directè, vel indirectè ad ſpiritualia ſubditos ſuos legitimare non poſſunt. Ita gloſſ. in *cap.1. diſt.10.* gloſſ. vltim. in *cap.1. diſt.101.* Petrus Gregorius *Sintagmat. iuris lib.45. cap.7. num.11.* Suarez de *Cenſuris tom.5.* Sanchez de *matrim. lib.8. diſput.7. num.11.* Ratio eſt, quia Principes ſęculares directè diſponere de ſpiritualibus non poſſunt, cum temporalia ſpiritualia ſint ſubordinata, atque ita temporalis poteſtas ſubſit ſpirituali, & non è contra: vnde legitimatus à Principe, non poteſt ſuſcipere ordines, nec beneficia Eccleſiaſtica.

An Princeps ſuis ſubditis fidelibus poſſit impedimenta matrimonij ſtatuere?

BRACTEA LXIII.

R. Negatiue; & ita reſoluunt Thurecremata in *cap.1. queſt 3. art.6.* Couar. de *ſponſal. part. 2. cap. 6. §.10. n.16.* Sotus in *4. diſt 42. queſt.2.* Brunel. de *ſponſal. concluſ. 29 n.1.* Petrus de Ledeſma de *matrimon. queſt. 15. art.1.* Bartholomæus à Ledeſma *dub.29. de matrim. concluſ.3.* Henriquez in *ſum. lib.2. de matrim. cap.1. §.4.* Sanchez cum alijs ab eo citatis de *matrim. lib 7. diſp.3 n.2.* Ratio eſt, quia cum matrimonium ſit ſacramentum Princeps, nihil poteſt circà ipſum ſtatuere, cum non habeat auctoritatem circà ſpiritualia, ſed ſolus Papa in ſpiritualibus habeat facultatem.

An Princeps ſtatuendo pretium legitimum poſſit excedere limites pretij iuſti naturalis.

BRACTEA LXIV.

R. Principem, vel Rempublicam ſtatuendo pretium alicuius rei, vt rationabile ſit, ſtatuendum eſſe intra limites pretii iuſti naturalis. Ratio, quia poteſtas publica ad hæc tantum ſe extendit, vt ferat legem rationabilem, & ęquam, quamuis pretium legitimum non poſſit eſſe ita adęquatum, vt in nullo deficiat, vel excedat à pretio naturali: attamen debet eſſe huiuſmodi, vt arbitrio expertorum ſit tale, quo ſolent vendi res mediocres in illo genere, non autem optimæ, vel peſſimæ. Secundò Principem poſſe taxare valorem rei minori pretio, quam eſſet infimum naturale ante conſtitutionem, non tamen minori, quam ſit iuſtum naturale in ipſa conſtitutione, vel poſt illam. Ratio prioris partis eſt, quia ad ſubleuandas neceſſitates pauperum id videtur iure fieri poſſe; ratio ſecundę partis eſt, quia lex taxans valorem alicuius rei debet eſſe iuſta, & non poteſt eſſe iuſta, niſi conſideratis omnibus circunſtantiis iudicio peritorum æqua ſit, & conformis rationi, ſequitur etiam quod pretium à lege taxatum conforme erit iuſto pretio naturali, quia tunc ratio naturalis dictaret pretium, quod ante erat iuſtum non concurrentibus talibus circunſtantiis, & poſteà auctis, debere variari id poſtulante bono communi, non tamen minori infimo iuſto tunc temporis quando conſtituitur.

An Princeps ſtatuendo pretium obliget Clericos ad illud ſeruandum?

BRACTEA LXV.

R. Affirmatiue, quia licet Clerici non ſint ſubiecti legibus Principum laicorum, cum non habeant iuriſdictionem in ipſos *cap. decernimus de re iudicata, & cap. Eccleſ. S. Mar. & cap. Seculares de foro compet.* tenentur tamen ſeruare leges vi directiua concernentes bonum commune, & non repugnantes libertati Eccleſiæ. Nauarrus in *manuali cap.23. nu 88.* Valentia *tom.4. diſp.9. queſt.7. pun.4.* Clauis regia *lib.4. cap 4. n.16.* Suarez *lib.3. de legib. cap. 34.* Azorius *par.1. lib.5. cap.12.* Molina *tract. 2. diſput. 31.* Rodriquez *tom.1. queſt. 16. art. 24.* Salas *diſput.14. ſect.*

*ſect.*8.*nu.*101. Vaſquez *part.*2.*diſput.*167. Em. Sà verbo *lex n.* 11. & alij, quam plures: teneri tamen vi directiua ad illas quatenus coniunguntur cum lege naturali, & Diuina, quia etiam Clerici tenentur vendere res iuſto pretio, & communi: pretium autem iuſtum, & commune ſit id, quod à Principe taxatum eſt, ſequitur etiam eos teneri ad illud ſeruandum. Vnde contra facientes peccant contrà iuſtitiā, & conſequenter tenentur ad reſtitutionem: cum iure naturę teneantur vendere rem iuſto pretio: Suarez *loco cit.* Molina *tract.* 2.*diſput.* 31. Salas *loco cit. ſeſſ.* 10.

An Princeps poſſit cogere Clericum, vt triticum ſuum vendat, ſi ad id neceſſitas cogat?

BRACTEA LXVI.

R. Si talis neceſſitas ſerit, vt periculum ſit in mora recurrendi ad ſuperiorem Eccleſiaſticum, & fames, aut alia neceſſitas vigeant in tali caſu, Princeps, aut magiſtratus poterunt frumentum ſequeſtrare, & ab horræis Clericorum extrahere, & vendere, non vi iuriſdictionis, ſed ob inſtans periculum de facto iuris. Secus autem non poſſunt ſi commodè recurſus erit ad ſuperiorem Eccleſiaſticum ex *cap. non minus*, & ex *cap. aduerſus de immunit. Eccleſiaſtica*, quia Sæculares nullam habent iuriſdictionem in Clericos, ergo neque publica neceſſitas, ſeu vtilitas iuriſdictionem illis prębet; & ideò tempore penuriæ non poſſunt compelli vendere frumētum, & alia ad victum neceſſaria, ſed per Iudices Eccleſiaſticos compelli debent. *Cap. non minus* gloſſ. *cap. generaliter* verbo *neceſſitatis* 16. *quæſt.* 1. & plures citati à Belletto *diſquiſit. Clerical. par.* 1. *lib.* 5. §. 2. *n.* 9.

Secundò Clericum teneri obſeruare ſtatutū Principis de valore monetæ, nec ipſas poſſe expendere ſuprà taxam, cum teneantur eas expēdere iuſto pretio: iuſtum autem pretium videtur, quod lege decernitur, & ſi aliter facerent peccarent contrà iuſtitiam Molina, & Salas *locis* ſuprà citatis.

An Princeps ſuis ſubditis poſſit imponere tributum?

BRACTEA LXVII.

R. Principem, qui in ſuo Principatu nullum ſuperiorem agnoſcit vectigalia, & tributa imponere poſſe. Ratio, quia cū à Populo auctoritatē accipiat illiuſq; curā gerat par eſt, eſt à Populo exigat vectigalia, & tributa neceſſaria ad ſuſtētationem ſuæ dignitatis, ſtatus, & ad gerendam Populi curam. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 2. Salon *tom.* 2. *art.* 3. *de vectigalibus*, Molina *diſput.* 666. Salaz *de legib. diſput.* 15. *ſect.* 10. *n.* 118. Suarez de *legibus lib.* 5. *cap* 14. Toletus in *ſum. lib.* 1. *cap.* 21. Nauarrus *cap.* 27. *nu.* 60. Vaſquez in *opuſc. cap.* 6. §. 1. *dub.* 1. Principes cognoſcentes ſuperiorem in ſuo Principatu, aut in adminiſtratione, vt Proreges, Marchiones, &c. non poſſunt imponere tributa, aut vectigalia abſque conſenſu ſuorum ſuperiorum.

R. 2. tria requiri, vt Princeps poſſit imponere iuſtè tributum. Primò legitima auctoritas imponendi tributa, quæ reſidet apud Principes non cognoſcentes ſuperiorem. Secundò requiritur iuſta cauſa, quæ eſt neceſſitas Principis, vel alia iudicio ipſius eſſet Principis. Tertiò requiritur, vt ſeruetur proportio, vt imponatur, & diuidatur iuxtà vires facultatis, & non magis grauentur, quam par, & iuſtum ſit Leſſius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 1. Suarez *loco cit. cap.* 16. Salas *loco cit.* Vaſquez *loco cit. dub.* 1. & 2. & alij communiter.

An quando dubitatur de iuſtitia vectigalis ſubditus teneatur illud ſoluere?

BRACTEA LXVIII.

R. Etiam tunc vectigal eſſe ſoluendum: ratio eſt, quia in dubio negatiuo præſumendum eſt vectigal iuſtè eſſe impoſitum dubiū negatiuum illud eſt, quando ſubditus manet anceps, nec habet rationē aliquam probabilem ad credendum vectigal iniuſtè impoſitum eſſe; nam quando habeat rationem probabilem dicetur, infrà quid agendum.

Secundò, non modo in dubio negatiuo, ſed poſitiuo etiam ſoluendum eſt vectigal, quando Princeps eſt iam in poſſeſſorio exigendi vectigalia, cum nullus in dubio priuandus ſit ſua poſſeſſione. Ita Em. Sà verbo *gabella nu.* 4. Arragonius *quæſt.* 62. *art.* 3. & alij.

Sciendum dubium eſſe, an quando Princeps imponit tributum de cuius iuſtitia habet opinionem probabilem, & ſubditus, etiam habet opinionem probabilem de iniuſtitia ipſius, poſſint ipſum fraudare? Prima opinio aſſerit poſſe ſubditos ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo vectigalia fraudare; & ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 9. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *ſect.* 1. *nu.* 374. Sanchez in *opere morali tom.* 2 *lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 7. Sancius *diſp.* 23. *n.* 35. Megala in 2. 2. *lib.* 2 *cap.* 17. *quæſt.* 8. *n.* 131. & 132. Nauarrus de *reſtitut. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 261. Salon *tom.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 4. *controu.* 2. Vega in *ſum. part.* 1. *cap.* 15. *caſ.* 11. Malderus in 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 4. & alii. Ratio eſt, quia quando opiniones ambæ ſunt probabiles, tributi cauſam eſſe iuſtam, nec ne, exigit Princeps iuſtè, & etiam Populus negat iuſtè; tum etiam, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: at Populus in hoc caſu poſſidet; ergo, &c. ſed.

R. etiamſi Populus habeat opinionem probabilem de iniuſtitia tributi, nihilominus teneri in conſcientia ſoluere tributum. Ratio, quia in dubiis pro Principe præſumendum, tamen quia Populus de iniuſtitia tributi habet opinionem probabilem fraudando tributum peccaret quidem, ſed non obligaretur ad reſtitutionem; & ita Suarez de *legib. lib.* 5. *cap.* 18. *n.* 20. Vaſquez de *reſtitut. cap.* 6. §. 3. *dub.* 5. *n.* 78. Thurrianus in 2. 2. *tom.* 2. *diſput.* 46. *dub.* 6. *n.* 5. & alii. Tum etiam, quia opinio Principis de iuſtitia tributi aliis eſt anteponenda.

Quæ conditiones requiratur ad impoſitionem iuſti tributi?

BRACTEA LXIX.

R. Dvas conditiones requiri: prima ex parte cauſæ finalis, nempè quod imponatur propter publicam vtilitatem: ſecunda ex parte cauſæ formalis, ſcilicet vt tale tributum imponatur proportionabiliter, & ita Thurrianus in 2. 2. *tom.* 2. *diſput.* 44. *dub.* 1. & 2. Suarez de *legib. lib.* 5. *cap.* 14. *nu.* 16.

Reginal-

Reginaldus in *praxi tom.1.lib.10.cap.25.num.372.* Ledeſma in *ſum.tom.2.tract.7.cap.22.* Malderus 2 2 *tract.5.cap.6.dub.2.* Layman *lib.3.ſect.5.tract.3. part.1. cap.3. nu.2.* Siluius in 2.2. *quaeſt.66.art.8.concluſ.1.* Arragon. ibidem *quaeſt.62. artic.3.* Petrus de Arragona ibidem *quaeſt.77. artic.3.* Valentia *tom.3. diſput.5. quaeſt. 6. pun.5.* Bonacina de *contractib diſput.2.quaeſt 4.pun.1.n 2* Leſſius *lib.2 c.33.dub.1.& 2.* Salas *de legib. quaeſt.96. tract.14.diſput 15.ſect.10.num.118.* Vaſquez de *reſtit cap.6 §.2.dub.1.& 2.* Molina de *iuſtit.tract.2.diſp.667* & alij.

Secundò, Principem imponentem tributum ſine cauſa peccare. Ratio eſt, quia cenſetur iniuſtè aggrauare ſubditos, & vt tributum iuſte imponatur, & exigatur, debet habere cauſam impoſitionis, & exactionis.

Tertiò, Ceſſante cauſa, ob quam fuit impoſitum tributum, nec alia ſubſiſtente, ceſſare etiam tributū, nec poſſe amplius exigi, & ſi exigatur, iniuſte exigi quando verò ceſſante cauſa ſolum per accidens, & Princeps facit, quod in ſe eſt, vt impediat damnū, propter quod impediendum impoſita fuerunt vectigalia, aut paratus eſt prouidere ne damnum de nouo conſurgat, remanet obligatio ſoluendi tributum, nam iuſtè exigitur, v. g. ſi Princeps exigat tributum ad defendendas vias à latronibus, quas interim contingit ab eiſdem non obſideri, iuſtè illud exigit ſi paratus ſit eas defendere adueniente neceſſitate. Ita Suarez *lib.3.de legib.cap.5.* Vaſquez in *opuſc.§.3.dub 4 & 5.* Molina *diſput 657.* & alij, quia vt tributum iuſtè imponatur, & exigatur ſatis eſt, quod cauſa remaneat, licet non ad ſemper, & accidenti aliquo deſinat eſſe, ſeu permanere.

Quartò, Impoſitionem tributi factam à Principe regulariter cenſeri iuſtam, quia tunc cenſetur impoſitum ob commune bonum, & neceſſitatem Principis. Ita Thurrianus in 2 2.*tom 2.diſput 46.dub 1. n.5. & 6.* & Vaſquez de *reſtitut. cap.6. §.1.dub.1.num.7.* & alij.

An ſi Princeps ob immoderatas largitiones, iniuſta bella &c indigeat, poſſit iuſtè imponere tributum?

BRACTEA LXX.

R. Poſſe imponere tributum, & impoſitionē eſſe iuſtam, & in tali caſu tenentur ſubditi largiri omnia neceſſaria ad defenſionem, & conſeruationem Reipublicæ, & id quod neceſſariū eſt ad Principis ſuſtentationem conſiderata illius dignitate. Nam totum hoc poſtulat bonum publicum. Et ita tenent multi Doctores. Leſſius *lib. 2. cap.27.dub.6.n.48.* Malderus in 2 2.*tract.5 cap.6.dub 4.* Turrianus in 2 2 *tom.2.diſp 44 dub.4 n 5.* Molina de *iuſtit. tract.2.quaeſt.663.n.4.* Vaſquez de *reſtitut cap.6. §.1.dub.2. n. 24* Molfel. in *ſum tom 2.tract.12.cap 24. n.72.* Diana *tract.3. de parlamento reſolut. 4.* obligari tamen Principem excidere omnes ſumptus parùm neceſſarios, & in poſterum continere ſe à prodigalitatibus; & ita ſuprà citati. Quod maximè notandum eſt à confeſſarijs Principum.

Pro quibus rebus Principes poſſit imponere tributum?

BRACTEA LXXI.

R. Poſſe imponere pro mercibus ſiue rebus, quæ cauſa negotiationis aduehuntur. Vnde fraudantes vectigalia impoſita pro mercibus peccant contra iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem. Ita Siluester verbo *Gabella*, Toletus *lib.5. cap. 37.* Molina *tract 2 diſp.34* Leſſius *lib.2 cap. 33. dub 8.* Bannes 2.2 *quaeſt.62 art 3* Clauis regia *lib. 9 cap 16. n. 30.* Couar. *regula peccatum 2 part.§.5.* Secundo iuxta conſuetudinem introductam, tributum ſoluendum eſſe, etiam pro rebus vſualibus. Si ita vrgebit neceſſitas. Ita Gabriel *in 4 diſt,15.* Silueſter *verbo Gabella* Molina *tom. 3 diſp 669.* & plures alij, quos citat Suarez *lib.7.de legibus cap.26.* & alij. Tertiò Principem poſſe exigere, etiam ab exteris tributum. Ratio, quia ſic legitima conſuetudine introductum eſt; tum quia onus compenſatur per protectionem, quia mercatores exteri proteguntur à ſuperioribus illius loci, dum ibi exiſtunt; tum etiam quia ſi non ſoluerent vectigal eſſent melioris conditionis, quam incolæ loci. Molina *diſp.688 & 689.* Vaſquez in *opuſc. cap. 9.§.1.dub.2.n 32* Suarez *lib.3.de leg.cap.33.n.12.* Medina de *reſtitut.cap.15.* & alij.

An Princeps poſſit imponere gabellas Clericis non habentibus requiſita conſilij?

BRACTEA LXXII.

R. Affirmative: ratio, quia Clericus ad hoc, vt gaudeat tali priuilegio non ſoluendi gabellas, non ſolum debet incedere in habitu, & tonſura: ſed etiam eſſe aſcriptus ſeruitoti alicuius Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, vel de eius licentia eſſe in aliqua vniuerſitate, vel ſeminario ſtudij, vel educationis gratia. Nam has conditiones requirit Concilium Tridentinum; & ita Layman in Theolog. morali *lib. 4 tract 9 n. 3.* Suarez contrà Regem Angliæ *lib 4.cap.27 n 14.* Azotius *3.part. lib. 7.cap.19.quaeſt.6* Homobonus de *exam. Eccleſiaſticor. part.2.tract.4 cap 29.quaeſt.120.* Filliucius *tom 2.tract 16 cap 11.n.298.* Reginaldus *tom.1.lib.9 cap.25.n.376.* Coriolanus in *expoſ. Bulla Cœnę Domini excomm. 18* Altetius de cenſuris *tom 1.diſp 19 lib 7.cap.6. dub. 10* Barboſa in *collectan. tom. 1. lib.3.tit.19.cap.7 n 7.* vnde ſequitur Clericos non habentes requiſita Concilij, à iure non gaudere priuilegio fori, & immunitatis, ſed canonis ſolum.

An Princeps poſſit imponere tributum ſuper bona Patrimonialia Clericorum?

BRACTEA LXXIII.

R. Principem ſuper bona Patrimonialia Clericum non poſſe imponere tributa, & onera extraordinaria. Ita *cap Eccleſiae 12. quaeſt.2. cap. ſimiliter* vbi gloſſ. verbo *Eccleſ.16. quaeſt. 1. cap. 1. §. volentes & cap. Clericis §. nos igitur*, & ita Duardus in Bulla Cœnę *lib.3.cap 18. quaeſt 7.* Leſſius *lib.2 cap.33. n.19.* Molina *tom 3.tract.2 diſp 31.n.2* Reginaldus *tom. 1.tract.16.cap.11.nu.297.* Layman *lib.4.tract.9.cap 6.n.*

9. Riccius *part. 2. deciſ. 299. nu. 3.* Silueſter verbo *immunitas 1 nu. 16.* Alterius de cenſuris *tom. 2. diſp. 19. lib. 5. cap 8. dub. 2.* & alij plures. Ratio eſt, quia res Clericorum gaudent eodem priuilegio, quo res Eccleſiarum gloſſ. in *cap. Eccleſia S. Mariæ verbo Eccleſiaſticis* in *cap. Epiſcopus verbo ſubſidium de præbendis* in *cap. ex litteris verbo obligat de pignor.* & in *cap. ſimiliter verbo Eccleſ. 16. quæſt. 1.* Secundò Principem non poſſe imponere, & exigere tributum pro bonis ad Clericos quocumque titulo deuenientibus. Ratio eſt, quia huiuſmodi onus corruit, vbi bona perueniunt ad Eccleſiaſticos; & ita auctores citati, & plures alij citati à Belletto *diſquiſit. Clerical. part. 1. tit. 5. §. 3.* Tum etiam, quia res non priuilegiata, quando peruenit ad priuilegiatas perſonas aſſumit eorum priuilegiũ *cap. vnico de iure Patronatus in 6.* Abbas *conſil. 9. nu. 8.* & in mutatione Perſonæ mutatur onus, & priuilegium; ſi ergo perſona eſt exempta bona etiam exempta dicuntur, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. *Cap. acceſſor. de regul. iuris in 6.* & in collectis imponendis mutata perſona mutatur ſtatus rei, & conſideratur qualitas noui poſſeſſoris, & quia collecta eſt munus, quod imponitur perſonæ pro rebus, ideò cum Clericus ſit perſona priuilegiata, & exempta erunt etiam res ipſius exemptæ, quia eius perſona inſpicitur; nec refert dicere, quod bona ſint allibrata, & per conſequens hypothecata etiam pro oneribus extraordinarijs, quia allibratio non afficit prædium, niſi poſtquam impoſita eſt collecta; neque poſſunt dici bona hypothecata pro ſolutione onerum antequam collecta imponatur, quia obligationi incertæ hypotheca non accedit *leg. inter debitor. ff. de pactis* Menantius de *pignorib. lib. 4. num. 125. caſu 10.* Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 11. num. 244.* Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 19. q. 8.* Alterius *tom. 1. diſp. 19. lib. 5 c. 6.* Souſa in Bulla Cœnæ *cap. 19. diſput. 92. num. 5.* Molfeſius in *ſum. tom. 2. tract. 12. cap. 22 num. 167.* Turrianus *tom. 2. in 2. 2. diſput. 44 dub. 4. n. 13.* Molina *tom. 3. tract. 2. diſput. 672.* Layman in Theolog. morali *lib. 4 tract. 9. cap 6 num 5.* Malderus in 2. 2. *tract. 5. cap. 6. dub. 9.* & plures alij.

An Princeps poſſit exigere à Clericis onus certum, & inuariabile pro bonis ad ipſos, quocunque titulo deuenientibus.

BRACTEA LXXIV.

R. PRINCIPEM poſſe imponere, & exigere tributum, ſiuè onus aſſinum rei certum, & inuariabile, quæ quocunquè titulo, ſiuè contractu ad Clericos peruenit. Ratio eſt, quia res, quæ per contractum donationis, vel emptionis, vel alio titulo peruenit ad Clericos non efficitur libera à ſolutione illius oneris; ergo Clerici ad huiuſmodi onus tenentur. Ita *cap. ſi tributum, & cap. magnum 11. quæſt. 1. cap. conuenior,* & *cap. tributum 23. quæſt. 8. lib. 1.* & plures citati à Belletto *diſquiſit. Clerical. part. 1. titulo 5. § 3.* Ratio, quia onus rei tranſit cum ſua cauſa. *leg. Iulianus, leg. Cotm.* Rebuffus in *leg. ſi diuina, num. 3. C. de exact. tribut.* Fellinus in *cap. Eccleſia S. Mariæ, nu. 77.* & *conſil. 46. num. 17. & 18.* Abbas in *cap. non minus dub. de immunit. Eccleſiæ.* Olaſcus *deciſ. 113.* & plures alij; ſi autem huiuſmodi onus non eſſet ordinarium, neque annexum, nec perpetuum, ſed variabile, prout ſunt deſcriptiones, quæ fiunt hodie, qua æſtimantur bona cuiuſcunque, vt pro illis ſoluatur plus, & minus, ſecundum impoſitionem Collectæ v. g. pro hoſpitio dando militibus &c. tunc ad iſta onera non tenentur Clerici, ſed corruit huiuſmodi onus, vbi bona perueniunt ad Eccleſiaſticos, vt ſupra dictum eſt.

An Princeps propter reparationem Pontium, murorum Ciuitatis, poſſit Clericis imponere tributum?

BRACTEA LXXV.

R. QVANDO reparatio Pontium reſpicit tàm bonum Clericorum, quàm laicorum, tunc de conſenſu Epiſcopi ſi non datetur facilis recurſus ad Papam, Princeps poteſt Clericis imponere tributum, & Clerici tenentur concurrere ad ratam, quando talis reparatio expenſis Principis, ſiuè Communitatis fieri non poteſt: Si verò æqualiter non reſpicit bonum Clericorum, vt reſpicit bonum laicorum tunc Princeps non poteſt exigere tributũ, nec Clerici tenentur ipsũ ſoluere, quia principaliter nõ tangit Clericos, nec æqualiter, ſed ſolùmodo ſecũdariò; Si verò talis reparatio fit ſolùmodo ad põpam, ſeu voluptatem, Clerici non obligantur contribuere, cum non cenſeatur ordinata ad eorum vtilitatem, ſed ſolum ad voluptatem laicorum. Ita plures citati à Diana *tract. 3. de Parlament. reſolut. 22.* & ab alijs.

Secundò, Principem non poſſe exigere à Clericis collectam impoſitã pro fortificatione Ciuitatis, &c. niſi ſponte illam ſibire velint approbante Epiſcopo, & Clero, conſultoquè Romano Pontifice, & vbi laicorum non ſuppetunt facultates. Ita Bellettus *diſquiſit. Clerical. part. 1. tit. 5. §. 2. n. 5.* & cum eo plures citatis requiritur conſenſus totius Cleri, quia quod omnes tangit, particulariter ab omnibus approbari debet, nam licet Clerici non teneantur ad onera Belli, vt ad excubias mœnium Ciuitatis, ſeu ad alia onera, tenentur tamen ſi immineat neceſſitas, & Principis burſa ſit exhauſta, & laicorum facultates non ſuppetant, & agatur de defenſione neceſſaria Patriæ: requiritur tamen auctoritas Papæ, niſi tanta eſſet neceſſitas, vt non poſſet ſine ſcandalo, & periculo recurſus haberi ad Papam, quia in tali caſu ſufficeret conſenſus Cleri cum Epiſcopo. Abbas in *cap. non minus* Marta de iuriſdictione *part. 4. caſ. 1. nu. 51. & caſ. 9. num. 6.* & quod dicitur de neceſſitate publica dicitur etiam de neceſſitate præciſa, cui aliter nec prouideri nec occurri valeat, niſi per collectam, & onus Clericis impoſitum, quia in tali neceſſitate nullus cuiuſcunquè Ordinis, vel dignitatis, vel ſacroſancta Eccleſia excuſationem habet. *leg. Nullus, Cod. de curſ. publ. lib. 12.* Abbas in *c. præuenit, lib. 3. 5. & 6. C. de immunit. Eccleſiaſt.*

Sciendum, quod in caſibus, in quibus Clerici tenentur ad ſupradicta onera fieri debet compulſio p Iudicem Eccleſiaſticum competentem ipſorum Clericorum. *cap. non minus.* Abbas de *immunit. Eccleſ.* gloſſ. in *cap. generaliter verbo neceſſitatis 16. quæſt. 1.* & alij plures citati à Belletto *loco cit.*

An

An Princeps poſſit imponere gabellas ſuper bona Clericorum; qui fraude non animo perſeuerandi, aſſumpſerunt habitum Clericalem?

BRACTEA LXXVI.

R. QVOD ſi conſtat de fraude Princeps poteſt ſuper bona eorum imponere tributum. Ratio eſt, quia reuera non ſunt Eccleſiaſtici, cum non aſſumpſerint habitum animo perſeuerandi, nec reuera in præſens, & in futurum poſſunt dici Clerici, non in præſens ex defectu conſenſus, & intentionis Clericandi, non in futurum cum non habeant intentionem aſcendendi ad ordines maiores, ſed iterum redeundi ad ſtatum laicalem; & ideò eorum bona non debent gaudere priuilegio fori, cum ſit priuilegium propriè Clericorum, non autem eorum, qui fictè, & fraude aſſumunt habitum Clericalem, & per conſequens eorum bona cum non ſint Eccleſiaſtica non gaudent priuilegio immunitatis; ſecus autem dicendum erit ſi accepiſſent habitum intentione perſeuerandi, & poſteà recepto habitu mutaſſent voluntatem, quia reuera eſſent Clerici, & ideò gauderetquolibet priuilegio Clericali.

An Clericus, qui fictè aſſumpſit habitum Clericalem poſt patratum delictum poſſit à Principe puniri? Reſpondeo diſtinguendo, vt ſuprà, vel iſte Clericus, qui fictè aſſumpſit habitum Clericalem non habuit intentionem Clericandi, vel habuit: Si non habuit; patrato delicto poteſt à Principe puniri. Si conſtat ipſum non habuiſſe intentionem clericandi quia reuera non eſt Clericus ex defectu intentionis, & fraus nulli debet patrocinari. Imola verbo *Clericus num.6.* Gomez *3.variar.cap.10.* Molina *tract. 3. diſput.49.nu.21.* Menochius de *præſumptionibus lib.6.q.76.num.37.* Gutier *lib.2.practicarum quæſt.quæſt.5.* Ambroſinus *cap.19.num.5.* & alij ſecus autem dicendum erit ſi non conſtaret eum non habuiſſe intentionem, quia in foro externo haberetur, vt Clericus, & per conſequens gaudet priuilegio Clericali; ſi verò tũc habuit intentionem clericandi, & poſteà mutauerit volnotatem gaudet priuilegio fori, & per conſequens à laica poteſtate puniri non poteſt, quia reuera eſt Clericus.

An Princeps poſſit imponere tributum Colonis Eccleſiaſticorum?

BRACTEA LXXVII.

OSASCVS in deciſionibus Pedemontanis, *deciſ.83.& 116.* & alij affirmant, Principem poſſe, q̃a Coloni Eccleſiaſticorũ sũt ſubditi Principibus, & per conſequens onera impoſita ab ipſo tenentur ſoluere; alij verò apud Bellettum *diſquiſ. Clerical. tit. 5.* negant Principes poſſe imponere, & exigere tributum à Colonis Eccleſiaſticorum, eoſque eſſe immunes à ſolutione gabellarum, &c. tàm realium, quàm perſonalium; nec etiam teneri ad onera mixta; quæ imponuntur perſonis pro rebus, qualis eſt hoſpitatio militum, &c. & ad alia onera bellica, ad quę non tenentur Eccleſiaſticorum Coloni. Abbas *conſil.9.* Antoninus *variar. reſolut.lib. 1. reſolut.111.num.17.* quia cum Colonus non ſit Dominus, neque poſſeſſor prædij grauari non poteſt. Nata *conſil.419.* quia ſi grauarentur eſſet contra bonum Eccleſiæ, quia retraherentur homines à cultu bonorum Eccleſiaſticorum; & ideò.

R. Iuxta hanc opinionẽ Colonos Clericorum eſſe immunes à ſolutione gabellarum, collectarum, atq; aliorum onerum, tàm realium, quàm perſonalium. Et ita Doctores citati à Belletto *loco cit.* Quod ſi vltra bona Eccleſiaſtica, quæ colunt, habeant etiam propria bona nomine proprio allibrata, tune non excuſantur ab onerum ſolutione ratione dictorum bonorum. Ita Rebuffus in *leg.2.num.2.& 3.* Bartolus *num.1.C.de agricol.& cenſit.lib.11.*

An Princeps Colonis Eccleſiaſticorum poſſit imponere tributum pro quota fructuum, quos colligunt?

BRACTEA LXXVIII.

R. TRIBVTVM, quod pro fructibus Colonis Eccleſiaſticorum imponitur, vel imponitur pro fructibus, qui ex fundis Eccleſiaſticorum percipiuntur, aut ſolum pro parte colonica ſeparata à ſolo: ſi primò modo imponitur tributum, Coloni Eccleſiaſticorum non tenetur illud ſoluere, ſed immunitate gaudent, quia huiuſmodi onerum impoſitio in damnum Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticorum vergit, conſequenter huiuſmodi onere grauantur Eccleſiaſtici: ſi verò imponitur pro parte colonica ſeparata à ſolo, Coloni Eccleſiaſticorum tenentur illud ſoluere; quia in iſto caſu non ſunt immunes, quia fructus ſeparati à ſolo Eccleſiaſtico non ſunt amplius ſub dominio Eccleſiæ, ſed ſpectant ad colonos, & conſequenter; laicæ poteſtati ſubijciuntur, ſicut ipſi coloni, propter quod de illis, vt de rebus profanis poteſt Princeps exigere vectigal. Anacharch. in *cap.quamquam* Surdus *conſil.301.* Menochius de *arbitrarijs caſ 580.* & *caſu 562. num. 35.* Burlatus *conſil. 25.num.3.* & *conſil.42 num.4.* Alterius *diſput.19. cap.6. dub.5.* Federicus de Senis *conſil.111. num.9.* Similiter poſſe Principem imponere tributum conductoribus bonorum Eccleſiaſticorum, ſi imponatur pro fructibus ſeparatis à ſolo, quia fructus collecti ſunt proprij conductorum, aliamque ſumunt naturam, ac quando erant ſolo coniuncti. Baldus *conſil.30.* & talis impoſitio non vergit in damnum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum, quorum bona conduxerunt.

An Princeps poſſit imponere vectigal ſuper bona Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum, quę Laicis ſunt in emphyteuſim data?

BRACTEA LXXIX.

R. PRO directo dominio, ſiue ratione prædij Eccleſiaſtici non poſſe Principem imponere vectigal ſuper bona Eccleſiarum, ſeu Eccleſiaſticorum, quæ Laicis ſunt in emphyteuſim data. Ratio eſt, quia talia prædia ſunt immunia à collectis, & tributis, & per conſequens non poteſt ſuper ipſa bona vectigal imponere, nec emphyteota tenetur ipſum ſoluere. Ita plures citati apud Bellettum loco cit. §.8. *num. 5.*

Secundò Principem poſſe pro dominio vtili, vel pro fructibus vectigal imponere, & per conſequens emphyteota tenetur ipſum ſoluere. Ratio eſt, quia priui-

priuilegium immunitatis conceſſum eſt Eccleſiaſticis, & ipſorum bonis, & fructibus: bona autem emphyteutica non ſunt Eccleſiaſticorum quo ad dominium vtile, quia per contractum emphyteuticum dominium vtile, quod eſt ſeparatum à dominio directo, in emphyteuticam laicum translatum eſt, conſequenter ad ipſum pertinent fructus, & per conſequens, tàm fructus, quàm dominium vtile ſubiectum eſt iuriſdictioni Principis ſæcularis; tum quia collectæ principaliter imponuntur perſonis, Secundariò rebus. *leg. reſcripto. & leg. fieri ff. de muneribus, & honoribus*. Sed emphyteuticæ ſunt perſonæ Laicæ Principibus ſubiectæ, & ad ipſas præfati fructus pertinent; ergo Princeps poteſt imponere ipſis collectas pro dictis bonis, & imponendo non incurrit excommunicationem Bullæ; ſicut etiam neque incurrunt exigentes. Et ita Fellinus in *cap. Eccleſia S. Mariæ num. 9 de conſtitut.* Nata *conſil. 114. num. 18.* Boerius *deciſ. 214. num. 19.* Velaſcus de *iure emphyteutico quæſt. 17. num. 11.* Alterius *diſput. 19. c. 16. dub 6.* Surdus *conſil. 338. dub. 13 volum 3* Filliucius *tract. 16. cap. 11. num 302.* Caualcanus *deciſ 44. num.* 100. Menochius de arbitrarijs *caſu 180. & caſu 562.*

Quod tamen intelligendum eſt cum duplici limitatione: prima modo id fiat ſine damno Domini directi, qui bona in emphyteuſim conceſſit, quia alioquin ipſe Dominus directus indirectè grauaretur, vt ſi prædia ob huiuſmodi onus, minori pretio in emphyteuſim concedere cogeretur. Ita Odo *conſil. 70. num. 6.* Berous *conſil. 130. & 131. lib. 1.* Nata *conſ. 114.*

Secunda, vt minori onere, & collectis grauentur propter onus Canonis, quia alioquin emphyteutica plus cæteris grauaretur, aut ipſe Dominus directus grauaretur, qui non poſſet bona ſua conſueto pretio in emphyteuſim concedere.

An Princeps poſt conſuetudinem poſſit Eccleſiaſticis collectas imponere?

BRACTEA LXXX.

R. Negativa, etiamſi conſuetudo ſit longæua, vel immemorabilis. Ratio eſt, quia huiuſmodi conſuetudo eſſet contra libertatem Eccleſiaſticam, & irrita eſſe, denonciati præcipiuntur per totam Italiam omninò ſtatuta, & conſuetudines contra libertatem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticas perſonas inductæ; tum quia Laici incapaces ſunt iuris in Eccleſiaſticos: poteſtas autem imponendi collectas, & onus Eccleſiaſticis ſupponit ius in Eccleſiaſticos; tum quia bulla non obſtante quauis conſuetudine excommunicat eos, qui collectas, & onera Eccleſiaſticis imponunt, ſine ſpeciali Summi Pontificis facultate, idq; habetur expreſsè in *cap. quamquam de cenſibus*. Ita Ruinus *conſil. 117. tom. 4.* Berous *conſil. 31. num. 17.* Surdus *conſil. 41. tom. 1.* Filliucius *tract. 16. cap. 11. quæſito 2. num. 293.* Suarez *lib. 4. de immunit. cap. 35.* Reginaldus *lib. 9. num. 381.* Duardus *quæſt. 20. num. 5.* & alij.

An Princeps poſſit Iudæis concedere priuilegium impunitatis, ſi ſub Chriſtiano nomine vixerint in aliquo loco?

BRACTEA LXXXI.

R. Non poſſe, ſi ipſi ſuſceperint Baptiſmum, aut in alijs ſacramentis participauerint. Ratio eſt, quia tales non modo, vt apoſtati ſunt habendi, verum etiam, vt Hæretici, cum fictè ſuſceperint baptiſmum, & in alijs ſacramentis participauerint, & ab Inquiſitoribus, tamquam Hæretici ſunt puniendi. Ita Simanca de *Catholica inſtitut. art. 35. num 12.* Gondizalez *tract. de hæreticis quæſt 5. num. 8.* Heimerius in *directorio inquiſit. part. 2. quæſt 54. num. 1.* Decianus *tract. criminali lib. 5. cap. 10. num. 21.* Neque eos ſuffragari, dicere ab infantia fuiſſe baptizatos, & per conſequens ignoranter in Chriſtiana Religione vixiſſe, aut ad euitandum maximum periculum in vita, aut in rebus, ſub Chriſtiano nomine vixiſſe, quia redeuntes ad Iudaiſmum, tamquam hæretici ab Inquiſitoribus ſunt puniendi. Ita Silueſter in *ſum. verbo hæreticus* §. 2. *num.* 4. Heimerius loco cit. & alii ſupra quod Princeps non poteſt concedere indultum, cum prohibitum ſit Principibus fauere hæreticis in materia Religionis. Ita Hypolitus Riminenſis *conſil. crim. diuerſ. 823.* Royas de *Hæreticis part. 1. num 557.* Decianus loco cit. *lib 5. cap 22. num. 16.* Azorius *inſtit. moral. part. 1. lib. 7. cap. 22. quæſt. 18.* & alii.

An Princeps poſſit Iudæis concedere vt vtantur nutricibus Chriſtianis, &c.?

BRACTEA LXXXII.

Negatiue Reſpondeo: & ita colligitur ex *cap. ad hæc*, & ex aliis iuribus. Ratio eſt, quia prohibetur à ſacris canonibus, & decretis Pontificiis, familiaris conuerſatio Chriſtianorum cum Iudæis. Ita *cap. Nullus, cap. omnes 28. quæſt. 2.* & *cap. multorum* & *cap. ad hæc* prohibetur Chriſtiano domi ſeruire Iudeo, ſolum conceditur, vt illi poſſit ſeruire extrà domum, vt v. g. in officio coloni, &c. Ita Graffius *deciſ. aurear. part. 1. lib. 2. cap. 2.* Silueſter *verbo Iudæus quæſt. 2.* Angelus *eodem verbo num. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 22. quæſt. 7.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 31. num. 21.* Similiter eiſdem Canonibus, & decretis Pontificijs prohibetur, ne mulieres filios hebreorum lactent in eorum domibus propter periculum peruerſionis, ſolum conceditur, vt extrà poſſint eos lactare, & in caſu neceſſitatis. Layman. *tract. 1. cap. 17. num. 2.* Graffius *loco cit. num.* 47. & alij.

Secundò non poſſe Principem Chriſtianũ Iudæis priuilegium concedere, vt ſi delinquant cum muliere Chriſtiana, non poſſit puniri ab alio, quam ab ipſo, vel eius Delegato, & pœna pecuniaria. Ratio, quia cum delictum ſit mixti fori, ſpectat etiam ad Eccleſiaſticum ipſum punire, cum Eccleſia ratione delicti acquiſierit ius ſuprà ipſis, & Princeps non poteſt concedere priuilegium ipſis cum præiudicio fori, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

Tertiò non poſſe concedere priuilegium, vt Medici Hebrei ſeruiant Chriſtianis: ratio, quia à varijs Pontificibus, & principaliter à Gregorio Decimo tertio, in vna conſtitutione publicata ſub die quinta Aprilis prohibetur, ne Medici Hebrei ſeruiant

Chriſtia-

Chriſtianis, & hoc etiam colligitur ex *cap. nullus*; & ita Graſſius *loco cit.* quarto non poſſe concedere Iudęis priuilegium, vt eorum filii, non fiant Chriſtiani, niſi poſt decimum tertium annum. Ratio, quia tale indultum eſſet contrà ius naturæ, & Diuinum, & doctrinam ſanctorum Patrum, & Doctorum, qui vnanimiter docent, filium poſt ſeptennium ſi petat Baptiſmum baptizari poſſe inuitis parentibus. Ratio, quia in tali ętate ſupponitur habere ſufficientem vſum rationis; & ita S. Thom. 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 15. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 25. Reginaldus *lib.* 27. *num.* 68. Em. Sà verbo *Baptiſmus num.* 11. Suarez *diſp.* 25 *ſect.* 3. Tolerus *lib.* 2. *cap.* 21. *num* 1.

Quintò, non poſſe Principem Chriſtianum Iudæis dare licentiam extruendi nouas Synagogas. Ita *cap. conſuluit de Iudæis*, licet poſſit dare licentiam reparandi veteres, & obſeruare ritus, qui non præiudicent Chriſtianæ Religioni *cap. qui ſincera*, & S. Augnſtinus *lib.* 18. *de Ciuit. Dei*; & inferior Papa non poteſt diſpenſare: Graſſius *loco cit. num.* 16.

Sextò, non poſſe Principem Chriſtianum Iudæis priuilegium concedere, vt ſine aliquo ſigno externo è domibus egrediantur; ita vt non poſſint cognoſci ab aliis. *cap. in nonnullis de Iudæis*. Ratio, quia ſolus Papa poteſt ipſum concedere, & cum cauſa. Ita Fulgoſus *conſil.* 55 *num* 2. Follerus *tit. de Iudæis* Marquar. de *Iudæis* 1. *part. cap* 4. Antonius Ricciolus de *iure perſonar. lib* 2. *cap.* 43. & alii.

Vltimò non poſſe Principem Chriſtianum Iudæo concedere habere ſeruum Chriſtianum *leg. Deo nobis* §. *Is ita Cod. de Epiſcop. & Clericis* & *cap. Fraternitatem diſt.* 54. quia à ſacris Canonibus prohibetur totalis communicatio Chriſtiani cum Iudęo, cum quilibet teneatur abſtinere ab his, quæ ei cauſam ruinæ afferre poſſunt, vt alibi dictum fuit.

De peccatis Principum?

BRACTEA LXXXIII.

R. Principam peccare, ſi notabiliter negligens ſit in procuranda Reipublicæ ſalute; vel ſi propria ſua commoda procuret, cum notabili pręiudicio, eiuſdem Reipublicæ.

Secundò, ſi vexet populum indebitis exactionibus præcipuè imponendo, ſine magna neceſſitate noua pedagia, aut onera, ſiue realia, ſiue perſonalia.

Tertiò, ſi non habeat apud ſe bonos, ac peritos Conciliarios. Cum magis expediat nullos, quam malos Conciliarios habere, ideoquè tenetur bonos, doctoſquè accipere, aliquos in rebus ciuilibus peritos, alios in re militari, &c.

Quartò, ſi notabiliter diſſimulet peccata ſuorum ſubditorum; præſertim ea, quæ magis nociua ſunt, vt furta, homidia, &c. interque maximè nociua cenſentur, tum blaſphemiæ, quibus ira diuina prouocatur, tum etiam hęreſes.

Quintò, ſi ſe intromittat in cauſas ſpirituales; quæ de iure pertinent ad forum Eccleſiaſticum, aut ratione perſonæ; aut ratione rerum, qui vel ſunt ſpirituales, aut ſpiritualibus annexæ.

Sextò, ſi aliquid faciat, aut aliis fieri permittat, vel dicat, aut dici ab aliis permittat contrà fidem Catholicam directè, eel indirectè.

Septimò, ſi vſurpet bona communicatis.

Octauò, ſi indignis officia conferat ſcienter, aut non adhibita diligentia debita, in inquirendo num idonei ſint illi, quibus confert.

Nonò, peccat princeps exigendo à ſubditis ſeruitium perſonarum, aut iumentorum ſine mercede.

Decimo, ſi parte ius petente contrà aduerſarium non adminiſtret iuſtitiam.

Vndecimò, gerendo bellum iniuſtum, aut ita de iuſtitia dubium, vt contrariè partis iuſtitia probabiliter ſit quam ipſius Principis.

Duodecimò, peccat Princeps ſi permittat domeſticos ſuos licentioſius ſe gerere erga ſuos ſubditos, eoſquè vexare, aut non permittere, vt ad ipſum recurrant, ac ipſum alloquantur, de quibus peccatis videri poſſunt Silueſter *in verb. Dominium quæſt.* 4. Nauarr. *in Encheridio cap.* 35. Azor. *in* 2. *part. lib.* 11. *cap.* 6.

MALLEATIO VII.

De Magno Cancellario, qui dicitur Pater Principis, & Reipublicæ.

Vnde dicatur Cancellarius?

BRACTEA I.

Sciendum antiquitus Iudicum conceſſum fuiſſe ſeptis, & repagulis diſtinctum, atquè Cancellis circũdatum; ne quis temerè irrueret, nec niſi admiſſus, vel intromiſſus per Miniſtros Iudicum ingredi poſſet; quos ex eo Cancellarios vocabant, quod Cancellis aperiendis præeſſent; & Iudiciorum quas Iani haberentur, ita Hermanus Kitchnerius de officio, & dignitate Cancellarij. Sed

R. Magnum Cancellarium Principis, non nuncupari à Cancellis, ſed à cancellando, quia ipſe cancellat, hoc eſt delet, inducit, ſupraſcribit, vel etiam rumpit, lacerat, & Regni, & Principis animum, ſenſum, & dexteram in curia totam reprę ſentat; & ideò maximè diſtinguitur, à Cancellarijs primò modo dictis.

Sciendum ex Hermano libro citato, duo genera eſſe Cancellariorum, alios maiores, & alios minores. Maiores eos eſſe, qui in Regnis, & Prouincijs, ac Principatibus nullum in eo genere officij, ac dignitatis, ſuperiorem agnoſcunt, qualis eſt, qui in ditione; ſeu ſtatu Regiæ Celſitudinis Ducis Sabaudiæ dicitur Magnus Cancellarius. Minores eos eſſe, qui in eo munere, ſeu dignitate ſuperiorè agnoſcunt, & ideò Vice-Cancellarij, ſeu pro Cancellarij appellantur, ex eo, quod maiorum vices gerant, Archicancellarij titulo gaudent in Imperio Romano; tres Archiepiſcopi pro tribus Imperij, Germano, Romani Regnis, quę corpori occidentalis Imperij, ordinatione Caroli Magni, olim inſerta, & glorioſiſſimè nunc etiam inſigniuntur. Nam per Germaniam, quæ Imperij ſedes, & occidentis Roma eſt, Archicancellarij titulo, & iure, atque dignitate, vtitur Antiſtes Moguntinus. Per Galliam, idem nomen vſurpat, Treuirenſis Præſul. Et per Italiam Pontifex Vbiorum, ſunt etiam quidam Abbates, qui titulo Archicancellarij vtuntur, Vice-Cancellarii nomen relationis eſt, quia Cancellarium ſibi præſupponit, & in ſuo munere ſuperiorem agnoſcit.

De qualitatibus requiſitis in Cancellario?

BRACTEA II.

R. Cum nullum boni Imperij, ac Principatus inſtrumentum maius exiſtat, quàm bonus Cancellarius, qui regni verè pretioſiſſimus

 theſau-

theſaurus, & Principis non modo optimus amicus verum etiam parens, & vt refert Hermanus, ſit ſingulare Dei beneficium, atq; donum preclarus Cancellarius, erit profectò operæ precium, omnes eo maximi iudicii, atque concilii rationes conferri, quantum diligentia, atque ſtudio fieri poſſit, vt virum, tàm diuino muneri maximè idoneum, ex toto genere eligatur: idcircò eum debere eſſe ornatum probitate morum, charitate, & communis boni ſtudioſa voluntate. Cum iuxta Vaticinium capitolinum, melius ſit Reipublicæ habere Principem malum, quam Conciliarium, quia ſi Conciliarius erit malus, Principis quoque animum natura bonum, in deterius trahet. Quod quidem Regnis, & Imperiis accidiſſe, ſingularum ætatum exemplis, confirmari poteſt, & è contrario; ſi Conciliarius bonus erit, Regem, vel Principem, & ſi malum, in bonum trahet, & vertet, & ideò in ipſum eligendo, attendendum eſt, quà natura, quà indole, quo ingenio præditus ſit, quia huic muneri ſuſtinendo requiritur ingenium magnum, & cum ſit, vt ſupra dictum fuit, idoneus, atque vtilis Cancellarius, Dei donum ſingulare, datuſque cęlitus eſſe dicatur, ſingulari eundem oportet, tum Cęli indulgentia, tum naturæ conſtitutione prodire, eloquentiæ naturali pollere, benignum, affabilem, magnificum, beneficum, magnanimum, fortem. Secundò requiritur in Cancellario literarum ſcientia, & cognitio, quia mens Principis eſt, idcircò ſcientia, & doctrina callere debet, vt oculo ipſius videre, & animo intelligere poſſit Princeps. Tertiò requiritur, quod Cancellarius hiſtoriarum expertus ſit, quod ideò hiſtoriarum libris, neceſſe eſt ſe dedat, & diligentem operam nauet, quo rerum geſtarum cognitionem, & ciuiles obſeruatione ſibi comparet, quia à lectione harum, lex omnis prudentiæ, ab ea concilii, & deliberationis publicæ norma, cum nihil aliud ſit hiſtoria, vt refert Polybius, quam diſciplina, & exercitatio ad res ciuiles, in ea ſine labore reperitur, quę alii magno labore quæſierant, hinc honorum virtutes, & improborum vitia perſpiciuntur: hinc vitæ humanæ, viciſſitudines rerum, quæ conuerſiones aduertũtur: hinc totius æui in ar ſtabilitatem, & Imperiorum caſus, ac pręcipitia cognoſcuntur, & vt verbo complectar, hinc malorum facinorum pęnas, & honorum præmia diſcuntur. Et quia poëſis valdè affinis eſt hiſtorię, & ad eundem finem prudentię tendit, idcircò fas erit, Cancellarium etiam poëſi ornatum eſſe. Et exempla multorum Cancellariorum ad idem ſtudii inuitabunt, qui etiam inter grauiſſimas Reipublicæ occupationes muſarum otia, carminiſque, non modo legendi, verum etiam ſcribendi numquã neglexerunt, vt apud hiſtoricos narratur; Immò iuxta Ariſtotelem *de poeſ. cap. 9.* poëſis ſapientior; & præſtantior eſt, quam hiſtoria, hęc enim quid factum ſit, ſingulariter exponit, illa quid fieri debeat, & poſſit, vniuersè proponit, & ideò huius lectio neceſſaria Cancellario, quia vt refert Plato patres, & Duces ſapientiæ, & prudentiæ; & genitores virtutum hæc lectio facit. Quartò requiritur in Cancellario eloquentia, & loquendi libertas primum requiritur, cum ad ipſum ſpectet præ aliis in publico loqui, & orare; ſecundum, quia ad ipſum ſpectat in conciliis liberè, ac ſincerè loqui, pro communi bono, facile deuiat à iuſtitia, qui in cauſis non Deum ſed homines pertimeſcit. Et qui timet hominem cito corruet, qui verò ſperat in Domino ſublevabitur. Vnde ſpectat ad Cancellarium ſerpentia in Republica mala, quæ ambitioſo artificio, Principibus celari ſolent aperire, & iuxta Solonis præceptum, conſulere non quæ ſuauiſſima, ſed quæ optima ſunt. Quintò requiritur, quod ſit laureatus, & ideò quaſi ſemper Cancellarius, legitur electus ex iuriſconſultorum academia, & idcirco debet noſſe omnes iuris publici rationes, vt nihil omninò ſit eorum, quæ Principem noſſe oportet, quod ex eo non peti poſſit. Sextò debet eſſe præditus prudentia politica, vt conſulere poſſit Principi, & Reipublicæ, eſt enim prudentia politica, opportunitas idoneorum ad agendum temporum, & cauſa vt rectè agantur omnia, illa ſiquidem in omnibus rebus, modum accommodatum locis, perſonis, & temporibus dirigit, illa intellectum, atque iudicium, tamquam luce quadam vniuerſali illuſtrat, vt omnia ea cognoſcere, & perſpicere poſſit, quæ ad officium pertinent omnia diſcernere, honeſta, ab inhoneſtis, vtilia, à noxis, iuſta ab iniuſtis ſeparare, illa concilii promptitudinem, & dexteritatem largitur, & intellectum ad delectum in cunctis negotiis rectè applicat, illa, vt ſummatim dicam totius vitæ norma, & moderatrix eſt. Nihil itaquè præſtabilius Reipublicæ, diuino munere dari poterit, quam prudens Cancellarius, qui Principi ſuo, rectè conſulere poſſit. Septimò, in Cancellario requiritur fides; fides autem cum Deo primum omnium ſumma, & maxima debeatur, idcircò omnibus iuramentis, nexibus, & obligationibus, quę hominibus fiunt, & ſi ea nõ excipiatur, ſemper tamen excepta eſſe intelligitur fundamentum omnis humanæ fidei, fides diuina eſt, ſine qua nihil ritè, nihilquè prouidenter; homines auſpicari poſſunt. Vnde orator dixit. Nec conſultũ eſt, hominem eum officio, & adminiſtrationi vlli pręfici, qui nulla omninò erga Deum fide; metuquè numinis teneri perſpicitur, & Ariſtoteles, cui nec ara, nec fides; nec vlla firma pactio eſt; pręter hanc requiritur in Cancellario fides ciuilis, quæ maximè in eo conſiſtit, vt Cancellarius Principem, & Rempublicam ſuam, ſincero amore, ac debita pietate, & integritate ſumma proſequatur, quod certè in hoc officio omnium maximum, & primum eſſe oportet, ſine quo omnis prudentia vana eſt. Fidem enim vltra ſtudium diligentia, induſtria, vigilantia, aſſiduitas, omniaquè reliqua muneri fideliter obeundo, neceſſario comitantur. Octauò, in Cancellario requiritur iuſtitia. Fides, vt loquitur Tullius, fundamentum eſt iuſtitiæ, & idcirco Cancellarios, ſanctæ Iuſtitię, debet eſſe ſtudioſus, & ornatus, ita vt Principi conſulat, quod iuſtum eſt, & circa rempublicam iudicium, & iuſtitiam faciat, & curam adhibeat, vt leges inuiolatas ſeruet, & ideò Montanus de Cancellario loquẽs ait, *cum excelſo iuſtitię tribunali præeſſe*, quia inter alia doctrinæ præſidia neceſſaria iuris ſtudium, quam maximè in eo requiritur. Vltimò, requiritur etiam in Cancellario fortitudo, & conſtantia animi, vt his tamquam thorace induto, & lorica Achillea, ante alios armatum eſſe oportet, ita vt pro iuſtitia, & æquitate, nihil non periculi ſuſcipiet, nihil quod ad munus ſuum pertinere arbitrabitur, timidè, & trepidè aget, ſed animo libero, & imperterrito, id quod æquum arbitratur defendet imitatus exemplum Thomi Mori Angliæ Cancellarii, qui potius mori voluit, quam regis iniquiſſimæ ſententiæ manum præſtare, & ideò cauere debet, ne vllo humano affectu proprium iudicium peruerti patiatur iuxta illud, quod pręfatus morus dicere ſolebat. Nihil apud eum, inter amicum, & inimicum interfuiſſe, quo minus iuſtè, & fortiter iudicaret. Alphonſus Arragonię ſui temporis prudẽtiſſimus Rex, videns magnam perniciem, humano generi à humanis affectionibus enaſci, dicebat, ſi ſe naſci conti-

giſſet temporibus, quibus Romana Raſpublica florebat, ſe conſtructurum fuiſſe è regione curiæ Templum Ioui poſitorio, in quo priuſquam venirent patrea in Senatum, iram, odium, amorem, ac priuatos omnes affectus deponerent, ne humano affectu iudicium, ſeu concilium peruertatur.

Emicant hæc omnia in Carolo Philippo Comite Morotij videlicet ingenij ſuanitas; Morum probitas, animi fortitudo. Pręſtant Iuriſprudentia, humaniorum litterarum peritia, dicendi gloria ſtudium communis boni. Omnium etenim diſcipiinarum apicem conſecutus, potiſſimarum rerum negotia ſpeclariſſimè geſſit. Per litterarum munia, quaſi per gradus ad Prothopræſidis in Pedemontano Senatu, Mox ad magni Sabaudiæ Cancellarii faſtigium euectus eſt. Luculentum Iuriſprudentiæ candidatis exemplar, haud ita facile imitandum proponitur, & glorioſum litterarum ſtudioſis decus, operoſo ſanè ſtudio comparandum exhibetur.

De Officio Magni Cancellarij.

BRACTEA III.

RESPONDEO officium Magni Cancellarij eſſe reſcripta, & priuilegia, per Regem, vel Principem conceſſa, aut concedenda, ſigillo Regio munire, examinare, emendarę, delere, & ideò Budæus inquit *Munus eius eſt, eaquè prima partis ſunt videre, vt nulla Principis conſtitutio, nulla ſanctio, nullũ diploma, nullum reſcriptum, nulli codicilli regis, non è re publica, atquè etiam, è dignitate Reſpublica principalią, exeant.* Et Polieratius in initio ſui libri, ita.

Hic eſt, qui leges regni cancellat iniquas:
Et mandata pii Principis æqua facit.
Si quid obeſt populo, aut legibus, eſt inimicum
Quod quid obeſt, per eum deſinit eſſe nocens.

Et ideò Cancellarius dicitur Vicarius Principis. Cuius cenſuræ, aut ſtilo, maieſtas Principum acta ſua eximi, nunquam voluit, norma eſt omnium iura reddentium, qui in omni fermè parte conſtituende reipublicę, Principis vicem implere, aut certè obtinere creditur; Cuius ore facundi reges, moribus noſtris facundi eſſe ſolent. Cuius oculis, velut emiſſitijs, circumſpicere omnia, ac perluſtrare creduntur, ne quid vſquam ſubſultet, non ſuo loco poſitum. Cuius auribus, vt dicitur per purgatis, plenam, ac iuſtam operam, poſtulatoribus dare dedicerunt, & ideò, vt ſuprà dictum fuit multiplicis, ac variæ prudentiæ fiducia ſubnixum eſſe neceſſe eſt, & talis auctoritatis eſſe oportet, vt illi, omnes Magiſtratus, ſubmittere non dedignentur, domum eius, totius regni, vel Principatus, oraculum eſſe par eſt, veluti quandam iuris æquitatis officinam. Eius ianuam, ac veſtibulum omni poſtulanti, omnibus horis patere, & eſſe Aram, atquè aſylum is, qui contra vim, aut impubitatem, ius ſuum obtinere nequeant. Omnibus numeris, grauitatis, conſtantiæ, ſeueritatis, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, integritatis, abſolutum eſſe virum, vndecunquè doctum, vndiquè placentem, omnium deniquè horarum hominem eſſe oportet, vt docet Bartholomeus Caſſaneus ſeptima parte catalogi gloriæ mundi.

Sciendum officium Cancellarij eſſe antiquum, vt colligitur ex Bartholomeo Caſſaneo *loco citato*, & ex Hermano loco etiam citato, licet antiquitus diceretur quæſtor, vt habetur *in gloſ. vniuerſos, C. de diuerſis reſcriptis*, & ita Lucas de pęnha *in leg. neminem C. de decurion. lib.* 10. & huius officium quæſtoris erat decretare petitiones, quas ſignabat, & in eis ſe ſubſcribebat: licet nunc Secretarij Regis, vel Principis in ſubleuamen Cancellarii propter multitudinẽ negotiorum, in Curia Regia affluentium, ſe in talibus ſubſcribunt. Secundò proprium eſſe Cancellarii ſigillo Regis, vel Principis, ſignare petitiones. Fuit mos Romani Imperii, qui ad noſtras vſquè ætates defluxit, vt quos ſummo honore, gratia, & fide Principes complectantur ijs ſigillum ſuum, ad diplomata, & litteras ſuas, atquè Edicta obſignanda committant. Nihil autem ex omnibus ferè alijs officii aulici generibus eſt, in quo maioris fidei, & amoris argumentum contineri videatur, quàm in annuli, atquè ſigilli commiſſione. Nunc Cancellarius, tum in Imperio, tum etiam in omnibus regnis, regium ſigillum obtinet, eiuſquè ius, & vſum tenet, refert Baldus conſil. 248. Antiquos Imperatores, in ſigillis circumquaquè ſcriptum habuiſſe his verbis *Iuſte iudicate filij hominum.* Atquè hac voce ſigilla ſua, prudentes Imperatores vti, & Cancellarios, alioqui voluerunt, vt meminerint ea tamquam diuinæ Iuſtitiæ inſtrumenta, & ſancta ſignacula, in manibus ſuis verſari; quæ maximũ nefas ſit iniquitati, & falſitati, atquè iniuriæ vlli protegendæ adhibere. Quin & ſibi ipſis Principes ſigilla ſua obloqui voluerunt, vt ſi quid fortè aliter, quam ea re dicerent, nullius momenti, hac ipſa ratione haberentur, quòd diuinę ſigilli ſententiæ, ac iuſſioni repugnarent. Nec monimentum validius, ad integritatem officii muniendam Cancellariis eſſe potuit, cum ad ſigilli mandatum, omnia ea, quæ literis, & ſignis confirmare iuberentur, antea conferrent, & tamquam ad lidium lapidem examinarent, nihilquè omninò ſignandum ſuſciperet; quod cum imperatorii annuli præcepto non conueniret, & ideò ad pectus vſque de collo ſuſpenſum ſigillum Imperiale ab Archicancellariis in publico conuentu geſtatur, vt hac ceremonia, illi admoneantur, nihil eo ſignari, nihil confirmari debere, niſi quod intimo cordis ſinu complexum, atquè totius animi ſententia ratum, & comprobatum habere, quodquè nunquã refutarum, nunquam retractatum vllo modo velint.

Sciendum 2. Non modo eſſe proprium Cancellarij Sigillo Regio reſcripta ſignare, ſed etiam ea propria manu ſubſcribere; ſubſcribere idem eſt, quod ratum habere, confirmare litteras, idemquè ſentire, & ideò Alciatus *ea enim vis ſubſcriptionis exiſtit, vt non modo omnia ſuprascripta approbata, & confirmata, & confirmata, verum etiam propria manu ſubſcribentis eſſe facta cenſeantur.* Ratio autem ſubſcriptionis Cancellarij eſt, quia cor, oculus, & manus Principis ſui nominatur, qui moderari, & regere in rebus ciuilibus, & togatis, omnis concilia, & actiones, omnia arcana Regis pectoris explorata habere, & veluti gubernator ab omnibus ſcopulis, & ſyrtibus nauim auertere, ita regnantis impetum flectere debet, ideòque principes voluerunt, vt quęcumquè ſub nomine, & ſigillo ſuo ſcriberentur antea à Cancellarijs, recognoſcerentur, & diligentiſſimè peruiderentur, recognita, & approbata ſimul ab ipſis ſubſcriberentur. Quaquidem ſimili ratione Imperatores ſanxiſſe legimus, vt nihil ſine conſenſu prudentiſſimorum ſuorum Cancellariorum promulgaretur, quare hæc cõſuetudo in Imperio fuit, vt non modo ipſi Principes manu ſua literas notarent, ſed etiam eorum Cancellarius, nomen ſuum ijſdem ſubſcriberet, ſequè recognouiſſe expreſsè teſtaretur. Tantam curam Principes decretis conceſſis, edictis, atquè indultis ſuis corroborandis adhibuere, vt non modo ea firmiſſimis ſigillorum monimentis, atquè inſcriptionum ſuarum momentis validiſſimè conſtabilierint, ſed

& præ-

& prætèrea accuratæ recognitionis aciem per Cancellarii induſtriam exercuerint. Verum priuilegia, indulta, Beneficia, & ſimilia, non tantum ſigilli Imperatorii auctoritate muniuntur, verum etiam manu propria Regis, vel Principis ſubſcribuntur.

Sciendum 3. Cancellarium omnes alios Regni, ſeu Principatus Conſiliarios quicumquè ſint præcedere, & primus poſt Regem, aut Principem, ſedet vbiquè terrarum, verum ſi Regis, aut Principis adſit filius, ſedet ad dexteram, & Cancellarius ad ſiniſtram, vt inquit Nicolaus Boerius, ſunt tamen in Cancellarii munere longe digniora illa altera, quæ ad poteſtatē & iuriſdictionem officii referuntur, quam quæ in ſeſſionum, & locorum prærogatiuis, atquè ceremoniis verſantibus, quæ qualis, quanta ſit ſuprà dictum eſt.

Sciendum 4. officium Cancellarii nominibus, & titulis magnificis decoratum eſſe, in Imperio Germanorum nomine Archicancellarii, in Hiſpania Cācellarius maximus, in Gallia, Pollonia, & apud Regiam Celſitudinem Ducis Sabaudiæ Cancellarius Magnus dicitur: ſicut etiam apud plures alios Principes, & teſte Boerio Illuſtris, Magnificus, Ampliſſimus appellatur, & ſi qui alii huius dignitatis ſublimes, & honorifici tituli exiſtunt. Inſignis profectò honor nominis, quod ob virtutē, & meriti magnitudinem, atquè officii, & dignitatis excellentiā tribuitur. Dicitur etiam patriæ parens, & pater Principis, cor, amicus, mens, & animus ipſius Principis. Quid enim honorificentius dici, quid glorioſius nominari poſſit. Nequè hæc nomina ad ſpeciē duntaxat ſunt excogitata, ſed etiam oſtendunt, quo amore, quo cultu, Cancellarios ſuos habere velint, cum veluti partes corporis ſui, eos tueri, atquè propugnare debeant. Ex quo illud conſequi neceſſe eſt, vt ſi qua iniuria fortè cancellarius affectus ſit, eadem quoquè Principi illata eſſe cenſeatur.

An Cancellarius peccet non arguendo Principem, & non præſtando ea, quæ ſui Officij ſunt.

BRACTEA IV.

RESPONDEO regulariter Cancellarium obligari corrigere Principem quando delinquit in gubernatione ſui ſtatus, nimis aggrauando ſuos ſubditos tributis, oneribus, &c. Ita auctores ſupra citati. Ratio etiam colligitur ex ſupradictis. Tùm etiam quia Cancellarius dicitur Pater Principis, & ſicut pater tenetur corrigere filium, ita Cancellarius ratione officii tenetur corrigere Principem, & ideò peccare Cancellarium non corrigendo Principem, & ſi ex omiſſione correctionis ſequatur maximum damnum Reipublicæ, peccabit mortaliter cum obligatione reſtituendi damnum, in defectum Principis, ſecus verò peccabit ſolum venialiter.

R. 2. quod licet regulariter Cancellarius teneatur ſub peccato Principem corrigere, tamen aliquando poſita iuſta cauſa excuſatur à correctione facienda. Ratio, quia præceptum correctionis eſt affirmatiuū, quod obligat ſolum in determinato tempore, ideoquè poſita iuſta cauſa non obligabit. Iuſtæ autem cauſæ non faciendi correctionem ſunt. Prima quando correctio non creditur profutura. Ratio, quia correctio adhibetur tamquam medium ad emendationem, non eſt autem obligatio aſſumendi mediū, dum ſpes obtinendi finem non adeſt, cum ad opus inutile quis non teneatur ergo &c. Secunda cauſa eſt, quando correctio probabiliter creditur pernicioſa corrigenti. Ratio, quia præceptum de faciēda correctione non obligat cum tanto incommodo. Verum ſi ex omiſſione correctionis oriretur maximum: & notabile damnum Reipublicæ, tunc Cancellarius obligaretur ad correctionem, etiam cum probabili periculo alicuius damni. Ratio, quia ex officio tenetur corrigere Principem, cum ipſius pater dicatur, & defendere Rempublicam à malo imminenti, ſecus faciens peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti in defectū Principis.

R. 3. Cancellarium non præſtando ea, quæ ſunt ſui officij, abſquè legitima cauſa in materia notabili, peccare mortaliter, & ſi aliquod ſequatur damnum obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia non præſtando ea, quæ ſunt ſui officii, violat iuſtitiā in materia notabili, & per conſequens peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionē, cum ex violatione iuſtitiæ oriatur obligatio reſtituendi.

MALLATIO VIII.

De Officio Patris circa filios.

An Pater teneatur habere curam filiorum?

BRACTEA I.

R. PATREM teneri curam habere filiorum: ratio, quia quilibet tenetur habere curam ſuorum domeſticorum iuxtà illud 1. Corinthios 5. *Qui ſuorum domeſticorum curam non habet, eſt infidelis, & infideli deterior*; ergo multò magis tenetur Pater habere curam filiorum; tum, quia ad hoc obligatur ex præcepto charitatis: tum etiam, quia id, in omnibus creaturis dictat ius naturæ. Secundò tria eſſe propria Patris: Primum prouidere filijs in futurum quantum honeſtè poteſt, habita ratione circumſtantiarum particularium reliquendo ipſis bona fortunæ, quibus poſſint viuere, vel virtutem, quoad diuitias acquirere poſſint. Ita D. Thomas 2. 2. *queſt.* 101. *art.* 2. Secundò non poteſt exhæredare filios, abſque iuſta cauſa: Tertiò tenetur dotare filias, quia dos ſuccedit in locum alimentorum, vt infra dicetur.

An Pater, qui non curat, vt filius Præcepta Dei, & Eccleſiæ ſeruet, peccet?

BRACTEA II.

R. QVOD Pater, qui non ſtudet quantum in ſe eſt, vt filius præcepta Dei, & Eccleſiæ ſeruet, vt ab omni peccato, ſaltem mortali abſtineat, aut virtutis acquirendæ operam nauet, vt neceſſaria ad ſalutem cognoſcat, & ediſcat, grauiter peccat. Ratio, quia facit contra naturalem obligationem, qua filiorum curam habere tenetur; & ideò obligari Patrem facere ſumptus, & expenſas, vt filius in litterarum ſtudia incumbat, ſicuti ceteri Patres, eiuſdem conditionis in eadem Patria facere conſueuerunt. Secundò Patrem peccare grauiter non auertendo occaſiones peccatorum, vt ſi filiabus permittat amatorem ad malum finem, aut ſi filios deprauet malo exemplo, aut prauis conſilijs.

Ita

Ita communiter omnes. Tertiò Patrem peccare non corrigendo filium, dum correctio ad filii diſſoluti emendationem eſt neceſſaria, vel obiurgatio, aut caſtigatio; debet tamen cauere Pater, ne excedat modum in reprehenſionibus, & in verberibus inferendis, nam mortaliter peccat Pater, qui immoderatè verberat, vt ſi filius notabilem læſionem patiatur ex ea verberatione. Ita Sotus *lib.5. quæſt.2. art.1.* Siluester verbo *Percuſſio*, Reginaldus *lib.20.nu.42.* & alii communiter.

Sciendum teneri parentes, per ſe, vel per alias perſonas honeſtas bonis moribus filios inſtituere, atque adeò ſpiritualem ipſorum ſalutem. Primo principaliterquè curare cauendo ne occaſiones peccati habeant, corrigendoquè delinquentes, nec ſinendo ipſos duci ſuis affectibus, atquè vt ſupra dictum eſt procurando, vt præcepta, quibus aſtringuntur, ſiuè Dei, ſiuè Eccleſiæ tenuerint, eaquè obſeruent, atquè orationem Dominicam, cum ſalutatione Angelica, Symbolum Apoſtolorum addiſcant.

Sciendum 2. Patres teneri abſtinere à nimia ſeueritate erga filios, ne illos ad indignationem prouocent, licet cauere debeant, ne quid liberis diſſolutis, per indulgentiam remittant, & ſi ad emendationem eos verberare contigerit verberatio debet eſſe modica, quia ſi percuſſio atrox fuerit peccatum, erit mortale. Parentes debent dare operam, ne filii prauę conſuetudini aſſueſcant, & ne malos habeant magiſtros, aut alios, cum quibus, ſiuè domi, ſiuè foris verſentur, *quia corrumpunt mores bonos, colloquia praua*; Ne item otio torpeant, quia vt docet Eccleſiaſt. *cap.33.* Multam malitiam docuit otioſitas, debent præterea ſe ipſos prębere liberis Magiſtros virtutis, æquitatis, continentiæ, & ſanctitatis.

Sciendum 3. Ex Azor. *part.2.cap.4.quæſt.17. & 18.* Patrem teneri in conſcientia ſumptus, & expenſas facere, vt filius det operam ſtudiis, quibus cæteri paris conditionis, more patrio, erudiri ſolent, nec filium ipſum patre mortuo, dum inter fratres, paterna hæreditas diuidetur, teneri eaſdem expenſas referre, & in legitimam ſuam computare, quoniam eæ iudicantur à patre gratis, ac liberaliter factæ, niſi aliundè conſtaret, quod ipſe voluerit, vt filius in partem ſuę legitimę eas haberet.

Sciendum 4. Patrem teneri mediocrem, ſaltem diligentiam adhibere in comparandis temporalibus bonis pro filiis. Dixi mediocrem diligentiam, quia eum obligare ad ſummam eſſet nimis durum, cum non teneatur ditare filium, nec ipſum eleuare ſupra ſuum ſtatum, ſed ſolum tenetur ei relinquere ſufficientem hęreditatem ſecundum conditionem ſui ſtatus, vel ſaltem eum promouere, vt poſſit ſibi de rebus iuxta ſtatum ſuum ſibi neceſſaria prouidere medio aliquo officio.

An Pater mortaliter peccet exponendo filium Hoſpitali?

BRACTEA III.

R. Mortaliter peccare, niſi habeat iuſtam cauſam exponendi; vt ſi Pater exiſtat in valdè graui neceſſitate. Ratio, quia eos exponendo abſque rationabili cauſa videtur filios deſerere, & derelinquere contra naturalem & paternam pietatem; tum quia probroſum & contumelioſum putatur in hoſpitali domo ali, & ſuſtentari. Ita Nauarrus *cap.14.num.17*, Reginaldus *loco cit.n.30.* Silueſter verbo *Adulterium ſeſſ.5.* Toletus *lib.5. cap.1. num.11.* Em. Sà *verbo parentes num.3.* & alii. Secundò quod quando Pater eſt diues, & non ratione neceſſitatis ponit filium hoſpitali, ſed ſolum ad pręcauendam infamiam, aut aliam ob cauſam obligatur ſatisfacere hoſpitali expēſas ab ipſo factas in ipſum alendo. Ratio, quia necare filium dicitur non tantum is, qui partum præfocat, ſed, & is, qui abiicit, & alimentum denegat, & qui publicis locis misericordiæ cauſa ædificatis exponit abſque cauſa, quia domus hoſpitalis non eſt inſtituta ad alendos filios diuitum, ſed pauperum, neque adminiſtratores illius domus intendunt alere expoſitos contra primeuam inſtitutionem.

An Pater teneatur redimere filium ab hoſtibus captum?

BRACTEA IV.

R. Patrem teneri redimere filium captiuum; & ratio eſt, quia Pater tenetur ad alimenta, & neceſſaria ad vitam: & libertas tanti ęſtimatur, quanti ipſamet vita. Si verò filius captiuus eſſet emancipatus, Pater non tenetur ad ipſum redimendum. Ratio, quia cum non amplius teneatur ad alimenta, nec etiam tenetur ad ipſum redimendum, ſed debet ſe ipſum redimere ex aſſignatis à Patre; ſi verò filius emancipatus cauſa Patris eſſet captiuus, quia filius pro Patre iuit ad bellum, vel iuſſu Patris ſe tali periculo expoſuit, tunc Pater tenetur ipſum redimere, quia Pater cenſetur cauſa illius captiuitatis.

An Pater teneatur alimenta præbere filio?

BRACTEA V.

Sciendum nomine alimentorum intelligi victum, & veſtitum, lectum, & habitationem, & alia ad vitam neceſſaria iuxta perſonæ conditionem, & qualitatem, *leg. ſi quis liberis §. non tantum ff. de liberis agnoſcendis*; nomine alimentorum veniunt etiam medicinæ, quibus indigemus, dum Praua vtimur valetudine, vt tradit Pontanus *tract. de alimentis*, quem ſequitur Azorius *2. part.lib.2.cap.4. quæſito 2.* Molina *tract.2. diſput 165.* venire etiam nomine alimentorum expenſas funeris, ſi filius moriatur, & expenſas competentes pro anima defuncti; licet impropriè hoc dicatur, quod filius his non alitur, licet Pater ad hæc teneatur. Quo poſito,

R. Patrem teneri præbere alimenta filio, & grauiter peccare abſque iuſta cauſa denegando ei alimenta. Ratio, quia facit contra ius naturę in re graui, cum alimenta iure naturæ debeantur; & ita Couar. in *epitom.2.part.cap.8. §.6.* Azorius *2.part. lib.2. cap.4. quæſito 1.* Ratio eſt, quia feræ ipſe quamuis ſęuæ, & immanes filios nutriunt, tum etiam, quia ex ipſa naturæ propenſione ortum habet, quę eſt homini communis cum belluis. Vnde filij cum infantes ſunt, aut pueri omninò debent à parentibus ali, donec adoleuerint, poſtquam verò pubes facti ſunt, ſi inepti ſunt ad ſe ſuſtentandos, vel quia mente capti, vel quia deſtituti membris, &c. debent ali omninò à parentibus, perindè, ac ſi infantes eſſent. Si verò ſe ſuſtentare poſſint, vel alii eos ſuſtentent, tunc parentes non amplius obligantur ſtricto iure eos alere, quia iurè naturæ filiis alimenta præſtanda ſunt, vt ipſorum neceſſitati conſulatur: filius autem, qui diuitiis affluit, aut aliunde ſibi conſulere poteſt

poteſt arte, vel officio decenti non dicitur laborare neceſſitate, ſi aliundè ſibi conſulere poſſit. Secundò Patrem teneri alimenta præbere filio proſcripto auctoritate Principis. Ratio, quia Princeps illa proſcriptione non aufert obligationem iuris naturæ: quapropter obligatur prębere alimenta filio, niſi fortè mutatis circũſtantijs, ius naturæ deſinat obligare. Quod ſi filius aliundè habeat vnde ſe ſuſtentare queat, quamuis Pater ei debeat alimenta, tamen poteſt illi ea denegare, quia cum aliundè poſſit ſe ſuſtentare, non eſt neceſſarium, vt Pater eo alimenta præbeat, ſtante proſcriptione filij.

An Pater teneatur præbere alimenta filio ſpurio?

BRACTEA VI.

SCIENDVM filium legitimum illum eſſe, qui natus eſt ex matrimonio, vel legitimatus per ſubſequens matrimonium, vel, &c. Filium illegitimum, qui non eſt ortus ex legitimo matrimonio, ſed potius ex fornicatione, vel ſtupro, vel inceſtu, vel adulterio:q; ſi ſit ortus ex meretrice vocatur mancer: ſi ex ſoluto, & concubina domi retenta appellatur filius naturalis: ſi ex adultero, & ſoluta appellatur nothus: ſi ex coitu damnato, vt ex ſtupro, raptu, vel ſacrilegio, vel ex inceſtu, vel fęmina coniugata dicitur ſpurius. Ita Couar. de *ſponſal. cap.*8 §.4. Leſſius *lib.*2 *cap.*19. *dub.*6. Vaſquez in *opuſc. de teſtam. cap.*5.§.6 *dub.*1. Molina *tract.*2. *diſp.*165. Suarez *diſp.*50 *ſect.*2. *num.*1. Sayrus *lib.*6. *cap.*18. *num.*6. & alij.

R. Iure naturę, & Canonico Patrem debere filio ſpurio alimenta *cap. cum haberet de eo, qui duxit vxorem quam pollicerat & cap. per venerabilem*: iure verò ciuili non debere alimenta Patrem præbere filio ſpurio. *Auten. ex complexu C. de inceſtu*, nuper verum ius canonicum potius ſeruandum eſt, quia conformius æquitati naturali: licet probabile ſit, vt docet Azorius *q.*7. Ius ciuile non tollere filijs ſpurijs alimenta ſimpliciter neceſſaria, ſed tantum quando poſſunt aliundè ali, quam à Patre; alioquin non ſolum contra æquitatem, ſed contra ius naturale decreuiſſet ius ciuile.

Secundò Patrem teneri dare alimenta filio excommunicato, quando filius aliunde ea non habet. Ratio, quia hæc ſunt de iure naturæ, etiamſi per filium ſtaret, quò minus ab excommunicatione abſolueretur: alimenta verò de æquitate naturali congruentia ſtatui, & perſonæ poteſt Pater denegare, ſi filius ſpontè in excommunicatione perſiſtat, ſecus: ſi quærat abſolutionem.

Tertiò Religioſo commoranti in Cœnobio, & iam profeſſo Patrem non teneri alimenta præſtare, cùm à Religione illi alimenta ſuppeditentur: at ſi è Religione eijciatur, & non habeat vnde aliunde viuat tunc Pater obligatur ei alimẽnta præbere, quia obligatio Patris per profeſſionem non eſt penitus extincta, ſed ad tempus dilata quandiù ſcilicet filius in cœnobio, vel aliundè ſuſtentetur.

In quibus caſibus Pater poſſit denegare alimenta filijs?

BRACTEA VII.

R. IN quinque caſibus: primus ſi Patrem accuſent extrà caſus iure conceſſos: ſecundus ſi ipſe alimento egeat ad ſuſtentandam propriam perſonam: tertius ſi fuiſſent ingrati: quartus ſi autem habeant, aut aliquid aliud, quo ſuſtentari poſſint ſecundum ſtatum ſuum: quintus ſi aliquid facerent eorum, ob quæ poſſunt à parentibus exhęredari legitimè. Abbas *cap. cum haberet de eo, qui duxit vxorem*, Angelus *verbo filius*, §.21. Siluester *eodem verb.*§.24. An Pater ſit liber ab alimentis præſtandis quando filius renunciauit iuri alimentorum? Reſpõdeo, quod renunciatio facta Patri à filio abſquè Iudicis auctoritate non valet communis expoſitio de *alimentis cap.*6. & in hoc differunt legitima portio, & alimenta, quod illa poteſt liberè, & ex ſe renunciari, non autem alimenta. Vnde legitima etiam minui ex parte poteſt, non autem alimenta. Ita Couar. de *matrim. part.*2. *cap.*8.§.6. Azorius *quæſt.*13. ſi renunciatio alimentorum confirmetur iuramento validà erit, & firma: ita communior ſententia ex Azorio *quæſt.* 14. Ratio eſt, quia talis renunciatio eſt ſolum contra leges ciuiles conſtitutas ob bonum priuatorum hominum iure enim naturali, quiſquè poteſt cedere iuri ſuo, eò maximè quia ſi filius iurauerit, poteſt tamen ſi velit petere abſolutionem iuramenti in iudicio, & redire in ius alimentorum: non eſſe tamen probandam huiuſmodi renunciationem, ſi fieret eo tempore, quo filius inopia premeretur, aut in eam ſtatim redigeretur. Couar. *cap. quamuis de pactis part.*2. quamuis alij aliter ſentiant.

An quando Pater non præſtitit debita alimenta filio, quia ipſe aliundè ſe ſuſtentauit obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM alimenta alia eſſe præterita, alia de futuro: præterita ſunt quæ danda fuerant, quæ tàmen non ſunt data: futura dicuntur, quæ dãtur alicui, vt habeat vnde poſſit ali in futurum. Quo poſito.

R. Patrem non teneri ad alimentę pręterita in foro conſcientiæ, niſi filius æs alienum contraxiſſet ad ſe alendum. Ita Azorius 2. *part. lib.*2. *cap.*4. *quæſito* 16. & eſt communis ex Puntano. Ratio, quia filio debentur alimenta in ſubſidium vt viuat: cum ergo aliunde vixerit Pater non tenetur amplius alimenta in præſens non debita. Ità Reginaldus *lib.*20. *num.* 10. Clauiſregia *lib.*7. *cap.*3. Molfeſius *tract.*2. *in præceptis Decalogi num.*65. In foro externo poteſt filius agere contrà Patrem ad repetendam alimentorum æſtimationem. Ita Azorius *loco cit.* Reginaldus *nu.*40 & alij.

Secundò inter alimenta ad quę Pater obligatur connumerantur expenſæ, quas Pater cogitur iure facere, vt filius det operam ſtudijs, niſi filius habeat aliunde vnde ſibi ſubuenire poſſit: ſtudium autẽ litterarum debet eſſe conueniens filio ſecundum Patrium morem. Ita Filliucius *tract.*28. *part.*2. *c.*3. *n.*41.

An

An obligatio alimentorum tranſeat ad hæredes?

BRACTEA IX.

R. Transire talem obligationem ad hæredes illius, qui filios alere tenebatur. Ratio eſt, quia ius quod filij habent vt à Parentibus alantur permanet apud ipſos filios contrà hæredes illius, qui alimenta præſtare tenebatur, vt colligitur ex *leg. ſi quis à liberis* §. *item reſcriptum, ff. de liberis*, & ex *Autent. licet C. de naturalibus liberis* ita plures apud Antonium Gomez ad *legem Tauri, num.* 39. & apud Couaruuiam in *epitom. 2. part. cap.* 8. §. 6. *num.* 14. & apud Molinam *tract. 2. diſp.* 168. vnde filius ſpurius alendus eſt à Monaſterio, cui Pater facta in eo profeſſione ſua bona reliquit, nam Monaſterium cenſetur hæres Patris. Ita Azorius 2. *part. lib. 2. cap. 5. quæſito* 5.

Secundò, talem obligationem non tranſire directè ad eos, qui titulo donationis bona Parentum acquiſierunt, ſed indirectè, quia auctoritate Iudicis cogi debet filios donatoris etiam ſpurios alere. Ita Azorius *loco cit.* Reginaldus *lib.* 20. *num.* 40.

Tertiò, non trãſire ad eos, qui titulo oneroſo bona Patris acceperunt, quia æquitas non poſtulat ad filios alendos: tum etiam quia à nullo iure bona paterna eſſe obligata concluditur: tum etiam quia ſicut vxori maritus præbere debet alimenta, ratione horum non poteſt agere aduerſus eos qui titulo emptionis poſſident bona, quæ mariti fuerunt. Ita Azorius *loco cit.* Reginaldus, & Couar. *locis citatis*, & alij, quia bona non remanent obligata, ergo nec in iſto caſu.

Quartò, fiſcum, in quem bona Patris tranſierunt ob crimen eius publicata debere alere filios relictos ab eo, excepto quando bona fuerunt fiſco addicta ob crimen hæreſis, & læſæ maieſtatis. Ratio primæ partis eſt, quia par non eſt vt filij inſontes, & innocentes ob Patris crimen priuentur ſuis alimentis ſibi iure naturæ debitis, & ita Peregrinus de *iure officij lib. 5 tit.* 1. Sanchez *in opere morali, lib. 2. cap. 16. nu.* 25. Reginaldus *loco cit. num.* 40. Azorius *loco cit. quæſito* 6. Ratio ſecundæ partis eſt, quia Parentes bona ſua amiſerut, & proinde etiam filij iis priuantur, perinde ac ſi Parentes ſine bonis diſceſſiſſent.

An fundus propter alimenta aſſignata filio emancipato, mortuo filio regrediatur ad Patrem, aut hæredes Patris, an potius ad hæredes filij?

BRACTEA X.

R. Regredi ad Patrem: ratio quoniam aliměta, quæ alicui debětur ipſius morte finiũtur, nec tranſeunt ad hæredes illius: quare proprietas filij, v. g. domus non ad filium pertinet, qui ius tantum habet, vt eius fructibus alatur, dum viuit. Ita plures citati ab Azorio *lib. 2. cap. 5. quæſito* 14. Molina *diſp.* 168. Couar. ſententiam contrariam tenet, nimirum ad hæredes filij tranſire, eo quod alimenta ſuccedant loco legitimæ portionis, & huius portionis bona ad hæredes tranſmittũtur *de matrim. part. 2. cap. 8. §. 6. num.* 15. præciſa tamen conſuetudine contraria, vel alia lege municipali.

An Pater poſſit instituere hæredem filium ſpurium, aut naturalem?

BRACTEA XI.

R. Filium naturalem poſſe à parentibus non habentibus prolem legitimam inſtitui hæredem, relicta tamen aſcendentibus legitima *leg. licet C. de filiis naturalib.* Si verò filius naturalis non fuerit inſtitutus hæres à Patre non habente filios legitimos non ſuccedit Patri ab inteſtato, præterquam in ſexta parte *Autent. de heredibus ab inteſt.* ita Molina *diſput.* 166. Silueſter *verbo hereditas* 1. *nu.* 2. Reginaldus *lib. 25. num.* 626. Em. Sà *verbo hereditas n.* 8. *& verbo teſtamentum num.* 29. Leſſius *lib. 2. cap. 19. dub.* 6. Iullius Clarus *quæſt.* 31. & alij communiter; Si verò Pater inteſtatus moriatur relictis filiis legitimus filius naturalis non ſuccedit in ſexta parte, quamquam Pater habens filios legitimos, vel legitimatos potuiſſet relinquere duodecimam partem. Ita Couar. 2. *part. de matrim. cap.* 8. §. 4. Leſſius *loco cit. num.* 72. Em. Sà *verbo hereditas, & verbo teſtam. nu.* 29. & alii Doctores. Secundò filios ſpurios non poſſe inſtitui à Patre hæredes, quando non ſunt legitimati, nec illis poſſe aliquid relinqui præter alimenta, *leg. licet, C. de naturalib. liberis*. Quod ſi aliquid eis relinquatur reſtituendum eſt hæredibus inſtitutis, aut venientibus ab inteſtato, nam filius ſpurius eſt incapax hereditatis *Autentica licet*: ita Clarus *q.* 31. Leſſius *loco cit. dub.* 6. Molina *diſp.* 166 Reginald. *loco cit.* & alii communiter. Tertiò poſſe Patrem inſtituere heredem filium ſpurii, modo Pater filii ſpurii non habeat aſcendentes, vel ſobolem legitimam, tunc enim non poteſt ſuis nepotibus relinquere hereditatem. Ita Clarus *quæſt.* 32. & alii communiter; & modo Pater non inſtituat Nepotem contemplatione ipſiuſmet filii ſpurii, vt videlicet ipſe filius ſpurius commodum recipiat ex ea inſtitutione, vt ſi Nepos habeat proprietatem, filius verò vſum fructuum; hoc enim videtur fieri in fraudem legis; ſecus ſi Pater hoc non facit contemplatione filii ſpurii, vt accidit quando Pater inſtituit Nepotem hæredem, tunc temporis quando filius ſpurius iam deceſſit, aut quando prohibet ne ſpurius quidquam recipiat. Quartò ſpurium legitimatum poſſe inſtitui hæredem, ſiue factus ſit legitimus per ſubſequens matrimonium, ſiue per priuilegium, vt tradit Couar. de *matrim num.* 8 *part. 2. num.* 28. Molina *diſp.* 133. Em. Sà *verbo hereditas n.* 8. Iulius Clarus *quæſt.* 31. Quintò filium legitimatum poſſe inſtitui hæredem non ſolum quando tempore inſtitutionis iam erat legitimatus, verum etiam ſi fuit legitimatus condito iam Teſtamento, nam in tali euentu inſtitutio retrotrahitur ad tempus conditi teſtamenti, conſequenter inſtitutio valeſcit modo legitimetur viuente Patre teſtatore. Si verò legitimetur mortuo Patre, inſtitutio non retrotrahitur, nec conualeſcit, niſi fortè Pater dum viueret iuſſerit filium legitimari, aut inſtituerit hæredem, ſub conditione ſi legitimabitur, vt docet Iulius Clarus, *quæſt.* 21. Couar. *loco cit. n.* 12. Vaſquez *cap. 5. §. 7. dub. 6. de teſtamentis num.* 120. Molina *diſput.* 169.

An hæres Patris teneatur alere filium ſpurium?

BRACTEA XII.

R. Affirmative: Ratio, quia Pater tenetur alere filium ex iuſtitia: obligatio autem ex iuſtitia tranſmittitur ad hæredes. Verum contrariam ſententiam tuentur, qui tuentur, Patrem non obligari ex iuſtitia alere filium, ſed ſolum ex pietate, & per conſequens hæredem non obligari ex iuſtitia ipſum alere.

Secundò, An pater poſſit plus vni filio relinquere quam alteri? Respondeo affirmatiuè, dummodo alij filij non priuentur legitima portione, & ex iuſta cauſa, & ſecluſo ſcandalo. Ratio, quia cum huiuſmodi bona ſint ipſius teſtatoris, poteſt vni plus relinquere, quam alteri. Et ita S. Antoninus *3. part. tit.9.cap.2.§.2.* Megala in 1. 2. *lib.2.cap.23.quæſt.4.num.* 113. Angelus *verbo teſtamentum num.*27. Silueſter *verbo legitima num.*8. Em. Sà *verbo teſtamentum num.*22. Nauarrus *cap.17.num.*159. Homobonus in *tract. de ſtatibus part.2.cap.*20. Bonacina de *contract. diſput.3. quæſt.vlt. punct.* 3. *num.* 12. Diana *tract.8. de contractibus reſolut.* 83.

Tertiò, Patrem peccare mortaliter aggrauando legitimam gratuitis donationibus. Poteſt tamen donationibus remuneratoriis, aut meris contractibus onerosis illam aggrauare, quę quidem remuneratio in indiuiſibili non conſiſtit, Ita Ortis in *ſum. c.* 17.*nu.*9. Fernandez in *exam. Theologia moralis part.* 4. *cap.15.§.*4. Rodriquez *in ſum. tom.1.cap.13. num.*2.

Quartò, Patrem viuendo poſſe alienare omnia ſua bona, ita vt auferat legitimam à filiis. Ratio, quia ſic faciendo nullam committit iniuſtitiam, nam filius non habet ius in hæreditate Patris ipſo viuente, & ideò poteſt omnia ſua bona vendere, & prerium in mare proiicere non obſtante filiorum præiudicio; peccat tamen contra charitatem, & amorem filiis debitum, quia legitimam abſtulit dilapidando res proprias, abſque rationabili cauſa. Ita Megala in *part.2.lib.2.cap.23. quæſt.*14 *num.*11.

An Pater debeat compellere filios ad ſeruandum ieiunium Eccleſiæ?

BRACTEA XIII.

R. Obligari Patrem lege charitatis, & curare, vt ſubditi ieiunium ſeruent, non tamen teneri illos compellere, aut cogere ad ieiunia ſeruanda, quia id illis eſſet nimis durum, & rigoroſum. Ita Fillincius *tom.2. tract.27. part.2. cap.* 6. *num.* 91. & Vega in *ſum.tom.1. cap.14. caſu* 27. Rodriquez in *ſum.tom.1.cap.23. concluſ.4.num.*8. Ortis in *ſum. cap.19. mandat.2. num.*14. Azorius *part.1. lib* 7. *cap.37. quæſt.*12. Reginaldus in *praxi tom.1. lib.4. num.* 199. Nauarr. *cap.21.num.*26. Toletus *lib.6. cap* 5. Comitolus 1. *reſponſ. moralib. lib.4. quæſt.*56. Homobonus in *exam. Eccleſiaſt. part.2. tract.8. cap.7. quæſt.*21. & alii.

An Pater poſſit priuare filium hæreditate?

BRACTEA XIIII.

R. Patrem ſine iuſta cauſa non poſſe priuare filium hæreditate: poſſe iuſta cauſa, quę in Teſtamento debet exprimi. Iuxta cauſa eſt ingratitudo filii, niſi filius in gratiam Patris redierit, ipſumque pœniteat ante conditum teſtamentum, ideò ſi filius affecit Patrem graui iniuria, aut ipſius vitæ inſidiatus eſt, aut manus in ipſum iniecit, aut ſe maleficii immiſerit, poteſt priuari hæreditate, vt melius infra dicetur. Ita Couar. *cap. Raynald. nu.*37. Vaſquez *cap.6.§.7.dub.*8. *num.*131. *dub.*81. *& cap.6.§.* 3. Silueſter verbo *hæreditas* 2. *quæſito* 2. & alii. Secundò Patrem non poſſe exhęredare filium, eò quod contraxerit matrimonium ipſo inuito, vel cum indigna. Ratio, quia hoc videtur repugnare libertati matrimonii, & ſicut non poteſt apponi pęna ſoluenda per frangentem fidem ſponſalium, ita nec etiam poteſt filiam in pœnam hæreditate priuare eò quod matrimonium contraxerit inuito Patre, vel cum indigno: ob id neque fieri poteſt ſtatutum, quo filij nubentes inuitis Parentibus priuentur hæreditate. Ita Silueſter *verbo lex quæſito* 15. & alii apud Sanchez *lib.* 4. *de matrim. diſp.*4. Si verò filia turpem vitam agat, priuari poteſt hæreditate. Ita Couar. in *Epitom. part.2. cap.8.§.*10. Ratio, quia non repugnat libertati matrimonii talis pœna, & cū filia peccet turpiter viuendo digna eſt pęna. Secūdò nō poſſe filiam exhæredari ſi indigno nubat, ſiue filia ſit maior vigintiquinque annis, ſiue minor; cum enim Pater teneatur eam dotare non poteſt vllum ius afferri, quo ſufficienter probetur, ipſum eximi ab obligatione dotandi filiam ipſo inuito nubentem, aut cum indigno. De filia maiori vigintiquinq; annis res eſt clarior, vt videre eſt apud Silueſtrum *verbo Dos quæſt.* 4. Menochium *lib.4. præſumpt. num.*58. Sanchez *loco cit. diſp.26.num.*11 quia culpæ Parentum aſcribendum eſt, qui filiam in matrimonium coniungere neglexerunt, & conſequenter non eſt filiæ ob id deneganda dos competens. De minori vigintiquinque annis res eſt dubia, quamquam probabilius dicendum videatur, Patrē teneri ſaltem tradere dotem neceſſariam ad alimēta vitæ neceſſaria. Ita Silueſter *verbo Dos quæſito* 4. Reginaldus *lib.20.num.*17. Sanchez *loco cit.* & alij. Secus dicendum ſi filia nubens indigno diues ſit, aut alimentis Patris non indigeat, tunc enim equum nō videtur, vt Parētes compellantur ad dotem tradendam ei, quæ cum tanto familiæ dedecore nupſit. Ita Rodriquez *1.part.cap.14 num* 4. Speculum de *matrimonio 3.part.art.*2. & alij apud Sanchez *loco cit.num.*19.

Sciendum, quod licet regulariter Pater teneatur inſtituere filium hæredem, tamen in ſubſequentibus caſibus poteſt illum exhæredare. Primus ſi filius percutiat Patrem, dummodo ipſum non percutiat defendendo ſe, aut patriam. Secundus ſi grauem iniuriam ei intulerit. Tertius ſi parentem captum de carcere noluerit, cum poſſet educere fideiubendo pro ipſo. Quartus ſi non ſuccurrat Patri furioſo. Quintus ſi accuſet Patrem in cauſa criminali, niſi ſit de hęreſi, vel de crimine læſæ maieſtatis. Sextus ſi vitę parentum fuerit inſidiatus veneno, aut alia quauis arte. Septimus ſi parentes ex dilapidatione filij ſuſtinuerint graue rerum diſpendium. Octauus ſi non redimit Patrem captiuum. Nonus ſi impedimenti ſit, ne Pater faciat teſtamentum. Decimus ſi ſine facultate Patris verſetur cum mimis, cum Pater ipſius non fuerit illius conditionis. Vndecimus ſi conuer-

ſetur

ſetur cum maleficis, ſeu incantatoribus. Duodecimò ſi habuerit rem cum eiuſdem patris concubina. Tertiodecimò ſi filius fuerit hæreticus, cum pater ſit Catholicus.

Sciendum 1. has cauſas locum habere tam in maribus, quam in fęminis præter vltimam, quæ tantum locum habet in fęminis, & tertiam, quæ tantum in maribus; eo quòd fęmina fide iubere non poſſit, vt notat Silueſter *verbo hæreditas 2.n.3.*

An Pater teneatur ſub mortali conſtituere dotem filiæ volenti nuptui tradi?

BRACTEA XV.

AFFIRMATIVE Reſpondeo, quia dos ſuccedit loco alimentorum, & Pater tenetur alimenta; ergo tenetur etiam ad dotem. Tum etiam, quia tenetur conſulere ſtatui filiarum ſuarum, illaſque in matrimonium coniungere, ſi matrimonio coniungi velint, ergo etiam tenetur ad dotem, ſine qua matrimonium contrahi non cōſueuit; Tum quia ſic dicitur *leg. fin. de dotis promiſ. & leg. qui liberos de ritu nupti.* Secundò teneri eam dotare etiamſi Monaſterium ingredi velit: ratio quia coniugium ſpirituale fauorabilius eſt coniugio temporali *authen. de ſanctiſſ. Epiſc. collat. 9.* ſed Pater tenetur dotem conſtituere pro matrimonio temporali; ergo multò magis pro matrimonio ſpirituali, volente filia in monaſterium ingredi. Tertiò Patrem, qui dotem non competentem tradidit, teneri aliquid reſtituere, donec perueniat ad quantitatem ſufficientem, ſi filia, quæ de Patris conſenſu nupſit augumentum petat. Ratio, quia Pater tenetur non ſolùm filias in matrimonium coniungere, verum etiam dotem competentem tradere, *leg. qui liberos 19. ff. de ritu nuptiar.* Si ergo filia de Patris conſenſu nupſit cum modica, & exigua dote petat augmentum, Pater tenetur augmentum tradere, ſicut enim filia habet ius petendi, ita Pater obligationem habet tradendi; ius enim & obligatio correlatiuè ſe habent. Ita Beia *de meliorandis filiabus cap.5.* Decius, Baldus, Cephalus citati à Sanchez *lib.4. de matrim. diſp.26. num.4.*

An Pater poſſit exhæredare filium luxurioſè viuentem aut matrimonium contrahentem inuitis Parentibus?

BRACTEA XVI.

R. Nullo modo poſſe exhæredari, etiamſi cum indigna nubat. Ratio, quia in Autentica citata fit ſolum monitio de filiabus, quæ inuitis Parentibus, nubunt etiam indignis, & luxurioſam vitā degentibus. Et in materia odioſa non eſt facienda extenſio ad filios inuitis Parentibus cōtrahētes, & luxurioſā vitā degētes. Ita Silu. verb. *hæred. 2. quæſito 2.* & alij apud Sanchez *lib.4. de matrim. diſp. 26. num.11.* Secundò filium, quem Pater non exhæredauit propter delicta non poſſe ab hæredibus exhæredari. Ratio deducitur ex Autentica citata, vbi decernitur, vt exhæredatio fiat à Patre inſerta cauſa exhæredationis, non ab hæredibus. Tum quia fieri potuit, vt Pater ingratitudinem condonauerit, & filium ſibi reconciliauerit. Ita plures apud Molina *tract.2. diſput.176. dub.1.* licet Rebel. *2. part. lib.2. de matrim. quæſt.14. ſect.7.* loquatur cum limitatione, modo Pater exhæredandi cauſam cognouerit, nam ſi Pater eam ignorauit ea cognita non potuit exhæredare, vt quia ſtatim interfectus eſt à filio certò, alioquin exhæredaturus poteſt priuari hæreditate: Ratio eſt, quia hæredes poſſunt impetrare Iudicis auctoritatem, qui cognita filij ingratitudine ex præſumpta, & rationabili voluntate Patris poterit præſtare, id quod Pater ob ignorantiam, vel impotentiam præſtare non potuit, verum hæc limitatio reprobatur à Molina, quia Autentica loquitur de exhæreditatione, quam Pater viuens facit, non verò de ea, quam Pater facere non potuit.

An Pater teneatur dotare filiam, quam poteſt exhæreditare?

BRACTEA XVII.

NEGATIVE Reſpondeo. Ratio, quia valet argumentum de alimentis ad dotem ex Auctoribus citandis, & à legitima ad dotem, ſed non è contra. Sed qui poteſt exhæreditare non tenetur ad alimenta, vel ad legitimam, vt docet Couar. 4. *decret. 2. part. cap.8. §. 6. num.14* ergò neq; tenetur ad dotem; & ita Molina *de iuſtitia diſput.168.* & 176. Azorius 2 *part. lib 2. cap.3 quæſit 6* Menochius *de præſumptionibus lib 4. præſumpt.189. nu.30.* Sanchez *lib.4. de matrim. diſput 26 num 1.* Rebellus loco cit. & alij modo tamen filiæ aliunde ſuppetant alimenta, quia licet Pater habeat ius exhæredandi filiam, tamen alimenta neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem præbere tenetur, quando aliundè alimenta non habet: ita etiam tenetur tradere dotem neceſſariam ad vitæ ſuſtentationem, ſi aliunde non habet vnde vitam ſuſtentare queat.

An exhæredatio facta à Patre tollatur per ſuperuenientem reconciliationem Patris cum filia, aut per pænitentiam eiuſdem, vel per profeſſionem in Religione emiſſam?

BRACTEA XVIII.

R. PRIMO non tolli per reconciliationem Patris cum filia præcisè. Ratio, quia actus validus ſubſiſtit donec reuocetur, & per eaſdem cauſas diſſoluitur contractus, per quas componitur: exhæredatio fuit facta per beneplacitum voluntatis, & per eandem debet diſſolui, & reuocari. Ita Couar. *cap. Raynald. num.17.* Rebellus loco cit. *ſect.2. num 27.* Reginaldus *lib.20. num 38.* & alii apud Molinam *diſput 176.*

Secundò, exhæredationem non tolli per pœnitentiam patrati delicti, nam pœnitentia tollit culpam, aut etiam peccatum in foro conſcientiæ, non autem in foro externo. Ita Couar. Molina, Rebel. locis citatis.

Tertiò, Per profeſſionem irritam reddi exhæredationem anteà factam, & tolli ingratitudinem, ita vt filius nequeat ob patratam ingratitudinem exhæreditari. Ita ex *Gratian.19. quæſt 3. & vltima num.6.* adducit hoc in fauorem Religionis ſancitum eſſe quamis contrarium ſancitum eſſet iure antiquo. Ita Molina loco cit. *dub. vltimo*, & alii contra Panormitanum, & alios apud Couar. *loco citato num.20.*

An quando Pater eſt excommunicatus vitandus filius illegitimus, poſſit cum eo participare?

BRACTEA XIX.

R. Non modo filium legitimum, ſed illegitimum etiam poſſe participare cum Patre excommunicato vitando, cum non ſit expediens illum ex Patre ſegregare, cum huiuſmodi ſegregatio fieri nequeat ſine damno. Ita Hugolinus *part.2.cap.23.§.7.* Reginald. *lib.32.num.*109. quam doctrinam etiam extendunt ad filios mancipatos, ſed contrarium tenendum cum Filliucio *tract.13.cap.6. quæſito 5.num.*18. & aliis, exceptis iis, quæ pertinent ad filium vt filius eſt, vt ad obedientiam,& reuerentiam erga Patrem, in aliis autem actionibus non poteſt communicare, cum in illis non cenſeatur ſubiectus.

An Pater poſſit irritare vota filiorum?

BRACTEA XX.

R. Patrem omnia vota filiorum, tam realia, quam perſonalia, vel mixta intra tempus impubertatis poſſe irritare Tutorem, qui vices Patris gerit, vel matrē mortuo marito. Ita Suarez, *lib.6.cap.6. num.*22. Sanchez *cap.35. num.6.7.& 9.* Reginald. *lib. 18. num.* 315. Clauis regia *lib.6.cap.*10. *num.*31. Ratio pendet à iuriſdictione, nam ius propter immaturum iudicium impuberum voluit eorum votis hanc tacitam conditionem ineſſe, niſi Pater, vel Tutor,&c. contradixerint *cap.mulier 32.quæſt. 2. de reg.iur.6.* Secundò non modo vota impuberum irritari poſſe, ſed etiamſi relata fuerint exequenda tempore pubertatis, quia cenſetur etiam habere hanc tacitam conditionem. Ita Nauar. *cap.12.n.*67. Azor. 1.*part.lib.11.cap.17.dub.8.* Silueſt. *verbo votum 4. quæſit.2.* & alii. Quod tamen intelligendum eſt modo poſt acquiſitam pubertatem eam non ratificauerit, cum ratificatio ſit quædam voti emiſſio. Ita plures apud Bonac. de *voto pun.7.§.2.propoſ.4.n.*19. Tertiò Patrem non poſſe irritare vota perſonalia filiorum, puberū, quæ non repugnant domeſticæ gubernationi, ſeu poteſtati Patris. Ratio, quia nullo iure probatur conceſſam talem facultatem, nec ius decreuit vota puberum habere tacitam conditionem, quam vota impuberum habent: ſecus dicendum quando dubitatur an vota fuerint emiſſa ante pubertatem, vel poſt, quia tunc poteſt ea irritare, quia poteſtas ſtat pro poteſtate dominatiua Patris ad irritanda filii vota. Quartò Vota, quæ repugnant gubernationi domeſticæ, aut poteſtati Patris, quia filius puber eum liberam de actionibus ſuis perſonalibus diſponendi facultatem non habeat in graue præiudiciū paternæ poteſtatis, conſequenter Pater vota perſonalia filiorum irritare poteſt, quæ vertunt in graue præiudicium ipſius. Suar. *lib.6.cap.5.* Arrag. 2. 2. *quæſt.88.art.9.* Regin. *lib* 18. *num* 317. Valent. 2 2.*diſp. 6.quæſt.6.pun.6.* Clauis regia *lib.6.cap.5.nu.*6. & alii.

An Pater ſit magis obligatus ſuccurrere filio, quam filius patri?

BRACTEA XXI.

R. Magis eſſe obligatū filium ſuccurrere Patri, quam patrem filio: Ratio conſtabit ex infra dicendis. Ita D.Thom. *quodlibet 6.art.* 14. Silueſt. *verbo filii quæſt.*22. Tol. *lib.5. cap.1.num.*3. Menoch. de præſumptionib. *lib.3. quæſt.29. num.*16. Surdus de alimentis *tit.1. quæſt.*17. Cardoſo in praxi iudicanti *verb. filius nu.*40. & alii citati à Patre Diana *part.10.tract.13.reſol.*3.

Sciendum Patrem, & filium eodem iure naturali obligari ſibi inuicem ſuccurrere in extrema neceſſitate: Tum quia ſunt correlatiui, & quod de vno correlatiuo dicitur etiam, & de alio, & licet ius naturæ in belluis magis inclinet parentes ad ſuccurrendum, quam filios parentibus, verum ius naturæ rationabilis, magis inclinat filios ſuccurrere parentibus propter beneficium totius eſſe, & vitæ ab eis acceptum, quam parentes ad prouidendum filiis, cum nihil ab ipſis acceperint, verū dubium eſt an ſi pater, & filius eſſent in extrema neceſſitate redacti, cui magis ſit ſuccurrendum, ad quod reſpondeo magis eſſe ſuccurrendum patri, quam filio: Ratio, quia licet ambo ſint in eadem neceſſitate extrema extrinſecè, tamen pater cenſetur magis intrinſecè in extrema neceſſitate, propter defectum ætatis. Opinio contraria videtur probabilis ex eo, quod vita filii poteſt eſſe magis vtilis Reipublicæ, quam vita patris. Quod ſi quidam habeat patrem, & filium in extrema neceſſitate poſitos, tenetur patri ſuccurrere, quam filio. Ita Tol. loco citato, Silueſter verbo filii propter rationem allatam: Secus verò extra neceſſitatem extremam, quia tunc potius filio, quam parentibus eſt ſuccurrendum. Item ſi quis haberet patrem, & filium diuitem alimenta potius à filio, quam à patre petenda eſſent. Ratio, quia potius, & fortius obligatur filius patri, quam pater filio, nam vt ait Suarez. de *charitate diſput.9.ſect.4. num.*17. ius paternum eſt ſummum in humanis rebus, & ita Pater Diana loco citato.

MALLEATIO IX.

De Officio Tutoris,& Curatoris circà Pupillos, & minores.

Quis ſit Tutor?

BRACTEA I.

R. Tutorem illum dici, qui mandatum ad proſpiciendum Pupillis ſuſcipit, quaſi tutores, ac defenſores orphanorum impuberum: vnde tutela definitur ius, & poteſtas in *cap.liberis* ad tuendum eum, propter ætatem ſe ſua ſponte defendere nequit iure ciuili data, ac permiſſa.

Sciendum Tutelam triplicem eſſe, vnam teſtamentariam, vt eſt illa, in qua teſtamento datur Tutor: aliam legitimam, in qua datur Tutor à lege, & ſuccedunt conſanguinei,& cognati, nec eſt neceſſarium decretum Iudicis, vt concedat tutelam, ſed vt confirmat: alteram datiuam, quæ decernitur per Prætorem non à lege, aut à teſtamento.

An

An Mater poſſit eſſe Tutrix filiorum?

BRACTEA II.

R. Ivre communi matrem non poſſe eſſe tutricem filiorum,& ita colligitur ex pluribus iuribus: valere tamen præceptum vt tutela conſilio matris adminiſtretur, poteſt tamen nunc mater,& alia eſſe tutrix filiorum,& nepotum. *Autent.matri,& auia cod.quando mulier tutela lex matri, & auia,etiam ante cognatos ſubire tutelam permittimus.*

Sciendum tres præcipuè conditiones requiri, vt officium tutelæ agere poſſit: prima vt renunciet ſecundis nuptijs:ſecunda vt renunciet Veleiano Senatuſconſulto,quod priuilegium conceſſit mulieribus nuptis, vt pro alio ſe obligare nulla obligatione poſſint,quod ſi tentent,obligatio ſit nulla: tertia vt renuncient omnibus alijs auxilijs iuris mulieribus conceſſis,& ſe obligēt, vt reliqui Tutores de iure ad reddendam rationem tutelæ, & ad cætera alia requiſita ad Tutorem. Secundò matre tranſeunte ad ſecundas nuptias eo ipſo tutelam ceſſare:ita Gutier. *cap.8. num.77. per tex. in autent. de nuptijs* §. *ſi autem in teſtam.* & *leg.5. tit.16. part.6.* Ratio, deſumitur ex triplici cauſa: prima propter mores inhoneſtos nubentis abſentis: ſecunda ratione mutatæ affectionis, quia ius præſumit ardorem amoris tranſire à pupillo in ſecundum maritum *Cod. quando mulier.* Tertia propter dilapidationem,quia præſumptio eſt,quod propter nouum virum filios excoriabit.*leg. lex quæ Tutores*; nec poſſe matrem nominare vitricum, quia ſuſpectus eſt, ſicut etiam in tali nominatione ſuſpecta,& præſumitur dolus.

An Clerici poſſint cogi ad ſuſcipiendam Tutelam?

BRACTEA III.

R. Coni non poſſe ex *cap. fin. diſt.76.* & id eſt eorum priuilegium, vt licet poſſint ſuccedere alicui ab inteſtato, non tamen cogantur recipere tutelam:poſſunt autem,ſi volunt recipere legitimam, non autem datiuam, vel teſtamẽtariam: Monaci verò nec legitimam recipere poſſunt ex *cap fin diſt.76.*& in *Autent. de Sanctis Epiſcopis* §.*Deo autem;* de licentia tamen ſuorum Prælatorum poſſunt, vt dicitur *cap.Monac.16 quæſt.1.* Quod ſi eſſent perſonæ miſerabiles tenentur eam ſuſcipere. *cap.fin.& cap. 1. diſt.88.* Epiſcopus non per ſe ipſum, ſed per Archipræsbyterum, vel per Archidiaconum debet eam miniſtrare.

An quid obligetur Tutor?

BRACTEA IV.

R. Tenari librum rationis inter ſe, & pupillum conficere. Ita *l.1.* §.*officium ff.de tutel. & rationib.*etiam incumbit officio Tutoris rationē ſui actus conficere, & pupillo reddere. Cæterum ſi conferit, aut ſi fractas non exhibet nunc nomine iudicij tutelæ tenebitur de omnibus,quæ fecit Tutor,cum facere non deberet, & de omnibus, quæ fecit, cum facere deberet, obligatus eſt reddere rationem, & oſtendere quantam in rebus diligentiam exhibuit. Secundò tenetur facere quamprimum commodè poterit inuentarium.*leg.hac conditio ff. de cond.& demonſtr.* aliter videtur eſſe in dolo, ſi ante confectum inuentarium adminiſtrauit;ſi autem non adminiſtrauit,non præſumitur eſſe in dolo.

Sciendum quod Tutor, qui non facit inuentariũ, præſumitur eſſe in dolo, & bonorum vſurpator reputatur, vel ſi fecit non legitimè, & prout de iure. Iaſon.*conſ.219.* Socin. *conſ.16.* Secundò Tutores non conficientes inuentarium,& adminiſtrantes tutelam quatuor pœnas iuris incurrunt;primò quia doloſam ſuſpicionem incurrunt: ſecunda pœna eſt, vt Tutor non conficiens inuentarium ponatur in vinculis per *leg.3.*§.*tutor.qui repertor.ff.de ſuſpect.tutor.*Tertia pœna eſt, quod infamiam iuris incurrit, vt habetur *leg. fin.C.arbitr.tutor.*Quarta pęna eſt,quod per pupillum iuratur in litem contra eum *leg.ſupra cit.*In aliquibus caſibus excuſatur à confectione inuentarii: primò ſi in loco eſſet conſuetudo contraria:ſecundò quando eſſet neceſſaria, & iuſtiſſima cauſa non conficienda; ex parte Tutoris iuſta cauſa eſſet morbus, ex parte rei ſi res ipſa non inueniretur adhibita ſufficienti diligentia, vel ſi Teſtator remiſiſſiſſet confectionem illius, non teneretur etiamſi Iudex ea cauſa remitteret obligationem, vel quia expediret pupillo quantitatem ſui patrimonii non manifeſtare,vel ita eſſet inops, vt maior eſſet expenſa, quam pretium bonorum eius. Inuentarium fieri debet omnium rerum corporalium, & inſtrumentorum, & iurium corporalium, de quibus apparent inſtrumenta, vel probationes in bonis pupili. Tertiò teneri in particulari,vt conſeruet pupillos, & vt moraliter viuant, vt res eorum præſeruet ab iniuria, quod vtiliter agat rem eorum quoad pecuniam, & bona mobilia conuertendo in rem fructiferam,ex quibus fructibus viuant, alioquin obligaretur ipſe ad damnum emergens aliter faciendo. Vnde gubernatio, ſeu adminiſtratio Tutoria, ſeu Curatoris tribus capitibus continetur, nempè vt Tutor alat pupillum, & Curator adultum minorem bonis moribus imbuat, & bonis artibus,& doctrina erudiat,quia Tutor, ſeu Curator loco ſecundo Patris habetur: vnde circa pupillum ea omnia obligatur facere,quæ Pater faceret expenſis conſideratis ipſius pupilli curando ſemper, vt aliquid ex patrimonio ſuperſit. Vltimò Tutorem obligari collocare honeſto viro pupillam ſibi commendatam,eique dotem competentem conſtituere. *leg. Tutor ad vtilit.ff.de admin.Tutoris.* Tutor in dolo verſatus fuerit collocans pupillam indigno, vel quia pauper, vel quia ignobilis, vel quia prauis moribus imbutus tenetur ad intereſſe.*leg.qui iure 40.ff.de neg. geſt.*& ibi Angelus,& Rebuffus in concordato.

An Tutor, ſeu Curator poſſit bona pupillorum, ſeu minorum alienare?

BRACTEA V.

R. Non poſſe Tutorem, aut Curatorem bona pupillorum, aut minorum alienare, ſi verò pupillus,aut minor ita ære alieno grauetur, vt venditione bonorũ mobilium non poſſit illis ſuccurri,tunc decreto Senatus, ſeu Iudicis aliquid poteſt vendi,vt debitoribus ſatisfiat, & id debet alienari,quod deterius eſt, & minus. *leg. magis 5. & Tut. tut.Cod.* & *ff.eorum de rel.*& *cod.de prædiis, & aliis rebus,* Antonius Gomez 2.*variar. cap. 14. de reſtitut.* Molina *diſput.224.* & alij, & Tutor alienans ſine licentia eſt in dolo.

Sciendum alienationem non modo prohiberi Tutori,& Curatori,ſed etiam pupillo, ſeu minori, &

vtrique ſimul, nimirum pupillo, & Tutori, & minori, & Curatori. Secundò Tutor, vel Curator bona mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vt aurum, argentum, gemmæ, &c. ſine decreto Iudicis non poteſt alienare, & iuris ſolemnitate, quæ requiruntur ad immobilia. Gutier. 2. *par. cap.* 21. Antonius Gomez 2. *variar. cap.* 14. *num.* 13. Molina *diſp.* 331. Alienatio rei minoris immobilis acta ſine decreto non ſolum prohibita eſt, ſed etiam nulla, & nullum minori affert præiudicium. *leg. ſi §. ſin autem c. ſi propter pupill. & leg. lex qua Tutor.* Quod intelligitur non ſolum de alienatione facta per vēditionem, ſed etiam per quemlibet alium contractum.

Quos contractus poſſit Tutor, vel Curator celebrare?

BRACTEA VI.

R. Non licere Tutoribus, & Curatoribus pecuniam pupillarem dare mutuam, quia tale mutuum pupillis, & minoribus poteſt eſſe perniciofum, & nunquam periculo vacare: vnde pupillo, & minori tale mutuum non eſſe futurum vtile, nec damnum emergens, aut lucrum ceſſans poſſe hoc ei facere licitum, cum hoc deſeruiat, vt pupillus ſe ſeruet indemnem, non autem vt lucrum aliquod accipiat, tum etiam quia mutuum fit cum alienatione, cum transferatur dominium ratione mutui, & ex meo fiat tuum, & Tutores, & Curatores non poſſunt celebrare contractus, qui habent alienationem annexam, vnde Tutoribus, & Curatoribus prohibiti ſunt omnes contractus gratuiti, & ex onerofis eos eſſe prohibitos, qui habent annexam alienationem, quales ſunt emptio, venditio, feudum, vſusfructus, locatio ad longum tempus, hypotheca, cenſus, cambium, permutatio, & mutuum. Secundò omnes alios contractus poteſt Tutor, vel Curator celebrare nomine pupilli, & minoris non modò validè, ſed etiam licitè. Ratio quia cum Tutor, & Curator habeant à iure ratione ſui muneris liberam adminiſtrationem omnium rerum pupilli, & minoris, conſequenter omne id videtur conceſſum, quod in iure non inuenitur expreſsè prohibitum; ſed in iure non inueniuntur alij contractus prohibiti minoribus præter prædictos: ergo cæteri cenſentur cōceſſi. Tum etiam quia Tutor, vel Curator debet eos contractus gerere, quos quiuis Paterfamilias idoneus facit: ſed Paterfamilias tales contractus faceret: ergo, &c.

An contractus qui fiunt à pupillis, vel minoribus ſine auctoritate Tutoris, vel Curatoris ſint validi?

BRACTEA VII.

R. Non eſſe ratos, aut validos contractus, qui fiunt à pupillis, vel minoribus ſine auctoritate Tutoris, vel Curatoris ad hunc ſenſum, vtrum eis contrahentes illis contractibus obligentur, ſicut etiam ipſi pupilli, aut minores ciuiliter non obligantur: at in ijs caſibus, in quibus obligationes mutuæ naſcuntur, vt in emptionibus, venditionibus, conductionibus, mandatis depoſitis, ſi Tutoris auctoritas non interueniat ipſi quidem, qui cum ijs contrahunt, obligantur: at pupilli non obligantur; pupillos tamen ſine Tutoris auctoritate conditionem ſuam meliorem facere poſſe; deteriorem non poſſe, quo fit vt in contractibus vltrò, citròque obligatorijs contrahentes cum his ſe obligent, ipſi verò illis non obligentur. Secundò finita tutela pupillum, & minorem teneri ſtare contractibus Tutorum, & Curatorum. *tex. in l. ſi tutela 9. ff. de adminiculo Tutoris*, Gutier 2. *par. cap.* 20. *num.* 5. Couar. 2. *variar. cap.* 15. *num.* 15. Gomez 2. *variar. cap.* 3. *num.* 8. Molina *diſp.* 492. Ratio à ſimili deſumitur de Prælato locante vltrà ſuum tempus, cuius contractibus nihilominus ſtare tenetur ſucceſſor; tum etiam quia cum Tutor, & Curator habeant legitimam facultatē à lege conceſſam circà res pupilli, æquū eſt ipſum pupillum ratum habere, quod ſuo nomine factum eſt. Tertiò, finita tutela obligari Tutorem, aut Curatorem reddere rationem tutelæ, & curæ. *leg.* 1 *ff. de tutela, & rationib.* de omnibus, quæ fecit Tutor, eum facere non deberet; item de his, quæ non fecit, rationem redder præſtando dolum, & culpam, & quantam in ſuis rebus diligentiam adhibuerit, vt ſuprà dictum eſt.

Quæ ſit differentia inter Tutorem, & Curatorem?

BRACTEA VIII.

R. In hoc diſtingui Tutorem à Curatore, quod Tutor datur tantum impuberi, vt habet *inſtituta, quibus modis tutela finiatur*, & datur ei qui neque ſub patria poteſtate ſit, neque ſit mancipium. Inſtitut. *loco cit.* Secundò datur impuberi etiā inuito *leg. nec non ff. de tutor. & curat.* & datur principaliter perſonæ, quia tenetur curare educationem, atque inſtitutionem filij: datur etiam bonis illius non comparatione vnius tantum rei, aut negotij, ſed vniuerſi in comparatione omnium *inſtit. de tutel.* §. *eſt autem.* Curator verò datur minoribus cum iam puberes ſunt, & datur illis vſque ad 25. annum expletū, vt habetur *inſtit. de curat.* non datur tamen inuito, quod ſi curatorem habent coguntur eſſe ſub illo vſque ad 25. annum completum: quando verò curatorem non habent valent acta per illos, ſed ſi læſi ſint reſtituuntur in integrum. Molina de *iuſtit. tractat.* 2. *diſp.* 220.

Tutores, & Curatores, qui eſſe non poſſint?

BRACTEA IX.

R. Servvm non poſſe eſſe Tutorem, & Curatorem etiamſi Teſtamento relinquatur niſi fortè conditione relinqueretur ſi ad libertatem deueniret. Secundò, mulier Tutrix eſſe non poteſt. *l. tutel.* Tertiò, mutus tutor eſſe non poteſt, neque ſurdus. Quartò, qui cōpos ſui non eſt, aut minor 25. annis, etiāſi ex teſtamento tutores dati ſint Tutores eſſe nō poſſunt, ſi verò ad ſanā mentē redierit, ſi teſtamēto datus eſt tutor, poteſt incipere exercere munus ſibi iniunctum. Quintò, prodigus eo tēpore, quo eſt prodigus tutor eſſe nō poteſt, quia comparatur furioſo in factis ſuis. Sextò, qui infamus eſt tutor eſſe non poteſt. Septimò, Religioſus tutor, aut curator eſſe non poteſt, vt dictum eſt. Octauò, Epiſcopus Tutor, & Curator eſſe non poteſt, niſi miſerabilium perſonarum, quarum bona perirent, niſi ipſe ſuccurreret. Nonò, Clerici in ſacris conſtituti tutores, & curatores eſſe non poſſunt teſtamentaria; aut datiua tutela; legitima verò quando proximiores ſunt in gradu pupillo eſſe poſſunt, ſed non

tenentur

tenentur. Ita habetur *aut. de ſanctis Epiſc. §. Deo autem amabil.* Molina *loco cit. diſp. 221.* An Mater poſſit eſſe Tutrix dictum eſt ſuprà.

MALLEATIO X.

De Officio Ludi Magiſtri.

Quot ſint obligationes ludi Magiſtri?

BRACTEA I.

R. Magiſtros circà diſcipulos ad tria præcipuè obligari: primò vt non diſſimulent eorum peccata, ſed repræhendant ea corrigant, vbi opus fuerit: Secundò vti diligentia, vt promoueant eos in litteris. Tertiò curam eorum gerere in rebus pertinentibus ad mores, & honeſtam educationem; ſuccedunt enim Parentum loco. Quartò ne doceant doctrinam falſam, quæ ſit contra fidē, vel bonos mores. Quinto, vt officio ſuo ſatisfaciant. Sextò ne auertant diſcipulos ab aliis Magiſtris cum iniuria eorum, vel damno diſcipulorum. Septimò vt accommodent ſe captui diſcipulorum, quia aliàs potuerint inferre damnum notabile. Nauar. *cap. 15. num. 57.* Vltimò ne admittant diſcipulos imbutos malis moribus, quando non erit ſpes emēdationis, quoad fieri poteſt.

Sciendum Magiſtrorum conditiones has eſſe præcipuas. Primò in Magiſtro requiritur probitas viræ, quandoquidem. *Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.* Nulla res diſcipulo tam pernicioſa, quàm magiſtri cōtumelioſa vita, & ideò inquirendi ſunt filijs præceptores, quorum vita, ſit nullis obnoxia criminibus. Secundò requiritur in magiſtro ſcientia, nam ſcire eum prius oportet, qui alios docere debet, & ideo ſeniores Magiſtri adoleſcētibus aſciſcendi ſūt, qui eos litteris, & moribus inſtruant. *cap. omnis ætas 12. quæſt. 1.* Ratio, quia ſenes probationibus moribus ſunt quam iuuenes: aſſumunt autem iuuenes Magiſtrorum mores, eoſquè tenaciſſimè retinent, & ſenes doctiores ſunt iuuenibus; quia non poteſt quis modico tempore addiſcere, quia nemo repente fit ſummus, licet ſcolaſtici ad tale officiū aſſumantur, vt addiſcant, & aſſueſcere poſſint ad Magiſtrales Cathedras, ſi quidem dum alios docēt ipſorum intellectus magis illuſtratur, & ſcientiæ habitus augetur. Tertiò requiritur in magiſtro veritas, & pietas, vt ſcilicet diſcipulos corrigere vera, vtili, piaquè doctrina inſtruant. Quartò Magiſtri partes ſunt, errantes, & diſcolos diſcipulos, etiam ſi id moleſtè ferant, quæ correctio debet eſſe moderata, vnde imprudentes ſe oſtendunt illi magiſtri, qui ita in minimos diſcipulorum defectus excādeſcunt, ac ſi grauiſſima ſint crimina, ideò mortaliter peccat magiſter, qui in ſcolaſticum acriter, & crudeliter animaduertit, cum ſolum læuis caſtigatio ei permittatur. Quintò debet magiſter conuenienti mercede eſſe contentus. Sextò non debet alijs magiſtris detrahere, vel eorum exiſtimationem lędere, hoc enim eſt, Chriſtiano, & ingenuo homine indignum, & naturali ipſi lege repugnans dictanti, vt quod ab alio oderis tibi fieri, alteri ne facias. Nec ex odio, aut auaritia diſcipulos aliorum ad ſe trahere, quia ſi id faciet præter peccatum obligatur etiam ad reſtitutionem.

An Magiſter, qui non vtitur diligentia in erudiendis pueris peccat mortaliter, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA II.

R. Magiſtrum peccare mortaliter, ſi habitualiter, ſeu pluribus vicibus non vtitur diligentia in erudiendis pueris. Ratio, quia in materia graui cenſetur peccare contrà proprium officium, & qui in materia graui peccat contra proprium officium peccat mortaliter. Secus autem ſi bis, vel ter, vel etiam quater non vtitur debita diligentia, quia talis negligentia non cenſetur materia grauis. Secundò Magiſtrum obligari ad reſtitutionē pretij accepti, qui non curat edocere pueros. Ratio eſt, quia pretium datur, vt eos erudiat: ſi autem nō curat eos edocere non poteſt accipere pretium, aut ſi accepit, pretium acceptum retinere, cum ſit contractus, do vt facias, qui vtrumquè obligat: nimirū puerum, ſeu ipſum mittentem ad dandam mercedē, & Magiſtrum ad edocendum puerum.

Ex qua culpa obligetur Magiſter?

BRACTEA III.

Sciendum, quod alibi diximus culpam duplicem eſſe: vnam Theologicam, & aliam Iuridicam: culpam Iuridicam triplicem eſſe latam, leuem, & leuiſſimam. Quo poſitò.

R. Magiſtrum obligari de dolo culpa lata, & leui, quia, vt dictum eſt inter Magiſtrum, & puerum intercedit contractus innominatus, do vt facias, in vtilitatem vtriuſquè, qui obligat de dolo culpa lata, & leui, non autem leuiſſima, per conſequens ſolum obligatur de dolo culpa lata, & leui ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia ex officio tenetur ſcire, & præſtare ea, quæ ſciunt, & præſtant homines eiuſdē conditionis, & non præſtando peccat contrà ſuum officium, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem.

An Magiſter aliquando obligetur ex culpa leuiſſima?

BRACTEA IV.

R. Magiſtrum, qui ſe peritiſſimum oſtentauit, aut qui alium peritiſſimum excluſit, vt ipſe magiſtri officio fungeretur non ſolum teneri de culpa lata, ſed etiam de leuiſſima, quia tenetur eam diligentiam prębere, quam adhibuiſſet alius magiſter peritiſſimus, qualem ipſe excluſit, vel quem eſſe ipſe ſe oſtentauit. Secundò magiſtrum, qui ex culpa lata, vel ex ignorantia docet aliquam falſitatem in materia fidei, vel morum, vel in aliqua arte, vel ſcientia peccare contrà iuſtitiam, conſequenter teneri ad reſtitutionem damni diſcipulis illati, aut alijs inde ſubſecutis, præterea teneri ad ſe retractandum, & errorem reuocandum. Ita Medina, Petrus Nauar. apud Rebellum *lib. 1. de contract. quæſt. 10. ſect. 4. num. 26.* Si verò non ex ignorantia craſſa, ſed bona fide abſque fraude, & dolo docuerit falſam doctrinam factus malæ fidei tenetur ſe retractare, ſed non obligatur ad reſtitutionem dāni ſecuti, cum per accidens cenſeatur cauſa efficax damni, & qui per accidens eſt cauſa damni non ob-

ligatur ad reſtitutionem, vt ſuo loco dicetur. Tertiò ſi lectiones omittat cum notabili damno auditorum, niſi arbitrio prudentis iuſta cauſa excuſet. Quartò ſi ſimpliciores ita contemnat, vt inde notabile accipiat damnum honoris, aut aliorum honorum ipſis debitorum ex legali iuſtitia, &c.

MALLATIO XI.

De Officio filiorum circà Parentes, & circà eos, qui eorum curam gerere tenentur.

An filij teneantur amare Parentes?

BRACTEA I.

R. Filios teneri amore proſequi Parentes. Ratio, quia diligendus eſt proximus etiam inimicus, ergo à fortiori tenentur filij diligere Parentes, qui ſunt ipſis magis proximi, & à quibus multa bona acceperunt.

Sciendum amorem filiorum circà Parentes conſiſtere primò in veneratione ex intimo animi ſenſu profecta, & conſequenter in fuga odij, quod eſt præceptum negatiuum de non habendo odio Parentes. Secundò in precibus ad Deum factis pro fœlici ipſorum ſtatu, & honore apud homines. Tertiò in obedientia, & actionibus ad eorum arbitrium compoſitis, & inſtituris. Azorius *lib.2.c.2.q.1.*

Secundò, curanda filijs eſſe ſex ergà Parentes: primò curandus eſt internus amor, ita vt nunquam odio habeant illos deſiderando eis damnum in corpore, vel in anima: Secundò curandus eſt etiam externus amor, & beneuolentia, & ideò qui eos malè tractaret peccaret mortaliter: Tertiò in neceſſitate ſpirituali curandum eſt filijs, vt parentibus ſubueniant: Quartò tenentur in corporali neceſſitate quãtum poſſunt ſubuenire: Quintò tenentur adimplere quantum poterunt, quæ ſunt ordinata in Teſtamentis circà debita, vel legata: Sextò debent filij amare Parentes etiam amore ſupernaturali propter Deũ & in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, cuius capaces ſunt. Nauarrus *c.14 n.7.*

Tertiò, peccare filios ſi Parentes odio proſequãtur: Secundò ſi ſigna odij oſtendant eos malè pertractando: Tertiò ſi non ſubueniant in neceſſitatibus ſpiritualibus, & corporalibus: Quartò ſi non adimpleant teſtamenta, & legata: Quintò ſi tantum humana dilectione nõ autem ſupernaturali eos amẽt, & ideò peccare filium, qui toruis oculis Parentes intuetur, & ita aſperè alloquitur, ac ſi eos odio haberet, quamuis fortè interius diligat. Ratio, quia Parentibus non modo debetur reuerentia interna, ſed etiam externa. Ita Silueſter *verbo filius* Graf. 1.*part.2. cap 56.num.7.* & alij apud Clauem regiam *lib.7.cap.3 num.8.*

An filij conijcientes contumelias in Parentes peccent mortaliter?

BRACTEA II.

R. Mortaliter peccare, niſi ratione paruitatis materiæ à mortali excuſentur. Secundò grauiter etiam filios peccare, qui Parentes animo deliberato ad iracundiam prouocãt verbis contumelioſis. Similiter peccare etiam qui Parentes ad magnam iram prouocant, etiamſi verba ex ſua natura in magnam iram minimè inductiua ſint. Tertiò peccare qui dedignatur, vel contemnit Parentes nolens eos agnoſcere, quia filius ad aliquẽ gradum euectus eſt, & eius Parentes ſunt in magna paupertate, ideòque faciem à Patre auertit. Ita Nauarrus *cap.13.num* 12. Toletus *lib.5.cap.1.num.* 9. Azorius *lib.2 cap.2.quæſito* 10. Niſi hoc faciat ex iuſta aliqua cauſa, & non ex contemptu. Quartò filium peccare, qui maledicta in Parentes viuos, aut mortuos conijcit. Ita Nauarrus *loco cit.num.*13. Graf. *loco cit. num.*10. Reginaldus *lib* 20 *num.*24. Molpheſius *tract.* 11.*num.*53. & alii. Quintò filium peccare mortaliter, qui Parentes percutit, etiamſi percuſſio ſit leuis, nam hæc omnium hominum conſenſu grauis iniuria exiſtimatur; idem dicendum eſt, ſi filius ad percutiendum Patrem manum eleuet cum ſufficienti deliberatione, quia hæc eſt grauis in Parentes iniuria, & irriuerentia reputatur. Ita Graffius 1.*par.lib.2.cap.56. num.6.* Nauarrus *cap.* 14. *num.* 53. Reginaldus *lib.20. num.*224. Clauis regia *lib.5.cap.3.num.3.* & alij.

An filius teneatur obedire Parentibus?

BRACTEA III.

R. Filium teneri obedire Parentibus in his, in quibus eſt illis ſubiectus; quod colligitur ex pluribus locis ſcripturæ. Secundò ex Chriſti exemplo, qui erat ſubditus ſuis Parentibus; tum etiam quia ſicut tenemur obedire præceptis Principum, ita etiam tenemur obedire mandatis Parentum, quæ vim habent legis.

Sciendum filium teneri obedire Parentibus in his, quæ ſpectant ad gubernationem domus, in quibus ſi non obediant, & materia grauis ſit, peccant mortaliter, maximè ſi ex contemptu, vel animi obſtinatione id fiat. Ita Sanchez *lib.* 4. *cap.*25.*num.*22. Rodriquez *in ſumm.1.par.cap.*14.*num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.4 dub.* 8. *num.*43. & alij plures. Secundò debere obedire in his, quæ ſpectant ad bonos mores, & ad ſalutem animæ: vnde peccant mortaliter non obédiendo, niſi fortè paruitas materiæ excuſet: vnde filius Patri præcipienti vt fugiat conuerſationes noxias, ludos prohibitos, & cætera ſimilia tenetur ſub peccato obedire, quia in iis eſt illis ſubditus. Ita Nauarr.*cap.*24.*num.*12. Em. Sà, & alii. Et ideò poſita grauitate materiæ peccat filius non obediendo Patri in iis, in quibus eſt illi ſubiectus; niſi Pater aliquid imperet non intendens obligare filium ad culpam, non obediendo. Ratio quia præceptum non obligat vltra intentionem præcipientis.

Secundò in rebus prauis filius non tenetur Patri obedire. Ratio, quia in hac re non eſt ſubditus Patri; tum quia præceptum, & voluntas Dei ſunt præferenda præcepto Patris; tum etiam quia Pater non poteſt aliquid præcipere, quod ſit contra legem naturalem, vel poſitiuam, niſi aliqua ſuperueniat cauſa, ob quam id poſſit iuſtè præcipere. Ita Clauis regia *lib.9.cap.5.*

Sciendum ſeptem modis filium liberari à poteſtate Patris, ſuique iuris effici. Primò per mortem naturalem patrisfamilias. Secundò per eiuſdem mortem ciuilem. Tertiò per lapſum Patris in hæreſim. Quartò per emancipationem filii coram Iudice factam. Quintò per electionem filii ad patritiam poteſtatem, vel conſularem. Sextò per electionem filii in Epiſcopum. Septimò per adoptionem filiifamilias factam non ab extraneo, ſed ab Auo paterno, vel mater-

materno. Vltimò ſi ab hoſtibus Pater captus ſit, pendet ius filiorum; nam ſi ex captiuitate poeſta redierit poſt liminio; recuperat priſtina iura, erga liberos, perinde ac ſi ſemper eos in poteſtate ſua habuiſſet. Sin autem ibi deceſſerit Pater, tunc liberi à principio captiuitatis paternæ ſui iuris fuiſſe cenſetur. Molin. *tom. 1. tract. 2. diſp.* 229.

An filius teneatur obedire Patri in iis, quæ pertinent ad electionem ſtatus Religionis, vel matrimonij?

BRACTEA IV.

R. Filium non peccare non obediendo patri in materia Religionis. Ratio quia filius in hoc non cenſetur ſubditus patri iuxta dictum Chriſti. *Qui amat patrem, vel matrem, &c.* niſi fortè pater reclamet indigendo opera filij ad ſuſtentationem vitæ, quia tunc nō poteſt aſſumere ſtatum perfectiorem, immò ſi ipſum aſſumpſit, debet ipſum delinquere, vt patri ſubueniat.

Secundò, poſſe filium inuito patre cōtrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, aut cui matrimonium promiſit. Bonacina de *matrim. pun.* 17 *quæſt* 4. *num.* 21. quia in matrimonio filius non eſt ſubditus patri, & ideò Parentes non poſſe abſque iuſta cauſa filium cogere, aut retrahere a matrimonio per metum. Ratio, quia filius in hoc non eſt ſubiectus patri, ſed eſt ſui iuris. Ita Sanchez *lib.* 1 *de matrim. diſp.* 14. *num.* 4. Gutier. *cap.* 4. *num* 4. & *cap.* 79. *num* 4. Vnde valida ſunt matrimonia celebrata à filijs inuitis Parentibus, nam filij in hac materia ſunt ſui iuris; licet conſentaneum ſit, vt filij non ineant matrimonium abſque patris conſilio. Ratio, quia id dictat ius naturæ, cum hoc conducat ad rectam domus, & familiæ gubernationem, quia pater poteſt multa ſignificare filio in vtilitatem ipſius, & familiæ. Ita Sanchez *lib.* 4 *de matrim. diſp* 23. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 24 Coninchus *diſp.* 28 *num.* 5 *dub.* 52. Tertiò peccare grauiter filium contrahendo matrimonium contra voluntatem patris, cum aliqua indigna, ex cuius matrimonio magnum infertur familiæ dedecus. Similiter etiam peccare ducendo dignam contra voluntatem patris, quando multum refert patris aliam ducere, vt quando componerentur lites familiæ, aut quando pater magno ære alieno liberaretur, &c. Ratio quia filius tenetur ex pietate ſubuenire patri, conſequenter tenetur aſſumere media neceſſaria ad illam ſubleuādam, Ita Sanchez *loco cit diſp.* 22. Nauarrus *cap.* 14. *num.* 15. Gutier. *cap.* 79. *num.* 16. Coninchus *diſp.* 28 *dub.* 5. *de matrim.* & alij apud Sanchez *loco cit.* Quartò filium regulariter non teneri complere ſponſalia, quæ pater abſque ipſius conſenſu celebrauit, niſi aliqua iuſta cauſa obliget. Ratio, quia cum matrimonium ſit vinculum, & onus indiſſolubile, & quędam ſeruitus, neceſſe eſt, vt liberum ſit filio adſtringere huiuſmodi vinculo, prout voluerit, niſi neceſſitas aliqua ipſum cogat ad obediendum patri in huiuſmodi euentu. Tum etiam quia in hoc filius cenſetur ſui iuris, Ita Bonacina de *matrim. quæſt.* 4. *pun.* 17. *num.* 20.

An filij debeant ſubuenire Parentibus?

BRACTEA V.

R. Filios teneri ſubuenire Parentibus tam in neceſſitate ſpirituali, quam in neceſſitate corporali. Ratio eſt, quia tenentur diligere Parentes; non poſſunt autem eos verè diligere, niſi eis tempore neceſſitatis ſubueniant. Ita S. Thomas 2. 2 *quæſt.* 10. *art.* 2. Nauarrus *cap* 24. *num.* 24. Clauis regia *lib* 7. *cap* 5. *num.* 15. ideò grauiter peccare filios qui non curant, patrem in mortis articulo conſtitutum confiteri, vel ſuſcipere alia ſacramenta, quæ à Chriſtianis percipi debent, quia faciunt contra præceptum, quo tenentur Parentibus ſubuenire in ſpiritualibus. Ita Nauarr. *cap.* 14. *num.* 13. Reginaldus *lib.* 20 *sect.* 1. *num.* 9. & alij. Secundò grauiter filios peccare, ſi Parentibus poſſint per aliquam artem ſtatui ſuo decentem ſubuenire, & non ſubueniant. Secus ſi non poſſint ſubuenire, niſi per officium, vel artem, quæ non ſit conueniens ſuo ſtatui. Ita Nauarrus *loco cit.* Azorius *lib.* 2. *cap.* 3. Reginaldus *loco cit.* Clauis regia *lib.* 7. *cap.* 5. *num* 15. Tertiò peccare filios qui Parentes infirmos non viſitant, vel ipſorum ſanitati non conſulunt, vel in carcere detentos, vel mente captos liberare non curant, quia non ſubueniunt neceſſitati Parentum. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 5 Nauarrus *loco cit. num.* 14. Molpheſ. in *ſumm de peccatis tract* 2 *cap* 18. *num* 63. Clauis regia, & Reginaldus *locis cit.* Quartò teneri filium alere Parentem damnatum à iudice. Ratio, quia ſententia illa iudicis non tollit iura, & obligationem filij, ſed ſolum tollit ius ab extraneis; & ita Azorius *lib.* 2. *cap.* 3.

R. 2. Obligari filios iure gentium ſuccurrere Parentibus. Ita communiter Iuriſtæ cum Bartolo in *leg. ſi quis à liberis ff de liberis* agnoſcendis, non autem tenentur iure naturali, quia hoc iure potius Patres debent alimenta filijs; tum quia natura deſcendit, hoc eſt amorem, & curam ſuam impertit in inferiorea ortu, & generatione, non autem aſcendit; tum quia beluæ, quę iure naturali tantum ducuntur, filios alūt, & educant non autem filij Parentes. Tum denique quia ipſo naturæ inſtinctu mouentur Parentes ad alendos filios, non tamen è conuerſo; cum ergo teneantur filij alere Parentes dicendum eſt iure gentium teneri, licet ius gentium parum differat à iure naturali; & per conſequens veram etiam eſſe opinionem eorum Theologorum, qui dicunt filios etiā naturaliter obligari alere ſuos Parentes, vt rectè docet Azorius *lib.* 2. *cap.* 3 *quæſit.* 1.

An Parentibus redactis ad egeſtatem teneantur egredi à Religione?

BRACTEA VI.

R. Si Parentes ſint in extrema neceſſitate poſſe filium egredi è Religione, & ſi profeſſus, etiam inuito Prælato. Ratio, quia filij tenentur ſubuenire Parentibus de iure gentium, vel etiam iure naturæ, vt plures docent, quam obligationem non tollit profeſſio facta in Religione, & ita plures apud Sanchez in *ſum. lib.* 4. *cap.* 20 *num.* 4. & alij. Si neceſſitas non ſit extrema, ſed ſolum grauis non poſſe filium profeſſum exire è Religione ad ſuccurrēdum Parētibus abſque licentia ſui Superioris. Ratio, quia res vni tradita non poteſt extrà ne-

ceſſitatem

ceſſitatem extremam alteri tradi: Religioſus autem profeſſus iam traditus eſt Religioni, & poteſtati ſui Prælati, & per conſequens non poteſt exire è Monaſterio, niſi ob neceſſitatem extremam ſuorum Parentum. Ità Em. Sà verbo *Religio*, *num.*2. & alij apud Sanchez in ſum. *lib.*4. *cap.* 20. *num.* 4. licet ſint, qui dicant diſtinguendum eſſe: vel quando ingreſſus eſt Religionem, Parentes erant in tali graui neceſſitate, vel non erant: Si primum tenetur egredi, quia eiuſmodi debitum præceſſit Religionis ingreſſum: ſi ſecundum non poteſt egredi, niſi petita, & obtenta licentia à ſuo ſuperiore. Ita Nauar. *cap.*14.*num.*14. Filliucius 2.*part.tract.*28.*c.*1.*n.*10. & alij.

Sciendum antequam filius egrediatur è Religione ad ſubueniendum Parentibus, teneri admonere Superiorem ſuum de neceſſitate extremà Parentum, & petere licentiam exundi ad ſubueniendum illis, & egreſſus debet ferre habitum Religionis, & obſeruare ſubſtantialia Religionis, & ſublata neceſſitate tenetur quam primum redire ad Monaſterium.

An filius poſſit ingredi Religionem Parentibus redactis ad egeſtatem?

BRACTEA VII.

R. Si Parentes ſint in eſtrema, vel graui neceſſitate non poteſt filius ingredi Religionem, ſed debet eis ſubuenire. Ratio eſt, quia pceptum ſubueniendi Parentibus præferendum eſt conſilio: filius autem tenetur ex præcepto pietatis ſubuenire parentibus exiſtentibus in extrema, vel graui neceſſitate: grauis autem neceſſitas vocatur illa, quando non poteſt viuere niſi cum notabili iactura, & detrimento ſui ſtatus, & conditionis, quod etiam debet intelligi non modo de neceſſitate præſenti, ſed etiam futura, quia militat eadem ratio. Ita Sanchez in *ſum.lib.*4.*cap.*20.*num.*5. Secundò propter neceſſitatem fratrum, ſororum, & aliorum propinquorum nō teneri ſub mortali ab ingreſſu Religionis abſtinere. Ratio, quia non ita tenetur ſtrictè circà fratres, ſorores, propinquos &c. ſicut erga Parentes: conſequenter nequè tenetur ſe priuare tanto bono, ſicuti tenetur ad ſubueniendum neceſſitatibus Parentum, dummodo aliter ſubuenire non poſſit, niſi in ſæculo maneat. Ita Clauis regia *lib.* 7.*cap.*6.*num.*2. Azorius 2.*part.lib.*2.*cap.*40.*quæſito* 8.*&* 9. Reginaldus *lib.*20.*num.*50.

Sciendum, vt filius non poſſit ingredi, vel debeat egredi è Religione ad ſubueniendum Parentibus plura requiri: Primò, vt neceſſitas, ſeu paupertas ſit extrema, vel grauis, & ita S.Thom. 2.2.*quæſt.*102. Silueſter *verbo Religio* 6.§.9. Nauarrus *cap.*14.*num.*14. Secundò requiritur, vt filius poſſit ſubuenire remanēte in ſeculo, non verò poſſit ingrediendo, aut per alium. Tertiò, vt non ſit alius, qui velit, aut poſſit ſubuenire. Quartò, vt filius remanendo in ſæculo non ſit in graui, aut probabili periculo peccādi mortaliter, à quo liberatur per ingreſſum Religionis. Ita Sanchez *loco cit.num.*6. & S.Thom. *loco cit.*

Sciendum 2. quod licet filius debeat remanere in ſæculo ad ſubueniendum Parētibus in extrema, vel graui neceſſitate poſitis, non tamen poteſt vendi à matre ob nimiam egeſtatem. Ratio, quia cum non habeat poteſtatem in filium non poteſt ab ipſa vendi, & ita gloſſ. *leg.*2.*verbo vendiderit, c.de patrib.qui filios, &c.* apud Sanchez *lib.*6.*diſput.*24.*num.*16. Patrem verò ob nimiam egeſtatem poſſe vendere filium. *leg.cit.C.de patrib.qui filios diſtinxerant.*

An filius poſſit furari ad ſubleuandam extremam neceſſitatem Patris?

BRACTEA VIII.

R. Poſſe dummodo ipſe nihil habeat proprij, quo ipſam egeſtatem poſſit ſubleuare. Ratio eſt, quia ſicut ipſe poterat rem alienam ſurripere, ita filius, vt ipſi ſuccurrat, poteſt ſurripere. Si verò filius habeat aliquid, quo egeſtatem Patris poſſit adiuuare, peccat contra iuſtitiam ſurripiendo. Ratio: quia charitas ſolum compellit ſurripere, quando filius nihil habet ad ſubleuandam egeſtatem Patris, in alio verò caſu non conceditur, quia Domini, à quibus ſurripitur eſſent rationabiliter inuiti. Secundò, filium poſſe ſurripere non modo ad ſubleuandam extremam neceſſitatem Patris, ſed etiam grauem. Ratio, quia ex graui neceſſitate facilè quis labitus in extremam; tum etiam quia in graui neceſſitate ſicut Dominus tenetur dare, ita alter poteſt accipere ad ipſam ſubleuandam cum faciat id, ad quod alter tenetur.

An filius qui aliquid accipit ex bonis Patris peccet, & tenetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIIII.

Sciendum bona eſſe in quadruplici differentia Caſtrentia, quaſi Caſtrenſia, profectitia, & aduentitia. Caſtrenſia ea eſſe, quæ acquiruntur militando, aut quæ dātur ratione militiæ, etiamſi ſint immobilia, vt ait Molina *diſput.*330. Leſſius *lib.*2.*cap.*4.*dub.*3. Quaſi Caſtrentia ſunt, quæ acquiruntur ex officio publico, vt Aduocati, Medici, Tabelionis, & profeſſione alicuius ex ſeptem artibus liberalibus, aut profeſſione Theologiæ, aut iuris Cæſarei, aut Pontificij, & quæ acquiruntur ex officio, cui ſtatutum eſt officium publicum, modo hoc officium cedat in vtilitatem publicam. Similiter ad bona quaſi Caſtrenſia reducuntur, quæ acquirit Clericus ex officio, & beneficio Eccleſiaſtico: Bona profectitia ſunt, quę dantur filio intuitu Patris, quorum bonorum proprietas, & vſus ſpectat ad Patrem; ad bona profectitia reducuntut, quæ à Patre aſſignantur filio ad Ordines ſacros, quæ dantur filiæ in dotem, aut cauſa nuptiarum: horum tamen bonorum proprietas, & vſusfructus ſpectat ad filium, licet ad bona profectitia reducantur: Aduentitia ſunt illa, quorum proprietatem habet filius, & Pater vſumfructum, vt ex *leg.cum opportet*, ex leg. *cum non ſolum C. de bonis, quæ liberis*, Molina *diſput.*332. Hoc poſito.

R. Peccare filium, qui notabilem ſummam ex bonis, quorum poſſeſſionē, & vſumfructum habet pater accipit, & obligatur ad reſtitutionem. Ita Vaſquez de *reſtitut. cap.*4. *§.* 2. *dub.*6. *num.*40. Salonius 2. 2. *quæſt.*66.*art.*3. Leſſius *lib.*2. *cap.*10 *dub.*13. & alij apud Bonacinam de *reſtitut. diſput.*2. *quæſt.*10. *punt.*1. *num.*3. Ratio, quia accipiendo bona Patris violat iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem. Secundò non peccare filium accipiendo de bonis ſuis caſtrenſibus, vel quaſi. Ratio, quia illorum proprietas, & vſusfructus ſpectat ad filium. Tertiò, filium peccare peccato furti, qui inuito Patre accipit notabilem quantitatem ex fructibus bonorum aduentitiorum. Ratio, quia illorum bonorum proprietas, & vſusfructus ſpectat ad Patrem, & ſicut de illis inuito Patre

non

non poteſt cõtrahere. Ita neq; ſurripere. Ita Sanchez de *matrim. lib.6. diſput.29. num.7.* Leſſius *lib.2.cap.6. dub.2. diſput.267.* Quartò, filium obligari ad reſtitutionem ipſius rei ablatæ, ſi rea extet; ſi verò non extet tenetur compenſationem facere ex bonis Caſtrenſibus, vel quaſi ſi habet, ſi non habet tenetur in portione hæreditatis cũ fratribus computare, quod ſurripuit in ſuam partem, niſi fortè conſtet alios fratres tantundem expendiſſe, vel Patrem condonaſſe, aut credatur condonaturus, quia tunc Pater nõ cenſetur inuitus circa ſubſtantiam, ſed ſolum circa modum. Ita Reginaldus *lib.20. cap.2. num.27.* Molina *tom.1. tract.2. diſput.242.* Rebellus *1. part. lib.3. quæſt.15. ſect.13. num.14.* & alij.

Sciendum 2. ad conſtituendum peccatum mortale, & obligationem reſtitutionis in materia furti maiorem quantitatem requiri ex parte filij, quam reſpectu ſerui, aut extranei. Ratio, quia Pater non eſt ita inuitus circa furtum filiorum; ſicut circa furtum ſeruorum, & aliorum, idcircò maior quantitas requiritur in illis ad conſtituendum peccatum mortale, & obligationem reſtituendi, quam in alijs.

An filius, qui gerit negotia patris poſſit accipere tantundem, quantum daretur extraneo?

BRACTEA X.

R. Posse, dummodo id non intendat facere gratis. Ratio, quia filius non eſt deterioris conditionis extraneo, nec tenetur iure naturę laborare pro Patre, quãdo Pater non eget. Ita Nau. *c.17. n.144.* Angelus *verbo Peculium n.11.* Leſſius *lib.2. cap.12. num.81.* Verum vt hoc licitè fiat tria requiruntur: Primò, vt filius oſtendat expreſsè, vel tacitè ſe velle lucrari, nam ſi hęc oſtendit fortaſsè Pater conſulet ſibi alia ratione: Secundò, vt conſtet Patrem id non facturum per ſe, neque inuenturum alium qui hoc faciat gratis, aut minori pretio, tunc enim filius non poteſt ſibi aliquid accipere cum Patris detrimento: Tertiò, vt vſumfructum iſtius lucri non ſibi vendicet filius ante mortem Patris, aut ante emancipationem, nam hoc lucrum connumeratur inter bona aduentitia. Ita Leſſius *loco cit.* Nauarrus *cap.17. num.143.* Reginaldus *lib.20. cap.2. num.28.*

Sciendum filium, qui viuente Patre accepit bona profectitia, mortuo ipſo debere ea conferre in partitione hæreditatis, ſed aduertendum bona aduenticia eſſe in duplici differentia: alia dici propriè profectitia, quorum dominium pertinet ad Patrem, & alia quorum dominium pertinet ad filium. & in tantum vocantur profectitia, in quantum profecta ſunt à Patre, & filius volens ſuccedere in hæreditate Patris tenetur ea cõferre cum alijs, qui ſuccedunt in eadem hæreditate. Ita Em. Sà *verbo hæreditas*, Molina *tract.2. diſp.233.* Sicut etiam filius tenetur cõferre in hęreditate cum reliquis fratribus, quę Pater illi prębuit, quæ alijs ad cibum, veſtitum, & equitatum, & libros etiam quos Pater tradidit, dum ſtudiis operã nauaret, adducendos eſſe iuxta valorem, quem habent tempore mortis Patris, modo illo tempore filius non eſſet inſignitus laureola doctoratus, aut conſtitutus aduocatus, aut promotus ad ordines ſacros *leg.1. de Caſtrenſ. pecunia*, nam hęc eſt traditio ob cauſam. Ita Lopez *2. par. cap.20. concluſ. 5.* Molina *diſput.239.* Sechius *2. part. cap.62. num.11.* Contrariam tamen ſententiam tuentur multi, & inter alios. Nauarrus *cap.17. num.104.* Gomez. *leg.29. tauri num.270.* Em. Sà *num.43.* & alij aſſerentes libros traditos filio viuente Patre non eſſe conferendos in partitione hæreditatis, ſi Pater illos emit nominè filij, & ipſi tradidit, vel dedit pecuniam ob hanc cauſam, quia præſumitur Pater condonaſſe collationem. Quæ verò pater conſumpſit in ſtudio ipſius filii, ipſum non teneri in diuiſione hæreditatis cum reliquis fratribus conferre. Ratio, quia præſumitur à patre donata *leg. qua pater ff. familia Erciſcunda* modò pater non haberet apud ſe bona filii aduentitia, Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia, quia tunc filius tenetur conferre cum reliquis fratribus inſumpta à patre in ſtudio. Ita Lopez *2. par. cap.20. concluſ.3.* Nauarr. *cap. 17. num.160.* Em. Sà *num. 93.* Molina *diſp. 239.* Ratio, quia in dubio pater non præſumitur condonaſſe, cũ filius haberet bona ſufficiẽtia ad ſe ipſum alendum, & ſuſtentandum.

An filius, qui aliquid accepit à Patre cauſa dotis, vel ad Ordines, teneatur illud conferre, ſi ipſe nolit ſuccedere Patri in hæreditate?

BRACTEA XI.

R. Negative, quia id ſolum conferre tenetur, qui vult in hæreditatem ſuccedere; non verò ſi velit ab hæreditate abſtinere contentus re ſibi tradita. Ita Em. Sà, Gomez *locis citatis*.

Sciendum pro maiore notitia donationem duplicem eſſe, vna eſt ſimplex, quę ex mera liberalitate fit, alia dicitur ob cauſam, quæ non fit ex mera liberalitate, ſed ob aliquam cauſam neceſſariam, vel vtilem, vel piam. Quo poſito.

R. 2. Filium, qui vult ſuccedere patri, vel auo, non teneri ea conferre in partitione hæreditatis, quæ validè accepit donatione ſimplici. Ratio, quia tradens non præſumitur tradidiſſe in compenſationem legitimæ, cum omninò liberaliter tradiderit; recipit tamen donatio facta filio emancipato; quia tenetur conferre quidquid à Parentibus in emancipatione; vel poſt emancipationem accepit. *leg. vlt liberis Cod. de collatione.* Ita Em. Sa, Gomez *locis citatis*, Tuſcus *tom.1. concluſ 416.* & alii. Secundò filium, qui vult ſuccedere teneri conferre, quæ accepit donatione ob cauſam, v.g. ad ordines, ad nuptias, ingreſſum Religionis pro dote. Ratio, quia donata ob cauſam ex ſua natura cenſeri debent tradita in compenſationem legitimæ, niſi aliter conſtet de mente conferentis. Ita plures apud Bonacinam de *contractibus diſp.3. pun.6. §. vnico propoſ. 2.* Quæ verò filius accepit dono à Patre viuente ob merita extraordinariorum obſequiorum non teneri conferre in partitione, modo accepta non excedant merita. *leg. ſi pater, ff. de donat.* Ratio eſt, quia bona hęc modo accepta cenſetur aduentitia, cum ita data fuerint filio, ac ſi data fuiſſent extraneo, & cenſentur debita, vltrà legitimam; bona autem aduentitia non adducuntur in diuiſionem. Molina *diſp.244.* Nauarrus *cap.17. num.144.* Silueſter *verbo Donatio*, & alij, ſicuti non tenetur adducere ſũptus factos in colligendis fructibus bonorum aduẽtitiorum, quia Pater videtur illos recuperaſſe in fructibus collectis, & eos feciſſe in ſui commodum.

R. 3. Aſſignata à Patre ad ſuſtentanda onera matrimonij non eſſe adducenda in portione hæreditatis. Ratio eſt, quia cum Pater teneatur filium ſuſtentare, & nurum alere, cenſetur huiuſmodi ſumptus condonaſſe. Secus tamen dicendum de bonis immobilibus, quæ Pater tradidit filio, vt filius ex

eorum

eorum redditibus ſuſtentet onera matrimonij, quia hæc cenſerur donatio ob cauſam, quæ præſumitur facta in compenſationem legitimæ. Ita Molina *tract. 2. diſp. 238.* & alij. Secundò filium nō teneri adducere expenſas factas à patre in conuiuio nuptiarum, quia iſti ſumptus pertinent ad rationabilem admiſtrationē bonorū patris, & ad alimenta filijs debita, & non magis cenſetur facta in honorem filij, quam in honorem patris ipſius; quod etiam dicendum eſt de cōuiuio facto à patre occaſione ſacri à filio celebrari, vel occaſione probationis ad doctoratum, aut profeſſionis in Religione, quando filius non habet bona propria. Ita Molina *diſp. 238. tract. 2.* & cum eo plures citati, Em. Sà *num. 43.* & alij. Tertiò veſtes pretioſas, quæ ſolent ſpontè dari, conferendas eſſe in partitione hæreditatis. Ratio, quia horum traditio eſt donatio ob cauſam, quæ in compenſatione legitimæ cōferendę ſūt: veſtes verò viles non eſſe conferendas, quia pręſumuntur donatę ad quotidianos vſus. Ita Em. Sà *verbo legitimi 3. num. 3.* Molina *loco cit.* Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp. 75.*

Sciendum veſtes pretioſas conferendas eſſe iuxta valorem, quem habent tempore mortis patris, quia ante mortem cenſentur ipſius patris, conſequenter ipſius periculo deteriores factas; ſi verò conſtaret patrem nurui tradidiſſe, tunc filius non tenetur eas adducere in partitione, quia non cenſentur ipſius, ſed nurui. Quartò aras, & alias largitiones factas pro filio nurui à patre eſſe conferendas in partitione. Ratio, quia cenſentur donationes factæ ob cauſam. Ita Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp. 25.* & cum eo plures citati, Em. Sà *loco cit.* & alij.

An valida ſit donatio filij in Parentes?

BRACTEA XII.

R. DONATIONEM filij in Parentes de Caſtrenſibus, vel quaſi eſſe validam. Ratio, quia bonorum bonorum filius habet adminiſtrationem, nec à iure prohibetur. Secundò, donationem profectitiorum bonorum non eſſe validam, cum hęc bona ſpectent ad patrem tam quoad proprietatem, quam quoad vſum fructuum. Tertiò validè filium poſſe donare Parentibus bona aduentitia quoad proprietatem, cum cenſeatur eorum Dominus, & etiam poterit donare quoad vſumfructum, quando bona aduentitia relicta ſunt filio pacto, vt vſusfructus ei acquiratur.

R. 2. Filium puberem poſſe liberè contrahere de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi. Ratio, quia illorum habet liberam adminiſtrationem: ſecus dicendum de profectitijs, vel aduentitijs; poteſt tamen filiusfamilias acquiſita pubertate contrahere, ſeque alijs obligare, non ſolum naturaliter, verum etiam ciuiliter, modò non adſit præiudicium patris, vel alterius: *inſtitut. de inutilibus ſtipulationibus §. item inutilis.*

An filius gaudeat priuilegijs Patris?

BRACTEA XIII.

R. EXCEPTA nobilitate filium non gaudere priuilegiis patris, aut alia conceſſione à iure facta. Ratio, quia priuilegium perſonale non excedit perſonam, nec tranſmittitur ad hæredes, niſi verborum ſignificatio, aut actionis, vel materiæ connexio, vel iuris diſpoſitio aliud ſuadeat. Ita Salas *diſput. 17. ſect. 11.* Suarez *lib. 8. cap. 11.* & alii.

R. 2. Regulariter filios ſequi conditionem matris, quando ipſa eſt ſerua, niſi aliter per conſuetudinem receptum ſit, ob id filius remanet ſeruus, ſi mater eſt ſerua. Ita habetur *leg. pactum 7. Cod. de vendit.* Secundò licet filius ſequatur conditionem matris quoad ſeruitutē, nō tamē ſequitur ipſius cōditiones quoad honores, & nobilitatem, quia in hoc ſequitur conditionem patris. *leg. cum legitimæ §. de ſtatu homin.* Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 24.* & cum eo plures Doctores. Tertiò filium ſequi conditionem patris, & eſſe ſeruum, ſi mater eius temporis conceptione non erat libera, vel tempore partus, vel quocunque tempore medio inter conceptionem, & partum; ſi verò mater erat libera tempore conceptionis, vel partus, vel medio tempore filius non remanet ſeruus, vt habetur *inſtit. de ingenuis §. ſed ſi quis.* Vnus tamen caſus excipitur ab hac doctrina, quando mater grauida ſit ſerua iure belli, in quo caſu fœtus ſit ſeruus cum matre, quamuis mater tempore conceptionis eſſet libera. Ita Sanchez *lib. 7. diſp. 24.* Gutier. *cap. 93. num. 5.* & alij.

An filius qui iurauit Patri ſe non luſurum, donec ipſe Roma non rediijſſet, poſſit ludere ſi Pater Romæ moriatur?

BRACTEA XIV.

R. NON eſſe liberum à vinculo iuramenti, nec poſſe ludere, ſi pater Romæ moriatur. Ratio eſt, quia vinculum iuramenti iuxtà ſignificationem verborum remanet, donec pater redeat, cum autem nunquam redeat, ſequitur vinculum iuramēti ſemper remanere. Ita plures apud Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 28. num. 53.* Secus autem ſi filius iuraſſet ſe non luſurum, donec Pater velit, poſſet enim ludere eo mortuo, quia eius voluntas ceſſat per mortem, quia mortui nullus eſt conſenſus, & nulla voluntas. Sanchez in *ſumm. lib. 3. cap. 18. num. 14.*

Sciendum dubium eſſe, an filius qui ludendo, parum poterat perdere, & lucratus eſt magnam ſummam pecuniæ: an teneatur ad aliquam reſtitutionē? Ad quod reſpondeo regulariter loquendo non poſſe plus lucrari, quam perdere. Ratio, quia debet eſſe æqualis conditio ludentium. Sotus in *quæſt. 5 art. 2.* Aragon. 2. 2. *quæſt. 32. art. 7.* Molina *diſp. 519. num. 4.* & alii plures apud Bonacin. *diſp. 2. de reſtitut. quæſt. 3. punc. 2. num. 19.* Secundò poſſe aliquando eſſe, vt vnus plus poſſit lucrari, quam perdere, vt quando alter ſciebat illum eſſe filiumfamilias, & ipſum habere minorem pecuniam, quia tunc cenſetur cedere iuri ſuo; vnde tunc filius ſi lucretur, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis tantum quantitatem pecuniæ perdere non poterat, quantum lucratus eſt, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria. Ita Bannes 2. 2. *quæſt. 32. art. 7.* & alii. Tertiò filium diuerſis vicibus poſſe plus lucrari, quam perdere; vt ſi lucro exponat decem, & à ſocio lucretur alia decem, ſi deinde viginti voluerit ludo exponere, poterit vna vice lucrari alia viginti, & ſic deinceps, quia in his caſibus non reperitur inæqualitas. Ita auctores ſupra citati apud Bonacinam *loco cit.*

R. 2. Filium, qui non habet facultatem diſponendi de pecunia, quam ludo exponit, non poſſe retinere lucrum, quod ex ludo acquiſiuit. Ratio, quia debet eſſe æqualis conditio ludentium, tum etiam quia cenſetur adeſſe dolus dans cauſam contractui, quia ſi alter ſciret, non poſſe filium exponere pecuniam

ludo,

ludo,non ludetat. Sacus dicendum aſt,ſi id illi non-tum aſſet,quia tunc qui lucratur, non tenatur reſtituere,quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria.Ita Molina diſp.388 & alii, quia ex eo quod ludit cum eo, qui non habet facultatem diſponendi, cenſetur ceſſiſſe iuri repetendi ipſam pecuniam ex eo, quod ſcienter luſit,v.g.cum filiofamilias,qui non poterat diſponere da pecunia,quam ludo expoſuit.

An filius poſſit à Patre priuari hæreditate?

BRACTEA XV.

R. Non poſſe abſque iuſta cauſa, poſſe verò cum iuſta cauſa, quæ debet exprimi in Teſtamento. *Autent. ſed hodie Cod. de inofficioſo teſtam.* Quæ ſint cauſæ iuſtæ exhæredationis ſupra fuerunt enarratæ.

Sciendum filium luxurioſè viuentem,aut nubentem cum indigna non poſſe exhæredari. Ratio,quia in *Autent. vt cum de appellat. cognoſc.* ſermo ſolum fit de filiabus inuitis Parentibus contrahentibus, aut luxurioſam vitam degentibus, & quia in materia odioſa non eſt facienda extenſio,idcircò non eſt afferendum filios inuitis Parentibus contrahentes,aut luxurioſè viuentes poſſe priuari hæreditate. Ita Rebellus 2.*par.lib.2.quæſt.14.ſeſt.2.num.16.* Siluester verbo *hæreditas 2.quæſt.2.* Sanchez *lib. 4 diſp.24.num.11.* & alii apud ipſum.

An filius vi monitorij teneatur denunciare delictum commiſſum à Patre?

BRACTEA XVI.

R. Negative: ratio eſt,quia damnum patris redundat in filium,& è contra, & nemo tenetur denunciare,quando ex denunciatione impedet magnum periculum denuncianti, excipitur tamen ab iſta regula caſus hæreſis, quia filius tenetur denunciare patrem hæreticum, quando hæreſis patris tendit in perniciem publicam,vt ſi pater dogmatizaret filium. Secundò quando filius interrogaretur à Iudice tanquam teſtis,licèt filius non ſit cogendus teſtari contra patrem, quando alij teſtes haberi poſſunt.Ita Filliucius *tom.2.tract.40.cap.8.n.233.* licet plures ſequantur negatiuam ſententiam, nimirum filium non teneri denũciare patrem hæreticum, & ita Alexander de Ales *par.3.quæſt.23.memb.4.art.2. dub vlt.* Ioannes Valerus in differentijs vtriuſque fori *verbo hæreſis differ.1.num.4.* & alij.

R.2. Filium ſpiritualem teneri vi monitorij denunciare patrem ſpiritualem. Ratio,quia contra ipſum poteſt eſſe teſtis: ergo etiam ipſum poteſt denunciare. Ita Farinacius *tract.de teſtibus quæſt.54.num.194.* Praxis Neapolit. *cap.2.nu.3.* Lazarius *quæſt.3.ſect.11.*& alii.

An filius poſſit impediri à Prælato, vel Iudice, ne matrimonium contrahat, quando prævident ex illo futura ſcandala?

BRACTEA XVII.

R. Affirmatiue: ratio,quia ipſis incumbit ſaluti ſubditorum conſulere,rixas tollere,& ſcandalum impedire, tum etiam quia filius peccat ineundo matrimonium in tali euentu, vt aſſerit Clauis regia *lib.7.cap.4.num.*22. Nauarrus *cap.14.num.19.* & alij. Prælatus autem debet peccato impedire, & per conſequens debet impedire matrimonium, quando præuidet ex illo oriturum magnum ſcandalum;quod tamen facilè non debet facere, niſi ex certis, & vehementibus coniecturis præuiderit, tale ſcandalum ſuboriturum. Secundò Prælatum poſſe impedire matrimonium contrahendum à filiofamilias cum aliqua indigna, quando ex eius celebratione præuidet graua ſcandalum, ac rixas inter Parentes,& conſanguineos ſecuturas.

An filius per profeſſionem egrediatur è poteſtate Patris?

BRACTEA XVIII.

R. Per profeſſionem deſinere eſſe ſub patria poteſtate iuxta gloſſ. communiter receptam in *leg.ſi ex cauſa* § *Papinian ff.de minoribus*, & Couarruuias *de teſtam.* aſſeuerat filium etiam egredi à patria poteſtate per patris profeſſionem,& ita etiã Nauarrus *cap. Nullum num 47.* licet huic opinioni,cui adhæreo contrarius ſit Nauarr. *cap. cum dicatur num.18.* Gregorius Lopez ad *leg.5.tit.17.par 4.* Patrem per profeſſionem filii non amittere viumfructum antè eam profeſſionem in bonis filii comparatum, ſed perſeuerare apud patrem vſque ad mortem naturalem ipſius,etiamſi filius præmoriatur. Ratio eſt,quoniam factum filii,tametſi laudabile,præiudicare non poteſt iuri patri,iam antea acquiſito in bonia tamenque ratione talis profeſſionis Monaſterio adueniſſent,non haberet pater vſumfructum,quia regulariter talis profeſſus gaudet priuilegio fori, eaque de cauſa bona,quę Monaſterio ratione illius obueniũt, efficiuntur quaſi Caſtrenſia iuxta Autenticam *Preſbyteros. 1.leg.de Epiſcopis,& Clericis.* Tum etiam quoniam per profeſſioné talis filius egreſſus eſt à poteſtata patris.Vnde filio bona,quæ in ſeculo aduenirẽt poſt profeſſionem patris pertinerent ad filium, & non ad Monaſterium. Nauarrus *Cap.Nullum num.47.* Molina *tract.2.de iuſtitia diſp.140.*

Cuius reputetur filius,qui naſcitur ex Concubina non domi retenta?

BRACTEA XIX.

R. Patrem huiuſmodi filij non eſſe certum,& ideò neceſſe eſt, vt Pater recognoſcat ſuum eſſe qualemcunque ita genuerit, alioqui nó reputabitur illius, niſi id aliunde ſufficienter probetur, vt colligitur ex *leg.11.tauri, quæ eſt noua tit.8. lib.5.noua collatio,* Molina de *iuſtit.tract.2.diſp.165.* Secundò quando filius naſcitur ex concubina domi retento ab ipſo cenſetur illius filius, qui eam domi retinebat,

nebat, niſi contrarium aliundè probetur, vt colligitur ex *cit. leg. 11. tauri*, & affirmat gloſſ. *cap. Michael de filijs Presbit.* Couar. in *epiſt. cap. 8. §. 4. nu. 6.* & Doctores communiter.

Quid agere debeat filius, qui in minori portione quàm ſit legitima inſtitutus eſt hæres?

BRACTEA XX.

R. Qvando filius, ſine ingratitudinis cauſa ſufficienti atquè expreſſa in Teſtamento inſtitutus in minori portione, quam ſit legitima ei debita, eſto poſt mortem Parentum eam petat, & cupiat abſquè vlla proteſtatione, tradatquè chirographum hæredibus ſe illam accepiſſe, poteſt nihilominus agere ad complemẽtum modo expreſſè non dixerit, aut ſit pactus, & conſenſus in teſtamento, in quo filius eſt præteritus, aut exhæredatus ſatis ſit, vt nequè poſſit dicere iſtud amplius nullum nequè agere aduerſus illud querela inofficioſi; vt tamen inſtitutus in minori portione, quam ſit ſua legitima agere non poſſit ad complementum, non ſufficit tacitus, ſed neceſſarius eſt conſenſus expreſſus. Secundo actione ad complementum legitimè competere aduerſus hæredes, & legatarios, vt pro rata contribuant. Ita Nauarr. addit. ad poſ. quādam *leg. omni modo cod. de inofficioſis teſtam.* & plures iuris periti hoc affirmant, vt videre eſt apud Molinam *tract. 2. de iuſt. diſp. 177.*

An filius contendere in iudicio poſſit ſine conſenſu Patris?

BRACTEA XXI.

R. Filivm familias, etiamſi vigeſimum quintum annum excedat, nequè intentare aduerſus alium poſſe actionem ſine conſenſu eius, in cuius poteſtate eſt, nequè alius aduerſus illū, niſi conſcio, & vocato, & ſub cuius poteſtate eſt. Ita Molina *loco cit. diſp.* 228. Secundò quando lis eſt de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus ſine conſenſu Patris lis eſſe poteſt. Ratio, quia filius horū bonorum cenſetur dominus, & ideò reputatur quaſi pater familias. Ita apud Molinam *loco cit.* excipitur primò ab hac regula ſi lis ſit de re ſpirituali, vt de matrimonio, beneficio, &c. vel ſit de re annexa ſpirituali, vt de fructibus beneficij &c. tunc ſi filius pubes iam eſt conſenſus Patris non requiritur, vt expreſsè habetur *cap. vlt. §. vlt. de iudicijs*; ſi tamen filius impubes eſſet, nec Patris acceſſerit conſenſus dandus eſſet illi curator ad litem. Ita Molina *loco cit.* Excipitur 2. ſi filius commodo, & nomine alieno agat; ſicut enim in hoc agere poteſt cum eo, in cuius poteſtate eſt, multò magis ſine Patris auctoritate, & conſenſu agere poteſt cum quocunquè alio. gloſſ. *cap. vlt. C. de bonis, cap. quis generaliter, §. de Procur. lib. 6.* Molina *loco cit.* Excipitur 3. ſi filius familias longè diſtat ab eo, in cuius poteſtate eſt, vt quia ſtudij, aut alia de cauſa diſtat à Patre, vel Pater diſceſſit in locum longiquum, tunc enim fas eſt filio agere aduerſus extraneum, eſt extraneum aduerſus filium ſine Patris auctoritate, & conſenſu, *leg. ſi longius, §. 1. ff. de iudic. leg. 7. tit. 2. part. 3. & leg. vlt. tit. 17. part. 4.*

An filia inuitis Parentibus nubens ſeruata forma Concilij Tridentini, poſſit exhæredari?

BRACTEA XXII.

R. Secvndvm ius Canonicum non poſſe exhæredari etiamſi nupſerit indigno. Ratio, quia ius Canonicum requirit plenam libertatem ad contrahendum matrimonium ob id irritat pœnam ſponſalibus adiectam ſoluendam ab eo, qui reſilierit à ſponſalibus, cum autem metus exhæredationis libertatem matrimonij minuat, ideircò videtur dicendum, non poſſe filiam inuitis parentibus nubentem exhæredari; ſi verò forma Concilij Tridentini non eſſet ſeruata, in aliquibus locis ſunt ſtatuta, quibus Parentes poſſunt illas exhæredare. Secundò attento iure Cæſareo filia minor vigintiquinque annis nubens inuitis Parentibus poteſt exhæredari, ſicut etiamſi luxurioſam vitam ageret. Ita Rebellus *2. part. lib. 2. de matrim. quæſt. 14. ſect. 2.* Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 176.* Sotus in *4. diſtin. 19. quæſt. 1. art. 4.* Sanchez de *matrim. lib. 4. diſp. 24. num. 4.* Nauarr. *cap. 14. num. 16.* non poſſe tamen exhæredari filiam, quæ luxurioſè viuendo bis, aut ter ſolum ſui corporis copiam fecit. Ratio, quia in autentica, *vt cum de appellat.* filia priuari poteſt hæreditate, & alimentis, quæ luxurioſam vitam egerit, & illa non dicitur luxurioſam vitam agere, quæ bis, aut ter furtim ſui corporis copiam fecit. Ita Sanchez *loco citato.* Tertiò filiam maiorem vigintiquinque annis; quæ vitam luxurioſè agit, aut matrimonium inuitis Parentibus contraxit non poſſe priuari hæreditate, niſi cum mancipio contrahat. Ratio, quia non ſua culpa, ſed Parentum id commiſiſſe præſumitur.

An filia, quæ defectum virginitatis medijs licitis tegit peccet?

BRACTEA XXIII.

R. Non peccare filiam, quæ defectum virginitatis tegit, & tanquam virgo matrimoniū contrahit. Ratio, quia nō intendit alterum decipere, ſed ſolum ius ſuum tueri, dummodo tamen periculum non ſit, vt vir veniat in cognitionē defectus, eoquè cognito grauem concipiat mærorem, aut vxorem malè tractet; ſi verò periculum nō ſit, vt vir veniat in cognitionem defectus, aut eo cognito non ſit ægrè laturus, non peccare vtendo medijs licitis ad tegendum defectum virginitatis. Ratio, quia videtur vti iure ſuo, cum tales defectus non ſoleant manifeſtari, tum quia nullus tenetur ſe ipſum prodere. Ratio ſecundæ partis eſt, quia quilibet ex Charitate tenetur ſcandalum, & damnum proximi euitare, niſi illius permittendi iuſtam, & rationabilem cauſam habeat. Vnde filia, quæ probabiliter credit, defectum viro detegendum, eoquè detecto peſſimè ſe ab eo tractandam, vel interficiēdam, aut vitam diſcordijs tranſigendam grauiter peccat contrà Charitatem, immò etiam contrà iuſtitiam ſi vir graue damnum ob defectum non manifeſtatum patiatur, aut ſi vir in contractu matrimonij expreſſerit, vel in ſponſalibus, ſe nolle cum ea contrahere niſi virgo ſit, quia tunc dicitur virum decipere, illique iniuriam, vel damnum afferre. Ita Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp. 27. n. 8.* & alii.

An

An filia, quæ per vim opprimitur, teneatur clamare, & opem implorare ne violetur?

BRACTEA XXIV.

R. Teneri clamare quando probabiliter credit clamores profuturos: Ratio, quia tenetur adhibere media neceſſaria ad impediendos turpes, & obſcænos actus. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 164 *art.*4. Quod tamen intelligendum eſt modo nõ adſit periculum infamię notabilis, damni, mortis, aut nimiæ verecondiæ, quia cum tanto ſuo incommodo non tenetur clamare. Ita Reginaldus *lib* 22. *num.*4. Nauarr. *cap.*16. *num.*1. Nequè ex taciturnitate poſita tali cauſa præſumi poteſt cooſenſus, ſed ſola permiſſio ob vim abſolutam, quæ corpori infertur, quęque non poteſt remoueri niſi cum mortis, vel infamiæ periculo. Secundò poſſe filiam occidere inuaſorem ſuæ pudicitię, quando aliter non poteſt ipſam defendere, ideſt clamando, fugiendo, vel alio modo. Ita Molina *tract.*3. *diſp.*17. *num.*10. Petrus Nauarra *lib.*2. *cap* 3. *num.* 303. Rodriguez 1. *pars. cap.*136. *num.*14 Nauarrus *cap* 15. *num.*5 & alij. Ratio eſt, quia ſicut licitum eſt occidere inuaſorem facultatum, & honoris, quando ipſa occiſio eſt neceſſaria ad defenſionẽ earum, ita etiam licitum eſt puellæ occidere inuaſorem ſuæ pudicitiæ, quando aliter non poteſt ipſam defendere: poteſt tamen dummodo non adſit periculum conſenſus condonare vitam inuaſori, patiendo violationem ſui corporis, cum non coinquinetur corpus, niſi de conſenſu mentis: Teſte D. Lucia. Et ita Molina *loco cit.*

An filia, quæ coloribus fucat faciem peccet?

BRACTEA XXV.

R. Non peccare, ſi hoc faciat ob cauſam rationabilem: ſi verò hoc faciat abſque rationabili cauſa, peccare ſolum venialiter peccato leuitatis, & vanitatis. Ratio, quia ornatus non eſt per ſe malus, ſed indifferens, nec repugnat Charitati Dei, vel proximi: peccare verò mortaliter ſi hoc faciat ex prauo fine mortaliter malo. Ita Nauarrus *cap* 19. *num.*14 Em. Sà *verbo ornatus num.* 1. Graffius 1. *part lib.*2. *cap.*77 *num.*51. Secundò peccare filiam peccato generalis ſcandali, quando data opera ſe prębet illius conſpectui perſpiciendam, à quo ſe credit turpiter concupiſcendam, abſquè vlla neceſſitate, aut rationabili cauſa, ſed ex vanitate, non ignorans illius affectum inordinatum: ſi verò hoc faciat ex aliqua cauſa honeſta, vt v.g. ne ſe priuet libertate, vel iure exeundi à domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram non cenſetur peccare mortaliter. Ita Caietan. 2. 2 *quæſt* 154. *art.*4. Azotius 3. *part. lib.*3. *c.* 16 *quæſito* 6. Sanchez in *ſum. lib.*1. *cap.*6. *num.*16. & alij. Tertiò poſſe filiam miſſam omittere ſi credit mortaliter ſe eſſe concupiſciendam, ſed non teneri. Ratio primæ partis eſt, quia præceptum miſſæ non obligat, quoties illius omiſſione impeditur damnum proximi notabile: ratio ſecundæ partis eſt, quia vtitur iure ſuo, & non debet ſe priuare auditione miſſæ propter peccatum alterius: tum quia illius peccati non cenſetur cauſa per ſe, ſed ſolum per accidens. Ita Em. Sà *verbo miſſæ auditio*, *num.*3. Quartò excuſari filiam ab auditione miſſæ, quando non habet veſtem conuenientem, ſine qua irrideretur, aut magno pudore perfunderetur. Ita plures citati à Bonacina *diſp.*4. *de miſſæ ſacrificio, quæſt. vlt. pun. vlt. n.*8. Ratio eſt, quia præceptum poſitiuum non obligat ad ſui obſeruantiam cum magno incommodo, & præceptum audiendi miſſam eſt poſitiuum, & per conſequens puella, quæ caret veſte conueniente, ſine qui irrideretur excuſatur ab auditione miſſæ, cũ non teneatur eam audire cum tanto rubore, & irriſione.

An filia, vt ſubueniat extremæ neceſſitati Patris poſſit ſui corporis copiam dare?

BRACTEA XXVI.

R. Negativè: quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona: filiam præbere copiam ſui corporis illicitè, prohibitum eſt quocunquè iure, & talis actio ob finem bonum non deſinit eſſe mala, & peccaminoſa. Quod ſi dicatur licitum eſſe filio furari ad ſubleuandam extremam neceſſitatem Patris, ergo etiam filiæ ad eam ſubleuandam præbere copiam ſui corporis. Reſpondeo licitum eſſe filio furari ad ſubleuandam neceſſitatem Patris, quia tunc furtum deſinit eſſe illicitũ; ſed in iſto caſu pręſtatio ſui corporis non deſinit eſſe malum, cum in quocunquè caſu habeat diſcõueniẽtiam cum ratione. Quod ſi iterum dicatur ad ſubleuandam vitam licitum eſſe occidere inuaſorem, quod eſt intrinſecè malum; ergo etiam licebit filiæ præbere copiam ſui corporis ad ſaluandam vitam Patris. Reſpondeo negando conſequentiam: in primo caſu licitum eſſe occidere inuaſorem ad ſaluandam vitam, quia talis occiſio deſinit eſſe mala, cum ſolum intendatur, vt medium ad ſaluandam vitam: at in ſecundo caſu non poteſt intendi talis locatio corporis, cum nõ ſit medium ordinatum à natura ad ſaluandam vitam, & per conſequens nullo modo poſſe filiam præbere copiam ſui corporis, vt aliquid lucretur ad ſubleuandam extremam neceſſitatem Patris.

An filia, quæ ſe primò polluit teneatur aperire circumſtantiam Virginitatis?

BRACTEA XXVII.

R. Negativè: ratio, quia non committit ſpeciale ſtuprum, ſed peccatum contrà naturam, per quod non amittit virginitatem naturalem ſed virtuoſam.

An filia corrupta per copulam poſſit velari, & ſacrari?

BRACTEA XXVIII.

R. Poſſe velari quando corrupta eſt per actus interiores, vel per delectationes venereas, vel per voluntariam pollutionem. Ratio, quia adhuc eſt virgo virginitate naturali, cũ adhuc retineat naturalem corporis integritatem, nõ autem velari ſi per copulam corrupta fuit, quia non eſt amplius virgo nõ ſolum virginitate virtuoſa, ſed nequè naturali.

Secundò, filiam occultè carnaliter cognitam teneri poſtquam fuit velata abſtinere ab officijs, quæ conferuntur virginibus conſecratis ſi commodè poteſt, & abſquè infamia. Secus autem ſi non poteſt

abſquè ſcandslo, & infamia, quia non tenetur prodere ſnum delictum cum periculo infamiæ, aut ſcãdalı, quia Eccleſia non obligat cum tanto incommodo.

An filia poſt ſponſalia poſſit permittere amplexus, oſcula, & tactus?

BRACTEA XX!X.

R. Amplexvs, tactus pudicos, & oſcula poſſe permitti à filia poſt ſponſalia. Ita Sanchez *lib 9 diſp* 46.*num*.10. Toletus *lib*.5.*cap*.14. Nauarrus *cap* 16.*num* 11. Ratio, quis ſicut matrimonium facit copulam licitam, ita ſponſalia, quæ ſunt via ad matrimonium faciunt hæc licita, modo non ſit periculum pollutionis.

Negatiuam ſententiam tenet Rodriquez *lib*.11. *c*. 19.*num*.4. Leſſius *lib*.4.*cap*.3 *num* 120. Ratio, quia hæc delectatio eſt Inſtituta à natura in ordine ad copulã quæ cum ſit illicita inter ſponſos erit etiam illicita hæc delectatio: ſed reſpondetur, oſcula, tactus pudicos, & amplexus non ſemper fieri in ordine ad copulam, ſed etiam fieri ex amicitia, ex conſuetudine Patriæ, vel ex alio motiuo honeſto, & per conſequens inter ſponſos de futuro non eſſe in ordine ad copulam, ſed ex motiuo ſponſalium.

R. 2. filiam, quæ poſt ſponſalia violenter cognoſcitur non peccare mortaliter, dummodo duo concurrant: primò quod habeat contrariam voluntatẽ non conſentiendi eiuſmodi copulæ: Secundò, quod cogetur quantum poteſt impedire talem effectum violentum, alioqui cenſeretur conſentire, ideò tenetur clamare, & corpore reſiſtere, dummodo hæc poſſint fieri abſquè ſcandalo, infamia, & periculo alicuius damni. Ita Valentis *tom*.2.*diſp*.3.*quaeſt*.1.*pun*. 3. Reginaldus *tom* 2.*lib* 22.*cap*.1 *sect* 1.*num* 10 Medina in *part*.2.*D Thomæ quaeſt* 6.*art* 5 Felinus in 2. 2. *quaeſt*. 184 *art* 2. Azorius *tom*.1.*lib*.1.*cap*.9 *quaeſit* 3 Fillinccius *tom*.2 *tract*.21.*cap*.2.*num* 67. Clauis regia *lib*.2.*cap*.2. *n*. 4. & alij.

R.3. filiam mortaliter peccare, quando aduertit ſe ab alio libidinosè tangi, & ſe non retrahit, quando actus ſunt impudici. Ratio, quia non ſe retrahendo cenſetur concurrere ad actum intrinſecè malum. Quando verò actus ſunt extrinſecè honeſti, & fiunt iuxta conſuetudinem Patriæ diſtinguendum eſt, vel fiunt In aliorum præſentia, & in publico: vel in ſecreto; ſi fiunt in publico fæmina, non peccat mortaliter ſe non retrahendo, & non repellendo alterum; ſi verò fiunt in ſecreto peccat mortaliter cõtrà Charitatem nõ impediendo ſi commodè poteſt: nam quilibet ex Charitate tenetur curare, quantum commodè poteſt, ne alter peccet. Ita Graf.1.*part*. *lib*.2.*cap*.75.*n*.12. & alij plures.

An filiæ ſpuriæ Pater teneatur dare dotem?

BRACTEA XXX.

R. Patrem non ſolum filiæ naturali, ſed etiam ſpuriæ ex ſacrilegio genitæ teneri alimenta præbere, & poſſe eam dotare, non tamen ad hoc ſecundum teneri. Ita Molina de *iuſtitia tract*. 2.*diſp*. 224. Secundò poſſe beneficiatum aſſignare moderatam dotem, & competentem ſolum quouſque non egeat filiæ ſpuriæ, hoc eſt quantum indiguerit ad competentem, & moderatam ſuſtentationem, aut quantum indiguerit ad competentem, & moderatam dotem. Ita D. Thomas 2 2 *quaeſt* 180. Caietan. ibid. *quaeſt*. 43. *art*. 8. qui ait pauperes eſſe non ſolum, qui egent cibo, potu, aut veſte, quæ ſunt neceſſaria naturæ: ſed qui egent opportunis ad conuenientiam ſui ſtatus, ac proinde Prælatos Eccleſiæ poſſe diſtribuere illis, ſicuti alijs pauperibus. Quę doctrina intelligenda eſt, dummodo aliæ graues proximorum neceſſitates non occurrant; neque enim æquitas patitur, vt beneficiatus de redditibus beneficij, quos in operibus pijs inſumere tenetur, teneatur potius ſubuenire conſanguineis, quam extraneis, & prætermittat ſubuenire extremè, aut grauiter indigentibus, vt conſanguineis ſubueniat in iis, quibus ſolũ indigent ad conueniẽtiam ſtatus. Molina *tract*.2.*de iuſtitia diſp*.146. Tertiò quamuis beneficiatus præter redditus beneficii habeat alia ſua propria bona, de quibus diſponere poſſit, ad quos vſus voluerit, poſſe de redditibus ſui beneficii ſubuenire conſanguineis egentibus ad eorum congruã ſuſtentationem, vel ad congruam dotem. Ratio eſt, quoniam ſolum ſuperfluũ ſui beneficii tenetur expendere in operibus piis: illa autem ſubuentio, ſeu donatio opus eſt pium, ac proinde ſatisfacit. Molina *loco cit*.

An filia acceptum per fornicationem tenetur reddere Patri?

BRACTEA XXXI.

Petrvs Nauarrus *lib*.3.*de reſtitut*.*cap*.1. Sotus 4. *de iuſtit*.*quaeſt*.7.*art*.1. Reginaldus *lib*. 10.*num*.193. Bannes 2.2.*quaeſt*.62.*art*.5 *dub*.5. Molina *tract*.2. *de iuſtit*. *diſp*. 44. docent idem iudicium fieri debere de illicitè acquiſitis, ac de aliis, quæ laborando acquiruntur. Ratio eſt, quia peccatum non debet delinquenti patrocinari. Sed

R. Patri non eſſe reſtituenda. Ratio eſt, quia pater In rebus illicitis, & inhoneſtis à filia acquiſitis nullum habet ius; tum quia huiuſmodi lucrum eſt odioſum patri. Ita plures apud Bonacinam de *reſtit*. *diſp*.1.*quaeſt* 3.*pun*.3 *num*.12.

An filius in dignitate conſtitutus debeat præcedere Patrem?

BRACTEA XXXII.

R. Filivm in dignitate conſtitutum in locis publicis debere præcedere patrem, ſi ita poſtulet ratio, & dignitas officii; ſecus autem in locis particularibus. Ratio, quia illa dignitas non tollit reuerentiam, & ſubiectionem, quam iure naturæ filius tenetur præſtare patri.

An filius vſurarij obligetur ad reſtitutionem rerum acquiſitarum per vſuras?

BRACTEA XXXIII.

R. Obligari, etiamſi eam facere non poſſint ſine mutatione ſtatus acquiſiti per vſuras, dummodo non adſit infamia, quia ab eo ſtatu non tenetur recedere cum infamia. Secus autẽ ſi abſque Infamia poteſt, vt quando conſtat ipſum ad eum ſtatum iniuſtè perueniſſe. Ita Leſſius *lib*.2.*cap*. 16.*num*.30. & alii, niſi fortè bona fide poſſideat, quia tunc non tenetur cum mutatione proprii ſtatus reſtituere,

ſtituere, cum melior ſit conditio poſſidentis bona fide. Ita Azotius *3.par.lib.4.cap.39.* Clauia regia *lib.10. tract.5.cap.6.num.3.* Valentia *tom.3.diſp.5.quæſt.6.pun.7.* & alii.

De filijs legitimis, & illegitimis, ac eorum legitimatione.

BRACTEA XXXIV.

R. FILIOS aut eſſe legitimos, aut illegitimos: filios legitimos eos eſſe Primò, qui ex legitimo matrimonio ſuſcepti ſunt: Secundò, qui ſuſcepti ſunt ex matrimonio non verè, attamen in facie Eccleſiæ, & bona fide celebrato; & ſi enim poſt illorum conceptionem matrimonii impedimẽtũ detegatur, pro legitimis tamen benigna Iuris diſpoſitione habentur, dummodo in bona fide, ſaltem alterius parentis concepti ſint. Secundò, qui ex perſonis ſolutis fornicariè, & illegitimè fuerant concepti, matrimonio poſtea inter illas contractu legitimantur; ſicut conſtat ex *leg. ſi quis ff. de naturalib. liberis*, Autentica *Quibus modis naturales efficiuntur ſui*, & inſtit. *de nuptijs §. ult. vs.* 4. Quia tanta eſt vis matrimonii, vt qui antea illegitimè ſunt geniti poſt contractum matrimonium legitimi habeantur; & ideò dici ſolet, quod matrimonium ſubſequens omnia antecedentia purgat, quia retrotrahitur ad tempus conceptionis liberorum: Neceſſe tamen eſt, vt Parentes eo tempore, quo proles ſuſcepta eſt, ſint ad contrahendum inter ſe matrimonium habiles, ſeu nullo impedimento adſtricti: alioquin proles ſubueniente matrimonio non legitimabitur. An ſatis ſit alterutro tempore, videlicet conceptæ, vel natæ prolis parentes ad matrimonium habiles fuiſſe? Reſpondeo ſatis eſſe tempore conceptionis impedimentum nullum extitiſſe, licet tempore natiuitatis exiſtat. Ratio eſt, quia iura ſolum prohibent prolem legitimari, ſi ex coitu damnabili, puta inter perſonas ad contrahendum impeditas ſuſcepta ſit, non autem ſi ſit ſuſcepta ex perſonis ad contrahendum non impeditis; vt colligitur ex cap. *Tanta ſicut viuente uxore aliam cognouerit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem vxoris eamdem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius.*

Sciendum filios illegitimos alios eſſe naturales, alios non naturales, qui ab aliquibus ſpurii vocantur. Naturales canonico iure hi omnes cenſentur, qui ſuſcepti ſunt à parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis abſque impedimento iuris dirimentis conſiſtere poterat. Non naturales autem atque ſpurii hi ſolum dicuntur canonico iure, qui ſuſcepti ſunt ex parentibus, inter quos matrimonium dicto tempore conſiſtere non poterat: quare iidem ex damnato coitu nati dicuntur. Molina *tom.1.tract.2 diſp* 165. Secundùm verò ius Cæſareum naturales ſolum cenſebantur, qui nati erant ex concubina domi retenta, cum qua matrimonium contrahi potuiſſet. Non naturales ſi cum eorum matre matrimonium contrahi, nõ potuiſſet nati ex coitu damnato cenſebantur, reliqui autem nothi dicebantur, qui à naturalibus ex concubina domi retenta natis differunt, quod iſti habeant patrem certum, illi verò incertum.

R. 2. Legitimationem natalium fieri per reſcriptum Principis, vel alterius perſonæ à Principe poteſtatem habentis.

Sciendum legitimationem duplicem eſſe, vnam Eccleſiaſticam, quæ eſt ad Eccleſiaſtica beneficia, vel iura, &c. quam ſolus Papa tanquam ſupremus in Eccleſia Princeps cuicunque illegitimo filio iure proprio, & ordinario conferre poteſt; & alteram ciuilem, quæ eſt ad ciuilia iura, v.g. ad hæreditatis ſucceſſionem, officia, & dignitates, quam quilibet Princeps in temporalibus, aut Reſpubl. libera propriis ſubditis conferre poteſt. Ad ciuilia iura non poteſt Summus Pontifex legitimare alterius Principis temporali iuriſdictione ſubiectũ, niſi fortè indirectè, & caſualiter, ſi quãdo grauis cauſa Chriſtianæ Reipub. ita exigat; ſicuti habetur in cap. *Per venerabilem*, & docet Couar. *par 2. epit cap.*8.§.8.*num.*20. *&* 45. vnde eiuſmodi generali legitimatione ciuili conſequitur filius illegitimè natus, vt inſtar legitimorum ſuccedat in hæreditate parentum, & conſanguineorum: non item in paterna nobilitate, in feudo, primogenitura, niſi ſpeciatim expreſſum fuerit. Couar. *loco cit. num.* 4. Ita etiam per legitimationem à Summo Pontifice factam habilis quis efficitur ad ſacros Ordines, & beneficia etiam curata; ſicut colligitur ex *Cap 1. de filiis Presbyterorum in* 6. & docet Hugolin de *irregularit. cap.*44.§.4. Henriq *lib.*8.*cap* 9 *num.*10. Molina *diſp.* 173. & alii: non tamen ad dignitatem Epiſcopalem, vel Cardinalitiam ſecundum Simonem Maiolum *lib.1. de irregularit. c.*9. quamuis contrarium ſentiat Suarez *diſp* 50.*sect.*5.*num.*10.

Sciendum 2. quod in dubio quiſque cenſeri debet legitimus, tametſi tẽporis ordinarii, hoc eſt nouem, aut decem lunarium menſium ſpatium, quod à conceptione vſque ad natiuitatem plerunque intercedere ſolet; non nihil reſtringere, aut ampliare oporteat ad legitimam natiuitatem defendam, quia vti Ariſtotiles ait *lib. 7. de animal. cap.* 4. non vnum, ſed multiplex pariendi tempus homini natura datum eſt. Nam & ſeptimo menſe, & octauo, & nono parere poteſt, quod plurimum decimo nonnullæ etiam mulieres vndecimum attingunt. Vnde ita reſoluit Ioach. Myſinger. *conſil. 6. obſeru.* 40. ſi poſt contractas nuptias ante ſeptimum mẽſem partus naſcatur non legitimum cenſeri. Si poſt mortem aut poſt diuortium exacto menſe decimo non initio mẽſis vndecimi, ſed ſub finem illius, aut poſtea proles naſcatur, non legitimam cenſeri, neque ad defuncti hæreditatem admittendam eſſe. Si autem intra dicta temporum interualla proles edatur legitimam habendam fore. Ita colligitur ex *l. Gallus ff. de liberis, & poſthum. leg. inteſtato §. poſt decem ff. de ſuis, & legitimis hæredibus.*

An filij, & nepotes via maſculina poſſeſſoris maioratus rei læſæ Maieſtatis Diuinæ, vel humanæ, & filij via fæminea excludantur à maioratus ſuſceptione, & tranſeat ad alterius vocatum?

BRACTEA XXXV.

R. PRIMO, ob hæreſim poſſeſſoris, qui non eſt inſtitutor maioratus, filios, & nepotes via maſculina, & filios via fœminina non excludi à maioratu, ſiue ſint nati ante, ſiue poſt hæreſim paternam. Ratio, quia maioratu inſtituto cenſetur tot donationes factæ, quot ſunt in perpetuum vocati, ac ſi quilibet ſpecificè, ac nominatim facta eſſent; & ideò quilibet vocatus conſequitur dominiũ eodem inſtanti, ac momento, quo accedit dies vocationis, & hoc quidem ex propria perſona ſublato

de medio præcedenti ſucceſſore; non autem ex iure ab eodem in ſemetipſum tranſmiſſo, ideòque ſucceſſores non ſuccedere ex perſona patris, ſed ex ſua, vt plures citati à Sanchez in moralibus *lib.2.cap.30. num.4.* teſtantur. Ex quo fit, vt ſucceſſoribus à natiuitatis puncto acquiratur ius quoddam, & ſpes certa, & incommutabilis ſuccedenti, ſuo loco, & tempore in maioratum. Et ita Tiraquell. *de primogenitis quæſt. 40.num.200.* Molina *lib.4.de primogenitis cap.vlt. num. 51.* Burgos de *par.in proemio legum tauri nu. 332.* & ideò filius ſuccedens in feudo patri non dicitur acquirere feudum, ſed acquiſitum capere, cum cenſeatur per ſe vocatus independenter ab alio, & ideò ſucceſſio filij non poteſt impediri ob delictum patris. Et ita Valaſcus de *iure emphyteotico quæſt. 49. num. 9.* & alij, qui aiunt delictum patris nocere filio.

R. 2. Filios hæreticorum natos ante, aut poſt hæreſim paternam eſſe capaces ſuccedendi in maioratum, quamuis iuriſdictione, & titulo Ducatus, Marchionatus, & Comitatus prædictum. Ratio, quia & ſi hæretici ſint infames, & incapaces iuriſdictionis ſecūdum aliquos id vtique eſſet verũ, quando iuriſdictio illa per ſe conferetur. Secus quando coniuncta cum bonis, quorum hi ſunt capaces, quia in indiuiduis vtile trahit ad ſe inutile, illudque valere facit. Tum etiam, quia principale trahit ad ſe acceſſorium; ergo quoties aliquis eſt capax principalis, conſequenter eſt etiam capax acceſſorij Regul. *Acceſſorium 42.de regulis iuris.*

R. 3. Filios, & nepotes committentis crimen læſę maieſtatis ſuccedere in quemcunque maioratum, quamuis iuriſdictione munitam, cũ titulo Marchionatus, Ducatus, & Comitatus habeat, ſiue ille in cōtractu, ſiue in quacunque alia voluntate inſtitutus fuerit, & ſiue huiuſmodi filij concepti fuerint ante id crimen læſæ maieſtatis humanę parentum, ſiue poſt illud. Ratio eſt, quia filij, & nepotes sũt ſolũ incapaces illius ſucceſſionis, cuius ſpes poſt parentum delictum prouenit. At ſpes ſuccedēdi in maioratum eſt acquiſita his omnibus à tempore inſtitutionis, & nō ex perſona patris, eiuſque vocatione, ſed ex propria perſona, ac propria vocatione; ergò ſunt omninò hi capaces ſuccedendi in eo maioratu non obſtante incapacitate ſuccedendi ex teſtamento. Et ita plures apud Sanchez *lib. 2. cap.30. num. 11.* & apud alios.

R. 4. Quod quando primus maioratus inſtitutor damnatur tanquam hæreticus, aut læſæ maieſtatis reus, filij non ſuccedunt, ſi poſt parentum delictum concepti fuerint. Ita Villadieg. *lib.11.num.76.* verum Sanchez *loco cit.* vtitur hac diſtinctione: vel maioratus eſt ſimplex, vel habet iuriſdictionem annexam: vel eſt inſtitutus ante delictum patris, vel poſt, nullatenus ſuccedent in illum filij, ſiue concepti ante, ſiue poſt illud crimen parētis inſtitutoris. Ratio eſt, quia huiuſmodi maioratus applicatur in perpetuum fiſco, reiecta tota poſteritate; ſimiliter non ſuccedēt, quando inſtitutus eſt quocunque contractu, quamuis irreuocabili poſt parentum delicta, quia ſimiliter tunc confiſcatur in perpetuum excluſa tota poſteritate. Si autem maioratus hic ſit inſtitutus ante delictum parentis inſtitutoris, & in contractu inter viuos, ſiue reuocabili, ſiue irreuocabili ante patris condemnationē, ſi reuocabilis ſit, & non eſt reuocatus, filij in illum ſuccedent, ſiue concepti fuerint ante illa parentum crimina, ſiue poſt, quamuis maioratus habeat quamcunque iuriſdictionem, & dignitatem Comitatus, Marchionatus, Ducatus, &c. annexam; Quoniam qua ratione noncon fiſcantur huiuſmodi maioratus ratione iuris quæſiti filijs ante illud delictum, eadem ratione id delictum non nocebit filijs ratione eius iuris ex contractu illo acquiſito filijs, antequam pater delinqueret, non enim priuantur bonis, ad quę ius acquiſitum habent ante delictum, ſed ſolis acquiſitis poſtea verum ſi ante condemnationem reuocatus eſſet contractus, ceſſaret maioratus, nec in ea bona ſuccederent filij, ſed prorſus cum reliquis delinquentis bonis publicarentur. Ita Sanchez, &c.

MALLEATIO XII.

De obligatione viri circà vxorem, & è contrà.

De hac iam loquuti ſumus dum de matrimonio, hic ſolum aliqua breuiter ſtringemus.

An maritus teneatur amare ſuam vxorem?

BRACTEA I.

SCIENDVM Matrimonium eſſe conſtitutum à Deo, tribus potiſſimum cauſis, Primò ob prolis generationem, quem finem Deus expreſſit Adamo, & Euæ, quando illos condidit, & dixit Gen. cap.1. creſcite, & multiplicamini, & replete terrã. Secundò matrimonium à Deo conditum eſt, in concupiſcentiæ remedium, homo enim poſt originale peccatum multum in actum carnis procliuis, & effrænis remanſit. Deus ergo matrimonium inſtituit, quo ipſe homo impuræ libidini aliquod remedium adhiberet, & poſset abſquè culpæ reatu talem actũ exercere, ſimulquè ſe ipſum compeſcere ne præceps in illicitas voluptates rueret. Tertia cauſa matrimonij eſt mutua obſequia iuri, & vxoris, nam homo indigens factus eſt, nec vir poteſt ſibi in omnibus ſufficere, nec ſola mulier ſibi in neceſſarijs prouidere, at ſimul vterquè coniunctim ea parat; quæ ad victum, & cultum ſuppeditant; qua ratione coniuges dicuntur ſocij domus, & idcirco maritum vxorem non ſeruam, ſed ſociam ęſtimare debere illud docet quod non ex pedibus, ſed Adami latere Euam efformauit Deus.

Sciendum 2. quod antequam quis matrimonium contrahat, rogare debet Deum, vt bonum, & fælix coniugium ſortiatur, iuxta illud prouerb. Domus, & diuitiæ, *dantur à parentibus, à Domino autem propriè, vxor* prudens, & ſibi æqualem debet ducere maritalem, namquè poteſtatem dote, atquè etiam nobilitate commutant, qui vxores opibus genere, aut aliàs ſe ſuperiores ducunt; & ideò Io: Andreas *in c. fratern. Tit. de fug. & malef.* ait pares cum paribus eſſe matrimonio collocandos. Secundò vterque ſuo officio, vel obligationi reſpondere debet, virum virilia opera; fæminam autem muliebria exercere oportet. Tertiò coniuges debent ſe inuicem diligere Viri ait Apoſt. *ad Epheſ.5. diligite vxores veſtras, ſicut, & Chriſtus dilexit Eccleſiam,* & è contrà vxores viros ſuos amare oportet, & illis eſſe ſubditas in rebus licitis, & ſubſequentes, vt loco citato dicitur, qua ratione Holch. *ſuper ſap. lect.4.* dixit vxorem manſuetè regendam eſſe non cum tirannica auſteritate verbis non verberibus amore, non timore, dulcedine, non amaritudine, & ideò.

R. Maritum teneri vxori non ſolum in actibus internis, verum etiam externis amorem, & reuerentiam

tiam exhibere. Ratio, quia quiſque tenetur ſuum proximum diligere, & etiam ſub eadem ratione vxor tenetur diligere virum ſicuti ſuum caput.

Sciendum maritum peccare proferendo verba contumelioſa in vxorem, quia facit contrà præceptum charitatis: Secundò peccare maritum ipſam percutiendo abſquè cauſa, propter eandem rationē, licet poſſit ipſam mediocriter percutere, vt docet Salonius 2.2. *quæſt.65.art.2* Silueſter *verbo vxor quæſt.3.* Nauarrus *cap.14.num.19.* Sotus 5 *de iuſtitia quæſt.2.art.2.* Petrus Nauar. *lib 2. cap.2. num.257.* & alij. Tertiò grauiter peccare maritum denegantem vxori alimenta. Ratio eſt, quia denegando alimenta non dicitur ipſius curam habere, hoc tamen intelligendum eſt modo maritus vxorem alere poſſit, aut ipſa propria culpa à conſortio mariti non receſſerit, aut is qui dotem promiſit non ſit in culpabili mora ſoluendi dotem. Si verò vxor culpa mariti è domo diſceſſerit alenda eſt à marito, quia ille diſceſſus marito imputandus eſt. Sanchez *lib.9.diſp 4 num.24.* Quartò maritum teneri alere vxorem, ſi dos ſoluta perit cauſa fortuito. Ratio eſt, quia ſicut vxor diues tenetur viro in graui neceſſitate conſtituto alimenta præſtare, ita par eſt, vt vir ad alendam vxorem obligetur dote caſu fortuito pereunte. Si verò dos culpa vxoris perierit, vt quia fiſco ob crimen vxoris addicta fuit maritus vxorem alere non tenetur, ac ſi dotem non accepiſſet. Ita Sanchez *lib. 9. diſp.5.num 10.* Molina de *Iuſtit.diſp.425.* Surdus de *alimentis tit.9 quæſito 19.* & alij. Si verò maritus duxit vxorem abſquè mētione dotis ipſam alere tenetur, quia poterat dotem petere ad ſuſtentanda onera matrimonij, & non petendo cenſetur ceſſiſſe iuri ſuo, & perſonam ipſam vxoris accepiſſe pro dote. Ita Molina *loco cit.*

An maritus poſſit irritare vota vxoris.

BRACTEA II.

R. MARITVM poſſe irritare vota vxoris ſibi præiudicialia, ſiue ſint facta ante matrimonium, ſiue poſt matrimonium contractum. Ratio, quia maritus habet ſuper eam poteſtatē dominatiuam, ratione cuius poteſt irritare vota: Vota verò, quæ non ſunt ei præiudicialia non poteſt maritus irritare. Ratio, quia vxor in his non cenſetur ſubiecta viro. Ita Sanchez *lib 4 cap 31. num.9. & cap.34 num.18.* Rodriquez *cap. 92. num.10.* Clauis regia *lib.6.cap.10.num.19.* & alij. Sicut etiam non poteſt irritare votum vxoris implendum poſt mortem quia hoc votum non eſt præiudiciale marito. Sanchez in *ſum.lib.4.cap.27.num.3.* & alij. Secundò maritum poſſe irritare vota vxoris facta cum ipſius licentia. Ratio, quia maritus dans licentiam vxori ad faciendum votum non amittit poteſtatem dominatiuam in ipſam. Ita Valentia 2.2. *diſput.6.quæſt.6. quæſit.vlt.* Rodriquez *loco cit.*

An peccet maritus accedendo ad vxorem grauidam?

BRACTEA III.

R. NON peccare, & ita Coninchus de *ſacram. diſp.34.dub.9.* Villalobos in *ſum.tom.1. tract.13. difficult.41.* nec eſſe peccatum mortale accedere ad vxorem menſtruatam. Ita Sanchez *lib.9.diſp. 21.num.2.* Secundò maritum non poſſe denegare vxori petenti debitum ne proles multiplicetur: ratio quia faceret contrà iuſtitiam matrimonij priuando vxorem iure ſuo. Ita Layman in Theolg. moral. *lib.5.tract.10.part.3.cap.1.num.16.* incurrere tamen irregularitatem maritum accedendo ad vxorem grauidam ſi ſit cauſa abortus fœtus animati anima rationali. Tertiò non eſſe peccatum veniale accedere maritum ad vxorem delectationis gratia, quia maritus vtitur iure ſuo: ius autem ſuum conſiſtit, vt poſſit è corpore vxoris percipere quamlibet licitam delectationem oſculando, tangendo, &c. abſquè periculo pollutionis. Ita Pontius de *matrim.lib.1.c.21. num.6. & 7.* Sanctius in *ſelect. diſp. 23. num.25.* & alij. Quartò non peccare maritum vtendo matrimonio cauſa valetudinis conſeruandę, quia licet matrimonium primariò inſtitutum ſit ad multiplicationem, ſecundario tamen cenſetur etiam inſtitutum ad cōſeruandum indiuiduum. Quintò maritum non peccare accedendo ad vxorem cauſa fornicationis vitandæ. Ratio, quia matrimonium poſt lapſum hominis non modo inſtitutum eſt ad generationem filiorum, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ. Ita Nauarr. *cap.num.32.* Coninch. de *ſacram.diſp.24 dub.1. num 6.* Em.Sa *verbo debitum, num.5.*

An maritus, qui deoſculatur pudenda vxoris peccet?

BRACTEA IV.

R. PECCARE mortaliter. Ratio eſt, quia talia oſcula non fiunt, niſi ex amore libidinoſo, & irregulari, ſicut etiam peccat mortaliter maritus, qui præpoſtero actu incipit cognoſcere ſuā vxorem, ſed actum perficit in vaſe naturali. Ratio eſt, quia vtitur vaſe indebito, tum etiam, quia minus turpiter poteſt ſe præparare, & ita Sanchez *lib. de matrim. diſp.17.num.9.* & alij. Secundò poſſe maritum tactibus etiam inhoneſtis dare cauſam commotioni membrorum ſeruientium Generationi, & ita ſe diſponere ad copulam. Ratio eſt, quia tales tactus in iſto caſu cenſetur liciti: non poteſt tamen ſe ipſum tangere ad capiendam voluptatem, quia actus illi ſe tangendi, eſt intrinſecè malus, quatenus per illum vtitur proprio corpore ad accipiendam delectationem veneream, & non in ordine ad actū coniugalem.

An maritus poſſit occidere vxorem in adulterio deprehenſam?

BRACTEA V.

R. LICITVM eſſe viro honorato occidere vxorem in adulterio deprehenſam, quando aliter non poteſt euitare ignominiam, dummodo ſit in fragranti delicto. Ratio, quia ſicut licitum eſt viro honorato occidere inferentem ignominiam verbis contumelioſis, quando aliter honor nō poteſt reparari, ità & etiam licebit in iſto caſu. Ita Rodriquez *cap.136.* & alij apud Bonacinam de *reſtit. diſp.20.quæſt.vlt ſect.1.propoſ.2.num.8.* licet mortaliter peccet occidendo vxorem adulterantem. Ratio, quia lex ſolum concedit, quod id impune fiat propter iuſtum dolorem, non tamen excuſat à peccato mortali maritum id facientem, nec incurrere excōmunicationem maritum occidendo Clericum adulterantem cum vxore, ſi id fiat in flagranti delicto, &

cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita plures apud Bonacinam de *cenſuris diſputat.2.quæſt.4.pun.4.num.1.*

An vir, qui in abſentia vxoris delectatur de copula habita, ac etiam futura, ac ſi præſens eſſet, peccet mortaliter?

BRACTEA VI.

R. NON peccare præciſo periculo pollutionis. Ratio, quia delectatio ſumit bonitatem, aut malitiam à motiuo: ſed motiuum eſt actus externus coniugij, qui eſt licitus, ergo, &c. Secundò non peccare mortaliter maritum, qui cum ſua vxore narrat turpia ob ſolam delectationem, quæ præcisè capitur ex narratione abſque alia praua intentione, vel abſque affectu venereo. Secus verò ſi turpiloquium fiat animo ſe delectandi rebus ipſis turpibus narratis. Ita plures apud Bonacinam de *matrim.quæſt.4.pun.9.propoſ.3.* & alij. Tertiò peccare maritum, qui cum vxore loquitur de defectibus aliorum, non ad honeſtum finem, neque cauſa adhibendi remedij niſi fortè eſſet taliter ſecreta, vt non eſſet periculum manifeſtationis iuxtà ſententiam Caiet.2.2.*q.73.art.2.dub.1.* & aliorum.

An maritus incurrat irregularitatem bigamiæ poſt adulterium violentum cognoſcens vxorem?

BRACTEA VII.

R. AFFIRMATIVE; ratio, quia licet illa vis & violentia excuſet fœminam à peccato, tamen facit, vt illud matrimonium non ſit aptum ad ſignificandam cõiunctionem Chriſti cum Eccleſia; tum quia ad incurrendam irregularitatem ſufficit adulterium materiale. Secundò incurrere etiam irregularitatem bigamiæ in foro conſcientię, ſi cognoſcat vxorem poſt eius adulterium non notorium, & ab eo ignoretur. Ratio, quia ſiue ſcienter, ſiue ignoranter maritus cognoſcat vxorem, poſtquã adulterata eſt in irregularitatem incurrit ex defectu ſignificationis, qui re vera eſt in iſto caſu, etiamſi in marito adſit ignorantia. Tertiò maritum, qui circa vxorem lenocinium exercet incurrere pœnam criminalem pro adulterio ſtatutam. Ita habetur *leg.auxilium §.5. in delict.* quam incurrere etiam maritum, qui vxorem in adulterio deprehenſam, aut certo ſcientem eam eſſe adulteratam non dimittebat faciendo ab ea diuortium, quia præſumitur conſentire, niſi timuerit aliquod malum ab adultero, vel aliunde ſibi inferendum, niſi tacuiſſet, vel diſſimulaſſet vxoris adulterium, cum id excuſet à præſumptione lenocinij, & conſequenter etiam à pœna.

An maritus, qui fecit pactum cum vxore non transferendi aliò domicilium poſſit illud alio transferre?

BRACTEA VIII.

R. NEGATIVE; ratio, quia tenetur ſeruare fidem, & promiſſionem vxori datam, poſita tamen iuſta cauſa poteſt. Rodriquez 1. *par. cap.25.lib.2.cap.40.* & alij. Si verò vir tempore matrimonij ſolebat vagari, & id erat notum vxori, tum mulier tenetur eum ſequi, quia vxor cenſetur ſe voluiſſe ad hoc onus obligare. Secus verò dicendum, ſi id non erat ei notum. Secundò poſſe maritum ſe vendere etiam renitente vxore; ratio, quia vir ſubditur vxori in ijs ſolum, quæ ad debiti redditionem pertinent, in cæteris eſt ſui iuris: at venditio ſui ipſius non vertitur in præiudicium debiti coniugalis, quia etiam teneretur ad omnia, quæ lex matrimonij petit; peccare tamen mortaliter maritum ſi abſque iuſta cauſa id faciat. Ratio, quia talis venditio in graue dedecus vxoris redundat, & ſi qui illum emit, alteri, illum vendat, vxor tenetur eum ſequi, ſi commodè poſſit. Ratio, quia ſicut tenetur ſequi ipſum, quando mutat domicilium, ita etiam in iſto caſu.

An maritus licitè poſſit petere debitum, quando matrimonio contractu ſuperuenit impotentia?

BRACTEA IX.

SCIENDVM impotentiam duplicem eſſe, naturalem, & accidentalem; naturalem illam eſſe quam quis habet à natura: accidentalem, quæ procedit ex aliquo accidente contingenti, vt ex abſciſſione membri, maleficio, &c. vnde

R.1. Quando impotentia eſt naturalis in dubio; præſumitur præceſſiſſe, & ſic matrimoniũ eſſe nullũ. Ratio, quia naturalis impotentia cenſetur perpetua, & qualitas, quę à natura ſemper præſumitur eſſe. Menochius de *præſumpt.lib.1.præſump.14.* Sanchez *lib.7.de matrim.diſp.12.num.4* Quando verò impotentia eſt accidentalis, & ſufficienti diligẽtia conſtare nequit, an matrimonium præceſſerit, an potius ſecuta ſit, præſumi debet, impotentiam eſſe ſubſecutam, & matrimonium eſſe validum. Ita Sanchez *lib.7.de matrim.diſp.103.nu.3.* Secundò ſi impotentia, quæ oritur poſt contractum matrimonium, ſit ex infirmitate, ita vt pro imbecillitate non poſſit reddere debitum non poteſt petere: ſicut ſi impotentia oriatur ex eo, quod vir factus ſit impotens ad effundendum ſemen, non poteſt petere debitũ. Ratio, quia petitio debiti fruſtratur ſuo fine. Tertiò maritum ſanum non teneri reddere debitum vxori laboranti morbo leproſo, aut alio morbo contagioſo, ſi iudicio Medicorum notabile periculum infectionis imminet marito ex debiti redditione. Ratio, quia obligatio reddendi debitum non obligat cum tanto periculo. Ita Durandus in 4 *diſt.32.quæſt.1.* D. Antoninus *3.par.tit.1.cap.20.* Caietan in *summ. verbo matrim. cap. vlt.* Ita etiam excuſatur reddere debitum vxori laboranti morbo Gallico, quia non obligatur reddere cum periculo infectionis. Ita Henriquez *lib.11.de matrim.cap.15.* Medina *cod.de reddit.quæſt 9.§.vlt.* & alij. Quartò maritum poſſe ſe ſeparare ab vxore leproſa, ſi ex cohabitatione probabiliter immineat periculum infectionis. Ratio, quia non tenentur ſimul cohabitare cum tanto periculo; ſi verò probabiliter non timeatur periculum infectionis, non poteſt ſe ſeparare: ratio, quia obligatio cohabitandi non ceſſat, vbi nõ adeſt probabile periculum. Quintò maritum poſſe reddere, & petere debitum ab vxore, quando ſimul ſuſceperunt filium in Baptiſmo; ratio, quia nullam contrahunt inter ſe cognationem, & per conſequẽs nullum impedimentum ad reddendum, & petendum non poſſe reddere debitum maritum, qui cum conſanguinea ſuæ vxoris rem habuit intra gradus prohibitos ob impedimentum affinitatis, licet teneatur reddere petenti.

An maritus dubitans de validitate matrimonij poſſit petere debitum?

BRACTEA X.

R. Maritum, qui bona fide contraxit matrimonium, & poſtea cœpit dubitare de eius validitate non poſſe petere debitum, antequam vſus fit diligentia ad ſciendam veritatem. Ratio, quia petendo debitum ageret contra conſcientiam dubitantem: poſſe tamen reddere debitum vxori non dubitanti, etiam ante adhibitam diligentiam ad ſciendam veritatem; poſtquam verò vſus eſt diligentia ad ſciendam veritatem, etiamſi remaneat dubius, poteſt reddere, & petere debitum. Ratio, quia in omnibus contractibus bona fide contractis, ſi poſtea ſuperuenit dubium, poſtquam vſus eſt diligentia ad aſſequendam veritatem, etiamſi remaneat dubius, poteſt rem retinere, & de illa diſponere, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Si verò vterq; dubitat de validitate matrimonij, neutrum poſſe petere ante adhibitam diligentiam. Ita Reginaldus *lib.31 num.*300. & alij. Ratio, quia obligatio reddendi ſupponit ius petendi: ſed dubitans non habet ius petendi ante adhibitam diligentiam, ergò, &c.

R. 2. Maritum, qui malè fide contraxit matrimonium dubium de aliquo impedimento non poſſe petere debitum. Ratio, quia per matrimonium mala fide contractum non acquiſiuit ius petendi, quia poſſeſſio non ſuffragatur dubitanti, qui mala fide cœpit poſſidere: poſſe tamen reddere debitum vxori bona fide petenti, quia ob malam fidem alterius non poteſt priuari ſuo iure; quod ſi vterque mala fide contraxit nullum poſſe reddere, vel petere. Ratio, quia ex eo, quod matrimonium mala fide fuit cõtractum, neuter acquiſiuit ius petendi, vel reddendi: ſicuti etiam ſi certò ſcit maritus impedimẽtum adeſſe dirimens nõ poteſt petere, vel reddere debitum: ratio, quia accedendo ad vxorem non cenſetur accedere legitimam vxorem, cum certò ſciat adeſſe impedimentum. Ita Coninchus *diſp.*34. & alij. Vltimò maritum, qui opinatur adeſſe impedimentum, poſſe reddere debitum coniugi bona fide petenti. Ratio, quia nullus poteſt alium priuare ſuo iure, & poſſeſſione acquiſita, niſi certò conſtet adeſſe impedimentum. Ita Gutier. *cap.*50. Sanchez *lib.2. diſp* 44 & alij.

R. 3. Nullum eſſe peccatum petere debitum in diebus ob reuerentiam ab Eccleſia feriatis. Ratio, quia nulla explicita, vel implicita adeſt prohibitio.

An aliqua reſtitutio facienda ſit marito pro iniuria illata ob adulterium?

BRACTEA XI.

R. Pro ſimplici iniuria adulterij, ſi nullum ſecutum ſit damnum non obligari adulterum ad aliquam reſtitutionem in conſcientia; ſi verò ſecutum ſit aliquod damnum in bonis externis, vel in fama obligari in conſcientia ad reſtitutionem. Ita colligitur ex communi praxi Eccleſiæ, cum nunquam fuerit auditum quempiã pro iniuria adulterij obligari ad reſtitutionem, non ſolum quando adulterium eſt occultum, ſed etiam quando factum eſt publicum: quatenus verò iniuria habet annexum aliquod damnum tunc obligare ad reſtitutionem non ratione iniuriæ præciſæ ſumptæ, ſed ratione damni coniuncti cum iniuria. Ita Molina *diſput.*100. *num.*3.

MALLEATIO XIII.

De Officio vxoris circà maritum.

De quo etiam loquuti ſumus dum de matrimonio.

An mulier debeat obedire marito?

BRACTEA I.

R. Vxorem debere amorem, honorem, & reuerentiam exhibere marito in his, in quibus viro ſubiecta eſt, & ideò grauiter peccare ſi illi ſit notabiliter inobediens, quia vir eſt caput mulieris: peccare etiam ſi maritum rixis prouocet, & iniurijs. Ratio, quia tunc cenſetur facere cõtrà reuerentiam debitam marito.

Sciendum vxorem diuitem marito pauperi teneri alimenta præſtare *l.ſi cum dotem* §. *ſi maritus ff. ſolut. matrimonio* alioquin v. enim diligere nõ diceretur. Ita Surdus de *aliment tit.1.queſt.*35 & 36. Pontius de *aliment. cap* 14. Secundò teneri vxorem mortuo marito ſoluere debita ex ſuis bonis dotalibus ſi maritus ea debita contraxit non ſolum nomine proprio, ſed etiam vxoris ipſa conſentiente. Ratio, quia cenſetur debitum etiam proprium, & in defectum mariti ſoluere debet, ſecus autem non. Tertiò vxorem, quæ aliquid à primo marito accepit tranſeundo ad ſecundas nuptias teneri illud filiis primi mariti reſeruare: ſic decernitur *leg fœminæ Cod. de ſecund. nupt.* Si verò ea accepit titulo oneroſo poſſe ad ſuum libitum dare, nec tenetur filijs primi mariti reſeruare. Ratio, quia earum cenſetur habere dominium abſolutum. Quartò vxorem poſſe diſponere mortuo marito de rebus, quæ ſibi abſolutè traditæ fuerunt, vt illi acquirerentur etiam à conſanguineis viri. Ita Em. Sà *verbo donatio, num.*10. Si verò dubitetur an ſint abſolutè traditæ à conſanguineis viri dicendum eſt præſumi tradit, vt acquirantur ipſi viro, & ita Sanchez *lib. 6. de matrimon. diſputat.* 26. *num.*11.

An vxor peccet accipiendo ex bonis, quorum maritus habet adminiſtrationem?

BRACTEA II.

R. Vxorem accipientem notabilem quantitatem de bonis, quorum maritus habet adminiſtrationem peccare peccato furti, niſi hoc faciat ex præſumpta volũtate mariti, quia cẽſetur accipere rem alienam inuito Domino; ſi verò donet de bonis, quorum ipſa adminiſtrationem habet non peccare, quia non accipit rem alienam, peccare tamen grauiter ſi in notabili quantitate donet de bonis communibus. Ratio, quia vſurpat adminiſtrationem rei, quæ ad ipſam non pertinet. Secundò viuente marito poſſe elargiri, quæ mulieres ſui ſtatus, & conditionis elargiri conſueuerunt tam ad eleemoſinam, quã ad honeſtas recreationes, &c.

Ratio

Ratio, quia maritus tenetur præbere vxori non ſolum ea, quæ ſpectant ad conuenientem ſuſtentationem, ſed tenetur etiam præbere, quæ ſpectant ad honeſtas recreationes.

Sciendum in pluribus caſibus vxorem poſſe accipere ex bonis mariti: primus eſt, vt ſubueniat laboranti in extrema neceſſitate: ſecundus quando Pater, vel mater, vel filij ex priore matrimonio ſunt in neceſſitate: tertius ad euitandum viri magnum damnum ſpirituale, & temporale: quartus quando ei à viro aſſignatur certa portio pecuniæ ad victum; tunc de eo, quod ſupereſt, vel quod ſibi ſubtraxit poteſt dare: quintus de ſuis bonis paraphrenalibus: ſextus quando vxori relicta eſt diſpenſatio, & adminiſtratio bonorum, vel quia maritus eſt ægrotus, vel amẽs. Ita Nauarr. *cap.17.num.155.* Paludanus in 4. *diſtinct.15. quæſt.3.* Petrus Nauar. *lib.3.cap.1.num.155.* Leſſ. *lib.2.cap.12.dub.4.* & alij. Septimus poteſt vxor accipere pro neceſſarijs ſibi, & familiæ, quia hæc non poſſunt à marito denegari, & quando denegantur poteſt vxor accipere, & ſibi, & familiæ prouidere.

Sciendum 2. quod vxor, quæ attulit dotem competentem ad ſui ſuſtentationem poteſt ſibi retinere, quæ acquirit ex aliqua arte, vt nendo, texendo, &c. & ea donare cui voluerit. Ratio, quia vxor licet teneatur ad gubernationem domus, non tamen tenetur laborare pro ſuſtentatione familiæ. Quod tamen limitandum eſt, niſi familia indigeret, quia tũc Charitas poſtulat, vt ipſi prius ſubueniatur, quam alijs.

An vxor poſſit cum alio contrahere quando eius vir abfuit per multos annos?

BRACTEA III.

R. An hoc vt vxor poſſit cum alio contrahere debere habere certitudinem moralem de morte viri, ſeu tantam certitudinem, quanta iudicio prudentis ſufficit ad credendum, virum eſſe mortuum. Ratio, quia niſi eſſet tanta certitudo exponeret ſe periculo adulterij, cum fieri poſſet, vt vir ſit viuus.

Secundò, vxorem non poſſe cum alio matrimonium contrahere, quando eius vir abfuit per multos annos, nam certitudo moralis non habetur per abſentiam multorum annorum, ſicut nec habetur per ſolam famam, cum fama ſoleat oriri ex auctore incerto, & plerumque fallaci, niſi fortè cum fama exiſtant tanta indicia, vt nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius. Ita Sanchez *lib.2.de matrim. diſp.46.* Siluester *verb. matrim.8. quæſit.13. cap.22. n.53.* Gutier. *cap.51. num.3.* Rodriquez *cap.232.* Valentia *tom.4. diſput.10. quæſt.2. pun.2.* & alij.

Tertiò, Vxorem poſſe cum alio matrimonium contrahere, quando ipſius vir ingreſſus eſt prælium, & non amplius cõparuit, & fama eſt ipſum periiſſe, aut quando per litteras eorum, qui prælio interfuerunt acceptum eſt ipſum eſſe mortuum. Ita Henriquez *lib.12. cap.6. num.33.* & alij. Relinquitur tamen iudicio prudentis viri iudicare in caſibus particularibus, an adſit certitudo moralis, & coniecturæ ſufficientes ad contrahendum matrimonium nouum. Ita Couar. in epitome *part.2. cap.7. paragr.3.* & alij.

Quartò, Mortem mariti non ſatis probari per vnum teſtem, ſicuti nec vnus teſtis ſufficit in cauſis pecuniariis, ita neque ſufficit in cauſa ſecundi matrimonii, niſi fortè adſint aliæ coniecturæ, vel niſi vir mortuus ſit in loco ita diſtãte, vt nõ facilè poſſint haberi aliæ probationes, licet vxor certa de morte matrimonii ſecluſo ſcandalo contrahere poſſit, quãuis eius mortẽ probare non poſſit, vt accidit quando ipſa ſola fuit preſens morti ſui mariti. Ita Rebellus *2. part. lib.3. quæſt.13.* Gutier. *de matrim. cap.51.* & alii. Ratio, quia tunc ceſſat periculum adulterii.

An vxor, quæ contraxit matrimonium cum ſecundo credens priorem virum mortuum eſſe, teneatur recedere à ſecundo, poſtquam cognouit priorem virum ſuperſtitem eſſe?

BRACTEA IV.

R. Affirmatiue: Ratio, quia alioquin exponeret ſe periculo adulterii; & peccandi mortaliter petendo, vel reddendo debitum poſt notitiam huius, quia ſecundum matrimonium eſt inualidum. Couar. *ſi virgo 34. quæſt.2.* Si verò non certò nouit priorem virum ſuperſtitem eſſe, ſed ſolum dubitat: non poteſt exiſtente dubio petere debitum *cap. inquiſit. de ſentent. excommun.* alioquin exponit ſe periculo adulterii, licèt in dubio teneatur reddere debitũ coniugi dubitanti; nam alter coniux habet ius petendi, niſi dubitans, ita probet propter eius motiua, vt alter teneatur credere. Ita Valentia *tom.4. diſp.10. quæſt.2. pun.2.* Henriquez *lib.11. cap.15. num.13.* & alii. Secundò vxorem non teneri regulariter credere viro dicenti, ſe fictè conſenſiſſe, vel habere impedimẽtum dirimens matrimonium, etiamſi vir aſſertum confirmet iuramento. Ratio, quia credere magis debet eũ mentiri aſſerendo hoc, quã ſe mentitum eſſe in celebratione matrimonii. Tertiò vxor, quæ audiuit à Parocho, vel alio amico adeſſe impedimentum, dirimens non tenetur credere ſi vnus tantum atteſtetur. Ratio, quia licet dictum vnius fide digni, ſufficiat, vt iuſtè credere poſſit, tamen vni tantum neceſſariò non creditur, ſed duobus fide dignis credendum eſt *cap. cum à nobis de teſtibus*; verum vxor, quæ hoc audiuit à fide digno, tenetur abſtinere à matrimonio contrahendo; ſi verò iam contraxit tenetur dubitare de validitate matrimonii, conſequenter non poteſt petere, donec adhibuerit debitam diligentiam; Si verò non audiuit à fide digno poteſt petere. Ita Nauarrus *cap.22. nu. 82.* Gutier. *cap.49. num.23.* Sanchez *lib.2. diſp.44. qu.3.* Quartò vxorem, quæ occidit proprium virum poſſe ducere alium: Ratio eſt, quia tale homicidium non eſt impedimentum impediens, vel dirimens. Ratio eſt, quia iura loquuntur ſolummodo de eo vxoricidio, non autem de homicidio. Ita Sanchez *lib.7. diſp.16. num.6.* Speculum *1. part. art.4. concluſ.2.* Quintò vxorem teneri reddere debitum viro petenti illicitè ob ſolam circumſtantiam perſonæ. Ratio eſt, quia ob talem circumſtantiam non priuatur iure petendi, & ſi vxor denegaret, iniuſtè denegaret, non tenetur tamen reddere debitum viro petenti illicitè ob circumſtantiam actus. Ratio, quia talis circumſtantia reddit actum illicitum.

An

An vxor poſſit occidere maritum, qui parauit pugionem, &c. ad ipſam occidendam?

BRACTEA V.

R. Licitum eſſe vxori occidere maritum, qui iam collocauit pugionem ſub ceruicali ad eius necem, vel parauit venenum modo non ſit alia ſpes euadendi ex eis manibus. Ita Nauarr. *cap.15.num.5* Molina *diſput.4. num.1.* & alii. Ratio, quia vim cenſetur inferre, qui moraliter cœpit actû aggreſſionis, & vim vi repellere licet: non tamen poſſe vxorem occidere virum conſcium ſui adulterii, ſi nondum maritus, ſe præparauit ad illam occidendam, quamuis adultera timeat ſibi necem à marito inferendam, non tamen poſſe virum occidere vxorem volentem adulterari, non licitum eſt occidere aggreſſorem rerum ſuarum, qui autem occidit vxorem, rem ſuam non tuetur, ſed potius deſtruit. Tertiò non licere vxori potum ſterilitatis accipere: ratio, quia contra naturam ageret impediendo finem generationis. Ita D.Thomas in *4.diſt.31.* Caiet. 2. 2. *quæſt 54. art.1.* Tabiena *verbo matrimon.* & alij. Quartò vxorem, quæ ratione impotentiæ ſeparata eſt à viro per ſententiam, quæ poſteà deprehenſa eſt falſa viro iam profeſſo, vel ſacris initiato poſſe ipſum repetere. Ratio, quia matrimonium non fuit diſſolutum per illam ſententiam, & conſequenter poſſe repetere virum; licet Henriquez *lib.12. de matr. cap.6.* limitet hanc doctrinam, vt dictum fuit de matrimonio.

An vxor, quæ voto emiſſo dedit licentiam marito aſſumendi ordines poſſit eo mortuo contrahere matrimonium?

BRACTEA VI.

R. Non poſſe validè tranſire ad alias nuptias, quia Eccleſiaſtica conſtitutione id prohibitum eſt ob reuerentiam Ordinis aſſumpti à viro, & vxor per votum reddiderit ſe inhabilem ad matrimonium contrahendum. Ita Sanchez *lib.7. diſp.40.* Si verò licentia vxoris eſſet ficta, aut metu, vel dolo extorta, poſſet denuò cõtrahere matrimonium, aut poſſe, denuò repetere virum, Ratio, quia vt vxor ſuo iure priuetur licentiâ debet eſſe vera, & ſpontanea; & ſi fuerit metu, vel dolo extorta, non auferatur ius vxori denuò contrahendi matrimonium, vel reuocandi ſuum virum. Et ita Silueſter *verbo diuort. qu.17.* Quod ſi mulier non voueat caſtitatem, ſed tantum concedat licentiam marito aſſumendi Ordines ſacros reddi inhabilem ad aliud matrimonium, & ita Sanchez *lib.7. diſp.41. num.6.* Secundò non poſſe virum abſque vxoris licentia ad Ordines promoueri, nec ante, nec poſt matrimonium conſumatum. Petrus de Ledeſ. *de matrim.qu.3. art.4.dub.1.* Vega *2.tom.ſum.cap.34. caſu* 48. poſſe tamen de licentia Pontificia abſque conſenſu vxoris ad Ordines promoueri etiam poſt matrimonium cõſumatum. Ratio, quia Sūmus Pontifex poteſt diſpenſare in continentia, quæ eſt annexa Ordini ſacro, & per conſequens poteſt coniugatus de licentia Summi Pontificis ad Ordines promoueri.

Sciendum vxorem, quæ habet votum caſtitatis prima vice peccare reddendo debitum, cæteris autē vicibus non amplius peccare. Ratio, quia ante cõſumationem poteſt illud votum implere ingrediendo Religionem &c. quam poteſtatem ſibi adimit conſumando matrimonium. Ita ap. d Sanchez *lib. 9.quæſt.34.* non poſſe tamen petere debitum. Ratio, quia votum caſtitatis includit obligationem abſtinendi ab omni actu venereo; ergo obligat ſemper, & ad ſemper, & proinde licet poſſit reddere, non tamen poteſt petere. Si verò votum non erit Caſtitatis, ſed ſolummodo virginitatis, ſi voventis intentio fuerit ſolùm abſtinendi à primo actu venereo, tunc ſi iam ſemel contra votum fecerit, poteſt tutè matrimonium inire, illoque vti. Ratio, quia per primum actum contra votum cenſetur extincta obligatio ipſius; ſi verò non fecerit contra votum, & virginitatem non emiſerit, nequit matrimonium contrahere, & ſi contrahat, nequibit prima vice petere, perinde ac ſi vouiſſet caſtitatem, quia peritio illa voto opponitur, reddendo peccat prima vice, cæteris autem vicibus non amplius peccat, quia obligatio voti ceſſauit, ac proinde poteſt reddere, ac petere.

Sciendum 2. votum Caſtitatis poſt matrimonium conſumatum, emiſſum ab vxore abſque licentia viri eſſe validum, & obligare ad non petendum debitum, vt patet ex *cap. quidam de conuerſ.coniug. & ex cap. placet eodem titulo*, quoad reddendum debitum eſſe irritum, quia non eſt in poteſtate vxoris tale votum emittere.

An vxor innocens propria auctoritate poſſit denegare debitum viro adultero?

BRACTEA VII.

R. Vxorem certam de adulterio viri poſſe denegare debitum viro adultero, etiam ante Iudicis ſententiam. Ratio deducitur ex illo principio frangenti fidem, fides frangatur eidem. Ita Sanchez *lib.10.diſp.12.n* 5. non poſſe tamen, etiam ſi adulterium ſit publicum propria auctoritate diſcedere è domo mariti. Ratio, quia non poteſt ſibi ius dicere, quoad ſeparationem cohabitationis. Ita Silueſter *verbo diuort. quæſt.* 8. licet plures ſequantur opinionem contrariam: Quod quando adulterium eſt ita notum, vt nulla prorſus tergiuerſatione celari poſſit, tunc vxor innocens poteſt propria auctoritate diſcedere è domo mariti. Ratio, quia cùm ſit in poſſeſſione pacifica requiritur, vt adulterium ſit notorium, vt quando maritus publicè cum adultera habitaret.

Sciendum, quod ad hoc vt vxor innocens poſſit diſcedere è domo mariti primò debet eſſe certa de adulterio mariti, quia poſſeſſio ſtat pro viro, & in dubio non poteſt priuari ſuo iure, non deſiderari certitudinem metaphyſicam, ſed ſatis eſſe moralem, quæ ſatis habetur per ea indicia, quæ in foro externo probata conuincerent virum de adulterio. Ita *ſum Aſtenſis 2.part. lib.8. tit.11. art.3. quæſt.5.* Sotus in *4.diſt 36.quæſt.vnica art.3.* & alij. Secundò non ſufficere ſuſpicionem probabilem, ſed requiri violentam cum hæc ſufficiat ad condemnandum. Ita *cap affecta, & cap. litteris de præſumptionibus*, & illam dici ſuſpicionem violentam iuxtà id, quod deciditur *cap de litteris*, ſolum cum ſola, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentem, &c. vt dictum fuit cum de matrimonio, &c.

An

An vxor cognita impotentia mariti poſſit habitare cum eo, tanquam cum fratre?

BRACTEA VIII.

R. Matrimonium contractum cum viro impotente eſſe irritum. Ratio, quia corpus impotens non cenſetur ſubiectum capax matrimonij. Quod ſi dicatur ad matrimonium non requiri conſenſum ad commixtionem carnalē, quia contrahentes poſſunt cedere iuri ſuo? Reſpondeo verum eſſe, ſed neceſſariò requiri, vt qui contrahit matrimonium, ſit aptus ad illud; quod ſi ſit impotens, non erit capax illius. Secundò quando matrimonium bona fide fuit contractum, & poſteà impotentia fuit detecta poſſunt ſimul permanenere tamquam frater, & ſoror, quia id expreſsè colligitur ex *cap. facultat.* & *cap. laudabilem de frigidis, &c.* verum ijs nō licere tactus, &c. qui ſolutis interdicuntur, cū re vera coniuges non ſint, & ita Sotus in 4. *diſt.* 34. *quaſt. vnica* Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 7. *num* 7. & alij. Si incontinenter viuant, nullo modo permittendos eſſe eos ſic manere, vt conſtat ex motu Sixti Quinti circà Eunuchorum matrimonium. Quando poſt matrimonium contractum conſtat de impotentia, nec poſſunt continenter, vt frater, & ſoror viuere tenētur reclamare, vt diſſoluatur matrimonium auctoritate Eccleſię ſi non poſſint ſeparari ſine ſcandalo, ſtante præſumptione matrimonij in foro externo, ſi ſine ſcādalo ſeparari poſſunt non requiritur auctoritas Eccleſiæ ad eos ſeparandos, ſed propria auctoritate poſſunt ſeparatim viuere. Ita Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 97. *num.* 8.

Quam pænam incurrat vxor, quæ partum ſupponit?

BRACTEA IX.

R. Committere crimen falſi fingendo aliquem eſſe filium alicuius cum non ſint, ſiue id fiat ab vxore, ſiue ab alio de eius cōſilio. Secundò accuſari poſſe criminaliter ad pænam legis Corneliæ de crimine falſi à viro ſuo, atquè ab hęredibus viri, qui ſucceſſuri fuiſſent ei in bonis illius, reliqui verò accuſare non poſſunt eam mulierem de crimine falſi: filij verò ſi ſint eiuſdem matris potuerunt quidem agere ciuiliter, vt partus ab hæreditate Patris excludatur, non verò criminaliter, vt mater pæna legis Corneliæ de falſis puniatur, idq; propter reuerentiam quam filij parentibus ſuis debent, aduerſus tamen alios cooperatores criminaliter agere poſſunt. Ita habetur *leg. ſi tamen ff. de accuſ. leg. falſi C. ad leg. Cornel. &c.* qui partum ſupponit, aut ad id cooperatur tenetur reſtituere damna ſequuta filijs, & alijs, idque tenetur in foro conſcientiæ, ante ſententiam, cooperatores verò ſolum tenentur in defectum principalis. Ita Molina *diſp.* 701. *n.* 5.

R. enim vxorem propter adulterium dotem amittere, & exiudicatur viro, ſententia à Iudice ſequuta Ita text. in *cap. plerunquè de donat. inter virum, & vxorē, leg. conſenſu C. de repudiat.* & non modo amittere dotem, ſed etiam arar, atquè bona paraphrenalia. Ita apud Couar. de *matrim.* 2. *part.* §. 6. *num.* 1. Si verò maritus ſciens adulterium vxoris poſtea eam carnaliter cognouerit cenſetur mores eius approbare, & p conſequens non poſſe ipſam accuſare de adulterio. Ita gloſſ. in *cap. fin. de adulterio.*

An vxor poſſit contractus inire ſine licentia mariti?

BRACTEA X.

R. Vxorem de bonis mariti non poſſe contractus inire ſine eius licentia. Ratio eſt, quia de illis non habet dominium, & ad contractū requiritur dominium de re, de qua contrahitur, & ſi mulier negotietur ex bonis mariti, ſeu communibus ſine eius licentia peccat mortaliter. Ratio, quia ipſi marito facit iniuriam aſſumendo ſibi adminiſtrationem contrahendo de bonis ipſius. Secundò vxorem teneri ſtare locationi factæ a marito bonorum paraphrenalium ipſius vxoris: ratio, quia talis locatio cēſetur facta nomine ipſius tanquam à Procuratore; non teneri vxorem ſtare locationi fundi dotalis, quia cenſetur maritus locaſſe nomine proprio, & non vxoris non tanquam adminiſtrator, ſed quaſi dominium habens. Ita Couar. de *matrim.* 2. *part. cap.* 7. §. 6. *num.* 5.

An vxor Catholica, quæ contrahit matrimonium cum hæretico validè contrahat?

BRACTEA XI.

R. Valide contrahere, nec vlla ratione poſſe diſſolui. Ita apud Couar. de *matrimon.* 2. *part. cap.* 6. & ratio eſt, quia hæreticus eſt Chriſtianus, & matrimonium contractum inter Chriſtianos validum eſt extrà gradus prohibitos. Secundò matrimonium vxoris cum Religioſis, vel ſacris Ordinibus initiato inualidum eſſe. Ratio eſt, quia matrimonium conſiſtit in mutua traditione corporum, & cum iam corpus Clerici, vel Religioſi ſit traditum per ſuſceptionem ordinis ſacri, vel per profeſſionem cultui Diuino ſequitur non poſſe amplius tradi vxori per matrimonium, & ita communiter omnes, Papam poſſe diſpenſare, vt mulier cōtrahat matrimonium cum initiato Ordinis ſacris, & ita Abbas in cap. cum olim, *num* 5. *de Clericis coniug.* etiam cum Sacerdote, Ita Archidiaconus in *cap. cū in preterito, nu.* 3 *diſt.* 83. Abbas in *cap. cum ad Monaſt. num* 21. & ibi Innocentius de *ſtatu Monachor.* & alij. Tertiò poſſe vxorem ingredi Religionē de conſenſu mariti, dummodo non ſit periculum incontinentiæ, in altero remanente in ſæculo, quia ſi eſſet non poſſet ingredi Monaſterium, nec in eo recipi etiamſi ſuſpectus continentiam promittat, ſeu voueat. Ita *cap. mult. c. Agatoſa, c. ſi quis coniugatur, &c.*

An vxor, quæ ſimul duobus nupſit, ſed primum ſolum ratum, & ſecundum ratum, & conſumatum poſſit cum ſecundo relicto primo habitare?

BRACTEA XII.

R. Matrimonium ſecundum copula conſumatum non eſſe præferendum primo, nec eſſe validum, Ratio, quia primum matri-

monium

monium ratum, licet non conſumatum ex diuina lege, & naturali præfertur ſecundo etiam conſumato, iuxtà illud D.Pauli, *Quos Deus coniunxit homo, non ſeparet.* Secundò fæminam nuptam primo viro, quę ſcienter contraxit cum ſecundo adulterij pęna damnari ſimul cum ipſo ſecundo marito, qui eam ſcienter accepit vxorem, ex *leg.eum qui duas*, punitur etiã ſecundas nuptias primis non ſolutis contrahens per Eccleſiaſticum iudicem publica ignominia, & ſuſpectus etiam de hæreſi habendus eſt, qui ſecundum matrimonium contrahit non diſſoluto primo, quaſi non rectè ſentiat de ſacramentis. Ita apud Couar. *loco cit.* Tertiò lite pendente coram iudice ſuper matrimonium, ſiue ſuper ſeparationem ob adulterium, maritum obligari vxori alimenta præſtare. Ita *cap. ex parte*, & ſimiliter obligari præſtare expenſsa litis lite pendente ſuper matrimonio. Ita Afflictus *dec. 352.num.3.& 4.* quamuis vxor non tulerit dotem, & ita Ferretus *conſil.34 vol.1.* quia maritus etiam indotatam alere tenetur, dummodo nullam dotem promiſerit, quia tunc ſibi imputet, quod eam duxit. Innocent.in *cap.per litteras de donat.inter virum,& vxorem.* Secus verò ſi dos promiſſa fuerit, & non ſoluta, quia tunc vxorem alere non tenetur. Baldus in *leg.fin.C.ad Veleian.* expenſæ autem debent præſtari ſecundum dignitatem perſonæ. Quartò vxores Clericorum coniugatorum eidem cum eiſdem Clericis forum ſortiri. Ita gloſſ. in *cap.Cleric.11. quæſt.1.* quia vxor ratione matrimonij ſortitur forum viri. *leg. cũ quedam ff de iuriſd.omnium iudicum* atquè gaudet priuilegio fori mariti, & etiam eo mortuo perſeuerat, donec ipſa alteri nubat. *leg.filij §.1 ff.ad municipia*, & plures Doctores.

An vxor cognita intra bimeſtre à viro, poſſit ad Religionem tranſire?

BRACTEA XIII.

PRIMA Sententia eſt aſſerentium. Quod ſi intra tempus à iure definitum ad deliberandum de Religionis ingreſſu, maritus coniugem deliberantem per vim opprimat, matrimonium indiſſolubile redditur, quoad vinculum, quippè per veeam, vt ponimus copulam conſumatum. Nihilominus vxorem ingredi poſſe Religionem, & inter viduas, & cõiugatas profiteri poſſe, niſi exinde proli incommodum timeatur, & ita plures citati à Sanchez *lib.2.diſp.22.num.4.& 5. &c.* Ratio, quia ſponſus grauem iniuriam intulit, cum non haberet ius extorquendi copulam, ante bimeſtre ex cap. *ad noſtram de empt. & vendit.* cap. *tua de ver. non tondentibus*, & cap. *ſedes de reſcriptis*, cum multis ſimilibus, quæ congerit Tiraquel. *de retract. lign. §.3. gloſſ in nu. 68.* Tum etiam, quia dolus nemini debet patrocinari, & nemo ſine culpa iure ſuo priuari debet, cap. *diſcretionem de eo, qui cognouit conſanguineam*; Vxor autem, eo bimeſtri ſpatio per canonis beneficium, libera eſt à reddendo debitũ, & habet ius ingrediendi Religionem, ergo iniuria alterius, non debet priuari tali beneficio, ne ijs ex iniquitate ſua, commodum ferat, ipſiquè proptius dolus patrocinetur tamen.

Reſpondeo vxorem cognitam à marito per copulam vi extortam, non poſſe contradicente viro tranſire ad Religionem, & ita plures citati à Sanch. *loco citato num.5.* Baſilius Pontius *de matrimonio lib.9.* Ratio eſt, quia iura ſine diſtinctione loquuntur, & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus cap. *conſuluiſti 2. quæſt.5.* Tum etiam, quia vir vſus eſt iure ſuo, exigendo corpus ſibi traditum per matrimonij vinculum; & per matrimonium effecti ſunt vna caro, & quando matrimonium cenſetur conſumatum ex parte vxoris per receptionem ſeminis, eſt indiſſolubile iure diuino, iuxta illud, quod Chriſtus Matth. 19. *dixit, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, ergo vxor etiam vi cognita à viro per matrimonium non poteſt diſſentiente viro tranſire ad Religionem.

An vxor ob dotem non ſolutam, non poſſit traduci, vel ſi iam traducta eſt, expelli à viro?

BRACTEA XIV.

R. VXOREM ob dotem non ſolutam, non poſſe non traduci, ſed teneri virum ad illius traductionem, & ſi iam traducta eſt, non poſſe virum illam expellere. Ratio, quia cohabitatio, non oritur ex dotis ſolutione, ſed ab ipſa lege naturali, & diuina, & ex ipſo matrimonij contractu, ſicut & obligatio reddendi debitum coniugale, ergo ſicut non ſolutio dotis, minime eximit virum ab obligatione reddendi debitum, ita non eximet ab obligatione cohabitandi. Tum etiam, quia Chriſtus *prohibuit vxorem dimitti, excepta fornicationis cauſa* Matth.5. & hanc ſententiam tuentur plures citati à Sanchez *lib.9.diſp.6.num.17.* & alii, an poſſit illi denegare alimenta ob dotem non ſolutam alibi dictum fuit.

An vxor arcta vni, vel vni cognoſcibilis præſumatur omnibus arcta, vel ab omnibus cognoſcibilis?

BRACTEA XV.

R. VXOREM arctam vni, omnibus præſumi arctam, & cognoſcibilem vni, præſumi ab omnibus cognoſcibilem eiuſdem ętatis, & roboris, &c. & proinde validum eſſe matrimonium vxoris, quæ propter arctitudinem non poteſt à viro cognoſci, quæ iudicio matronarum peritarum poteſt ab alio diſſimilis ætatis, &c. cognoſci, & ita plures citati à Sanchez *lib.1.diſp 94 num.12.* & ita colligitur etiam ex cap. fraternitatis *de frigidis, & maleficiatis* ibi *cum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat illi, cuius ſimili cõmiſcetur*. Dixi eiuſdem, ætatis, &c. quia id colligitur ex iure citato, *cuius ſimili commiſcetur*, quæ verba non poſſunt accipi de ſola ſimilitudine in humana natura, ſed de ſimilitudine inſtrumenti generationis, ac ætatis, roboriſquè, & quod vterque non eſſet, nec maleficio, nec frigiditate affectus, quia ſi eſſent diſſimiles in ætate, quia prior vir erat ſenex, & poſterior iuuenis, vel prior patiebatur defectum in membro virili, quo defectu alter carebat, non poteſt in iſto caſu pręſumi arctam vni, omnibus eſſe arctam: & cognoſcibilem vni, omnibus eſſe cognoſcibilem, ſed ſolum, vt dictum fuit, quando vterque eſt ſimilis.

Sciendum dubium eſſe quid faciendum, quando vxor ſeparata à viro ratione impotentiæ, quæ deprehenſa eſt falſa, viro iam profeſſo, vel ſacris initiato: an teneatur ipſum repetere, aut ſi nolit eum repetere vouere caſtitatem. Ad quod Reſpondeo virum reſtituendum eſſe vxori repetenti. Ratio, quia matrimonium non cenſetur diſſolutum; & ita

Albe-

Albericus *verbo diuortium* Aſtenſis 2. *part. ſum. lib.* 8. *tit.*29.*artic.vnico, quæſt* 6. Henriquez *lib.*12 *de matrim. cap.*8.*num.*3. & alij citati à Sanchez *lib.*7.*diſp.*99.*n.*39, dummodo vxor non fuerit fornicata, quia tunc ratione fornicationis, ſi vir eſſet innocens, poſſet illam repellere, quod ſi vxor non repetat virum nequibit vir ad ipſam redire, cum per ſuſceptionem ordinis ſacri, vel per profeſſionem ſibi præiudicarit. Ita Albericus *loco citato*, & alij.

Sciendum, quod ſi vir repetatur ab vxore tenetur è monaſterio egredi, & egreſſus vxori tenetur reddere debitum. Quia illa, iure coniugali priuata non eſt, & ita Ricardus *in* 4.*diſt.*34 *art.*4.*quæſt* 2. Aſtenſis 2.*part.ſumm.lib.*8.*tit.*24.*artic. vnico quæſt.*7. & alij, at tamen non poteſt petere, quia per profeſſionem, aut ſuſceptionem ordinis ſacri priuatus fuit iure petendi, & ita plures citati à Sanchez *lib.*7. *diſput.*99. *num.*40.

An fœmina arcta teneatur pati inciſionem, vt matrimonium conſumetur?

BRACTEA XVI.

R. QVOD quando inciſio non eſt perículoſa mortis, vel infirmitatis grauis, & defectus non conſumandi matrimonium prouenit ex ipſa muliere, fœminam arctam poſſe, & teneri pati inciſionem, vt apta, & idonea fiat, ad conſumationem matrimonij. Ratio eſt, quia fœmina per matrimonium tradidit viro corpus aptum, & idoneum ad copulam, & per conſequens ſi corpus ratione arctitudinis, non erit aptum, debet pati inciſionem, vt fiat aptum, idoneum, & fœmina arctitudinem ſciens ante matrimonium, debebat ſibi proſpicere. Si verò defectus non conſumandi matrimonium, non proueniat ex ipſa muliere, ſed ex viro, tunc fœmina non tenetur pati inciſionem, etiamſi ſit ſine vitæ periculo, & ita Hurtadus tract. de matrimonio *diſp.*12.*diffic* 8 *num.*25. *quia*, ait, *fœmina nullus eſt deffectus, vt reddat ſed tantum viro, ergo ipſi tantum, & non fœminæ incumbit vti remedio, quo defectus ipſius ſuppleatur, fœmina verò ſufficit offerre debitum, more ordinario*, & alij plures.

Sciendum, quod ſi vir trium annorum congreſſu, atque conatu, clauſtra tamen non violauit, matrimonium diſſoluendum eſſe. Ratio eſt, quia tale corpus cenſetur ineptum ad matrimonium, & in matrimonio fit traditio corporis apti ad copulam, & fruſtra cẽſetur traditio corporis ad copulam, ſi corpus aliquo accidenti ſit ineptum, & idcircò Eccleſia permittit triennium pro experimento, an vir, ſeu vxor poſſit eſſe apti, vel non, in ordine ad matrimonium, & proinde ſi medio eo tempore vir, aut vxor non reddantur apti, matrimonium cenſetur nullum, ex deffectu potentiæ ad copulam. Ratio, quia non aptus ad copulam, non poteſt in alium transferre ius ad ipſam: in matrimonio transfertur ius ad copulam, ergo, &c. quia contractus matrimonij non cenſetur validus, niſi ſubintellecta conditione mutuæ aptitudinis.

An ſi fœmina ratione arctitudinis ſeparata alij nubat ab eoque cognoſcatur, ſit inſtaurandum prius matrimonium?

BRACTEA XVII.

R. QVOD ſi fœmina ſeparata à viro ratione arctitudinis, alij nubat ſimili in ætate, robore, &c. à quo cognoſcatur, prius matrimonium inſtaurandum eſſe, quia coniectura eſt, ſicut potuit poſterior, ita quoque potuiſſe priorem; atque ita non fuiſſe impotentiam reſpectiuam perpetuam & ita colligitur ex cap. fratern. de frigid. & malef. *cum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat illo, cuius ſimili commiſcetur*. Si verò nubat diſſimili in ætate, robore, &c. à quo cognoſcitur, prius matrimonium non eſſe inſtaurandum. Ratio, quia arctitudo fœminæ reſpectu prioris coniugij, cenſetur naturalis, ac proinde perpetua, & per conſequens dirimere matrimonium, reſpectu prioris coniugij & ita Gloſſ. in cap. fraternitatis *verbo ſimilis*, & *verbo debeat*, Goffredus in ſum. *tit. de frigid. & malef.* Ioan. de Friburgo *ſum. confeſſorum lib* 4 *tit.* 16 Monaldus *tract. de matrimonio tit de impoſſibilitate coeundi* Brunellus de *ſponſalib. conſil.*28. *limit* 6 *num.*25. & alij citati à Sanchez *lib* 7 *diſp* 93.*num.*5.

Sciendum impotentiam fœminæ ratione arctitudinis duplicem eſſe vnam abſolutam, reſpectu omnium virorum, & alteram eſſe reſpectiuam, quæ non reſpectu omnium, ſed alterius ſolum facit ipſam impotentem ad copulam, priorem arctitudinem, reddere matrimonium irritum, & inualidum, propter rationes ſuperius allatas poſteriorem arctitudinem, reſpectu eius cui redditur inepta ad copulam, tranſacto triennio à iure aſſignato, ſi adhuc remaneat impotens, matrimonium declarandum eſt nullum, reſpectu aliorum diſſimilium in ætate, robore, &c. ſi matrimonium contrahat erit validum, ſi reſpectu illorum apta ſit ad copulam, *ita auctores citati*.

MALLEATIO XIIII.

De Officio Dominorum circa ſeruos ſuos.

Quanam ſit Obligatio Domini circa ſeruos?

BRACTEA I.

R. OBLIGATIONEM Domini circa ſeruos poſſe ad tria reuocari: Primò ad ſuſtentationem honeſtam, quoad victum, & habitationem: Secundò ad inſtitutionem in rebus fidei Chriſtianæ Religionis: Tertiò ad correctionem fraternam, ne vitioſus euadat.

Sciendum grauiter peccare Dominos, ſi quantum in ipſo eſt ſeruorum curam non habent, vt obſeruent præcepta Dei, & Eccleſiæ. Ita Nauarrus *cap.*14. *num.*2. Secundò licet Domini ſeruorum teneantur curam habere, vt Præcepta Dei, & Eccleſiæ ſeruent, tamen non poſſe eos compellere, ſed ſolum eos hortari ad Præceptum Dei ſeruanda. Tertiò grauiter peccare Dominos, dum abſque iuſta cauſa famulis impedimento ſunt, ne miſſam in die feſto audiant, vel in cauſa ſunt, vt eo die ſeruiliter laborent. Quartò peccare grauiter Dominos, qui famulus

pec-

peccandi occaſionem permittunt, aut grauiter peccantes non corrigunt. Ratio, quia ipſorum curam non habent. Quintò peccare Dominos, ſi ſeruos grauibus iniurijs, & infamatorijs afficiant, quia faciunt contra proprium officium, & ad tales iniurias dicendas nullum habent ius; ſecus ſi eos iniurijs ſolis, & non infamatorijs afficiant.

An ſi Dominus occidat ſecundum teneatur aliquid reſtituere?

BRACTEA II.

RSimpliciter pro vita ſerui occiſi nihil ex iuſtitia eſſe reſtituendum. Ratio, quia liberum corpus nullam habet æſtimationẽ, & reſtitutio, quæ debetur ex iuſtitia commutatiua fieri debet ad æqualitatem iuxtà æſtimationem rei, & per conſequens pro vita ablata ex iuſtitia nihil debere reſtituere, cum non habeat æquiualentem. Ita Nauarrus *cap.15.num.22.*& plures alij citati à Bonacina de *reſtitut.diſp 2.quæſt.vlt.ſect.2.pun.1. num.*10. obligari tamen reſtituere damnum ſequutum ex morte ſerui, vxori, vel filijs. Ratio, quia occidendo ſeruũ fuit iniuſta cauſa damni, & qui cauſã obligatur ad reſtitutionẽ. Secundò licet ſimpliciter, & in rigore damni teneatur Dominus ad reſtitutionẽ pro vita ſerui dat occiſi, cum ſit ſupra omne pretium, tamen conſiderata vita ſerui, quatenus mediante labore erat fructifera obligatur occidens ad aliquam reſtitutionem, non ſimpliciter pro vita, ſed pro fructu vitæ, quia vt ſic conſiderata cenſetur appretiabilis pecunia. Ita Rodriquez *1.part.cap.*139. Bannes 2.2. *q.62.art.*2.& alij.

Sciendum olim apud Romanos licitum fuiſſe ſeruos occidere. Poſteà temperata fuit hæc poteſtas, vt non niſi ob crimen, & cauſa cognita liceret Dominis ſeruos occidere, tandem legibus Imperatorũ cautum eſt, ne Domini ſeruo occidant, niſi delata cauſa ad prætorem, & ab eo cognita, *l.1.de hyt, qui ſui vel alien.iur.& leg.ſi Dominus*.

R.2. Dominum, qui ſeruum mutilat teneri ad reſtitutionem expenſarum factarum in curatione vulneris, & etiam ad damnum, quod ſequutum eſt cauſa mutilationis. Ita Petrus Nauarr. *lib.4.de reſtitut.cap.1.num.*64. Nauarrus *cap.*19. Azorius 3.*part.dub.5.cap.*3. Vaſquez *cap.2.de reſtitut.§.3. dub.* 1. Antonius Gomez 3.*variar.cap.3.num.*37. Ratio, quia per mutilationem cenſetur cauſa iniuſta damni, & ceſſationis lucri, verum non eſt reſtituẽdum totum lucrum, quod poterat recipere, ſed quantum valebat ſpes illa lucri, inut tamen detrahendæ expenſę, quas vulneratus feciſſet arbitrio boni viri. Secundò detrahendas etiam eſſe laboris æſtimationis, idest quantum vulneratus dediſſet pro redemptione laboris, ſi verò nihil temiſiſſet pro labore ſpes lucri integrè reſtituenda eſt abſque deductione laboris. Arragonius 2.2.*quæſt.*62.*art.* Couat. 2.*variar.cap.*10.*num.*7. docent non eſſe detrahendam laboris æſtimationem, quia ſi detrahenda eſſet ſæpiſſimè nihil ſupereſſet ad reſtituendum, quia lucrum ſæpè non eſt maius, quam æſtimatio laboris, & merces tota, labori reſpondet, & abſurdum eſt dicere nihil reſtituendum; ergo ſignum eſt non eſſe detrahendam laboris æſtimationem, quę ſententia eſt contra maiorem in 4.*diſt* 5.

An Dominus peccet non præbendo debita alimenta ſeruo?

BRACTEA III.

RPeccare contra iuſtitiã. Ratio, quia ſicut ſeruus tenetur ſeruire Domino, ita Dominus tenetur alimenta præbere ſeruo, niſi pro alimentis aliter ſit deductum in pactum, & ideò denegans, ſeu non prębens debita alimenta peccat cõtrà propriam obligationem. Secundò Dominum poſſe famulum ægrotantẽ mittere ad hoſpitale, quãdo morbus eſt grauis, vt indigeat magnis ſumptibus, & cura particulari, & ideò non peccare transmittendo famulum ægrotum ad hoſpitale. Ratio, quia non peccat Dominus contrà iuſtitiam, cum non teneatur ad ingentes ſumptus ad curandum ſeruum, nec etiam peccat contrà Charitatem, cum ita conſulat bono ægrotantis, & cum ex Charitate Dominus non teneatur, niſi quando adeſt alius, qui poſſit ſuccurrere, & cum hac de cauſa adſit hoſpitale poteſt Dominus ſeruum ægrotantem ad ipſum mittere. Ita Azorius 2 *part lib.2.cap.39.quæſito* 3. Regnaldus *lib.*10 *num* 60 Molfeſius in *ſumm.tract.*11.*num.*49. Si verò infirmitas ſerui ſit leuis, & non ſint faciendi magni ſumptus ad ipſum curandũ non poteſt ipſum ad hoſpitale mittere, ſed retinendus eſt domi, & expenſis Domini curandus.

R.2. Pro tempore infirmitatis ſerui, non teneri Dominum ſoluere mercedem, ſed poſſe iure mercedem ſubtrahere pro tempore morbi. Ratio, quia ſicut Dominus non tenetur ſoluere penſionem rei conductæ quando culpa ipſius rei non eſt vſus eius opera, ita nec Dominus tenetur ſoluere mercedem famulo pro eo tempore, quo fuit infirmus, cum per ipſum ſteterit, quo minus ſit vſus eius opera. Ita plures apud Bonacinam *diſput.de legib.quæſt.vnic.pun.*8.*num.*7. Filliucius *tract.28.part.2.n.*84.

R.3. In multis poſſe peccare Dominum contra ſeruum: primò ſi ſint Domini negligentes in procurandis his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem ſeruorum, vt eſt ſumptio ſacramentorum ſuo tempore, miſſæ auditio, & alia huiuſmodi. Secundò, ſi ſint negligentes in corrigendis eorum peccatis. Tertiò, ſi iubeant ſliqua, quę facere nequeunt ſine peccato mortali. Quartò, cum eos onerant laboribus intollerabilibus. Quintò, cum eos afficiunt contumelijs. Sextò, ſi grauiter verberent ex leui cauſa. Septimò ſi fraudent operarios ſua mercede, vel differãt abſque rationabili cauſa. Octauò, ſi non expellant ſeruum malum. Verum ſi veriſimiliter credant expellendo è domo deteriorem fore poſſe domi retinere adhibitis remedijs præſeruatiuis, quæ poſſunt. Nauarrus *cap.*7. Silueſter *verbo Dominus §.*7. Ratio, quia Domino incumbit cura famulorum, quod verò non teneatur eijcere quoties ſperat domi retentum redditurum ad meliorem frugem. aut ſi timeat deteriorẽ fore ipſum reijciendo pater, quia ceſſat cauſa expulſionis; teneri tamen è domo expellere ſeruum, quẽ ſcit habere rem cum ſerua, quoties admonitus noluit ſe emendare. Ratio, quia ſi non expelleret cenſeretur participare in peccatum ſerui.

An Dominus poſſit irritare vota ſeruorum?

BRACTEA IIII.

R. Posse Dominum irritare vota ſeruorum, ſiue facta ante ſeruitutem, ſiue tempore ſeruitutis, quæ præiudicant ſeruituti eorum. Ratio, quia ſerui ſunt Domino aſtricti, & Dominus ſuper eos habet poteſtatem dominatiuam, & per cõſequens poteſt eorum vota irritare, quatenus ei præiudicant, quatenus verò non præiudicant, non poteſt irritare, quia in his ſeruus non eſt Domino ſubiectus, ſed ſui iuris. Ita D.Thom. in 4. *diſtin.* 38. Silueſter *verbo votum 4 quæſit* 2. Clauis regia *lib* 5. *cap* 8. Reginaldus *lib* 18. *num.* 320. Sanchez *ſumm. cap.* 31. & alij. Vnde Dominus non poteſt irritare vota, quibus ſeruus promiſit ſe adimpleturum aliquid tempore, quo erit ſui iuris, nam Dominus in hac re non eſt ſuperior, nec ſeruus eſt illi ſubditus. Ita Leſſius *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 86. & alij.

An Dominus, qui ſeruum preſſum neceſſitate conducit minori pretio peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA V.

R. Non peccare Dominos, qui famulos in neceſſitate conſtitutos, ſeque vltrò offerentes conducunt ad inſeruiendum minori pretio ratione vltroneæ oblationis, quàm alioquin conduxiſſent, quia quamuis neceſſitas non diminuat rei valorem, nihilominus vltroneæ merces viliſcunt, etiamſi tradantur ob neceſſitatem vendentis. Ita Sotus de *inſtit. queſt.* 3 *art.* 3. Vaſquez in *opuſ. de reſtit. n.* 61. dummodo tradant pretium, quod iuſtum cenſeatur conſiderata circunſtantia vltroneæ oblationis. Secundò non peccare Dominos, qui conducunt operam puerorum tradendo ſolum illis victum. Ratio, quia iudicio prudentum eorum ſeruitutis non pluris æſtimatur, & conſuetudo eſt talis apud omnes, quæ non facilè debet damnari. Ita Molina *diſputat* 506. Rebell. *lib.* 14 *quæſt.* 13 *num* 1. Azorius 3 *pars lib* 8. *c.* 13. *quæſito* 2. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 535. Tertiò dominiũ peccare, qui puerum conducit paruo ſtipendio, vt permittat ipſum litteris vacare, vel alicui arti, ſi poſteà non faciat, & teneri poſtea ad reſtitutionem. Ratio, quia facit contra conuentionem. Ita Molina *diſputat.* 506. Azorius *loco cit.* & alij. Quartò non peccare artifices, qui ſuſcipiunt pueros inſtituendos in ſua arte accipiendo aliquid ab eorum parentibus: Ratio, quia ſi aliquid petunt, vel accipiunt, non faciunt contrà iuſtitiam, quia ipſorum opera digna eſt præmio, nec compenſari videtur labore, & induſtria puerorum, quæ non tanti ſolet æſtimari, immò iuxtà Rebellum *lib.* 13 *quæſt.* 13. *nu.* 2. huiuſmodi pueros obligari ad reſtitutionẽ, niſi præſtent obſequiũ, & operam, qua artifici promiſerunt, ita etiam Molina *diſp.* 506. Reginaldus *lib.* 25 *n* 553.

An Dominus quando famulus ei remittit determinationem pretij, poſſit illi tradere, quod ſibi placuerit?

BRACTEA VI.

R. Negatiuè, ſed teneri ſaltem tradere infimum pretium, nam mens famuli eſt, vt Dominus determinet pretium, quod ſibi iuſtum fuerit ex æquitate, nõ verò ex mera voluntate, & arbitrio, quia ſtipendium videtur etiam habere latitudinem pretij. Secundò ſi nulla ſit facta conuentio, ſeu mentio de pretio, contrahentes cenſentur conueniſſe de pretio conſueto in eodem loco, vel ibi communiter æſtimato, vel ſaltem æſtimando iuſto iudicio prudentis. Ratio, quia ſicut contractus præſumitur celebratus iuxta conſuetudinem loci, ita etiam cenſentur taxatum pretium. Ita Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 3. *de locat. num.* 4. Silueſter *verbo familia*, Molina *diſp* 506. Reginaldus *loco cit. num* 554. & alij apud Bonacinam *de contractibus diſp* 3. *quæſt.* 7 *pun* 4 *num.* 10. Tertiò peccare Dominum, & obligari ad reſtitutionem, qui non ſoluit famulo mercedem in ea re, in qua conuenit. Vnde, qui loco pecuniæ tradidit famulo pannos, vel aliàs merces certo pretio, quas famulus viliori pretio vẽdidit obligari ad reſtitutionem damni ſecuti. Ratio, quia Dominus tantum tradere debet ſeruo, quantum conuenit: in hoc caſu non cẽſetur dare id, quod conuenit, cum famulus cogatur viliori pretio vendere, quod accepit. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 117. & alij apud Bonacin. *loco cit. num.* 15. Quod tamen intelligendum eſt, modò famulus non accipiat liberè, & ſpontè aliud loco pretij conuẽti, quia tunc cenſetur cedere iuri ſuo, & ſcienti, & volenti nulla fit iniuria.

An famulus, qui præſtitit obſequia, ad quæ ratione officij non tenebatur, poſſit ſibi compenſationem facere in rebus Domini?

BRACTEA VII.

SCiendum ad compenſationem, vt alibi dictum eſt plures conditiones requiri: quibus ſeruatis compenſatio cenſetur licita, ita vt poſſit fieri. Quibus poſitis,

R. Poſſe famulum vti compenſatione, quando ea officia non intendit præſtare gratis, ſed animo mercedis præſtat ea, ad quæ non tenetur. Ita Nauar. *cap.* 7. *num.* 108. Leſſius *lib.* 2. *cap* 24 *num* 4. & alii. Ratio, quia aliquid præſtitit pretio æſtimabile in gratiam Domini, quod Domino non condonat, cum condonatio ſit donatio, ſeu remiſſio libera, & ſpontanea. Ita Nau. *loco cit.* & alii.

Sciendum 2. tunc famulum cenſeri obſequia præſtare animo mercedis, & non gratis, quando ea animo repugnante præſtat, & inuitò, vt v. g. quoties inuitus detentus in pluribus laboribus, miniſterijs, quam alioquin conuentũ eſſet, tunc cenſeri ea præſtare animo mercedis recipiendæ, & ſi ea non recipiat, poteſt vti compenſatione. Secundò ſi famulus obſequia præſtitit animo liberali, & gratis non poteſt in rebus Domini compenſationem facere; nec poſſe mutata voluntate aliquid exigere. Ita auctores citati, & alij plures. Ratio, quia eo ipſo, quo præſtitit

animo

animo liberali cenſetur condonaſſe ſtipendium, & per conſequens non poteſt vti compenſatione. Tertiò Dominum expellentem ſeruum nondum elapſo termino conſtituto teneri ad integram mercedis ſolutionem, niſi fortè ex grauiſſima cauſa adducatur ad ipſum expellendum. Ratio, quia conductor tenetur ſoluere penſionem, quando non eſt vſus recõducta ob culpam, & impedimentum ipſius conductoris. *leg. qui operas ff. locati*, ita Azorius 3. *part. lib* 8. *cap.* 14. *quæſit.* 2. & alij citati à Bonacina *loco cit. nu.* 11.

An Dominus compellendo famulum in die ieiunij ad opus incompatibile cum ieiunio peccet?

BRACTEA VIII.

R. Dominos non peccare mortaliter: ratio, quia vtuntur iure ſuo, & qui vtitur iure ſuo nemini iniuriam facit, tum etiam quia præcipiendo, non impediunt impletionem præcepti, licet optimè facerent ſi id transferrent in aliud tempus. Secundò non peccare Dominos, qui non auferunt famulis occaſiones peccandi; ſed eas permittunt, vt depræhenſi reſipiſcãt; quia aliud eſt cõſulere, aut iubere malum, quod nunquam licet, & aliud permittere, ſeu non auferre mali occaſionem ob aliquod maius bonum, ſic Deus permittit multa mala ob maius bonum. Ita D. Thomas 4. *diſt.* 35. *quæſt. vnic. art.* 2. & alij; vnde non peccant Domini, qui famulis non auferunt occaſionem peccandi, vt ſic in furto depræhenſi reſipiſcant.

MALLEATIO XV.

De Officio ſeruorum ergà Dominos ſuos.

Quot ſint obligationes ſeruorum?

BRACTEA I.

R. Præcipuas obligationes ſeruorum eſſe quinque; prima eſt, vt deferant honorem debitum Dominis: ſecunda, vt præſtet obedientiam Dominis, in quibus illis ſubijciuntur: tertia debent conſeruare res Dominorum: quarta in ægritudine Dominorum debent illis cum obedientia ſeruire: quinta debent eos defendere à malis imminentibus, etiam cum periculo vitæ, dummodo Dominus in ea pericula temerè non ſe ingerat, & famulus ſit ad eum finem conductus; ſecus non; ideò primò peccare ſeruos, ſi Dominos grauiter contemnant, irrideant, vel negligant. Ratio, quia eos contemnendo faciunt contra reuerentiam debitam ſuis Dominis. Secundò peccare grauiter ſeruos non obediendo Dominis ſuis in rebus magni momenti. Ratio, quia Domino tenentur obedire in rebus, in quibus illis ſubijciuntur per contractum ſeruitutis, & non obediendo faciunt contra propriam obligationem. Ita Bonacina de *legib. diſp.* 6. *quæſt. vnic. pun.* 8 *nu.* 4. Filliucius *par.* 2. *tract.* 28. *cap.* 4. *num.* 46. Tertiò regulariter ſeruum non teneri defendere vitam ſui Domini cum periculo vitæ propriæ, quia ex contractu ſeruitutis regulariter non ſuſcipit in ſe tantum onus. Dixi regulariter, quia ſi ſeruus ſit ſpecialiter ad id conductus, nimirum ad defendendam Domini vitã, tũc ratione contractus tenetur comitari Dominum, nõ animo offendẽdi alios, ſed defendẽdi Dominum, ſi fortè caſus inopinatus euenit, quo vitam Domini cum vitæ propriæ periculo tueri teneatur. Ita Reginaldus *lib.* 20. *num* 63. & alij. Quartò non teneri ſeruum in omnibus parere Domino, ſed tutè poſſe in aliquibus præceptum contemnere, & non obedire. Ad quod intelligendum.

Sciendum actiones quaſdam eſſe malas per ſe, ſiuè intrinſecè malas, vt quæ ſunt contra ius naturale, vel ius gentium: ſecundò quaſdam eſſe contrarias Diuinis præceptis, vt ſi prohibeat audire Miſſam diebus feſtiuis, vel ſuo tempore, ſeu percipere Sacramenta: quaſdam eſſe indifferentes, nec bonas, nec malas ex ſe, ſed eſſe bonas, vel malas ex motiuo, vel ex intentione, aut ex obiecto. In actionibus primo modo conſideratis ſeruum non teneri obedire ſuo Domino: ratio eſt, quia vt obediat Domino, non debet aliquid facere contra ius naturæ, vel ius gentium, quod magis obligat quam præceptum hominis. In actionibus ſecundo modo non teneri obedire, ſi aliquid Dominus præcipiat contra præcepta Diuina, vel Eccleſiæ, quia hæc magis obligant; in actionibus tertio modo, nimirum indifferentibus poſita iuſta cauſa poteſt ſeruus obedire. Ratio, quia actiones indifferentes tacita iuſta cauſa poſſunt exerceri.

Quodnam ſtipendium famulis debeatur?

BRACTEA II.

R. Iuxta conſuetudinem loci, vel arbitrio prudentis ſoluendum eſſe ſtipendium famulis. Ratio, quia operarius, & mercenarius dignus eſt mercede ſua, & ſicut in aliis rebus ſeruanda eſt æqualitas pretii, ita ſeruanda eſt in ſtipendio famulorum. Ita Rebellus *lib.* 14 *quæſt.* 3. Molina *tract.* 260. & alii. Quod ſi famulus ſpontè contentus ſit minore pretio, tum Dominus iuxta conuentum tenetur ſoluere. Ratio, quia famulus potuit cedere iuri ſuo conſentiẽdo liberè in minori ſtipendio, quam alioqui mereatur, etiam ſi hoc faceret ſeruus, vt Dominus poſtea conferret in poſterum aliquod beneficium, quia ſpes non infert Domino maiorem obligationem ex iuſtitia. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub* 4. *num* 27. Azorius 3. *part. lib* 13 *quæſit.* 4. Molina *loco cit.* Vaſquez in *opuſc. de reſtitut. cap.* 5. *dub.* 10. *numer.* 7. Secundò quando ſtipendium, quod famulo datur non cenſetur iuſtum iuxtà conſuetudinem loci, vel arbitrio Prudentum, poſſe ſibi compẽſationem facere ſeruatis tamen regulis compenſationis iuxta alibi dicta: ſi tò vera ſtipendium quod datur ſit iuſtum nec maius ei debeatur ex iuſtitia, non poteſt compenſationem facere. Ratio, quia cum ſtipendium ſit iuſtum, nec habeat ius ad maius, nec etiam Dominus ex iuſtitia ei maius ſtipendium debet.

An poſſit ſibi facere compenſationem, qui præſtat obſequia, ad quæ non tenetur? Dictum eſt ſuprà, ſicut etiam dictum eſt, non peccare, nec obligari ad reſtitutionem, qui conducit famulum ſe vltrò offerentem minori pretio. Ratio, quia ſicut vltroneæ mercedes vileſcunt, ita etiam ſeruitus famuli ſe vltrò offerentis minus valet ratione ſpontaneæ oblationis, conſideratis tamen circumſtantijs conſuetudinis, loci, &c. Tertiò famulum, qui lapſus eſt in morbum non teneri tranſacto morbo tandiù ſeruire, quandiù praua vſus eſt valetudine, elapſo termino præfixo ad inſeruiendum. Ratio, quia obligatio ſeruiendi ſiſtitur lapſu termini temporis conſtituti,

cum terminus cenſeatur appoſitus ad finiendam obligationem. Ita Molin. *diſput.*505. *num.*1. Regin. *lib.*25. *num.*517. & alii.

An qui ſe obligauit ad inſeruiendum Collegio certo pretio poſſit petere augmentum pretij, ſi numerus perſonarum ſit notabiliter auctus?

BRACTEA III.

R. Non poſſe petere augmentum pretii. Ratio, quia ſicut conductor ſolueret illud pretium ſi numerus diminueretur, ita nõ tenetur maius pretium ſoluere ſi numerus augeatur, & vt ſit æquale eſt periculum locatoris, & conductoris. Quod ſi numerus nimium creſcat, tunc æquum eſt vt pretium augeatur, ſicut etiam iuſtum eſſet diminui, ſi nimium decreſceret, dummodo iſte caſus non fuerit præuiſus, & præcogitatus à contrahentibus. Ita Rebellus *lib.*14. *queſt.*15 *nu.*15. Conradus de *contract. queſt.* 88. Azorius 3. *part. lib.*11. *cap.*14. *dub.*4.

An famulus alicuius Domini poſſit eo inſcio negotiari cum pecuniis ipſius datis ad expendendum?

BRACTEA IV.

R. Posse, & ſi lucratur lucrum retinere, dummodo ex tali negotiatione non inferat damnum Domino. Ratio, quia tale lucrum eſt ex induſtria concurrente pecunia tamquam medio negotiationis; vnde ſi famulus vendat triticum preparatum pro vſu domus ſui Domini eo tẽpore, quo cariùs valet, ſatisfacit emendo, & reſtituendo alium æqualis bonitatis, eo tempore quo minoris valet, ſi Dominus erat illud ſeruaturus vſque ad illum tempus, quo minoris valet. Ratio eſt, quia reſtituendo aliud ſimilis bonitatis non cenſetur cauſa damni, etiamſi lucrum ſibi retineat. Secundò ſi Dominus tradat famulo monetam auream, vt ſoluat creditori debitum, & ipſe det monetam argẽteam, aut æream non peccare, & poſſe ſibi retinere lucrum, ſi aliquod fuit. Ratio, quia tale lucrum cenſetur ex induſtria, quod ſi Dominus dixiſſet, quod alij daret pecuniam illam auream, peccaſſet quidem non obediendo; & obligaretur ad damnum, quod creditori non ſoluendo illi talem pecuniam fuit cauſatum: ratio eſt, quia non obediendo cenſetur cauſa damni.

An famuli qui coacti laborant in die feſto, peccent?

BRACTEA V.

R. Famulos, qui iuſſu ſuorum Dominorum laborant in die feſto, non peccare mortaliter, ſi probabiliter timerent non obediendo ſtipendium amittere, vel à famulatu remoueri, nec facilè reperire Dominum, cui inſeruirent, & per conſequens non obediendo pati graue damnum. Secus verò dicẽdum eſt, ſi probabiliter ſolummodo timerent leue damnum. Ratio, quia à præcepti obſeruatione excuſantur ſolum ob damnũ graue, non verò ob leue. Ita Nauarr. *cap.*13. *num.*7. Reginaldus *lib.*19. *n.* 46. & alii apud Bonacinam *de legib. diſp.*5. *quæſtionica pun.*3. *num.*16 Si verò ſerui cogerentur laborare diebus feſtiuis ob contemptum eorum, peccabunt, ſi laborent. Ratio, quia bonum Religionis præponderat bono priuato vitæ, & aliorum bonorum exteriorum. Ita Nauar. *loco cit.* & alii apud Clauem regiam *lib.*7 *cap.*25 *num.* 8. Secundò non peccare ſeruos præparando cœnam Dominis non ieiunantibus, & proſternendo menſam: ratio eſt, quia non cooperantur in re intrinſecè mala, ſed ſolum extrinſecè quod poſita iuſta cauſa poſſunt facere: iuſta autem cauſa eſt, quia tenetur ex officio obedire Dominis in his, quæ non ſunt intrinſecè mala. Ita Azorius *part.*1. *lib.*7. *cap.*31. *queſt.*11. & *par.*2. *lib.* 12. *cap. vlt. queſt.*5. Caietanus 2.2. *queſt.*47. *art.*4. & alii. Tertiò famulum etiam non peccare, qui cõcomitatur ſuum Dominum ad meretricandum, ſi id iuſta cauſa faciat, v.g. ſi timeat eijciendũ à Domino ex domo, ſi id nõ faciat, quod eſſet illi cauſa Dñi. Ratio, quia vtitur iure ſuo, & exercet actionem ſolum extrinſecè malam, nimirum ex praua intentione Domini. Item nõ peccare famulum, per quem Dominus mittit litteras, & munera concubinæ. Ratio, qui deferre litteras concubinæ, & munera non eſt intrinſecè malum, ſed extrinſecè. Verùm non poſſe deferre litteras concubinæ, quibus ſcit ipſam peti ad peccandum, quia tunc cenſeretur cooperari rei intrinſecè malæ. Ita Rebellus 1. *par. lib.*2 *queſt.*14. *ſect.*7. *nu.* 53. Sanchez in *ſumm. tom.*1. *lib.*1. *cap.*7. *num.*25. & 26. & alii.

An famulus peccet, qui metu cadenti inconſtantem virum ſcienter defert litteras concubinæ, quibus ipſa inuitatur nocte ad peccatum?

BRACTEA VI.

R. Famulum non poſſe abſque peccato mortali deferre litteras concubinæ, quibus ipſa petitur ad peccatum, etiamſi id faciat metu cadente in conſtantem virum. Ratio, quia cenſetur cooperari actioni intrinſecè malæ, & non licere ob metum cadentem in conſtãtem virum, nec ob damnum quod probabiliter timeatur cooperari actioni intrinſecè malæ, & debet potius è domo illa diſcedere, quã tales litteras deferre. Ita Sanchez in *ſumm. tom.*1. *lib.*1. *cap.*7. *num.*26. Rebellus *par.*1. *lib.*1. *queſt.* 14. *ſect.*7. *num* 53. Molphes in *ſumm. tom.*1. *tract.*8. *cap.*10. *n.* 60. & alij. Quod ſi dicatur non cooperari immediatè, ſed ſolùm mediatè in re extrinſecè mala, & ideò ob metum cadentem in conſtantem virum licitè poſſe fieri: & ita Em. Sà *verba peccatum num.* 9. Reſpondeo ipſum immediatè cooperari deferendo litteras; & ideò non excuſari à peccato, ſicut etiam non excuſatur famulus, qui de mandato ſui Domini ſcribit litteras meretrici inuitans ipſam ad copulam. Ratio, quia ſcribendo cooperatur in re intrinſecè mala, nimirum in peccato, quod nullo modo licet. Si verò de mandato Domini ſolùm ſcribat rem indifferentem, nimirum vt tali hora, in talem locum ſe transferrat non peccabit, ſi ex iuſta cauſa id faciat. Ratio eſt, quia ſic ſcribendo cenſetur ſolùm cooperari in re extrinſecè mala, quod poſita iuſta cauſa licet facere: iuſta autem cauſa obediendi in iſto caſu erit famulatus, aut quia Dominus eum malè tractabit, aut domo eiiciet.

An famulus, qui videt furantem in domo Domini, & ipſum non impedit, peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VII.

R. Qvod ſi famulus videt aliquem conſeruum domeſticum furantem nō peccat, nec obligatur ad reſtitutionem, ſi ipſum non impedit, quia ad ipſum, id non ſpectat, ſed ſolum ad illum, cui data eſt cura domus. ſi verò videt extraneum furantē peccat non impediendo. & obligatur ad reſtitutionem, quia ratione famulatus obligatur tueri res ſui Domini, & non tuendo facit contra obligationem, quam habet. Et ita Layman. in *Theolog morali lib.3.ſect.5.tract.2.cap.5 num.7.* Nauarrus *cap.14.num.7.* Leſſius *lib.2.cap.15. num.74.* Petrus Nauarr. de *reſtit. lib.3.cap.1.num.214.*

Similiter nō obligari ad reſtitutionem famulum, qui ab alio famulo furante aliquid accipit, vt non impediat, niſi res data ſit pars furti. Ita Sotus de *iuſtit. lib.4.quaeſt.7 art.3.* & Nauarr. *cap.17.num.21.* Ratio, quia non accipit ad non faciendum, quod ex iuſtitia tenetur facere, ſed ſolùm ex charitate, & ex violatione charitatis nō oritur obligatio reſtituendi. Verùm ſi accipiens ſua pollicitatione furem animoſiorem reddit ad furtum, tunc obligaretur ad reſtitutionem tanquam concurrens in effectu primario damni. Ita Petrus Nauarr. *loco cit.num.132.* Leſſius *lib.2.cap.15.dub.10.num.68.* & alij.

An famuli teneantur obedire Dominis excommunicatis?

BRACTEA VIII.

R. Famvlos, qui ante excommunicationem ſui Domini erant in ſeruitute, poſſe cum eo participare, ac ſi non eſſet excommunicatus, vt patet ex *cap. quoniam multos*, & ita Henriquez *cap.23 num.2.* Hugolinus, Taliena *cap.23.§.7.* Filliuccius *tract.12.cap.6.quaeſt.5 num 1.& 4.* Sayrus *cap.14.* & alij, qui etiam hanc doctrinam extendunt ad famulos ruſticanos, ideſt agricolas, quia iſti poſſunt cum ſuis Dominis excommunicatis participare in his, quæ ſpectant ad culturam. Secundò famulos, qui poſt excommunicationem alicuius cęperunt illis ſeruire, peccare ſi hoc faciunt non neceſſitate pretij, ſed tamen ratione ſeruitutis poſſe cum illis participare. Ita Nauarrus *cap.17.num.27.* Hugol. *loco cit.§.9.* Sayrus *cap.14.n.8.* & alij apud Suarez *diſp.15 ſect.15.n.13*

Sciendum poſſe ſeruum participare pręſtando ea, quæ concernunt ſubiectionem, miniſterium, & famulatum. *Cap. ſolitæ de maiorit. & obed.* Vnde famulus poteſt participare in rebus domeſticis, & etiam recitare officium cum Domino excommunicato, & cum eo audire Miſſam, ſi ab eo vocetur. Ita plures apud Bonacin. de *Cenſuris diſp.2 qu.2.pun.6.§.2.n.37.*

An famulus diſcedens ante finitum tempus, amittat totam mercedem?

BRACTEA IX.

R. Negativè ſecluſo pacto, & damno, quod Dominus patitur ob illius diſceſſum. Ratio, quia ratione ſeruitutis futurę nō præſtitæ ſolū denegandū eſt illi ſtipendium ad ratam, cum iam ipſe ſeruierit, & præſtiterit operam pretio æſtimabilem; & vt ſupradictum eſt, quando famulus remiſit determinationem pretij Domino, non poſſe ipſi dare, quod voluerit, ſed teneri ſaltem dare infimum pretium. Ratio, quia mens famuli eſt, vt Dominus determinet pretium, quod ei viſum fuerit ex æquitate, non verò ex mera voluntate, & arbitrio.

An famulus inſeruiens Epiſcopo, poſſit ab eo ordinari?

BRACTEA X.

R. Famvlvm, qui per triennium ſeruiuit Epiſcopo poſſe ab eo ordinari, etiamſi non ſit ſubditus, ex priuilegio Concilii Tridentini *ſeſſ.23.cap.9* Modo Epiſcopus ſtatim illi conferat beneficium. Ita plures citati à Bonacina *diſp. 8. de Sacram. Ordinis quaeſt. vnic pun.4 num.18.& 19.* Quod intelligitur de famulo, qui ei aſſiſtit circa obſequia, non autem de eo, qui in remoto loco ei inſeruit, v. g. in villis, & ruribus, quamuis eius expenſis alatur, quia ob diſtantiam non poteſt ritè cognoſcere eius mores. Ita Maiolus *lib.4. de irregularit. cap.2.num.5.* & alii apud Quarant. *verbo Ordo.*

An famulus, qui habet rem cum ancilla ſuæ Dominæ poſſit abſolui?

BRACTEA XI.

Sciendvm aliam eſſe occaſionem proximam, aliam remotam peccari: Occaſio proxima eſt, quæ dependet ab ipſo peccante: Occaſio verò remota eſt, quæ non dependet à peccante, ſed ab alio; ad occaſionem proximam requiri, quod peccans vt plurimum vtatur tali occaſione; quod ſi verò ter, vel quater in anno repentina libidine correptus non animo perſeuerandi, non eſſe in occaſione proxima peccandi, licet ab ipſo dependeat, ſed remota, quia ad occaſionem proximam peccati primò requiritur, vt occaſio dependeat à peccante: ſecundò vt peccās plurimum vtatur tali occaſione: tertiò quod vtatur tali occaſione ex intentione perſeuerante, & non repentino accidenti. Secundò occaſionem proximam quatuor modis fieri remotam: primò ratione pacti: ſecundò neceſſitatis: tertiò ſcandali: quartò infamiæ: ratione pacti, vt v.g famulus, qui habet pactum manendi per annum in domo ſui Domini, ſi illo durante peccet cum ancilla non cenſetur eſſe in occaſione proxima, ſed remota, cum durante illo anno non poſſit è domo ſui Domini diſcedere: ratione neceſſitatis, vt ſi ancilla inſeruiat alicui in infirmitate, cuius opera infirmus maximè indigeat, & ab omnibus æſtimetur honeſta, quam tamen Confeſſarius agnoſcet illi eſſe concubinam, & quia infirmus maximè indiget illius opera, idcircò non cenſetur eſſe in occaſione proxima, ſed remota peccati: tertiò rōne ſcandali, vt ſi aliqua vidua in domo mariti defuncti maneret, cuius cognatus rem cum ipſa haberet durante primo anno viduitatis, à cuius domo non poteſt diſcedere iuxta conſuetudinem loci, ideò non cenſetur eſſe in occaſione proxima, ſed remota, cum non poſſit durante primo anno viduitatis è domo mariti diſcedere abſque ſcandalo, & infamia. Quibus poſitis.

R. Quod famulus, qui bis, vel ter in anno habet

rem cum ancilla ſuæ Dominæ repentina libidine correptus, ſed modò ſperat fore, vt non amplius relabatur, poteſt à Confeſſario abſolui. Ita Graf. *lib. 1. deciſ. cap. 18. num. 13.* & alij. Ratio, quia non cenſetur in occaſione proxima, ſed remota. Secundò famulum poſſe abſolui, qui habet pactum manendi per annum in domo ſui Domini, quo durante habuit rem cum ſerua. Ratio, quia cum durante pacto non poſſit liberè diſcedere è domo ſui Domini, non cenſetur eſſe in occaſione proxima, ſed remota. Tertiò poſſe abſolui in articulo mortis exiſtentem, qui ob neceſſitatem infirmitatis non poteſt tunc concubinam eijcere, dummodo habeat firmum propoſitum non peccandi, ipſamque dimittendi quamprimum commodè potuerit. Quartò viduam etiam poſſe abſolui, quæ primo anno viduitatis debet manere in domo mariti defuncti, & rem habet cum cognato, cum non poſſit abſq; ſcandalo, & infamia è domo mariti diſcedere, dummodo promittat per illam occaſionem, ſe non amplius peccaturam.

Ad quam reſtitutionem obligetur famulus, qui res Domini furatur?

BRACTEA XII.

R. Peccare mortaliter ſeruum peccato furti auferendo aliquid in notabili quantitate à ſuo Domino, & obligari ad reſtitutionem accepti, & damni dati. Ratio, quia accipiẽs alienum inuito Domino peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem. Ita Nauarr. *cap. 17. num.* 138. & alij apud Clauem regiam *lib. 9. cap. 26. nu.* 26. poteſt tamen excuſari à peccato mortali, quando minimam partem victualium ſucceſſiuè furatur, quæ fit notabilis progreſſu temporis modò illam conuertat in proprium vſum, quia in hoc caſu Dominus non cenſetur inuitus quoad ſubſtantiam, ſed potius quoad modum; modus autem accipiendi contra voluntatem Domini nõ ſufficit per ſe ad peccatum mortale, vt ait Nauarr. *cap. 17. n.* 138. & alij. Verùm ſi accipiat notabilem quantitatem ad dandum, vel vendendũ, vel ludendũ vel conſumandum cum exteris peccat mortaliter peccato furti, etiamſi ſigillatim ea in parua quantitate acceperit, quia tunc Dominus cenſetur inuitus, quoad modum, & quoad ſubſtantiam, cum ea non conuerterit in proprium vſum. Ita Petrus Nauarr. *lib.* 3 *cap. 1. par. 2. num.* 225. Clauis regia *loco cit.*

An famuli vſurariorum obligentur ad reſtitutionem rei acceptæ per vſuram acquiſitæ?

BRACTEA XIII.

R. Famulos vſurariorum in defectum vſurarij obligari ad reſtitutionem rei à Domino ſuo acceptæ, & per vſuram acquiſitæ. Ratio eſt, quia exigendo, & accipiendo concurrunt effectiuè ad damnum alterius, & per conſequens ſunt obligati ad reſtitutionem iuxta quantitatem dãni, ad quod cooperati ſunt accipiẽdo, & ſicut qui participat cum fure ad furãdum tenetur ad reſtitutionem, ita etiam tenetur, qui participat cum vſurario agendo partes vſurarij exigendo vſuras, aut accipiendo aliquid ex vſuris acquiſitum. Molina *tract. 2. diſp.* 734. *num.* 1. & alij apud Bonacinam *diſp. 3. de contract. queſt.* 3. *pun.* 15. *propoſ. 3. num.* 12. Secundò famulos, qui ſolùm ſeruant pecunias vſurariorum, vel referũt in libris rationem dati, & accepti non obligari ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia parum videntur cooperari ad damnum. Ita plures citati apud Bonacinam *loco cit. propoſ. 4. nu.* 12.

An liceat ſeruo reuelare ſuo Domino vxoris adulterium cum probabilitate vxoricidij?

BRACTEA XIV.

R. Negatiuè: ratio, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona; & idcircò ſeruus certus de adulterio vxoris non tenetur ipſum viro indicare, quando probabiliter opinatur futurũ eſſe homicidium vxoris: tamen licitum eſſe ſeruo reuelare Domino vxoris propoſitum de ipſo occidendo, cum probabilitate homicidij eiuſdem vxoris, ſi certò conſtet ſeruo vitam viri eſſe magis neceſſariã, quam vxoris pro bono filiorum, domus, & Reipubl. Ratio, quia è duobus malis eligendum eſt minus, quando vtrunque eſt ineuitabile: idcircò, &c.

DE QVINTO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non occides.

MALLEATIO XVI.

Quintum Præceptum eſt negatiuum, quo prohibetur homicidium, in ordine ad quod plura dicam. Primò, quia per homicidium violatur iuſtitia, idcircò agam de iuſtitia in genere, & in ſpeciali, De Dominio, Vſufructu &c. De modis acquirẽdi Dominium &c. Secundò, de reſtitutione, quæ oritur ex violatione iuſtitiæ Commutatiuæ de Cooperantibus ad damnum in genere, & in ſpecie: Tertiò, de homicidio, de reſtitutione ob homicidium, de duello, de bello, de Duce exercitus, de Militibus, de eorum obligatione in ordine ad reſtitutionem. Tractant de homicidio Theol. in 4. diſt. 15. S. Thom. 2. 2. quæſt. 64. Summiſtæ V. Homicidium.

De Iuſtitia in communi.

Quid ſit Iuſtitia?

BRACTEA I.

SCIENDVM Iuſtitiæ nomen ſumi à ſuo proprio obiecto, nempè à iure, quaſi Iuſtitia ſit, quæ ius ſuum vnicuique tribuit: ideò ſumitur dupliciter, primò largè, & communi quadam ſignificatione, quatenus eſt generalis, quædam virtus omnes complectans virtutes, quia proprium eſt Iuſtitiȩ actiones, & contractus humanos in quadam æqualitate conſtituare, quod præſtant omnes virtutes cum conſiſtant in quadam æqualitate, & debita proportione ſecundum regulam rationis: Secundò ſumitur pro virtute morali, quæ vna eſt ex quatuor Cardinalibus, & ſub hac ſignificatione loquimur in præſenti de Iuſtitia.

R. Iuſtitia rectè definitur Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ſuum quique tribuendi. Ita Vulpianus *leg. Iuſt ff. de Iuſtit. & Iur.* & omnes communiter Doctores.

Sciendum 2. Iuſtitiam eſſe habitum, ſeu bonam affectionem voluntaris ipſam conſtanter inclinantem ad reddendum vnicuique ſuum, ſiue debitum ad æqualitatem damni. Vnde ad Iuſtitiam tria requiruntur, vt colligitur ex eius definitione. Primò quod ſit ad alterum ſimpliciter, nimirum in ordine ad debitum, & ipſum ſupponat. Secundò, vt verſetur circa debitum. Tertiò, vt ad æqualitatem reddatur. Vnde D. Thomas 2. 2. *quæſt. 57. art. 4.* docet inter Patrem, & Filium, virum, & vxorem, Dominum, & ſeruum non eſſe propriè Iuſtitiam, ſed ſolum ſecundum quid, cum de intrinſeca ratione formali iuſtitiȩ, ſit ad alterum diuerſum ab ipſo operante, cum autem Pater, & filius, vir, & vxor, Dominus, & ſeruus vnum reputentur, idcircò inter illos non eſt propriè Iuſtitia. Ratio eſt, quia incommoda Patris redundant in filium, & vice verſa, ſeruus ſimiliter cenſetur quædam poſſeſſio, ſeu quoddam inſtrumentum Domini ſui, vnde quod acquirit Domino acquirit, & coniux etiam cenſatur vna caro cum ſuo viro in ijs, quæ ſpectant ad matrimonium: vnde cum in his tribus non detur diuerſitas, non eſt propriè inter illos iuſtitia.

Sciendum 3. Filium, ac ſeruum dupliciter conſiderari: primò quatenus filius, ac ſeruus: Secundò quatenus ſunt homines, quod ſi priori modo conſiderentur cum vterque ſit aliquid alterius, nempè filius Patris, & ſeruus Domini ſui inter eos non inueniri perfectam rationem iuſtitiæ, quod ſi ſpectentur ſecundò modo, ideſt quatenus homines inter eos poſſe eſſe iuſtitiam, & per conſequens poſſe inter eos eſſe contractus, & negotiationes. Molina *tract. 1. de iuſtit. diſp. 4.* Suarez de *iuſtit. ſect. 6. num. 9.* Vaſquez *diſp. 85. cap. 2.*

Sciendum 4. Iuſtitiam eſſe medium rei, non rationis cum conſiſtat in quadam morali ȩqualitate inter maius, & minus, ſiue rei ad rem, v. g. pretij ad mercem, vt iuſtitia commutatiua ſiue inæqualitate proportionis, vt in iuſtitia distributiua per quam munera, & onera diſtribuuntur, & proportio eorum ſit æqualia proportioni perſonarum, inter quas ſit diſtributio: vnde hoc medium non dicitur eſſe à ratione, ſed potius à natura, & idcircò dicitur medium rei. Secundò iuſtitiam propriè non verſari circà paſſiones, quia per paſſiones immediatè ad aliud non ordinamur, vt de ratione formali iuſtitiæ eſt, vt ad aliud ordinemur, & vt melius intelligatur quid ſit iuſtitia proponenda ſunt diſcrimina inter ipſam, & alias virtutes. D. Thomas 2. 2. *quæſt 58 art. 1.* tria diſcrimina ponit inter iuſtitiam, & alias virtutes morales, primum vt ſit componere hominem in ordine ad alterum, & inclinare ipſum ad exequenda, quæ alteri debet. Ratio, quia conſiſtit iuſtitia in quadam æqualitate: æqualitas autem ad alterum eſt, cum nihil ſibi æquale dicatur; aliæ autem virtutes morales componunt hominem in ordine ad ſe ipſũ, quia verſantur circà proprias paſſiones, ex quo diſcrimine naſcitur ſecundum, vt in alijs virtutibus optimum, & rectum illarum ſumatur habita ratione agentis; at verò in iuſtitia rectum ipſius non ſumatur per comparationem ad ipſum agentem, ſed per comparationem tantum ad debitum, quod alteri reddendum eſt, ita vt ſi debeo centum reddam centum, tertium diſcrimen eſt, vt in alijs virtutibus non ſit certum medium, ſed quod aſſignat recta ratio iuxta diſpoſitionem agentis, cum agens non ſit ſemper eodem modo diſpoſitus. Vnde quamuis aliȩ virtutes habeant materiam certam, circa quam verſantur, tamen non habent certum obiectum, vt temperantia non habet certum cibum, aut potum, & Fortitudo certum periculum, ſed quod in ſingulis euentibus prȩſcribit ratio recta iuxta diſpoſitionem agentis; at verò iuſtitia habet certum obiectum, nempè iuſtum debitum alteri, quod non eſt aſſignandum à recta ratione, ſed ex natura rei, & ex vi, & quantitate debiti ſumendum eſt.

De Obiecto Iuſtitiæ.

BRACTEA II.

SCIENDVM ius varijs modis accipi: primò pro actu iuſtitiæ, quæ præcepta iuris colligit: Secũdò pro regula Iuſtitiæ, ſiue pro dictamine rationis quo ordinantur actiones externæ iuſtè, ſiuè ſit naturalis, ſiuè ſit poſitius, & ratione illius lex ſcripta, quæ cuique operarionum regula cõſiſtit: vnde Ariſtoteles 1. *politic.* Ius eſſe iuſti Iudicium, & ordinationem ciuilis ſocietatis nomine quidem Indicij regulam mentalis dictaminis intelligit, cui externa actio conformis iuſta eſt per ordinationem Cinilis ſocietaris legem ſcriptam, qua ciuilis ſocietas gubernatur. Terriò modo accipitur, vt eſt idem, ac iuſtum hoc eſt pro opere, quod eſt alteri adæquatum ſecundum aliquem æqualitatis modum, vt dicit D. Thomas 2 2. *quæſt.*57.*artic.*1. & 2. quarto modo accipitur etiam pro facultate morali quam quis habet ad vtendum re aliqua, vel ad eam obtinendam in iudicio, vel retinendam, vel aliquo modo ſibi competentem aduerſus quemcunquè alium obſtantem: vltimò dicitur etiam Ius pro ſententia Iudicis, quo modo Iudex dicitur ius dicere quando fert ſententiam. Quo poſito.

R. quod ſi ius ſumatur tertio modo ſupradicto dicitur obiectum Iuſtitiæ, & ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 57.*art.*1. Si verò quarto modo ſumatur cenſetur propriè menſura iuris tertio modo ſumpti, & vt ſic poteſt dici etiam obiectum Iuſtitiæ non quidem menſuratum, ſed menſurans.

Sciendum obiectum Iuſtitiæ duplex eſſe: vnum quod dicitur Ius menſurans, à quo tanquam à propria, & formali menſura tum regula, tum dictamen iuſtè operantis, tum ipſa operatio, vel quaſi operatio externa iuſta menſuratur, quod vel natura ipſa, vel ex inſtitutione poſitiua, ſiue diuina, ſiue humana nobis competit: obiectum menſuratum dicimus eſſe ipſum opus iuſtum, ſiuè iuſtitiæ æqualitatem, quæ per opus iuſtum inter duos, vel plures fieri ſolet, & hoc obiectum multiplex eſt ius naturale, ius gentiũ, & ius ciuile. Ius ciuile poſitiuum multiplex eſt etiam Eccleſiaſticum, & ſeculare, & ſuper hæc ius diuinum quod diuiditur in Ius naturale, & Diuinum, vt alibi dictum eſt.

De ſubiecto Iuſtitiæ.

BRACTEA III.

R. IVSTITIAM non reſidere tanquam in ſubiecto in intellectu, ſed ſolum in voluntate tanquam in ſuo proprio ſubiecto, & patet ex definitione tradita à Vulpiano qua definitur Iuſtitia conſtans, & perpetua voluntas, &c. tum etiã quia actus Iuſtitiæ eſt actus voluntatis, ergo, & ſubiectum Iuſtitiæ eſt voluntas. Patet conſequẽtia, nam vbi eſt actus ibi habitus, probatur etiam ex Ariſtotele 5. *artic. cap.* 1. dicente iuſtitia eſt qua iuſta operamur, & volumus. Vltimo ratione à D. Thoma 2.2. *quæſt.*58.*art.*4. à ſufficienti diuiſione, omnes enim vires animæ noſtræ, quæ ſunt ſubiecta habituum ſunt hæ tres Intellectus, ſiue Ratio. Appetitus rationalis, qui dicitur iniuſtitia, & appetitus sẽſitiuus: ſed voluntas non eſt in intellectu ſiue in ratione, neque in appetitu ſenſitiuo, ergo erit in volũtate. Prior pars conſtat, quia habitus ſunt propter actus, ideſt ad componendam potentiam, vt rectè eliciat actum, illa Potentia eſt ſubiectum alicuius habitus, ad cuius actum benè regulandum talis habitus conſtituitur: ſed iuſtitia non componit, neq; regulat actus intellectus, aut appetitus ſenſitiui: ergo ipſa regulat actus voluntatis, & idcircò, quis dicitur iuſtus, non quia iuſta cognoſcit, ſed quia iuſta operatur, & ex iſtis deducitur, ratio ſecundæ partis.

Quotuplex ſit Ius ſecundum Theologos?

BRACTEA IV.

R. TRIPLICITER diuidi: primò in Ius naturale, & poſitiuum: Secundò poſitiuum in Diuinum, & humanum: Tertiò in Ius gentium, ciuile, & Canonicum, Ius naturale illud eſſe, cuius obligatio oritur ex natura rei, de quã eſt Præceptum, & non ex arbitrio præcipientis; & habetur apud omnes; Ius poſitiuum Diuinum dicitur illud, quod à Deo, vel Chriſto latum eſt de his, quæ non ſpectant ad Ius naturale, ſiue hoc tulerit immediatè, ſiue etiam mediante miniſterio Angelorum, & hominum &c. Ius humanum ſunt leges, & præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo poteſtate: Ius gentium eſt humanum quo ferè vtuntur omnes nationes: Ius ciuile dicitur illud, quod eſt conditum per ſæculares poteſtates: Ius Canonicum eſt id, quod per Eccleſiam, eiuſquè miniſtros quatenus tales ſunt traditum eſt; propriè autem acceptum illud ſolum eſt Canonicum, quod à Summis Pontificibus traditum eſt, vt ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, vt ſunt Canones, & decreta Pontificia &c.

Sciendum ea, quæ ſunt de iure naturali, eſſe immutabilia. Ratio eſt, quia quod ratio naturalis fieri iubet, aut prohibet poſſe ex natura ſua bonum eſt, aut malum. Quæ ſunt de iure poſitiuo mutari poſſunt ſolum variatione ipſius legis, ſi nimirum ea abrogetur, vel in ea diſpenſetur. Secundò, præcepta Decalogi eſſe de iure naturali. Et quamuis tradita ſint in veteri lege, manent etiam nunc quatenus ſunt præcepta legis naturalis. Ita S. Thom. 2.2. *quæſt.* 122.*art.*1. Præceptum tamen ſanctificationis ſabbati, quoad determinationem diei eſt de iure poſitiuo, & ideò mutatum in lege gratiæ quoad ſubſtantiam cultus Dei, eſt de Iure naturali, & idem permanſit. Tertiò, Nec Ius Canonicum, nec ius ciuile propriè loquendo, poteſt dici ius Diuinum. Ratio eſt, quia proximè, & immediatè latum eſt ab hominibus. Quartò, Ius naturale, quatenus naturale, non eſſe propriè diuinum, quia proximè, & immediatè non eſt à Deo, ſed remotè, & media ratione naturali iubente aliquid, vel prohibente. Aliquod tamen dicitur etiam Diuinum, quia proximè à Deo præceptũ eſt, vel per ſe ipſum, vel per alium ſuo nomine. Quintò, In Iure Diuino ſummum Pontificem ex iuſta cauſa poſſe diſpenſare, vel potius interpretari, & declarare, in hoc, vel illo caſu non obligare.

Sciẽdum Ius Gentium diſtingui à naturali in duobus: primò quia eſt proprium hominum, non autem belluarum: ſecundò, quia formaliter loquendo ſemper requirit hominum voluntatem, & auctoritatem qua ponatur, & conſtituatur: Idcircò ius gentium pertinet potius ad ius humanum, quam ad naturale; Vnde etiam dicitur poſitiuum, quia eſt poſitum auctoritate, & voluntate hominum, & quia propriè eſt ius humanum, idcircò mutabile eſt, & ideò lege Principum, vel Reipublicæ, vel conſuetudine mutari poteſt.

Sciendum Ius Canonicum dictum eſſe à canone hoc eſt regula, quia continet regulas Eccleſiaſticas dicitur etiam ius Pontificium, quia conſtat reſponſis, & decretis Romanorum Pontificum, & ideò quatenus traditur in ſcholis, & explicatur quinquè in ſe partes continet. Prima eſt decretum Gratiani ex varijs ſummorum Pontificum, & conciliorum ſanctionibus, ac ſanctorum Patrum ſententijs coniectura. Secunda pars ſunt decretales, quas Gregor. IX. opera Raymundi Barcinonenſis Pœnitentiarij ſui compilauit. Tertia pars eſt ſextus, quem Bonifacius VIII. edidit in Concil. Lugdun. Quarta ſunt Clementinæ à Clemente V. æditæ. Quinta pars ſunt extrauagantes Ioannis, & aliorum Pontificum.

De diuiſione Iuſtitiæ?

BRACTEA V.

R. Iuſtitiam primariò diuidi in Iuſtitiam generalem, ſeu legalem, & in particularem: Iuſtitiam legalem eſſe virtutem generalem ordinantem Ciuem ad bonum commune, & idcircò dicitur generalis, quia habet tanquam obiectum, omnium aliarum virtutum operationes in quantum per ipſam ad bonum commune diriguntur. Iuſtitiam verò particularem reſpicere ſolum bonum priuatum.

Sciendum quod ſicut homo dupliciter poteſt cõſiderari, vel tanquam pars ad partem, Ciuis inquam ad Ciuem, vel tanquam pars ad totum, Ciuis inquã ad Cõmunitatem, hinc duplex ius oritur, & conſequẽter duplex Iuſtitia auctore Ariſtotele *lib. 5. Ætic. cap. 1.* vna generalis per quam quiſquè reddit, quod iuſtum eſt, ac debitum Reipublicæ cuius Ciuis eſt, altera Iuſtitia particularis, per quam quiſquè reddit, quod iuſtum eſt alteri debitum: prima Iuſtitia ab Ariſt. *loco cit.* & S. Thoma 2. 2. *quæſt. 58. art. 6.* dicitur virtus generalis, quia omnes virtutes morales in ſe comprehendit quatenus ipſa regulat operationes omnium virtutum referendo illarum actionem ad proſperitatem Reipublicæ, ea inquam conſideratione dicitur virtus perfecta, quæ vna in ſe virtutes cõtinet omnes. Ariſt. *loco cit. cap. 1.* quo locô eandem virtutem quam communem, ſeu generalem appellarat, nouo nomine legalem vocat, quia verſatur iuxtà legem, ſeu iuſtum legitimum cum in Republica legibus benè conſtituta omnia omnium virtutũ officia præcipiantur; atque in hac ſignificatione iuriſconſultus nomen iuris accipit in *leg. iuſtitia ff. de iuſtit. & iure*, cum ait Iuris (idest Iuſtitiæ legalis) præcepta ſunt honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum cuiquè tribuere &c. etenim quæuis Reſpublica triplici iure vtitur, videlicet æquitati naturali, ſcripta lege, & conſuetudine vetuſta, in ſacris quoquè litteris frequentiſſima eſt vſurpatio Iuſtitiæ pro quouis virtutis opere, quatenus per illud Diuinæ legi, ac voluntati conformamur, & ita Matth. 5. *Beati, qui eſuriunt Iuſtitiam*, quemadmodum è contrario omne peccatum Iniuſtitia appellari ſolet: Io: 7. *Iniuſtitia in illo non eſt*, & ad Roman. *reuelatur ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum.*

Iuſtitiam legalem duo importare, vnum in Principe condente legem, alterum in ſubditis Principi ſubiectis, in Principe importat ius condendi leges ob commune bonum, in ſubditis verò importat obligationem reddendi debitam obedientiam; ſic ait D. Thom. 2. 2. *quæſt. 61. art. 1.* Molina de *Iuſtit. tract. 1. diſp. 12.*

Inter Iuſtitiam legalem, & particularem hæc differentia reperitur, quòd ex violatione Iuſtitiæ particularis cum damno alterius oritur obligatio reſtituendi, non verò ex violatione Iuſtitiæ legalis, modo violans Iuſtitiam legalem non teneatur ex officio conſeruare bonum commune, vt accidit quando Iudex non impedit furtum, quod ex Iuſtitia tenetur impedire. Clauis regia *libro 10. tract. 1. cap. 15. num. 7.* Leſſius *lib. 2. dub. 3. num. 11.* & alij, modo etiam violatio Iuſtitiæ legalis non comprehendat violationem Iuſtitiæ particularis, quia in iſto caſu violãs Iuſtitiam particularem obligaretur etiam ad reſtitutionem, vnde qui denegauit veritatem in iudicio non tenetur ad ſoluendam pœnam, ad quam fuiſſet condemnatus, ſi veritatem Iudici confeſſus fuiſſet, violauit enim tantummodo Iuſtitiam publicam, & legalem, quæ habet ius extorquendæ veritatis ad vindictam criminum, non enim violauit Iuſtitiam particularem per ordinem ad illum, qui erat applicanda pœna. Clauis regia *loco cit.* Vaſquez 1. 2. *quæſt. 96. artic. 5. diſput. 157. cap. 15. num. 13.* Azorius 1. *part. lib. 5. cap. 8. quæſt. 7.* Sanchez *lib. 2. cap. 22. num. 25.*

Similiter eum qui transfert triticum extrà Territorium contra Edictum Principis non tenetur per ſe loquendo ad reſtitutionem, quia non violat Iuſtitiam particularem, ſed publicam, & legalem; peccare tamen mortaliter contrà Edictum Principis trãsferendo triticum extrà Territorium, quia lex prohibens tranſlationem tritici ex certis locis obligat ſub mortali quãdo Reſpublica patitur ex ipſa trãſlatione graue damnum, Rebell. *lib. 9. cap. 18. num. 38.* Reginaldus *lib. 13. num. 44.* Arragon. Medina, & Sotus apud Salas de *legib. diſp. 10. ſect. 9. num. 49.* & alij communiter. Ratio, quia lex pœnalis obligat ſub mortali quando materia, & pœna grauis eſt, niſi aliter conſtet de mente legiſlatoris. Azorius 1. *part. lib. 5. cap. 6. quæſt. 3.* Suarez *lib. 3. de leg. cap. 3. num. 25.* Salonius *tom. 2. quæſt. 7. art. 2. controu. 8. num. 8.* Salas de *legib. diſp. 10. ſect. 3.* Tum quia, qui temerè exponit ſe periculo vitæ corporalis grauiter peccat cum quilibet teneatur vitam propriam ex charitate diligere, qui aufert triticũ Principis, exponit ſe periculo mortis, tum etiã quia habet intentionem inferendi graue damnum Reipublicæ, & inferendi iniuriam miniſtris iuſtitiæ. Petrus Nauarr. *lib. 5. cap. 3. num. 347.* Molina *tom. 4. diſp. 15. num. 3.* & alij.

Quænam ſint partes integrales iuſtitiæ legalis?

BRACTEA VI.

R. Partes principaliores Iuſtitiæ legalis eſſe duas facere bonum, & declinare à malo, conſiderato bono, & malo in ordine ad bonum publicum. Ita D. Auguſt. *lib. de corrept. & gratia cap. 1.* vbi dicit ad iuſtitiam legis pertinere declinare à malo, & facere bonum; quod etiam docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 79. art. 1.* qui hanc rationem reddit, quia ad iuſtitiam generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem, & vitare malum oppoſitum.

Sciendum circa actum, qui eſt declinare à malo, ſecundum quod ponitur pars iuſtitiæ legalis non importare negationem puram, quæ eſt non facere malum, nam hoc non meretur palmam, ſed ſolum vitat pœnam, ſed importare motum voluntatis repudiantis malum, quod eſt meritorium, præſertim quando aliquis impugnatur, vt malum faciat, & reſiſtit.

Sciendum. Circa alterum actum, qui eſt facere

bonum

bonum eſſe actum completiuum iuſtitię, & quaſi partem principalem eius, vnde perfectior eſt actus, qui eſt facere bonum, quam eſt actus, qui eſt declinare à malo.

De diuiſione iuſtitiæ particularis in commutatiuam, & diſtributiuam?

BRACTEA VII.

R. Dvas eſſe ſpecies iuſtitiæ particularis, vna quæ dicitur iuſtitia commutatiua, & altera diſtributiua: iuſtitię commutatiuę officium eſt conſtituere ęqualitatem inter partes Reipublicę, quæ principaliter locum habent in Commutationibus, & in contractibus, in quibus ordo iuſtitiæ commutatiuæ ſeruari debet ſecundum æqualitatem rei datæ ad rem acceptam: medium iuſtitiæ commutatiuæ eſt medium Aritmeticum, vt docet Ariſtot. 5 *Ætic. cap. 3.* & ratio eſt quam reddit S. Thom. 2. 2. *quæſt. 61. art. 13.* quia in commutationibus redditur aliquid alicui ſingulari perſonæ propter rem eius, quæ accepta eſt; vt maximè patet in emptione, & venditione, de quibus primò inuenitur ratio Commutationis, & ideò opportet adæquare rem rei, vt quando iſte plus habet, quam ſuum ſit, de eo, quod eſt alterius tantundē reſtituat ei, cuius eſt; & ſic fit æqualitas ſecundum aritmeticam medietatem, quæ attenditur ſecundum parem quantitatis exceſſum, ſicut quinque eſt medium inter ſex, & quattuor; in vnitate enim excedit, & exceditur; ſic enim à principio vterque habet quinque, & vnus eorum recipit vnum de eo, quod eſt alterius vnus ſcilicet accipiens habebit ſex, & alteri relinquentur quatuor, erit ergo iuſtitia ſi vterque reducatur ad medium, vt accipiatur vnum ab eo, qui habet ſex, & detur ei, qui habet quatuor, ſic enim vterque habebit quinque, quod eſt medium. Officium verò iuſtitiæ diſtributiuæ eſt conſtituere iuſtum, ſeu quādam æqualitatem inter totum, & partes ſecundum æqualitatem, proportionem, v. g. in diſtributione bonorum communium, dignitatum, officiorum, quæ diſtribuenda ſunt iuxta qualitatem, & merita perſonarum ita vt magis vni diſtribuatur, quàm alteri. Medium iuſtitiæ diſtributiuæ, vt docet Ariſt. 5. *Ætic. cap. 3.* eſt medium geometricum ſecundum proportionalitatē, in qua attenditur æquale, nō ſecundum quantitatem, ſed ſecundum proportionē, ſicut ſi dicamus ſicuti ſe habent quatuor ad duo, ita ſe habent octo ad quatuor, probat autem San. Thomas, medium in iuſtitia diſtributiua eſſe ſecundum proportionem geometricam hac ratione, in iuſtitia diſtributiua datur aliquid alicui priuatæ perſonę in quantum id, quod eſt totius eſt debitum parti, quod quidem tantò maius eſt, quantò ipſa pars maiorem principalitatem habet in toto; ergo in iuſtitia diſtributiua tantò plus alicui de bonis communibus datur, quantò illa perſona maiorem principalitem in Communitate habet.

Sciendum vitium oppoſitum iuſtitiæ diſtributiuæ eſſe acceptionem perſonarum, quod vitium conſiſtit in commiſſione; opponitur etiam iuſtitiæ diſtributiuæ, omiſſio diſtribuendi, ſeu non diſtributio, & ita conſiſtit in omiſſione, cum autem omiſſio non poſſit dici vitium, cum propriè ſit peccatum omiſſionis, non opponitur tanquam vitium iſta omiſſio, ſed tanquam peccatum.

An ex violatione Iuſtitiæ diſtributiuæ oriatur obligatio reſtituendi?

BRACTEA VIII.

Petrvs Nauarrus *lib. 2 de reſtitut. num. 144.* Valq. *de reſtitut. cap. 1. dub. vnico num. 6.* Salonius 2. 2. *q. 2. contr. 25. concl. 7.* & alij; affirmatiuam ſententiam tenent, quia qui alterum iniuſtè priuat bono, ad quod habet ius obligatur ad reſtitutionem: ſed qui violat iuſtitiam diſtributiuam priuat alterum bono, ad quod habet ius; ergo obligatur ad reſtitutionem. Vnde ſuperior, qui relicto digno confert beneficium indigno, & Dux exercitus, qui in diſtribuendis premijs, aut ſpolijs militibus, violat iuſtitiam diſtributiuam obligatur ad reſtitutionem, ſed.

R. Ex ſimplici violatione iuſtitię diſtributiuę non oriri obligationem reſtituendi, niſi quatenus violatur aliquod ius pertinens ad iuſtitiam commutatiuam, & eſt communis omnium Thologorum ſententia, quia obligatio reſtituendi non ſolum fundatur in ſola æquitate, ſed in æqualitate, eo quod quis minus acceperit, quam ei debitum ſit de rigore iuris: hoc autem pertinet ad iuſtitiam commutatiuam. Ita Rebel. *lib. 3. quæſt. 7.* Bannes 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. dub. 12.* Nauar. in *manual. cap. 17. num 69.* Toletus, & alij. Vnde Dux, qui in diuidendis ſpolijs, vel muneribus, obligatur ad reſtitutionem ſi ea non diuidit iuxta dignitatem, & merita perſonarum, &c. Similiter qui aliquid accepit diſtribuendum pauperibus iuxta inopiam perſonarum, ſi ea non diuidit iuxta pręſcriptum obligatur ad reſtitutionem, quia non modo violatur iuſticia diſtributiua; ſed etiam commutatiua, quia acquiſierunt ſtrictum ius, vt ſibi diſtribuantur iuxta merita, & dignitatem, aut iuxta inopiam. Rebel. *1. part lib. 1. quæſt. 3 ſect. 3. n. 18.* Caiet. 2. 2. *quæſt. 62. art. 2. dub. 3.* Petrus Nauarr. *lib. 3. de reſtitut. cap. 2 num. 144.* Em. Sa *verbo reſtitutio n. 61.* & alij.

MALLEATIO XVII.

De Dominio, vſu, vſufructu, &c.

Quid, & quotuplex ſit Dominium?

BRACTEA I.

R. Dominivm eſſe facultatem, ſeu ius diſponendi de re aliqua corporali, niſi lege prohibeatur, in qua definitione tres ſunt partes: prima eſt ius, quæ ponitur loco Generis, & proinde eſt ac facultas legitima, & iuridica aliquid faciendi, ſeu obtinendi, aut in eo inſiſtendi, vel aliquo modo ſe habendi, cui ſine iuſta cauſa abſque iniuria contrauenire nequit: ſecunda eſt perfectè diſponendi, quæ ponitur ad differentiam vſus, vſuſfructus: tertia niſi prohibeatur, quod dicitur ad ſignificandum Dominum liberè poſſe vti re, cuius eſt Dominus, niſi per accidens prohibeatur, vt prohibetur pupillus, & prodigus.

R. 2. Dominium duplex eſſe vnum iuriſdictionis, & alterum proprietatis: Dominium iuriſdictionis eſt poteſtas gubernandi ſuos ſubditos, actus autem huius iuriſdictionis ſunt præcipere, prohibere, permittere, ordinare, punire, & præmiari: Dominium

proprie

proprietatis eſt facultas ſeù ius diſponendi de re aliqua tanquam ſua in ſuum commodum, quod etiam eſt duplex, plenum, & non plenum: plenum dicitur, quod proprietatem rei, & eius emolumenta continet, ſeu quod comprehendit proprietatem, & commoditatem ipſius rei, & idcircò dicitur perfectum: non plenum dicitur, quod tantum habet, vel proprietatem rei abſque emolumentis, vel emolumenta abſque rei proprietate; & idcircò dicitur imperfectum. Similiter aliud ad directum, & aliud vtile: Directum, quod continet ſolam proprietatem rei, vt eſt dominium, quod habet filius in bonis aduentitijs Princeps in feudis, & Dominus rei in emphyteuſim. Dominium verò vtile continet ſolum commoditatem rei, & vtilitatem: tale eſt quod habet, qui rem in feudum, vel emphyteuſim accepit.

Sciendum dominium iuriſdictionis etiam multiplex eſſe, Ordinarium, Delegatum, Compromiſſorium, & Acceſſorium: Ordinarium eſt, quod competit alicui non ex officio, ſed ex conceſſione illius, qui habet poteſtatem ordinariam: Compromiſſorium eſt quod de communi conſenſu obtinetur: Acceſſorium eſt, quod aliunde habetur, vt ratione delicti: vnde quando quis in alieno territorio deliquit, ſuperior illius loci acquirit in ipſum iuriſdictionem, & delinquens fit ſubditus.

Sciendum ius duplex eſſe, vnum in re, & alterum ad rem: ius in re dicitur, quod tribuit actionem realem: Ius ad rem dicitur illud, ex quo deſcendit actio, ſeu obligatio perſonalis, dicitur etiam ius perſonale, quia proximè tendit in perſonam ex contractu obligatam, vel ex delicto, vt v.g. ex mutuo accommodato, vel ex damno dato, & hæc actio ſēper cohæret perſonæ, quia contra ipſam habet ius aliquid petendi, v.g. mutuum, ſeu damnum datum: Actio realis eſt, quæ adhæret rei, quæ pluribus modis competere poteſt: primò ratione Dominij directi, ſiue ſit ſeparatum ab vſufructu, vel non; ſecundò ratione Dominij vtilis, vt eſt, quæ competit vaſſallo emphyteotæ, &c. tertiò ratione quaſi dominij, vt eſt qui poſſidet rem à non Domino emptam, quādo non omninò vſu cœpit: quartò ratione ſeruitutis, vt quando quis conſitetur, ſeu prætendit ſeruitutem ſibi in re alterius competere, videlicet aut per alienum fundum ire, aut currus proprios per alienos campos poſſe tranſire, & ſimilia: quintò ratione pignoris, ſeù hypotecæ, per quam locator contra quemuis poſſeſſorem agit ad res ſuas recuperandas, quæ obligatio dicitur tacita hypoteca, cum ſit à iure.

Quænam requirantur ad acquiſitionem dominij?

BRACTEA II.

R. Ad acquiſitionem dominij duo principaliter requiri: primò titulus, ſecundo traditio: titulus eſt veluti quædam radix, ſeù origo, ſiue ratio fundandi dominium, v. g. emptio eſt titulus ideſt iuxta cauſa comparandi dominium mercis, & legitima electio ad beneficium Eccleſiaſticum eſt iuſta cauſa acquirendi dominium beneficij: per titulum acquiritur ſolum ius ad rem, ſiuè actio perſonalis, vt uerò acquiratur ius in re præter titulum requiritur etiam traditio ipſius rei, atque illius rei appræhenſio.

Sciendum titulum acquirendi dominium duplicem eſſe: vnum verum, & alterum præſumptum: titulus verus eſt, quo quis verè, & realiter rem, quàm poſſidet iuſto titulo, poſſidet, vt titulo hæreditatis, donationis, emptionis, &c. titulus præſumptus eſt quo quis rem ſibi venditam, vel donatam putat eſſe illius, qui eam dedit, vel vendidit; & idcò benè ſe ipſam poſſidere titulo emptionis, vel donationis exiſtimando donatorem, vel venditorem fuiſſe rei Dominum, & per conſequens illi competere ius alienandi, qui autem abſque titulo vero, uel præſumptorem poſſidet, tanquam ſuam, ijs malæ fidei poſſeſſor dicitur.

Sciendum 2. aliquando dominium acquiri abſque traditione ipſius rei, ſed ſolùm collatione, & acceptatione, quæ etiam abſentibus fieri poteſt, & acquiritur ius in re, & quaſi dominium, v.g. beneficij Eccleſiaſtici ante eius apprehenſionem; ſimiliter etiam ſola additione, & acceptatione hæreditatis acquirit hæres dominium bonorum defuncti ante eorum apprehenſionem, ac poſſeſſionem. *l. cum heredes ff. de acquirenda poſſeſſ.* Similiter quando aliquod legatum alicui relinquitur indeterminatè, & in ſpecie, v.g. centum nummi aurei, vel ſex modij frumenti legatarius acquirit ius perſonale, & ipſi conceditur actio hypothecaria ob realem obligationem, quam habet in bonis defuncti, vt ex his ſibi ſoluatur legatum apud quemcunque poſſeſſorem, deuenianr. Ita apud Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 3.* Quando verò legatum eſt determinatum in ſpecie, ſtatim primum hæres hæreditatem adiuit, legatarius rei legatæ dominium acquirit, vt v.g. ſi quis alicui legauerit equum, vel bouem aut veſtem, &c. Legatarius illius rei ſtatim poſt mortem teſtatoris dominium acquirit. *leg. ſi tibi homo, §. cū ſeruus.* Quando etiam aliquid donatur Ciuitatibus, venditur, aut relinquitur Eccleſijs, aut alijs pijs locis, aut in redemptionem captiuorum ex *leg. vlt. de ſacroſanct. Eccleſ.* Similiter ſi aliquid alteri legatum eſſet ſub aliqua conditione, vt v.g. ut tibi alimenta præſtet, quā conditionem ſi legatarius implere deſinit dominium rei donatæ, abſque traditione reuertitur ad donatorem; acquiritur etiam dominiū abſq; traditione, quando dominium non transfertur ab uno ad alium, vt patet in acquiſitione dominii earū rerum, quæ nullius ſunt, uel nunquam habuerunt dominium, in quibus ad acquirendū dominium ſolum ſufficit apprehenſio, ut patebit ex infra dicendis.

An dominium, & titulus dominij diſtinguantur.

BRACTEA III.

R. Titvlvm dominij diſtingui ab ipſo dominio tanquam cauſam ab effectu. Sotus *lib. 4. quæſt. 1. art. 1.* Molina *tom. 1. de iuſtit. diſput. 4.* Bannes *2.2 quæſt. 72. art. 1.* & 2. Arragonius ibidem, & alij. Ratio, quia dominium eſt facultas diſponendi liberè de re aliqua, & titulus eſt principium, baſis, & radix, & veluti cauſa moralis, & fundamentalis, quo naſcitur hoc dominium: vnde poſſidenti aliquid ſolet dici, quod titulum oſtendat. u.g. emptio, donatio, permutatio, &c. ſunt fundamenta, ſeù radices, quo res de nouo poſſideatur, cum per hos contractus transferatur dominium.

Sciendum, quod plures doctores Pariſienſes, ut refert Conradus *tract. 1. de contract. quæſt. 1. concluſ. 4.* tenent dominium, & titulum dominij non diſtingui, quod etiam aſſirmant de uſu, & titulo uſus, de uſufructu, & titulo uſufructus. Ratio eorum eſt, quia exiſtimabant titulum dominij, u.g. domus eſſe ius, &

facul-

facultatem, quam habet Dominus in illam: hoc autem ius eſt quoque dominium, ergo, &c.

Sciendum 2. dominium, & ius formaliter, & eſſentialiter diſtingui, cum non quicunque habet ius in re aliqua, dicatur habere dominium: vndè mulier habet ius quoddam ex Apoſtolo *c. ad Corinth. 7.* in virum, & tamen ſupra virum non habet dominium, & ſimiliter vir in vxorem, non tamen eſt Dominus, nec ipſa ancilla viri, ſed ſocia, licet in his, quæ ſpectant ad gubernationē domus, debeat obedire marito, & in hoc ſenſu dicitur Geneſ. 3. *ſub* viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui, quia in regimine domus, & ad vſum coniugalē vxor debet obedire marito. Sotus *lib 4. quæſt. 1. art. 1.* deinde Prælati habent ius in ſubditos, & tamen non ſunt Domini illorum; ergo non omne ius eſt dominium, & per conſequens dominium non eſt idem formaliter quod ius; & eſt omnium Theologorum, & Canoniſtarum communis opinio.

Quid ſit vſus?

BRACTEA IV.

R. Vsvm eſſe ius vtendi re aliena, ſalua eius ſubſtantia. Dicitur ſalua ſubſtantia, quia ex hoc diſtinguitur ab alijs, quæ vſu conſumuntur, cum in ijs non cadat propriè vſus.

Sciendum hanc eſſe differentiam inter vſufructuarium, & habentem ſolum vſum rei, quod vſufructuarius non modo poteſt colligere fructus ex re aliena, ſed etiam ipſos, & rem ipſam in alios transferre donatione, locatione, vel emptione; qui ſolum habet ſimplicem vſum rei non poſſe illam alteri locare, vel etiam gratis concedere, v. g. qui poteſt vti domo, fundo, horto, vel vinea, non poteſt ea alienare, vel habitatione alteri concedere. Similiter cui conceſſus eſt vſus ſerui, vel iumenti, poteſt illo vti, non tamen alteri vſum concedere. Ita Silueſter verbò vſus, Clauis regia *lib. 9. cap. 3. num. 7.* Leſſius *dub. 6.*

Sciendum 2. quod quando abſolutè domus alicui legata eſt ad habitandum, conceſſum videtur plus aliquid, quàm merus vſus ædium, nimirum etiam quoddā ius domus etiam locādi, vel alteri concedēdi locationem, & etiam percipiendi ex locatione pretium iuxtà *legem Cum antiquitas cap. de vſufructu*, & inſtit. de *vſu, & habitat.* §. *quod ſi cui.*

De vſufructu?

BRACTEA V.

R. Vsvmfrvctvm eſſe ius vtendi, aut fruēdi re aliena, ſalua eius ſubſtantia. Ita *leg. de vſufructu*, Inſtituta de *vſufructu*, Molina *diſp. 2.* & alii.

Sciendum vſumfructum dici primò ius, quia non eſt vſusfructus actualis vſus, qui dicitur vſusfacti, ſed ius in actualem vſum, quia in hoc loco ſermo eſt de vſufructu ſumpto pro iure, non pro ipſo actu fruendi rè conceſſa ad vſumfructum. Secundò dicitur vſus vtendi, vt excludatur ius, quod habet creditor in pignore, vel hypoteca, aut depoſitarius in depoſito, qui non poſſunt vti rebus illis, ſiue licentia & ſi vtantur inuito Domino, tenentur ei reſtituere æſtimationem vſus. Tertiò dicitur fruendi, quia non ſolùm vſufructuarius poteſt vti re ipſa, verum etiam ex ipſa re poteſt colligere fructus: ut uerbi gratia creditor depoſitarius, hypothecarius non poteſt fructus ex re depoſita, ſeu in hypothecam, vel in pignus data, cum res ſuo Domino fructificet percipere. Verum ſi creditor erit etiam vſufructuarius non modò poterit re ipſa vti, verùm etiam fructus ex ea colligere, cū non modo ius habeat vſufructuarius vtendi re ipſa, ſed etiam fruendi, ideſt percipiendo omnes fructus, ita vt ex eo ipſo, quo eos colligit, acquirat dominium plenum eorum; ſi tamen vſufructuarius moriatur, antequam fructus colligerit etiamſi ſint maturi, erunt Domini proprietatis, ſeu fundi, non verò hæredum vſufructuarii, vt habetur Inſtituta de *rerum diuiſ.* quia cum adhæreant fundo, cenſentur vna res cum ipſo fundo, & per conſequens pertinent ad dominum fundi, & verò fuerint collecti, ideſt à ſolo ſeparati, erunt ipſius vſufructuarii, cum per collectionem acquiſiuerit eorum plenum dominium: fructus autem in grege dicuntur lana, fœtus, lac, &c. proles ancillæ, non computatur inter fructus ob dignitatem prolis, ſeu naturæ. Quartò dicitur in rebus alienis, vt excludatur ius vtendi, & fruendi, quod quiſque habet in re ſua. Quinto ſalua rerum ſubſtantia; quia fructuarius debet rem integram proprietario ſeruare. Vnde vſufructus propriè dictus non poteſt conſtitui in rebus, quæ vſu conſumuntur, vt in vino, oleo, frumento, &c. tamen vtilitatis gratia poteſt in ijs cōſtitui quaſi in vſusfructus, & quia vſusfructus non poteſt à re ipſa diſtingui, huic eſt, quod eorum rerum dominium transferatur in vſufructuarium: vnde debet dare cautionem ſe præſcripto tempore reſtituturum, quæ accepit, vel ipſorum æſtimationem.

Sciendum 2. ob hanc vltimam particulam vſufructuarium ad quatuor obligari: primò ſi habet vſumfructum gregis, vel armenti quamuis poſſit frui lana, fœtu, lacte, &c. tamen in locum pecorum mortuorum, vel inutilium debet ſubſtituere è fœtu alia pecora, quæ cedant in dominium proprietarij: vnde ſi peribunt ipſi peribunt. Ita habetur inſtit. de *rerum diuiſ. §. ſed ſi gregis*: hoc tamen non intelligitur quando conceditur vſus gregis collectiuè, ſed animaliū in particulari, quia tunc non obligatur ſubſtituere. Ita habetur *l. qui tergo ff. de vſufruct.* quia grex eſt æternus, ſed ſingula capita ſeorſim pereunt. Secundo ſi vſusfructus ſit conſtitutus in ſilua, aut in vinea tenetur vſufructuarius loco arborum, aut vitium de mortuarū alias ſerere, niſi vi viuentorum, aut tempeſtatis eſſent euerſæ, quod enim fortuitò perit abſq; culpa fructuarij proprietario perit. Tertiò ſi in ædibus ſit conſtitutus vſusfructus tenetur fructuarius ad modicam earum reparationem, vt integre permaneant, non tamen obligatur facere magnos ſumptus, quibus efficiantur meliores. Quartò tenetur ad dandam cautionem proprietario ſe boni viri arbitratu vſurum, fruiturum re ipſius, eamquè reſtituturum tempore præſcripto.

Sciendum 3. vſum fructum duobus modis acquiri: primò ordinatione, ſeù ſtatuto legis, & hic modus dicitur legalis, vt eſt, qui habet pater in peculio aduentitio filijs, quamdiù filius eſt ſub Patris poteſtate. Secundò priuata auctoritate, vt teſtamento pactionibus, ſtipulationibus, vt habetur iuſtit. *de vſufructu*, qui dicitur conuentionalis.

Quot modis vſusfructus amittatur?

BRACTEA VI.

R. Plvribvs modis amitti vſumfructum alicuius rei: primò ob mortem ipſius vſufructuarij, vel per ceſſionem uſusfructus ab vſufructuario factam proprietario rei, uel etiam ſi pro-

proprietarius transferat dominium rei in vſufructuarium, quo facto deſinit vſusfructus formalis, & dicitur vſusfructus cauſalis. Secundò ſi res ipſa pereat, vt ſi vſusfructus v.g. ſit domus incendio combuſta, & ſi molindinum ipſum per aquarum inundationem dirutum ſit. Tertiò ſi tantopere non vtatur ſuo iure, quantum opus eſt, vt dominus directus contrà eum præſcribat. Quod autem ſpatium temporis requiratur infrà dicetur. Quartò per maximã capitis diminutionem, vt quando vſufructuarius ob ſua delicta amittit libertatem, vel exilio proſcribitur, quod tribus caſibus ſit: primò quando ad mortem, ad beſtias, vel ad metalla condemnabatur: ſecundò quando libertus ingratitudinis in Patronum condemnabatur, ob quod in ſeruitutem denuò reuocabatur: tertiò quando patiebatur vendi, vt eſſet particeps pretij. An quando vſufructuarius profitetur Religionem, vſusfructus redeat ad proprietariũ, an verò acquiratur Monaſterio? Reſpondeo non cedere proprietario, ſed tranſire ad Monaſterium, ſi erit capax hæreditatis, & ſucceſſionis, ſi verò Monaſterium non erit capax cedet proprietario. Quintò ſi vſusfructuarius factus erit hæreticus amittet vſũfructum rei.

Quomodo vſus à dominio diſtinguatur?

BRACTEA VII.

SCIENDVM res eſſe in triplici differentia, quaſdam eſſe, quæ vſu non conſumuntur, vt v.g. domus, vinea, fundus; aliàs eſſe, quæ vſu conſumuntur, vt v.g. frumentum, vinum, oleum, pecunia, & ſimilia; Tertiò aliàs eſſe, quæ & ſi conſumantur vſu, non tamen conſumuntur vnico actu, ſed pluribus, & frequentatis actibus, & in tempore. Res primo, & tertio modo communiter à Doctoribus dicuntur non conſumptibiles vſu; res verò ſecundo modo conſideratæ dicuntur vſu conſumptibiles. Quibus poſitis.

R. in rebus primo, & tertio modo conſideratis vſus diſtinguitur à dominio, & per conſequens vſũ poſſe eſſe apud vnum, dominium apud alterum, v.g. vſus domus apud vnum, dominium apud alterum, quod idem dicendum eſt de rebus, quæ ſi vſu paulatim conſumantur, non tamen vnico actu atritę pereunt.

Sciendum 2. vſum rei dupliciter conſiderari; primò quatenus dependet à proprio iure; ſecundò quatenus dependet à facultate alterius, qui vſus facti dicitur, qui ſimpliciter à dominio rei diſtinguitur, quo pacto conuiuæ inuitati ad edendum, vſum habent ciborum, & qui eos inuitauerunt dominium. Secundò dupliciter alicui poſſe concedi ius vtendi aliqua re, irreuocabiliter, & reuocabiliter, quando vſus vtendi aliqua re conceditur irreuocabiliter non videtur multum differre à dominio: quando verò conceditur reuocabiliter, & dependenter à voluntate concedentis, ita vt quouis momento poſſit reuocari abſque iniuria vſuarij ſine dubio diſtinguitur vſus à dominio, cum dominium ſit ius in re abſolutum, & firmum non dependenter ab alterius nutu, & tale eſt dominium, quod habent Religioſi in rebus conceſſis à Superioribus, non enim ita conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum ſuperioris reuocari poſſit, cum ratio paupertatis Religioſæ hoc intrinſecè includat. Religioſi autem, & Conuentus, qui ex voto paupertatis nihil poſſident, vt ſunt fratres minores habere ſolum nudum vſum rei, ſeu ius vtendi re ipſa ſeparatum à dominio ipſius rei: dominium verò extare penes Sedem Apoſtolicam.

R. 2. vſum rerum quæ ipſo conſumuntur non diſtingui à dominio. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 1. Aragonius 2.2. *quæſt.* 72. *art.* 1. & 2. Turrecremata *lib.* 1 *ſumma, cap.* 112. Silueſter *verbo Dominium*, & alij. Ratio, quia nemo poteſt vti illis rebus, niſi eas conſumando, vt patet in pecunia, pane, & ſimilibus, qui enim facultatem concedit alicui eas res conſumendi nullum ius, aut poteſtatem ſibi, aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi poſſit retinere aliquod dominium eius modi rerum. Sotus *lib.* 4 *quæſt.* 1 *art.* 2. Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 6. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 10. *pun.* 1. Salon 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 1. 1. & 2. Bannes *ibidem* Bellarminus *tom.* 1. *controuerſ. lib.* 4. & alij plures tenent in rebus vſu conſumptibilibus vſum diſtingui à Domino, & ſic concludunt dominium alicuius rei conſumptibilis poſſe eſſe penes vnum, & vſum penes alterum, quam ſententiam amplectuntur minores, qui dicunt eſſe meros fructuarios rerũ, quas poſſident, & dominium earum ſpectare ad Sũmum Pontificem, quod debet intelligi reſpectu eorum quę vſu non conſumuntur. Secundò duplicem eſſe vſum rerum conſumptibilium iuris, & facti: vſus iuris eſt vſus in habitu, ſeu ius vtendi huiuſmodi rebus: vſus facti eſt vſus in actu, qui eſt ipſa actualis rei conſumptio.

Quid ſit Poſſeſſio?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM poſſeſſionem dici à pedum poſitione, vt habetur *leg.* 1. *ff. de acquirenda, vel amittenda poſſeſſione*, nam per pedum impoſitionem ſuper bona immobilia, vt ſuper agrum, vel fundum ſolet acquiri poſſeſſio; vnde actus poſſidendi dicitur poſſeſſio facti: Ius verò poſſidendi dicitur poſſeſſio iuris. Quo poſito.

R. Poſſeſſio facti eſt detentio rei corporis, & animi, & iuris adminiculo. Ita Silueſter *verbo dominiũ quæſt.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 40. & alij, ſiue poſſeſſio facti eſt detentio rei corporalis, vel appræhenſio adminiculo corporis, animi, & iuris.

Sciendum 2. rem ſumi in genere non modo pro re corporali, ſed etiam pro re incorporali, vt ſunt Cenſus, Beneficium, Iura, quæ à Doctoribus dicuntur etiam poſſideri, licet à iuris peritis dicantur ſolum quaſi poſſideri: nomine autem detentionis intelligitur etiam appræhenſio prima, quæ ordinariè requiritur, quæ eſt poſſeſſionis inceptiò, & acquiſitio. Dicitur etiam corporis adminiculo, quia vt res aliqua incipiat poſſideri debet aliquo modo corporaliter appræhendi, ideſt manibus, vel pedibus, oculis, vel ſimili modo, in ſe vel in alio, in quo cenſeatur contineri. Dicitur animi adminiculo, quia debet rem apprehendere animo poſſidendi eam: vnde depoſitarius non dicitur poſſidere depoſitum, quia illud non accipit, nec detinet animo illud poſſidendi. Additur etiam iuris adminiculo, non quod omnis poſſeſſio facti ſit iuſta (nam ſuo iure dicitur poſſidere rem furtiuam) ſed quia facit, vt talis detentio ſufficiens cenſeatur ad conſtituendam poſſeſſionem, nec eam impedit ſicut impedit, ne detentio rei ſacræ facta à laicò cenſeatur poſſeſſio.

R. 2. Poſſeſſio iuris eſt ius inſiſtendi alicui rei tanquam ſuæ non prohibitè poſſideri. Ita Bartolus in *leg.* 1. *de acquir. vel amittenda poſſeſſione* Couar. ad *regul. poſſeſſor pun.* 2. *num.* 3. Filliucius de *domin. rerum cap.* 3. *num.* 83. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 9. *num.* 41.

Sciendum 3. poſſeſſionem iuris dici primò ius,

vt excludatur poſſeſſiò facti, quæ formaliter eſt ipſa occupatio, ſeu detentio rei, ex qua hoc ius oritur. Secundò inſiſtendo rei, vt excludatur dominium, quod per ſe, & formaliter tantum eſt ius diſponendi de re. Tertiò dicitur *tanquam ſuæ*, quia ſi quis inſiſtat rei nomine alterius non dicetur verè poſſidere; vnde Tutor non poteſt dici poſſeſſor rerum pupilli, quia illis non inſiſtit tanquam rei propriè, ſed tanquam alienæ. Vltimò dicitur *non prohibita poſſideri*, quia ad hoc, vt res poſſideatur non debet à iure prohiberi: vnde vaſa ſacra, beneficia Eccleſiaſtica, &c. non poſſunt a laico poſſideri, quia à iure prohibentur.

Sciendum 4. Dupliciter aliquid poſſe poſſideri: Primò ratione alicuius tituli, & bona fide, vt quando quis exiſtimat bona fide rem, quam poſſidet eſſe ſuam, nihil in contrarium dubitando. Secundò mala fide, vt quando ſcit rem, quam poſſidet non eſſe ſuam, vel de ipſa habet dubium, quia licet dubiũ non conſtituat malã fidem, tamẽ eſt principium malæ fidei. Diuiditur etiam poſſeſſio in ciuilem, & naturalem: Ciuilis eſt, qua ſolo animo res detinetur, vnde qui abeſt à rebus ſuis dicitur ciuiliter eas poſſidere ſolo animo eas retinendo: Naturalis eſt qua corpore ſimul, & animo res detinetur, vt quando quis occupat rem ſuam.

Sciendum 5. ad acquiſitionem poſſeſſionis tria requiri, Corpus, Animus, & Ius, vt docet Silueſter *verbo Domini num.* 7. Vnde animus, & ius ex propoſita definitione ſatis colliguntur; per corpus verò aliqua corporis apprehenſio intelligitur, licet pro eo tempore, quo apprehenſio fit, nullum poſſeſſionis cenſeatur ius, ſed factum, vt probat Couar. in 2. *par. regula Poſſeſſor num.* 1. Vnde poſſeſſio, quæ propria eſt, ius eſt, non factum; vnde ſupra in definitione dicimus, detentionem, quæ moram aliquam, aut temporis lapſum poſt apprehenſionem importat; vnde in hoc differt dominij acquiſitio ab eiuſdem conſeruatione, quia vt dictum eſt, ad acquiſitionem dominij requiritur corpus, & animus, & ad eam conſeruandam ſatis eſt, quod res ſolo animo poſſideatur, ſicut conſtat ex *leg.* 3 §. *in amittenda ff de acquiſit. poſſeſſ.*

Quomodo diuidatur poſſeſſio?

BRACTEA IX.

R. Triplicitèr diuidi: primò vel ratione diuerſitatis titulorum, vel ratione bonæ, & malæ fidei; vſitatiſſima tamẽ eſt diuiſio, qua diuiditur in naturalem, ciuilem, & mixtam: naturalis eſt, quando manibus, ſeu pedibus res aliqua tenetur: Ciuilis, cum quis non corpore, ſed animo rem poſſidet: mixta cum quis corpore, & animo rem poſſidet.

Sciendum hæc duo nomina Poſſeſſio ciuilis, & naturalis interdum aliter accipi, nempe vt poſſeſſio ciuilis dicatur, qua res poſſidetur ſecundum vſumfructum, vel vſum, vel habitationem, vel alia iura diuerſa à dominio, vt docet Couar. ad *regul. poſſeſſor. par.* 2. *num.* 4. Sic fructuarius poſſidet rem nomine ſuo naturaliter quoad vſum quamuis nõ poſſideat eam nomine ſuo, quoad Dominum directum.

Ad ſimilitudinem poſſeſſionis, pro iuribus incorporalibus introducta eſt, quaſi poſſeſſio, quę eoſdem, vel ſimiles effectus operatur, ac vera poſſeſſio.

Quot modis acquiratur Poſſeſſio?

BRACTEA X.

R. Poſſeſſionem tribus modis acquiri, apprehenſione vera, apprehenſione ficta, & legis diſpoſitione, & prima habet locum in poſſeſſione earum rerum, quæ dominium non habent, vt feræ, gemmæ, &c. Secunda neceſſaria eſt, quando habet poſſeſſorem, à quo tradatur, vel auctoritate Iudicis loco poſſeſſoris traditur. Interdum transfertur poſſeſſio abſque vlla vera, vel ficta apprehenſione, ſi leges ita ſtatuant. Ratio eſt, quia modus acquirendæ, & amittendæ poſſeſſionis iuri humano ſubiacet, quod poteſt ſtatuere varios modos, prout magis videtur impedire Reipublicæ, & hæc dici ſolet ciuiliſſima poſſeſſio, quia fit ſola legis ciuilis poteſtate abſque vllo animo, vel corporis adminiculo etiam neſciente eo, qui incipit poſſidere.

Sciendum apprehenſionem veram illam eſſe, quæ fit manibus, vel pedibus: non eſt tamen neceſſe, quãdo quis vult poſſeſſionem accipere, v. g. vineæ, vel domus, omnes illius tenere partes, vel per omnes partes deambulare, ſed ſatis eſt vnam partem ingrediendo pedibus circumambulet, reliquas verò partes animo complectatur; nec neceſſe eſt in poſſeſſione domus omnium ædium conclauia ingredi, ſed ſatis eſt vnum ingredi, cætera vero animo: Poſſeſſio verò ficta pluribus modis accidit, primò ſi antiquus poſſeſſor mercium tradat alteri claues domus, vel cubiculi, in quo ſunt merces, quia dum vnus tradit, & alter accipit, prior cenſetur merces intus repoſitas cedere, & alter apprehendere. Secundò transfertur dominium iuris fictione, ſi alter tradat ſcripturam, vel inſtrumentum, quo conſtet de titulo, & iure, quo rem ipſam poſſidebat, nam tradendo inſtrumentum cenſetur etiam tradere ea, quæ inſtrumento continentur. Tertiò acquiritur poſſeſſio iuris poſſeſſione, ſi poſſeſſor dicat ſe tradere fundum alicui, & ipſe ſignificet ipſam poſſeſſionem acceptare, quia oculi ſunt, veluti quædam longæ manus, quibus res viſas contractamus. Quartò acquiritur poſſeſſio per aliquem actum noui poſſeſſoris, vt quando cum conſenſu prioris poſſeſſoris res ipſa donata, vel empta proprio ſigno ſignatur, vel ſi erit immobilis proprio nomine noui poſſeſſoris apponitur cuſtodia; ſi erit Caſtrum, aut Oppidum, vel ſi erit vinea ipſius noui poſſeſſoris nomine ponatur Colonus, vel agricola. Quintò ſi priſtinus poſſeſſor poſt contractum donationis, aut venditionis ſignificet, ſe rem venditam, aut donatam poſſeſſurum nomine donatoris, aut venditoris abſolutè, aut tanquam vſufructuarium. Sextò quando quis conſtituitur conductor rei donatæ, vel emptæ, vel rei donatę, aut emptæ reſeruet ſibi vſumfructum.

Legum diſpoſitione acquiritur poſſeſſio abſque vlla apprehenſione vera, vel ficta ex ſola diſpoſitione legis iuxta conſuetudinem, & legem municipalem loci, in quo quis cenſetur habere domicilium.

Poſſeſſio iurium, & ſeruitutum dupliciter apprehenditur: primò ſi creditor, cui ſeruitus eſt promiſſa, & in ea habet titulum, mittatur, vel inducatur in agrum, vel in fundum, qui debet ſeruire de voluntate Domini conſtituentis ipſe eodem animo ſeruiendi ea.

Altero modo per verum exercitium acquirentis tale ius ſciente, & conſentiente Domino ipſius prædij, ſeu fundi, ſeu virtutis.

Sciendum etiam, qui ius tranſeundi concedit, realem

lem ſeruitutem cenſeri concedere, quia ius tranſeũdi realem ſeruitutem importat.

Verùm ſi conceſſio eundi, vel tranſeundi erit incerta, & indeterminata; vt v.g. ſi concedatur, vt poſſis ex fonte aquam ducere, quocunque velis nullo aſſignato fundo ad tranſeundum, cenſetur conceſſio perſonalis, & non realis, quia de ratione ſeruitutis realis eſt, vt detur certus fundus dominans, cui acquitatur ſeruitus.

Quibus modis amittatur poſſeſſio rerum mobilium?

BRACTEA XI.

R. Plvribvs modis amitti poſſeſſionem rerum mobilium: primò ſola voluntate poſſeſſoris nolentis eam amplius poſſidere; ſecundò per furtum, aut rapinam alterius: tertiò ſi alterius cuſtodiæ ſubſit, qui eam incipiat poſſidere tanquam ſuam, ad quod requiritur, vt eam corporaliter apprehenderit re vera, & animo ſibi eam retinendi: quartò per amiſſionem rei, vt v.g. burſæ, annli, &c. vel per fugam ſi fuerint animalia, vt ſi pecus aberrauit à grege, deſinit ſtatim poſſideri à Domino, ſi gallinæ, & ſimiles aues domeſticæ auolauerint, nec habeant conſuetudinem redeundi; ſi verò habeant cõſuetudinem redeundi per volarũ non amittitur poſſeſſio. Poſſeſſio ſerui, ſeu ancillæ non amittitur per ipſorum fugam. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 12. *nu.* 50. & Filiuc. *cap.* 33. *num* 89. *&c.*

R. 2. Poſſeſſionem rerum immobiliũ varijs etiam modis amitti, ſiue poſſeſſio ſit naturalis, ſiue ciuilis: primò amittitur, ſi poſſeſſor lõgo tempore ſit abſẽs; nec per alium rei inſiſtat, & nec etiam proteſtetur ſe nolle amittere poſſeſſionem, quod ſi longo tempore non ſit abſens, aut proteſtetur; non amittere poſſeſſionem ciuilem, licet amittat naturalem. Secundò ſi ſcit rem ab alio poſſideri, & ipſe eam negligat. Tertiò ſi egreſſus repetat ſuum, ſed ab occupãte repellitur, & ipſe non audeat ei reſiſtere. Quartò ſi timens repulſam non audeat, aut valeat rem ſuam repetere, aut ſi ignoret rem eſſe ſuam, idcircò eam non repetit. Quinto ſi res iſta ſit occupata à potente, vt non ſit probabilis eius recuperatio.

Quos effectus producat poſſeſſio.

BRACTEA XII.

R. Primo in iudicio parere præſumptionem dominij. Secundò habet ius poſſeſſor armis defendendi ſuam poſſeſſionem tam naturalem, quam ciuilem, & ſic expellatur, habet ius repetendi armis, ſeruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, modò id fiat confeſtim, & non ex interuallo: dicitur autem fieri confeſtim, quod fit quamprimum commodè fieri poteſt ſpectata rei difficultate, & cæteris circumſtantijs, vt ſi auxilia contrahenda eſſent. Tertiò ſi ſit bonæ fidei, parit præſumptionem, & in dubio facit meliorem eius conditionem. Vnde poſſeſſor non debet probare rem eſſe ſuam, ſed alter, qui eam repetit, qui niſi id ſatis probet, nihil obtinebit.

De ſeruitute?

BRACTEA XIII.

R. Servitvtem dupliciter accipi: primò pro ſubiectione, & obligatione, quæ eſt in re alterius, vt ipſa quodammodo ſeruiat alteri: ſecundò pro iure, quod reſpondet illi actioni, ſi ſeruitus hoc ſecundò modo ſumatur, nihil aliud eſt, quam ius vtendi, & aliquo modo fruendi re aliena, vel aliquid impediendum circa eam, & vt ſic cenſetur aliquod generalius, quam vſusfructus, & vſus; omne namque ius fruendi, vel vtendi re aliena eſt ſeruitus, ſed non è contra; nam ius impediendi aliquid, v.g. ne altius attollat parietem, ne tranſeat per hanc, vel illam viam eſt ſeruitus, tamen non eſt nec vſus, neque vſusfructus; ſi ſeruitus accipiatur pro ſubiectione, nihil aliud eſt, quam obligatio realis qua res alteri eſt obſtricta, vt poſſit ex ipſa percipere fructum, vel aliquo modo vti, vel circa eam aliquid impedire. Ita Leſſius *lib.* 2. *inſtit. cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 28. & alij.

Sciendum, quod ſeruitus diuiditur in perſonalem realem, & mixtam; Seruitus perſonalis illa dicitur, quæ à perſona perſonæ debetur, vt ſi quis per aliquod tempus indigeat opera alicuius ſerui; dicitur hæc ſeruitus perſonalis, quia cum incipiat à perſona ſerui terminatur ad perſonam Domini; ſeruitus realis eſt ea, quæ à re debetur immediatè alteri rei, vt eſt, quæ reſpondet iuri agrorum, domorum, & ſimilium rerum. Dixi immediatè, quia mediatè etiam debetur à re perſonæ, ex eo quod perſona fiat illarũ rerum Dominus, vel conductor, vt v.g. quando neceſſe eſt tranſire per quendam agrum eundi gratia ad alium, ille ager dicitur alteri realiter ſeruire, cum habeat ius tranſeundi per ipſum, & ſi ille ager vendatur, hoc ius tranſeundi tranſit ad eum, ad quem tranſit ager. Mixta eſt, quæ à re immediatè debetur perſonæ, vt eſt ius percipiendi fructus in aliquo fundo, domo, &c. quod extinguitur cum perſona, cui debetur.

Sciendum 2. ſeruitutem realem ſubdiuidi in ruſticanam, & vrbanam, id eſt in eam quæ prædio ruſtico, & vrbano debetur; per prædium ruſticum intelligitur ſtabulum, horreum, ager, &c. per vrbanum intelligitur quoduis habitaculum, etiamſi in villa ſit, & hortus amœnitatis gratia illi contiguus. Seruitutes vrbanæ ſunt, vt ædes non poſſint altiùs attolli, ne vicinis ſint impedimentum, nec in pariete poſſit à vicino immitti lignum, & ſimilia; ruſticæ verò ſunt, vt vni liceat tranſire per fundum alterius, vel aquam, aut etiam iumenta ducere in prata aliorum determinato quodam tempore, id eſt per menſem Martij, & dimidium Aprilis.

Sciendũ 3. ſeruitutem tribus modis conſtitui: primò lege, vt illa, quæ reſpondet vſufructui legali, quã habet pater in bonis aduẽtitijs filij: ſecundò vltimis voluntatibus: tertiò donatione, pactionibus, & præſcriptione, vt habetur Inſtit. de *ſeruitute* §. *vlt.* Finiri ſeruitutem finito tempore, pro quo fuit inſtituta: ſecundò remiſſione ſeruitutis: tertio ſi quis compararet dominium prædij, quod ſibi tantum, aut alteri ſuo prædio ſeruiebat. Ita Azorius *lib.* 1. *cap.* 32. & alij, de qua plura apud Gomez de ſeruitutib. videri poſſunt quæ quia ad rem noſtram non pertinent; idcircò hic amplius non attingimus.

MALLEATIO XVIII.

Quibus perſonis competat dominium.

Quidnam ſit ſubiecti Dominij?

BRACTEA I.

R. SOLAS intellectuales ſubſtantias capaces eſſe dominij. Ita S. Thomas, & Caietan. 2. 2. *quæſt. 66. art.* 1. & alij. Ratio, quia dominium eſt facultas de re aliqua ſuo arbitratu diſponendi: talis autem facultas ſine intellectu, & libertate arbitrij non conſiſtit, ergo, &c. Vnde 1. Geneſ. ſcriptum legimus, *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, &c.* quibus verbis cauſa redditur, cur homini dominium in bruta animantia competere poſſit, quia conditus eſt ad ſimilitudinem Dei, quæ ſimilitudo conſiſtit in intellectu, & voluntatis libertate.

Sciendum, Deum optimum iure naturæ titulo creationis, & conſeruationis habere rerum omnium dominium iuxta illud Dauid: *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, & Iudicum 9. *Deus Cœlorum, & creator aquarum, & Dominus totius creaturæ.* Tum etiam, quia illi propriè conuenit Dominium, cui conuenit intellectus, & liberum arbitrium; ſed hæc per excellentiam conueniunt Deo; ergo, &c. quod etiam probatur ratione, quia quidquid perfectionis in creaturis reperitur, multò excellentius eſt in Deo; atqui hominis competit dominium, eſtque in eis perfectio; ergo multò excellentius, competit Deo habere dominium.

Sciendum 2. dominium duplex eſſe vnũ gubernatiuum, q; cenſentur habere, qui ſunt deputati ad cuſtodiam alicuius, loci, vt ſunt cuſtodes, gubernatores arcium, &c. aliud dominatiuum quod cenſentur habere illi, qui habent facultatem diſponendi de re ipſa, quale habet Dominus in ſeruum, vel in propriam domum, &c. Angelus habere dominium gubernatiuum, non ſolùm ſuper Cœlos, & elementa, ſed ſuper homines, Regna, & Prouincias. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 62 *art* 1. & 2. & alij. Ratio, quia Deus cuncta gubernat medio miniſterio Angelorum; nam quoſdam præfecit Cœlis, alios elementis, alios hominibus, &c. Paulus ad Hebræos 1. *Omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos*, & ad hæc miniſtranda Angeli habent ius, vt Rex, & Magiſtratus, &c. ergo habent dominium gubernatiuum ſuper hæc corporalia; & Daniel 10. *Angelus Danieli dixit, Nunc reuertor vt prælier aduerſus Principem Perſarum, cumque egrederer apparuit Princeps Græcorum*; vbi Angelos vocat Principes Perſarum, & Græcorum, & poſtea ſubiungit. *Nemo eſt adiutor meus, niſi Michael Princeps veſter*, id eſt populi Hebræorum. Secundò quoad dominium dominatiuum eſſe tantum Dominos ſuarum operationum naturalium, cogitationũ, & volitionum, aliarum rerum externarum nõ habere tale dominiũ; Deus enim hæc omnia propter hominem creauit, non autem propter Angelos. Sotus *lib* 4. *quæſt.* 1 *art.* 2. Molina *tom.* 1. *de Iuſtit. diſp.* 28. Bannes 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 1. & 2. Ratio, quia Angelus caret corpore: idcircò incongruenter dominaretur creaturæ corporali quoad dominium dominatiuum, & idcircò ſolum quoad gubernatiuum habet dominium.

Sciendum 3. dominium in tres potiſſimum ſpecies diſtingui, aliud ſupremum quod maximum, & abſolutum vocatur, aliud medium, ſeu ſubalternũ, aliud infimum, ſeu minus, primũ propriũ ſolius Dei eſt, qui ſolus habet plenũ, & abſolutum rerum omnium dominium iuxta illud Pſalm. 23. *Domini eſt terra, &c.* Secundum eſt illud, quod habemus in rebus proprijs, & deſcribitur, quod ſit ius diſponendi nomine proprio in ſuam vtilitatem lege non prohibente. Tertium dicitur illud, quod Princeps ſuis ſubditis, & bonis illorum habẽt, quod infimum, & improprium dicitur quippè, qui non in ſuam, ſed in communem ſubditorum vtilitatem exerceatur. Ita apud Barb. Collect. doct. *tom.* 5 *par.* 2. *quæſt.* 1.

An bruta animantia habeant Dominium?

BRACTEA II.

R. BRVTA non habere dominium ſuper terram, nec ſuper gramina, quibus paſcuntur, vnde qui ea prohibet, illis iniuriam non facit, ſicut nec qui ea occidit; & in hac ſententia conueniunt omnes Theologi. Ratio, quia vt conſtat ex definitione dominij, dominium eſt facultas libera vtẽdi rebus in ſuum commodum: creaturæ irrationales non habent liberam facultatem vtẽdi rebus in ſuum commodum; & probatur ex S. Thoma 1 2. *quæſt.* 16. *art.* 2. nam vti eſt rem aliquam vſurpare referendo illam ad finem ſuum ex cognitione, & electione: in brutis non eſt huiuſmodi ordinatio, cum nõ cognoſcant finem, nec ex electione agant, ſed aguntur potius naturæ inſtinctu. Tum etiam, quia liberè non operantur, ſed neceſſario, & ex mero impulſu, & neceſſitate quadam naturæ mouentur, vt docet D. Thomas 1. 2 *quæſt* 82 *art.* 2. Vnde cum ſuarum operationũ dominium non habeant, aliarum rerum dominium habere non poſſunt, & quia ſolùm creaturæ intellectu, & arbitrio libero præditæ propriè agunt propter finem, quia hæ ſolùm cognoſcunt rationẽ finis, & mediorum, ſic etiã ſolæ illæ verè ſimpliciter vtuntur rebus in ſuum commodum, ac proinde ſolæ propriè habent dominium. Cõtrariam ſententiã teſtantur Maior. in 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. Conradus *lib.* 1. *de contract. qu.* 3. Gerſon. *lib de poteſt. Eccleſiæ conſid.* 13. qui putant animalia habere dominium ex Geneſi 1 *Ecce dedi vobis, &c. vbi traduntur herba in pabulum beſtiarum, & dabit etiam ſeruituti hominum*; ergo illarum habeat dominium. Deinde inter apes eſt vnus Rex, & inter Grues vna dux, quem cæteræ per modum aciei ſequuntur, vt docet Sanctus Hieronymus ad Ruſtic. ad quæ reſpondeo non habere propriè, ſed æquiuocè, & impropriè dominium herbarũ, & ex Geneſi cit. deducitur potius datum hominibus dominiũ beſtijs, quam dicitur enim, *ecce dedi vobis herbam*: ac ſi diceret, *ecce dedi vobis herbas* ad paſcendum armenta, & pecudes veſtras, vt vobis deſeruiant, & ſint etiam vobis in eſcam.

An homo totius huius Mundi Dominus verè ac propriè dici poſſit?

BRACTEA III.

R. CVM Leſſio *lib* 2 *cap.* 4. *dub.* 8. Rebell. *q.* 7. *prouid. ſect.* 5. non poſſe dici totius Mundi Dominum, cum pro ſuo arbitratu non poſſit diſponere de omnibus rebus, cum curſus Cœlorum, Aſtrorum, Nubium, &c. imperio, ac poteſtati hominis ſubiectus non ſit; ergo horum verè Domi-

Dominus dici non poteſt, & licet in ſtatu innocentiæ homo extiterit Dominus volatilium Cœli, & piſcium maris, terreſtriumq; animantium iuxta illud Geneſ. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram*: tamen poſt lapſum in peccatum, homini inferas propriè dominium non competit, ſed tantum impropriè, & quaſi dominium quatenus ius habet eas capiendi, & occidendi. Cum igitur S. Thomas 1. *part. quæſt.* 96. *art.* 2. & 2. 2. *q.* 66. *art* 1. homini naturale dominium ſuper cęteras creaturas competere dicat, nomen dominij late accipit pro ſubiectione, ac ſubordinatione rationę finis, omnes enim reliquas corporeas ſubſtantias in hominis gratiam vtilitatemquè à Deo conditas eſſe ipſe rerum conditarum ordo, ac diſpoſitio apertè demonſtrat: quare, & Ariſt. 2. *Phyſicor.* dicit *text.* 23. Sumus enim, & nos quodammodo finis rerum aſpectabilium, & corporearum, vnde in ſtatu innocentiæ homo cenſetur Dominus rerum omnium, cjuæ in hoc ſublauare continentur cum dominus illi dederit dominium omnium rerum in Adam, & poſteros *Ecce dedi vobis omnem* Geneſ. 8. & Pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*.

Secundum Molinam dominium rerum ſublunarium ſi ius naturale ſpectamus non ſolum reſidere penes totum genus humanum, ſed etiam penes ſingulos, ita quod iure naturali quilibet homo in particulari eſt dominus rerum ſublunarium, cum diuiſiones, ac proprietates rerum de iure gentium ſint inſtitutæ, nam vt Iſidorus teſtatur in *Cap. ius naturale diſt.* 1. & S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 86. *ar.* 2. iure naturali, ac primæuo communis erat rerum poſſeſſio, atque dominium æquè homines inſtitutionem diuiſuros eſſe, niſi in peccatum lapſi fuiſſent. Verum in ſtatu naturæ lapſæ omnibus gentibus viſum eſt ad cōmunem egeſtatem animorū diſſentiones, atque alia vitanda mala rerum diuiſiones, ac proprietates inſtituere: quare ſtatim Geneſ. 4. legimus Abel, & Cain propria peculia habuiſſe, & obtuliſſe Deo de primogenitis gregis ſui. Ita Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 28. Arragonius 2. 2. *art.* 1. & 2. docet dominium rerum ſublunarium reſidere penes totam hominum communitatem, non autem penes ſingulos, ita vt iure naturali nullus in particulari ſit dominus omnium rerum inferiorum, tum quia communitas rerum eſt de iure naturali, vt habetur ex Iſidoro *lib.* 7. *cap.* 4. & refertur à Gratiano *diſt.* 1. *cap. ius naturale*. Tum quia ſi in particulari haberetur dominium iam non eſſent communes omnibus hominibus: ita ille.

An vnus Dominus poſſit eſſe Dominus alterius?

BRACTEA IV.

SCIENDVM ſeruitutem duplicem eſſe vnam naturalem, & alteram legalem: Naturalis qua vnus homo non valens ſe ipſum gubernare propter defectum ætatis, prudentiæ, vel vſus rationis iure naturæ ſeruus eſt alterius hominis, qui conſilio, & prudentia potens eſt, & ad eum gubernandum. Legalis eſt, quæ per legem poſitiuam introducta eſt, qua vnus homo alteri vtitur ad ſuam propriam vtilitatem, & commodum, ſicut iumentum, & hæc appellatur propriè ſeruitus legalis; Naturalis verò ſeruitus non eſt propriè ſeruitus, quia ſeruitus propriè dicit carentiam libertatis, qui autem ſunt ſerui ſeruitute naturali, nam ſunt mancipia, ſed omninò liberi, & rerum ſuarum domini, & hæc dicitur naturalis, non quia propriè ſit à natura inſtituta, nam omnes homines naturaliter naſcuntur liberi, vt habetur Eccleſiaſt. 25. Sed quia cum regere, & gubernare ſit actus prudentiæ, & ingenij ipſa natura ſagax producens alios ſapientiores, & induſtriores, & alios hæbetiores, & rudiores requirit, vt pręſtantiori natura, & ingenio præditi rudioribus præſint, & dominentur: Vnde Marc. Tullius: qui ratione excedi debet etiam dominatione excedere; & Prouerb. 1. *Intelligens tabernacula poſſidebit*. Seruitus legalis verè, & propriè eſt ſeruitus, quæ appellatur ſeruitus ciuilis: ex quo deducitur dominium dupliciter ſumi poſſe: primò vt opponitur ſeruituti legali: ſecundò vt opponitur ſeruituti naturali, primum dicitur verè, & propriè dominium, reſpicitque veram ac propriam ſeruitutem; & dicitur dominium dominatiuum ordinatum ad bonum proprium: ſecundum non eſt verè, ac propriè dominium, ne reſpicit veram, ac propriam ſeruitutem, ſed impropriam tantum; qualis eſt naturalis; qua ſubditi ſubijciuntur ſuis Pręlatis, & tale dominium dicitur gubernatiuum, cum ſit inſtitutum ad utilitatem ſubditorum. Vnde.

R. Quoad dominium gubernatiuum, quod ad vtilitatem ſeruorum, eſt ordinatum vnum hominem poſſe habere dominium ſupra alium hominem, quia ſicut in corpore humano anima ob ſuam dignitatem & excellentiam dominatur in corpus; ita in toto genere humano naturaliter illi debent dominari, qui fuerint alijs ſapientiores, & induſtriores. Tum etiā quia ſi homo non peccaſſet vxores viris, filij parentibus, ſubditi Principibus obtemperaſſent. Ita D. Thom. 1 *part. quæſt.* 96. *art.* 4. ergo etiam nunc in ſtatu naturæ corruptæ vbi maior eſt rationis defectus, tum etiam quia inter Angelos talis ordo datur, cum inferiores præcipiantur à ſuperioribus; tum etiam, quia tale dominium deducitur ex pluribus locis ſcripturæ; Pſalm. 2. *Et nunc Reges. &c. Adorabunt eum omnes Reges terræ* Pſalm. 71. Matth. 24. *Fidelis ſeruus*, Roman. 13. 1. Thimot. 2. ad Titum 3. & 1 Petri.

Sciendum 2. Quod quando dicimus vnum hominem iure naturali alteri dominari non eſſe intelligendum de dominio actuali, ſed de poſſibili, & aptitudine ad dominandum, nam ex eo, quod natura quoſdam ingenio, & prudentia produxit, vt eſſent apti ad dominandum, alios verò hæbetiores, & rudiores neruis, & membris corroboratos, ut eſſent apti ad imperata exequenda, unde prouerb. 1. *Intelligens gubernacula poſſidebit*, & *cap.* 10. *Qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti*; quæ ſeruitus etiam in ſtatu naturæ integræ fuiſſent.

R. 2. Quoad dominium legale, ſeu dominatiuum, quod ſolum ad propriam utilitatem, & commodum inſtitutum eſt, & de ſeruitute ſecundum propriam rationem, quæ dicitur ſeruitus legalis iure naturæ nullus eſt Dominus, aut ſeruus, ſed omnes liberi, & pares conditi ſunt, iuxta illud Eccleſ. 51. *Deus fecit hominem rectum*, ideſt liberum; quod docent verba, quæ ſequuntur, & *poſuit illum in manu conſilij ſui*. Vnde Geneſ. 1. non dicitur dominamini hominibus, ſed piſcibus maris, &c. Vnde D. Auguſt. de *Ciuit. Dei cap.* 5. Rationale factum ad imaginem ſuā voluit Deus niſi irrationabilibus dominari, non hominē homini, ſed hominem piſcibus, & licet iure naturæ vnus homo alteri non dominetur, tamen iure gentium, & ciuili poteſt quis effici ſeruus, ut infra oſtendetur.

Quot modis hominis Dominium legale alteri acquiri poſſit?

BRACTEA V.

R. Ex inſtitiā *tit. de iure perſonarum §. penult.* tribus modis, vel enim naſcuntur ſerui, vel fiunt, vel iure gentium per captiuitatem, vel iure ciuili per emptionem. Primus titulus comparandi dominium hominis, eſt conditio natiuitatis, pro qua regula traditur in *leg. partum, C. de* [illegible] quod partus ſequitur ventrem, ſeu conditionem matris, adeò vt non conſiderato ſtatu patris ex ſerua ſeruus, ex libera liber naſcatur. Ratio huius gentium conſtitutionis eſt, quia mater ancilla propter partum ſubtrahitur ſeruitio Domini, & ſæpè mortis periculo exponitur; quare æquum eſt, vt pro hoc damno, vel periculo damni partus eius ad Dominum ancillæ ſpectet; iuxta regul. 55. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum*, & è contra. Quod verò attinet ad honores nobilitatem, & familiam proles legitimè data ſequitur conditionem patris, *leg. cum legitimæ de ſtatu hominum*, dummodo mater ſerua, ſeu ancilla non ſit, cum enim ex ea natus ſeruus ſit, vt ſupradictum eſt, ciuilis nobilitatis, capax non eſt quia quod attinet ad ius ciuile ſerui pro nullis habentur *regul. 33.* Secundus titulus eſt captiuitatis, quia ſi quis capitur in bello iuſto iure gentium ſit capientis, & ſerui efficiuntur, & ſic dicti, quod illos cum occidere Domini poſſent, ſeruare maluerunt. Tertius titulus eſt emptionis, & venditionis, de quo in ſequentibus, poſſunt homines fieri etiam ſerui ratione criminis, vt notat Scotus in 4. *diſt. 37. art. 2.* faciuntque homines ſi eos legitimus Princeps, pœna ſeruitutis condemnauerit propter graue crimen commiſſum, vel quod eorum libertas Reipublicæ noceat, de quo vide Molinam *tom. 1. tract. 2. diſp. 33. §. ſecundus titulus*, & Gabrielem in 4. *diſt. 15. quæſt. 5. nota 2.*

An homo ſit vitæ ſuæ Dominus; ita vt poſſit ſe ipſum vendere & occidere?

BRACTEA VI.

R. Hominem non eſſe Dominum vitæ ſuæ, aut membrorum, licet homini ad vſum conceſſa ſint, ſitque eorum quaſi cuſtos, & adminiſtrator: vnde & vſum eorum locare, & vtrag; periculo exponere poſſit, quando id recta ratio dictat, & ſi quis aliquod vſu iniuſtè priuet iniuriam afferre Deo qui vitæ, & corporis dominus eſt, tum proximo ipſo, quod bona illi commiſſa ab inuito auferret, tum etiam Reipublicæ, quod ſuo Ciue, eam vel ſua parte priuet, & defraudet. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt. art. 2.* Couar. 2. *variar. reſolut. cap. 2. num. 8.* & cæteri communiter. Ratio, quia in nullo euentu, nulliuſque hominis auctoritate fas eſt homini ſe ipſum occidere ſpeciali Dei diſpenſatione excepta, vnde optimè D. Thomas *loco cit.* ad tertium, hominem licitè poſſe diſponere de ſe ipſo quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, ſed tranſitum de hac vita ad aliam non ſubiacere libero eius arbitrio. Couar. *loco cit.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 5. pun. 1.* Aragon. 2. 2. *quæſt. 62. art. 1. & 2.*

Secundò, hominem ob conſeruationem vitæ poſita iuſta cauſa, & dummodo non adſit præiudicium tertii poſſe ſe ipſum alteri vendere, quia ratio naturalis dictat, vt minora bona pro maioribus tuendis exponamus, ſed vita eſt maximè bonum cui nec libertas, vel aliud bonum adæquatur temporale, ergo eadem ratione naturale dictante, quãdo fuerit opus ad tuendam vitam, libertatem propriã alienare, ſeque in ſeruitutem redigere abſque dubio licebit. Quod deducitur ex pluribus locis ſcripturæ, & exemplis Sanctorum.

R. 2. Non licere pro ſoluendis debitis vendere propriam libertatem. Ratio, quia libertas eſt pretioſior omni auro, tum etiam quia libertas eſt Superioris ordinis ad debita, & ideò anteponenda, & ideò vendentes libertatem pro ſolutione debitorũ prodigè agunt contra rectam regulam rationis.

Dixi quando non adeſt præiudicium tertii, quia cum præiudicio, de ea non poteſt diſponere.

An Pater ſit Dominus vitæ filij; ita vt ad conſeruandam propriam vitam poſſit illum vendere?

BRACTEA VII.

R. Cum Rebello 1. *part. de obligationibus iuſtitiæ quæſt. 9. num. 12.* Bonac. *de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 2. num. 9.* poſita iuxta cauſa poſſe Patrem vendere filium, & filiam ex *leg. 2. C. de Patrib.* [illegible]

Cauſæ iuſtæ tres maximè notantur, prima ſi filius vendatur à Patre ob nimiam egeſtatem, ſecunda pro ſoluendis debitis, vt apud Hebræos fieri cõſueuis ſe [illegible] tertia pro tuenda vita, vel etiam pro alio [illegible] dimento, vt de Sancto Paulino. Ita Garcias *ep. 40. de contract. num. 18.* Molina *tract. 2. diſp. 340. n. 4.* [illegible] *lib. 8. cap. 6.*

Sciendum quod ad hoc vt venditio filij à Patre facta ſit iuſta, non modo requiri ſupradictas cauſas, ſed etiam quod venditio non ſit abſoluta, ſed [illegible] poſitio, & quotieſcunque emptori, iuſtum pretium, offeratur pro filio, & filia, vel æqualis alius ſeruus, ille qui facta fuit venditio tenetur illum reſtituere, [illegible] ita lure Cæſareo ſancitum ſit lege ſupracitata. Quod tamen requiritur in locis, vbi viget tale ius ciuile, vbi verò non eſt acceptatum ſtandũ eſt iuri naturali, cuiuſque Regni, vel Prouinciæ. Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 33.* Sotus *lib. 4. quæſt.* [illegible] Couar. *lib. 3. variar. cap. 14. num. 4.* Talis venditio apud Chriſtianos non videtur vſu recepta, cum Parentibus in extrema neceſſitate poſitis, poſſit filius alijs modis ſuccurrere corpus ſuum locando mercede.

An ſicuti Pater poteſt vendere filiam, ita poſſit ipſam proſtituere ad conſeruandam propriam vitam.

BRACTEA VIII.

R. Negatiuè, quia proſtituere filiam eſt intrinſecè malum, quod cauſa iuſta nunquam deſinit eſſe malum, vt deſinit eſſe furtum, & occiſio hominis, quando iudicio prudentum eſtimatur neceſſaria ad ſaluandam propriam vitam; & ſimiliter venditio hominis, & liberorum deſinit eſſe malum ob iuſtam cauſam, & quia proſtitutio filiæ non deſinit eſſe malum, ſequitur Pater non poteſt ipſam proſtituere ad ſaluandam vitam, cum non ſunt facienda mala, vt veniant bona.

An Mater in egeſtate conſtituta poſſit vendere filium?

BRACTEA [illegible]

R. Matrem, [illegible] ſi ius [illegible] ſpectetur [illegible] fame oppreſſam poſſe vendere filium, [illegible] iure naturali in tali caſu [illegible] poſſe mater, quam pater, cum vtrique [illegible] quium, & officium pietatis [illegible] ab vtroque [illegible] & vitam accipit. [illegible] quia de iure Cæſareo filius non eſt ſub poteſtate [illegible] [illegible] non habet mater eandem facultatem, quam Pater, ac proinde in locis, vbi ius Cæſareum [illegible] habet, mater egeſtate oppreſſa vendere non poteſt filium, ſicut Pater, in locis in quibus Ius Cæſareum non eſt receptum poteſt [illegible]

At [illegible] addit, quod ſi Pater, qui [illegible] vendidit filium [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] poſſe Patrem vendere filium [illegible] [illegible] contrariam opinionem [illegible] [illegible] probabiliorem, [illegible]

Quam poteſtatem habeat Dominus ſupra mancipium?

BRACTEA X.

R. [illegible] Rebello *lib. 1. de [illegible] quæſt.* [illegible] poteſtatem Domini ſuper ſeruos, ad [illegible] rationabilia ſerui [illegible] atque adeò ſeruos ius habere ad reliqua, quæ per ſeruitutem non auferuntur. Hæc propoſitio elicitur ex *cap. 1. de coniug. ſeruor.* & communiter recipitur, & ita Auguſtinus *lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 19.* quem citat Couarruuias *3. part. relect. in regul. peccatum, §. 11.* [illegible]

Sciendum, quod licet Dominus iuſto titulo habeat dominium ſuper mancipium, tamen non habet ius ad ipſum occidendum, vel mutilandum priuata [illegible] cum diſcretione probabili [illegible] vel per Domino ad [illegible] ad alia ſeruitia quæ [illegible] & multò minus habet ius ad [illegible] contra Dei Præceptum ſunt, & ſi ad ſimilia [illegible] verberet [illegible] ad [illegible] ſatisfactionem [illegible] prudentis æſtimationem, [illegible] [illegible] compenſari debeat, [illegible] ſi deliberatè claudum [illegible] redderet, & ſi ob aliquam læſionem incapacem redderet ad laborandum, ita vt ſe ſuſtentando laborando non valeret, ad ſuſtentationem ipſius obligaretur [illegible] ſatisfactio [illegible] tione; ſed caſu prædicto [illegible] Quod ſi Dominus priuata authoritate ſeruum occideret [illegible] iuris pœnas: quanti [illegible] [illegible] ſacrificijs [illegible] pro anima occiſi debet ſatisfactionem exhibere. Rebell. *loco cit.*

An Dominus poſſit impedire ſeruum ne contrahat matrimonium?

BRACTEA XI.

R. Seruum per vim, aut fraudem à Domino impediri non poſſe ne contrahat matrimonium ſine graui iniuſtitia, iuxta *cap. 1. de coniug. ſeruor.* ita D. Thom. *2. 2. quæſt. 104. art. 5.* Scotus *in 4. diſt. 36.* Riccardus *eadem diſt.* & [illegible] communiter. Ratio, quia ab alijs Sacramentis recipiendis impediri non poteſt, excepto à Sacramento Ordinis, ne liberè efficiatur, cum enim Dominus non habeat poteſtatem ſuper membra, vel vitam, vel ſalutem corporalem ſerui, vt dictum eſt ſupra, ius ciuile declarat multò minus eam habere ſuper ſalutem ſpiritualem, & media ad ea ordinata, cum autem matrimonium ſit Sacramentum ordinatum ad ſalutem ſpiritualem conſequens eſt, ſeruum non poſſe impediri à Domino ne matrimonium contrahat [illegible] [illegible] ſeruus fugere poteſt, ſi Dominus [illegible] ſollicitet ipſum, aut ancillam, ita vt [illegible] ſit periculum animæ non poſſe vitari, niſi per fugam, vel ſi intollerabilem ſæuitiam exerceat in ſeruum, & multò magis ſi mutilatio, vel occiſio [illegible] timeatur [illegible] autem fugiet ad tutelam Eccleſiæ, vel Epiſcopi, ne ab alijs cauſam fugæ ignorantibus comprehenſus, Domino tradatur. Epiſcopus autem Domino eum reddere non debet quandiù periculum extat, & conſultò poteſt à Domino exigere iuramentum de cauenda iniuſta ſerui mutilatione, iuxta *cap. ad conſtitutione 17. q. 4.* Poteſt etiam Iudex ex officio ſuo per ſeruum imploratio, etiā inuito Domino pro iuſto pretio alteri vendere dicta inſtituta, §. *vlt.*

An licitum ſit ſeruis fugere?

BRACTEA XII.

S. Ciendum ſicuti ſupradictum eſt multiplicitèr hominem alterius acquirere dominium, primò ratione natiuitatis, ſecundò ratione captiuitatis, tertiò emptionis, & venditionis: quartò ratione criminis.

R. Eum, qui ſe ipſum vendidit, vel à parentibus legitimè venditus eſt, vel ex matre in ſeruitutem redacta natus, vel qui ob aliquod crimen in ſeruitutē redactus fuit fugere non poſſe. Ratio, quia, cum ſit factus ſeruus per legitimum contractum, in quem ipſe, vel parentes eius iuſtè conſenſerint, tenetur contractui ſtare, nec poteſt illum violare abſque iniuſtitia, & ſi fugiat tenetur ſe ſuis Dominis, quos re ſua fugiendo priuat, reſtituere damna ijſdem ſubſecuta, ſi modo poſſit, quod etiam quoad conſulentes, & eiſdem conſilium ad fugā præbentes procedit. Cōtrouerſia igitur tota eſt quoad iure belli captos: Ad quod R. mortaliter peccare, & ad reſtitutionē teneri, ſi à Dominus fugiat abſque cauſa, gloſſ. *Cap. ius gentium dub. 1. verbo ſeruientes,* Turre cremata Cardinalis ibidem, Antonin. *3. part. tit. 3. cap. 6. §. 4.* Nauar. in *ſum. cap. 17. n. 113.* Ratio, quia capti in Bello iuſto iuſtè ſunt damnati pœna ſeruitutis, ergo ipſi tenentur exequi per ſeipſos non minus, quam qui [illegible] damnantur ad exilium. Secundò, quia conſuetudo proborum habet, vt huiuſmodi ſerui, ex [illegible] ad ſuos fugiant grauiter puniantur, vt patet in *leg. Cod. de ſeruis fugitiuis.* [illegible] abſque iuſta cauſa, quam

poſita

poſita iuſta cauſa poſſunt à dominis fugere, & quæ nam ſint iſtæ ſupra narratæ fuerunt.

An Christianus captus in bello Principis Christiani fiat ſeruus capientis?

BRACTEA XIII.

R. Nullo modo Chriſtianum captum in bello Principis Chriſtiani fieri ſeruum, ſeu mancipium capientis. Ratio, quia ius quod præcipit quod capti in bello iuſto ſerui efficiantur illorum, qui eos capiunt per vſum contrarium, quando Chriſtiani à Chriſtianis capiuntur, cenſetur reuocatum, vt omnes Doctores communiter fatentur cum de bello, &c. ſed ſolum ab eis [illegible] &c. quæ de iure gentium ſunt capientis eos dimittuntur; excipiuntur tamen ab hoc beneficio apoſtatæ à Religione Chriſtiana, qui dicuntur renegati, & infideleſque contra Chriſtianam Religionem deſeruiunt: hi enim iure belli efficiuntur ſerui capientis, quamuis Baptiſmum ſuſceperint, quod enim in fauorem fidei conceſſum eſt ſuffragari non debet ijs, qui fidem Chriſti abnegarunt, Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 16. part. 3.* Bañes *2. 2. quæſt. 62. art. 1. & 3.*

Sciendum certum eſſe Chriſtianos captos ab infidelibus iure belli non fieri ſeruos, ſed iniuſtè ab eis detineri, & licitè poſſe ab eis fugere, & fugiendo ſe defendere, & ſuſcipere à ſuis Dominis, quantum ſatis eſt ad compenſandam iniuriam ſibi illatam, & damnum datum, cum bellum ex parte ipſorum ſit ſemper iniuſtum, & quod terras Chriſtianorum occuparint, & liberam in ſuis terris promulgationem Euangelij impediant, & ex inſtituto ſuæ ſectæ ſemper Chriſtianos perſequantur. Ita Rebell. *lib. 1. de præludijs iuſtit. quæſt. 12. num. 9.* Leſſius *lib. 2. de Iuſt. cap. 5. dub. 5.* & alij. Sed dubium eſt an Chriſtiani capti iure belli tempore treguæ poſſint fugere? Negatiuam ſententiam tenet S. Antonin. *3. part. lib. 3. cap. 6.* Nauarrus in *ſumm. cap. 17.* quæ tamen opinio reijcitur à Caietano *2. 2. quæſt. 6. art. 8.* Verum hæ opiniones à Rebello *loc. cit.* conciliantur his verbis, quia, cùm negat tempore treguæ licitam eſſe fugam hoc tantum velle videtur, quod ſi quis Chriſtianus tempore induciarum hoſtes aggrediatur, vel alia ratione fœdus violet ab eiſque capiatur, ac ratione criminis in ſeruitutem redigatur tunc amiſſo omni iure belli ſit ſeruus, nec ei licitè fugere licet. Quod ſi fugerit, licet non ſit obligandus vt ad hoſtes redeat propter periculum animæ, pretium tamen debitæ ſeruitutis Domino reſtituere debet, vt poſt Hoſtienſem, & Silueſtrum docet Couar. *loc. cit.* ad nihil tamen obligaretur ſi ab hero ſuo ad infidelitatem, vel aliud peccatum mortale compelleretur, vel ſollicitaretur, quibus etiam poteſt adiungi, ſi à Domino nimis inhumaniter tractaretur.

Cuius ſit Dominium rerum acquiſitarum à ſeruo?

BRACTEA XIV.

R. 1. Dominium rerum acquiſitarum à ſeruo, qui titulo natiuitatis eſt ſeruus, quia ex ſerua natus eſſe Domini ſui. Ratio, quia ſicut talis ſeruus ſecundum ſe totum Domini eſt, ita multo magis ea, quæ acquirit cenſentur Domini eſſe, cùm acceſſorium ſequatur ſuum principale; vnde Dominus non peccat accipiendo ea quæ ſerui ſunt, cum omnia ſint ſubiecta tali Domino. Peccaret tamen Dominus, ſi id quod conceſſit, vt proprium abſque iuſta cauſa auferret.

Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 2. art. 2.* docet ſeruum emptitium nullũ poſſe habere dominiũ, ſed omnia acquiſita eſſe Domini ſui; at verò ſeruum iuſto bello captũ non eſſe ſeruum reſpectu eorum, quæ quotidiano labore acquirit, ſed eſſe Dominum eorum, quæ acquiſiuit titulo donationis, hæreditatis, vel etiam lucri, quia cum non ſit ſua culpa ſeruus, vt eſt emptitius, ſed ſolum caſu, non eſt tanta miſeria coercendus. Petrus Aragon. *2. 2. quæſt. 62. art. 1. & 2.* nullam facit differentiam inter ſeruum emptitium, & bello captum; & nullum habere dominium emptitium, ſed eſſe domini ſui, quia cum ſecundum ſe totum ſit domini, effectum illius, id eſt lucrum, ſit etiam domini. Vnde dicendum cum Soto loco citato, ſeruum bello captum poſſe habere dominium eorum, quæ acquiſiuit titulo donationis, &c. vt ſupra. Quod docet etiam Molina *tom. 1. de iuſt. d. 38.* & alij communiter, docentes in ſeptem caſibus eiuſmodi ſeruos poſſe habere dominium. Secundò de ſeruo emptitio, ſi quando pretio ſeruitutis ſe mancipauit, & omnes labores, & operas, quas in futurum exercere poterit vendidit, tunc ex vi illius contractus quidquid lucratus, aut quotidiano labore, aut alio quocunque titulo eſt Domini. Verum ſi ſe tantum, & operas conſuetas, & quæ feriatis, aut determinatis temporibus fiunt vendidit; cætera verò quæ alijs temporalibus faciet, v.g. diebus feſtiuis, in quibus non tenetur laborare non erunt domini ſed ſui ipſius; ſicut etiam quæ citra contractum faciet. Ratio, quia dominus non cenſetur habere aliud ius, quam quod per contractum venditionis acquiſiuit, etiam ſi ſeruitus odioſa ſit non eſt extendenda extra contractum venditionis, & emptionis, & per conſequens, quæ ipſe lucratur opera non debita per contractum, ſed libera erunt ſui ipſius.

An Clericus beneficiatus ſit Dominus fructuum ſui beneficij?

BRACTEA XV.

SCiendum eſt in Clerico poſſe eſſe tria genera bonorum Patrimonialia, quaſi Patrimonialia, & merè Eccleſiaſtica, Patrimonialia ſunt, quæ à Patre aſſignantur in ordinatione, vel quæ acquirit, titulo hæreditatis, vel donationis, quaſi Patrimonialia ſunt quæ acquirit Clericus cauſa, & ratione ſui officij, & dignitatis Clericalis, vel quæ ſiue Capellanus, & ratione officij, multa lucratus eſt, vel quæ acquiſiuit canendo, prædicando, Confeſſiones audiendo, & alia Sacramenta adminiſtrando, merè Eccleſiaſtica ſunt quæ titulo beneficij recipiuntur.

Secundò beneficium Eccleſiaſticum, vel habet adminiſtrationem, vt tunc beneficia curam animæ miniſtrandi Sacramenta, vel eſt ſimplex tantum, & perſonale beneficium, vt eſt Canonicatus, &c. vel eſt Penſionarius habens ius exigendi penſionem ex aliquo beneficio. His poſitis.

Dico: Quod Clericus beneficiatus habet verum dominium bonorum Patrimonialium, & quaſi Patrimonialium. Et patet, quia per ordinem non fit incapax Dominij, nec ſe obligat ad expendenda Patrimonialia in pios vſus. Ita Sotus *lib. 10. de iuſtit. cap. 4. dub. 6.* Lopez *lib. 2. de contract. cap. 47.* Tum etiam quia bona quaſi Patrimonialia dantur in ſtipendium

quoddam

quoddam remunerationis, & veluti merces ratione operis præſtiti, nec refert quod excedant opera, quia liberè à fidelibus dantur ſine onere aliquo, Leſſius *lib.2.cap 4 dub.6.* Nauarr. *qu.1.de reddit.monit.19. & 39.* vnde de illis poteſt liberè diſponere: immò ſi ex bonis Patrimonialibus, vel quaſi, expẽdit in eleemoſynas, & alia opera pia poterit vti compenſatione ex fructibus beneficij, quos alioquin in tali opera expendere debuiſſet. Nauarr. *monit.32.* & Leſſius *loco cit.* Secundò dominium beneficij Eccleſiaſtici, ſiuè ſit cum adminiſtratione, ſiuè ſimplex, aut perſonale, quoad fundum non eſſe penes beneficiatos, ſed apud Romanum Pontificum, quia ipſe ſolus poteſt ad placitum de beneficijs diſponere, & ſuper ea imponere penſionem. Vnde ſacri Canones Summo Pontifici concedunt liberam, abſolutam, & plenam facultatem diſponendi de ipſis, vt conſtat ex Archidiac. *tract. de hæreſi verſ. quia tanta*, & ex alijs quos refert Rodoanus *quæſt 1. de Spolijs*, poſt numerum 25. Vnde Clericus beneficiatus non poteſt alienare fundos Eccleſiaſticos, niſi cum ſolemnitatibus à iure requiſitis.

Tertiò, beneficiatum eſſe verè Dominum illis portionis redituum, quæ congruæ illius ſuſtentationi eſt neceſſaria. Ratio, quia hæc portio eſt iuſta merces eorum, qui Eccleſiæ deſeruiunt. D. Thom. *quæſt.188. artic.7. in corpore* Sotus *lib. 10. quæſt. 4. art.3.* Leſſius *lib. cap.4 dub.6.* & alij, & non modo poteſt ſumere neceſſaria ex fructibus beneficii pro ſe, ſed etiam pro ſuis, & reliqua, quæ ſuperfluunt ſunt iuris Canonici diſpoſitione deſtinata, & ordinata pauperibus, & in vtilitatem Eccleſiæ. Vnde Clericus ex fructibus beneficii poteſt parentes, fratres, ſorores, &c. alere, dotare, ſi non habent propria. *Cap. omninò* vbi gloſſ. *verbo de mercede 31 diſt. cap. ſtudeat*, & ibi gloſſ. *50. diſt. cap. quiſquis 11. quæſt. 2. cap. ex probanda*, & ex multis aliis locis citatis à Belletto *diſquiſit. Clerical. part.1. de bonis Clericor.* §.11. & etiam poteſt ex redditibus Eccleſiæ alere ſeruos iuxta perſonæ qualitatem, gradum, & conditionem. Vnde primo habenda eſt ratio nobilitatis perſonæ, &c. Secundò ſciẽtiæ *cap. de multa de præb.* item dignitatis, *§. de varijs, & extraordinarijs, l.1.§. in honorarijs*, quia aliter veſcuntur nobiles, aliter viles & pauperes. Innocentius in *cap. dudum* citatus à Rodoano *quæſt.3. de Spolijs Eccleſiaſticor.* Quia redditus beneficiorum, & fructus bonorum patrimonialium æquiparantur, & eiſdẽ regulis conſiſtunt, vt docet D. Thom. *loco citato*, pro qua opinione Sarmientus *vt redditibus part.2. cap.2.* plures refert Auctores.

Quartò, non modo Clericos de redditibus beneficii poſſunt, vt ſupra dictum eſt donare quando ſunt ſani, ſed etiam ſi ſint in ægritudine conſtituti, dummodo ſint compotes mentis, cum cenſeantur vſufructuarii fructuum vſque ad mortem, & etiam portionis redundantis. Sotus *lib.10. de iuſtit. quæſt.4. art.3.* Toletus *lib 8 cap 38.* Lopes *lib.2. cap.47.* Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.40. dub.6.* Couar. in *cap. cum in officio de teſtamento* Adrianus in 4. *in mat. de reſtit.* Vnde ſi Clericus de ſuperfluis aliquis donet non obligatur illud compenſare, licet Nauarr. in *lib. de reddit. Eccleſiæ*, Caietanus *1.2. quæſt 87. art.1 & quæſt.185. art.7.* contrariam ſententiam teneant exiſtimantes beneficiatum non eſſe dominum portionis redundantis, ſed ſolum diſpenſatorem, ita vt ex iuſtitia teneatur illam expendere in vſus pauperum, & ſi ſecus fecerit obligari ad reſtitutionem ex aliis bonis, quæ pleno iure retinet.

Quintò, beneficiatum qui ex decenti ſuſtentatione ſui ſtatus, ſe reſtringendo aliquid ſibi ſubtrahit poſſe de eo diſponere, ſicut de bonis ſæcularibus: Nauarr. *de reddit. monit.32.* Sotus *lib.10. quæſt.4 art.3.* Leſſius *lib.2 cap.4. dub.6.*

Sextò, ſi abſque adminiſtratione ſimpliciter habeat beneficium, & perſonaliter ſit beneficiatus, habet omnimodam in fructibus poteſtatem, & diſpoſitionem, quia in quantum ad faciendum fructus ſuos æquiparatur vſufructuario, & facit illos ſuos vſque ad obitum, ac de eis etiam teſtari poteſt. *Cap. requiſiſ. §. illud de teſtam.* & licet beneficiarius non prohibeatur fructus perceptos alienare, prout velit cum ad ipſum independenter pertineant, prohiberi tamen ne ius, quod ratione beneficii ad fructus percipiendos habet vltra triennium locet, quod ius inter bona immobilia continetur. Aduertendum tamen cum Bonacina de *contractibus diſp.3. quæſt.8 pun. 4. num.32.* res Eccleſiæ fructificantis ſolum alternis annis poſſe locari ad ſex annos, quia ſic cenſentur ſolum locatæ ad tres, cũ duo anni reſpondeant vni, ſicut etiam locari poſſunt ad nouem annos, quæ tertiò quoque anno ſolum fructus faciunt, nam ſingula triennia æquiualent ſingulis annis. Ita Rebellus *2. part. de obligat. iuſtitiæ lib.14. quæſt.6.* Riccius *deciſ.115.* Azorius *3 part. lib.4 cap.3.* Vaſquez in *opuſc. de beneficijs dub.6 num 30.* Couar. *2. variar. cap.16. num.4.*

Septimò, penſionarium eſſe dominum fructuum ſuæ penſionis, & de illis tanquam dominum poſſe diſponere.

An filius familias aliquarum rerum habeat dominium?

BRACTEA XVI.

SCIENDVM quod bona, quæ viuente Patre poſſideri poſſunt à filio ſunt in quadruplici differentia Caſtrenſia. quaſi Caſtrenſia, Profectitia, & Aduentitia, de quibus dictum fuit ſupra. His poſitis.

R. Dominium bonorum Caſtrenſium, vel quaſi, & quoad proprietatem, & quando fructum, & adminiſtrationem eſſe pene filios, & in eis patrem nihil poteſtatis habere. Ita Nauarrus *cap.17. num 141. & 142.* Vnde filius de illis poteſt diſponere dummodo ſit pubes, ideſt decimum quartum annum habeat quia ante talem ætatem non poteſt teſtari, *qua ætate ff. de teſtam.* Dominium profectitiorum bonorum, & quoad proprietatem, & vſumfructum eſſe Patris viuente ipſo, & filium viuente patre non poſſe diſponere de bonis profectitiis, & poſt mortem Patris cenſetur commune omnibus filiis, ſeu fratribus Leſſius *lib.2. de iuſtit. cap 4 dub.3.* Nauarrus *cap.17. n.144.* & alii. Dominium aduentitiorum bonorum, quoad proprietatem eſt filii, quoad vſumfructum eſt patris viuente ipſo, niſi in aliquibus caſibus. Primò, ſi Pater condonet filio vſumfructum. Secundò, ſi donaretur filio, vt ad Patrem non pertineat vſusfructus. Tertiò ſi pater fiat hæreticus, quia tunc filius efficitur ſui iuris, & reddit ad eum vſusfructus, quem Pater haberet in bonis aduentitiis. Siueſt. *verbo pecul.1. quæſt.3.* Nauarrus *cap.17. num.4.* Aſſignantur etiam alii caſus à Doctoribus.

An Religioſi poſſint habere dominium?

BRACTEA XVII.

R. Aliqvos in communi poſſe rerum habere dominium, vt ſunt Monaci Sancti Benedicti, Canonici Regulares, Collegia Societatis Ieſu, Congregatio Clericorum Sancti Pauli, &c. alios in communi non poſſe habere dominium, vt ſunt fratres S. Franciſci ſtrictionis obſeruantiæ, &c. in particulari nullum Religioſum poſſe habere dominium. Ratio eſt, quia ipſi illud ſponte à ſe abdicatum, vnde in cap. *cum ad Monaſterium de ſtatu regular.* Romanus Pontifex ait abdicatio proprietatis eſt ad eſſentia Religionis, & ita ſi Papa diſpenſaret cum aliquo Monaco, vt habet proprium iam ille non eſſet amplius Monacus, quia Papa de plenitudine poteſtatis poteſt facere de Monaco non Monacum, efficere tamen non poteſt, vt quis remaneat Monacus, & in particulari habeat dominium.

An Summus Pontifex habeat ſupremam, & ampliſſimam poteſtatem iuriſdictionis temporalis in vniuerſum orbem?

BRACTEA XVIII.

R. Ecclesiam habere verum, & propriū dominiū temporale ſuper ea bona temporalis, quæ ad Eccleſiæ ſplendorē, & auctoritatem cōtulerunt ei Princeps Chriſtiani. Ratio, quia donatio facta à Principibus Chriſtianis fuit vera donatio conferens verum dominium temporale ipſi Eccleſiæ etiam per ſe, & directè in finem temporalem. Secundò, quod licet Summus Pontifex ſupremam poteſtatem, & iuriſdictionem temporalem in bona Eccleſiæ habeat, non tamen eſt illorum Dominus, ſed diſpenſator, ac gubernator, ac proinde non poteſt pro ſuo arbitratu de illis diſponerē, ſed iuſta de cauſa adeò vt ſi illa per donationem ſine rationabili cauſa alteri tradat, donatio ſit nulla, & tam ipſe quam donatarius ad reſtitutionem tenentur Eccleſiæ, cuius ſunt bona. Ratio eſt, quia talia bona non ſunt tradita Summi Pontificibus, ſed Eccleſiæ vniuerſali, vel etiam alicui Eccleſiæ particulari, & per conſequens illorum dominium ſpectat, vel ad Eccleſiam vniuerſalem, vel particularem, cui ſūt tradita; & quia Romanus Pontifex non ſolum eſt diſpenſator, & gubernator rerum Eccleſiæ vniuerſalis, ſed etiam Eccleſiæ particularis, cum ſit ſupremum caput totius Eccleſiæ: idcircò de illis poſita iuxta cauſa poteſt diſponere, abſque cauſa non poteſt. Tertiò, quod loquendo per ſe, & directè in ordine ad finem temporalem non habet Summus Pontifex iuriſdictionē temporalem ſuper totum orbem; & ratio eſt, quia non eſt conueniens, vt Summus Pontifex habeat per ſe, & directè dominium earum rerum, quod Chriſtus Apoſtolis prohibuit habere. Maior patet, quia poteſtas Summi Pontificis eſt illa, quam Chriſtus contulit; minor verò probatur ex Matth. 2. *Sitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent inter eos, non erit ita inter vos, ſed quicunque voluerit, inter vos maior fieri ſit veſter miniſter, & quicunque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam.* Tum etiam, quia Summus Pontifex nō maiorem poteſtatem habet in temporalibus, quam in ſpiritualibus: ſed ſuper infideles nullam poteſtatem, & iuriſdictionem habet in ſpiritualibus dicente Apoſt. 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi eſt de ijs, qui foris ſunt iudicare*; ergò non eſt Dominus illorum in temporalibus, & quia homines ad fidem cōuerſi non ſunt peioris conditionis, quàm infideles ſit, vt neque ſua iura, & dominia amittant, & per conſequens Papa, neque ſuper Chriſtianos dominium, & poteſtatē habet in temporalibus. Quartò, quod loquendo per accidens, & indirectè Summus Pōtifex habet ſupremam poteſtatem iuriſdictionis ſuper totum orbem: præcisè tamen quantum poſtulat finis ſupernaturalis, ad quem poteſtas temporalis ordinatur. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus, quatenus homo habuit tale dominium, ergo & Summus Pontifex cum Chriſtus tribuerit Petro tanquam ſuo Vicario poteſtatē, quam habebat ad paſcendas oues, quas commiſit Petro, & ſucceſſoribus eius; ergo, &c.

An Imperator ſit Dominus rerum omnium, quæ ſunt in mundo?

BRACTEA XIX.

R. Neqve Imperatorem, neque vllum Principem habere dominium proprietatis ſuper bona ſuorum ſubditorum. Ratio eſt, quia omnis Princeps legitimus habet poteſtatem à Republica ex cuius electione, & communi conſenſu eligitur, ſed nulla Reſpublica tranſtulit in ſuum Principem dominium proprietatis bonorum ſuorum ciuium; ergo, &c. Tum etiam, quia qui habet dominiū proprietatis bonorum alicuius pro ſuo arbitratu, poteſt illis vti. At Princeps pro ſuo arbitratu non poteſt vti bonis ſuorum ſubditorum, ſed ſolùm in caſu, quo ratio boni communis exigit: ergo, &c.

R. 2. Imperatorem neque de facto, neque de iure dominium habere iuriſdictionis ſupra totum orbem. Ratio, quia ſequeretur, quod omnes Reges, & Principes eſſent ei ſubiecti in temporalibus tanquā ſuperiori, & vniuerſali Domino, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Ita Sotus *in 4. diſt.* 25 *quæſt.* 2. *art.* 1. Mol. *tom.* 1. *diſp.* 30. Bannes 2. 2. *art.* 1. *&* 2. & alij.

Sciendum, quod licet Imperator non ſit Dominus in temporalibus totius orbis, nec ſupremam poteſtatem iuriſdictionis habeat ſuper omnes Reges terræ, nihilominus tamen ſecundum quid, & quantum ad aliquid, ſuperior eſt omnibus Principibus Chriſtianis quoad dignitatem Imperialem; eſt etiam primatius fidei protector, &c.

Quot modis acquiratur, & transferatur Dominium?

BRACTEA XX.

R. Tribvs modis acquiri dominium: primò iure gentium per diuiſionem rerum à principio: Secundò per inuentionem: tertiò per tranſlationem ab vno in alterum.

Secundò tribus etiā modis transferri dominium: primò Diuina voluntate: ſecundò volūtate Domini volentis transferre dominium rerum ſuarum in alterū: tertiò voluntate legiſlatoris, & Principis transferentis res ciuium in alios Dominos. Tranſlationē dominij, eſſe tranſmutationē rei ab vno, qui eā prius legitimè poſſidebat in alterum, qui illius incipit eſſe Dominus legitimus. Ita Sotus *lib.* 4. *q.* 5. *art.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. *pun.* 3. Bannes 2. 2. *qu.* 12. *art.* 1. *&* 2.

Scien-

Sciendum, quod iuregentium acquiritur dominium; primò per alluuionem, quando ſcilicet flumen publicum ex vna parte per minutiſſimas partes addit, ex altera oppoſita diminuit, & conradit adeò latenter, vt cognoſci minimè poſſit, quantum quoquo temporis momento accedat; ideò Iuſtinianus Imperator ex Gaio Iuriſconſulto in *leg. Adeo quidem* §. *quod ſi vis ff. de acquirenda rerum dominio*, quod ſi vis fluminis de tuo prædio aliquam partem detraxerit, & ciuium prædio attulerit, palam eſt eam tuam permanere, &c. Inſula autem, quæ in medio flumine interdum naſcitur: hoc eſt, apparet, eorum efficitur, qui vtriuſque regione propè ripam fluminis prædia habuerint, & inter eos eſt æqualiter diuidenda. Quod ſi ex vna parte fluminis propè ripam multi habeant prædia, quæ diuerſis Inſulæ partibus è regione reſpondeant, tunc dimidia pars Inſulæ inter eos eſt diſtribuenda; ſi verò Inſula vni parti fluminis fuerit propinquior, tota pertinet ad eam, vel ad eos, qui è regione propè ripam prædia habuerint. Inſtit. de *rerum diuiſ.* §. *Inſula*; deinde ibidem §. *Quod ſi naturali*, ſubijcit Iuſtinianus Imperator, quod ſi naturali alueo in vniuerſum derelicto flumen in aliam partem fluere cœperit, prior quidem alueus eorum eſt, qui propè ripam prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cuiuſque agri, quæ latitudo propè ripam ſit: nouus autem alueus eius iuris incipit eſſe, cuius & ipſe flumē eſt, id eſt publicus, publici iuris gentium. Quod ſi poſt aliquod tempus ad priorem alueum reuerſum fuerit flumen, rurſus nouus alueus eorum eſſe incipit, qui propè ripam eius prædia poſſederint. Secundò rerum dominium etiam acquiritur iuregentium, ſiue naturali, cum quis ex aliena materia ſpeciem aliquam ſuo nomine fecerit, *leg. adeo* §. *cum quis ex aliena*, & Inſtit. de *rerum diuiſ.* §. *cum ex alieno*. Ita ſtatuitur, ſi ſpecies, quæ de nouo fit, reuerti poteſt ad priorem materiam, vt cum vas æris, vel argenti conflatum eſt, tunc Dominus idem eſt, qui erat materiæ, ſi verò non poſſit reuerti, vt cum fit vinum, vel oleū ex vuis, vel oliuis, tunc eſt eius, qui fecerit; per effectionem ergo alicuius ſpeciei; vt vini, vel olei ex aliena materia; hoc eſt alienis vuis, vel oliuis, quia vinum, vel oleum non poteſt reuerti ad vuas, vel ex oliuas, ex quibus facta ſunt; effector fit eorum Dominus. Secus in vaſe ex ære, vel argēto, Dominus enim prior æris, vel argenti remanet Dominus etiam vaſi facti ex illis. Tertiò acquiritur etiam dominium rei per acceſſionem, quæ fit, quando aliena rebus noſtris accedūt per humanum laborem, & induſtriam, vt ſi veſtimento noſtro aliena purpuram intexatur. Inſtit. *de rerum diuiſ.* §. *ſi tamen aliena*; iure enim acceſſionis fit eius, cuius eſt veſtimentum: Dominus tamen purpuræ habet actionem furti aduerſus eum, & conditionem ſine cauſam, extincta enim res licet vendicari non poſſit, concedi tamen à furibus quibuſcunque alijs poſſeſſoribus poſſunt, ſiue ijs, qui intexuit purpuram alienam, bona fide id egerit ſiue mala; ſemper enim is, qui erat purpuræ, Dominus habet conditionem contra eum. Quartò iuregentium acquiritur etiam dominium per materiarum infuſionem; quod ſi duorum Dominorum materiæ ſint confuſæ ſiue caſu fortuito, ſiue voluntate ipſorum corpus, quod fit ex confuſione, commune eſt vtriuſque. Ita Inſtit. *de rerum diuiſ.* §. *ſi duorum*. Quintò acquiritur etiam dominium per commixtionē ſpecierum, vt v. g. ſi frumentum vnius commiſceatur cum frumento alterius, ſi voluntate Dominorum id factum ſit, fieri commune; ſi verò caſu non fieri commune; ſed cuique competere actionem in rem ſuam pro quantitate frumenti, arbitrio autem Iudicis cōtineri, vt ipſe æſtimet, quale cuiuſque frumentum fuerit. Differt autem confuſio a commixtione, quod ea, quę confunduntur potius nouam ſpeciem parāt, vt ex vino, & melle fit mulſum, nō ſic ea, quæ commiſcentur, ſed remanent ſecundum ſpeciem ſuam. Sextò acquiritur etiam dominium iuregentium per ædificationem, & plantationem, ſi quis in ſuo ſolo ex aliena materia ædificauerit ipſe Dominus intelligitur ædificij, quia omne, quod ædificatur, ſolo cedit. Similiter ſi alienam plātam in proprio ſolo quis poſuerit, efficitur eius, cuius eſt ſolum. Item ſi planta, quę erat propè alienum ſolum in eo radices agat, efficitur eius, cuius erat ſolum, ſi partim habeat radices in alieno ſolo, partim in proprio eſt communis. Septimò iuregentium acquiritur etiam dominiū per traditionem rei nōn quidem nudam, ſed talem, vt per eam is, qui tradit in animo habeat in accipiētem transferre dominium. Ratio eſt; quia nihil tam conueniens naturali æquitati, quam volūtatem Domini volentis rem ſuam in alium transferri. Octauò acquiritur dominium rei iuregentium per contractum, ſeu quaſi contractum, videlicet per venditionem, donationem, permutationem, mutuum, vt infra dicetur, dum de contractibus in communi, & in particulari. An per contractum validum iure naturali, ſed nullum iure ciuili transferatur dominium, infrà etiam dicetur.

An diuiſio rerum, & dominiorum licita fuerit, & conuenienter introducta?

BRACTEA XX.

R. Primo, quod iure naturali, & Diuino conſtat in ſtatu naturæ integrę non fuiſſe diſtincta dominia, ſed omnia erant cōmunia. Ratio eſt, quia ius naturæ, neq; fecit hanc diuiſionē, cum omnia reliquerit communia, neque etiam præcepit eam fieri, neque natura ſecundum ſe ad eam inclinat. Poſt peccatum originale rerum diuiſionem huiuſce licitam, & iuſtam. Ratio eſt, quia ſi poſſeſſiones manſiſſent communes, relictæ fuiſſent incultæ; quia homines facilè negligunt communia tanquam parum ad ſe pertinentia, maximè autem curant propria, iuxta illud Ariſtotelis *Amabile bonum cuique autem proprium*. Tum etiam, quia ſi poſt originale peccatum res manſiſſent communes, mundus arderet perpetuis contentionibus, & bellis, quia plerunque plures ad eandem rem occupandam concurrerent, qui ſe mutuò conarentur impedire, & potentiores plerunque omnia raperent; nam habetur Geneſ. 13. Inter Paſtores Loth, & Paſtores Abraham orta fuit contentio ex eo, quod in vno greges, & poſſeſſiones indiuiſas habebant.

Quonam Iure fuerit facta diuiſio rerum?

BRACTEA XXI.

R. Diviſionem rerum non eſſe factam iure Diuino, Deus enim neque fecit diuiſionem illam primam neque præcepit eam fieri; imò omnia tradidit in communi, vt conſtat ex illo Geneſeos 1. *creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus, &c.* ergo iure Diuino non fuit facta rerum diuiſio. Quod etiā non ſit facta iure naturæ conſtat ex ſupradictis.

R. 2. Diuiſionem rerum eſſe factam iuregentium, ſcilicet ex conſenſu populorum eam diuiſionem cō-

ſtituentium,

ſtituentium,vel approbantium,& ita habetur in *cap. ius gentium eſt ſedium occupatio, & §.de iuſtit.& iure leg. ex hoc iure domin.diſt.* Hoc tamen non eſt ita intelligẽdum quaſi ſit aliquod præceptum apud omnes, ſed quia commune omnium iudicium eſt,diuiſionem rerum expedire, tum ad pacem, tum ad meliorem rerum adminiſtrationem, vt diſſidia præcidantur,tollatur negligentia, quia ſinguli res multorum communes adminiſtrare conſueuerunt,vt pax conſeruetur. Itaque hoc ius gentium nihil aliud eſt, quam commune hominum iudicium, & gentium conſenſus, vel eſt conceſſio, & ius ex communi iudicio,& conſenſu proueniens.

R.Quod facta iure gẽtium rerum externarum diuiſione multa adhuc manent indiuiſa, & communia,vt maria, flumina,elementa, littora,piſces,aues, feræ, pontes, viæ publicæ, & id genus alia. Ratio eſt, quia rerum temporalium diuiſio,ideò iure gentium, & ciuili introducta eſt, vt iurgia, & diſcordiæ tollerentur, & poſſeſſiones, & agri magis colerentur. At verò prædicta rariſſimè poſſunt eſſe cauſa litium, nec indigent hominum cultura,ergo,&c. Ita Valent.*tom.3.diſp.5.quæſt.10.pun.3.*

Sciendum rerum diuiſionem tribus modis legitimè inſtitui, ac introduci potuiſſe: primò à Parentibus primis, & alijs antiquioribus, qui vixerunt circà mundi primordia, vt ab Adamo, & filijs eius ante diluuium, à Noè, & filijs eius poſt diluuium,nam poſt diluuium quaſi de nouo conditus mundus videtur fuiſſe: Secundò fieri potuit rerum diuiſio multiplicatis iam hominibus, electoquè per eos aliquo in Principem communem,cuius auctoritate bona illud vſque tempus communia inter eos diuiderētur. Tertiò fieri potuit ex communi hominum conſenſu eo pacto, quò Geneſ. 13. orto iurgio inter Paſtores Abraham, & Paſtores Loth, Abraham optionem dedit Loth, vt dextram, vel ſiniſtram ſibi eligeret, & per conſequens per conſenſum expreſſum,vel etiã tacitum hominum potuiſſe fieri diuiſiones, vel etiã ob non repugnantiam,quando in actu ipſo exercito homines diuidebant,& occupabant res alijs non repugnantibus,immò ad id conſentientibus.

MALLEATIO XIX.

De modo acquirendi Dominij rem alterius præſcriptione.

Quid ſit Præſcriptio?

BRACTEA I.

R. Qvod Præſcriptio eſt acquiſitio dominij vtilis,vel directi rei alienę per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei, ſpatio tamen temporis à lege definiti,in qua definitione tria ſunt. Primò acquiſitio dominij, quia ex præſcriptione aliquis fit dominus eius,quod ſuum non erat.Secundò dicitur rerum immobilium, quæ ponitur ad differẽtiam vſu capionis, quæ eſt mobilium. Tertiò ſpatio temporis, &c. quia tale dominium acquiritur per continuationem poſſeſſionis, ſiue per ſpatium temporis à lege præfiniti, vt infra dicetur. Deffinitur etiam à fine, & effectu,ius quoddã ex tempore continuæ poſſeſſionis rerum mobilium, & immobilium interdum Dominij vtilis interdum vtilis actionis aliquando legitimæ exemptionis cauſam tribuens ſic Hoſtienſ. *tit.de præſcript.rer.immobil.*

Sciendum præſcriptionem tripliciter accipi: Primò pro exceptione,& eſt quædam oppoſitio, quam quis opponit ad excludendam actionem intentam ab actore, quæ duplex eſt, vna dilatoria, qua quis opponit Iudicem non eſſe competentem, & teſtes eſſe infames, actorem excommunicatum,vnde hac oppoſitione,actio non omninò excluditur ſeu tribunal, aut perſona. Vnde dicitur declinatio fori:altera peremptoria eſt per quam actio omninò excluditur. Secundò accipitur præſcriptio pro exceptione peremptoria ex eo proueniente quod tempore legibus definito,rem aliquam poſſedimus, vel iure aliquo vſi ſumus, vel quod alius tali tempore ceſſauerit ab vſu alicuius iuris. Tertiò accipitur pro dominij acquiſitione, vel iuris alieni Eliſione ex tempore legis definito proueniente: hoc modo dicitur quis præſcribere domum, vineam agrum, ideſt eorum acquirere dominium: ſi primò modo accipiatur eſt oppoſitio aduerſus actionem actoris:ſi ſecundo eſt exceptio peremptoria contrà priorem dominum ex tempore legibus definito vim habens:ſi tertiò eſt acquiſitio dominij, vel alieni iuris, ſiue realis, ſiue perſonalis peremptio per continuationem temporis lege præfiniti.

Quid ſit vſucapio?

BRACTEA II.

R. Qvod vſu capio eſt acquiſitio dominij rei mobilis per continuationem temporis lege definiti. Ita habetur *leg.3.de vſucap.* quę definitio cauſaliter eſt intelligenda, quia eſt cauſa acquiſitionis dominij: formaliter videtur eſt poſſeſſio rei alienæ. Ita Leſſius *lib.2.cap.6.dub.1.num.3.*

Sciendum quod licet definitiones præſcriptionis, & vſucapionis inter ſe quaſi coincidant,tamen inter præſcriptionem, & vſucapionem eſſe differentiam: Primò, quia breuius tempus requiritur ad vſucapiendum, quam ad præſcribendum: Secundò vſucapio propriè habet locum in rebus mobilibus,præſcriptio verò in rebus immobilibus: res verò mobiles dicuntur quæ de loco ad locum moueri poſſunt, vt ſunt veſtis animalia, &c. res immobiles ſunt quæ de loco ad locum non ſe poſſunt mouere;ad res immobiles reducuntur etiam ſeruitutes, iura, & aliæ res incorporeæ. Ita Molina *diſp.68.* Clauis regia *lib. 9. cap.12.num.24.*

Quot conditiones requirantur ad præſcriptionem?

BRACTEA III.

R. Qvod ad præſcribendum plures requiruntur conditiones poſſeſſio continuata, titulus probabiliter præſumptus,bona fides, tẽpus à lege præſcriptũ. Primò requiritur poſſeſſio cõtinuata quia ſine poſſeſſione non datur præſcriptio. *regul.3. de reg.iur.& deſumitur ex l.ſine poſſ.ff. de vſucap.* & non ſufficit quęlibet poſſeſſio, ſed vt res poſſideatur nomine proprio. Vnde qui rem alienam poſſidet, v. g. depoſitum, vel commodatum,vel conductum, nullo modo poteſt præſcribere. Similiter etiam requiritur,quod res quæ proprio nomine poſſidetur ſit capax poſſeſſionis naturalis,& ciuilis,quia naturalis non ſufficit, ob defectum huius conditionis non poſſunt pręſcribi,primò,res furtiuę,quia tantum naturaliter poſſidentur, non autem ciuiliter. Simili-

Similiter quæ poſſideri non poſſunt, nec etiam poſſunt præſcribi. Vnde laicus non poteſt præſcribere loca ſacra, nec ius decimarum, nec cognoſcendi, nec iudicandi cauſas Clericorum, Eccleſiaſticarum, & alia iura Eccleſiaſtica. Nec etiam Religioſum poſſe præſcribere, vel vſu capere, cum non ſit capax poſſeſſionis, & per conſequens, nec præſcriptionis. Itá etiam fructuarius, feudatarius, emphyteota, Cõmendatarius, Conductor, & pignorator non poſſunt rei proprietatem præſcribere, aut rem capere, cum ſolum naturaliter eas poſſideant, non autem ciuiliter. Tum etiam, quia non poſſident nomine proprio, ſed nomine directi domini.

Sciendum non modo res corporales mobiles, ſeu immobiles poſſe, aut vſucapi, aut præſcribi, ſed etiam res incorporales, vt ſunt iura, ſeruitutes, actiones, & ſimilia *cap ad aures de præſcrip.* Silueſter *verbo præſcriptio*, Leſſius *dub* 10. Clauis regia *lib.*9. *cap.* 9. *num.*3. quæ verum prohibentur alienari non poſſunt pręſcribi. Silueſter *verbo præſcriptio num.*13. Secundò requiritur titulus probabiliter præſumptus.

Sciendum tamen s. titulum eſſe radicem, ſeu fundamentum, ex quo oritur dominium, & ius, qui titulus duplex eſt, verus, & præſumptus. Titulo verò transfertur dominium abſque præſcriptione, vnde titulo veræ emptionis, donationis, abſque præſcriptione transfertur dominium. Titulo præſumpto non transfertur dominium, abſque præſcriptione, vnde ſi quis accipit, vel emit ab aliquo, quem credit poſſe dare, vel vendere, putans ipſum rei donatæ, vel venditæ eſſe verum dominum, cum verè non ſit, illius rei non acquirit dominium, niſi media præſcriptione, occurrentibus tamen alijs conditionibus præſcriptionis cum adſit titulus præſumptus donationis, aut venditionis: vnde ad præſcriptionem ſat eſt habere titulum, quo accipiens credat rem alienam tradentem, aut vendentem eſſe verum dominum.

De neceſſitate acquiſitionis dominij non requiritur neceſſariò titulus, ſed ſolum, vt breuiori, aut longiori tempore res præſcribatur.

Tertiò requiritur bona fides ex *regul. iur.* 2. *in* 6. poſſeſſor malæ fidei non Præſcribit Couar. *in regul. poſſeſſor. part* 2. *§* 8. *num.*4. & omnes communiter. Ratio, quia nullus delinquens per ſuum peccatum, & per eius continuationem ex legis auctoritate acquirit præmium, bona fides eſt credulitas, quam quis ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſuam, vel ſaltem neſcit eſſe alienam, modo ignorantia non ſit craſſa, & affectata Leſſius *lib.*2. *cap* 7. *dub* 2. *num* 9. Lopez *cap.* 133. & alij, quia ſi ignorantia eſſet craſſa, vel affectata prudenter non ſibi perſuaderet.

Sciendum bonam fidem non modo debere eſſe in principio poſſeſſionis, ſed debere continuari toto tempore poſſeſſionis, quia ſi quis inceperit poſſidere bona fide, deinde factus eſſet poſſeſſor malæ fidei non cenſeretur præſcribere, cum non habuerit bonam fidem toto tempore requiſito. Quartò requiritur tempus à lege pręfinitum, quod vt dicetur varium eſt pro varietate rerum præſcribendarum.

Quid ſit magis neceſſarium ad præſcriptionem titulus, an bona fides?

BRACTEA IV.

Resp. magis neceſſarium bonam fidem, quam titulum, nam ſine bona fide non poteſt quis præſcribere, ſine titulo aliquando poteſt, nam titulus requiritur ſolũ ad præſcribendũ tẽpore præfinito, & ordinario, non verò ad præſcribẽdum tẽpore lõgiori, quare ſi ordinariè requiritur ad præſcribendũ cum titulo ſpatium decem, vel viginti annorum, ſine titulo requiritur ſpatium triginta annorũ, vel quadraginta, iuxta qualitatẽ rei quę præſcribitur, dummodo adſit bona fides. Ita communiter Doctores in *cap. ſi diligenti de præſcript.* teſte Menochio de *præſump. lib.*3. *præſumpt.* 131. Bonacina *diſp.*1. *de contract in particulari quæſt vlt. propoſ* 2. *num* 24. Vnde qui aliquid pręſcribit cõtra aliquam Eccleſiam tempore quadraginta annorum non tenetur probare, vel allegare titulum, ſed ſatis eſt, vt demonſtret eſſe in poſſeſſorio per quadraginta annos, idem de præſcriptione centum annorum contra Eccleſiam Romanam.

An Poſſeſſor dubitans rem eſſe ſuam poſſit illam præſcribere?

BRACTEA V.

R. Qui dubitat non cenſetur habere bonam fidem ad incohandam poſſeſſionem, requiſitam ad pręſcriptionem. Ita communiter Doctores. Ratio, quia bona fides requiritur tanquam fundamentum poſſeſſionis, & pręſcriptionis, & qui dubitat non cenſetur habere bonam fidẽ, cũ dubiũ ſit principiũ male fidei, & tollat bonã fidem: ſi verò dubium oriatur poſtquam res incepit bona fide poſſideri, non violat, nec interrumpit ipſam poſſeſſionem adhibita tamen diligentia ad aſſequendam veritatem. Ita *cap ſi virgo* 34 *quæſt.*1. Clauis regia *lib* 9 *cap* 12 *num.*15. Molina *diſp* 64 Ratio, quia adhibita ſufficienti diligentia dubitans dicitur bona fide poſſidere in dubio autem melior eſt conditio poſſidentis.

R. 2. Dubitans an res ſit ſua, & ſimul, an poſſit eam retinere, & tamen retineat, mala fide poſſeſſionem continuat. Vnde non poteſt præſcribere. Si verò adhibeat moralem diligentiam ad inquirendam veritatem, & ea facta maneat adhuc dubius, an res quam poſſidet ſit ſua, ſi dubium ſit æquale iuſtè poſſidet, nec per tale dubium interrumpitur pręſcriptio.

An qui rem alienam poſſidet cum ignorantia poſſit illam præſcribere?

BRACTEA VI.

Sciendum ignorantiam multiplicem eſſe, aliam iuris, & alteram facti: Ignorantiam iuris, aut eſſe iuris clari, aut iuris dubij: Ignorantiam iuris illam eſſe, qua quis ignorat ius, vt cum quis accipit aliquid à Religioſo, ſeu Prælato neſciens illis eſſe prohibitum alienare, aut in alienando requiri conſenſum Capituli, &c. dicitur habere ignorantiam

iuris : Ignorantia facti eſt quando quis non ignorat prohibitionẽ, ſeu ius prohibẽs, tamẽ ignorat tale factum in particulari eſſe prohibitum, vt ſi quis donatione, vel emptione aliquid à fure acceperit ignorans ipſum eſſe furem, ſciens tamen nihil poſſe à fure accipi, vel etiã ſimiliter ſi quis aliquid acceperit à pupillo ignorans ipſum eſſe pupillum, ſciens tamẽ nihil à pupillo poſſe accipi dicitur habere ignorantiam facti. Ratio eſt, quia ignorantia verſatur circa factum, nimirum circa pupillum. Similiter emens aliquid à minore, quem maiorem exiſtimabat, dicitur habere ignorantiam facti.

R. Ignorantiam iuris clari non ſufficere ad præſcribendum, etiamſi omninò ſit Inculpabilis. Ita omnes Doctores communiter. Ratio, quia ita ſancitum eſt iure, à quo inducta eſt præſcriptio *leg. iuris ff. de iuris, & facti ignorantia* & *leg. nunq. ff. de vſucapionib.* Vnde acquiſita contractu vſuratio, ab eo, qui credebat non eſſe contractum iniuſtum, ſed iuſtum, eo quod credebat mediocres vſuras poſſe exigi, non poſſe exactum per huiuſmodi contractum præſcribere, eo quod ignorantia iuris clari non ſufficiat ad præſcribendum. Ita ſi aliquid quis acceperit à Religioſo ignorans ipſum non poſſe donare, & ſi bona fide putet rem donatam poſſidere non poſſe illud præſcribere, cum ignorantia iuris clari non ſufficiat ad præſcribendum.

Sciendum 2. Quod etſi ignorantia iuris clari non ſufficiat ad præſcribendum rem donatam, vel emptam, ſufficit tamen ad præſcribendos fructus rei donatæ, vel emptæ, quia ignorantia circa fructus cenſetur ignorantia facti, quamuis Sanchez in *ſum. lib 2. cap 23. num* 167. Clauis regia *lib 9 cap. 12. num. 7.* Nauar. *lib. 1. conſilior. 6. de officio Iudicis*, Angelus *verbo præſcriptio*, & alij.

R. 2. Ignorantia iuris dubij non impedit præſcriptionem. Ita Pariſius in *cap. ſi diligenti*, Cardinalis Tuſcus *tom. 6. concluſ. 522.* Menoch. *lib. 3. reſol.* 130 & alij. Ratio, quia quando ius eſt dubium, adſunt hinc inde opiniones probabiles circa illud ius, & qui ſequitur opinionem probabilem non dicitur habere malam fidem.

Sciendum 3 Quod qui aliquid accepit ex contractu, de quo dubitat, an ſit licitus, vel non, poteſt acceptum retinere, & conſequenter præſcribere, ſi adſint ex vtraque parte opiniones probabiles de iuſtitia illius contractus. Molina *diſp. 64.* Clauis regia *lib. 9 cap. 12. num* 23. & alij.

R. 3. Ignorantiam facti prodeſse ad præſcribendum, vt colligitur ex *leg. nunquam ff. de vſucapionib.* Quod tamen intelligendum, modo non deſint aliæ conditiones requiſitæ ad præſcriptionem.

Sciendũ 4. Si aliquid acciperis à fure neſciẽs eſſe furem, quod acceptũ eſt bona fide poſſideri ex errore facti orta Similiter ſi emptione, vel donatione receperis aliquid à pupillo poſse emptum, vel donatum præſcribere, cum habeas ignorantiam facti ſufficientem ad præſcribendum. Item ſi à Prælato aliquid emeris putans in cõtractu venditionis concurriſse omnia requiſita, nimirum iuſtam cauſam, conſenſum, capitulum, cum non concurrunt eſt error facti, qui non impedit præſcriptionem, etiamſi capitulum non conſenſerit. Ratio, quia adeſt ſolum ignorantia facti, cum qua poteſt eſse præſcriptio.

An debitor, qui non ſoluit debitum à triginta annis poſſit illud præſcribere?

BRACTEA VII.

R. Debitorem qui ſpatio triginta annorum bona fide poſſedit ius non ſoluendi, & bona fide exiſtimauit ſe nihil debere, eo quod crediderit debitum ſolutum fuiſſe, aut condonatum, aut eo quod nihil omninò recordatus ſit in eo caſu poſſe debitum præſcribere. Ratio, quia debita rerum mobilium, aut immobilium præſcribi poſſunt ſpatio triginta annorum cum bona fide, *leg. ſicut in rem Cod. de præſcript. triginta vel quadraginta annorum*. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 7 num. 19. & 36.* Clauis regia *lib. 9. cap. 9 num. 10. & 25.* Em. Sà *verbo præſcriptio num. 7.* Couar, *regul. poſſeſſor. part. 2. §. 21. num. 4.* Antonius Bellonius *in deciſ. Rota deciſ. 203. num. 3.* Si tamen mala fide non ſoluit debitum non poteſt illud præſcribere, cum præſcriptio non ſuffragetur poſſeſſori malæ fidei, qui cum mala fide poſſidere incepit.

An res precario recepta poſſit præſcribi?

BRACTEA VIII.

R. Rem precario receptam nullo modo poſſe præſcribi *leg. cum §. is, qui rogauit ff. de præſcr. 30. annorum*. Ratio, quia ex actibus merè voluntarijs non inducitur præſcriptio, ideſt dum aliquis liberè, & non ex obligatione aliquid præſtat cum is in cuius fauorem operatur non ſit in poſſeſſione iuris ergà ipſum. Vnde Vaſſallus, aut ſubditus nunquam præſcribit contra dominum ius ſeruitiorum, ideſt angariarum, niſi interpellatus negauerit ea dare, cum enim in arbitrio, & voluntate mera Principis ſit, an angarias exigere velit, nec ne, non ideò præciſè, quia temporis diuturnitate non exiguntur alter in poſſeſſione immunitatis conſtituitur, ſæpè tamen præſumi poteſt renunciatio iuris, ſi oblata opportunitate exigendi nulla exactio fiat, & ob talem præſumptam renunciationem facilè eſt poſſeſſionem immunitatis incohare, idem ſi ab aliis exactio fiat, & è quibuſdam non fiat, præſumptio eſſe ſolet pro exemptione. Precarium eſt merè voluntarium, & ad beneplacitum, vt patet ex definitione ipſius Precarij, quod etiam debet dici de mutuo intra determinatum tempus mutui, extra verò ipſum tempus poteſt eſſe præſcriptio.

Sciendum ex actibus, qui iure amicitiæ, & familiaritatis fiunt poſſeſſionem non acquiri, vt in eo qui hortum, aut fundum amici ingreditur, vel ſimilem actum exercet leuandi cauſa animum, & iure amicitiæ, vt probat *text. in leg. qui iure 41 ff. de acquirenda poſſeſſion.* vt etiam qui hoſpitem iure amicitiæ ſæpius recepit, & Ruſticus, qui ſingulis annis ſolet ad amicum afferre par caponum. Ratio, quia hæc conſiſtunt in mera voluntate, & ideò præſcribi non poſſunt, *leg. proculus, ff. de animo infecto*, Couarr. *lib. var. cap. 9. num. 1. & 2.* Stephanus Gonzales *ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 5. §. 6. num. 37.*

Quanto tempore res mobiles vſu capiantur?

BRACTEA IX.

R. Ad vſu capiendum res mobiles cum titulo inter præſentes triennium, inter verò abſentes quadriennium cum titulo requiritur; ſiuè contra priuatum, ſiuè contra Eccleſiam, etiam Romanam. Ita *leg. vnica de vſucapionib.* & *inſtituta de vſucap.* Ad vſum capionem rerum mobilium, ſine titulo requiritur ſpatium triginta annorum, ſiuè ſit contra priuatum, ſiuè contra Eccleſiam etiam Romanam, & ita communiter Doctores. An laicus ratione conſuetudinis, vel præſcriptionis poſſit eſse immunis à ſolutione decimarum? Reſpondeo cum Layman. in Theologia morali *lib. 4. cap. 7. num 9.* Siluro 2.2. *quæſt 87. art. 1 concluſ. 5.* Facundes *præcept. 4. lib. 3. cap. 1. num 34.* Reginaldo *tom. 2. lib. 19. cap. vlt ſect. 3. quæſt. 4. num. 47.* & alijs citatis à Layman. affirmatiuè, quia immunitas à ſoluendis decimis etiam prædialibus tam à laicis, quam à Clericis cum bona fide vſu capi poteſt cum titulo annis quadraginta, ſine titulo tempore immemorabili in parte, & in toto; modo Eccleſiæ miniſtris ſufficiens ſuſtentatio ex alijs titulis ſuppetat. Rebuf. *tract. de decim diſp. 13. num 55.* Barbat. *volum. 3. conſil. 35.* Riccius *conſil. 142.* Socinus *lib 2. conſil. 297.* Pariſius *volum. 4. conſil. 25. n. 17.* contrarium aſſerunt exiſtimantes neminem poſse eximi præſcriptione à ſolutione omnium decimarum, ſed ſolum in partem. Sed prima ſententia tenenda eſt. Diana *tract. 5. Miſcel. reſolut. 77.*

Quantum temporis requiratur ad præſcriptionem immobilium?

BRACTEA X.

R. Ad præſcriptionem bonorum immobilium requiritur contrà priuatos ſpatium decem annorum, inter præſentes cum titulo, inter abſentes viginti. *leg. cum in longi Cod. de præſcript. longi temporis, inſtit. de vſu capionib.* & eſt communis ex Molina *diſp. 69.* longum tempus in hac materia dicitur ſpatium decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes: longiſſimum tẽpus triginta, vel quadraginta annorum.

Sciendum eos dici præſentes, qui habitant in eadem Ciuitate, vel in eadem Prouincia, vel in eadẽ Regni parte, abſentes verò eos, qui in diuerſis Ciuitatibus, vel in diuerſis Prouincijs, Regnis, ſeu Territorijs commorantur. Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 8.* Clauis regia *lib. 4. cap. 12. n. 26.*

Sciendum 2. Quod ſi quis poſtquam ſeptem annos habitauit in aliqua Prouincia, Regno, ſeu Territorio, & poſteà egrediatur habitaturus alibi, neceſſe eſt ad res immobiles præſcribendum decennio, vt denuò ibi habitet ſex annos, quia illi tres anni, qui ſuperant ad complendam præſcriptionem debent ratione abſentiæ multiplicari. *leg. quod ſi quis cap. de præſcript. longi temporis*, quia vnus annus præſentiæ æquiualet duobus abſentiæ. Silueſter *præſcript.* 1. *quæſt. 7.*

Sciendum 3. quod in præſcriptione requiritur titulus, non tamen ſemper requiritur, cum titulus requiratur ſolum ad præſcribendum tempore definito, & ordinario, vt in ſpatio decem annorum, vel viginti. Quando verò agitur de præſcriptione annorum triginta, vel quadraginta; ordinariè non requiritur titulus neque de iure ciuili, neque de iure canonico, ſed ſola ſufficit bona fides cum poſſeſſione tanti temporis. Ita Doctores communiter in *cap. ſi diligen. de præſcript.* Vnde priuatus, qui aliquid præſcripſit contra Eccleſiam ſpatio quadraginta annorum, non tenetur allegare, vel probare titulum, modo iuris communis præſumptio non ſit contra præſcribentem, quia ſi præſumptio iuris cõmunis ſit contra præſcribentem, neceſſe erit allegare, & approbare titulum aut ſaltem oſtendere tempus immemorabile poſſeſſionis rei, quia cum tempore immemorabili præſumitur titulus eſſe. Silueſt. *verbo præſcriptio 1. num. 2.* Em. Sà *verbo præſcript. num 3.* & alij.

Sciendum 4. præſcriptionem nullum definitum tempus annorum requirere; ſed ſatis eſſe per teſtes probari quod ſemper viderint, & audierint ita eſſe, neque contrarium ſuſpicari, & quod ſemper fuit communis opinio ac fama de tali facto, neque extet contrarij, ac initij memoria. Vnde de eſſentia immemorabilis præſcriptionis ſatis eſt, quod eius initium per teſtes probari non poſſit, nec per viſũ nec per auditum. Contrà pupillum nulla datur præſcriptio, ſiue mobilium, ſiue immobilium. Ita *leg. ſicut in rem cap. de præſcriptionib.* & Nauarr. *lib. 2. conſil. vltimo de præſumptionib.* Ratio, quia ad præſcribenda bona immobilia Eccleſiæ Romanę, ſiue inter abſentes, ſiue inter præſentes, ſiue cum titulo, ſiue ſine titulo requiruntur centum anni. Ita habetur, *cap. ad audientiam*, & tradit Molina *diſput. 32.* & C. uar. in *regul. poſſeſſor. pun 2. §. 2. num 6. de regulis iuris.* Alterius vero Eccleſiæ, vel hoſpitalis, vel Monaſterij, vel cõtrà piam cauſam anni quadraginta ſufficiunt ſiue inter præſentes, ſiue inter abſentes. Molina *loco cit.* Ita communiter omnes Doctores, *cap. ad aures de præſcriptionibus*, & *authentica quas actiones de ſacroſanct. Eccleſ.*

Sciendum tamen 5. quod, licet Eccleſijs, & locis pijs conceſſum ſit illis non poſſe aliquem præſcribere, niſi ſpatio quadraginta annorum, & contra Eccleſiam Romanam ſpatio centum annorum, Clerici non gaudent tali priuilegio, cum Clerici, & eorum bona connumerentur inter perſonas priuatas in illo caſu, cum hoc priuilegium ſit ſolum conceſſum Eccleſijs, & locis pijs non cenſetur conceſſum Clericis, niſi in ordine ad bona Eccleſiaſtica, quæ poſſident.

Quanto tempore præſcribantur debita, actiones, hypothecæ, legata fideicommiſſa, & ſeruitutes?

BRACTEA XI.

R. Primo debita rerum mobilium, & immobilium cum bona fide præſcribuntur annis triginta cõtra creditores, & excluditur actio ad ea petẽda, niſi aliquid particulare, *lege municipali ſancitum ſit; num 15.* Ita ex *leg. ſicut in rem cap. de præſcript. triginta, vel quadraginta annorum.* Vnde debitor, qui triginta annis bona fide exiſtimauit ſe nihil debere, in eo caſu poteſt debitum præſcribere. Ita plures citari à Bonacina de præſcriptionibus.

Sciendum tamen requiri bonam fidem, quia mala fide debitum non poteſt præſcribi, cum ſemper mala fides pro debitore interpellet.

R. 2. Si res hypothecata poſſideatur à debitoribus, vel hæredibus eius actio hypothecaria, quam creditor habet, niſi ſpatio quadraginta annorum

poteſt præſcribi, requiritur tamen bona fides in debitore, qua credat ſe nihil debere; ſi verò poſſideatur ab eo, qui non eſt debitor, nec hæres eius, præſcribitur decennio inter præſentes, & viginti annis inter abſentes. Ita *leg. cum notiſſimum §. de praſcript. triginta annorum*, & *leg. 1. & 2. Cod. ſi aduerſus creditorem.*

Sciendũ 2. quod ſi res hypothecata non poſſideatur à creditore, vel ab eius hæredibus, ſed ab alijs, vt ſi fuit vẽdita ei, qui ignorabat hypothecatã præſcribi inter præſentes ſpatio decem annorum præſcribi, inter abſentes verò ſpatio viginti annorum. Ita *leg. cum notiſſim Cod. de praſcript. triginta annorum*, Couar. ad *regul. poſſeſſor. 3. par. §. 3.*

R. 3. Ad præſcribendum legata, & fideicommiſſa contra legatarium, & fidecommiſſarium requiruntur triginta anni. Ita ex *leg. vlt. cap. com. à de legatis*, omnis actio, ſiue accuſatio criminis decurſi tollitur viginti annorum ſpatio à die commiſſi criminis. Ita *lege querela*, ſed de falſis, licet non extinguatur ius Iudicis, quo ex officio poteſt procedere contra infamatum.

R. 4. Seruitus merè temporalis, quæ debetur perſonæ à perſona nunquam præſcribitur. Ita *leg. fin. cap. de longi. temporis praſcriptione.*

Sciendum tamen 3. quod licet nunquam præſcribatur ſeruitus merè perſonalis, tamen ſeruus poteſt præſcribere ſuam libertatem, ſi ſpatio viginti annorum putaret bona fide eſſe liberum. Seruitus mixta, quæ debetur à re perſonæ, vt eſt vſusfructus, cum titulo inter præſentes præſcribitur ſpatio decẽ annorum, inter abſentes verò ſpatio viginti annorum, ſine titulo ſpatio annorum triginta. Ita *leg. fin. cap. de praſcript.*

Sciendum 4. quod ſi quis cum non eſſet verus Dominus alicuius fundi, v.g. vineæ, vel domus alicui concedit vſumfructum, qui bona fide per decem annos poſſedit dicto tempore eos præſcribere, ita vt ad vitam, vel ad tempus conſtitutum poſſit eos retinere, etiamſi conſtet poſtea illum non potuiſſe cõſtituere vſusfructus; ſi Dominus erit abſens requirũtur viginti anni, & ſi ſine titulo, ideſt neſciat, qua ratione eas poſſideat, triginta anni requiruntur cum bona fide, & ſic ad vitam, vel ad determinatum tempus poterit eos poſſidere.

R. 5. Quod ſeruitus ruſticana, quę nõ vſo amittitur extinguitur decem annorum ſpatio inter præſentes, & viginti inter abſentes. Ità *leg. penult. C. de ſeruitutib.*

Sciendum 5. differentiam eſſe inter ſeruitutem vrbanam, & ruſticam, quia ruſticæ ſeruitutes extinguũtur per ſolum non vſum, vt v. g. ius itineris agendi, iumenta ducandi, &c. iuſducendi aquam per prædium alterius, fodiendæ arenæ, amitti ſolùm per non vſum per decennium inter præſentes, inter verò abſentes ſpatio viginti annorum: vrbanæ autem ſeruitutes non amittuntur ſolùm non vſu, ſed requiritur, vt poſſeſſor loco debentis ſeruitutem aliquid faciat bona fide, quo incipiat vſurpare ſuam libertatem, vt v.g. ius immittendi lignum ad parietem alterius, ſi lignum eximas, & poſſeſſor nihil faciat, quo impediat, ne lignum non immutatur, non perditur ius, ſed ſi ille foramen obſtruat, & per decem annos non vtatur iure ſuo, ſunt temporis, amittitur ius immittendi denuò lignum in parietem.

Quantum temporis requiratur, vt conſuetudo præſcribat contra legem?

BRACTEA XII.

SVPPONO conſuetudinem poſſe præſcribere contra ius, illudque tollere, & nouam obligationem inducere, modò ſit rationabilis, & legitimè præſcripta.

Sciendum tres eſſe effectus conſuetudinis: primus interpretari legem; ſecũdus legem inducere: tertius legem inductam mutare, & abrogare, licet plures requirantur conditiones, vt poſſit mutare, & abrogare legem; prima vt id, quod per conſuetudinem introducitur, poſſit eſſe materia legis. Vnde contra ius naturale, aut Diuinum nihil poteſt per conſuetudinem contra introduci, quia materia huius conſuetudinis eſſet mala, vt contraria iuri naturæ, & Diuino; ſecunda vt introducatur per actus voluntarios: tertia vt introducatur ab ijs, qui legem ſeruare tenentur: quarta vt adſit intentio eximendi ſe à lege: quinta vt maior pars illa inducat; ſexta vt introducatur ab ijs, qui legem cõdere poſſunt, vel habent capacitatem actiuam condendi legem, vel paſſiuam recipiendi legem interueniente aliquo ſuperioris conſenſu: ſeptima vt conſuetudo ſit longæua: octaua vt adſit tacitus, vel expreſſus conſenſus Principis. His poſitis.

R. Spatium decem annorum eſt ſufficiens ad præſcribendum contra legem ciuilem Ita Angelus *verbo conſuetudo num. 8. & 9.* Silueſt. *verbo conſuetudo*, Nauar. *lib. 1. conſilior. tit. de conſuet.* ſecuti Panormitanum in *cap. vlt. de conſuetud. num.* 11. Ratio, quia ad introducendam conſuetudinem ius ciuile requirit longum tempus: ſpatium decem annorum cenſetur longum tempus. *Cap. de praſcript. long. temp.* Secundò ad præſcribendum contra legem Canonicam requiritur ſpatium quadraginta annorum. Ratio, quia tale ſpatium requiritur à iure ad præſcribendum contra Eccleſiam, & leges Eccleſiaſticas; ergò, &c.

Sciendum 2. quod ad hoc, vt introducatur præſcriptio contra legem Canonicam neceſſe eſt, vt per illud tempus ſubditi non ſeruauerint legem bona fide, ita vt non ſeruando non peccauerint, alioquin contra eam non præſcribunt. Quod ſi lex Canonica nondum ſit recepta moribus vtentium, decennium ſufficit ad eius præſcriptionem. Nauarr. *loco cit.* quia lex non recepta moribus vtentium non obligat.

Sciendum 3. conſuetudinem aliquando eſſe contra legem Canonicam, quæ conſiſtit in frequentis actibus contra ipſam: alia præter legem, quæ conſiſtit in frequentatione actuum, qui nulla lege vetantur. Quando verò conſuetudo non eſt contra legem Canonicam, ſed tantum præter; ad eius præſcriptionem ſufficiunt decem anni, ſicut ad præſcriptionẽ contra legem ciuilẽ, quia in his, quæ non ſunt cõtra ius, ad præſcribendum non requiritur maius tempus, iure Canonico, quam ciuili. Suarez *cap. 15. n. 3. & cap. 8. n. 7.*

Sciendum 4. conſuetudinem non valere, qua quis habeat in eadem Eccleſia; duas dignitates, vel perſonatus, vel præpoſituras, vel duo officia; etiamſi cõſuetudo eſſet iurata, & immemorialis, quia iuramẽtum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Secundò conſuetudinem non valere, qua appallatur ab officiali Epiſcopi ad Epiſcopum. Viuianus *in rationali lib. 1. pag. 89.* Alagona *in compendio pag. 35.* Sbroz. *de Vicario Epiſcopi lib. 1. quaſt. 22. num. 8.* Germon. *lib. 1. animaduerſionum iuris cap. 7.* Tertiò cõſuetudinem præſcriptam,

quod

quod Epiſcopus in inquirendo, puniendo, & corrigendo ſubditorum exceſſus ſui capituli conſilium requirere teneatur validam eſſe. Viuianus *loco cit.* Alagona *pag.* 36. & alij.

Quæ res non poſſint præſcribi?

BRACTEA XIII.

R. Plura eſſe quæ iure non poſſunt præſcribi, ſeu vſu capi: primò res furtiuas, ſeu vi poſſeſſas nullo tempore poſſe præſcribi, niſi bona fide poſſeſſæ fuerint, cum præſcriptio bonam fidem requirat. Secundò ſubditi non poſſunt præſcribere aduerſus Prælatum ne viſitētur. Tertiò à laico non poſſe præſcribi res Eccleſiaſticas, & ſacras, aut iura ſpiritualia, & Eccleſiaſtica, cum hæc poſſideri ab ipſis non poſſint. Similiter non poſſe præſcribi ius cognoſcendi cauſas Clericorum, & Eccleſiarum, nec ius decimarum, oblationum, primitiarum, & alia iura ſpiritualia. Quartò, quæ alieno nomine poſſidentur non poſſe præſcribi, vt Precarium, commodatum, cōductū, pignus, res emphiteotica, licet à ſucceſſoribus particularibus, quibus titulo legati donati &c. obtigeriut ſpatio triginta annorum poſſint præſcribi. Quintò hominem liberū non poſſe præſcribi, vt fiat ſeruus. Sextò iuſpatronatus non poſſe à laico præſcribi, dummodo conſtet Eccleſiam habuiſſe tale iuſpatronatus cum iuſpatronatus ſit Eccleſiaſticum, & ſpirituale, nec poſſit præſcribi à laico abſquè priuilegio, ſpatio autem decem annorum poteſt laicus, ſi iuſpatronatus ſit laicalis præſcribere contrà alium laicum inter præſentes, inter verò abſentes viginti cum titulo, & ſine titulo triginta annorum ſpatio. Molina *tract.* 2 *diſp.* 70. Res incorporales, vt ſunt ſeruitutes, iura, actiones, &c. præſcribi poſſunt, niſi aliquid ſit ſpecialiter prohibitum, vt exemptio ab obedientia ſuperioris, viæ publicæ, res publicæ, vt forum, limites, eparcaniorum, & ſimilia, nec valet præſcriptio contra eū, qui adeò impotens eſt, aut impeditus, vt rem ſuam in iudicio petere non poſſit. Vnde contrà mente captum non eſt præſcriptio, contrà minorem ante viginti quinque annos, contra filium ſub poteſtate Patris exiſtentem, & denique contra omnes, qui habent legitimam cauſam, ſeu impedimentum ne cōtra poſſeſſorem agant.

3. Sciendum illum poſſe præſcribere, qui poteſt poſſidere: filiusfamilias cum poſſit poſſidere bona caſtrenſia, & quaſi Caſtrenſia, poteſt etiam ea præſcribere, aduentitia poteſt ſolum quoad proprietatem, non autem quoad vſumfructum poſſidere; pupillus, & infans ſi auctoritate Tutoris inceperit poſſidere, poterit etiam præſcribere, & ſi erit rationis compos poterit vſu capere etiam ſine Tutoris auctoritate, quia Pupillus quantum ad acquirendum non eget Tutore. Furioſus ſi dum rationi compos eſt, cæperit bona fide rem alterius poſſidere vſu capiet in furore, cum per furorem non deſinat poſſidere, dum verò vſu rationis caret, non poteſt vſu capere, niſi cæperit poſſidere Tutoris auctoritate. Similiter ſeruum non poſſe præſcribere, quia non ſibi, ſed domino acquirit.

An Princeps per præſcriptionem poſſit acquirere ius conferendi beneficia?

BRACTEA XIV.

SCiendum quod, vt conſuetudo valeat debet eſſe legitima, & præſcripta conſuetudo præſcribere nō poteſt quoties ſubiectū eſt incapax illius rei, quæ per conſuetudinem induci præſumitur. Cum ergo laici incapaces ſint iuriſdictionis ſpiritualis, & Eccleſiæ ex *cap. cauſam de præſcriptione*, ſequitur illos non poſſe acquirere hanc iuriſdictionem per conſuetudinem: idcircò.

R. Non poſſe Principem per præſcriptionem acquirere ius conferendi beneficia etiam per tempus immemorabile. Ratio, quia laici incapaces ſunt iuriſdictionis ſpiritualis. Ita Cardinalis Tuſc. *tom.* 4 *concluſ.* 452. *num.* 28. vt igitur Principes beneficia conferant requiritur priuilegium, nec ſuffragatur vlla conſuetudo, aut præſcriptio, etiamſi eſſet immemorabilis, cum perpetua tolerantia Papæ, cum hæc tolerantia ſit potius conniuentia, ſeu patiētia, quæ nunquam inducit diſpenſationem in ijs, quæ ſūt contra iuris diſpoſitionem, vt ex textus in *cap. iam dudum de prebendis*.

An ſi elapſo tempore ad præſcribendum dominus reperiatur is, qui rem habet poſſit illam in conſcientia retinere?

BRACTEA XV.

R. Eſſe communem Doctorum ſententiam poſſeſſorem bonæ fidei legitimo præſcriptionis tempore elapſo poſſe tuta conſcientia rem poſſidere, & ſi poſteà dominus rei inueniatur non obligari illam reſtituere. Ratio, quia per poſſeſſionem cum bona fide, & titulo acquiſiuit dominium in rem. Tum etiam, quia dominium illius rei tanto tempore cum bona fide, & titulo poſſeſſæ in poſſeſſorem à iure tranſlatum fuit. Vnde ad bonum publicum introducta eſt à iure vſu capio, ſeu præſcriptio, ne diu eſſent incerta dominia rerum, cū ſufficeret domino ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium. Eſt concluſio definita à Summis Pontificibus Alexandro tertio *cap. vigil.* Bonifacio octauo in illa regula *poſſeſſor malæ fidei*, Innocentio tertio in Concilio Lateranenſi in *cap. fin. de præſcript.* & S Thom. *lib* 12. *art.* 24. ait ſi quis præſcribat bona fide poſſidendo, non tenetur ad reſtitutionem, & ſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem, quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare. Sed Scotus in 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. Caiet. in *ſumm. verbo præſcriptio*, Valentia *tom.* 3 *diſp* 5 *quæſt.* 6 *pun.* 5. Couar. in *regul poſſeſſor* §. 2. *num* 122. Adrianus in 4 *quæſt. de præſcript* §. 14. Raymundus in *ſumm.* exiſtimant poſſidentem aliquam rem, ſi dominus inueniatur etiam elapſo legitimo tēpore præſcriptionis eſt foro conſcientiæ obligari ad reſtitutionem, cum ceſſet bona fides, quæ eſt fundamentum præſcriptionis, ſed reſpondeo bonam fidē eſſe fundamentum præſcriptionis antequam Dominium priuilegio legis acquiratur, malam fidem verò ſuperuenientem præſcriptioni nihil obſtare præſcriptioni iam peractæ, neque illam reuocare.

An contra non negligentem Dominum, poſſit legitimè præſcribi?

BRACTEA XVI.

R. Osilla *verbo præſcript.* Antonius de Butr. *cap. vigilanti*, vt refert Siluester *verbo præſcriptio. §. 13.* negatiuam ſententiam tenent. Eorum fundaméta ſunt, contra ius naturæ eſſet priuare aliquem ſuo dominio abſque culpa, & Adrianus eũ confirmat dicens, quia cum culpa non petendi, nõ fuit mortalis, ceſſat cauſa præſcribendi: iuxtà Axioma ceſſante cauſa legis ceſſat ſubinde eius ius, & obligatio, at cauſa priuandi aliquem dominio ſuæ rei eſt culpa domini negligentis rem ſuam petere, ergo illa ceſſante quia dominus rei non fuit negligens, ceſſat præſcriptionis cauſa, atque adeò poſſeſſor bonæ fidei tunc non præſcribet. His tamen non obſtantibus.

R. Qui bona fide præſcripſerit ſiue dominus fuerit negligens, ſiue non, tutus manet in conſcientia, quamuis tranſacto præſcriptionis tempore compererit rem eſse alienam, quam bona fide poſsedit. Ita D.Thom. *quodlib. 12. art. 15.* Scotus in 4. *diſt. 15.* Sotus de *iuſtit. & iure lib. 4. quæſt. 5. art. 4.* Siluester *verbo præſcriptio* §. 13. & alij. Ratio, quia tranſacto tali tempore determinato à iure transfertur dominium rei in alium, etiam abſque cauſa, vt tollatur error lõgi temporis, & certa ſint dominia, & ob bonum publicum tale ius præſcriptionis à iure conditum fuit; vnde ceſsante culpa domini, etiam lex præſcriptionis ius tribuit in conſcientia, & ex his patet reſponſio ad rationes oppoſitas.

An hæres validè præſcribat ea, quæ mala fide poſſidebat defunctus?

BRACTEA XVII.

R. Vel qui ſuccedit, eſt hæres vniuerſalis, vel eſt tantum ſucceſſor in re aliqua particulari, qui dicuntur hæredes particulares, ſeu legatarij, ſi eſt hæres immediatus, & vniuerſalis, qualis eſt filius, reſpectu Patris nullo tempore pręſcribit, iuxta probabiliorem Doctorum ſententiam, quamuis bona fide ſuccedat, & ignoret malam fidem defuncti anteceſſoris, nec computatur tempus quo anteceſſor mala fide poſſedit, *L. cum hæres*. Ratio, quia hæres cenſetur vna perſona cum defuncto; ſicut autem defunctus non potuit præſcribere ob malam fidem, ita nec hæres. Si verò hæres non ſit immediatus, & vniuerſalis, ſed particularis validè præſcribit, dummodo habeat bonam fidem. Vnde legatarius validè præſcribit rem ſibi legatam, modo non computetur tempus, quo defunctus anteceſſor mala fide poſſedit. *Inſtit. de vſucapionib. §. inter venditor, & §. furtiuè.* Quod dicendum eſt etiam de eo, qui bona fide ſuccedit venditori in re empta, aut donatori in re donata, cum ſolum dicatur ſucceſsor in re particulari. Molina *diſp. 79.* Azor. *3. part. lib. 1. cap. 18. quæſit. 7.* Rodriquez 2 *part. cap. 23. num. 2.* Couar. *regul. poſſeſſor part. 2. paragr. 6. num. 105.* Sanchez in *ſum. lib. 2. cap. 23. num. 154.* Siluester *verbo præſcrip. num. 8.* Beroius in *cap. grauis de reſtitut. ſpoliator. num. 38.* Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 13.* Clauis regia *lib. 9. cap. 12. num. 38.*

Secundò, quod quandò quis bona fide incohauit præſcriptionem, nec conſumat, nec potuit, eo quod morte præuentus fuit ſucceſsor, tam vniuerſalis, quam in re particulari, poterit ſibi cõputare tempus, quo ſuus prędeceſsor poſsedit eam ad ſuam perficiendam præſcriptionem. Ita Molina *diſp. 65.* & alij.

Tertiò, quod ſi ſucceſsor rei furtiuæ rem cum bona fide alteri vendit, emptor illius bona fide ſpatio triginta annorum, aut quadraginta poteſt præſcribere, non computando annos poſseſſionis teſtatoris, qui cum mala fide poſſideret, non potuit præſcribere. Verum ſi emptor emit bona fide ab hærede vniuerſali vendente mala fide poteſt etiam præſcribere, quia licet mala fides teſtatoris nóceat ſucceſsori, non nocet tamen ementi. Molina *diſp. 65.* Lopes 1. *part. cap. 133.*

Quartò, legitimam præſcriptionem non ſolum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ excuſare à reſtitutione. Ratio eſt, quia poſſidens rem alienam per continuationem temporis à lege præfiniti facit illam ſuam, & nullus ad reſtitutionem tenetur rei cuius habet dominium. Ita Salonius 2. 2. *quæſt. 5. art. 7.* Silueſt. *verbo præſcript. 1. num. 13.* Clauis regia *cap. 7. num. 5. & 34.* Lopes 1. *part. cap. 133.* Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 9.* Molin. *diſp. 70.* & alij.

Quando præſcriptio dicatur non procedere, ſed dormire?

BRACTEA XVIII.

R. Tunc præſcriptionem dici non procedere, quando non incipit, vel quia deeſt poſseſſio ciuilis, vel titulus, vel bona fides, vel quia res non poteſt alienari lege reſiſtente, vt fundus dotalis, bona aduentitia filij familias. Ita Couarr. *regul. poſſeſſor. paragr. 12.*

Secundò, tunc præſcriptio dicitur dormire, quando incohata aliquanto tempore ceſset, ita vt illo pręterito continuari poſſit cum primo, ſic dicitur dormire tempore belli, quando ius non dicitur, vel homines diffugiunt in aliud territorium. Secundò quãdo Eccleſia caret actore ceſſat contra Eccleſiam: Tertiò quando is, contra quem præſcribitur non poteſt agere, vt eſt filius familias, pupillus durante ætate pupillari.

Tertiò, Quę pręſcriptionẽ dici interrũpi q; poſt quã eſt incohata, ita ceſſat, vt etiam ſi rurſus deinde incipiat non continuetur cum priore, ſed neceſse ſit denuò percurrere totum tempus perquiſitum ad præſcribendum, quę præſcriptio dupliciter dicitur interrumpi: Primò naturaliter, quando incipit deeſse bona fides, titulus, vel poſseſſio: Secundò ciuiliter quando per aliquem actum iuridicum interpellatur, vt per litis conteſtationem, citationem, &c. Silueſter *verbo præſcript. 2. num. 7.* Couar. *regul. poſſeſſ. part. 2. §. 12.* Molina *diſput. 78.* & alij.

Quibus concedatur aduerſus præſcriptionem reſtitutio in integrum?

BRACTEA XIX.

Sciendum reſtitutionem in integrum eſse remedium, quo finita præſcriptione prior dominus poteſt auctoritate Iudicis rem ſuam vindicare, & poſſeſſionem rei iniuſtę habere. Quo poſito.

R. Hoc remedium: Primò concedi minoribus ætate

tate

rate quadrennio poſt completum vigeſimum quintum annum, hoc eſt vſque ad vigeſimum nonum. *leg. vnica, C. ſi aduerſus vſucapion.* Secundò conceditur Eccleſijs, & locis pijs, etiamſi præſcriptio ſit quadraginta annorum. Molina *diſp.* 80. Tertiò conceditur eis, qui Reipublicæ cauſa abſentes ſunt, vel in vinculis hoſtium, hoſtiumque poteſtate conſtituti, vel alio legitimo impedimento detenti, quò minus res, vel iura ſua, dum contra eum vſucapio currebat, peteret, Prætoria æquitate in integrum reſtituendus eſt iuxta *legem primam ff. ex quibus cauſis maiores*, & *leg. vlt. C. de tempor. in integrum reſtituendis*, vbi quadriennii continui ſpatium conceditur numerandum à die ceſſantis impedimenti.

MALLEATIO XX.

De Regulis iuris Canonici, Ciuilis, &c. Quæ citantur, & explicantur.

De Regulis iuris Canonici.

BRACTEA I.

REGVLA 1. Beneficium Canonicum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonica obtineri: vnde qui beneficium Eccleſiaſticum ſine canonica inſtitutione obtinet non dicitur verè, & licitè illud obtinere. Ita ex *cap. 3. de inſtitut.* & ex *cap. relatum 21. de Imperator.*

Reg. 2. Poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit, cum ad præſcriptionem acquiratur bona fides. Dicitur nullo tempore, quia nec etiam immemorabili.

Reg. 3. Præſcriptio non procedit ſine poſſeſſione, vt alibi dictum fuit, & deſumitur, ex leg. *ſine poſſeſſione ff. de vſucap.*

Reg. 4. Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum, quia reatus ad pœnam æternam, qui conſurgit ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ non aliter admittitur, quam ſi id, quod verè, aut virtualiter ablatum eſt reſtituatur, ex *S. Auguſtino Epiſcop. epiſt. 54. ad Maced.*

Reg. 5. Peccati venia non datur, niſi correcto. Verum ſciendum, quod peccatum in hac regula ſumitur pro reatu ad pœnam æternam, qui non dimittitur, niſi per reſtitutionem. Deſumitur, ex *cap. legat. 24. quæſt. 2.*

Reg. 6. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. Impoſſibile in hoc caſu dicitur, quod inſpecta humana potentia fieri nequit ab vllo mortali, ſiue quia natura impedit ne fiat, &c. & ita, ex *leg. ſi quis in graui.*

Reg. 7. Priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. Quæ regula facit, vt priuilegium, quod parentibus conceditur non tranſeat in filios, vxorem, &c. ex *leg. in omnibus.*

Reg. 8. Semel malus ſemper præſumitur malus: ideſt in eodem genere mali, ex *leg. filius*, in dubijs verò quilibet præſumitur bonus, & non malus.

Reg. 9. Ratum quis habere non poteſt, quod eius nomine non eſt geſtum, ex *leg. ſi pupil. 6. paragr. ſed ſi ego.*

Reg. 10. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato, non eſt dubium comparari. Verum duo requiruntur, vt hæc regula locum habeat; primùm quod quis ratum habeat tanquam geſtum ſuo nomine, ſecundùm, quod ratihabitio fiat eo tempore quo actus principalis, de cuius ratihabitione agitur, fieri potuiſſet, ex *leg. ſi fund. 16. §. 1. de pignor.*

Reg. 11. Cum ſunt partium iura obſcura, Reo fauendum eſt potius, quam actori, ideò data paritate probationum ex parte actoris, & rei, ſententia eſt ferenda pro Reo, ex *leg. fauorabilior.*

Reg. 12. In Iudicijs non eſt acceptio perſonarum habenda, quia in iudicio acceptare perſonam eſt honorare. Deſumitur ex *prouerb. cap. 18.*

Reg. 13. Ignorantia facti non iuris excuſat, & quæ ſit ignorantia facti, vel iuris dicitur alibi.

Reg. 14. Cum quis in ius ſuccedit alterius, iuſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere. Vnde ſubrogatus motu proprio in lite ab altero recepta, præſumitur ignorare ſententiam contra ſuum anteceſſorem latam, *leg. qui in alterius ius 43.*

Reg. 15. Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari, *leg. cum quidam ff. de liber.* Odium in hac regula non accipitur formaliter, prout importat appetitum diſſonantem à charitate: Sed accipitur latius, prout ſignificat tedium, & moleſtiam.

Reg. 16. Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe perpetuum, quia Princeps intendit beneficium perfectum, & firmum conferre, vt ita plenior, ſit liberalitas, ex *cap. ſi ſuper gratia 9. de officio Delegati.*

Reg. 17. Inductum à iure beneficium non eſt alicui auferendum. Vnde beneficia alicui conceſſa non poſſunt inuito temerè per inferiorem auferri. Deſumpta ex *leg. 1. v. nec enim ff. de ferijs.*

Reg. 18. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit, ex *leg. quod initio 30. leg. culpa, & cap. tua.*

Reg. 19. Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet ſe immiſcet. Vnde culpabiles ſunt illi, qui abſque competenti peritia artis ſe intermiſcent officio non pertinente ad eoſdem.

Reg. 20. Nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur, ex *leg. is, qui ſ. & leg. nemo, ff. de excep.* Poteſt enim reus ad ſui defenſionē multiplicare titulos ſui iuris.

Reg. 21. Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt, ex *leg. ſicut C. de actionibus, & de oblig.*

Reg. 22. Non debet alter alterius odio prægrauari, cum nullus debeat damnum pati ex pacto, contractu, vel odio alterius. Deſumitur ex *leg. non debet alteri 75. & ex leg. factum 197.*

Reg. 23. Sine culpa, niſi ſubſit, non eſt aliquis puniendus, quia vbi culpa deficit ceſſat ratio medicinæ, ex *leg. ſi putatur ad leg. Aquiliam.*

Reg. 24. Quod quis mandato facit Iudicis dolo facere non videtur, quia agens ex mandato ſuperioris, cui parere tenetur, præſumitur facere ex neceſſitate obedientiæ, ex *leg. non videtur 128. §. qui iuſſu.*

Reg. 25. Mora ſua cuilibet eſt nociua, cum mora quoad ſuos effectus nocere debeat moroſo, niſi per legitimam purgationem ex iuris æquitate liberetur, ex *leg. in condemnat. 133. §. vnicuique.*

Reg. 26. Illa quæ fiunt à Iudice, ſi ad eius non ſpectant officium in rebus non ſubſiſtunt, ex *leg. factum à Iudice 132.*

Reg. 27. Scienti, & conſentienti non fit iniuria, nec dolus, quia iniuſtitia non fit, niſi ei, qui ab alio illatam non patitur, ex *leg. nemo videtur 187.*

Reg. 28. Quæ à iure communi exorbitant nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. Vnde extenſio in exorbitantibus regulariter non fit, ex *quod contra rationem.*

Reg.

Reg. 29. Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari, ex *leg. 1. & vlt. Cod. de auctor. præſt.*

Reg. 30. In obſcuris minimum eſt ſequendum, ex *leg. ſemper in obſcuris.*

Reg. 31. Eum qui certus eſt certiorari vlterius non oportet, ex *leg. 1. ff. de actionib. emp.*

Reg. 32. Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit, quia actor, & reus ſunt correlatiui, ex *leg. non debet.*

Reg. 33. Mutare Conſilium in alterius detrimentum quis non poteſt, quæ regula intelligenda eſt vbi ex conſilio alicui eſt ius quæſitum, ex *leg. nemo poteſt mutare.*

Reg. 34. Generi per ſpeciem derogatur, *ex leg. in toto iure* 81.

Reg. 35. Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus ex *leg. in eo, quod plus* 111.

Reg. 36. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere, ex *leg. qui dolo deſijt.*

Reg. 37. Vtile non debet per inutile vitiari. Quę regula locum habet in indiuiduis, & inſeparabilibus non autem diuiduis, & ſeparabilibus, ex *leg. 1. §. ſed ſi mihi ff. de verb. oblig.*

Reg. 38. Ex eo non debet quis fructum cõſequi, quod niſus exiſtit impugnare. Vnde quis approbare non poteſt, quod ſemel impugnauit. Menoch. *conſil.* 195. *num.* 89.

Reg. 39. Cũ quid prohibetur, prohibetur omnia, quæ ſequuntur ab illo. Quæ regula intelligenda eſt de his, quæ neceſſariò ſequuntur, non autem contingenter, ex *leg. ratio ff. de ſponſal.*

Reg. 40. Pluralis locutio duorum numero eſt contenta, ex *leg. vbi numerus ff. de teſtib.*

Reg. 42. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod præſtiterat faciendum, ex *cap. vlt. de elect.*

Reg. 42. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis; quia diſpoſitio concedens aliquid principale cenſetur etiam concedere id, quod acceſſionè venit ad illud principale, ex *leg. cũ principalis* 139

Reg. 43. Qui tacet conſentire videtur, ex *leg. 2. §. voluntatem ff. ſol. matrim.*

Reg. 44. Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec vtique negare videtur; quatenus medium tenet inter negantem, & confitentem, ex *leg. qui tacet* 185.

Reg. 45. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerunque fieri conſueuit. Veriſimile dicitur, quod vel iuri, vel naturæ rei conforme eſt, ex *leg. in obſcuris inſpicimus.*

Reg. 46. Is, qui in ius ſuccedit alterius, vtitur eo iure, quo ille vti debebit, ex *leg. qui prius, & leg. aliud.*

Reg. 47. Præſumitur ignorantia, vbi ſcientia non probatur. Ignorantia dicitur probata eo ipſo, quod non probatur ſcientia.

Reg. 48. Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura, ex *leg. iure nat.* 206.

Reg. 49. In pęnis benignior eſt interpretatio facienda. Vnde pęnę non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ, ex *leg. factum cuique §. in pœnalib.*

Reg. 50 Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem, ex *leg. actus legitimi.*

Reg. 51. Semel Deo dicatum non eſt ad humanos uſus vlterius transferendum. Vnde Papa non poteſt cum Monaco diſpenſare, vt matrimonium contrahat ſecundum mentem D. Thomę 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 10. licet alij aliter ſentiant.

Reg. 52. Non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, quia paria ſunt non fieri, vel non ſortiri effectum.

Reg. 53. Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus. Quæ regula procedit tantum in his, quæ propriè, & abſolutè à iure conceduntur, ex *leg. non debet.*

Reg. 54. Qui prior eſt tempore potior iure, ex *leg. qui balneum.*

Reg. 55. Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra, ex *leg. ſecundum naturam.*

Reg. 56. Iure communi potior eſt conditio prohibentis, ex *leg. Sabinus.*

Reg. 57. Contra eum, qui legem dicere non potuit, apertiùs eſt interpretatio facienda. Vnde verba dubia contra proferentem ſunt interpretanda, ex *leg. in contrahenda venditione.*

Reg. 58. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum.

Reg. 59. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem, ex *leg. in condemnat. § dolo facit.*

Reg. 60. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri, quia mora dici non poteſt, quæ inculpata inuenitur, ex *leg. nulla intelligitur.*

Reg. 61. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum, ex *leg. nulla iuris ratio.*

Reg. 62 Nullus ex conſilio dummodò fraudulentum non ſit, obligatur, quia conſilium non inducit neceſſitatem, nec cogit illum, cui datur, ſed magis vt deliberet, ex *leg. conſilij* 48.

Reg. 63. Exceptionem objciens non videtur de intentione aduerſarij confiteri. Quæ regula intelligenda eſt de intentione fundata. Couar. *var. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2.

Reg. 64. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi, quia actus corruit omiſſa forma legis, & paria ſunt inualidè fieri, & non fieri. Cardoſa in *praxi Iudicum, & Aduocat.*

Reg. 65. In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis. Quæ regula non ſolùm locum habet in materia iuſtitiæ, ſed etiam in materia aliarum virtutum, ex *leg. cum per delictum.*

Reg. 66. Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta eſſet: dummodo conditio non dependeat à mera poteſtate promittentis, ex *leg. in iure ciuili.*

Reg. 67. Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

Reg. 68. Poteſt quis per alium, quod poteſt per ſe ipſum; & ideò per ſe facere videtur, qui per alium facit, ex *leg. 1. § deceſſiſſe ff de vi.*

Reg. 69. In malis promiſſis fidem non expedit obſeruare, cum ex turpi promiſſione non oriatur obligatio.

Reg. 70. In alternatiuis debitoris eſt electio, ex *leg. plerunque* 8. & ſufficicit alterum adimpleri; quia & ſi in obligationibus in dubio ſæpè fiat interpretatio contra debitorem, & alternatiua diſpoſitio dubia ſit; ideò cenſetur debitor in dubio electionem ſibi conceſſiſſe, & ideò minus quam poſſibile ſit ſe obligaſſe.

Reg. 71. Qui ad agendum admittitur, eſt ad accipiendum multo magis admittendus. Vnde qui habet actionem, vt aliquid conſequatur, multò magis habet exemptionem, vt liberetur ex *leg. mutuus §. cui damus.*

Reg. 72. Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum. Vnde quod facimus per Procuratores, per nos ipſos facere videmur.

Reg. 73. Factum legitimum retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari.

Reg.74. Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum; & ideò priuilegia, & diſpenſationes, per quas dum aliquid gratioſè conceditur, ius commune pro parte corrigitur de caſu ad caſum ſimilem, de perſona ad perſonam, & ita in exemplum, vel conſequentiam non trahuntur.

Reg.75. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſeruari, cui fidem à ſe præſtitam ſeruare recuſat.

Reg.76. Delictum perſonæ non debet in detrimentũ Eccleſiæ redundare; & ideò Monaſterium non tenetur de depoſito, quod culpa religioſi eſt deperditum, ſeu deterius effectum, niſi quatenus res depoſita in Monaſterij vtilitatem conuerſa fuerit, quod ſcilicet ex ea factum eſt locupletius.

Reg.77. Rationi cõgruit, vt ſuccedat in onere, quod ſubſtituitur in honore. *leg. ab Eccleſ. de fideicommiſſ.*

Reg.78. In argumentum trahi nequeunt, quę propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa, ex *leg. quæ propter neceſſitatem.*

Reg. 79. Non poteſt plus iuris transferri in alium, quam ſibi competere dignoſcatur, ex *leg. nem. plus.*

Reg.80. In toto partem non eſt dubium contineri, ex *leg in eo quod eſt plus.*

Reg.81. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſt veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, quia nunquam quis præſumitur velle comprehẽdere ſub generali diſpoſitione illud, de quo diſponere non poteſt.

Reg.82. Qui contra iura mercatur, bonam fidem pręſumitur non habere.

Reg. 83. Bona fides non patitur, vt ſemel exactum iterum exigatur, ex *leg. Bona fides.*

Reg.84. Cum quid vna via prohibetur alicui, ad alia, non debet admitti, quia prohibitum directo, non poteſt fieri per indirectum. *leg. quod dictum ff. de pactis.*

Reg.85. Contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur, quia ex conuentione partium accipit formam contractus, ex *leg. contractus.*

Reg. 86. Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, nõ alijs imputare, ex *leg. quod quis ſua culpa.*

Reg. 87. Infamibus portæ non pateant dignitatum. Couar. in *cap. quęuis pactum par. 1.*

Reg.88. Certum eſt, quod is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem; quia mens magis debet attendi, quam verba. Verba enim ſe habent, vt corpus, & ſuperficies, ratio verò, ac mens, vt ſpiritus, & anima, ex *leg. non dub. C. de leg.*

Axiomata varia Theologica.

BRACTEA II.

BONA diſtinctio habet vim commentarij.

Quod attinet ad ius humanum ſerui pro nullis habentur, non tamen in iure naturali, quia quod ius naturale attinet omnes homines æquales ſunt, quia ſeruitus à iure naturæ introducta non eſt.

Omnis exceptio debet eſſe de contentis in regula.

Exceptio firmat regulam in contrarium.

Ignorantia ſi vincibilis ſit, non excuſat.

Vbi iura ſunt paria, & conditionata, ſi vnus non vult facere, quod debet, nec alter tenetur.

Iniquum petimus, vt æquum habeamus. Vnde mercator petit vltra pretium iuſtum, vt iuſtum recipiat.

Merces vltroneæ vileſcunt. Aliqui vſque ad dimidium, alij ſolum vſque ad tertiam partem.

Allegăti ſuam turpitudinem in alterius turpitudinem non eſt credendum.

Melior eſt conditio poſſidentis.

Summa ratio eſt, quæ pro religione facit.

Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas.

Neceſſitas facit licitum, quod iure humano illicitum eſt, non enim humanæ leges obligant, cum neceſſarium eſt, vt faciamus contrarium.

Nullus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur.

Vbi leges non diſtingunt, nec nos diſtinguere debemus.

Nullus mortaliter vulneratus vltra quadraginta dies viuere poteſt.

Non ſunt facienda mala, vt veniant bona, licet mala poſſint permitti, vt veniant bona.

Qui ex duobus propoſitis alterum affirmat, alterum negare videtur.

Vnus teſtis, nullus teſtis. Verùm quando non agitur de alterius præiudicio vnus teſtis ſufficit.

Conſuetudo peccandi mala eſt, præſcribi non poteſt.

Non infringit ius, qui in melius commutat.

Priuilegium męretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.

Conſuetudo eſt optima legum interpres.

Qui ſuæ conſcientiæ fidens famam negligit, crudelis eſt.

Agentes, & conſentientes pari pœna puniuntur.

Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu.

De voluntate ad actum nihil datur eſſentiale.

Facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt.

Actus rationalium egentium non operantur moraliter vltra eorundem voluntatem.

In omni dubio debet Iudex ſecundum allegata, & probata iudicare.

Quod multoties fit, videtur deliberatione plena fieri.

Per quas cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.

Leges conſtituuntur, cum promulgantur.

Leges, ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominis vitam intelligi ab omnibus debent.

De occultis non iudicat Eccleſia.

Eiuſdem eſt legem authenticè interpretari, cuius eſt condere.

Extra territorium ius dicendi impunè non paretur.

Turpis eſt omninò pars ſuo vniuerſo non congruẽs.

Ferè in omnibus ſtudijs pœnalibus ætati, & impudentiæ ſuccurritur.

Loca iuribus concordari debent, eorumque correctio quantum fieri poteſt, eſt vitanda.

Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt.

Par imparem non habet imperium, eiuſdem eſt ligare, ac ſoluere.

Taciti, & expreſſi eadem eſt virtus.

Error communis cum titulo præſumpto facit ius, iuriſdictionemque tribuit, etſi occultum ſubſit impedimentum ex iure poſitiuo.

Clarior, & fortior eſt clauſula ſpecialis, quam generalis.

Monachi correctio in prima inſtantia ad Abbatem pertinet.

Nemo fauore, priuilegio, beneficio inuitus vti cogitur.

Fides, quæ promittitur, eſt hoſti ſeruanda, contra quem bellum geritur.

In indicio,qui perdit cauſam ad expenſas condemnari non ſolet,niſi litigando, aut dolum, aut culpam commiſerit. Vnde qui probabilem cauſam ſuſtinuit ad expenſas condemnari non debet.

Quod iuris Diuini eſt, id in nullius hominis bonis eſt.

Quotieſcunque creditor, aut Dominus contentus eſſe debet rationabiliter, vt reſtitutio differatur, poteſt differri,tametſi inuitus ille ſit;quia irrationabiliter contradicens virtualiter conſenſum præbet.

Bonum inferioris ordinis reſtituendum non eſt cum detrimento boni ſuperioris ordinis æquè grauis.

Qui reſtituere non poteſt,quantum debet,reſtituere debet,quantum poteſt.

Pro ſola iniuria præciſo damno nulla eſt facienda reſtitutio ante Iudicis ſententiam.

Non probat hoc eſſe, quod quandocunque cótingit abeſſe. Ex albedine non benè probatur humanitas,quoniam multi homines nigri reperiuntur.

Non eſt permiſſa defendendi facultas, vbi offendendi eſt conceſſa libertas,ideò damnatus capite contra lictorem non poteſt ſuam vitam defendere.

Non eſt ſingulis conceſſum, quod per Magiſtratum poteſt expediri.

Vim vi repellere licet.

In homine libera nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.

Volenti non fit iniuria.

In obligationibus ſi dies non ponitur,præſens intelligitur.

Contractus ex parte pupilli ſemper eſt claudus.

Aliud eſt nocere,& aliud diuerſum non prodeſſe.

Nemo in neceſſitate liberalis exiſtit, qui dat aliquid in neceſſitate, non tam dicitur donare, quam ſoluere.

Quod Collegio datur,nulli datur.

Nemo in ſua cauſa Iudex eſt,nemo teſtis.

Res iudicata pro veritate accipitur.

Totus mundus eſt Prælato regulari pro territorio.

Ex delicto nemo vtilitatem debet conſequi.

Regulæ iuris ciuilis?

BRACTEA III.

REGVLA I. A capite non licet membra recedere. *cap. cum non liceat de præſcript.*

Reg. 2. A digniori debet res denominari. *leg. quæſito ff. de ſtatu homin.*

Reg.3. A perſona in qua eſt compromiſſum non eſt recedendum. *leg.1.C.de arbitr.*

Reg.4. A ſententia interlocutoria non appellatur. *leg.2.C.de Epiſc.*

Reg.5 A verbis legis non eſt recedendum. *leg. non aliter. ff. de leg 3.*

Reg 6 Ab initio contractus ſunt voluntatis,ex poſt facto neceſſitatis. *leg. ſicut ab initio C. de act. & oblig.*

Reg.7. Abſenti Reipubl. cauſa, ſi damnum patitur, debet reſtitui. *leg. item hi leg. abſentia.*

Reg 8. Acceſſorium ſequitur naturá ſui principalis. *cap. acceſſorium, leg. cum principale.*

Reg.9. Actor ſequitur forum rei. *cap. fin. de foro compet. legem crimina, C. de iuriſd. omn. iud.*

Reg.10. Accuſatus non poteſt alium accuſare pendente illa accuſatione. *leg. negandæ C. qui accuſare non poſſunt.*

Reg.11. Actore non probante reus abſoluitur. *leg. qui accuſare C. de eden.*

Reg.12. Actus ſi non valet eo modo quo fit, valet eo modo quo valere poteſt. §.51. *inſtit. de adop.*

Reg.13. Actus agentium non debent operari vltrà eorum intentionem. *leg. non omnis ff. ſi certum petat.*

Reg.14. Actus legitimi non recipiunt diem neque conditionem *leg. actus legitimi.*

Reg.15. Ad ea, quæ frequenter accidunt iura ſe adoptant potius, quam ad ea quæ tarò. *leg. nam ad ea ff. de legib. leg. iura.*

Reg.16. Ad quem ſpectat onus, & emolumentum ſpectare debet. *leg. ſecundum naturam.*

Reg.17. Aduocatorum officium eſt laudabile, & neceſſarium. *leg. laudabile C. de Aduocat.*

Reg.18. Æquitas præfertur rigori. *leg. placuit Cod. de iudic.*

Reg.19 Affectus tantum punitur ſicut effectus. *leg. is qui cum telo.*

Reg.20. Affirmanti incumbit probatio non neganti. *leg.2.C. de probat.*

Reg.21. Afflictis nó eſt addéda afflictio. *leg. D. Marcus.*

Reg.22 Agentes,& conſentientes pari pœna puniuntur. *leg. ſubemus §. Accenſemus.*

Reg.23. Agnatione poſthumi rumpitur teſtamentum §.1. *inſtit. de exhered. liberor.*

Reg.24. Aliquis non cogitur emere aliquid, vel vendere. *leg. nec emere C. de iur.*

Reg.25. Aliquis non debet locupletari cum alterius iactura. *leg. nam hoc natura ff de condict. indebiti.*

Reg.26. Aliquis non debet eſſe Iudex in cauſa propria. *leg. penult. ff. de arbitr.*

Reg.27 Aliquis non debet venire contrà factum ſuú. *leg. poſt mortem ff. de adop.*

Reg.28. Aliquis non debet petere id,cuius contrariú non peteret in caſu contrario. *leg. penult. C. de ſolut.*

Reg.29. Aliquis non debet ſubire officium duorum. *cap. ſingula 89. leg. ſi plures ff. de pactis.*

Reg.30. Aliquo conceſſo omnia intelliguntur conceſſa, ſine quibus eo commodè vti non poſſumus. *leg. verb. victum ff. de verb. ſignif.*

Reg.31. Aliud eſt eſſe talis, aliud haberi pro tali. *leg. ſi maritus § legis. Iuliæ.*

Reg.32 Aliud pro alio inuito creditore ſolui nó poteſt. *leg.2. §.1. ff. ſi reſtit. petatur.*

Reg.33. Allegans turpitudinem ſuam non eſt audiendus. *cap. inter dilectos de donat. leg. tranſact. leg. de tranſact.*

Reg.34 Alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. *leg. non debet.*

Reg.35. Appellatione filiorum nepotes, & alij ex eis deſcendentes veniunt. *leg. liber. appellat. ff. de liber.*

Reg.36. Appellatione ſerui ancilla continetur. *leg. deteſt. § ſerui ff. de verbor. ſignif.*

Reg.37. Appellatione pendente nihil eſt innouandú. *leg 1. & 2. ff. nu. l. innouari.*

Reg.38. Approbatum ſemel non poteſt ammodo reprobari. *cap. iniſtis 4. diſt. leg. Pompon.*

Reg.39. Argumentum valet ab ethymologia vocabuli. *l.1. ff. de iur.*

Reg.40. Argumentum valet à ſenſu contrario. *leg. 2. ff. de officio.*

Reg.41. Argumentum valet à ſolitis. *leg. certi conditio §. ſinum.*

Reg.42. Argumentum valet de contractibus ad vltimas voluntates. *leg. quæ de legato ff. de legati.*

Reg.43. Argumentum valet ab abſurdo vitando. *leg. nam abſurdum de bon. lib.*

Reg.44. Argumentum valet de ſimilibus,ad ſimilia. *leg. non poſſunt. ff. de legib.*

Reg.45. Argumentum valet de filio ad ſeruum. §.1. *inſtit. quod cum eo.*

Reg.46.

Reg.46. Argumentum valet de dote ad legitimam. *Auth. res quæ communia.*

Reg.47. Argumentum de toto ad partem in iure validum eſt. *leg. quæ de toto.*

Reg 48. Argumentum à contrarijs valet. *leg. 1 ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris.*

Reg.49. Argumentum à correlatiuis valet. *leg. fin. C. de iudic. iudici.*

Reg.50. Argumentum valet de coniuncto ad amicū. *leg. exigendi C. de procur.*

Reg.51. Argumentum valet à ſufficienti partium enumeratione. *cap. cum dilect. de iurepatron.*

Reg.52. Argumentum valet de matrimonio carnali, ad matrimonium ſpirituale. *cap. inter de translat. Epiſc.*

Reg.53. Argumentum à minori ad maius in iure validum eſt. *Auth. multo magis cap. de ſacroſ. Eccleſ.*

Reg.54. Argumentum à maiori ad minus in iure validum eſt. *cap ſi paulus 32 quæſt. 5.*

Reg.55. Argumentum valet de Clericis antiqui teſtamenti ad Clericos hodiernos. *cap. nouum genus de decim.*

Reg.56 Benefacientibus nobis benefacere debemus. *leg. & ſi lege §. conſuluit Senatus.*

Reg.57. Beneficia Principum latiſſimè ſunt interpretanda. *leg. fin. ff. de conſtit.*

Reg.58. Beneficium Principis debet concedi ſine alterius præiudicio. *leg. 2. § ſi quis à Princ.*

Reg.59. Beneficium iuris nemini auferendum eſt, *leg. 4. §. ſi quis eundem.*

Reg.60. Beneficio ſuo quilibet renunciare poteſt. *cap. Ad Apoſtolicam.*

Reg.61. Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine canonica inſtitutione obtineri. *cap. Beneficium de reg. iur. in 6.*

Reg.62. Beneficium non confertur in inuitum. *leg. inuito ff. de regulis.*

Reg.63 Benemerentibus præmia tribui oportet. *leg. virtutum præmia.*

Reg.64. Benignior ſententia in dubio eſt præferēda. *leg ſemper ff de reg iuris.*

Reg.65. Bona fides non patitur vt idem bis exigatur. *leg. bona fides de reg. iuris.*

Reg.66 Bona fides in contractibus eſt ſeruanda. *leg. bona fides ff. de p.*

Reg.67 Boni iudicis intereſt lites dirimere, *leg. properandum C de iudic.*

Reg.68. Bonorum poſſeſſio, & hæreditas æquiparantur. *leg. 2 ff. de bonor. poſſeſſ.*

Reg.69. Bonus præſumitur, qui de bono genere natus eſt. *leg. quod ſi nolit § qui mancipia.*

Reg.70. Canonum ſtatuta ſunt ab omnibus ſeruāda. *leg. leges 1. C. de legib.*

Reg.71 Caſus fortuitus liberat debitorem. *leg. ſi nulla C. de pignor.*

Reg.72. Caſus fortuitus non liberat debitorem, quādo debitoris mora, vel dolo &c. res perijt. *leg. ſi quis ſolutioni.*

Reg.73. Ceſſante cauſa ceſſat effectus. *leg generaliter C. de Epiſc.*

Reg.74. Ceſſante cauſa impedimenti ceſſat impedimentum. *leg. liberor. § 1. ff. de his.*

Reg.75. Circuitus eſt euitandus. *leg. Dominus teſtam. ff. de condict. indebit.*

Reg.76. Ciuilis obligatio ciuilia iura corrumpere poteſt, ſed naturalia non. *Inſtit. de leg. Agnat.*

Reg.77. Clerici non poſſunt teſtari. *cap. relatum 2. de teſt.*

Reg.78. Coacta voluntas eſt voluntas. *cap. merito 15. quæſt. 1.*

Reg.79. Communis error facit ius. *leg. Barbarius ff. de offic. prætor.*

Reg.80. Conditio videtur adimpleta ex quo non remanet per eum, qui vult eam adimplere, *leg. dedi §. fin. de condict.*

Reg 81 Concilium neceſſitatem non inducit. *cap. denique hæc, & ſi de leg.*

Reg 82. Conſuetudo altera eſt lex. *leg. conſuetudo 1. diſt.*

Reg 83. Conſuetudo tollit legem. *§. ex non ſcripto.*

Reg.84 Conſuetudo valet, vt Canonici percipiant fructus, licet ſint abſentes. *cap. cum omnis extrà de conſt.*

Reg 85. Conſuetudo quæ lædit Eccleſiam non valet. *cap 1. de conſuetud.*

Reg.86. Conſuetudo, & lex valet, vt Eccleſia teneatur ad refectionem pontium, vel viarum. *leg. ad inſtructiones Cod. de ſacroſ. Eccleſijs.* Verum hoc ius cenſetur correctum per *authent. item nulla communitas C de Epiſc.*

Reg 87. Contractus ex conuentione partium legem accipiunt. *leg 1. § ſi conuenerit.*

Reg 88 Contractus claudicare non debet. *leg. litigatores ff de verb.*

Reg 89. Cui licet quod eſt maius non debet quid minus eſt non licere. *leg non debet ff de reg. iur.*

Reg.90. Damnari non valet, niſi aut conuictus, aut ſponte confeſſus. *cap. 1 quæſt. 2.*

Reg 91 Datum ob cauſam cauſa nō ſecuta retractari poteſt. *leg 3. § ſed ſi tibi.*

Reg.92. Deceptis non autem decipientibus iura ſubueniunt. *leg ſi mulier ff. ad Velleianum.*

Reg.93. De his qui foris ſunt nihil ad nos. *cap. gaudemus de dicit.*

Reg 94 Delegatus ſubdelegare non poteſt. *leg. more maiorum ff de iuriſd.*

Reg.95. Delictum patris filio nocere non debet. *leg. adoptiuum ff. de inius. vocan.*

Reg.96. Deſtructo principali deſtruitur acceſſorium, *leg 3 ff. de pe.*

Reg.97. De duobus malis minus eſt eligendum. *leg. quoties.*

Reg 98. De modicis non eſt curandum. *l. ſcio ff. in integ. reſtit.*

Reg.99 Determinatio reſpiciens plura determinabilia debet ea pari firmitate determinare. *leg. nam hoc iure ff. de vulg.*

Reg.100 Dictum vnius, dictum nullius appellatur. *leg. iuſiurandum Cod. de teſtib.*

Reg.101. Dies interpellat pro homine. *leg. 2. C. de iure emphyt.*

Reg.102. Dignum eſt fraudem in ſuum auctorem retorqueri. *leg. penult. C. de legib.*

Reg 103. Dominus in re ſua quilibet eſt moderator, & arbiter. *leg in re moderata C. mandat.*

Reg.104. Domum ſuam vnicuique reficere licet. *leg. domum de reg. iuris.*

Reg 105. Donatio inter virum, & vxorem non valet. *leg. 2. & 3. ff. de donat. inter virum, & vxorem.*

Reg.106. Duo contraria non poſſunt exiſtere in eodem ſubiecto. *leg. vbi repugnantia ff. de reg. iuris.*

Reg.107. Duo ſpecialia non poſſunt concurrere circà idem. *leg. 1. C. de dot. promiſ.*

Reg.108. Dubia probatio non releuat probantem. *cap. in præſentia.*

Reg.109. Ea quæ fiunt vi, vel metu per exemptionem regulariter irritantur. *leg. metum par. ſed quod.*

Reg.110. Ebrius ſi deliquit excuſatur. *cap ſanus.*

Reg. 111. Eius eſt periculum, cuius eſt commodum, *leg. ſupervacuum C. de tempor. in integ. reſt.*

Reg. 112. Eius eſt nolle, qui poteſt, & velle, *leg. 3. ff. de reg. iur.*

Reg. 113. Ea quæ fiunt contra legem pro infectis habentur, *l. non dubium C. de legib.*

Reg. 114. Electio ius plenum tribuit electo, *Clem. 1. §. nos itaque de iure vitando.*

Reg. 115. Erubeſcimus quando ſine lege loquimur, *leg. illam C. de collat.*

Reg. 116. Exemplis non eſt iudicandum, ſed legibus, *leg. nemo C. de int. inter locutor. omn. Iudic.*

Reg. 117. Ex eo non debet quis fructus conſequi, quod niſus eſt impugnare, *Cap. ex eo de reg. iur. in 6.*

Reg. 118. Ex nudo pacto non oritur actio, *leg. iuris gentium §. ſed cum nulla.*

Reg. 119. Expedit Reipublicæ, vt delicta puniantur, *leg. ita vulneratus, ff. ad legem Aquiliam.*

Reg. 120. Extenſio de caſu ad caſum fieri non poteſt, *leg. commodiſſimè, ff. de lib. & poſth.*

Reg. 121. Extincta re debita ante moram periculum eſt creditoris, *leg. quod te, ff. ſi cert.*

Reg. 122. Extincta re debita poſt moram periculum eſt debitoris, *leg. ſi quis ſolutioni, ff. ſi cert. pet.*

Reg. 123. Facta infecta eſſe non poſſunt, *leg. in bello §. factæ, ff. capt.*

Reg. 124. Facta non præſumuntur, niſi probentur. *cap. cum in iure de offic. deleg.*

Reg. 125. Facultas probationum non eſt anguſtanda, *leg. quoniam, C. de hær.*

Reg. 126. Fauorabiliores ſunt rei, quam actores, *leg. fauorabiliores, ff de reg. iur.*

Reg. 127. Fœminæ bonæ raræ ſunt, ſed malæ multæ, *leg. qui teſtamento §. mulier, ff. de teſtam.*

Reg. 128. Filius ſpurius poteſt habere dignitates: *leg ſpurij, ff. de decur.*

Reg. 129. Filius etiamſi legitimus non poteſt habere beneficium paternum, *cap. ad extirpandas de filijs presbit.*

Reg. 130. factum vnius, alteri obeſſe non debet, *leg. 1. C. res inter alios acta.*

Reg. 131. Falſa latinitas vitiat reſcriptum, *cap. ad audientiam.*

Reg. 132. Filij naturales excludunt ſubſtitutum, *lex facta §. ſi quis rogatus ff ad Tabellian.*

Reg. 133. Filius ſpurius non poteſt ordinari, *cap. conſuluit.*

Reg. 134. Frangenti fidem, fides frangi poteſt, *leg. ſi conuenerit ff. pro ſoc.*

Reg. 135. Frater fratrem accuſare non poteſt, *leg. ſi magnum, C. qui accuſare non poſſunt.*

Reg. 136. Forma illa eſt, quæ dat eſſe rei, & à qua actus denominatur, *leg. Iulian. paragr. ſi quis.*

Reg. 137. Generale dictum generaliter eſt intelligendum: *leg. de pretio, ff. de pub. in rem actam.*

Reg. 138. Generi per ſpeciem derogatur, *leg. in toto, ff. de reg. iur.*

Reg. 139. Gloſſæ opinio præualet communi opinioni, *Dec. in cap. 1. de in.*

Reg. 140. Grauatus in vno, in alio eſt ſubleuandus, *leg. cum qui.*

Reg. 141. Graue eſt fidem fallere, *leg. 1. ff. de conſtit. pec.*

Reg. 142. Geminatio actuum arguit voluntatem, *leg. 2. paragr. furioſus, ff. de iur.*

Reg. 143. Hæres, & defunctus dicuntur vna, & eadem perſona *paragr. 1. de iur.*

Reg. 144. Hæres, & bonorum poſſeſſor equiparantur, *leg. 2. ff. de bonor. poſſeſſ.*

Reg. 145 Hæreditas non adita non tranſmittitur, *leg. vſu paragr. in nouiſſimo.*

Reg. 146. Hęretici non poſſunt eſſe teſtes, *leg. quoniam, C. de hær.*

Reg. 147. Homicidium caſuale non inducit irregularitatem, *Cap Ioannes.*

Reg. 148. Homicidium caſuale de iure ciuili non punitur, *leg. abſentem.*

Reg. 149. Ignorantia facti excuſat, *leg. genere ff de his, qui not. infam.*

Reg. 150. Ignorantia iuris neminem excuſat, *leg. iur. ignor. C. qui admitt.*

Reg. 151. Illius eſt interpretari, cuius eſt legem condere, *leg cum de nouo, C. de legib.*

Reg. 152. Illud quod in fauore aliquorum introductum eſt, non debet ad eorum læſionem retorqueri, *leg. quod fauore, C. de legib.*

Reg. 153. Imperator eſt ſolutus legibus, *leg. Princeps ff. de legib.*

Reg. 154. Imperator eſt dominus totius mundi, *leg. deprecatio.*

Reg. 155. Incertitudo vitiat actum, *leg. duo ſunt filij, ff. de teſtam.*

Reg. 156. Incertitudo impedit condemnationem, *leg. idem pomponius, ff. de rei vendic.*

Reg. 157. Inferior non poteſt iudicare maiorem. *cap. cum inferior de maior. & obed.*

Reg. 158. Incluſio vnius, eſt alterius excluſio, *leg. cum prætor. ff. de iudic.*

Reg. 159. Modus non curatur dummodo effectum habeamus, *leg. ſi mater leg. de inſtit & ſubſtit.*

Reg. 160. Indefinita legis oratio æquipollet vniuerſali, *leg. ſi pluribus.*

Reg. 161. Inuito nemini beneficium acquiritur, *leg. inuito, ff. de reg. iur.*

Reg. 162. In ambiguis ſequimur quod eſt minimum, *leg. cum in obſcuris de reg. iur. in 6.*

Reg. 163. In contractibus innominatis locus eſt pęnitentiæ, *leg. ſi pecuniam, ff. de cond. cau. da.*

Reg. 164. In dubijs benignior interpretatio facienda eſt, *cap. vlt. de tranſact.*

Reg. 165. In iudicijs debet ſeruari æqualitas, *leg. fin. C. de fruct. & lit. expen.*

Reg. 166. In malis promiſſis non eſt fides ſeruanda, *cap. in malis promiſſis.*

Reg. 167. In pari delicto potior eſt pars poſſidentis, *leg. cum par. delictum, ff. de reg. iur.*

Reg. 168. In pœnis mitior pars eſt eligenda, *cap. in pœnis de reg. iur. in 6.*

Reg. 169. Iudex non debet impertire officium ſuum non requiſitus, *leg. 4. §. hoc autem iudicium.*

Reg. 170. Iudex poteſt iudicare, prout ſibi videtur, *l. 51. irruptione, ff. finium regundorum.*

Reg. 171. Iudex non tenetur exprimere cauſam ſuæ ſententiæ, *cap. ſicut nobis.*

Reg. 172. Iudex in cauſa propria, vel ſuorum nemo poteſt eſſe, *l. qui iuriſdictioni, ff. de iuriſd. omn. iudic.*

Reg. 173. Iudicia debent carere ſuſpicione, *leg. apertiſſimi, C. de iudic.*

Reg. 174. Iuramentum regulatur ſecundum naturam actus, ſuper quo interponitur, *leg. vltima, C. de non numer. pecun.*

Reg. 175 Iuramentum præcisè obſeruandum eſt, *cap. ad noſtram de iureiuran.*

Reg. 176. Laici Eccleſiaſtica negotia tractare non poſſunt, *cap. decernimus de Iudic.*

Reg. 177 Laici oppido ſunt infeſti Clericis, *cap. Laicos, cap, Laici 2. quæſt. 7.*

Reg. 178. Laicus contra Clericum teſtis non admittitur, *C. de cæter. de teſtib.*

Reg. 179. Lata culpa æquiparatur dolo, *l. quod Nerua, ff. depo.*

Reg. 180. Legata ad pias cauſas in teſtamento minus ſolemni relicta legatariis debentur, *cap. Relatum.*

Reg. 181. Leges condere pertinet ad Principem, *l. fin. C. de legib.*

Reg. 182. Lexis ſolemnitas viciat actum, *leg. 1. ff. de liber & poſth.*

Reg. 183. Lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda, *l. de pratis, ff. de public in rem.*

Rag. 184. Lex poſitiua ſeruanda eſt in foro conſcientiæ, *cap. quo iure 8. diſt.*

Reg. 185. Licitum eſt contrahentibus ſe decipere, *l. in cauſa 2. §. in pretio.*

Reg. 186. Lites debent celeriter terminari, *l. properandum, C. de iudic.*

Reg. 187. Manifeſta, probatione non indigent, *l. ea quidem, C. de accuſat.*

Reg. 188. Maſculinum concipit fœmininum, *l. 1. ff. de verb. ſignif.*

Reg. 189. Media via eſt eligenda, *inſtit. quibus ex cauſis.*

Reg. 190. Metus viciat contractum *l. metum. ff. quod met. cauſ.*

Reg. 191. Metus non reſcindit contractum, *l. ſi mulier ff. quod met. cauſ*

Reg. 192. Minor eſt priuilegiatus, *leg. 1. ff. de minor.*

Reg 193. Minor, & Eccleſia æquiparantur, *cap. 1. de in integr. reſt.*

Reg. 194. Modus non curatur dummodo affectum habeamus, *l. ſi mater, C. de inſtitut. & ſubſtitut.*

Reg. 195. Mora ſua cuilibet eſt nociua, *cap. mora de reg. iur. in 6.*

Reg. 196. Mulier amittit dotem propter adulterium, *cap. plerumque de donat. inter virum, & vxorem.*

Reg. 197. Multa facta tenent, quæ facienda prohibentur, *l. patre furioſo, ff. de his, quæ ſunt ſui, vel alieni iuris.*

Reg. 198. Mutare opinionem quis poteſt, *cap. mutare de reg. iur. in 6.*

Reg. 199. Naturalia firma ſunt, & ſolida, neque tolli, aut mutari poſſunt *inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil.*

Reg. 200. Nec ratio, nec tempus curari debet, dummodo effectum habeamus *l. nomen filiarum §. habere, ff. de verbor. ſignif.*

Reg. 201. Neceſſitas nulli legi eſt ſubiecta, *l. vim de officio conſul.*

Reg. 202. Neceſſitas non habet legem, *l. aliquando ff. de officio proconſul.*

Reg. 203. Negligentia vnius actori nocere non debet, *l. iniquiſſimum.*

Reg. 204. Nemo dat quod non habet *l. nemo poteſt ff. de reg. iur.*

Reg. 205. Nemo præſumitur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt, *l. nemo de reg. iur.*

Reg. 206. Nemo præſumitur immemor ſalutis ſuæ *l. fin. C. ad l. Iul.*

Reg. 207. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari, *cap. nemo poteſt de reg. iur.*

Reg. 208. Nemo tenetur cum ſuo damno alteri ſubuenire, *l. ſeruandorum, ff. de praſcript. verb.*

Reg. 209. Nemo tenetur, ex conſilio alteri præſtito, *l. 2. §. fin.*

Reg. 210. Nihil refert, quod ex æquipollentibus fiat, *l. 1. ſi mater, C. de inſtitut.*

Reg. 211. Nihil eſt tam contrarium conſenſui, quam error, *l. ſi per errorem, ff de iuriſd. omn. iud.*

Reg. 212. Nihil actum dicitur, quoties aliquid ſupereſt agendum, *l. fin. C. de his quibus.*

Reg. 213. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. non debet, ff. de reg. iur.*

Reg. 214. Non dimittitur peccatum, niſi prius reſtituatur ablatum, *cap. peccatum de reg. iur. in 6.*

Reg. 215. Non entium, nullæ ſunt qualitates, *l. eius qui in prouincia, ff. ſi cert. pet.*

Reg. 216. Non eſt ſine culpa, qui rei ſe immiſcet, quæ ad eum non pertinet, *cap. non eſt de reg. iur. in 6.*

Reg. 217. Non licet actori, quod reo licitum non exſtitit, *cap. non licet de reg. iur. in 6.*

Reg. 218. Non præſtat impedimentum, quod de iure nõ ſortitur effectũ, *cap. non præſtat de reg. iur. in 6.*

Reg. 219. Non valenti agere, non currit præſcriptio, *l. 1. C. quis admitti.*

Reg. 220. Obligatio naturalis tantum, vel ciuilis tantum, non producit actionem, *l. iur. gent ff. de pact.*

Reg. 221. Oculis magis quam auribus credendum eſt, *§. fin. inſtit. de grad. cognat.*

Reg. 222. Odia ſunt reſtringenda, & fauores conuenit ampliari, *cap. odia de reg. iur. in 6.*

Reg. 223. Officia promiſcuis rerum actibus perturbari non debent, *l. conſulta diualia, C. de teſtam.*

Reg. 224. Officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum, *l ſi communis ſeruus, §. quod vero.*

Reg. 225. Omnis regula patitur exceptionem, *l. omnis definitio, ff de reg. iur.*

Reg. 226. Omiſſio formæ actum vitiat, quantumnis pium, *l cum hi §. ſi Prætor.*

Reg. 227. Omnis receſſus à iure communi eſt odioſus, & ideò reſtringendus, *cap 1. & 2. de fil. presbyt.*

Reg. 228. Pactum nudum non producit actionem, *leg. iur. gentium § ſed cum nulla.*

Reg. 229. Pacta ſunt ſeruãda, *leg. iuris gentium §. prætor.*

Reg. 230. Papa poteſt omnia, *cap. propoſuit.*

Reg. 231. Par in non parem habet imperium, *leg. ille, à quo § tempeſtiuum.*

Reg. 232. Paria delicta mutua compenſatione tolluntur, *leg. viro ff. ſolut. matrim.*

Reg. 233. Paria ſunt aliquid, non fieri, vel illegitimè fieri, *leg. quoties C. qui ſatis.*

Reg 234 Pater non poteſt præiudicare filio, *leg. de re filiorum ff. de tranſact.*

Reg. 235. Paupertas prodeſt, *l. ſi quis ad declinandam §. ſi autem.*

Reg. 236. Peccati venia non datur, niſi correcto, *cap. peccati venia de reg. iur. in 6.*

Reg. 237 Plus diuiti, quam pauperi creditur. *Inſtit. de ſuſpect.*

Reg. 238. Plus, & minus non faciunt rem differre ſpeciæ, *leg. fin. §. de fundo.*

Reg. 239. Pœna debet commenſurari ad delictum, *cap. non offeramus 24. quæſt. 1.*

Reg. 240. Pœna non debet extendi vltra ſuum caſum, *cap. pœna de pœnit. diſt. 1.*

Reg. 241. Pœna tenet ſuos actores, *leg. ſancimus Cod. penult. §. 1.*

Reg. 242. Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit, *cap. poſſeſſor de reg. iur. in 6.*

Reg. 243. Poſteriora derogant prioribus, *§. poſterior inſtit. quibus modis.*

Reg. 244. Potentia propinqua actui eſt actus, *leg. penult ff de milit. teſtam.*

Reg. 245. Præſumptionibus non eſt iudicandum, ſed clariſſimis argumentis, *leg. fin. C. de probat.*

Reg. 246. Princeps eſt ſolutus legib. *l. Princeps ff. de leg.*

Reg. 247 Principale trahit ad ſe acceſſorium, *leg. cum principalis ff. de reg. iur.*

Reg. 248. Prior nominatus eſt magis dilectus, *cap. ſignum de electione in 6.*

Reg. 249. Priuilegia perpetua firmitate conſtare debent, *cap. 1. & 2. de priuileg.*

Reg.250. Priuilegia non ſunt ampliandæ, *cap. ſunt de priuileg.*

Reg.251. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſinit poſſidere, *cap. pro poſſeſſor. de reg. iur. in 6.*

Reg.252. Pupillus teſtari non poteſt, *leg. qua ætate ff. de teſtam.*

Reg.253. Quando eſt acquiſitum ius alicui, ab eo, & ſibi inuito auferri non poteſt, *leg. ſin. ff. de publicis.*

Reg.254. Quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, *leg. ordinata ff. de ſeru.*

Reg.255. Quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt, *leg. quæ religioſis ff. de rei vendicat.*

Reg.256. Querela inofficioſi teſtamenti non habet locum in teſtamento militis, *leg. ſi de inoff. teſtam.*

Reg. 257. Querela inofficioſi teſtamenti non habet locum in teſtamento fratris, *leg. fratres C. de inofficioſ. teſtam.*

Reg. 258. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, *leg. qui occidit.*

Reg.259. Quidquid acquirit filius, patri acquirit, *leg. placet de acquirend. hæredit.*

Reg.260. Qui non poteſt per ſe, non poteſt per alium, *leg. neque per. ſr.*

Reg. 261. Quilibet in re ſua eſt moderator, & arbiter, *leg. in re mandata.*

Reg. 262. Qui peccat iuris auctoritate, non peccat, *cap. qui peccat. 23. quæſt. 4.*

Reg.263. Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, *leg. qui per alium de reg. iur. in 6.*

Reg. 264. Qui potuit prohibere, & non prohibuit, particeps delicti cenſetur, *cap. ſicut dignum de ſent. excom.*

Reg. 265. Qui prior eſt tempore, potior eſt iure, *cap. qui prior de reg. iur. in 6.*

Reg.266. Qui ſuo iure vtitur, nemini iniuriam facit, *cap. cum Eccleſ. de elect.*

Reg.267. Qui totum dicit, nihil excludit, *l. Iulianus ff. de legib.*

Reg.268. Qui tacet, conſentire videtur, *cap. qui tacet de reg. iur. in 6.*

Reg 629. Qui vult conſequens, vult & neceſſarium antecedens, *leg. ad rem ff. de proc.*

Reg.270. Quod ab initio non valet, tractu temporis non reconualeſcit, *leg. 1. § pubertis.*

Reg.271 Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet alijs in exemplum, *cap. quod alicui.*

Reg. 272. Quod de vno negatur, de alio conceſſum eſſe videtur, *cap. qualis.*

Reg. 273. Quod aliquorum fauore introductum eſt, non debet ad eorum læſionem retorqueri, *leg. quod fauores C. de legib.*

Reg. 274. Quod in nullius bonis eſt, prius occupanti conceditur, *§ feræ.*

Reg. 275. Quod iuſtè fit, pœnam non meretur, *leg. Gracchus C. ad leg. Iulian.*

Reg. 276. Quod maior pars facit, omnes facere videntur, *leg. quod maior.*

Reg.277. Quod non eſt rectè factum, per Principem confirmari poteſt, *leg. adoptio iure non facta.*

Reg.278. Quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro alterius fieri non poteſt, *leg. quod noſtrum.*

Reg.279. Quod Papa facit, & nos facere debemus, *cap. in cauſis de ſent. & re iudicata.*

Reg. 280. Quod quis inuitus patitur, non affert ei præiudicium, *cap. ad eius.*

Reg 281. Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt, *cap. quod ſemel de reg. iur. in 6.*

Reg.282. Quod ſuo non licet nomine, nec alieno licebit, *cap. quod alicunde de reg. iur. in 6.*

Reg.283. Quod ſibi non nocet, & alteri prodeſt, facilè eſt concedendum, *leg. ſicut ff. de ſeru.*

Reg.284. Ratihabitio retrotrahitur, & mãdato comparatur *cap. ratihabitionem de reg. iur. in 6.*

Reg.285. Res ſunt fauorabiliores actoribus, *leg. fauorabilior ff. de reg. iur.*

Reg.286. Remota cauſa, remouetur effectus, *cap. cum ceſſante de appellat.*

Reg.287 Remittenti ius ſuum, amplius non datur regreſſus, *§. ſi quis itaque militis de bon. poſſ.*

Reg.288 Res furtiua, vbique reperta condici, ac vendicari poteſt, *leg. 2 & 5 C. de fur.*

Reg.289. Res inter alios acta, tertio non præiudicat, *leg 1 C. res inter alios.*

Reg.290. Reſiduum rei extinctæ non pertinet ad creditorem, *leg. mortuo boue ff. de leg.*

Reg.291 Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus, *cap ſcienti de reg. iur. in 6.*

Reg.292. Semel cauſa approbata, ſiue vera ſit, ſiue falſa, amplius retractari non poteſt. Inſtit. *quibus ex cauſis manumitt. non licet.*

Reg.293 Semel Deo dicatum ad vſus humanos amplius non eſt transferendum, *cap. ſemel de reg. iur. in 6.*

Reg.294. Semel malus, ſemper præſumitur malus, *cap. ſemel de reg. iur. in 6.*

Reg. 295. Sententiæ iudicum non habent vim legis, *leg. vlnem.*

Reg.296. Sententia debet eſſe conformis libello, *cap. licet. de ſimon.*

Reg.297. Sequeſtratio prohibita eſt odioſa, *leg. 1. C. de prohibit. ſequeſtr.*

Reg.298. Si vinco vincentem te, multò fortius vinco te, *leg. de acceſſor.*

Reg. 299. Sine culpa non eſt aliquis puniendus, *leg. ſine culpa de reg. iur. in 6.*

Reg. 300. Socius criminis teſtificari non poteſt, *cap. venientes de teſtib.*

Reg. 301. Solemnitates iuris in iudicijs, prætermittendæ non ſunt, *cap. cauſam, quæ de Iudico.*

Reg.302. Solutum indebitè, conditione indebiti repeti poteſt, ne quis locupletetur cum aliena iactura, *leg. nam hoc natura ff. de cond. indebiti.*

Reg.303 Sortitur quis forum quatuor cauſis ratione contractus, domicilij, delicti, & ratione rei ſitæ, *cap. de for. compet.*

Reg.304. Spoliatus de facto, ante omnia eſt reſtituendus, *leg. ſi quis C. ad leg. Iulian.*

Reg.305. Subtilitas reprobatur, *cap. dilect. de Iudic.*

Reg. 306. Subrogatum ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur, *leg. ſi cum § inſtruar.*

Reg. 307. Tacitum aliquando habetur pro expreſſo, *leg. cum quid ff. ſi cert. pet.*

Reg.308. Tempus non curatur, dummodo effectum habeamus, *leg. nomen filiorum §. habere ff. de verbor. oblig.*

Reg. 309. Teſtator poteſt aliquem extraneum, & penitus ignotum inſtituere hæredem, *leg. extraneum C. de hæred. inſtit.*

Reg.310. Teſtimonium mulieris eſt mutabile, & ideò non teſtificatur, *cap. for. de verb. ſignif.*

Reg. 311. Teſtis, conſanguineus eſſe non poteſt, *leg. text. ff de teſtibus.*

Reg.312. Teſtis in cauſa propria, nemo poteſt eſſe, *leg. nullus ff. de teſtib.*

Reg.313. Teſtis criminoſus eſſe non poteſt, *cap. ſuper eo de teſtib.*

Reg.314. Teſtis familiaris eſſe non poteſt, *leg. penult. ff. de teſtib.*

Reg.315. Teſtis, in teſtamento mulier eſſe non poteſt, *leg. qui teſtam. §. mulier.*

Reg.

Reg. 316. Vbi electa eſt induſtria perſonæ, non admittitur ſubſtitutus *cap. vlt. de officio delegati*

Reg. 317. Vbi eſt eadem ratio, ibi idem ius eſſe debet, *leg. illud ff. ad leg agend.*

Reg. 318. Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *leg. de pretio ff. de publ. in rem actionem.*

Reg. 319. Vbi nulla petitio, ibi nulla mora dicitur fieri, *leg. mora ff. de vſu l nulla ff de reg iur.*

Reg. 320. Verbum debet, importat neceſſitatem, *cap. debent 11. quaſt. 3. leg. ſepè ff. de off. procur.*

Reg. 321. Verbum videtur, eſt verbum fictionis, *leg. 2. deieciſſe autem videtur ff. de vi, & vi armata.*

Reg. 322. Verba ſunt intelligenda cum effectu, *leg. nomen filiarum §. habere ff de verb ſignif.*

Reg. 323. Vicini præſumuntur facta vicinorum ſcire, *& cap. quoſdam, & cap. quanto de preſumpt.*

Reg. 324. Vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt, *leg. vt virum de iuſtitia.*

Reg. 325. Violentia, & importunæ preces æquiparantur, *cap. 1. & 2 de adult.*

Reg. 326. Vox vnius, vox nullius, *cap. veniens.*

Reg. 327. Vtilitas publica eſt præferenda priuatæ, *cap. bona de poſtul. prælator.*

Reg. 328 Vtile per inutile vitiari non debet, *leg. qui teſtamento ff de excuſat.*

MALLEATIO XXI.

De Reſtitutione, quæ oritur ex violatione Iuſtitiæ commutatiuæ.

Quid ſit Reſtitutio?

BRACTEA I.

SCIENDVM Reſtitutionem in ſua generali ſignificatione ſignificare poſitionem in priſtinum ſtatum, ex *leg. reſtituere de verbor. ſignificat.* Scolaſtici tamen vtuntur hoc verbo, prout ſignificat actum Iuſtitiæ commutatiuæ, quo reſarciuntur iniuriæ illatæ in bonis proximi, &c.

Sciendum 2. Quod ſicut Iuſtitia dupliciter accipitur: primò vt eſt quædam communis virtus: ſecūdò prout eſt virtus quædam particularis ita iniuſtitia dupliciter accipitur: primò communiter, ſecundò ſpecialiter, primo modo iniuſtitia, eſt violatio Iuſtitiæ communis, ſeu cuiuſcunque legis violatio; vnde dicitur iniquitas, & ſic omne peccatum dici poteſt iniuſtitia, cum ſit violatio æqualitatis, ſeu conformitatis debitæ legi, vel præcepto: vnde ratio formalis huius iniuſtitiæ conſiſtit in hoc, quod ſit violatio conformitatis debitæ legi, & violatio legis nihil aliud eſt, quam ipſius legis inobedientia 1. ſecundo modo accipitur, vt opponitur iuſtitiæ particulari, & eſt ipſius iuſtitiæ particularis violatio, & ſic definitur alieni iuris violatio.

Sciendum 3. Vt dictum eſt reſtitutionem propriè ſignificare poſitionem, ſeu reſtitutionem rei in priſtinum ſtatum, quia dum res ablata redditur, ſeu illatum damnum compenſatur, in priori ſtatu res ponitur. Hoc poſito.

R. Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quo res accepta reſtituitur, vel damnum illatum compenſatur. Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia per reſtitutionem compenſatur damnum, vel reſtituendo rem ipſam, vel æquiualentem, ſi res non extet.

Sciendum 4. reſtitutionem dici actum iuſtitiæ commutatiuæ, quia per ipſam reſtituitur res ſecundum æqualitatem non reſpiciendo merita perſonæ; vnde ſi quis acceperit v.g. pallium, debet ipſum reſtituere, aut certè æquiualens pretium, & ſimiliter ſi aliquod damnum intuliſti, æſtimatione decem aureorum, debes reſtituere ipſos decem aureos, cum in reſtitutione ſit ſemper ſeruanda æqualitas rei ad rem.

Sciendum 5. non pertinere ad iuſtitiam diſtributiuam reſtitutionem, ſed ſolum in quantum in violatione iuſtitiæ diſtributiuæ includitur etiam violatio iuſtitiæ commutatiuę. Rebellus *lib 3. quaſt 1. ſect. 3. num. 18.* Vnde qui aliquid accepit diſtribuendū Pauperibus iuxtà gradum paupertatis, & neceſſitatis, ita vt pauperioribus magis det, quam alijs, obligatur ad reſtitutionē, ſi iuxta qualitatem paupertatis non diſtribuit, quia non modo cenſetur violare iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam commutatiuam, eo quod pauperiores habeant ſtrictum ius ad maiorem eleemoſynam ex Pręcepto, & pręſcripto eius, qui talem eleemoſynam dedit diſtribuendam.

Sciendum 6. etiam reſtitutionem maximè differre à ſolutione: primò, quia reſtitutio terminatur ad rem, vel ad ęquiualens, ſolutio non terminatur ad rem, ſed ad pretium ipſius rei; ſecundò reſtitutio eſt actus iuſtitię commutatiuę, ſolutio nō modo eſt actus iuſtitiæ, verum etiam poteſt eſſe actus alterius virtutis, vt voti, Iuramenti, Charitatis, & miſericordiæ, vnde qui adimplet votum dicitur ſoluere votū, & qui facit eleemoſynā dicitur ſoluere. Diſtinguitur etiam à ſatisfactione, tum quia omnis ſatiſfactio eſt reſtitutio, non autem è contrario, tum etiam quia ſatisfactio reſpicit perſonam, & reſtitutio reſpicit rem: reſtitutio eſt de re ablata, vel damno illato, ſatisfactio verò exhibetur etiamſi nullum dānum ſit illatum, vt quando quis alteri ſatisfacit pro iniuria illata.

De Radicibus reſtitutionis?

BRACTEA II.

SCIENDVM radices reſtitutionis nihil aliud eſſe, quam quædam rationes, ſeu fundamenta, quibus aliquis obligatur ad reſtitutionem; ex quibus quædam ſe tenent ex parte rei, quæ iuſtè, aut iniuſtè poteſt poſſideri, quædam aliæ ſe tenent ex parte acceptionis, quæ poteſt eſſe iuſta, aut iniuſta, quædam deſumuntur ex damnificatione, cum damnificans ſit obligatus ad reſtitutionem; quædam aliæ deſumuntur ex contractu, cum quilibet contractus pariat obligationem: nomine rei alienæ non ſolum intelligitur res ipſa, vt in ſe eſt, ſed etiam fructus quos res illa ſuaptè natura producit. Acceptio rei alienæ eſt etiam duplex, vna iuſta, vt in mutuo, & depoſito, altera iniuſta, vt in furto, & in rapina. Et quodlibet damnum quod per homicidium, adulterium, ſtuprum, infamiam, ſiue alio modo, eſt etiam contra iuſtitiam commutatiuam. Vnde R. ex quadruplici capite oriri obligationem reſtituendi, vel radices reſtitutionis eſſe quatuor, & licet plures pauciores enumerent, tamen implicitè has quatuor cenſentur continere, quę ſunt, prima ratione rei acceptę, ſecunda ex iniuſta acceptione, tertia ex damnificatione, quarta ex contractu. Prima radix reſtitutionis eſt res accepta, vt quando quis apud ſe inuenit rem alienam, vel ipſam acquiſiuit bona fide, titulo hæreditatis, legati, vel donationis &c. debet ipſam reſti-

tuere ſi extat, aut æquiualens ſi mala fide conſumpta fuit, ſi verò bona fide tenetur ſolum ad id, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Secunda radix eſt iniuſta acceptio, vt quando quis rem alterius furatus eſt, hac radice obligatur ad reſtitutionem, quomodo verò obligentur quando plures ſcienter, vel de cõmuni conſenſu rem alienam abſtulerunt infrà dicetur. Tertia radix eſt damnificatio, vt quando quis alienas ſegetes combuſſit, vel deuaſtauit, vel arbores ſuccendit, vel vitulum furatus eſt. Quarta radix eſt ex contractu, vt ex contractu mutui, accomodati &c. ex quo oritur obligatio reſtituendi rem.

Sciendum 2. eſſe differentiam inter has reſtitutiones, quia quando aliquid debetur ratione iniuſtæ acceptionis, vel ex contractu manere obligationem reſtituendi, etiamſi res debita pereat ſine culpa, quãdo verò debetur tantum ratione rei acceptæ, non manere obligationem ſi res pereat abſque culpa, vt patet in depoſito &c. Similiter etiam quando fit reſtitutio ratione rei acceptæ quantitas reſtitutionis debet eſſe iuxtà quantitatem rei poſſeſſæ, ita vt tantum reſtituatur, quantum ex re aliena poſſidetur, vel quantum factus eſt ditior, & locupletior ex re aliena, ſi bona fide periuit; quando autem reſtitutio fit ratione damnificationis, mẽſura reſtitutionis debet eſſe quantitas damni illati, vt nimirum fiat reſtitutio iuxtà quantitatem, qua alter læſus eſt.

An reſtitutio ſit ſolum actus Iuſtitiæ commutatiuæ?

BRACTEA III.

RESTITVTIONEM tantùm eſſe actum iuſtitiæ commutatiuæ, & ex ea tantum oriri obligationem reſtituendi. Ratio eſt, quia ſolum iuſtitia commutatiua conſtituit æqualitatem rei ad rem, & reſtitutio ſemper debet fieri ſecundum æqualitatem rei ad rem, ergo ſolum eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ. Ita communiter omnes Theologi. Contrariam ſententiam tuentur, Caietanus 2.2. *quæſt.63. art.2.* & Petrus Nauar. *lib.1. de reſtit. cap. num.*8. qui exiſtimant reſtitutionem eſſe etiam actum iuſtitiæ diſtributiuæ, quod probant, quia ſi Dux facit contrà iuſtitiam diſtributiuam in diſtribuendis ſpolijs militibus, tenetur ad reſtitutionem, ergo etiam reſtitutio eſt actus iuſtitię diſtributiuæ, ſed non obſtat argumentum, quia vt dictum fuit, obligatur ad reſtitutionem non quatenus ſimpliciter violat iuſtitiam diſtributiuam, ſed quia in violatione iuſtitiæ diſtributiuæ includitur etiam violatio iuſtitiæ commutatiuæ, cum non ſeruetur æqualitas meriti ad præmium, ſeu laboris ad mercedem.

An reſtitutio ſit de neceſſitate ſalutis?

BRACTEA IV.

SCIENDVM reſtitutionem duo complecti, propoſitum reſtituendi, & effectum ipſius propoſiti reſtituendi, nimirum reſtitutionem externam; propoſitum reſtituendi eſſe actum voluntatis, quo ipſa proponit, & deliberat rem alienam reſtituere; reſtitutionem verò externam non ſolum includere propoſitum voluntatis, ſed etiam actionem externam, qua res aliena reſtituitur. Quo poſito.

R. Propoſitum reſtituendi rem alienam eſt neceſſarium ad ſalutem. Ratio, quia reſtitutio in voto eſt neceſſaria, vt quis conſequatur ſalutem; ergo propoſitum reſtituendi rem alienam, eſt neceſſarium ad ſalutem; tum etiam, quia qui, non habet propoſitum reſtituendi rem alienam non eſt diſpoſitus ad abſolutionem, & ad recipiendam gratiam, ergo, &c.

Sciendum dupliciter aliquid eſſe neceſſarium ad ſalutem: Primò abſolutè, & ſimpliciter, ſeu neceſſitate medij: Secundò ſecundum quid, ſeu neceſſitate præcepti; illud eſſe neceſſarium abſolutè, ſeu neceſſitate medij, quod ita neceſſariũ eſt ad ſalutem conſequendam, vt ſine eo ſalus obtineri non poſſit; neceſſarium neceſſitate præcepti dicitur illud, quod quidem neceſſarium eſt ad ſalutem, ſed eo prætermiſſo aliqua iuſta cauſa, ſalus etiam obtineri poteſt. Propoſitum reſtituẽdi rem alienam eſſe neceſſarium abſolutè, & neceſſitate medij ad ſalutem conſequendam, quod colligitur ex pluribus locis ſcripturæ Tobiæ 2. *videte ne furtiuus ſit*, Matth. 27. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, &c.* Roman. 3. *Reddite omnibus debita, &c.* Tum etiam, quia ad remiſſionem peccatorum requiritur contritio, vel ſaltem Attritio coniuncta cum ſacramento, hæc autem continent propoſitum reſtituendi; ergo, &c.

R. 2. Reſtitutionem externam non eſſe neceſſariam neceſſitate medii. Ratio, quia ſequeretur, retinentem rem alienam ex ignorantia inuincibili, aut ex egeſtate non poſſe ſaluari, quod eſt falſum: ratio eſt, quia prætermiſſa reſtitutione aliquando ſalus obtineri poteſt quando ex iuſta cauſa prætermittitur, vt ex impotentia, egeſtate, aut ex ignorantia.

R. 3. Reſtitutionem eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti. Ita ex varijs locis ſcripturæ. Valentia *tom.3. diſp.5. quæſt.6. punt.2.* Leſſius *lib.2. cap.7. dub.*10. Rebellus *lib.2. de reſtit. quæſt.1. num.* 4. Ratio, quia reſtituendo alienum abſtinetur à peccato, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, ſicut etiam abſtinere à quolibet peccato.

R. 4. Præceptum reſtitutionis eſſe affirmatiuum. Ita Leſſius *lib.2. cap.7. n.49.* Clauis regia *lib.10. tract.1. num.7.* & alii. Ratio, quia præceptum affirmatiuum eſt illud quo aliquid præcipitur, & tale eſt præceptum reſtituendi. Tum etiam, quia reſtitutio eſt actus virtutis, qui præcipitur præcepto affirmatiuo.

Sciendum 3. Hanc differentiam eſſe inter Præceptum affirmatiuum, & negatiuum, quod præceptum affirmatiuum eſt illud, quo præcipitur aliqua actio; Præceptum negatiuum eſt illud quo aliquid prohibetur: Præceptum affirmatiuum non ſemper obligat, ſed in aliqua differentia temporis, vt eſt præceptum reſtituendi alienum, vel compenſandi damnum datum: Præceptum verò negatiuum ſemper obligat, vt eſt præceptum non blaſphemandi, non odio proſequendi Deum, aut proximum. Præceptum reſtitutionis includit etiam præceptum negatiuum, ideſt non detinendi alienum, quia eo ipſo, quo præcipimur rem alienam reſtituere, prohibemur etiam rem alienam retinere.

Sciendum 4. Quod præceptum reſtitutionis quatenus affirmatiuum eſt, non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed ſolum in aliqua differentia temporis, & data opportunitate: quatenus verò negatiuum eſt, obligat ſemper, & ad ſemper.

An

An ex ſola violatione iuſtitiæ oriatur obligatio reſtituendi?

BRACTEA. V.

R. Ex violatione ſolius virtutis iuſtitiæ oriri obligationem reſtituendi; & non ex violatione alterius virtutis, v.g. charitatis, pietatis, & miſericordiæ, &c. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 11. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *queſt.* 6. *pun.* 3. & alij. Ratio, quia reſtitutio eſt actus ſolius iuſtitiæ, non autem alterius virtutis. Tum etiam, quia ſola iuſtitia verſatur circa bona vtilia alteri debita, & quę inducit æqualitatem inter datum, & acceptum.

Sciendum ex violatione Charitatis, ſiue alterius virtutis non oriri obligationem reſtituendi, quia ex earum violatione non aufertur alienum. Vnde qui in neceſſitate non ſuccurrit indigenti, vel infirmo non obligatur ad reſtitutionem damnorum pro morte eorum filijs, aut alijs cauſatorum. Similiter non obligatur ad reſtitutionem Medicus, qui noluit ægroto, à quo non habuit mercedem mederi, etiamſi ex illa infirmitate ægrotus mortuus ſit; & ex eius morte multa damna cauſata ſint, quia non medendo non violauit iuſtitiam, ſed Charitatem. Similiter etiam teſtis, qui rogatus ad teſtandum recuſat teſtari abſque mercede, non obligatur ad reſtitutionem damni, ſequuti non ferendo teſtimonium; cum non obligetur ex iuſtitia teſtari, ſed ſolum ex charitate.

An obligatio reſtituendi oriatur ſolum ex peccato mortali, an verò etiam ex veniali?

BRACTEA VI.

R. Obligationem reſtituendi non ſolum ex peccato mortali, ſed etiam ex veniali contra iuſtitiam oriri. Ita Rebellus 2 *part. lib.* 2. *queſt.* 10 *ſect.* 4. *num.* 17. Ratio, quia ſi non obligaretur, ſequeretur, qui plura furta, venialia commiſit, & furando ad ſummam notabilem peruenit, non obligari ad reſtitutionem, quia ſi primum, & ſecundum furtum non obligat, neque alia.

Sciendum, quod quando non adeſt peccatum, ſeu culpa contra iuſtitiam, nulla oritur obligatio ad reſtituendum damnum ſequutum, cum obligatio reſtituendi oriatur ex culpa, ſeu peccat contra iuſtitiam. Rebellus 1. *part. lib.* 2. *queſt.* 4. Leſſius *lib.* 2 *cap.* 7. *dub.* 6. *num.* 26. & alij. Vnde ſi verbo, vel omiſſione ſequutum ſit alteri damnum, & horum nulla adſit culpa, quia inaduertenter fuerit aliquid factum, vel dictum, aut ea obliuione omiſſa non obligari ad reſtitutionem, cum vbi non eſt culpa, ibi etiam non ſit pœna. Similiter ſi quis habuerit depoſitum, vel accommodatum in cubiculo, & egrediens oblitus fuerit claudere oſtium: vnde fures poſteà ingreſſi, ſunt furati, non obligari ad reſtitutionem, cum non adſit culpa. Ita occidens alium caſu, & ex ignorantia putans eſſe feram, & non hominem, etiamſi daret operam rei illicitæ, dummodo vſus ſit diligentia ad præcauendum homicidium nō obligatur ad reſtitutionem, cum non adſit voluntaria culpa. Nauarrus *lib.* 2. *cap.* 1. Reginald. *lib.* 10. *tract.* 1. *num.* 70. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 9. & alii, etiamſi occidens ſi cognouiſſet eſſe hominem eum occidiſſet non obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia reſtitutio oritur ex peccato externo voluntario contra iuſtitiam, non autem ex prauo animo occidendi. Vltimò dans operam rei illicitæ, & iniuſtę, & qui fuit cauſa damni non præuiſi, nec intenti, ſed per accidens prouenientis ex iniuſta actione nō tenetur ad reſtitutionem. Ita Rebellus 2. *part. lib.* 2. *quaſt* 10. *num.* 19. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 140. Molina *tom* 3. *diſp.* 728. Ratio eſt, quia damnum, quod per accidens ſequitur ex actione iniuſta, nō imputatur ad culpam, cum non ſit præuiſum, nec intentum, & per conſequens nec imputari debet ad pœnam reſtitutionis; licet qui paſſus eſt damnum poſſit in iudicio agere, vt ſibi damnum, ita per accidens ſequutum reſarciatur.

Ex qua culpa quis obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VII.

SCIENDVM culpam dupliciter ſumi: Primò Theologicè: Secundò iuridicè; priori modo perinde eſt, ac peccatum mortale, aut veniale: ſecundò modo eſt omiſſio debitæ diligentiæ, quam quis in ſuis negotiis debet adhibere; diuiditur autem culpa iuridica in latam, leuem, & leuiſſimam. Culpa lata eſt omiſſio illius diligentiæ, ſeu circumſpectionis, quam homines regulariter illius conditionis adhibere ſolent, vt ſi quis derelinquat apertum cubiculum, in quo habet pecuniam. Culpa leuis eſt omiſſio illius diligentiæ, quam ſolent diligentiores illius artis, ſeu profeſſionis adhibere. Culpa leuiſſima eſt, quam diligentiſſimi, & prudentiſſimi adhibent. Quo poſito.

R. Neminem obligari in foro conſcientiæ ex culpa leui, vel leuiſſima ex omiſſione eorum, quę pertinent ad ſuum officium, ſed ſolum ex lata culpa. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. *num.* 31. & alii. Ratio, quia in officio obligatur ſolum adhibere illam diligentiam, quam homines illius conditionis ſolent adhibere, cum non teneatur in officio, vel artificio eſſe aliis diligentior, vel prudentior. Vnde Aduocatus, ſiue Procurator non obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti ex culpa leui, vel leuiſſima ſui officij, ſed ſolum ex culpa lata, quia non tenetur eſſe diligentior, aut prudentior quàm paſſim Aduocati, ſeu Procuratores eſſe ſolent. Similiter etiam Medicus in curando infirmum non tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti ex culpa leui, vel leuiſſima. Quod tamen intelligendum eſt, niſi quis profiteretur ſe diligentiorem, aut peritiorem alijs, aut etiam diligentiſſimum, & peritiſſimum, quia tunc tenetur ex culpa leui, ac etiam leuiſſima. Ita Silueſt. *verbo culpa, queſt.* 4. Ratio eſt, quia tunc promittit ſaltem implicitè amplius, quam alii paſſim præſtent, & alter hanc ob cauſam ceſſat meliorē quęrere, ergo niſi hanc diligentiam præſtet, tenebitur ad reſtitutionem, non quidem totius damni, ſed quanti iudicabitur ſpes illa valere, qua alter ſperabat maiori illa diligentia, & peritia, quam quærebat ſe voti compotē fore. Dixi ex culpa lata obligari ad reſtitutionē. Ratio, quia qui ex culpa lata committit aliquid contra ſuum officium grauiter in ipſum cenſetur peccare, & per conſequens mortaliter. Vnde qui ex ignorantia craſſa, vel ex culpa lata præbet alteri conſilium, ex quo ſequitur damnum tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti, ſi id ex officio conſulat. Ratio eſt, quia conſulens ex officio tenetur ſcire, quæ ſpectant ad eius officium, & per conſequens neſciendo cenſetur eſſe in culpa lata; & ideò obligatur ad reſtitutionem Parochus, Confeſſarius, Theologus

Aduocatus, qui in conſulendo committunt culpam latã; ſi verò conſulens ſit indoctus, & non ex officio conſulat, ſi rogatus dat conſilium non obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ratio eſt, quia petentes conſultum ab indocto debent ſibi imputare damnum, quod ſequitur illo conſulto; ſi verò ſua ſponte conſulat, obligatur ad reſtitutionem damni. Ratio eſt, quia peccat contra iuſtitiam, quia ſe immiſcet in dandis conſiliis in rebus, quas non intelligit.

R. 2. Quando contractus eſt in vtilitatem ſolius recipientis, recipiens tenetur de culpa leui, & leuiſſima. Ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 293. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 8. *num.* 40. Azorius 3. *part. lib.* 6. *cap.* 4. Rebellus 3. *par. lib.* 1. *quæſt.* 10. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. Angon. Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 7. *num.* 3. & alij.

Sciendum 2. contractus, qui ſunt in vtilitatem ſolius recipientis eſſe accommodatum, &c. Vnde ſi res gratis accommodata pereat etiam ex culpa leuiſſima recipientis, obligatur ipſe recipiens ad reſtitutionem rei æquiualentis. Secundò, quando contractus eſt in vtilitatem ſolius dantis, tenetur recipiẽs ſolùm ex dolo, & ex culpa lata. Ita Bonacina de *contract. diſp.* 3. *quæſt.* 15. *pun.* 6. *num.* 6. & alij. Ratio eſt, quia adhibens dolum facit alteri iniuriam, & peccat contra iuſtitiam, tum etiam quia ſic diſponunt iura. Tertiò, quando contractus eſt in vtilitatem vtriuſque contrahentis, accipiens tenetur de culpa leui, de dolo, & lata. Ratio, quia æquitas poſtulat, vt qui aliquam rẽ accipit in ſuam vtilitatem eam diligenter cuſtodiat, ne alter damnum patiatur; & ideò locatarius, ementes, vendentes tenentur de culpa lata, & leui, cum ſint contractus in vtilitatem vtriuſque; depoſitarius verò ſolùm tenetur de culpa lata, cum contractus depoſiti ſit ſolùm in vtilitatem deponẽtis. Verùm ſi depoſitarius aliquid accipiat pro cuſtodiendo depoſitum, tenetur tunc de culpa leui; quia tunc contractus ſit in ſecuritatem vtriuſque. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 185. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 72. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. Azorius 3. *par. lib.* 7. *de depoſito*, & alij. Quartò, qui accipit pignus in ſecuritatem crediti tenetur ſolùm de leui, ſi pignus pereat, nõ autem de leuiſſima, cum ſit contractus in vtilitatem vtriuſque. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 23. Rodriquez 2. *part. cap.* 25. *num.* 1. Azorius 3. *par. lib.* 7. *cap.* 8. Angelus *verbo pign.* Silueſter eodem *verbo quæſit.* 14. Quintò famulos teneri ex culpa leui ob damnum ſecutum Domino non benè cuſtodiendo res, quas ex officio tenentur cuſtodire. Ratio, quia cum famulatus, ſeu ſeruitus ſit contractus in vtilitatem vtriuſque; idcircò obligat ex culpa leui, non autem leuiſſima. Sextò Artifices, qui mercede laborant in re aliena, cuſtodes rei alienæ, venditores quibus aliquid datum eſt ad vendẽdum mercede media obligari ex culpa leui ad reſtitutionem, cũ ſint contractus in vtilitatem vtriuſque.

R. 3. Si accommodatum, depoſitum, pignus conductum pereat fortuitò abſque culpa, accipiens non obligatur ad reſtitutionem, ſecluſo pacto, & mora. Ratio eſt, quia ſolùm obligatur accipiens ad reſtitutionem, quando peccat contra iuſtitiam, & eſt in culpa; ſed in iſto caſu non cenſetur eſſe culpa, nec peccare contra iuſtitiam; ergo, &c. Dixi ſecluſo pacto, & mora, quia culpa, pactum, & mora in contractibus obligant ad reſtitutionem.

Sciendum 3. quod ſicut culpa in contractibus iuxta qualitatem contractus obligat ad reſtitutionem, ita & etiam pactum poteſt obligare ad reſtitutionẽ ob caſum fortuitum accepto iuſto pretio in compenſationem grauaminis. Ita Silueſter *verbo Accommodatum*, Angelus *ibidem num.* 14. Armilla *ibidem num.* 7. mora etiã obligat ad reſtitutionem. Vnde qui equũ conduxit per tres, vel quatuor dies, & poſtea fuit in mora reſtituendi, in qua equus ſublatus fuit, vel caſu fortuito perijt, obligatur ad reſtitutionem ratione moræ; ſicut etiam obligatur ratione culpæ, qui equum conduxit, v. g. eundi cauſa in vnam Ciuitatem v. g. Vercellas verſus, ſed conductor poſtea contra pactum, & cõuentionem Mediolanũ ſe tranſtulit, & in via equus à latronibus furatus fuit obligari ad reſtitutionem ratione culpæ commiſſæ contra pactum, & obligationem contractus, cum ſe trãſtulerit Mediolanum contra conuentionem contractus locati.

Quomodo qui rem alienam alienauit, vel conſumpſit, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM rem alienam poſſe tribus modis poſſideri: primò bona fide, illam ſcilicet putans eſſe ſuam, & ignorãs eſſe alienam: ſecundò dubia fide, quando ſcilicet prudenter dubitat, an res quam poſſidet, ſit ſua: tertiò mala fide, idest ſciens eſſe alienam. Hoc poſito.

R. Poſtquam aliquis cognoſcit rem, quam poſſidet eſſe alienam prima opportunitate, tenetur eam reſtituere, niſi per legitimam præſcriptionem, aut vſucapionem acquiſierit Dominium. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 7. Rebellus *lib.* 1. *de reſtit. quæſt.* 3. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 17. Ratio, quia res aliena non poteſt inuito Domino retineri. Secundò, qui rem alienam bona fide conſumpſit, vel alienauit, factus malæ fidei tenetur ſolùm reſtituere id, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Ita Petrus Nauarr. *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 4. Rodriquez 2. *par. cap.* 42. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 2. *num* 7. Clauis regia *lib.* 10. *cap.* 2. *num.* 9. Valentia 2. 2. *diſp* 5. *quæſt.* 6. *pun.* 3. Ratio, quia ſi obligatur ad reſtitutionem obligatur ratione rei acceptæ, quæ amplius non extat; ergò obligatur ſolùm ad id, quod ſuccedit in locum ipſius rei, quod eſt id, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Vnde qui equum furtiuum à milite bona fide emit 25. nummis aureis, & poſtea ipſum vendidit triginta nummis aureis; factus malæ fidei, nimirum equum bona fide, emptum fuiſſe furtiuum, obligatur ſolùm ad reſtitutionem illius pretij, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Secundò Aduocatus, vel Procurator, qui dono acceperunt aliquid furtiuum bona fide, v. g. pallium, aut veſtes ſericas, aut aliquid comeſtibile, & poſt eorum conſumptionem facti ſunt malæ fidei, obligantur ſolùm ad reſtitutionem earũ rerum, ſiue pretij, in quo facti ſunt ditiores, & locupletiores. Similiter inuitatus ad prandendũ apud aliquem res furtiuas, quas bona fide comedit, factus malæ fidei obligatur ad reſtitutionem, in quo eſt ditior, & locupletior factus, vt v. g. ſi apud inuitatum comedit cibum valẽtem triginta ſolidis, & domi ſuæ comediſſet, ſed cibũ valentem decem ſolidis, obligatur ad reſtitutionem viginti ſolidorum, quia in eo cenſetur ditior, & locupletior factus. Si verò mala fide comedit tenetur pro rata parte, v. g. ſi comedit mala fide cibum valentem triginta ſolidis, tenetur ad reſtitutionem triginta ſolidorum. Qui verò dono accepit aliquid furtiuum, quod donauit bona fide, vel in ludis conſumpſit ad nihil tenetur, ſi non aliud ſimile donaſſet, aut in ludis cõſumpſiſſet, quia non eſt ditior, aut locupletior factus. Si verò aliquid aliud donaſſet, vel in ludis conſumpſiſſet, illud obligatur reſtituere, quia in eo

cenſetur

cenſetur ditior, & locupletior factus. Similiter qui bona fide poſſedit hæreditatem, & illius reſpectu, maiores fecit expenſas, quam feciſſet, ſi illam non habuiſſet, poſſe factum malæ fidei in reſtitutione hæreditatis expenſas deducere, quas intuitu hæreditatis fecit durante bona fide. Secus verò de expenſis, quas fecit factus malę fidei. Itém qui bona fide celebrauit contractum vſurarium, quem neſciebat eſſe vſurarium, & poſtea ſciuit eum eſſe vſurarium obligari ſolùm reſtituere id, in quo eſt ditior, & locupletior factus durante bona fide contractus. Secus verò ſi in celebratione contractus laborauerit ignorãtia craſſa, quia tunc ratione omiſſionis debitæ diligentiæ, obligaretur ad reſtitutionem ratione iniuſtæ acceptionis.

R. 2. Quod poſſeſſor bonę fidei poteſt in reſtitutione detrahere expenſas, quas fecit in conſeruando, vel meliorando res, quas bona fide poſſidebat. Ita Sylueſter *verbo reſtitutio*, Angelus *verbo reſtitutio*, & alij. Ratio, quia sunt pecunia appretiabilia, nec præſumuntur gratis facta.

Sciendum 2. quod expenſæ factæ in conſeruando rem alienam ſunt in duplici differẽtia: quædam ſunt ſeparabiles à re ipſa, aliquando ita ſunt incorporatæ, vt nullo modo poſſint ſeparari, quãdo ſunt ſeparabiles à re ipſa poteſt, qui fecit expẽſas ipſas detrahere à re ipſa, quãdo poteſt eas ſeparare abſq; detrimento rei; quãdo verò ſunt inſeparabiles, tunc Dominus rei debet eas reſtituere, vel eas ſoluendo, vel alia ratione cõpenſando. Ita auctores citati. Secũdò poſſeſſor bonę fidei factus malę fidei nõ modo tenetur reſtituere rẽ alienã, ſed etiam fructus perceptos ex re aliena ſi extãt; ſi verò non extant id, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Ita Azorius *lib. 4. cap. 20.* Arragonius 2. 2 *queſt. 62. art. 6.* Salon. *ibidem*, Bannes *ibidem dubit. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub. 2.* & alij. Ratio, quia id, in quo eſt ditior, & locupletior factus ſuccedit in locum rei; tum etiam quia res Domino fructificat.

An poſſeſſor bonæ fidei factus malæ fidei obligetur ad reſtitutionem, ſi res culpabiliter durante bona fide perijt?

BRACTEA IX.

R. Cum Molina *tom. 3. de iuſtit. diſp. 420* Petro Nauar. *lib. 3. de reſtit. c. 4 n. 185.* Rebello *lib. 2. qu. 4.* q ſi res bona fide poſſeſſa durante bona fide perijt factus, malę fidei nihil tenetur reſtituere, etiãſi culpabiliter pereat, niſi id, in quo, pro re aliena factus eſt ditior. Ratio, quia non cenſetur ſcienter offendere ius alterius perſonæ, cum exiſtimaret rem eſſe ſuã; tum etiam quia ſi obligaretur, ad reſtitutionem eſſet, vel ratione rei acceptæ, vel iniuſtæ detentionis; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Non ratione rei acceptæ, cum non amplius extet in re, vel in æquiualenti, & cum deſierit res, deſinit etiam obligatio ipſam reſtituendi. Ita Petrus Nauarr. *lib. 3. de reſtit. cap. 4.* Molina *tom. 1. diſp. 246.* & *diſp. 720 nu. 4.* Rebellus *lib. 3. queſt. 4. num. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub. 1. num. 7.* Clauis regia *lib. 10. cap. 2. num. 4.* Vaſquez *cap. 4. de reſtit. §. 2. num. 5.* & alij; nec etiam tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, ſeu damnificationis quamuis eius culpa perierit. Ratio eſt, quia vt dictum eſt damnificando, rem, non offendit ius tertiæ perſonæ, cum exiſtimaret eſſe ſuam.

An fructus percepti à poſſeſſore bonæ fidei ſint reſtituendi?

BRACTEA X.

Sciendum fructus eſſe in triplici differentia: quoſdam eſſe naturales alios induſtriales, & alios mixtos. Quo poſito.

R. Si fructus sũt ex induſtria ex re aliena percepti ſunt recipientis, ſeu poſſidentis rem alienam bona, vel mala fide, nec vlla datur obligatio reſtituendi. Ita Angelus *verbo Reſtitut.* & eſt communis opinio Doctorum. Ratio, quia hujuſmodi lucra non ſunt fructus rei, ſed meræ induſtriæ humanæ. Si verò fructus ſint naturales, & bona fide conſumpti obligatur ſolùm ad reſtitutionem eorum, in quo eſt ditior, & locupletior factus ante præſcriptionem. Ita Paludanus in 4. *diſt.* 15. *art.* 5. Maior. *quaſt* 16. Angelus, & Silueſter *verbo fructus*, Sotus in 4. *queſt. 7. concluſ. 4.* Ledeſma 2. *par. queſt. 18 art. 6.* Lopes 2. *par. cap. 86. queſt. 4.* Ratio, quia id, in quo eſt ditior, vel locupletior factus ſuccedit in locũ rei, quæ dicitur extare in ęquiualenti, & cum fructus naturales ſint Domini, eique ſunt reſtituendi, & cum nõ poſſit eos reſtituere, quia ſunt conſumpti, æquum eſt, vt reſtituat id, quod in eius locum ſucceſſit, ne Dominus rei damnum patiatur; ſi fructus ſunt mixti, obligatur reſtituere, quoad partem naturalem ſi extat iudicio prudentis, ſi verò nõ extat id, in quo per illam factus eſt ditior, quoad partem induſtriæ dictum eſt ſupra nullam eſſe obligationem.

An poſſeſſor bonæ fidei factus malæ fidei teneatur reſtituere rem Domino, an verò reſcindere contractum?

BRACTEA XI.

R. Acceptum bona fide per contractum gratioſum tenetur id Domino reſtituere prima opportunitate ſtatim, ac cognouit eſſe alienam. Ratio, quia iuſtitia obligat ad reſtituendam rem alienam vero Domino, quoties commodè fieri poteſt ſine damno innocentis. Ita Nauarrus *cap 17. num. 6.* Silueſter *verbo Reſtitutio queſit. 3.* Toletus *lib. 7. cap. 17. num. 12.* & alij.

Sciendum, vt alibi dicetur contractus eſſe in duplici differentia quoſdam eſſe gratioſos, alios verò oneroſos. Contractus gratioſus dicitur ille, quo aliquid traditur, vel promittitur abſque pretio, vel mercede; contractus verò oneroſus eſt ille, quo onus imponitur, vt eſt venditio, &c.

Sciendum 2. rem gratis, & bona fide acceptam à non Domino poſſe etiam ſtatim, ac cognoſcitur eſſe alienam reſtitui ei, à quo fuit accepta, dummodo reſtituens moraliter ſit certus reſtituturum illum eſſe rem Domino; quod ſi moraliter non eſſet certus ipſum non eſſe rem reſtituturum Domino, non poſſet illi rem reſtituere, ſed obligaretur eam Domino reſtituere.

R. 2. acceptum bona fide per contractum oneroſum, v.g. venditionis &c. non obligatur domino reſtituere, ſed poteſt reſcindere contractum, & reſtituere illi, à quo bona fide accepit, vt pretium ſuũ recuperet. Ita Nauarrus *cap. 17. num. 6.* Silueſter *verbo reſtitutio, queſit. 10.* Vaſquez *cap. 9. dub. 3. num. 13.* To-

letus

letus *lib.2.cap.17.num.12.*Rebellus 1 *part.lib.2.quæſt.9. num.3.*Azorius *3.part.lib.4.cap.3.quæſito* 1.Leſſius *lib.2. cap.14.dub.3.* & alij. Ratio, quia ex iuſtitia, & ex Charitate tenetur magis ſibi conſulere, & fauere quam alijs. Tum etiam quia dominus ſi erit inuitus rationabiliter erit.

Sciendum 3. quod mullio, aut alius, qui bona fide res alienas, ſeu furtiuas accepit aſportandas in alium locum contractu oneroſo,factus in via malæ fidei obligatur eas reſtituere vero domino. Verum ſi domino non poteſt reſtituere abſquè graui ſuo præiudicio, vt ſi amiſſurus eſſet mercedem, poteſt rem acceptam illi reſtituere, cui tradendam accepit à fure, quia cum bona fide acceperit non obligatur cum notabili ſuo damno vero domino rem reſtituere. Secus verò ſi mala fide accepit, quia tunc cum amiſſione mercedis, & ſtipendij obligatur rem verò domino reſtituere, quia alioquin eſſet particeps furti. Similiter dicendum eſt, eum qui bona fide à non domino emit rem alienam poſtquam cognouit eſſe alienā obligari eam reſtituere verò domino, ſi non inuenit illum à quo ipſam rem emit,vt ab eo pretium recuperet, cum res aliena inuito domino retineri non poſſit.

R.3.acceptum mala fide contractu oneroſo,nimirum contractu venditionis verò domino eſt reſtituēdum, etiamſi reſtituens pretium ſit amiſſurus.Ità Nauar.*cap.17.num.6.*Leſſius *lib.2.cap.14.dub.3.*Rebellus 1.*part.lib.2.quæſt.9.num.5.*& non ſolum obligatur ratione rei mala fide acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis,cum mala fide acceperit rem alienam inuito domino.

Sciendum 4. Quod ſi quis rem alienam emerit exiguo pretio animo reſtituēdi eam domino ſtatim, ac inuentus fuerit dominus, poteſt repetere pretiū, & dominus obligatur in conſcientia ipſum reſtituere, quia vtiliter cenſetur geſſiſſe rem domini, cum ipſe nolit pro ſe rem retinere,ſed vt eam è periculo eximeret, & ne domino periret. Si verò animo reſtituendi eam domino ſoluerit magnum,vel æquale pretium,dominus non tenetur totum pretium reſtituere, cum vtiliter rem domini non geſſerit, tenetur tamen ad aliquid arbitrio prudentis viri. Si verò eam emerit animo retinendi rem ipſam, nec reſtituendi eam,non poterit pretium repetere. Similiter dicendum,quod ſi res aliena bona fide empta, ita cum proprijs ſit permixta,vt diſcerni nequeat nō obligatur factus malæ fidei ad reſtitutionem eiuſdem, nec etiam reſcindere contractum, cum eiuſdem rei acquiſierit dominium per commixtionem cum proprijs, obligatur tamen ad reſtitutionem rei, qua eſt ditior, & locupletior factus, vt v. g. ſi quis frumentum, vinum, & oleum furtiuum emerit, & cum ſuis commixuerit, ita vt diſcerni, & ſeparari amplius nequeant, eiuſdem rei non obligatur amplius ad reſtitutionem, cum acquiſierit dominium per commixtionem, ſed ſolum obligatur ad id, in quo per talem contractum factus eſt ditior, & locupletior.

Poſſeſſor bonæ fidei dubitans rem eſſe alienam neglexit indagare verum Dominum, & poſteà impotens factus eſt ad ſciendum: quæritur ad quid obligetur?

BRACTEA XII.

R. Possessor bonę fidei dubitans,qui neglexit inquirere dominum, & poſteà impotens factus eſt ad ipſum ſciendum peccauit mortaliter, ſed non obligatur ad reſtitutionem. Ita Bonacina de *contract.diſp.1. quæſt. 2. pun.2.num* 8. & alij. Ratio, quia peccauit mortaliter eſt, quia non inquirendo egit contrà Charitatem proximi,& expoſuit ſe periculo retinendi rem alienam. Ratio, cur non obligetur ad reſtitutionem eſt, quia cæpit poſſidere bona fide, & melior eſt conditio poſſidentis.

Sciendum,quod cum aliquis certò ſit damnum intuliſſe obligatur ad reſtitutionem, qui autem dubitat an actione, vel omiſſione fuerit alijs cauſa dāni,non obligatur ad reſtitutionem, cum poſſeſſio illi ſuffragetur, & ſi non eſt vſus diligentia ad ſciendam veritatem peccauit mortaliter,ſed non obligatur ad reſtitutionem contrà Molinam *tom.1. diſp.36.* Sanchez in *ſumm.tom.1.lib.2.cap.21.num.183.*& alios.

An qui aliquid lucratur ex alieno inſtrumento lucrum reſtituere debeat?

BRACTEA XIII.

R. Qvi aliquid lucratur ex alieno inſtrumento poſſe ſibi retinere lucrum. Ita Rebellus de *obligat.iuſtit.lib.2.de reſtitut.quæſt.4.num.6.* Ratio, quia huiuſmodi lucrum eſt lucrum ex induſtria, & non rei, niſi in quantum ſubeſt humanæ induſtriæ, ſed ſatis erit quod reſtituat inſtrumentum, & valorem vſus ipſius,arbitrio prudentis viri, quia in eo tantum factus eſt ditior.

Sciendum quod quando fructus ſunt mixti, ideſt partim ex induſtria, partim ex re ſi magis participēt de induſtria, quam de re cēſentur fructus induſtriales, & debent cedere poſſeſſori ponenti induſtriam deducendo valorem rei,quia in illa cenſetur ditior, & locupletior factus. Vnde ſi quis in aliena tabula picturam bona fide pinxerit, tabula pictori cedit cum ridiculum ſit picturam Apellis, vel alterius in acceſſione viliſſimæ tabulæ cedere, & ſi magis arbitrio Prudentis participarent de re,quam de induſtria, induſtria cederet rei deducendo valorem induſtriæ,cum in ea ſit factus ditior.

An poſſeſſor bonæ fidei dubitans, rem eſſe alienam poſſit ipſam retinere, & alienare?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM dubium eſſe, quando animus, & intellectus non magis inclinat in vnam, quam in aliam partem,ſed manet anceps in neutram partem inclinans, opinionem verò, quando intellectus adhæret vni parti non certò, & firmiter, ſed cū formidine oppoſita. Quo poſito.

R.Qui

R. Qui bona fide rem alienam accepit, & poſteà dubitare incepit an ſit aliena, tenetur inquirere veritatem, & manente dubio poſt inquiſitionem poteſt eam ſibi retinere, aut alienare. Ita communiter omnes. Ratio, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.

Sciendum 2. eum qui bona fide accepit, & poſteà dubitare incepit alienam, eſſe teneri adhibere diligentiam ad rei veritatem ſciendam, quia niſi adhibuerit diligentiam exponit ſe periculo retinendi rem alienam cum peccato: qui autem amat periculum peribit in illo Eccleſiaſtic. 3. & ita Silueſter *verbo reſtitutio* 3. Azorius 3. *part. lib.* 2. *cap.* 19. Sanchez *lib.* 2 *de matrim. diſp.* 42.

Sciendum 3. dubitantem rem quam poſſidet alienam eſſe, poſtquam vſus eſt diligentia ad inquirendā veritatem, ſi adhuc eſt in dubio, iuſtè poſſe illam retinere, & alienare, quia cenſetur manere in poſſeſſione bonæ fidei, & inuēto poſteà domino obligari ſolum reſtituere rem ſi extat, & in quo eſt ditior, & locupletior factus, ſi non extat. Secus autem de eo, qui poſtquam dubitare incepit alienam eſſe, non eſt vſus diligentia ad ſciendam veritatem, quia comperto domino non ſolú tenetur reſtituere id, in quo eſt ditior factus, & locupletior, ſed etiam obligatur reſtituere rem ipſam, & fructus conſumptos ex eo tempore, quo dubitare cæpit alienam eſſe, & debitam diligentiam non adhibuit, quia tunc incepit poſſidere mala fide, & contra iuſtitiam. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *num* 24. Rebellus *lib.* 2. *de reſtit. q.* 3. *n.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 23.

R. 2. Qui dubitat, an ſit res aliena, poteſt nihilominus eam titulo donationis accipere, permutationis, emptionis, modo accipiat eo animo, vt eam domino reſtituat, ſi poſtquam vſus fuerit diligentia eum inuenerit. Secus autem ſi probabiliter crederet rem eſſe furtiuam, & mala fide poſſideri. Ratio, quia accipiendo cenſetur potius afferre beneficium domino, quam iniuriam.

Sciendum 4. Quod accipiens rem, de qua dubitat eſſe alienam animo ſibi eam retinendi, peccare quidem, ſed non obligari ſtatim eam reſtituere, ſed debere mutato animo vti diligentia ad ſciendam veritatem cuiuſnam ſit, & moraliter certus de veritate eam cum fructibus reſtituere etiam cōſumptis; Si verò poſtquam vſus eſt diligentia ad huc remanet in dubio alterius eſſe, non poteſt totam rem retinere ſibi; ſed ſolum ad ratam dubii plus, vel minus retinendo, ad ratam dubii illi aſſignando, & tribuendo ſuam partē ſi perſona nota eſt; ſi verò ignota pauperibus tribuendo partem, de qua dubitat ſuam non eſſe; Caiet. *quaeſt.* 62. *art.* 5. Sotus *lib.* 4. *quaeſt.* 7. *art.* 1. Medin. *quaeſt.* 27.

Sciendum 5. Etiam dubium aliquando eſſe æquale, ita vt dubitans æqualiter dubitet rem eſſe ſuam, an alienam; aliquando inæquale, ita vt inæqualiter dubitet eſſe ſuam, an alienam. In pari dubio non poteſt dubitans rem ſibi totam retinere, ſed ſolum dimidiū ipſius rei. Si verò dubium erit inæquale, & probabilius dubitet rem eſſe alienam maior pars tribuenda illi, cuius dubitat eſſe, ſi verò probabilius dubitet rem eſſe ſuam, poterit ſibi retinere maiorem partem, quia in pari dubio poſſeſſio neutri ſuffragatur, & inæquali magis ſuffragatur illi, de quo magis dubitat eſſe ſuam. Leſſius *cap.* 14. *dub.* 4.

R. 3. Poſſeſſor bonæ fidei dubitans rem alienam eſſe non poteſt manente dubio vti re ipſa ſi rēs eſt conſumptibilis vſu; ſecus verò ſi non eſt conſumptibilis: Ita Rebellus *lib.* 2. *de reſtitut. quaeſt.* 5. *n.* 10. Em. Sà *verbo reſtitutio*. Ratio, quia ſi res eſſet conſumptibilis, dominus eſſet inuitus, eo quod conſumeretur, aut deterior efficeretur; ſi verò non eſſet conſumptibilis, dominus non eſſet inuitus, quia ipſi iniuria non fieret.

R. 4. Qui poſſeſſori bonæ fidei abſtulit rem aliquam, putans, vel dubitans eſſe ſuam, obligatur eam integrè illi reſtituere. Ita Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *nu.* 334. Bonacin. *diſp.* 3. *quaeſt.* 2. *num.* 15. Ratio, quia cum melior ſit conditio poſſidentis bona fide non poteſt dubitans alterum ſpoliare ſua poſſeſſione, niſi certò conſtet rem eſſe ſuam. Vnde vt dicetur infra in compenſatione facienda requiritur certitudo.

Sciendum 6. Dubium eſſe, an qui poſſidet rem, & dubitat eſſe alienam, & non vſus eſt diligentia ad ſciendam veritatem, deinde manente etiam dubio impotens factus eſt ad eam ſciendam obligetur ad reſtitutionem? Ad quod reſpondendum eſt affirmatiuè. Tum quia ratione dubij non cenſetur amplius poſſeſſor bonæ fidei, & quia perſona cui reſtituendum eſt, non eſt nota, pauperibus eſt facienda reſtitutio. Rebellus *quaeſt.* 5. *num.* 12. Molina *tom.* 1. *diſp.* 36. *conſil.* 1. Sanchez in *ſum. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 183.

An qui vendit aliquid cum dubio, debeat habere propoſitum reſtituendi pretium domino ſi fuerit repertus?

BRACTEA XV.

R. VENDENTEM aliquid cum dubio non debere habere propoſitum reſtituendi pecuniam domino ſi compertus fuerit. Ita Sanchez in *decal. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 189. Ratio, quia ſi obligaretur eſſet ratione pretij accepti, quod ſuccedit in locum rei: ſed non obligatur, cum vendiderit poſtquam vſus eſt diligentia ad inquirendum dominum.

Sciendum ex Sanchez in *ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 23. *nu.* 2. pretium ſuccedere loco rei non eſſe verum vniuerſaliter, ſed in ſolis vniuerſalibus iudicijs, cuiuſmodi ſunt hereditas, fide commiſſum, dos, &c.

Secundò, Poſſeſſorem dubium qui non habet indicia generantia aſſenſum contrarium cenſeri in bona fide, & non teneri poſt venditionem ad aliam reſtitutionem, niſi in quo eſt ditior, & locupletior factus. Rebellus de *obligat. iuſtit. part.* 2. *lib.* 9. *quaeſt.* 18. *ſect.* 1. *num.* 12. Affirmatiuam ſententiam tenet Sayrus in Claui regia *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 29. cuius ratio hæc eſt; nam ſi illam rem haberet, & vellet retinere eius animi eſſe deberet, vt rem domino reſtitueret, ſi comperiretur; ergo etiam eam vendendo, & pretium pro ea recipiendo parato animo eſſe debet, vt cognito vero domino pretium rei venditæ reſtituat, cum pretium loco rei ſuccedat, qui citat pro hac ſententia Medinam *C. de reb. reſtituendis, quaeſt.* 10. *conſil.* 3. Couar. in *regul. peccatum de regul. iuris lib.* 2. *quaeſt.* 2. Salonium, ſed merito requiritur à Sanchez, vt ſupra.

Poſſeſſor malæ fidei dubitans cuiuſnam ſit res, quam poſſidet quid teneatur facere?

BRACTEA XVI.

R. POSSESSOREM malæ fidei dubitantem cuiuſnam ſit res, quam poſſidet teneri vti diligentia ad ſciendam veritatem, & ſi non

poteſt

poteſt rei veritatem inuenire, teneri cum fructibus reſtituere rem ad ratam dubij inter eos, quorum eſſe dubitat. Ita Leſſius *lib.2.cap.14.* Vaſquez de *reſtitut.cap.6.dub.7.* Ratio, quia poſſeſſio non ſuffragatur poſſeſſori malæ fidei, & cum non ſit maior ratio, cur vni, potius quam alteri, par eſt, vt ad ratam dubi i diſtribuatur.

Sciendum, poſſeſſorem malæ fidei, qui certò ſcit, rem quam poſſidet eſſe alienam, ſed dubitat quorum ſit, teneri inter eos diuidere rem, de qua dubitat, ſi verò perſonæ ignorantur obligari eam pauperibus dare, aut locis pijs, cum loco perſonarum ſubrogentur.

Si autem poſſeſsor non ſit certus, rem eſse alienam, ſed ſolum dubitet, poſt adhibitam diligentiam, ſi adhuc dubitet eſse alienam, non obligatur ad integram reſtitutionem, ſed ſolum ad partem, & ad ratam dubij, quia ſicut poteſt eſse, quod res ſit aliena, ita è contra poteſt eſse, quod non ſit aliena, & non obligatur potius alijs, quam ſibi conſulere. Vnde ſi dubium erit æquale, dimidium obligatur reſtituere, & dimidium poteſt ſibi retinere: ſi verò inæquale iuxta qualitatem dubii debet reſtituere: Quod ſi res de qua dubitatur an ſit aliena, non poſſit diuidi, vt ſunt gēmæ, animalia, &c. aut ſunt vēdēdæ, & pretium diuidēdum inter eos, quorum eſse dubitatur, aut mittendę ſunt ſortes de communi conſenſu partium, & ſi vna perſona, de qua dubitatur ſit ignota, ſi poſt diligentem inquiſitionem non inueniatur eius pars pauperibus, vel locis pijs tribuenda eſt. Sanchez in *ſum. lib.2. diſp.41. num.25.* Molina *tom.3. diſp.721. num.5.* & alii.

Sciendum 2. Quod hæres, qui mala fide incepit poſſidere aliquam rem, v. g. domum, quam defunctus bona fide poſſidebat, deinde cœpit dubitare, an illius domus ſit verus hæres, tū dominus non poteſt ipſam domum integrè poſſidere, ſed ſolum ad ratam dubii, diuidendo eam inter eos, quorum eſſe dubitat. Molina *tom.1.diſp.81.* Idem dicendum eſt de eo, qui incepit aliquam rem occupare, cum nondum ab alio poſſideretur, dubitans an verè illius rei dominium habeat, non poſſe integrè ipſam rem poſſidere, ſed ſolum ad ratam dubii.

R. Non ſolùm in materia iuſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum hanc regulam valere, quod melior ſit conditio poſſidentis. Ita Rebellius *1.part. quæſt.2. ſect.2.* Henriquez *lib.14.cap.4. num.4.* Suarez *tom.1. de cenſuris diſp.40.ſect.5.num.15.* Sanchez *lib.1. de matrim. diſp.2.* & alii. Ratio, quia poſſeſſio eſt titulus communis omnibus virtutibus, tam in materia iuſtitiæ, quam in materia Religionis, &c. Tum etiam, quia patet in dubio iuris, ſiuè voti, ſiuè alterius legis obligantis nullam eſſe obligationem.

Sciendum 3. Quod quando dubiū eſt iuris, & non facti ſemper in fauorem, & pro libertate eſt iudicandum, vt v. g. quando quis dubitat verum tale ius exſtet tunc in fauorem ſubditi, & pro eius libertate eſt iudicandum, quia in dubio iuris fauorabilior pars eſt tenenda. Similiter ſi quis dubitet, an votum, vel iuramentum emiſerit in fauorem eius, eſt iudicandum, ſi dubium de voto, aut iuramento erit æquale, ſi autem inæquale, ita vt præponderet magis in partem affirmatiuam, tunc ad ratam dubii votum erit ſeruandum, & iuramentum; ſi verò nō dubitauit, ſed opinabitur, tunc tenetur, & votum, & iuramentum ſeruare; quia & ſi dubium faueat dubitanti, non tamen opinio. Ita qui alteri promiſit, v. g. matrimonium, facta ſufficienti diligentia adhuc dubitat de promiſſione, non obligatur promiſſionem adimplere, cum poſſeſſio ſtet pro libertate, & dubitetur de promiſſione, & in dubio iuris melior ſit conditio poſſidentis.

Quod ſi dubium non erit iuris, ſed facti, tunc in fauorem facti eſt iudicandum, vt v. g. ſi quis certò ſcit, ſe aliquid vouiſſe, vel promiſiſſe, ſed dubitat, an habuerit intentionem ſe obligandi per votum, aut promiſſionem, tunc in fauorem voti, & promiſſionis eſt iudicandum, quia obligatio naturaliter ſequitur promiſſionem, niſi contrarium expreſſè intendatur. Clauis regia *lib.1.cap.13.* Sanchez *lib.1.de matrim. quæſt.1.pun.1.num.12.* Similiter ſi quis certò ſciat latam eſſe legem, ſed dubitet, an ipſe ratione alicuius circunſtantiæ liber ſit à lege, in fauorem legis dicendum eſt, ipſum eſſe obligatum ad ipſam ſeruandam, cum conſtet legem eſſe latam, ſed dubitetur, an ipſe liber ſit à lege. Idem dicendum eſt de eo, qui certò ſcit ſe iuraſſe dare, vel facere aliquid, ſed dubitat, an habuerit intentionem ſe obligandi per iuramentum, aut ipſum adimplendi, iudicandum eſſe in fauorem iuramenti, cum poſſeſſio ſtet pro ipſo, quia acceſſorium ſequitur ex natura ſua ſuum principale, & naturam eius, cuius eſt actus, & nemo præſumitur iurare, niſi id quod in corde habet.

Quidam dubitans à poſſeſſore bonæ fidei equum emit: quæritur ad quid obligetur?

BRACTEA XVII.

R. QVI cum dubio à poſſeſſore bonæ fidei equum emit facta diligentia non comparente domino poterit ipſum retinere. Ita Merola *tom.1.diſp.3.cap.3.corol.5.num.5.* Rebel. *part.1. lib.2.de reſtit.quæſt.3.num.7.* Molina *tom.1 tract.2.diſp.46.* & alij. Ratio, quia ſuccedit loco poſſidentis à quo emit, & ſicut ille facta diligentia non comparente domino poterat retinere, ita, & iſte. Secus verò dicendum erit, ſi equum emerit à poſſeſſore malæ fidei, quia facta diligentia, etiam obligatur ad reſtitutionem iuxta qualitatem dubij, quia poſſeſſio non ſuffragatur poſseſsori malæ fidei.

Sciendū, illum dici emptorem bonæ fidei, qui nō modo non dubitat de equo, an ſit furtiuus, ſed etiā nullam habet ſuſpicionem de vendente ſolitum eſſe multa vendere furto ſublata. Quod ſi vendens erit talis ſuſpicionis, debet vti diligentia ad ſciendum, an iuſtè emat, quod ſi non præmiſsa diligentia emerit, debet poſtea vti, & ſi poſtea perſeuerat dubium, an legitimè fuerit venditus, tunc pro quantitate dubij reſtituere debet partem valoris equi empti. Molin. *tom.2.tract.2.diſp.35.* Sanchez de *matrim.tom.1.lib.2. diſp.45.num.27.* & alii.

MALLEATIO XXII.

De cooperantibus ad damnum.

Quot modis cenſeatur quis cooperari ad damnum?

BRACTEA I.

SCIENDVM dupliciter aliquem poſſe inferre damnum: primò immediatè: ſecundò mediatè. Infertur damnum immediatè accipiendo, retinendo rem alienam, vel etiam exequendo aliquam actio-

actionem, à qua immediatè ſit damnum. Mediatè verò conſulendo, mandando, &c.

Sciendum 2. eſſe nouem modos, quibus cooperatur ad damnum alterius mediatè, vel immediatè, his verſiculis comprehenſi.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Qui concurrit ad damnum ſex primis modis concurrit poſitiuè tribus autem vltimis negatiuè; & aliquando poſitiuè concurrendo eſſe cauſam totalem damni, aliquando partialē, vt quando ſunt plures conſulentes, & plures mandantes aliquod damnum.

R. Quod quando plures cauſæ concurrunt conſulendo, vel mandando vnum indiuiduum damnum vnaquæque illorum, cenſetur cauſa totalis illius damni. Quandò verò concurrunt conſulentes non idem indiuiduum damnum, non cenſentur cauſa totalis; ſed partialis; v.g. cauſæ conſulentes idem homicidium, ſeu furtum, &c. cenſetur cauſæ totales illius damni, cauſæ verò, quę non concurrunt ad eundum in indiuiduo effectum, ſed indiſtinctum, ſeu non concurrunt in primarium affectum, ſed ſolùm in ſecundarium non cēſetur illius cauſæ totales, ſed ſolùm partiales, vt v. g. concurrentes phyſicè, vel moraliter ad furtum vituli cenſentur cauſæ totales furti; at verò concurrentes ad comedendum vitulū furtiuum non ſunt cauſæ totales, ſed partiales, quia non concurrunt in primarium effectum furti, ſeu in damno faciendo, ſed in ſecundarium effectum, ſcilicet comeſtionis, ſeu in damno facto. Similiter concurrentes ad furtum dicuntur cauſæ totales, participātes de furto poſt ipſum factum, ſunt cauſæ partiales. Ita milites deprædantes aliquam villam, vel rus, vel domum cenſentur cauſæ totales illius deprædationis, at verò alij participantes de præda non ſunt cauſæ totales, ſed ſolùm partiales; cum non concurrant in primarium affectum deprædationis, ſeu malum faciendum, ſed ſolùm in ſecundario diuiſionis prædæ, ſeu in malo facto. Ita qui jam antea lethaliter vulneratum, denuò vulnerat, ſi vulneratus moriatur; qui ſecundariò vulnerauit, non cenſetur cauſa totalis ipſius mortis, ſed ſolùm partialis, cum ob lethale vulnus prius datum, mors iam ille eſſet euētura; & per conſequens non cenſetur cauſa mortis, ſed ſolùm accelerationis eiuſdem.

Sciendum 3. differentiam eſſe inter cauſam, & occaſionem damni: cauſam damni illam eſſe, quæ phyſicè; vel moraliter influit in damnum; occaſionem verò damni illam eſſe, quæ non per ſe, ſed ſolùm remotè, & per accidens eſt cauſa damni, vt v.g. dum platea inter ſe confabulantur, pertranſiuit equus vnius Equitis, & vnus illorum dixit, ille equus charus eſt Domino ſuo centum nummis aureis, ex quibus aliqui aſtantium arripuerunt occaſionem furandi ipſum equum. Vnde qui tale verbum dixit, non cenſetur cauſa damni ſecuti Domino per furtum, cū ipſe nec phyſicè, nec moraliter habuerit intentionem ipſius, ſed ſolùm cenſetur occaſio, quia ex eius verbis alij ſurripuerunt occaſionem furandi ipſum equum.

Sciendum 4. illam cauſam eſſe efficacem, & teneri ad reſtitutionem, quæ influit, & moraliter concurrit ad actum, quo infertur damnum, quo proximo nocetur; etiamſi abſque eius opera damnum illud fuiſſet ac aliis illatū. Ratio, quia ſicut in naturalibus, illa eſt efficax cauſa, quæ realiter producit effectum. Ita in moralibus quicunque influit, & concurrit ad actionem iniuſtam; etiamſi illa ſine ipſo eſſet futura, cenſetur cauſa efficax ipſius; & ideò optima regula erit, quod quotieſcunque aliquo poſito, quod influit in effectum, ſequitur talis effectus, & eo ablato, vel non ſequitur, vel ſi ſequitur, alio modo ſequitur; ſine dubio, cauſa eſt efficax illius effectus. Ratio eſt, quia ex quo deficit ille ſolitus modus, ex defectu illius, ſignum eſt euidens habuiſſe influxum in illo effectu.

Quomodo qui poſitiuè cooperantur ad damnum, obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA II.

R. Quicunque aliquo ex prędictis modis poſitiuè concurrit ad actionem damni, tenetur ad reſtitutionem. Ita Azorius 3. *par. lib. 4. cap.* 10. Rebellus *lib. 2. de reſtit. quæſt.* 14. *num.* 1. Em. Sa *verbo reſtitutio*, & alij. Ratio, quia cenſentur cauſa iniuſta damni poſitiuè concurrendo: ergo, &c.

Sciendum, quod ſi effectus damni taliter determinatus ſit ab vna cauſa, vt conſulentes, conſentientes, &c. poſtea in ipſum effectum nullo modo influerent mouendo, animando, vel accelerādo, vel ad aliquid amplius faciendum, ac tales ſunt, ac ſi non eſſent, cum abſque illis damnum æquè erat inferendum, non obligantur ad reſtitutionem. Et ita communiter Doctores. Ratio, quia poſteriores cauſæ cenſentur non influere in effectum, cum damnum ex ipſis non ſequatur tanquam ex cauſa. Secus dicendum erit, ſi aliquo modo influant in circunſtantiam facti, vt v.g. celerius, vel in alio loco cōmodiore fiat, &c. quia tunc obligantur ad reſtitutionem, cum ratione harum circunſtantiarum influant in effectum totalem, licet non influant in ſubſtantiam facti.

An qui dubitat ſuo mandato, vel conſilio, an fuerit cauſa damni, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA III.

R. Dubius an ſua actione, vel omiſſione cooperatus ſit ad malum, adhibita diligentia, ſi dubium perſeuerat, non obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. *dub.* 38. Rebellus *lib.* 2. *de reſtit. quæſt.* 14 *ſect.* 2. Henriquez *lib.* 14. *cap* 13. *num.* 41. Reginal. *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 41. Em. Sa *verbo Reſtitutio num* 34. Sanchez in *ſumm. lib* 1. *cap.* 10. *num.* 44. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 7. Ratio, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.

Sciendum, quod ſi quis dubitat, an ſuo mandato, vel conſilio fuerit cauſa alicuius mali, non obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti, quia poſſeſſio ſtat pro ipſius libertate, nec in foro externo præſumitur contra ipſum. Sanchez in *ſumm. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 21. & alij. Secundò, ſi dubitet, an depoſitum, vel accommodatum ſua culpa perierit non teneri ad reſtitutionem, quia poſſeſſio ſtat pro ipſo. Ita Sanchez *loco cit. num.* 181. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 15. & alij, & ſic de ſimilibus dicendum erit.

An

An qui poſitiuè concurrunt ad damnum, obligentur ad reſtitutionem inſolidum?

BRACTEA IV.

Sciendvm cauſam damni duplicem eſſe, vnam totalem, & alteram partialẽ. Cauſa totalis eſt, quę totius damni cẽſetur cauſa: cauſa verò partialis dicitur, quæ non totius, ſed alicuius partis tantum damni eſt cauſa, ſeu cauſa totalis eſt, quæ concurrit in damno faciendo, cauſa verò partialis, quæ ſolùm concurrit in damno dato. Quibus poſitis.

R. Concurrentes ad damnum quinque prioribus modis ſunt obligati inſolidum ad reſtitutionem, ſi concurrunt in damno faciendo; ſecus verò dicendũ, ſi concurrunt in damno dato, quia priori modo cenſentur cauſa totius damni: poſteriori verò modo ſolummodo partis. Ratio, quia cauſę debent concurrere ad reſtitutionem damni eo modo, quo illius fuerunt cauſa; ergo ſi participat in re auferenda, cenſetur obligata inſolidum; ſi verò in re ablata ſolùm pro rata parte, & non inſolidum, cum non ſit cauſa totius damni ſecuti. Secundò, quando plures concurrunt ad eundem in indiuiduo effectum damni, obligantur inſolidum ad reſtitutionem ipſius; ſi verò ad diſtinctum obligantur ſolùm pro ſua rata parte. Ita Salon. 2.2. *quæſt. 62. art. 7.* Bannes, Arragon. *ibidem*, Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 6. pun. 3.* Azorius 3. *part. lib. 4. cap. 19.* & alij. Ratio prioris partis eſt, quia cenſetur cauſa totalis; ratio ſecundæ partis eſt, quia in iſto caſu cenſetur ſolùm cauſa partialis.

Sciendũ 2. quod Dux exercitus obligatur ad reſtitutionẽ dãnorum ſuo iuſſu, vel conſilio, aut cõſenſu, iniuſtè alicui Ciuitati, &c. illatorum. Ratio eſt, quia ſuo iuſſu, conſilio, &c. cenſetur cauſa totius damni ſecuti; militem verò, qui alios non induxit ad deprædandum, non obligari ad reſtitutionem inſolidum, ſed ſolùm in eo, in quo particeps fuit; ſimiliter etiam quando pluries ingreſſi ſunt vineam alicuius, & ſinguli exiguam quantitatem vuæ acceperunt, ſi de communi conſenſu, vel viciſſim ſe cohortantes, vel ſcienter, &c. quiſque illorum inſolidum cenſetur obligatus, quia ſinguli cenſentur cauſa totius damni. Azorius 3 *par. lib. 4. cap. 19. quæſit. 2.* Rebellus *lib. 2. de reſtitut. quæſt. 15. num. 5.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num.* 18. Quod ſi non de communi conſenſu, nec ſcienter, nec viciſſim ſe cohortantes, ſinguli ſolùm tenentur ad reſtitutionem pro ſua rata parte rei acceptæ, quia in iſto caſu non cenſentur cauſæ totales, ſed ſolùm partiales. Ita aſportantes aliquid de domo alicuius, v.g. cauſam ſinguli obligantur ad reſtitutionem inſolidum, cum concurrerint in actione totali, ideſt in re auferenda, etiamſi ſinguli illorum potuiſſent illam auferre. Quod etiam dicendum eſt de illis, qui de communi conſenſu, vel ſcienter, vel ſe inuicem cohortantes incendunt ſegetes alicuius, vel domum, vel aliquod rus, obligari ſcilicet inſolidum ſingulos ad reſtitutionem, licet quiſque eorum abſque alio potuiſſet hoc facere.

Quo ordines concurrentes poſitiuè ad damnum obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA V.

R. Si damnum datum erit per furtum res accepta ſi extat, aut æquiualens eſt primo loco reſtituenda, aut ſi poſſeſſor erit bonæ fidei, id, in quo eſt ditior, & locupletior factus, ſi res amplius non extet. Ita Molina *diſp. 737. num. 2.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num. 25.* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 5. num. 40.* Azorius 3. *part. lib. 4. cap. 19. quæſit. 3.* & alij. Ratio, quia res aliena, vel eius effectus nullo iuſto titulo retineri poteſt, quia ſemper pro domino clamat.

Sciendum hanc eſſe differentiam reſtitutionis inter poſſeſſorem bonæ, & malæ fidei, quod poſſeſſor bonæ fidei, qui bona fide conſumpſit rem alienam obligatur ſolum ad reſtituendum id, in quo eſt ditior, & locupletior factus; poſſeſſor verò malæ fidei, ſi res extat tenetur eam reſtituere, & ſi non extet debet reſtituere æquiualentem perinde, ac ſi res extaret.

R. 2. Inter cauſas cooperantes primo loco reſtituere tenetur iubens damnum, dummodo influxerit in effectum, & habuerit auctoritatem ſuprà illũ cui præcepit damnum. Ita Silueſter *verbo Reſtitutio,* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 5. num. 41.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num. 41.* Nauar. *lib. 4. cap. 4. num. 75.* & alij. Ratio, quia primario, & principaliter influit in effectum damni, ergo etiam primario debet reſtituere.

Sciendum 2. quod ſi cauſa præcipiens delictum non habeat auctoritatem ſuprà illum, cui præcepit, & coactiuè non præceperit, ſed præceperit delictũ media mercede, & exequens liberè ſuſcepit præceptum committendi delictum, tunc cauſa iubens, & præcipiens non primariò obligatur ad reſtitutionẽ, ſed exequens ex eo quod media mercede, & pecunia liberè ſuſceperit iubentis præceptum, ideò cenſetur cauſa principalior, & proximior damni ſequuti, ſi verò coactè receperit præceptum, tunc iubens, & præcipiens cenſetur cauſa principalior, & primò obligata ad reſtitutionem. Vnde Dominus, qui famulo coactiuè præcepit homicidium, magis obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti, quam famulus, ſi verò famulus media mercede, & pecunia, vel quia ſciebat rem facere gratam domino commiſit delictum, magis ipſe obligatur ad reſtitutionem damni, quam dominus præcipiens ex eo quod magis influxerit in effectum damni, quam dominus. & ideò.

R. 3. poſt cauſa præcipientem ſecundariò ad reſtitionem obligatur exequutor, modo coactè influat in effectum damni; ſi verò liberè, vel ex mercede primo loco obligatur. Ratio, quia phyſicè influit in effectum, & cauſa Phyſica cum magis influat in dãnum, quam moralis, magis etiam eſt obligata ad reſtitutionem.

R. 4. cauſa conſulens prius obligatur, quam recipiens, & recipiens prius obligatur, quam non impediens, non manifeſtans, vel non clamans. Ratio, quia magis influit in effectum damni, quam iſti, licet ex iuſtitia, & ex officio ſint obligati impedire, manifeſtare, vel clamare.

Quando

Quando plures cauſæ æqualiter influunt in damnum ad quid ſingulæ teneantur?

BRACTEA VI.

R. Omnes cauſæ concurrentes ad aliquod dãnum pro ſua rata parte obligantur ad reſtitutionem damni ſequuti, & in defectum vnius, vel alterius vnaque obligatur inſolidum. Ratio eſt, quia concurrunt ad damnum faciendum per conſequens obligantur inſolidum, & cum quælibet ſit cooperata damnum, par eſt etiam, vt quælibet concurrat ad reſtitutionem damni ſequuti.

Sciendum, cauſas concurrentes ad damnum, ad ratam ſuæ cooperationis debere concurrere ad reſtitutionem; ideſt ſecundùm quantitatem maioris, vel minoris influxus in damnum, v.g. ſi plures concurrerunt ad incendendam domum, vel furtum cõmittendum, omnes pro ſua rata parte iuxta quantitatem influxus in damnum obligatæ ſunt concurrere ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia reſtitutio fit ſecundum quantitatem damni.

Sciendum 2. Inter cauſas concurrentes ad damnum, & obligatas inſolidum, quaſdam eſſe principaliores, & quaſdam minus principales. Cauſa principalior eſt à qua primariò, & principaliter dependet effectus damni, & ſine qua damnum non eſſet ſequutum. Cauſa minus principalis dicitur, quæ minus principaliter attingit effectum damni, ſiue à qua minus principaliter dependet damnum.

R. 2. Reſtituente cauſa principaliori cæteræ, quæ minus principaliter concurrerunt ad damnum liberæ ſunt ab onere reſtitutionis. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *pun.* 3. Vaſquez *cap.* 9. *dub* 5. *n.* 51. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12 *num.* 16. Rebellus *lib.* 2. *de reſtit. quæſt.* 15. *num.* 1. Ratio, quia præceptum reſtitutionis obligat ad reparandũ damnum ad æqualitatem, reſtituente cauſa principaliore damnum reparatur, & per conſequens non remanet alijs obligatio reſtituendi. Secundò, quod quando plures cauſæ concurrunt ad damnum inferendum v.g. furtum reſtituente rem furto ſublatam illo qui eam furatus eſt, vel eam habet, cæteræ cauſæ quæ concurrerunt liberæ ſunt ab onere reſtitutionis, cum parti læſæ ſatisfactum ſit à furante, vel à poſſidente rem alienam. Similiter reſtituente cauſa præcipiente, quæ vim habet cogendi cæteras cauſas liberas eſſe ab obligatione reſtituendi, quia cauſæ minus principales obligantur ſolum ad reſtitutionem in defectum cauſæ principalis.

R. 3. reſtituente cauſa minus principali cauſa principalior non debet quidquam reſtituere parti læſæ, ſed debet reſtituere cauſæ minus principali, quæ reſtituit. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 40 Reginaldus *lib.* 10. *num.* 117. & alij. Ratio primæ partis eſt, quoniam pars læſa non poteſt duplicem ſatisfactionem exigere. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cauſa minus principalis reſtituendo ſuccedit in ius, & locum creditoris.

D. Caroli Maletti.

An quando plures cauſæ tenentur æqualiter reſtituere, & vna integrè reſtituit, cæteræ teneantur ſuam portionem illi refundere?

BRACTEA VII.

R. Restituente vna ex cauſis, cæteræ, quæ æqualiter debent reſtituere tenentur illi ſuã portionem refundere. Ita Leſſius, Reginal. *locis citatis*. Ratio, quia pro ſua rata parte cæteræ obligantur, cum cauſa reſtituens ſuccedat in ius creditoris, vt v.g. ſi plures conſulerint, vel mandauerint combuſtionem domus, vel homicidium vnaquæque illarum obligatur pro ſua rata parte, & in defectum cauſæ principalis inſolidum, & reſtituente vna ex cauſis minus principalibus damnum illatũ cæteræ tenentur pro ſua rata parte portionem dare ad ratam influxus in damnum, ita vt ſi æqualiter cõcurrerint, æqualiter etiam ad reſtitutionem cõcurrant ſi inæqualiter ad ratam inæqualitatis.

R. 2. ſi dominus cui damnum illatum eſt condonauit obligationem reſtituendi cauſæ principaliori, & inſolidum obligatæ cæteræ cauſæ minus principales ſunt liberæ ab onere reſtitutionis; ſi verò cauſæ minus principali condonauit obligationem reſtituendi, cæteræ cauſæ non ſunt liberæ pro ſua rata parte à reſtitutione. Ratio primæ partis eſt, quia cauſa minus principalis tenetur ſolum in defectum cauſæ principalioris, & ideò ſi obligatio reſtituendi fuerit cauſæ principaliori condonata, cauſæ minus principales liberantur ab obligatione reſtituendi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia condonatio facta vni cauſæ, nõ redundat in vtilitatem aliarum. Ita Leſſius *lib.* 2 *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 59. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 134. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 22. Vaſquez *cap.* 9. *dub* 4. *num.* 68. Ratio eſt, quia creditor non poteſt vni remittere obligationem cum damno alterius; tum etiam, quia ob remiſſionem, ſeu condonationem vnius, cæteræ adhuc remanent obligatæ.

Quomodo cauſa negatiua damni cenſeatur obligata ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

Sciendum cauſam negatiuam damni illam eſſe, quæ non impedit damnum, quod ex officio tenetur impedire, & quia tribus modis fieri poteſt, nimirum tacendo, non manifeſtando, & non reſiſtendo, hinc eſt quod cauſa negatiua triplex ſit, nimirum mutus, non obſtans, non manifeſtans. Mutus dicitur ille, qui omittit præcipere ſi erat ſuperior, conſulere ſi conſultor, clamare ſi erat cuſtos rei ad damnum impediẽdum. Non obſtans dicitur, qui omittit opem, vel operam qua poterat damnũ impedire, & quam ex officio tenebatur præſtare, vt Principes, & Magiſtratus, & ſimiles. Non manifeſtans dicitur, qui cum ex officio teneatur, omittit manifeſtare malefactorem, ſiue ante factum, quando damnum poterat impediri, ſiue poſt factum, quando damnum eſt manifeſtum. Quo poſito.

R. Cauſa negatiua, quæ omittendo id, quod ex officio tenetur facere tacendo, non reſiſtendo, aut nõ manifeſtando cenſetur cauſa damni, & per conſequens obligata ad reſtitutionem. Ita communiter

P omnes

omnes Doctores. Ratio, quia non impediendo, clamando, reſiſtendo, aut manifeſtando cenſetur cauſa totius damni ſequuti, & per conſequens obligata ad reſtitutionem. Verum hę cauſæ non impedientes obligantur ſolum ad reſtitutionem poſt omnes cauſas poſitiuas, & in defectum earum ſuccedunt. Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia cauſa poſitiua cum magis influat in effectum damni, cenſetur magis cauſa damni, quam negatiua, & per conſequens magis obligata ad reſtitutionem.

An cauſa quæ per accidens influit in effectum obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA IX.

R. Cavsam, quę ſolum per accidens influit in effectum damni non obligari ad reſtitutionem. Ita Rebellus 2. *part. lib.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 14. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 140. Molina *tom.* 3. *diſp.* 728. *n.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. *num.* 26. & alij. Ratio, quia non cenſetur cauſa efficax, & voluntaria damni, ſed inuoluntaria. Tum etiam, quia damnum, quod per accidens ſequitur etiam ab actione iniuſta non imputatur ad culpam, cum non ſit præuiſum, nec intentum; ergo neque debet imputari ad pœnam reſtitutionis cum pœna debeat proportionari culpæ, & delicto. Vnde qui fugiendo ab inimicis deuaſtat ſegetes aliorum, non obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia reſpectu illius damni cenſetur cauſa per accidens, & inuoluntaria. Tum etiam, quia illa deuaſtatio non fuit præuiſa, neque intenta.

R. 2. Qui alteri eſt occaſio proxima alicuius damni obligatur ad reſtitutionem; quando autem eſt ſolum occaſio remota non obligatur. Ratio, quia occaſio proxima cenſetur voluntaria, & æquiualet cauſæ; occaſio verò remota non cenſetur voluntaria reſpectu damni ſequuti ex illa. Vnde qui inaduertenter dicit aliquod verbum, ex quo ſequutum fuit aliquod damnum, v.g. furtum, vel homicidium non obligari ad reſtitutionem, quoniam illud verbum dictum, cenſetur ſolum occaſio remota illius damni. Si verò fuerit dictum cum praua intentione obligari ad reſtitutionem, quoniam illa intentio praua facit, vt illa occaſio ſit proxima, & proinde cauſa influens in damnum, & ideò occaſio remota non obligat ad reſtitutionem, niſi damnum, vt plurimum ſequeretur ex illa occaſione, & non vtatur diligentia, quam diligentiſſimi ſolent adhibere, ad ipſum præcauendum. Vnde v.g. dominus, qui iuſſit ſeruum ridendi gratia explodere ſclopum, ſiue pilā in Antonium, ſi ſequatur aliquod damnum obligatur ad reſtitutionem, niſi adhibeat diligētiam, quam prudentiſſimi ſolent adhibere, ne damnum ſequatur. Ratio eſt, quia ab iſta exploſione, vt plurimum poteſt eſſe talis effectus. Vnde niſi vtatur diligentia, quam diligentiſſimi ſolent adhibere, obligatur ad reſtitutionem.

An ratum habens damnum ſuo nomine illatum obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA X.

R. Negativa, quia ratum habens damnum illatum non cenſetur cauſa efficax damni, cum ratam habeat rem pręteritam, tum etiā, quia ratum habens actionem factam non dicitur in illa participare, tum etiam, quia ſi teneretur ad reſtitutionem, vel eſſet ratione rei acceptæ, vel iniuſtæ acceptionis: non primo modo, quia ratum habens damnum illatum ſuo nomine, nihil habet alterius ratione ratificationis, non ratione iniuſtæ acceptionis, aut damnificationis, cum non influxerit in damnum, cum ratihabitio ſit poſterior ad iniuſtā acceptionem, ſeu damnificationem. Ita Medina *quæſt.* 7. Rebellus *lib.* 2. *quæſt.* 14. *ſect.* 3. Petrus Nauarr. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 69. Molina *tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 71. Reginaldus *lib.* 10. *tom.* 2. *num.* 48. Vaſquez *de reſtit. lib.* 9. §. 1. *dub.* 2. Quod ſi dicatur quod ratum habens influit in damnum, tanquam cauſa finalis, eo quod damnificator intuitu ratum habentis damnum inferat; finis autem mouet cauſam agentem. Reſpondeo finem mouere cauſam agentem naturaliter non verò voluntariè; his autem qui obligatur ad reſtitutionem damni illati, debet fuiſſe cauſa voluntaria. Ita Auctores citati.

MALLEATIO XXIII.

De cauſis particularibus concurrentibus in damnum,

De cauſa mandante, & conſulente.

Quomodo, qui tacitè, vel expræſsè mandauit fieri aliquod damnum obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA I.

Sciendum mandatum duplex eſſe, vnum expreſſum, & alterum tacitum: mandatum expreſſum, eſt illud, quo expreſsè aliquid alicui mandatur, vel committitur, vt ſi dicatur occide talem, volo vt talem occidas, furare, & ſimilia: mandatum tacitum eſt illud, quo quis demonſtrat aliquem apud ſe fore pergratum ſi aliquid in ſui gratiam exequatur, vt ſi dicatur, vtinam quis mihi in hoc faueret, ſi quis hoc faceret rem gratā mihi præſtaret, charus mihi erit, qui hoc fecerit, & ſimilia; Quo poſito.

R. Qui aliquid expræſsè, vel tacitè iubet cenſetur cauſa efficax damni; & per conſequens obligata ad reſtitutionem damni ſequuti. Ita Molina *tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 729. Salonius 2. 2. *quæſt.* 61. *art.* 7. Vaſq. de *reſtitut. cap.* 9. *dub.* 1. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 3. *cap.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. Ratio patet, quia cauſa efficax damni obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum 2. Non modo obligari ad reſtitutionem, qui iubet damnum, verum etiam qui eſt cauſa, vt damnum celeriùs, &c. inferatur. Ita Rebel. *part.* 2. *lib.* 2. *de reſtit. quæſt.* 14. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. & alij. Ratio, quia licet non influat in ſubſtantiam damni tamen influit in modum, & per conſequens concurrit in malo faciendo, & cauſa concurrens in malum faciendum, obligatur ad reſtitutionem. Verum non cenſeo obligatam eſſe inſolidum, ſed ſolùm ad ratam arbitrio prudentis, & in quantum ex illa acceleratione maius damnum ſit ſecutum.

Sciendum 3. Quod ad hoc, vt cauſa iubens, & alij obligentur ad reſtitutionem duo requiruntur. Primò, vt effectus ſequatur: Secundò, quod ſit cauſa

efficax damni; nam ſi damnum non erit ſequutum nulla eſt iniuſtitia, & ſi ſequutum ſit non ex mandato illius, ſed alia ratione iubens non obligatur ad reſtitutionem, cum non cenſeatur cauſa efficax, cum verè non influxerit in effectum damni, ſed ex alia cauſa ſit ſequutum: Secundò, ſi mandatum reuocetur ante patratum damnum, idque mandatario innoteſcat mandans non obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.2.cap.13.dub.3.* Azorius *3.part. lib.2. cap.* 10. & alij. Ratio, quia reuocando mandatum non cenſetur amplius cauſa efficax illius, cum per reuocationem non amplius influat in effectum damni.

Sciendum 4. Quod ſi reuocatio mandati non innotuerit mandatario obligatur mandans ad reſtitutionem damni ſequuti, quia ſuo mandato cenſetur adhuc cauſa efficax illius. Secundò mandantem non obligari ad reſtitutionem damni ſequuti, quod mandatarius intulit excedendo fines mandati; vnde qui alterum iuſſit ſolum occidi, & mandatarius non modo eum occidit, ſed etiam furatus eſt, mandans obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti per mortem, non autem ad reſtitutionem damnorum ſequutorum per furtum, quia huiuſmodi damnum non prouenit ex mandato, ſeu conſenſu mandantis, ſed ſolum ex malitia mandatarij.

Sciendum 5. Mandatum nihil aliud eſſe, quam contractus, quo quis officium honeſtum gratuitò expreſsè, vel tacitè ſuſcipit exequendum in gratiam alterius. Azorius *lib.9.cap.1 de mandato*, Reginaldus *lib.25.num.607.* & alij. Dicitur quo quis officium honeſtum, quia mandatum debet eſſe de re licita, & honeſta, cum mandatum de re mala non obliget, cum nullus obligetur ad rem turpem. Rebellus *lib. 7. quæſt.vnica num.6.* Azorius *loco citato*. Secundò, dicitur gratuitò ad differentiam locationis operarũ, quia mandatum fit gratia, locatio verò operis fit media mercede. Tertiò dicitur expreſsè, vel tacitè, quia vt ſupra dictum eſt mandatum aliud eſt expreſſum, & aliud tacitum, ſeu implicitum.

R. 2. Mandans dubitans, an ſuo mandato fuerit damnum commiſſum, ſi facta diligentia adhuc remaneat dubius, non obligatur ad reſtitutionem. Ita Silueſter *verbo reſtitutio, quæſt.6.* Ratio, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. An ratum habens damnum illatum, ſuo nomine obligetur ad reſtitutionem, dictum eſt ſupra.

Sciendum 6. Mandantem teneri etiam ad reſtitutionem damni, quod accidit ex caſu fortuito ſi probabiliter potuit contingere, vel probabiliter potuit cogitare euenturum in mandatario, & damnum huiuſmodi ſequatur ex mandato, quod alias non ſequeretur. Verum ſi aliunde ſequatur damnũ quamuis occaſione mandati non tenebitur ad reſtitutionẽ, v.g. ſi Titius. Iuſſiſſet famulis ſuis occultè domũ alterius comburere, & à miniſtris iuſtitiæ comprehenſus fuit Caius, tamquam incendiarius. Non tenetur Titius Caio iniuſtè patiẽti damnum reſtituere, ſed iis, qui eum iniuſtè accuſauit, aut Iudex, qui iuris ordine non ſeruato eum condemnauit. Sed ſi actio mandata eſſet periculoſa alicuius damni mandans obligatur ad reſtitutionem, ſi ſequatur, quia eius mandato cenſetur ſequutum, vt v. g. ſi Titius mandauit vulnerari Caium, & non occidi, mandatarius vulnerãdo eum occidit, tenetur Titius reſarcire dãnum ſecutum ex occiſione Caij, quia mors eſt ſecuta ex eius imperio periculoſo homicidii.

Sciendum 7. Quod ſi amicus præcipiat amico pauperi, ſuper quem nullam habet ſuperioritatis auctoritatem vt furetur, etiam extra caſum neceſſitatis huiuſmodi præcipientem non teneri ratione mandati ad vllam reſtitutionem, eo quod nullum ius ſuperioritatis in eum habet, licet poſſit teneri ratione mali conſilii, prout eſſe poterit, quod alter ad furandum ex eo conſilio moueatur.

An geſta per mandatarium poſt reuocationem mandati valida ſint?

BRACTEA II.

R. Esse inualida, quoties reuocatio innotuit mandatario, quia mandans ſufficienter cenſetur reuocaſſe influxum mandati; ſi verò reuocatio non innotuit mandatario valida eſſe. *leg. mand. ff. mandat.* Vnde reſignatio beneficij facta à mandatario ignorante reuocationem mandati valida eſt; ſicuti valida ſunt geſta facta per mandatarium poſt mortem mandantis mandatario ignorante illius mortem. Excipitur ab hac doctrina caſus matrimonij, quod conſtat validè celebrari poſt reuocationem mandati, etiamſi mandatarius reuocationem ipſius ignorauerit, vt patet ex *cap. Procurator de procur. in 6.* Azor. *3. par. lib. 8. cap. 7.* Rebellus *2. par. lib. 9. quæſt. 18. ſect. vlt nu. 4.* Molina de *iuſtit. 263.* Sanchez de *matrim. lib. 1. diſp. 60.*

Sciendum mandatum multis modis finiri: primò per lapſum termini conſtituti: ſecundò per reuocationem mandati factam à mandante: tertiò per mortem mandantis modo res ſit adhuc integra. In aliquibus caſibus mandatum non finitur morte mandantis. Primò, quando datum fuit mandatum de re aliqua exequenda poſt mortem. Secundò, quando mandatum fuit in gratiam mandatarij, vt eſt mandatum, quo delegatur facultas Confeſſarijs abſolutè, vel ad beneplacitum Sedis. Secus autem ſi dicatur ad beneplacitum noſtrum, cum beneplacitum expiret morte concedentis. Sanchez de *matrim. lib. 6. diſp. 60. num. 4.* Clauis regia *lib. 7. cap. 14. num. 7.* Em. Sà *verbo Gratia num. 4* Tertiò, quando mandatum datum fuit alicui ſub nomine dignitatis, & non nomine proprio. Ratio, quia dignitas non extinguitur, ſed perſona. Sanchez de *matrim. lib. 8. diſp. 25. num. 49.* Quartò, quando mandans dixit ſe concedere iuriſdictionem, donec reuocauerit, ſed poſtea re ipſa non reuocauit ante mortem. *leg. ſi Delegatus*, Sanchez *loco cit.* & alij.

Quæ obligatio oriatur ex mandato ad aliquid faciendum?

BRACTEA III.

R. Ex parte mandatarij oritur obligatio ad reddendam rationem eorum, quæ geſſit, atque ad ſoluendum ſi aliquid peruenit ad ipſum ex negotio geſto; huic autem obligationi reſpondet in eo, cuius negotium geſtum eſt, actio directa aduerſus negotiorum geſtorem ad ea omnia exigenda ab eo, quæ ipſi competunt. Secundò ex parte eius, cuius negotium geſtum eſt, oritur obligatio ad ſoluendas expenſas in ipſius bonum factas, cui obligationi reſpondet in geſtore negotiorum actio contraria ad exigendum ab eo, cuius negotium geſtum eſt expenſas dictas, & alia, quæ intelliguntur nomine expenſarum.

Sciendum in caſibus ordinarijs, & conſuetis negotia gerentem teneri tantum de dolo, & lata culpa, non de leui, aut leuiſſima; & multò minus de cauſa

fortuito.*leg.3.§.interdum*,& *leg.ſi negotia*.Verùm tenetur etiam de leui,ſi negotia non erant derelicta, ſed alter etiam ea geſſiſſet,qui non ſolùm eſſet diligens. ſed diligentior.Molina *diſp* 555. Si verò taliter erant deſerta , vt nullus alius geſturus ea fuiſſet , tunc negotiorum geſtor tcuetur tantum de dolo, & lata culpa. Tenetur etiam de leui,ſi adeſſet alius paraius negotio, qui illud eſſet diligentiſſimè perfecturus, quia enim gerens iſtum excluſit ratinne dãni emergentis,teneinr & ipſe diligentiſſimè gerere tanquam diligentiſſimo ſubrogatus,alioquin obligatur ad reſtitutionem etiam de leui.Secundò,ſi fuiſſet in mora reſtituendi res ſuas Dnmiuo,cuius geſſit negotium, qui caſus generalis eſt iu omnibus coutractibus. Tertiò, ſi admonuit ne ſua ageret negotia,niſi ea lege,vt teneretur etiam de caſu fortuito,quia pactum vt qnis teneatur etiam de caſu fortuito, validum eſt in iure.Quartò ſi fuit cauſa culpabilis,qua res perijt, v.g ruinæ domus,vel morris, &c. Azorius *lib.*11.*cap.* 16.*dub*.2.

Scieudnm 2. mandaium aliud generale eſſe aliud ſpeciale,qui generale mandatum habet alicuius negotia exequẽdi;quidquid egerit, id Dominus ratum habere cogitur. Ratio, quia mandaium generale ad omnia perinde ſe extendit,ſicut ſpeciale ad quędam. Silneſtr. *verbo mandatum quæſt.* 2. & exceptis ijs , quæ ſpeciale mandaium exigunt, qualia ſunt facere alienatinnem, tranſactionem, oppignerationem, quia talia geneiali maudato comprehenſum ceuſentur.

Ad quid teneatur , qui cæptum negotium imperfectum relinquit?

BRACTEA IV.

R. Qvi aliena negotia ſuæ curæ,& adminiſtrationi ſuſcipit,teuetur ea ſedulò, & diligenter procurare,& ſatagere debet, vt vtiliter, & fęliciter finiantur ; ſin minus teuebitur reſtituere qnidquid ſua culpa damni ſequitur. Ita *leg.in commodato §.ſicut ff.commod.*& *leg nam & Neratius §.non ff.de negot.geſt.& leg.2.ait prator*, Molina *diſp*.552. Secundò dico cęptum,& inchoatum negotium,qui nnn perficit,tenetur de dãno ea canſa ſubſecuto. Ratio, qnia ceuſetur initus quaſi coutractus , iuter vtrunque de eo gerẽdo,& perficiendo,et aliter melius fuiſſet Domino uegotij,ſi negotium Geſtor non inchoaſſet, & quia perdereinr sũptus, quos in inchoando uegotio expendiſſet. Tertiò,ſi quis habens mulia negotia, & aliquis gerat vnum eorum,& reliqua omittat, quæ à nullo gerantur, regulariter nou tenetur de his, quæ non geſſit,quis uegotiorum geſtor habet libertatem incumbendi his , quæ voluerit , & non curaudi de alijs,ſua euim ſponte uegotia adminiſtrat.

Ad quas expenſas obligetur is , cuius negotium geſtum eſt?

BRACTEA V.

R. Primo obligari ad expenſas ueceſſarias,aut vtiles,nam voluutarias,vel vnluptuarias nõ tenetnr ſoluere , ſed ſi ſeparabiles fuerint, poterit negotinrũ geſtor ſeparare , & ſibi retinere ſi fuerint inſeparabiles,ſibi imputet,quia iu alieuo negotio uon neceſſarios ſumptus fecit , vt iu terminis habetnt *leg. ex dub. de negotior. geſtor.*

R. 2. quando is cuius negotium agitur expreſsè ſignificanit , ne alius negotium gereret,non tenetur ad expenſas factas poſt adminiſtrationem , etiamſi vtiliter negotium geſſerit, ad factas ante tenetur *lege fin. Cod.de negot.geſt.* Molina *diſp* 554. Azorius *cap.*24.

R. 3. ſi uuila pręceſſit admonitio , & negotium alioqui vtiliter geſtum eſt tenetur, vt dictum eſt expenſas ſoluere. Patet ex *eadem leg.*& *leg.ex duobus ff. de negot. geſtor.* Satis autem eſt negotium fuiſſe vtile à principio,cum geri cęptum eſt, quamuis poſtea per accidens deterius factum fuerit : dummodo ipſe gerens ſine dolo,bona fide, & exacta diligentia negotium geſſerit , vt v. g. ſi in lite aliena victus fuerit in curia Iudicis , ſiue domus vtiliter empta,ruina ceciderit,aut nauis naufragio pereat, aut ſeruus morbo.

R.4.Si expenſæ factæ in re abſeutis maiores ſunt, quam rei vtilitas,non teuetur abſens eas ſoluere, niſi pro ratione vtilitatis in re illa ſubſecutæ. Similiter is , cuius negotium geſtum eſt obligatur ſoluere valorem operarum , laboris , & induſtriæ, ſua negotia gerenti , quæ nomine expeuſarum venire poſſunt , quia re vera ſi gerens negotium obtuliſſet eaſdem operas alteri, uegotij Dominus eas conducens ſoluere debuiſſet, ſuut enim manifeſtè pars ſumptuum,& expẽſarum, quare uegotium deſertum ſuſcipiens, ſi nolit eas gratia douare , poterit locare iuſto pretio ei , cuius negotium geſtum gerit, & poterit eas geſtos compenſare de acquiſitis in negotio,ſicut alias expeuſas.Molina *diſp*.554.

An poſſit geſtor expenſas repetere, quas contulit animo non repetendi?

BRACTEA VI.

R. Si eas fecit auimo liberali , & gratuito non poſſe , mutata volnntate eas repetere. Ita colligitur ex *l.*1.*& l.ſi alimẽta C.de negot.geſt.* Ratio,quia cum cenſeantur donara, non poteſt pro illis pretium exigere. Secũdò,ſi eas fecit animo recipiendi pretium , aut ſe compenſandi , tunt poteſt exigere id,quod expedit. Ratio,quia vtiliter geſſit negotium,& pretium non ceuſetur donatum. Tertiò in dubijs iudicandum eſſe ex circunſtanrlis , ex quibus colligendus eſt animns uegotium gerentis,qualis fuerit. Quartò habeuti animum gerẽdi negotium alterius gratis , licitum eſſe antequam incipiat mutare animum, & ſic poſtea petere mercedem negotiorum geſtorum . Si verò inceperit animo gerendi negotium gratis , & poſtea antequam perfectum ſit , mutanerit animum ; potuit mercedem petere ab eo tempore,quo mutanit animum, non autem à primo tempore. Quod ſi totum negotinm gratis geſſiſſet, non poſtea mutare animum , & mercedem accipere. Azorius *dub* 4.

An conſulens obligetur ad reſtitutionem damni illati ſuo conſilio?

BRACTEA VII.

R. Consvlentem obligari ad reſtitutionem damni illati ſun conſilio . Ita Leſſius *lib*.2. *cap*.13.*dub*.2.*num*.5.Em.Sà *verbo reſtitutio*, Vaſquez de *reſtitut.cap*.9.Rebellus *lib*.2 *de reſtit.quæſt*.14. *ſect*.4. Ratio, quia couſulens conſulendo cenſetur cauſa efficax damni.

Sciendum, Quod qui alicui conſulnit v.g.vt furaretur, vel vt occideret ſequuto effectu,obligatur ad

reſtitu-

reſtitutionem damni ſequuti per tale conſilium. Quod ſi verò ita conſuluit, vt nullo modo influxerit in damnum, vt v.g. qui conſuluit occidere, vel furari parato abſque conſilio furandi, vel occidendi, cum non cenſeatur cauſa efficax damni, nec etiã obligatur ad reſtitutionem. Verum ſi conſultor nõ influxerit ſuo conſilio in ſubſtantiam damni, ſed ſolum in aliquam circnnſtantiam, vt v. g. citius furetur, parato occidere ſerò, vel mane, conſulat occidere, vel furari nunc, vel libentius, aut conſulendo addat animum, vel aliam circnnſtantiam temporis, vel loci, vt parato occidere hominem in via perſuadeat occidere domi, obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti, quia tunc cenſetur cooperari damno, & influere efficaciter in ipſum. Vaſquez de *reſtit. cap 9. dub.1. num.6.* Leſſius *lib.2. cap.13. n.5.*

Sciendum 2. quod conſulens, qui conſulendo dedit conſilium ſalſum, quod poſtea reuocauit retractando non obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ratio, quia retractando conſultum non cēſetur amplius influere in damnum; vnde ſi quis conſulendo alteri dixerit talem cōtractum eſſe licitum, aut bellum eſſe iuſtum, & ſimilia, ſi retracter ſententiam dicendo ſe fuiſſe deceptum, & ſic verè veritatem explicet eo modo, & ijs rationibus, vt ille, cui conſilium datum eſt intelligat ex animo loqui, tunc ſi ex tali conſilio retractato damnum ſequatur conſulens non obligatur ad reſtitutionem, cum non conſilio, ſed malitiæ illius damnum ſit adſcribendum. Vnde qui alteri dedit conſilium ſalſum ſatis eſt poſteà retractare ſententiam dicendo ſe deceptum fuiſſe; ſi verò conſilium fuit verum, tunc non ſatis eſt retractare conſilium, antequam damnum inferatur ad hoc, vt quia ſit liber à reſtitutione ſecuto damno, ſed oportet, vt omnino remoueat illius voluntatem, aut efficiat alia via, vt damnum non ſequatur. Ratio eſt, quia conſilium datur in gratiã eius, qui accipit illud ideoque non reuocatur ſufficienter retractato conſilio ſicut diximus de mandato, quod debitè nomine mandantis ſufficienter reuocatur retractato mandato. Secundò, conſulens qui dedit conſilium verum, obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti ex ſuo conſilio, quamuis ante factum, coactus fuerit reuocare conſilium. Ita Nauarrus *cap.17. num.*133. Leſſius *lib.2 cap 13. dub.2. num* 5. Rebellus *lib.2 de reſtit. quaeſt.*14. *ſect.*4. Ratio, quia cũ conſilium ſit in gratiam conſulti conſulens quamuis coactus ſit reuocare cenſetur adhuc cauſa efficax damni, cum ſit motiuum, quo operatur agens.

Sciendum 3. diſcrimen eſſe inter conſulentem, & mandantem, quod mandans, qui mandatum reuocauit, non obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti dummodo reuocatio mandatario innotuerit, at cõſulens ſemper obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti licet reuocauerit conſilium, & ipſa reuocatio innotuerit conſiliato. Verum ſi conſulens fecit quod potuit, vt conſilium datum euertat, vel oſtendit conſilium datum non eſſe ſequendum, in iſto caſu exiſtimo conſulentem non obligari ad reſtitutioné. Ratio, quia ſi effectus ſequatur, potius debet imputari malitiæ executoris, quam conſilio. Secundò, qui blanditijs, precibus, promiſſis induxit alium ad faciendum aliquod damnum, ſi ipſe poſteà demonſtret ſolidis pluere, ſeque propoſitum mutaſſe non obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti ſic reuocando, quæ perſuaſerat, quia tunc agens non cenſetur amplius operari nomine alieno, ſed proprio.

An conſulens damnum, quod alius conſuluiſſet obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

R. QVI conſulit aliquod damnum, quod nihilominus alter conſuluiſſet obligatur ad reſtitutionem. Ita Rebellus *lib. 2. quaeſt.*14. *ſect* 4 Reginaldus *lib* 10. *num.*109 Leſſius *lib.2. cap.*13. *dub* 3. Ratio, quia conſulendo influit in damnum, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem. Vnde, qui alteri dedit conſilium, vel occidendi inimicum, vel furandi, quod conſilium ab alio etiam datum fuit, qui prius conſuluit obligatur ad reſtitutionem, quia eſt cauſa efficax damni, cum influat in ipſum, quod etiam dicendum eſt de ſecundo conſulente ſi ipſe aliquo modo influxerit in damnum, vel in circunſtantiam ipſius, quod ſi quis influxit obligatur etiam ad reſtitutionem.

Sciendum conſulentem minus malum ad euitandum maius non obligari ad reſtitutionem. Ita Rebellus *lib* 2. *quaeſt.*14 *ſect.*4. Reginaldus *lib.*10. *num.*103. Leſſius *lib.2. cap.13. dub.3. num.*19. Clauis regia *lib.*10. *tract* 2. *cap* 8. *num.*3. Ratio, quia non cenſetur conſulere malum, ſed minus. Vnde qui parato facere malum perſuadet minus, quando alia ratione non poteſt ipſum à malo remouere non peccat cōtra iuſtitiam, nec contrà charitatem proximi, vt qui parato occidere ſuadet ſolum mutilare, aut verberare, & parato furari centum nummos aureos, ſuadet ſolum furari quinquaginta, & parato cómittere adulterium ſuadet committere minus malum, nempè fornicationem non peccat, vt dictum eſt neque obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti.

Sciendum 2. quod licet quis poſſit ſuadere minus malum ad euitandum maius, tamen non poteſt eligere minus malum ad euitandum maius, vt v.g. fornicare potius quàm adulterare, cum in poteſtate ipſius ſit dimittere, & euitare maiora, & minora mala.

An conſulens parato furari vni; vt alteri furetur, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA IX.

R. QVOD conſulens volenti furari Petro, vt furetur Paulo, de quo furans non cogitarat obligatur ad reſtitutionem, licet minus malum conſulat. Ita Clauis regia *lib.* 10 *tract* 2. *cap.*8. *num.*4. Azorius 2. *part. lib.*12 *cap.*17 *quaeſt.*4. Leſſius *lib.* 2. *cap.*13. *dub.*3. *num.*20. Sanchez *lib.*7. *de matrim. diſp* 11. *num.*24. & alij. Ratio, quia cenſetur efficax cauſa damni reſpectu Pauli, cui fur non cogitauerat furari, & non ſunt facienda mala, vt veniant bona.

Sciendum, quod ſi fur de vtroque cogitaſſet, & perplexus eſſet cui furaretur, & conſultus eſſet minus malum eſſe vni potius, quam alteri furari tunc conſulens non obligaretur ad reſtitutionem, quia non cenſeretur cauſa efficax damni illius, cui furtum commiſſum eſt, ſi in genere conſulat minus malum eſſe furari vni, quam alteri, vel quia ditior, vel ob aliam cauſam, ſi verò ipſe conſulat in particulari, vt potius vni furetur, quam alteri, tunc obligatur ad reſtitutionem, quia cenſetur cauſa efficax damni mouendo voluntatem furis ad furandum potius, vni, quam alteri. Ita auctores citati.

Sciendum 2. Quod qui parato furati centum nummos aureos conſulit, vt furetur ducentos obligatur ad reſtitutionem exceſſus furti, cuius fuit cauſa, nimirum ad reſtitutionem centum nummorum aureorum, ita Clauis regia *lib.*10. *tract.*2. *cap.*8. *num.*6. Leſſius *lib.*2.*cap.*13.*dub.*3 Rebellus *lib.*2.*quæſt.*14. *ſect.* 4. Reginaldus *lib.*10.*tract.*2.*num.*106. Ratio, quia nullus tenetur ad reſtitutionem damni quod non intulit: cum autem influxerit ſolummodo in exceſſum furti, idcircò quoad illum ſolum obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum 3. in illis caſibus, in quibus licitum eſt conſulere minus malum ad euitandum maius, licitum etiam eſſe opem ferre delinquenti ad minus malum inferendum, dummodo actio non ſit intrinſecè mala, quod ſi actio fuerit intrinſecè mala, vt v.g. mutilare, occidere, fornicari, &c. aliter dicendum eſt, quia tunc præbens auxilium cenſetur peccare contrà iuſtitiam.

An qui dubitat ex ſuo conſilio ſequutum eſſe damnum obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA X.

R. Negative; ita Silueſter *verbo reſtitutio 3. quæſt.6. dict.*2. Medina *C. de reſtit.quæſt.*7. Filliucius *tom.*2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.*167. Rebellus *par.*1.*lib.*2.*quæſt.*14. *ſect.*2. Clauis regia *lib.*1. *tract.*2.*cap.*8.*num.*1. Nauarrus *lib.*10.*cap.*4. *dub.*4. Diana *tract* 5. Miſcel.*reſolut.*74. Ratio, quia in dubijs maximè in materia iuſtitiæ melior eſt cōditio poſſidētis; vnde ſolum tenetur ad reſtitutionem quando moraliter eſt certus, quod conſulendo fuerit cauſa damni. Et hanc opinionem ſequuntur etiam D.Th. *in* 2.2. *quæſt.* 62. *art.*7. dum dicit ſolum tenetur, cum probabiliter ſit, quod ab ipſo actio iniuſta ſit ſecuta, Tanerus in 2.2.*diſp.*4.*qu.*6.*dub.*1.*n.*395. Em. Sà *verbo reſtit.n.*3. Henriquez *lib.*14.*cap.*3.*n.*4. Dicendū igitur cū ſupra dictis, dubitantē an fuerit cauſa damni nō obligari ad reſtitutionē affirmatiuā ſentētiā tenēt. Sāchez de *matrim.tom.*1 *lib.*2.*diſp.*21.*num.*17. Maſcardus de *probationib.tom.*1.*concluſ.*419.*num.*9. Couar. in *Clementina ſi furioſus*, §. 2. *num.*1. Salas *in part.*2. *tom.*1. *tract.*8.*diſp* 1.*ſect.*23.*num.*249. Naldus in *ſum verbo conſil. num.*13. Sanctius in *ſelect.diſp.*42.*num.*14. vbi ſic ait ille, qui conſulit furtum, vel homicidium tenetur ad reſtitutionem damni, licet dubitet, num ex ſuo conſilio fuerit ſequutum homicidium, vel furtum; nam cum cōſtet de iniuſta actione conſulentis, quę apta eſt ad effectum producendum, & ex natura ſuā illum aſſequitur, dum de effectu ſubſequuto conſtat poſſeſſio eſt pro actione illa iniuſta, quod effectum aſſequuta fuerit.

Sciendum cum Molina *tom.*3.*diſp.*136.*num.*6. quod etiam ſtando in hac opinione conſulens non tenetur reſtituere totum damnum, ſed partem pro quantitate dubij. Et Sairus de *cenſibus lib.*7. *cap.*3. *num.*2. Henriquez *lib* 14.*cap.*16. *num.*3. illum excuſant à tota reſtitutione, ſi homicida aſſerat ad homicidium perpetrandum non fuiſſe motum eo conſilio, ſed vt ſupra dixi ſi pòſt adhibitam diligentiam adhuc remanet dubius non obligatur ad reſtitutionem. An qui ſuo hortatu confirmauit propoſitum alterius inferendi damnum obligetur ad reſtitutionem? Reſpondeo ſi nihil ſuo hortatu influxit in effectum non obligatur; ſecus verò ſi influxerit, vel in damnum, vel in circunſtantiam ipſius, quoniam vt ſic cenſetur influere efficaciter in effectum.

Conſiliarij Principum quales eſſe debeant?

BRACTEA XI.

R. Consiliarios Principum, primò oportere eos eſſe ſenes. Ratio, quia prudentia ſenectutis comes eſt, & prudentis iuxta Ariſt. in 6. *Æthic.* eſt maximè munus proprium rectè conſulere: ſecundò requiritur in conſiliarijs vt probi ſint, & ſpectatæ vitæ, vt nulla prauæ cupiditatis, aut priuati affectus labes illotum conſilium, ſententiamque afficiat. Ratio, quia Deus ſolet bonis viris bona ſugerere conſilia. Conſilium omne à quocunque proficiſcatur à Deo eſt; & idcircò Conſiliarios ipſos conuenit preſtantiores eſſe, ac vita, & moribus ſuperiores. Vnde Federicum Imperator dicebat, vtinam Conſiliarij mei in palatii veſtibulo duas res deponerent, ſic enim, & ipſi recta conſulerent, & mihi etiam de eorum conſiliis iudicare eſſet facillimum. Interrogantibus autem, quęnam illę res eſſent? Simulatio aiebat, & diſſimulatio. Tertiò neceſſe eſt, vt ſint taciturni, ideſt vt arcana conſilia arctiſſimè cuſtodiant. Quod omni æuo obſeruatum fuit, tum in conſilijs Græcorum, tum etiam Romanorum, vt ſcilicet, quæ ibi tractata eſſent arcano ſilentio comprimerentur, nefaſquè haberetur ea diuulgare, & Romana Senatuſconſulta tacita vocabantur, eoquod taciturnitas conſiliorum quaſi theſaurus cenſeretur. Quartò, quod in conſiliarijs maximè requiritur, eſt dicendi libertas, quis enim neſciat conſiliarios vera reticentes, aut falſa Principi ſuadentes; non tam ſe, quam Rempublicam atque adeo ipſum Principem peſſumdare? Miſerrimè quidem faciunt conſiliarij, qui nihil reſpondent, niſi quod cupiditati interrogantis lenocinatur, & vt Tacitus dixit. *Veri copiam non faciunt, ſed ſuſpenſa, & quo ducantur inclinatura reſpondent. Irrumpunt adulatio, & blanditia, peſſimum veri affectus venenum ſuadere autem Principi, quod oportet multi laboris*, & Plutarcus ſcribit difficilè eſſe conſilium Regibus dare, ideoque nihil præſtabilius Reipublicæ diuino muneri dari poteſt quam prudens Conſiliarius, qui Principi ſuo rectè conſulere poſſit, & in conſilijs liberè, ac ſincerè loquatur Ludouicus 12. Galliarum Rex aiebat, dum ſe in aula omni re abundare gloriaretur vnā tamen aiebat mihi deeſt veritas. Quintò requiritur in conſiliariis earum rerum peritia, ad quas tractandas acceſſuri ſunt. Ratio, quia in rebus publicis ſublata cognitione, & ſcientia rerum gerendarum omnis ratio tolitur, & quia præcepta rerum adminiſtrandarum à duobus fontibus, potiſſimum manare ſolent, nempè à iure ciuili, & hiſtoriarum cognitione. Vnde in primis neceſſarium eſt, vt conſiliarius de rebus publicis ſit edoctus, cum fieri non poſſit, vt quis rectè ſuo munere fungatur, qui ea non intelligit, quæ conſultanda proponuntur. Quāuis negari non poſſit quin literarum expertes modo ſint vſu rerum præſtantes in conſiliarios cooptari queant. Quandoquidem experientia, quæ eſt rerum magiſtra defectum ſcientiæ ſupplet, quæ quidē maximè in ſenibus vigere ſolet cum ſapientia decurſis multorum annorum ſpatiis, & lungo variata vſu comparata ſenectutis ſit indiuidua comes, & vt Tob. *cap.* 12. dicit in antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia, & idcircò maximè à iuris politicis probatur, vt Cōſiliarii hiſtoriarum libris ſe dedant, ac diligentem operam nauent, quo rerum geſtarum cognitionem, & ciuiles obſeruationes ſibi comparent: quia lectione harum lux omnis prudentiæ,

tiæ, ab ea concilii, & deliberationis publicæ norma, cum nihil aliud ſit hiſtoria, quam diſciplina,& exercitatio ad res ciuiles, in ea ſine labore reperitur,quę alii magno labore quæſierunt hinc honorum virtutes, & improborum vitia perſpiciuntur, hinc vitę humanæ viciſſitudines, rerumque conuerſiones aduertuntur, hinc totius æui inſtabilitatem, & imperiorum caſus, ac præcipitia cognoſcuntur, hinc malorum facinorum pęnas,& bonorum premia diſcuntur,& ideò Alphonſus Arragonum Rex libros hiſtoriarum optimos conſiliarios vocabat,à quibus,quæ noſſe cuperet fideliter hauriret. Et quia, ſicut dictum fuit cum de Cancellario, Poeſis valdè affinis eſt hiſtoriæ, & ad eundem finem prudentiæ tendit idcircò fas erit Conſiliarium etiam poeſi ornatum eſſe; immò iuxta Ariſt. *de poet. cap.9.* Poeſis ſapientior, & præſtantior eſt,quam hiſtoria,hæc enim quid factum ſit ſingulariter exponit illa quid fieri debeat, & poſſit vniuersè proponit, & ideo huius lectio neceſſaria, eſt conciliario Principis cum iuxta Platonem patres duces ſapientiæ,& prudentiæ, & genitores virtutum, hæc lectio faciat. Vltimò requiritur in conſiliario charitas, & communis boni ſtudioſa voluntas, charitas putam intentionem exigit, & conſtantem voluntatem ea tantum ſuadendi, vel diſſuadendi, quæ ad bonum publicum ordinantur, vt neque illius gratia,neque proprii lucri ſpe,neque damni metu mentem ſuam dimoueri ſinant. Omnes quippè, qui de rebus dubiis conſultant vacui eſſe debent affectibus, non enim facilè animus verũ pręuidet vbi illa officiunt,& ideò Tacitus Peſſimum veri affectus, & iudicis venenum eſt ſua cuique vtilitas. Vnde apud Athenienſes quoties concio aduocabatur Præco maxima voce, horrendiſque verbis dirum exitiam illi, atquè poſteritati imprecari, erat ſolitus, qui malum, perfidumque conſilium Reipublicæ dediſſet, hæc & plures aliæ ſunt qualitates, quæ decent Conſiliarium Principis.

An Conſiliarius conſulens Principem ad aliquod damnum, obligetur ad reſtitutionem damni ſecuti?

BRACTEA XII.

SCIENDVM nomine Conſiliarii Principis non ſolùm intelligi eum, qui conſilium præbet ad aliquid faciendum, ſed etiam qui hortatur, rogat, vel inſtruit ad aliquid faciendum. Ita Rebellus *lib.2.de reſtit quæ,ſt.14.ſect.4.num.17.* Azorius *lib.4.cap.11.*& alii.

R. Qui per conſilium fuit cauſa, ſine qua Princeps ſuis ſubditis, vel aliis nõ inferret aliquod damnum, ſiue ſtatim, ſiue poſt multum tempus damnum ſecutum, ſit obligari ad reſtitutionem damnorum ſecutorum. Ita Rebellus *loco cit.num.*18. Diana *tract.6.* Miſcel. *reſolut.* 23. Arragon.2.2.*quæſt.62 art.7.* Salon.*ibidem*,& alii. Ratio, quia ſuo conſilio cenſetur cauſa efficax damni.

Sciendum 2.quod ſi conſilium non fuit efficax,nec cauſa efficiens damni,quia ad ipſum faciendum iam Princeps paratus erat, nec vllo modo influat in ſubſtantiam actus, aut circunſtantiam loci, vel temporis,ſed ſolùm conſulendo: ſecundò & animum paratum non obligatur ad reſtitutionem damnorum.Ita Rebellus *loco cit ſect.2.num.5.* Vaſquez de *reſtit.cap.9.* §.1.*dub.1.num.6.* Emi.Sà *verbo reſtitutio num.* 38. Petrus Nauarr.*lib.3.de reſtitut.cap.3.num.*48. Lopez 1.*par. cap.*28.& alii,Bonacina *diſp.1.de reſtit.quæſt.2.pun.7.propoſ.*1. Ratio, quia tunc non cenſetur cauſa proxima, & immediata damni ſecuti.

An Principi conſulens bellum peccet mortaliter, & obligetur ad reſtitutionem damnorum?

BRACTEA XIII.

R. QVI Principi ſuadet bellum iuſtum,non obligatur ad reſtitutionem damnorum.Ratio, quia conſulendo bellum iuſtum, non cenſetur cauſa iniuſta damni ſecuti.

R.2.Eum, qui conſulit bellum iniuſtum aggreſſum obligari ad reſtitutionem omnium damnorum ſecutorum non reſtituente Principe. Ratio,quia conſulendo tale bellum cenſetur cauſa efficax, & iniuſta mortis,& aliorum damnorum ſecutorum. Secundò ſi conſulit bellum iniuſtum defenſiuum non obligatur ad reſtitutionem damnorum ſecutorum Ratio,quia conſulit id,ad quod obligatur iure naturæ, nimirum ſe defendere, cum quiſque habeat ius ſe tuendi, & licet bellum ſit iniuſtum, habet ius ſe defendendi etiam cum morte hoſtium, quando aliter vitam non poteſt ſaluare. Azor.*tom.3.lib.2.quæſt.3.*

Sciendum, quod ſi Conſiliarius conſulat bellum iniuſtum Principi pararo,non obligatur ad vllam reſtitutionem. Ratio,quia non cenſetur cauſa efficax, & immediata damni,nec belli,cum Princeps iam paratus eſſet ad bellum gerendum, & per conſequens non obligatur ad reſtitutionem. Secundò Conſiliarium ſuadentem Principi bellum, de cuius iuſtitia dubitat,peccare mortaliter, niſi ſuadendo deponat dubium practicum. Ratio, quia ſuadendo exponit periculo Principẽ faciendi iniuſtitiam, & iniuſtè aggrauandi ſubditos oneribus,& tributis, & deuaſtandi prædia inimicorum. Si verò de bello gerendo variæ ſint opiniones probabiles,poteſt depoſita opinione pacis ſequi opinionem de bello gerendo. Ratio, quia quando duæ, vel plures extant opiniones, potens conſulens ſequi, quancunque voluerit.

An Conſiliarius ſuadens Principi imponere nouum tributum peccet mortaliter, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XIV.

R. CONSVLENTEM Principi abſque iuſta cauſa imponere nouum vectigal,peccare mortaliter,& obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia abſque iuſta cauſa ſuadet onus Reipublicæ; & ſicut Princeps ceſſante cauſa tributi obligatur ad reſtitutionem,quia iniuſtè exigit, ſicut etiam quando non præſtat id,ad quod exigitur;ita Conſiliarius Principi ſuadens impoſitionem tributi abſquè cauſa peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia conſulendo tale tributum violat iuſtitiam; ergo, &c. Quot modis vectigal dicatur iniuſtum, dictum eſt alibi. Secundò Conſiliarium peccare mortaliter,& obligari ad reſtitutionem,ſi abſque iuſta cauſa perſuadeat Principi augmentum tributi. Ita Salonius 2.2. Arragon. *ibidem*, Clauis regia *lib.*20.*tract.*2.*num.*20. Regínal.*lib.*10.*tract.*2. Leſſius *lib.*2.*cap.*13. Vaſquez *cap.9 de reſtitut.* & omnes. Ratio eſt, quia perſuadendo abſque iuſta cauſa tale augmentum cenſetur cauſa iniuſta damni.Tertiò adhuc obligari ad reſtitutionem, etiamſi pœnitentia ductus

reuo-

reuocauerit conſilium. Ratio, quia ſuo conſilio cenſetur adhuc cauſa efficax damni. Ita Nauarr. *cap.17. num.133.* Vaſquez de *reſtitut.cap.9.* Azorius *3.par.lib.8 quæſit.4* Leſſius *loco citato*, Rebellus *2.par.lib.9. quæſt.18.* & alij, niſi Conſiliarius vtatur qualibet diligentia ad reuocandum ipſum à conſilio dato, dicendo ſe malè feciſſe dando tale conſilium peccaſſe, & per cõſequens peccaturum ipſum exequendo conſilium.

An Conſiliarius Principi perſuadens facere expenſas ſuperfluas, ratione quarum imponitur vectigal, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XV.

R. Affirmative, quia talia perſuadendo cenſetur cauſa iniuſta damni, nimirum impoſitionis noui tributi, aut expenſæ pecuniarum neceſſarium ad alios vſus magis neceſſarios, niſi forſan tales expenſæ honeſtentur aliqua cauſa delectabili, vel quia fiũt recreationis gratia, vel alia ratione. Secundò ſuadentem Principem ad donatiua ſuperflua abſque cauſa peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem, ſi iis ſubditus aggrauatur. Si verò non aggrauatur ſubditus peccare tantum mortaliter, & non obligari ad reſtitutionem. Ratio, cur peccet mortaliter, eſt, quia prudenter non ſe gerit, nec vtiliter agit rẽ Principis ita cõſulẽdo. Ratio, cur non obligetur ad reſtitutionem, eſt, quia reſtitutio oritur ex damno dato, & cum his ſubditis non aggrauetur, nullum cenſetur damnum, & per conſequens nulla obligatio reſtituendi. Quod ſi dicatur obligari ad reſtitutionem ob damnum, quod infert Principi conſulendo. Reſpondeo non obligari ex illo capite, tum quia liberum erat ei ſequi cõſilium, & non ſequi, & volenti, & ſcienti nõ fit iniuria. Tum etiam quia ex regulis iuris nullus ex conſilio tenetur, dummodo non fuerit fraudulentum.

An Conſiliarius, qui reuelat ſecretum, ex quo oriuntur damna, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XVI.

R. Illum Conſiliarium, qui reuelat ſecretum, v.g. decretum diminutionis monetę, ex quo oritur damnum alicui, obligari ad reſtitutionem damni ſecuti. Ratio eſt, quia per illam reuelationem cenſetur cauſa iniuſta damni, & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. Ita communiter Doctores.

R.2. Conſiliarium, quando bellum eſt iuſtum, qui reuelat ſecretum Principis parti contrariæ, ex quo oriuntur plura damna Principi, Reipublicæ, vel particularibus obligari ad reſtitutionem damnorum ſecutorum, quia per reuelationem ſecreti factam contrariæ parti, cenſetur cauſa iniuſta damnorum ſecutorum, & per conſequens obligari ad reſtitutionem. Molina de *iuſtit.commutatiua tract.3.diſp.3.nu.4.* Quod tamen intelligendum eſt in defectum cauſæ principalis, quia ipſa reſtituente non amplius obligatur. Molina *loco cit.*

An Conſiliarius, qui Principi ſuadet carcerationem Clerici ſit excommunicatus?

BRACTEA XVII.

R. Affirmative, ſecuto tamen effectu: ſecus autem non. Ratio primæ partis eſt, quia ſic conſulendo facit contra libertatem Eccleſiæ, & incurrit in excommunicationem latam contra facientes libertatem Eccleſiæ. Ratio ſecundæ partis eſt, quia non incurritur excommunicatio, niſi ob actionem prohibitam, & conſumatam: conſilium nõ cenſetur conſumatum, niſi ſecuto effectu, cum principaliter non prohibeatur, ſed minus principaliter, & ſecundariò in ordine ad effectum. Molina *tract.3. diſput.52. littera C.*

An mortuo Conſiliario, ſi Princeps exequatur carcerationem Clerici, Conſiliarius qui eam antea conſuluerat, ſit excommunicatus?

BRACTEA XVIII.

Molina de *iuſtitia commutatiua tract.3.diſput.32.num.13.* docet, quod mandans, qui viuens reuocauit mandatum carcerationis Clerici, & tamen ipſa reuocatio nõ innotuit mandatario, & mandatarius reuocationem ignorans, manus in Clericum iniecit, defunctus eam excommunicationem incurrat, nihil impediente, quod dum viueret, reuocauerit mandatum expreſsè, aut pœnituerit peccati, aut quod tacitè reuocauerit dolendo verè de peccatis, eo diſcedendo ex hac vita in gratia. Ratio ipſius eſt, quia quis poteſt excommunicationem incurrere, dum iam exiſtit in gratia, pro peccato tamen præterito ſubſecuto complemento, ſine quo excommunicatio non incurritur, incurrere illam poteſt defunctus pro peccato commiſſo, dum viueret ſubſecuto effectu, ſiue complemento poſt mortem; ſine quo non incurritur. Quo tempore pœna excommunicationis operabitur, ne cadauer defuncti humari poſſit in loco ſacro, donec defunctus ab excommunicatione abſoluatur, ſi autem humatum fuerit, ex humandum. Præterea non poſſunt offerri orationes publicæ, & ſacrificia pro eo antequam abſoluatur, neque illi proderunt Eccleſiæ ſuffragia in Purgatorio, quandiù abſolutus non fuerit. His tamen non obſtantibus.

R. Poſt mortem, mandantem, ſeu conſulentem carcerationem Clerici non eſſe excommunicatum, nec poſſe excommunicari. Ratio, quia eſt extra territorium Eccleſiæ militantis, & Cenſura non poteſt ligare, niſi eos, qui ſunt in territorio; & ſicut Papa non poteſt concedere ſuffragia his, qui ſunt in Purgatorio, niſi per modum ſuffragii, ita etiam non poteſt eos excommunicare, cum ſuper eos non habeat auctoritatem.

An liceat Conſiliarijs proponere exteros ad officia?

BRACTEA XIX.

R. Redundare in vtilitatē Regni, ſeu Ducatus vt nō exteri, ſed nationales ad beneficia Ecclaſiaſtica, & alia officia prophana, ſeu laica promoueantur. Et ita docent plures citati à Diana *tract. 3. de Parlam. reſolut. 6.* Ratio, quia homines naturales ejus Prouinciæ cōmuniter magis ſeruiunt Eccleſiis, & aliis officiis, & maiori affectu ea proſequuntur, & maiorem curam adhibent in earum gubernatione, & per conſequens anteponendi ſunt nationales exteris; & caueant Conſiliarij in damnum propriæ nationis propter humanos fauores exteros anteponere, & nationales priuare pane domeſtico, vt frangatur extraneis.

An Conſiliarij debeant Duci aſſerenti ſe indigere credere?

BRACTEA XX.

R. Affirmative. Ratio, quia credendum eſt Principi, quādo atteſtatur de facto proprio, quia in ipſomet præſumitur iuſtitia cauſæ, Ita Cardinalis, Pariſicoſis *tom. 1. conſ. 1. num. 41.* Rolandus à Valle *lib. 2. conſ. 1. num. 98.* Oldradus *conſ. 258.* & alii. Quod tamen intelligendum eſt, dummodo aliter non conſtet in contrarium, nam vt docet Menochius de *præſumptionib. lib. 1 præſumpt.* 31. & Socin. *lib. 2. conſ.* 174. recedendum eſt ab expreſſa intentione Principis, cum de veritate in contrarium conſtat.

An quando in Conſilio numerus ſufficiens Conſiliariorum ſuffragatus fuit pro iniuſto tributo, ſi aliquis poſteà concurrat peccet mortaliter?

BRACTEA XXI.

R. Quod quando agitur de imponendo tributo non modo peccant ij, qui priores ſuffragia tulerunt, & quorum ſuffragium cenſetur neceſſarium, ſed etiam poſteriores, licet eorū votum non ſit neceſſarium, cum concludatur in ſuffragijs maioris partis, ſed non obligantur ad reſtitutionem, Ratio eſt, quia cum iam damnum totum eſſet integrè datum per antecedentia ſuffragia, ille qui poſtea iniuſtè ſuffragium dedit non eſt cooperatus ad illud damnum, planè iam anteà per alios datum, peccare tamen mortaliter, vt dictum eſt, quia conſentiunt iniuſto facinori ob humanum reſpectū, & ita Leſſius *lib. 2 cap 13 dub. 3 num. 23* Nauarrus *lib 3. cap. 3. num. 33.* Rebellus *lib. 2. part. 2. quæſt* 14. *ſect. 5. num.* 30. Siluius in 2. 2. *quæſt. 62. art. 1.* Megala ibidem *lib. 2. quæſt. 4 num. 32.* Rodriquez in *ſumm. part. 2. cap 74. n. 4.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 2. cap. 5. num 5* Filliucius *tom. 2. tract. 32. cap. 3. num. 63.* Villabos in *ſumm. tract 3. dub. 7 num. 8.* Vaſquez de *reſtit. cap. 9. §. num. 2. dub 1. num. & 17.* & alij. Secundò Conſiliarium, qui prior tulit ſuffragium pro impoſitione iniuſti tributi teneri ad reſtitutionem, etiamſi certò ſciret ſequentes in eadem parte ituros. Ratio eſt, quia concurrit per ſuū ſuffragium in damno inferēdo ob impoſitionem tributi iniuſti, & per conſequens in ſolidum obligatur ad reſtitutionem. Nec valet dicere, quod illud damnum infallibiliter erat ab alijs inferendum, nihilominus quia ipſe concurrit ad tale malum faciendum, vt alij, cenſetur vt alij in ſolidum obligatus. Et ita Siluius in 2. 2. *quæſt* 62. *art. 7* Petrus Nauarrus, *cap. 3. num. 36.* Molina *tract. 2. diſp. 772 num 3.* Villaboſ. in *ſumm. tom. 2. tract. 11. dub 7. num* 8. & alij plures apud Dianam de *parlam. tract 3. reſol. 17.*

An quando in Conſilio ſcitur proponendum tributum iniuſtum, & à maiori parte concludendum, poſſit aliquis Conſiliarius pro illa die domi manere abſque periculo peccati mortalis, & onere reſtitutionis?

BRACTEA XXII.

R. Peccare mortaliter domi manendo. Ratio, quia ex officio tenetur ire ad conſilium, & impedire ne mala ſequantur. Vnde domi manendo peccat contrà proprium officium. Si verò certò ſciret non poſſe impedire damnum, & non poſſe ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, & illam exonerare ſine magna moleſtijs, & periculo cadendi à ſuo ſtatu, aut ſine magna nota ſingularitatis, maximè, vbi vota publicè efferūtur non poſſet, tunc poſſe domi manere Ratio eſt, durum eſſet aliquē obligare ad aſſiſtendum conſilijs, cum tanto periculo, & incommodo, & ad opponendum ſe, & facienti reſiſtentiam tollendi cōſilij. Ita Garzias de *beneficijs tom. 1 part 2 cap 2. n 512.* Valerus in differentijs vtriuſque fori, *verb ſuffragium differ. 2.* & alij. Secundò, obligari ad reſtitutionem Conſiliarium, qui abſque iuſta cauſa domi manet. Ratio, quia cenſetur concurrere in damnum faciendum negatiuè, id eſt tacendo, & non obediendo, cum ratione officij, obligetur loqui, & damnum impedire in quantum commodè poteſt, vt dictum eſt ſuprà, Secundò poſſe Conſiliarium in conſilio dando ſequi opinionem, quam maluerit, dummodo ſit probabilis, & poſſe relicta opinione probabiliore ſequi probabilem. Ratio eſt, quia videtur prudenter agere ſequendo opinionem probabilem relicta probabiliore. Et ita plures apud Bonacinam *de legibus diſp. 2. quæſt. 4 pun. 9 n. 13.*

An Conſiliarius poſſit ſe ſubſcribere determinationi factæ à maiori parte Conſiliariorum, licet ipſe contrarium ſentiat?

BRACTEA XXIII.

R. Diſtinguendo: ſi enim vel opinio maioris partis habet rationes probabiles, licet pro minori parte adſint probabiliores, & in hoc caſu cenſeo poſſe ſe ſubſcribere determinationi factæ à maiori parte. Ratio, quia in moralibus licitū eſt ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori etiam tutiori. Et ita plures apud Sanchez in *opere morali tom. 1 lib 1. cap. 9. num* 4. Bonacinam *de legibus diſp 2 quæſt. 4 pun. 9. num. 4.* Beccanus in *ſumm. Theologiæ part. 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. num. 13.* Sanfelicellus *variarū*

reſo-

reſolutionum, part.1.queſt.59.num.4. Filliucius *queſt.moral. tom.2.tract.21.cap.2.nu.*128. Martinez in *part.1.tom.1 queſt.19.art.6.dub.6.concluſ.1.* Villaboſ.in *ſum.difficult.* 10.*num.*2. Granadoſ.in *part.2.controuerſ.tract.12.diſp.4. ſect.3.num.3.* Reginaldus *tom.1.lib.13.cap.10.ſect.1.* Salas *de legib.queſt.96.tract.14.diſput.13.ſect.1.num.5.* & alij. Ratio eſt, quia ille qui ſe ſubſcribit ſententiæ illorũ qui amplexi ſunt opinionem probabilem ſequitur conſilium prudentum hominum ſatis rationabiliter agentium: ſed qui prudenter agit non peccat, ergo, &c. Deinde ſi teneretur probabliorem, & tutiorem ſententiam eligere intollerabile onus eſſet, & maximis ageretur ſcrupulis in inueſtiganda opinionum probabilitate, & veritate. Igitur Conſiliarius, ſeu pars minorum comitiorum ſi ſe ſubſcribit ſententiæ à maiori parte determinatæ non peccabit etiamſi opinio maioris partis eſſet minus tuta, & minus probabilis; difficultas tamen eſt quando maior pars concluſit rem iniuſtam, tunc reſpõdeo Conſiliarium non teneri ſe ſubſcribere ſententię concluſæ à maiori parte, & ita Exodi 23. *Ne ſequaris turbam ad faciẽdum malum*, nec in iudicio plurimorum acquieſcas ſententiæ, vt à verò deuiea. Ratio eſt, quia ſe ſubſcribentes participes eſſent iniuſtæ concluſionis, & approbarent rem malam, & iniuſtam, conſcientia contrarium dictante.

MALLEATIO XXIV.

De alijs cauſis particularibus, concurrentibus ad damnum.

Quando cauſa conſentiens ſit obligata ad reſtitutionem damni?

BRACTEA I.

SCIENDVM illam dici cauſam conſentientem, quæ ſuo ſuffragio, vel voto iniuſtæ actioni conſentit, ſanet, & approbat, vel fert ſuffragiũ in delicto, vt quando quis ſuo conſenſu eſt cauſa, vt iniuſtum bellum feratur, iniuſta fiat electio, iniqua feratur ſententia, vel aliquid conſentit fieri cõtrà immunitatem Eccleſiaſticam, vel eius libertaté. Quo poſito.

R. Cauſa conſentiens eſt obligata ad reſtitutionẽ quando eius conſenſus cenſetur cauſa efficax damni. Secus autem quando non eſt cauſa efficax damni. Ita communiter omnes. Ratio, quia ſola cauſa efficax obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum 2. quod ferentes ſuffragia ad faciendũ aliquid, ex quo alicui reſultat aliquod damnum, v.g. an prędis Eccleſiaſticorum debeant ſoluere taleas de nouo impoſitas, aut hoſpitare milites, aut ſoluere hyemalia quarteria, &c. Quod ſi omnia ſuffragia neceſſaria ſunt ad concludendum omnes obligantur ad reſtitutionem damni ſequuti, quod ſi ſolum maior pars ſuffragiorum neceſſaria ſit, tunc dicendum eſt, illam maiorem partem ſuffragantium obligari ad reſtitutionem, cæteros verò non obligari, ſed peccare tantum mortaliter, quia priora vota cenſentur cauſa efficax damni, poſteriora verò ſolum inefficax, modo non ſperaretur cæteros reuocare ſuam ſententiam; poſterioribus non præſtantibus ſua ſuffragia, quia ſi ita poſteriores tradentes ſuffragia cenſentur etiam cauſa efficax damni, & per conſequens obligati ad reſtitutionem, cum ex officio teneantur impedire damnum. Nauar.*cap.17. num.21.* Leſſius *lib.2 cap.13.dub.3.num.1.* Rebellius *lib.2.cap.14. ſect.5.* Azorius *lib.4.cap.12.* Clauis regia *lib. 10. tract.2. cap.7.num.3.* & alij.

Sciendum 3. quod ſi lata eſſet excommunicatio contra conſentientes, v.g. contra immunitatem Eccleſiaſticam, omnes ferentes ſuffragia incurrunt excommunicationem, licet non omnes teneantur ad reſtitutionem, cum ſolum maior pars cenſeatur cauſa damni. Similiter etiam renunciantes ſua ſuffragia præuidentes damnum quod poteſt ſequi, non modo obligantur ad reſtitutionem, verum etiamſi lata ſit excommunicatio in eam incidunt, cum teneantur impedire ex officio illud damnum, & non impediant. Ita Auctores citati.

An qui ſcit, aliquem nomine ſuo paratum eſſe occidere, neque prohibeat, teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA II.

MOLINA de *iuſtitia tom.3. tract.2. diſp.729. n.6.* affirmatiuè reſpondet his verbis, obſerua quando aliquis crederet aliquem nomine ipſius damnum iniuſtè alteri daturum, ac poſſit illud impedire illi ſignificando nulla ratione velle, vt id efficiat, ſi id prætermitteret, teneretur reſtituere damnum ſequutum, eſto poſteà non haberet ratum id damnum, Ratio, quoniam cum iudicat, aut timeat nomine ipſius damnum eſſe dandum tenetur, non ſolum ex charitate, ſed quaſi ex officio, ex proprio iuſtitię onere, impedire ne nomine ipſius, & tanquam aliquid ſibi gratum damnum proximo iniuſtè inferatur. Ita Molina *loco citato*.

Rebellus *part.1.lib.2.queſt.14 ſect.3. num.3* loquitur cum diſtinctione, vel alter ſcit, te malignum ſuum propoſitum ſcire, & non vult contradicere, aut impedire: vel hoc neſcit, ſi primum taciturnitas conſenſus, & approbatio iudicatur, per quam ſi ille mouetur ad damnum inferendum oritur obligatio reſtituendi, ſi ſecundum non obligaberis ad reſtitutionem, vt mandans, ſed vt non obſtans, ſi vide licet ex officio obligatus ſis ad damnum iniuſtum impediendum; & ideò.

R. Secundum opinionem Rebelli, vt ſupra.

Sciendum Patrem non obligari ad reſtitutionem quando filius nomine ipſius eo inſciente damnum intulit, etiamſi re intellecta ratum haberet factum. Ita Leſſius *lib.2 cap.13.dub.3.nu.13.* Vaſquez *opuſc.de reſtitut.cap.9.§.1.num.19.* Molina de *iuſt.tom.3.tract.2. diſp.729. num.3.* Medina *C.de reſtit. queſt.7.* & alij. Ratio quia talis non cenſetur cauſa efficax damni, cum ad præteritum non ſit potentia.

An conſentiens iniquæ actioni obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA III.

SCIENDVM quod conſenſus duobus modis poteſt ſe habere, aut his eſt ſimplex conſenſus, aut eſt ſimul conſenſus, & cauſa effectus, vt v.g. agitur de bello iniuſto ineundo vocat Rex Conſiliarios ad quos ſpectat de his rebus agere, vt conſulat, quid agendum, horum conſeulus non dicitur tantum conſenſus, ſed etiam cauſa, quia ex eorum con-

conſenſu pendet bellum. Alij verò ad quos non ſpectat ex officio conſulere bellum, quibus bellum placet, & dicunt fiat, ſimpliciter dicuntur conſentire, ſed tamen horum conſenſus non eſt cauſa belli, ſed tantum complacentia quædam voluntatis de bello faciendo. Quibus poſitis.

R. 1. Conſentiens iniquæ actioni, ita vt ille conſenſus ſit cauſa actionis iniquæ, non modo peccat, ſed etiam obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia verè, & moraliter influit in effectum, in actionem iniuſtam conſentiendo: hinc qui conſentit, vt damnum iniuſtè inferatur, ita vt ſine eius conſenſu, & auctoritate illud non fieret, tenetur ſic conſentiens ad reſtitutionem inſolidum damni ſecuti. Verum ſi conſenſus erit tantum complacentia, quædam voluntatis peccat mortaliter, ſic conſentiens in actionem iniuſtam, at tamen non obligatur ad reſtitutionem, cum eius voluntas non fuerit cauſa efficax damni; reſtitutio non eſt ſimpliciter ex peccato, ſed ex damno iniuſtè cauſato.

An qui conſentit in furtum nomine ipſius factum ad reſtitutionem teneatur?

BRACTEA IV.

R. Qvod ſi his, qui nec mandatum, nec conſilium dedit ratum habet furtum nomine ſuo factum, poſtquam illud ſciuit, non obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia ſic ratum habendo furtum, non cenſetur cauſa ipſius: quia poſt delictum factum conſenſum præſtitit, & non antea, & conſenſus, qui ſubſequitur furtum, non cenſetur cauſa ipſius, & licet in pœnis ratihabitio in vtroque iure retrotrahatur, tamen non videtur habere locum in debito reſtituendi, quia obligatio reſtitutionis originem trahit ex damno, & qui conſentit in delictum iam patratum, non cenſetur cauſa illius, ergo, &c. Secundò per ſolam ratihabitonem non contrahi obligationem conſtituendi in foro conſcientiæ, niſi conſentiendo ſit cauſa ne reſtituatur ablatum. Ratio primę partis conſtat ex ſupradictis. Ratio ſecundæ partis eſt, quia vt ſic cenſetur cauſa damni.

Sciendum conſentientem tripliciter poſſe conſiderari. Primò ante damnum illatum. Secundò in ipſo actu damnificandi. Tertiò poſt damnum illatum; conſentientem primò, & ſecundo modo, obligari ad reſtitutionem, quia moraliter eſt cauſa efficax, cum ſupponamus ab eius conſilio pendere damnum inferendum, vel quod actu infertur. Tertiò modo, vt dictum fuit non obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia cum conſenſus ſubſequatur damnum, non poteſt dici cauſa efficax moralis illius, licet Nauar. *cap.27.num.*253. & alij, ſequantur opinionem contrariam,

Sciendum 2. Quod ferens prior ſuffragia probabiliter ſciens ſubſequentes daturis eſſe ſuffragium in eandem partem peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem, & ita plures citati apud Bonacinam de *contract. diſp.*2.*quæſt.*2.*pun.*8.*num.*7. Ratio, quia efficaciter influit in effectum, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem, ex quibus colligitur omnes ferentes ſuffragia, vel in ordine ad electionem indigni, vel in ordine ad ferendam ſententiam iniuſtam, &c. obligari ad reſtitutionem quando eorum ſuffragia ſunt omninò neceſſaria, ſecus vt ſupra dictum fuit quando vota ſubſequentia non ſunt neceſſaria, quia tunc non cenſentur cauſa efficax damni ſequuti.

Quomodo palpans, ſeu laudans obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA V.

R. Qvi laudat malefactorem, eumque ad inferendum damnum inuitat, obligatur ad reſtitutionem. Ita Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.*10. Leſſius *lib.*2 *cap.*13. *dub.*3. *num* 25. Rebel. 2. *part. quæſt.*14. *ſect.*6. Reginald. *lib.*10. *num.*85. Ratio, quia laudando, & ipſum inuitando influit in damnum.

Sciendum, quod licet propriè palpans dicatur ille, qui laudando alterum ad peccatum inuitat, & extanditur etiam ad eum, qui per exprobrationem, contumeliam, irriſionem, alioque modo ad patrandum ſcelus prouocat, vt, v.g. his verbis vtendo indignus es, vt tali iniuria afficiaris, ignauus es ſi patiaris, ita tractari, & ſimilia. Vnde ſi quis exprobrarat marito adulterium vxoris, quo irritatus, & pudore affectus maritus eam, vel adulterum occideret, teneretur iſte ad reſtitutionem cum ſua detractione, ſit cauſa efficax damni. Nauar. *cap.*17.*num.*132. & alij. Similiter ſi quis contraheret amicitiam cum Titio hoc ſolo animo, vt Titius in iuſſus iniuriam ſibi illatam vendicaret ad reſtitutionem damni ſequuti teneretur. Ratio eſt, quia per adulationem illum ad malum faciendum induxit.

Sciendum etiam aliquando palpantem, ſeu laudantem excuſari à reſtitutione, vt quando conſideratis conſiderandis non cenſetur cauſa efficax damni, quia tunc non obligatur palpans ad reſtituendum, vt v. g. quando palpando, ſeu laudando inculpabiliter non cenſetur cauſa efficax damni.

An qui laudando vindictam eſt cauſa, cur alter illam faciat, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VI.

R. Cvm qui laudando, ſeù adulando, dicit bonum eſſe vindictam facere, inducitq; alium ad illam faciendam de aliqua iniuria accepta, v. g. ob furtum, vel ob adulterium dicendo eſſe opus animi ſtrenui, & generoſi, & illa non facere puſilanimi, obligari ad reſtitutionem damni ſequuti ob illam laudem, ſeu ob illam adulationem. Ita Arragonius 2.2. *quæſt.* 62. *art.*7. Nauarrus *cap.* 17. *num.*135. Salonius 2. 2. *quæſt.*62. *art.*7. Petrus Nauar, *de reſtitut. cap.*4. *part.*1. *num.*37. & alij. Vnde ſi quis marito exprobraret adulterium vxoris, qui irritatur eam, vel adulterum occideret, obligetur ad reſtitutionem, cum ſua exprobratione eſſet cauſa efficax mortis. Nauarrus *loco cit. num.* 142. Similiter ſi quis cum alio contraheret amicitiam, & illi offerret munera, hac intentione, vt ipſe iniuſtua vlciſceretur de aliqua iniuria recepta ad reſtitutionem damni teneretur, cum illius damni cenſeretur cauſa efficax, ſicut ſupra dictum eſt, ſicut etiam qui deridet, aut, vituperat eum, qui non furatur, obligatur ad reſtitutionem, quando ſua deriſione eſt cauſa, cur alter furetur, quia cenſetur cauſa efficax damni, ſicut etiam, qui laudat malefactorem, & laudando fuit cauſa alicuius damni.

Receptans quomodo obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VII.

R. Evm qui recipit furem, ſeu occultat rem furtiuam, vel aliquo modo præbet ſecuritatem ad patrandum furtum obligari ad reſtitutionem. Ita Rebellus, *lib.2. quæſt.14. ſect.6.* Leſſius *lib.2.c.13.dub.3.* Molina *diſp.733.* & alij. Ratio, quia efficaciter cenſetur influere in damnum.

Sciendum aliquem poſſe duobus modis acceptari: primò materialiter, vt quando acceptatur non quatenus commiſit delictum, ſed quatenus amicus, &c. Secundò formaliter. Quando recipitur malefactor, quatenus talis eſt. Primò modo, qui accipit malefactorē non obligatur ad reſtitutionem, ſed ſolum ſi formaliter acceptet. Filliucius *tract.32. cap.3. num. 66.* Secundò quod ſi fur ſe recipit in domum alienam, cauſæ euitandæ mortis, vel alio fine, & res furtiuas tradidit domino cuſtodiendas, non obligatur eas reſtituere furi, ſed debet eas reſtituere domino, ſi id commodè poteſt facere, denegando eas furi; & abſque periculo ſuę famæ, & honoris, vt ſi timeat ſibi imputandum furtum, alioquin eas reſtituere debet per tertiam perſonam, nimirum per Confeſſarium, vel alium. Ita Clauis regia *cap.11. num.11.* Leſſius *loco cit.* Reginaldus *lib.10. num.86.* Tertiò obligantur ad reſtitutionem Artiſtæ, qui res furtiuas emunt à filijs, vel ſeruis, vel etiam à militibus. Quartò obligantur etiam Cauponarij, qui à filijs recipiunt pecunias à patribus occultè ſubreptas, quando parres, vel domini cenſentur rationabiliter inuiti circa ſubſtantiam. Azorius *lib.4. cap.18. num.11.* Reginaldus *loco cit.* Molina *diſp.733. num.19.* quia iſti non ſolum cenſentur receptatores malorum, verum etiam iniuſti detentores rei alienæ, & per conſequens non ſolum obligatur ad reſtitutionem ratione iniuſtæ acceptationis, ſed etiam ratione rei acceptę. Quintò obligantur etiam ad reſtitutionē, qui furanti ſecuritatē prębent, vel ad recipiendū, vel ad retinendum rem alienam, vel eam emendo. Vnde etiam Magnates obligantur ad reſtitutionem damnorum illatorum à ſuis ſeruis fidentibus ipſorum potentiæ, & protectioni ipſis tamen ſcientibus, & diſſimulantibus. Rebellus *lib.2. de reſtitut. quæſt.14. ſect.6.*

An qui abſcondit furem obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

R. Qvi abſcondit furem poſt commiſſum debitum, illumque adiuuat ad fugiendum, nullo modo concurrendo ad delictum, non teneri ad reſtitutionem. Ratio, quia non cenſetur cauſa efficax damni. Tum etiam, quia ſicut licet delinquenti fugere, ita licet alijs illum adiuuare ad fugiendum, modo illi non dent ſpem refugij in poſterum, ita vt delinquens ea ſpe nixus noua damna inferat. Rebellus *lib.2.cap.14. nu.45.* Leſſius *lib.2. cap.13. num.23.* Secundò, quod qui ante patratum delictum ſe offert paratum ad receptandum delinquentem, illique ſecuritatem donat, vt euadat iuſtitiam, obligatur inſolidum ad reſtitutionem. Leſſius *lib.2. cap.13. dub.3.* Tertiò, qui recipit delinquentem ratione amicitiæ, vt dictum eſt, vel ratione conſanguinitatis, vel ignorando eum eſſe delinquentem non tenetur in conſcientia reſtituere. Ratio, quia non dicitur receptator delinquentis formaliter, ſed ſolum materialiter, tum etiam, quia non cooperatur maleficio, nec eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, vel detentionis, tum etiam, quia quando in Bulla Cœnæ Domini fertur excommunicatio contrà fautores, vel receptatores Hæreticorum intelligitur de receptatoribus formaliter, non autem materialiter, niſi aliud exprimatur. Salonius *2.2. quæſt.62. art. 7. controu.1. de receptante concluſ.2.* Arragonius *ibidem*.

R. Quiduo conſenſu non eſt cauſa efficax damni, non tenetur ad reſtitutionem.

De Participante?

BRACTEA IX.

Sciendvm dupliciter poſſe aliquem participare in aliquo damno: Primò, quia concurrit in actione damni: Secundò, quia fit particeps damni, vt v.g. in furto dupliciter poſſe aliquem participare. Primò in actione furti, Secundò, quia fit particeps furti poſt factum; ſi primò modo ſemper obligatur ad reſtitutionem, ſi in actione ſponte participat, ſi verò metu iuſto, non obligatur ad reſtitutionem, niſi participauerit in re intrinſecè mala; ſi verò ſecundo modo fuit particeps damni, obligatur ſolum pro rata parte. Secundò dupliciter poſſe aliquem participare in actione mala: Primò in actione intrinſecè mala: Secundò in actione extrinſecè mala; qui participat in actione intrinſecè mala, ſemper peccat contra iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem, quia culpabiliter influit in damnum: qui verò iuſta cauſa, ſiue iuſto metu coactus participat in actione extrinſecè mala, non obligatur ad reſtitutionem, quia ſicut iuſta cauſa, ſiue metus iuſtus excuſat à peccato in his, quæ ſunt extrinſecè mala, ita etiam excuſat ab onere reſtituendi: vnde excuſantur, qui iuſto metu coacti præbent ſcalas ad furandum, vel alia inſtrumenta, aut adiuuant conſcendere murum, vel aſcendere ſcalas, cum ſint ſolum actiones extrinſecè malæ; & ex intentione furis, qui his medijs vtitur ad malum finem. Tertiò excuſari à reſtitutione, qui iuſto metu, ſiue alia rationabili cauſa abducunt iniuſtas militum prædas, cum illarum abductio non ſit actio intrinſecè mala, nec iniurioſa Dominis, ſed ſolum mala, & iniurioſa ex intentione furis; qui verò metu coactus aſcenderet ſcalas, & ingrederetur domum per feneſtras intentione furandi, aut per ſe ipſum arcas effringeret, aut res foras è feneſtra proijceret obligaretur ad reſtitutionē, eo quod participaret in opere intrinſecè malo, niſi forſan illud faceret iuſto metu, & intentione cōpenſandi damnum, quia ſic, nec etiam peccare mortaliter, & dominus non eſſet rationabiliter inuitus, cum quia ſit iuſta cauſa, v.g. ad vitandum damnum, & intentione compenſandi. Quo poſito.

R. Participans in opere intrinſecè malo peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem. Et ita communiter omnes; ratio, quia participando cenſetur cauſa efficax damni. Secundò participans abſque rationabili cauſa in opere extrinſecè malo peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem; ſi verò iuſta cauſa, aut metu id faciat, nec peccat mortaliter, nec obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum 2. excuſari à peccato mortali, & onere reſtitutionis vendentes venena, aut arma, etiamſi ſciant emi ad malum finem, dummodo vendens prauæ intentioni non conſentiat, & eo officio vēdat. Similiter vendens agnum Iudæo, quem ſcit emere

ad ſacrificandum non cenſetur cooperari ſuperſtitioni, cum venditio ſit actio indifferens, & vendens habeat iuſtam cauſam vendendi. Extra caſum damni notabilis, qui dat rem indifferentē ei, qui vult ea vti in damnum proximi, peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quia tenetur impedire damnum huiuſmodi non tradendo rem indifferentem, nec participando in damno inferendo, Molin. *diſp.* 115. Sotus *lib.* 4. *quaſt.* 7. *lib.* 1. & alij.

Sciendum 3. qui iam læthaliter vulneratum interficit non obligari inſolidum ad reſtitutionem totius damni, ſed ſolum quatenus accelerauit mortem, vel fuit cauſa alicuius damni particularis. Ratio, quia per occaſionem non cenſetur cauſa totius damni, quia certò euentura erat mors ob læthale vulnus ab alio prius inflictum abſque cooperatione ipſius, qui mortem accelerauit. Ita Reginaldus *lib.* 10. *num.* 117.

Quomodo mutus, non obſtans, non manifeſtans malefactorem, obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA IX.

R. Mutum, non obſtantem, vel non manifeſtantem, qui ex iuſtitia contractus, vel ratione officij, tenetur clamare, impedire, vel manifeſtare damnificatorem obligari ad reſtitutionem damni ſequuti non clamando, vel non impediendo, vel non manifeſtando damnificatorem. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia qui omittit clamare, &c. cum obligetur cenſetur, cauſa efficax damni, & per conſequens obligata ad reſtitutionem. Secus verò dicendum ſi ex iuſtitia non teneatur, ſed ſolum ex charitate, quia tunc non obligatur ad reſtitutionem damni facti non clamando, aut non impediendo, aut non manifeſtando damnificatorem; licet ex prauo animo non clamet, non impediat, aut non manifeſtet malefactorem, quia licet ex prauo animo taceat, tamen non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap* 13. *num* 14. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap* 13. *dub.* 13. Rebellus *lib.* 2. *quaſt.* 14 *ſect.* 8. Nauarr. *cap.* 17. *num* 18.

Sciendum etiam, quod ſi obligatus ex iniuſtitia, vel ex officio clamare habeat iuſtā cauſam tacendi, vel non impediendi, vel non manifeſtandi damnificatorem non obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti. Vnde qui tacet, vel non impedit, vel non manifeſtat, quia non poteſt abſque notabili impedimento, vel periculo vitæ nō obligatur ad reſtitutionem, ſi ſequatur aliquod damnum non clamando, &c. vt S. Thomas, Nauarr. Sotus, Silueſter *locis cit.* docent. Vnde qui per negligentiam culpabilem non impediunt damna, quæ ex officio obligantur impedire; Principes, Magiſtratus, qui non impediunt furta, latrocinia, &c. curando vt viæ ſint ſecuræ agentibus, etc. obligati ſunt ad reſtitutionem, cum ex officio debeant id curare. Similiter etiam Duces exercitus, qui cum poſſint impedire damna priuatorum, & non impediunt, obligantur ad reſtitutionem. Verùm ſi detur aliqua rationabilis cauſa non impediendi, vt v.g. quando impediendo datur aliquod periculum famæ, honoris, vel etiam aliquod damnum temporale, tūc non obligatur quis ad reſtitutionem ſi tacet, aut nō impedit, aut non manifeſtat. Ita patres denegantes alimenta filijs poſtquam ipſi poſſunt ea acquirere, nō obligantur ad reſtitutionem, quia non cenſentur violare iuſtitiā, ſed ſolùm charitatē. Serui verò, qui non impediunt damna, quæ à conſeruis fiunt, vel ab alienis Dominis, obligātur ad reſtitutionē, quia peccāt contra iuſtitiā, cū ex officio teneātur ea impedire. Molina *diſp.* 506. *n.* 3. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. Leſſius *lib* 2. *c.* 13. *dub* 10. *n* 65. Azorius 3. *par. lib.* 8. *c.* 13. *quæſt.* 8. Similiter qui denegat pauperi in extrema neceſſitate poſito eleemoſynam, vel medicamenta, non obligatur ad reſtitutionem damnorum, poſtquam mortuus eſt, quia non violat iuſtitiam, ſed charitatem.

Sciendum 2. quod interrogatus ab aliquo an viderit furem furantem, non obligatur ad reſtitutionem, ſi tacuerit veritatem, cum non violet iuſtitiam, cum non obligetur dicere, aut manifeſtare ex iuſtitia, aut ex contractu. Secus autem ſi iuridicè interrogatus fuerit, niſi habeat iuſtam cauſam tacendi veritatem.

Ex qua culpa obligentur, qui ex officio, vel ex contractu obligantur clamare, &c.

BRACTEA XI.

R. Qui ex officio tenentur, vel etiam ex contractu clamare, impedire, vel manifeſtare obligantur ad reſtitutionem ex culpa lata. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13 *dub.* 10. Ratio, quia tenentur adhibere illam diligentiam, quam homines prudentes ſolent adhibere, & non adhibendo peccant.

Sciendum, quod qui ſe contractu obligarunt ad alicuius rei cuſtodiam, & ob eam cauſam ſtipēdium accipiunt, vt ſunt cuſtodes hortorum, vinearum, ſaltuum, ſtagnorum, & ſimilium ex iuſtitia contractus tenentur impedire damna, & ſi non impediunt, tenentur ad reſtitutionem, debet tamen damnum eſſe magni momenti, & Dominus iuſta ratione inuitus. Vnde ſi pauper, vel amicus Domini aliquid ſurripuerit, & cuſtos non clamauerit, non obligatur ad reſtitutionem, quia Dominus non cenſetur rationabiliter inuitus, & ſi erit inuitus, erit ſolùm circa modum, non autem circa ſubſtantiam. Verùm cuſtodes non denunciantes delictum, ex quo ſoluenda eſſet pœna pecuniaria fiſco; vel &c. tenentur quidem ad reſtitutionem damni, quod Domini patiuntur, non tamen tenentur ad reſtitutionem pœnæ illius, ad quam condemnatus eſſet reus, ſi accuſatus fuiſſet. Ratio eſt, quia non violatur ius, quod habeat fiſcus, cum pœna non debeatur, niſi poſt ſententiam, & idcircò fiſcus non habet ius ad ipſam, niſi poſt cōdemnationem. Ita Nauarr. *cap.* 25 *num.* 34 & alij. Similiter obligantur ad reſtitutionem Tutores, & Curatores, Aduocati, & Procuratores, qui negligunt damna pupillorum, vel non adhibent illam diligētiam, quam homines illius profeſſionis ſolent adhibere. Teſtis in iudicio legitimè interrogatus, & non manifeſtans reum non tenetur ad ſoluendam pœnam, ad quam condemnatus fuiſſet reus, ſi ipſe dixiſſet veritatem, ſed tantum ad reſtitutionem damni, quod pars læſa paſſa eſſet. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 51.

An qui aliquid accepit à fure, vt taceat, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XII.

Sciendum dubium eſſe, an accipiens aliquid à fure ne clamet, aut impediat, aut manifeſtet, dum furtum committitur, poſſit accipiens reti-

nere datum à iure. Vnde dicendum primò, quod ſi datum ſit pars furti, nullo poteſt retineri. Ratio eſt, quia eſt res aliena; ſed ſi non ſit pars furti. ſed fur det ad tacendum, dum furtum committitur, dicendum etiam nullo modo ſic accipientem poſſe datum retinere, quoniam accipiendo cenſetur cooperari furto, ex eo quod fur propter ſecuritatem ſit animoſior, & tutior ad furandum, ſine qua, vel non furatus eſſet, vel nõ tam audacter; ſi verò det poſt furtum commiſſum ad hoc vt taceat, dicendum eſt, quod ſi accipit ad hoc, vt extraiudicialiter de furto facto taceat, non obligatur ad reſtitutionem; ſi verò accipit, vt taceat, ſi iudicialiter interrogatus fuerit, obligatur ad teſtitutionem, cum in iudicio ſit obligatus dicere veritatem; ſi autem abſolutè accipit à fure abſolutè dante, poteſt acceptum retinere, dummodo non ſit pars furti.

An Confeſſarius teneatur ad reſtitutionem, quando non admonet pœnitentem de reſtitutione facienda?

BRACTEA XIII.

R. Confeſſarium non obligari ad reſtitutionem non admonendo pœnitentes, vt reſtituant. Ita Reginaldus *lib.10.tract.2. num.* 42. Leſſius *lib.2 cap.13 dub.*10. Sanchez in *ſumm. lib.*1. *cap.6. num.*5. Valentia *tom.3. diſp.5. quæſt.6. pun.*3. Azorius 3.*par. lib.*4.*cap.*16.*quæſit.*3. Em. Sa *verbo reſtitutio n.* 21. Ratio, quia Confeſſarius ſolũ obligatur proſpicere bono ſpirituali pœnitentis, non autem temporali.

Sciendum, quod Cõfeſſarius, cui ex officio incumbit cura animarum, & pœnitentes confitendi non modo obligatur admoneri pœnitentem pro bono ſpirituali, verùm etiam impedire, ne alijs inferat damnum temporale accipiendo ex hoc decimas; & ſi ex culpa lata, vel leui non admonet pœnitentem, vt reſtituat, obligatur ipſe ad reſtitutionem; alij verò Confeſſarij, quibus ex officio non incumbit cura animarum, nec confitendi, non ſunt obligati ad reſtitutionem non admonentes pœnitentem de reſtitutione. Ratio eſt, quia ex hac taciturnitate non cauſatur damnum, cum pœnitens adhuc remaneat obligatus ad reſtituendum. Secus verò dicendum erit, ſi pœnitenti interroganti an ſit obligatus ad reſtitutionem, Confeſſarius reſponderet non eſſe obligatum, cum re vera eſſet obligatus, quia tunc obligaretur ad reſtitutionem, cum cenſeatur cauſa efficax damni.

An qui pretio induxit ad tacendum volentem contra furem clamare, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XIV.

R. Cum Rebello *par.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 14 *ſect.* 8. qui per vim, metum, aut fraudem, vel mendacium, aut alios modos contrarios iuſtitiæ induxit ad tacendum, qui ex ſola charitate obligatus contra furem clamare volebat, obligatur ad reſtitutionem ſecuti. Ratio, quia vtendo iſtis medijs offendit iuſtitiam commutatiuam, qua læſione obligatur ad reſtitutionem. Qui autem ſecluſa vi, fraude, &c. impedit volentem ex charitate clamare contra furem, non obligatur ad reſtitutionem, quia non violat iuſtitiam commutatiuam: peccat tamen contra charitatem, præcipuè ſi prauo animo faciat. Nauarrus *cap* 17. *num.* 140 Medina *Cod. de reſtitut. quæſt.* 9. Azorius *par.3. lib.4. cap.15. quæſt.* 3. tenent obligari ad teſtirutionem.

An impediens aliquem à conſecutione alicuius boni quod aſſequutus fuiſſe obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XV.

Sciendum Quod dupliciter quis poteſt habere ius ad aliquod bonum: primò ex Iuſtitia, quod duplex eſt perfectum, & imperfectum, ſeu in re, & ad rem. Secundò ex liberalitate, v.g. ex promiſſione, legato, &c. Quo poſito.

R. Qui ſine vi, & fraude impedit aliquem à conſequutione alicuius boni, quod ſolum ei debetur ex liberalitate non obligatur ad reſtitutionem. Ita Rebellus *lib.3. de reſtit. quæſt.*1. Leſſius *lib.2. cap.12. dub.*18. Azorius 3.*part. lib.*4.*cap.*9. Em. Sà *verbo reſtitutio, nu.*21. & alij. Ratio, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ, vnde qui impedit alium à conſequutione alicuius rei nondum acceptatę, aut legati nondum acceptati, aut ne aliquis conſtituatur hæres non obligatur ad reſtitutionem, dummodo impediuerit ſine vi, & fraude &c. cum impediendo non violauerit iuſtitiam, & ſicut teſtator poterat primam inſtitutionem reuocare abſquè obligatione reſtitutionis, ita etiam alter licitis medijs poterat talem reuocationem perſuadere ſine obligatione reſtitutionis. Ita Rebellus *lib.3. quæſt.*1. Secundò, qui vi, vel fraude, dolo, vel mendacio impedit aliquem à conſequutione alicuius boni, quod ei debetur ex mera tertij liberalitate obligatur ad reſtitutionem. Ita Rebellus *lib.3. quæſt.*1. & alij. Ratio eſt, quia peccat contra iuſtitiam violando ius paſſiuum quod habet ad donum, & impediendo collatorem ne conferat donum, & ideò obligatur ad reſtitutionem non tanti, quanti volebat illud donum, vel beneficium, ſed tanti, quanti valebat illa ſpes doni, & beneficij iudicio prudentis viri. Tertiò, qui alium impedit à conſecutione alicuius boni, quod ei debetur ex iuſtitia obligatur ad reſtitutionem, licet non impediat dolo, vi, fraude, &c. Ita communiter omnes D.D. Ratio, quia violat iuſtitiam commutatiuam.

An famuli non impedientes damna, quæ ſuis Dominis inferuntur obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA XVI.

R. Famulos teneri ad reſtitutionem ſi non impediant, ne damna Dominis inferantur ab alijs conſeruis, vel ab extraneis, quando illis demandata eſt cura illarum rerum, in quibus damnum infertur dominis per furtum. Ratio, quia peccant contra iuſtitiam non impediendo dãna, quæ ex iuſtitia tenentur impedire. Ita Molina *diſp.*500.*num.*73. Petrus Nauarrus *lib.3. cap.*1. *num.*226. Leſſius *lib.2. cap.13. dub.10. num.*65. Azorius 3.*part. lib.*8 *cap.*13. & alij communiter. Secundò non peccare mortaliter contra iuſtitiam nõ impediendo ne dãna inferantur domino ab exrtaneis, quando ipſis nõ eſt concredita cura domus. Ita Molina, & Azorius *locis citatis*, & alij, licet contrariam ſequantur Leſſius

loco

loco cit. & alij. Tertiò, qui impedit ſeruum volentem ex officio clamare obligatur reſtitutionem dãni ſequuti, quia facit contra iuſtitiam, impediendo volentem clamare ex iuſtitia, aut ex officio obligatũ. Qui verò ſine vi, metu, &c. impedit ſeruum clamare volentem, non ex iuſtitia obligatũ, ſed ſolum lege Charitatis, non obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia impediens non magis obligatur ad reſtitutionem, quam alter obligetur; ſed iſte non obligatur reſtituere, cum ex officio non teneatur clamare, ergo, &c. Quartò, qui fraude, vi, &c. impedit ſeruũ volentem clamare obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ratio, quia facit contra iuſtitiam vtendo fraude, vi, &c. Ita Rebellus *part. 2. lib. 2. quæſt. 11.* & alij, ſi verò leuibus precibus diſſuadet. Ita Rebellus *loco cit.* Quintò ſeruum non obligatum ex iuſtitia ſi aliquid accipiat, ne impediat furtum, non obligari ad reſtitutionem, niſi acceptum ſit pars furti, aut fur animaretur. Ratio primæ partis eſt, quia & ſi pretium accipiat nullam facit iniuſtitiam cum ex officio non obligetur. Ratio ſecundæ partis eſt, quia tunc cooperaretur ad furtum, ſi fur animoſior redderetur, & ſi acceptum ſit pars furti obligatur ad reſtitutionem illius. Sotus *lib. 4. de Iuſtitia quæſt. 7. art. 3.* Nauar. *cap. 17. num. 21.* Siluester *verbo reſtitut. 3. nu. 16.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 13. dub. 10.* Salon. *2. 2. quæſt. 72. art. 7.* & alij.

An qui alium ſuo prauo exemplo induxit ad delictum perpetrandum teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA XVII.

R. Non teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ, qui autem ſuo prauo exemplo alium inducit ad delictum perpetrandum, directè non violat legem iuſtitiæ, ſicut eam violat, qui influit ſuo conſilio, aut non impedit, cum teneatur ex contractu, vel officio impedire. Sanchez *in ſumma lib. 1. cap. 6. num. 5.* Etiam ſi aliquid faciat intentione ſuo malo exemplo alium inducendi ad delictum perpetrandum. Nam illa intentio eſt actus internus, & nõ influit in opus externum, obligatio autem reſtituendi conſurgit ex opere externo iniuſto.

MALLEATIO XXV.

De ſex circunſtantijs reſtitutionis.

De prima circunſtantia, quid ſit reſtituendum?

BRACTEA I.

SCIENDVM circunſtantias reſtitutionis eſſe ſex: prima quid, ſecunda cui, tertia vbi, quarta quãdo, quinta quomodo, ſexta quo ordine, in quibus tota materia reſtitutionis continetur. Quo poſito:

R. Iniuſtè acceptum, ſeu retentum ſi extat eſt reſtituendum, & ſi non extat æquiualens. Et ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia reſtitutio facienda eſt, vt ſeruetur æqualitas: nõ ſeruaretur autem æqualitas ſi alienum iniuſtè acceptum, ſeu retẽtum, ſiue damnum datum non reſtitueretur.

Sciendum 2. bona eſſe in duplici differentia: quędam eſſe corporis: quędam animæ, & damnum in his illatum debet reſtitui, & quia res accepta vel bona, vel mala fide poſſidetur, poſſeſſor malæ, aut bonę fidei reſtituere obligatur modo iam ſupradicto in antecedentibus.

Sciendum 3. poſſeſſorem bonæ fidei, factum malæ fidei debere rem ipſam extantem reſtituere, & illa non extante rem æqualem; quia licet res ipſa poſſideatur ab alio, tamen dominium illius extat apud verum dominum, qui rationabiliter eſſet inuitus ſi res alia traderetur loco ſuæ, ratione affectionis quã debet præſumi habere ad ſuam rem. Vnde depoſitarius non poteſt vti depoſito inuito domino, & ſi depoſitum erit pecuniæ, tunc dominus cenſetur inuitus quando depoſitans pecuniam in ſaculo obſignatam tradidit. Secundò poſſeſſorem malæ fidei obligari reſtituere rem ipſam ſi extat, etiamſi melior affecta ſit, ſi verò deterior, rem ipſam debet reſtituere cum damno illato, quia dominium illius rei ſemper permanſit apud dominum, verum, ſi verò res aliena ita commixta ſit cum proprijs, vt diſcerni nequeat, & ſeparari tunc poſſeſſor ſiue bonæ, ſiue malæ fidei acquiſiuit dominium. Azorius *3. part. lib. 4. cap. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. dub. 3. num. 22.* Em. Sà *verbo reſtitutio,* Clauis regia *lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 12.* Angelus *verbo vſura,* & alij. & tunc poſſeſſor obligatur reſtituere id, in quo eſt ditior, & locupletior factus, ſi ſit bonæ fidei: ſi verò malæ fidei æquiualens. Vnde ſi quis à poſſeſſore bonę, vel malę fidei emit vinum, vel oleum, aut quid ſimile, vel ab ipſo acceperit pecuniam, & cum proprijs commiſuerit, ita vt diſcerni, & ſeparari amplius nequeant non obligatur ad reſtitutionem earundem rerum in indiuiduo, cũ earum rerum per commixtionem poſſeſſor acquiſiuerit dominium, ſed ſolum æquiualentis, ſi ſit poſſeſſor malæ fidei, & eius in quo eſt ditior, & locupletior factus ſi ſit poſſeſſor bonæ fidei.

Quæ proportio ſeruari debeat in reſtitutione?

BRACTEA II.

R. QVOD tantum debet reſtitui, quantum ſufficit ad faciendam æqualitatem debiti, vel damni illati. Ita Reginaldus *lib. 10. nu. 214.* Rebellus *lib. 2. quæſt. 10. ſect. 2.* Clauis regia *lib. 3. tract. 4. cap. vnico,* Em. Sà *verbo reſtitutio, num. 61.* Azorius *3. part. lib. 4. cap. 25.* Ratio, quia reſtitutio cum ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ debet ſeruare æqualitatem.

Sciendum, quod in reſtitutione æqualitas, & proportio ita debet ſeruari, vt ſi quantitas debiti ſit certa, tantum reſtituatur, quantum eſt debitum certum; ſi verò quantitas debiti ſeu damni illati ſit incerta, tantum reſtituatur, quanti prudentis viri iudicio iudicabitur valere; conſideratis circunſtantijs rei, loci, temporis; & perſonæ, nec non habita ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis. Vnde, qui venando, errando, &c. conculcauit ſegetes, vel deuaſtauit vineas, aut arbores fructiferas ſcidit, vel non fructiferas, adhuc tamen teneras; vt quercus, robur, &c. non tantum debet reſtituere, quanti res valebat tunc temporis: ſed etiam quanti iudicio prudentis viri valebat ſpes illa meſſis, vindemiæ, vineæ, arborum, &c. Similiter, qui furatus eſt vitulos ſelectos, & deſtinatos ad iugum, non modò debet reſtituere tantum quanti valebant vituli, ſed etiã quanti valebat ſpes illa inſeruiendi vituli in boues. Ita qui eſt in mora ſoluendi non modo debet ſoluere id quod debet, ſed etiam damnum emergens,

aut lucrum ceſſans, quod ſequitur ex iniuſta dilatione ſolutionis. Excuſantur tamen nobiles, aut alij, qui ſtatuto tempore non ſoluunt mercatoribus pretium, tum quia mercatoribus alia pecunia adeſſe putatur, tum quia præſumitur, mercatores charius vendere merces, cum ſciant ſibi non ſoluendū præfixo tempore, ſi multum differatur ſolutio, ita vt mercatores paſſi ſint aliquod damnum propter illā retardationem ſolutionum, tum illi obligantur pro ſua rata parte ad damnum emergens, vel lucrum ceſſans.

Quid debeat reſtituere poſſeſſor bonæ, & malæ fidei?

BRACTEA III.

R. Poſſeſſorem bonæ fidei debere reſtituere factum malæ fidei rem ſi extat: ſi verò nō extat debere reſtituere id, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Secundò debere reſtituere fructus naturales, non autem induſtriales deducendo expenſas; quod ſi fructus ſunt conſumpti, & per triēnium non ſint poſſeſſi, erit reſtituendum id, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Ita communiter omnes, vnde qui bona fide emit rem furtiuam; & deinde alteri vendidit maiori pretio, factus malæ fidei, tenetur reſtituere illud augmentum, ſi habet, vel id, in quo eſt ditior, & locupletior factus: & ſi eodem pretio vendidit, ad nihil tenetur. Nauarr. *cap. 17 num.* 8. Angelus *verbo Reſtitutio* §. 4. Caiet. *cap. 1. in ſumm.* & alij. Tertiò, qui bona fide habuit rem furtiuam, factus malæ fidei, ſi eam gratis habuit, tenetur eam Domino reſtituere; ſi verò contractu oneroſo poteſt reſcindere contractum, vt recipiat pretium. Ita Nauarrus *loco cit. num.* 9. Silu. Angelus, Gabriel, & alij apud Leſſium *loco cit. dub.* 3. Quartò poſſeſſorem bonæ fidei non teneri aliquid reſtituere, ſiue rem deterio rem faciat, ſiue deſtruat, ſiue fructus nō percipiat ſua culpa, &c. Ratio, quia non eſt obligatus ratione iniuſtæ acceptionis, cum ſemper fuerit in bona fide, nec ratione rei acceptæ, cum ſupponamus eā non extare.

R. 2. Poſſeſſorem malæ fidei obligari reſtituere rem alienam, ſi extat, & ſi conſumpta eſt, quocunque caſu perierit valorem eius, niſi quando neceſſariò peritura eſſet apud Dominum. Secundò debere eam reſtituere ſecundum valorem, quem habuit, dum retenta eſt à poſſeſſore malę fidei, niſi fortè Dominus fuiſſet eam alienaturus ante illum valorem, vel conſeruaturus poſt illum quando diminutū fuiſſet pretium. Silueſter *verbo furtum quæſt.* 16. Petrus Nauarrus *lib. 4. cap. 2. num.* 37. & alij. Vltimò debet reſtituere fructus naturales perceptos, & etiam non perceptos, quos tamen Dominus percepiſſet. Ratio, quia non modo debet reſtituere rem alienam, ſed etiam damnum datum ob retentionem rei alienæ. Poteſt tamen poſſeſſor malæ fidei detrahere expenſas neceſſarias, quas fecit. Vtiles, & voluntarias in conſcientia nō poteſt detrahere. Tenetur tñ. Dominus cōpenſare expenſas ad ornamētum, ſi velit rem cum illo ornamento, ſi nolit, non ſunt deducendæ.

An accepta ob turpem cauſam ſint reſtituenda?

BRACTEA IV.

R. Pro opere illicito patrando nihil accipi, aut dari poteſt. Ita Nauarrus *cap. 17.* Medina *Cod. de reſtitut. quæſt. 20. &* 28. & alij. Ratio, quia quilibet debet abſtinere ab opere illicito patrando, & per conſequens nihil accipi, aut dari poteſt propter ipſum. Secundò pro opere illicito patrato nihil accipi poteſt. Verùm ob circunſtantiam cōcomitantem ipſum actum illicitum, aliquid accipi poteſt. Ratio primæ partis eſt, quia qui dat, & qui accipit, facit contra iuſtitiam; ergò obligatur ad reſtitutionem: ratio ſecundæ partis eſt, quia illa circunſtantia, quæ concomitatur actum illicitum eſt appretiabilis pecunia; ergo, &c. Vt v. g. ſimpliciter ob homicidium patratum non poſſe aliquid accipi, cum hoc factum ſit contra iuſtitiam, & legibus puniatur, ſed ratione periculi, cui ſe expoſuit occidendo, laborum, &c. poſſe aliquid accipere, quia hæc omnia ſunt appretiabilia pecunia. Similiter mulierem nihil poſſe ob adulterium, aut fornicationem accipere: ratione autem circunſtantiæ concomitātis actus adulterij, vel fornicationis poſſe aliquid accipere, nimirum ob locationē ſui corporis in voluptatē alterius.

R. 2. Acceptum ob turpem cauſam ante factum in foro conſcientiæ non poſſe retineri; ſed debere reſtitui danti, quamuis non detur illi actio repetendi in iudicio. Vnde cui aliquid datum eſt ad occidēdum aliquem non poſſe datum retinere, ſed debere ipſum reſtituere; ſimiliter mulier, quæ accepit pecuniam, vt fornicetur, aut vt committat adulterium non poſſe datum retinere, cum ſit iniuſtè data, & accepta, & per conſequens in foro conſcientiæ iuſtè non poſſe retineri. Patrato verò delicto ob ipſum ſimpliciter non poſſunt retineri, ſi iam fuerit datum, aut ſi non datum non poſſunt peti ſimpliciter ob delictum, ſed ob circunſtantiam concomitantem delictum, poſſunt peti, & retineri. Et ita Azorius *cap. 21. quæſit.* 4. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 32. *num.* 7. Medina *Cod. de reſtit. quæſt.* 28. & alij. Secundò turpiter accepta etiam ex voluntate libera dantis reſtituenda ſunt, non ſolùm ante factum, ſed etiam ſecuto effectu, quando lex poſitiua, vel facit dantem inhabilem ad dādum, vel recipientem incapacem ad recipiendum, & ad acquirendum. Ratio eſt, quia res aliena eſt reſtituenda: ſed quando lex efficit acquirentem incapacem dominij, vel inhabilem ad rem acquirendam remanet aliena, & per conſequens eſt reſtituenda. Vnde acquiſita per ſimoniam ſunt reſtituenda, etiamſi voluntariè tradita, quia ſimoniacus eſt incapax rei acquirendæ. Ita Nauarrus *cap. 13. num.* 30. Reginal. *lib. 10. num.* 185. Vaſquez *cap. 7. dub. 4. & 6. num.* 35. Petrus Nauarr. *lib. 4. cap. 2. num.* 91. Molina *diſp.* 94. & alij.

Sciendum turpitudinem triplicem poſſe in actibus humanis eſſe. Prima ex parte dantis, vt cum quis dat pretium pro beneficio: ſecunda ex parte recipiētis, vt cū quis recipit pro opere, quod tenetur ex iuſtitia facere, aliquid. Tertia ex parte vtriuſque, vt cū quis recipit pretium pro homicidio patrando, vel ferenda ſententia iniuſta. & cui ſit reſtituendum turpiter acceptum in iſtis caſibus, infra dicetur.

An accepta ob cauſam honeſtam, ad quam iam erat obligatio, ſint reſtituenda?

BRACTEA V.

R. Acceptum pro aliquid faciendo, ad quod ex iuſtitia iam erat obligatio faciendi debet reſtitui. Ita Em. Sà *verbo reſtitutio num.* 9. Bannes 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. dub.* 4. Vaſquez *cap. 7. de reſtitut.* & alij citati à Bonacina *de reſtitut. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 2. num.* 1. & ideò Iudex, qui aliquid accepit ad dādam ſententiam iuſtam, tenetur ad reſtitutionem, ſi

non habet ſtipendium ſibi conſtitutum. Ita Medina de *reſtitut. quæſt* 2. *dub*. 2. Rebellus 2. *par. lib*. 18. *quæſt*. 20. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 14. *dub*. 9. & alij. Ratio eſt, quia violat iuſtitiam, ad faciēdum id, quod tenetur ex iuſtitia facere, & cum iam habeat pretium conſtitutum à Principe, &c. ſi illud accipiat ſub ratione pretij, vel mercedis; ſecus autem ſi alio titulo, vt v.g. ratione muneris, & vt maiorem adhibeat diligentiā in conſiderandis actibus, quia tunc poteſt acceptum retinere, & non obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum in ſententia Iudicis duo eſſe: primùm eſt actio ipſius Iudicis, qua ipſe inueſtigat veritatem cum multo labore; ſecundùm eſt prolatio ipſius ſententiæ; priori modo ſi Iudex nullum habeat conſtitutum ſtipendium aliquid pro ſententia à partibus poteſt accipere; ſi verò ei conſtitutum ſit à Republica, vel à Superiore nihil poteſt accipere, & ſi accipit, obligatur ad reſtitutionem. Ita Rebellus 2. *par. lib*. 18. *quæſt*. 20. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 14. *dub*. 9. *num*. 63. Secundo modo nimirum proferenda ſententia iuſta nihil poteſt accipere, & ſi aliquid accipit, obligatur ad reſtitutionem. Secundò teſtis, qui aliquid accipit ad ferendum verum teſtimonium, obligatur ad reſtitutionem, cum ex iuſtitia obligatus ſit in iudicio verum dicere; Tertiò nihil poteſt accipi pro reddendo depoſito accommodato, vel pro ſoluendo debito, & ſi aliquid accipiatur, eſt obnoxium reſtitutioni; ſecus verò ſi accipiatur alio titulo. Neque aliquid poteſt accipi, vt non furetur, fornicetur, &c. cum hæc ſint debita ex iuſtitia. Vnde pro opere ex iuſtitia debito nihil poteſt accipi.

R. 2. Acceptum pro faciendo opus debitum ſolum ex charitate eſſe reſtituendum, ſi accipiatur ſimpliciter pro opere charitatis: Si verò accipiatur pro labore, vel alia circumſtantia annexa operi charitatis poteſt retineri. Ita Leſſius *lib*. 2. *cap*. 14. *dub*. 9. *nu*. 69. Ratio primæ partis eſt, quia opus charitatis ex communi omnium conſenſu non eſt appretiabile pecunia: ratio ſecundæ partis eſt, quia tales circumſtantiæ, cum ſint laborioſæ ſunt appretiabiles pecunia: Vnde quis poteſt aliquid accipere, vt ſeruiat infirmo, quia tale opus charitatis eſt laborioſum, non poteſt tamen aliquid accipere, vt faciat pacem, odiū deponat, dimittat iniuriam, quia hæc non ſunt opera charitatis laborioſa, & ideò ſi aliquid accipiatur, eſt obligatio reſtituendi.

R. 3. Acceptum pro abſtinendo ab opere illicito, à quo abſtinendum erat ex alia virtute, quam ex iuſtitia non tenetur accipiens reſtituere. Ratio, quia in tali caſu non violatur iuſtitia: vnde accipiens pecuniam, ne blaſphemet, aut ne fornicetur, non tenetur acceptum reſtituere. Secundò acceptum pro opere, vel omiſſione, quæ ſolum cadit in Dei honorem, vel vtilitatem accipientis, & non debetur proximo, neque ex iuſtitia, neque ex Charitate acceptum retineri poteſt. Ita Leſſius *lib*. 2. *cap*. 14. *dub*. 9. *num*. 70. & alii. Ratio, quia accipiendo non violatur iuſtitia commutatiua, nec alicui fit iniuria.

Sciendum 2. quod quando conſtat aliquid eſſe datum non per modum pretii, ſed per modum muneris ad inclinandum animum illius, qui accipit ad bonum opus ex iuſtitia, vel charitate debitum, vel ad eum à malo auertendum poteſt retineri, niſi lex poſitiua efficiat ipſum incapacem dominii, vel inhabilem ad eam rem capeſſendam. Vnde Iudex, qui accipit munus datum à litigantibus non per modum pretii, & ſtipendii, ſed per modum muneris liberalis poteſt ab ipſo retineri. Secus verò dicendum ſi id daretur, vel acciperetur ratione pretij, & ſtipendii, quia vt ſupra dictum fuit nullus poteſt aliquid accipere ad faciendum id, quod iam ex iuſtitia obligatur facere. Vnde quæſtores nō poſſunt aliquid accipere pro ſoluenda pecunia iis, quibus ex iuſtitia tenentur ſoluere. Ita Nauar. *de datis, & acceptis, n*. 73. Reginaldus *num*. 179. & alii. Secundò miniſtros iuſtitiæ non poſſe vltra taxatum ſibi pretium à partibus accipere pretium, niſi fortè magis pro partibus laborent, quam teneantur. Ita Rebel. 2 *part. lib* 18. *quæſt*. 20. *num*. 4. Nauar. *cap* 17 *num*. 34. Couar. *regula, peccatum part*. 2. §. 3. *num*. 2. Reginaldus *lib*. 10. *tract*. 1. *num*. 179. & alii.

An noua reſtitutio facienda ſit, quando res abſenti miſſa, ad eum non peruenerit?

BRACTEA VI.

SCIENDVM rem, quæ debetur alteri, aut debetur ratione contractus, vel quaſi contractus, vel ex delicto. Similiter ſi perit antequam perueniat ad dominum, aut perire culpa nuntii electi à creditore, aut à debitore.

R. Res, quæ ex delicto debetur ſi perit antequam perueniat ad dominum culpa ipſius debitoris, vel Nuntii ab eo electi perit ipſis, & noua reſtitutio eſt facienda. Ita Rebell. 2. *part. lib*. 2. *quæſt*. 13. *tract*. 3. Nauarrus *cap*. 17. *num*. 67. Azorius 3. *part. lib*. 4. *cap*. 33. Clauis regia *lib*. 10. *tract*. 5. *cap*. 9. Reginaldus *lib*. 10. *num*. 214. Ratio, quia cum debitor ex delicto ſit cauſa efficax damni non cenſetur liber ab onere reſtitutionis, quoadusque dominus, cui fuit res ablata ſit à damno compenſatus.

Sciendum 2. quod ſi res ex delicto debita miſſa per nuncium Domino abſente ſi pereat malitia nuncii electi à creditore perit ipſi creditori, & debitor non obligatur ad nouam reſtitutionem, ſi verò perit malitia nuntii electi à debitore ipſi debitori perit, quia nuncius cum ipſo eligente facit vnam perſonam.

R. 2. Quod quando res, quæ debetur ex contractu eſt in indiuiduo debita, nec eius dominium tranſlatū eſt in debitorem, ſi abſque culpa debitoris perit, ipſi creditori perit. Ita Clauis regia *lib*. 10. *tract*. 5. *cap*. 9. Vaſquez *cap*. 2. *de reſtitut*. §. 3. *dub*. 9. *num*. 62. & alij citati à Bonacina *diſput*. 1. *de reſtitut. quæſt*. 3. *pun*. 9. *num*. 6. etiamſi nuncius fuerit electus ab ipſo debitore, dummodo ipſius non adſit culpa, *leg. Argentum ff. commodati*.

Sciendum 3. Depoſitarium, commodatarium, &c. obligari ad nouam reſtitutionem ſi depoſitum, vel commodatum pereat antequam perueniat ad ſuum dominum culpa ipſorum, cum hac tamen diſtinctione, quod contractus depoſiti ſit in gratiam deponentis, non autem recipientis, depoſitarius non tenetur, niſi de culpa lata, quod ſi aliquid accipiat ob gubernationem depoſiti, tunc etiam de leui tenetur, cum contractus depoſiti fiat in vtilitatem vtriuſque, commodatarius verò tenetur de culpa leuiſſima, cum contractus commodati ſit in vtilitatē ſolius recipientis. Secundò ſi res in ſpecie, nō autē in indiuiduo debeatur, ſi perit debitori perit, nō autē creditori, vt in mutuo, quo transfertur dominium à creditore in debitorem, nec mutuarius tenetur in indiuiduo rem reſtituere, ſed in ſpecie, quia res, quæ perit domino perit, & per contractum mutui dominium fuit tranſlatum in mutuatarium.

Sciendum 4. quod cum contractus ſint in duplici differentia, quidam transferunt dominium, vt contractus mutui, emptionis, venditionis, &c. quidam

non traſferunt dominium, vt contractus depoſiti, locati, & accommodati, reſtitutio in contractibus, in quibus tranſfertur dominium fieri debet non in indiuiduo, ſed in ſpecie; at verò in contractibus, in quibus dominium, non tranſfertur, reſtitutio fieri debet in indiuiduo, vt in contractu depoſiti, commodati, locati, in quibus in indiuiduo res ipſa debet reſtitui. Vnde ſi res depoſitata, commodata, locata abſque culpa pereat non obligari ad nouam reſtitutionem depoſitarium, &c. ſi verò culpa ipſorum pereat, tunc obligari ad nouam reſtitutionem iuxta qualitatem culpæ, ita vt depoſitarius ex culpa lata commodatarius leuiſſima, locatarius de leui teneantur, quia in his contractibus, in quibus non tranſfertur dominium ſola culpa obligat ad reſtitutionem. An verò in contractu mutui, emptionis, &c. in quibus transfertur dominium, ſi res pereat, licet abſque culpa debitoris ſemper obligatur ad nouam reſtitutionem, quia cenſetur perire domino, & creditor, ad quem mittitur non habet dominium rei, quoad vſque res non ſit illi tradita: vnde debitor ſemper in ſpecie remanet obligatus ad reſtitutionem; quare qui rem accommodatam, depoſitam, locatam, oppignoratam miſit domino per ſeruum multoties expertum fidelem, qui ferendo talia aufugit, depoſitarius, accommodatarius, aut locatarius non obligantur ad nouam reſtitutionem, quia cum ſolum teneantur de culpa, non cenſentur tamen eſſe in culpa, & per conſequens obligati ad reſtitutionem. Similiter etiam obligantur ad reſtitutionem accommodatarius, depoſitarius, vel locatarius ſi dum ſunt in mora ſoluendi res perit, quia ratione moræ cenſentur eſſe in culpa. An verò obligetur ad reſtitutionem quando contrahentes inter ſe conuenerunt de mittenda re per nuncium tradito certo ſigno: ſed accidit vt fur, manifeſtato ei ſigno à quodam, eoque debitori tradito, accepta re aufugerit, dicendum eſt non obligari ad nouam reſtitutionem, dummodo ipſe directè, vel indirectè non ſit in culpa manifeſtationis talis ſigni. Verum obligatur ad nouam reſtitutionem, debitor, cui creditor miſit famulum, qui admoneret debitorem, vt rem ſibi debitã mitteret non deſignando perſonã per quã eam mitteret, debitor antè illam eidem famulo tradidit domino deferendam, ſed famulus, cuius fidelitatem debitor exploratam non habebat, re accepta aufugit. Ratio eſt, quia debitor comiſit culpam in non exploranda famuli fidelitate. Tum quia creditor non miſit talem ſeruum ad accipiendam rem ſibi debitam, ſed ſolum ad admonendum debitorem de debito ſoluendo. Secus autem dicendum ſi fidelitatem ſerui expertus fuiſſet, quia tunc non fuiſſet in culpa. Molin. *diſp.* 296. & alij. Similiter dubium eſt, an obligetur ad nouam reſtitutionem, qui rem debitam tradidit Confeſſario reſtituendam, ſed Confeſſarius eam non tradidit, cui debebat, vel illi in via, aut domi ſurripitur, ad quod dicendum eſt, quod ſi res debetur ex delicto, denuò obligari ad nouam reſtitutionem, & ſimiliter ſi res in ſpecie, non autem in indiuiduo debetur, vt eſt in contractu mutui, Clauis reg. *lib.*10.*tract.*5. *cap.*9.*nu.* 13. Nauar. *cap.*17.*num.*67. Toletus *lib.*5. *cap.*27. excuſatur tamen pœnitens à reſtitutione, quando non poteſt abſque periculo infamiæ reſtituere pecuniam ex delicto, ſiue furto, eamque tradidit Confeſſario reſtituendam domino, qui eam non reſtituit, ſed ſibi retinuit. Reginaldus *lib.*10.*num.*216. & alij. Si verò res, quæ debetur, in indiuiduo debetur, liber erit ab onere reſtitutionis.

De ſecunda circunſtantia reſtitutionis, cui facienda ſit reſtitutio?

BRACTEA VII.

R. Regvlariter reſtitutionem faciendam eſſe domino rei, vel cui damnum illatum eſt. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.*62.*art.*5. Azorius 3.*part.lib.*3.*cap.*26. Rebellus *lib.*4.*de reſtitut.quæſt.* 11.*num.*1. Ratio, quia reſtituendo rem proprio domino, vel cui damnum fuit illatum, ſeruatur æqualitas, & inæqualitas reficitur.

Sciendum nomine domini non modo hic intelligi eum, qui abſolutum dominiũ rei habet, ſed etiã illum, qui licet non habeat dominium in ipſam, habet tamen iuſtam poſſeſſionem, & bona fide rem poſſidet, vt ſunt depoſitarij, accommodatarij, cuſtodes alicuius rei. Vnde qui aliquid aufert apud alterum depoſitatum, vel accommodatum, vel in pignus datum, vel etiam locatum, tenetur facere reſtitutionem ei, cui abſtulit, ne illi faciat iniuriam illum priuando iuſta poſſeſſione rei. Verum ſi iſti eſſent in mora reſtitutionis, & nollent rem domino reſtituere, tunc qui ab illis abſtulit rem depoſitatam, accommodatam, locatam, vel oppignoratam obligatur verò Domino reſtituere, qui ob moram non cenſetur amplius habere iuſtam poſſeſſionem rei. Similiter qui ab aliquo, v. g. Petro accepit aliquid, quod alteri fuit furto ſublatum, obligatur ipſum reſtituere vero Domino, niſi intercedat aliqua iuſta cauſa non reſtituendi vero Domino; quia fur nullum habet ius in rem alienam furto ſublatam: Azorius, Rebell. *locis citatis*.

Sciendum eſſe aliquos caſus, in quibus res non eſt reſtituenda ei, cui fuit ablata. Primus eſt ſi is cui fuit ablata non ſit capax dominij, vel adminiſtrationis: vnde ſi aliquid ablatum fuit ab vxore, vel à Religioſo, aut filiofamilias reſtitutio facienda non eſt ei, à quo fuit ablata, ſed marito, Prælato, conuentui, cum iſti, & non illi ſint verè domini. Quod tamen debet intelligi de his, quæ non poſſunt liberè diſponere, nam accepta de his, quæ poſſunt diſponere, non ſunt reſtituenda, cum illarum rerum ſint verè domini, & adminiſtratores. Secundus caſus eſt, quando res non poteſt reſtitui domino ſine magno damno vitæ, honoris, & bonorum vt v. g. ſi timeat mortem, vel aliud damnũm inferendum. Tertius quando dominus rem ſuam petit, vt ſibi, vel alijs damnum inferat, vnde quando debitor credit reſtitutionem rei fore perniciosam domino poteſt ipſam differre. Rebellus *lib.*2.*de reſtit.quæſt.*17.*ſect.*3. *num.*18. Nauar. *cap.*17.*num.*63. Clauis regia *lib.*10.*tract.* 5.*cap.*8.*num.*10. Leſſius *lib.*2.*cap.*16.*dub.*4.*nu.*53. Quare poteſt quis denegare enſem petenti illum ad ſe, vel alium occidendum. Similiter poteſt denegare pecuniam depoſitatam petenti ipſam, vt det pretium ad occidendum inimicum. An verò debeat etiam petenti denegare pecuniam depoſitatam, vel mutuatam ad ſcortandum? Reſpondeo, quod ſi commodè poteſt differre ſolutionem, abſque periculo id tenetur facere, cum charitas obliget ad euitandum damnum ſpirituale proximi: ſi verò non commodè poſſit id facere, non tenetur denegare, non obligatur tamen ad reſtitutionem damni ſequuti, cum nõ violauerit iuſtitiam.

R. 2. Poſſeſſor bonæ fidei, qui rem alienam titulo oneroſo accepit, non obligatur, poſtquam cognouit rem eſſe alienam reſtituere eam domino, ſed poteſt

reciſio

recifio contractu reſtituere illi, à quo eam accepit. Ita Silueſter *verbo reſtitutio, quaeſt.* 10. Nauar. *cap.* 17. *n.* 6 Toletus *lib.* 5. *cap.* 27. *num.* 12. Rebell. 1. *part. lib.* 2. *quaeſt.* 4. *num.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 3. *num.* 14. Azorius 3. *part. lib.* 4. *cap.* 3. *quaeſit.* 1. Ratio, quia tam ex iuſtitia, quam ex charitate tenetur prius ſibi conſulere, quam alijs; qui verò mala fide aliquid accepit certò ſciens dantem, vel vendentem non eſſe dominum, tenetur rem quam accepit reſtituere domino, etiamſi ſciret ſe amiſſurum pretium ipſius rei. Ita Nauar. Leſſius *locis citatis*, Rebellus *loco citato, num.* 5. & alij. Ratio, quia qui rem alienam accepit inuito domino obligatur ad reſtitutionem ex duplici radice: ratione rei acceptæ, & iniuſtæ acceptionis, & ideò poſſeſſor malæ fidei tenetur rem domino reſtituere.

Sciendum 3. poſſeſſorem bonæ fidei, qui rem alienam v.g. bona fide emit obligari poſtquam cognouit rem eſſe alienam, ſi non poteſt inuenire eum, à quo rem cõtractu emptionis accepit, vel quia mortuus eſt, aut quia diſceſſit in remotas regiones, tunc obligari eam reſtituere domino, quia res aliena nõ poteſt inuito domino retineri. Similiter dicendum eſt, ſi eum inuenerit, ſed recuſans reſtituere pretiũ teneri rem proprio domino reſtituere ob allatam rationem. Vnde Mullio, qui res alienas bona fide accepit aſportandas de loco ad locum, factus malę fidei obligatur rem reſtituere vero domino, ſi hoc poteſt facere ſine ſuo graui damno, vel ſaltem tenetur ex charitate admonere furem, vt eas reſtituat vero domino. Si verò mala fide eas accepit tranſportandas, tenetur eas reſtituere vero domino, quãuis ſciat ſe amiſſurum mercedem. Clauis regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 13.

Sciendum 4. quod ſi dominus, cui reſtitutio facienda eſt mortuus ſit reſtitutio debet fieri hæredibus: ſi autem poſita diligentia hæredes non inueniantur, aut non ſint, tunc reſtitutio pauperibus debet fieri, aut in opera pia, ſed ſi non facta debita diligẽtia neſcientibus hæredibus reſtitutio facta ſit pauperibus, vel locis pijs à Parentibus hęredibus noua reſtitutio illis eſt facienda.

Cui facienda ſit reſtitutio acceptorum pro faciendo opere debito ex iuſtitia?

BRACTEA VIII.

PRo maiori intelligentia ſciendum, vt ſupradictum eſt, quod turpitudo in actibus triplex eſſe poteſt: prima ex parte dantis, vt cum quis dat pretium pro opere illicito faciendo: ſecunda ex parte recipientis, vt cum quis recipit pretium pro opere quod tenetur ex iuſtitia facere: tertia ex parte vtriuſque, vt cum quis recepit pretium pro opere illicito faciendo, v.g. homicidium, vel ferenda ſententia iniuſta &c. Quo poſito.

R. Acquiſita primo modo, vt v.g. ad dandum beneficium reſtituenda eſſe pauperibus: ſecundo modo accepta reſtituenda ſunt danti: tertio modo ante ſequutum effectum reſtituenda ſunt danti: ſequuto effectu pauperibus ſunt reſtituenda ob aliquam circumſtantiam extrinſecam concomitantem actum illicitum ob latores, moleſtias poſſunt retineri.

Acquiſita illicitè à filia, vel ab vxore ſua, reſtituenda?

BRACTEA IX.

R. VXOREM, & filiam poſſe retinere turpiter acquiſita. Ratio, quia maritus, vel Pater ſic illicitè acquiſitis nullum habet ius, etiã quia huiuſmodi lucrum ſolet eſſe odioſum Patri, & marito. Quod ſi dicatur, rem domino fructificare, & per conſequens turpiter acquiſita ab vxore, vel filia eſſe mariti, vel Patris. Reſpondeo maritum non eſſe abſolutum dominum corporis vxoris, ſed eſſe dominum in ordine ad actus coniugales. Vndè non ſequitur turpiter acquiſita eſſe mariti, quamuis illi faciat iniuriam.

An qui accepit aliquid ab illis, qui iuris ſui non ſunt, obligetur eiſdem reſtituere?

BRACTEA X.

R. REGVLARITER reſtitutionem non faciendam eſſe illis, ſed his, qui curam eorum habent: ideſt ſi quis aliquid accepit à Monaco v.g. eius ſuperiori eſſe reſtituendum, vel Prælato Monaſterij, vel marito ſi ab vxore accepit de rebus, quibus maritus dominium habet, vel Domino, ſi à ſeruo quæ ſunt Domini. Secundò in foro conſcientiæ poſſe illis reſtitui, in caſu quo malè vſuri nõ præſumantur, & ſic parui valoris, & ſi ſint magni valoris, præſumantur in vtilitatem Monaſterij, mariti, vel domini eam rem inſumpturi. Secus verò ſi eam rem in vſus prophanos inſumpturi eſſent. Ita Rebellus *part.* 2. *lib.* 2. *quaeſt.* 1. *sect.* 2. Tertiò ſi reſtitutio abſolutè illis fieret in foro conſcientiæ valida eſſet. Ratio eſt, quia ſufficit vt rem reponat in priſtino ſtatu.

An quis teneatur reddere debitum Domino, quando illud petit in perniciem ſui vel alterius?

BRACTEA XI.

R. 1. Non peccare reddentem debitum Domino, vt ſibi, vel alteri damnum ſpirituale, vel temporale inferat, quando ex dilata ſolutione debitori poteſt imminere aliquod malum ſimile, vel maius. Ratio eſt, quia illa reſtitutio non cenſetur voluntaria, nec obligatur cum notabili ſuo incommodo damnum proximi euitare. Secundò ſi damnum quod imminet ex ſubita reſtitutione ſit publicum, tunc etiam cum notabili ſuo incommodo debet differre ſolutionem. Ratio eſt, quia bonum publicum præferendum eſt priuato. Tertiò, ſi non timetur damnum differenda eſt reſtitutio, etiãſi creditor petat ad malum finem, vt v. g. cum meretricibus, ac malis hominibus prodigat, & ex retentione debiti nullum ſequitur inconueniens. Ratio, quia charitas obligat ad vitandum damnum ſpirituale proximi, cum vnicuiq; mandatum ſit de proximo ſuo. Quartò, quod ſi Dominus petit ſuum debitum, vt ſibi, vel alteri damnum corporale, vel temporale inferat, vt v. g. ſe vel alterum occidat, aut in bonis externis noceat, & ex dilatione nullum

debitori

debitori ſequitur nocumentum debet differre reſtitutionem illius. Ratio primæ partis eſt, quia reſtitutio dirigitur, & ordinatur in vtilitatem creditoris, non in ipſius perniciem, & damnum, ergo poteſt differri. Ratio ſecundæ partis eſt, quia creditor in huiuſmodi euentu non cenſetur rationabiliter inuitus, cum ex æquitate, & charitate teneatur pati dilationem ad vitandum graue damnum proximi. Quintò; quod ſi dominus petit pecuniam depoſitatam ad ſollicitandam puellam non paratam, & dilata ſolutione non fit puellæ ſollicitatio, tunc tenetur differre, abſquè graui ſuo incommodo, cum vnicuique mandauerit dominus de proximo ſuo Eccleſiaſt. 17. Sextò ſi depoſitum petatur iuridicè, vel importunè, tunc eſt reſtituendum, etiamſi reſtituens ſciat dominum eo eſſe abſurdum in meretrices, &c. Ratio, quia petendo iuridicè ſuum depoſitum vtitur iure ſuo, vtenti autem iure ſuo ſuam eſt reſtituendum.

Cui ſit facienda reſtitutio incertorum?

BRACTEA XII.

SCIENDVM nomine bonorum incertorum. Intelligi primò ea, quæ nunquam habuere Dominum, vt ſunt lapilli pretioſi, & gemmæ, quæ in litore maris deliteſcunt; quædã verò eſſe, quæ à tempore immemorabili Dominum nullum habuerunt, vt ſunt theſauri, quædam quę de præſenti Dominum habent, ſed qui ignoratur, vt ſunt bona inuenta: vel quorum Dominus neſcitur, vt ſunt bona, quæ debẽtur ex iniuſta acceptione, vel ex delicto, vel ex contractu, ſed Dominus, cui facienda ſit reſtitutio, ignoratur, de quibus loquimur in præſenti.

Sciendum 2. Dominum poſſe eſſe ignotum dupliciter, in particulari, & in generali; in particulari, vt quando quis promiſcuè innumeris, & incertis rem vendit, tunc Dominus in particulari cenſetur ignotus; non autem in communi, vt quando milites deprædantur aliquem locũ, & ignorant in particulari, à quibus res acceperint. Similiter etiam quãdo quis per minutas venditiones minutim accedentibus ad emendum aliquid ſurripit.

R. Si Dominus facta debita diligentia non inuenitur res aliena, pauperibus eſt reſtituenda. Ita Petrus Nauarra *lib. 2. de reſtitut. quæſt. 12. ſect. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. num. 49.* Molina *tom. 3. diſp. 746.* Ratio, quia iuſtitia poſtulat, vt quando Dominus non inuenitur, cui fieri poſſit reſtitutio, fiat in vtilitatem, & bonum Domini.

Sciendum 3. nomine pauperum non ſolùm intelligi priuatos pauperes, ſed etiam loca pia, Monaſteria, & Eccleſias indigentes, hoſpitalia egeniorum, & eos, quibus etiam nõ ſupperunt decentia ad ſtatum. Azorius *3. par. lib. 4. cap. 26. quæſito 3.* Nauarrus *cap. 17. num. 93.* Reginaldus *lib. 10. num. 196.*

An verò nomine pauperum poſſint intelligi animæ exiſtentes in Purgatorio indigentes auxilio, & ideò acclamantes *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* R. affirmatiuè; & propterea reſtitutio quæ pauperibus facienda eſt, poteſt impendi in celebrandis Miſſis pro animabus exiſtentibus in Purgatorio, vel in alio opere pio.

R. 2. Non eſſe neceſſe, vt bona, quæ pauperibus diſtribui debent, aut melioribus, aut eorum pauperioribus dẽtur, ſed ſatis eſſe vt pauperi dẽtur. Ita Reginaldus *lib. 10. num. 198.* Nauarrus *cap. 17. num. 93.* Ratio, quia ius ſolùm diſponit danda eſſe pauperibus, non autem melioribus, aut pauperioribus.

R. 3. Si is, qui obligatur reſtituere, verè eſt pauper, poteſt ſibi bona retinere. Ita Nauarr. *cap. 17. num. 92.* Leſſius *loco cit. num. 41.* Silueſter *verbo reſtitutio.* Ratio, quia cum ſit pauper, habet ſufficientem titulum applicandi ſibi talem reſtitutionem.

Sciendum tamen 4. pauperem, quæ ratione paupertatis applicat ſibi bona, quæ pauperibus debebãtur, ſi peruenerit ad pinguiorem ſtatum, non teneri bona incerta ſibi applicata reſtituere alijs pauperibus, cum comparauerit ſibi dominium rerum incertarum per applicationem ſibi factam titulo paupertatis. Secundò ſi poſt applicationem ſibi factam, vel alijs pauperibus poſt ſufficientem adhibitam diligẽtiam ad inquirendum Dominum, ſi poſtea poſt applicationem Dominus inuenitur, poſſe bona ſibi, vel alijs pauperibus applicata retinere; quia ſi reſtituere teneretur, eſſet vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniuſtæ acceptionis: ſed neutro modo tenetur, cum res non extet, & per diligentem inquiſitionem purgauerit etiam culpam.

Sciendum 5. quod ſi tibi tanquam pauperi rem applicauit, facta diligenti inquiſitione ad inueniendum Dominum, Domino poſtea apparente, ſi adhuc res extat, vel pretium illius, ſi eſt vendita, tenetur ei reſtituere ratione rei acceptæ. Leſſius *dub. 4. dub. 6. num. 43.* Si verò non extat res, nec eius pretium, tenetur ſolùm ad id, in quo eſt ditior, & locupletior factus, & ſi ditior factus non ſit, ad nihil tenetur.

Sciendum 6. quod quando damnum illatum eſt alicui Communitati, ſi dignoſci poteſt, cui damnum illatum ſit, illi eſt reſtituendum, ſi verò dignoſci non poteſt, Communitati tunc reſtitutio eſt faciẽda, v. g. quando milites deuaſtarunt iniuſtè aliquod oppidũ, vel etiam acceperunt pecora, & boues particularium illius oppidi, ſi poſſunt dignoſci, quibus damnum illatum eſt, illis reſtitutio eſt facienda; ſi ſecus Communitati, non vt diſtribuatur pauperibus illius oppidi, ſed vt diſtribuatur ijs, qui iudicabuntur damnum accepiſſe. Similiter etiam quando dignoſci poteſt, quibus damnum illatum eſt minutatim per iniuſtas venditiones rerum vſualium illis reſtitutio facienda eſt; ſi ſecus facienda pauperibus ſiue illius loci, ſiue alterius. Leſſius *loco cit. dub. 6. num. 32.* Azorius *3. par. lib. 4. cap. 24. quæſit. 7.* Lopez *1. par. cap. 137.* Silueſter *verbo reſtitutio 8. quæſit. 3.* Vnde caupones, qui vendendo vinum, & ſimilia, mercatores, qui vendendo victualia defraudarunt ementes, vel defraudando menſuras, vel maiori pretio res vendendo, ſi non noſcunt ementes, vt illis fiat reſtitutio, pauperibus, aut locis pijs, tunc tenentur reſtituere, vt infrà dicetur.

Qua auctoritate bona incerta ſint reſtituenda pauperibus?

BRACTEA XIII.

R. VARIAS eſſe opiniones: primam eſſe D. Thomæ in *4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 5.* docentis talem reſtitutionem debere fieri per arbitriũ Epiſcopi. Verùm Sotus *lib. 4. de reſtitut. quæſt. 7. art. 7.* ait, quod licet in rebus magni pretij conſulendus eſſet Epiſcopus, aut Confeſſarius tamen id non eſſe neceſſitatis. Secunda opinio eſt Scoti in *4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 2.* aſſerẽtis non eſſe ordinariè neceſſariam auctoritatem Epiſcopi, vel Confeſſarij, ſed poſſe vnumquemque debitorem auctoritate propria, & per ſe rem ignoti Domini pauperibus reſtituere. Et ita etiã Nauarr. *cap. 17. num. 92.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. pun. 9.* Arragon. *2. 2. quæſt. 62. art. 5.* Salon. *ibidem*, Tal. *lib. 5. cap. 23.* & alij.

Scien-

Sciendum, quòd licet regulariter auctoritas Epiſcopi non requiratur in erogando bona incerta pauperibus; tamen in aliquibus caſibus Epiſcopus circa horum bonorum reſtitutionem poteſt ſe intromittere. Primò, quando reſtitutioni obnoxius moritur nullo hærede relicto. Secundò, quando is, qui debet reſtituere, non vult id facere, & contra eũ in iudicio agitur, & tunc Epiſcopus poteſt ſe intromittere. Tertiò, quando is, qui tenetur reſtituere, malè diſtribueret. Tunc Epiſcopus tanquam pauperum pater poteſt ſe intromittere, & curare, vt iterum diſtribuat. Quartò, quando huiuſmodi bona incerta ab eo, qui fuit manifeſtus vſurarius poſſidentur, nam tunc ex iuris diſpoſitione reſtitutio fieri debet per Epiſcopum, vt habetur in *cap. quamquam de vſuris in 6.* Reliqui verò caſus in iure non habentur, ſed ſola Doctorum auctoritate recenſentur.

Sciendum, quod licet plures Doctores affirment iure naturæ bona incerta reſtituenda eſſe pauperibus, tamen probabilior eſt ſententia eorum, qui dicunt eiuſmodi bona incerta ſolùm iure poſitiuo reſtituenda eſſe pauperibus. Ratio eſt, quia Summus Pontifex in terris eſt Chriſti Vicarius, ad quem ſpectat totius Reipublicæ Chriſtianæ curam gerere, & ideò diſpoſuit hæc bona quaſi communia Reipublicæ in pios vſus, & pauperum neceſſitates in bonum, & ſpiritualem vtilitaté veri Domini applicare. Vnde cum eiuſmodi incerta, diſpoſitione iuris Pontificij elargienda ſint pauperibus, nullus poteſt priuata auctoritate conuertere illa in alios vſus.

An pro bonis incertis poſſit fieri compoſitio cum Summo Pontifice?

BRACTEA XIV.

R. Pro bonis incertis poſſe aliquem compoſitionem facere auctoritate Summi Pontificis ita vt habens eiuſmodi bona incerta ſatisfaciat cum minori ſolutione applicata pijs operibus. Ita Nauarr. *cap.17. num 92.* Reginaldus *lib.10. nu.261.* Sotus in 4 *quaſt.7. art.2.* Bannes 2.2 *quaſt.62. art.5. dub 6.* Em. Sà *verbo reſtitutio num.61.* A Sancto Fauſto *de reſtitut. quaſt.183.* & alij. Ratio, quia cum Summus Pontifex ſit adminiſtrator bonorum, quę pauperibus ſunt diſtribuenda, idcircò poteſt de illis compoſitionem facere, & tanquam pater pauperum poteſt ea applicare in opera pia, & condonare aliqua iuſta de cauſa. Verùm hæc compoſitio duas debet habere conditiones. Prior eſt, vt eadem compoſitio ſit de bonis iure incertis, ſeu quorum verus Dominus ita ignotus eſt, vt diligentia in inquirendo accuratè poſita inueniri non potuerit. Poſterior eſt, vt non ſit indiſcreta, ſicuti cenſeretur eſſe remittendo viginti millia pro tribus, aut quatuor millibus. Ita Nauarr. *loco cit.* Epiſcopum poſſe facere compenſationem cum his, qui ſunt ſuæ Diœceſis. Ita Rebellus *par.2. lib.2. quaſt.11. ſect.3.*

An facta compenſatione, ſi reperiatur Dominus, teneatur debitor illi reſtituere?

BRACTEA XV.

R. Primo debitorem facta compenſatione obligari ſolùm reſtituere res, quæ extant in ſe, vel in ſuo valore in quantum debitores ex eis facti ſunt ditiores, non autem id, quod ſtante bona fide conſumpſerunt. Ita Corduba *lib 5.* Lopez *par.1. inſtruct. conf. cap.157.* & alij.

R. 2. Cum debitum ſcitur eſſe vni ex duobus, vel tribus, ſed cognoſci non poteſt quis ex illis ſit verus Dominus, tũc vel res inter ipſos diuidenda eſt, vel ſi non poteſt diuidi ſorte, aut alia ratione alicui applicanda eſt, ita tamen vt nihil fiat, niſi de ipſorum cõmuni conſenſu, & voluntate. Ita Sotus *lib 4. de iuſtit. quaſt 7 art.1.* Caiet. 2.2. *quaſt.62. art.1.* & alij. Si verò damnum paſſi aliquo modo noti ſunt reſtitutionemq́; eius, quod illis debetur, nonniſi de illorum voluntate poſſe fieri pauperibus, idcircò cum reſtitui debet acceptum in bello iniuſto, ſi aliquo modo noti ſunt damnum paſſi, illud non poſſe dari pauperibus, vel applicari alteri operi pio, &c.

R. 3. Id, quod per iniuriam ſingularibus ciuibus factam minutatim acquiſitũ eſt, vt per minutas venditiones olei, vini, &c. reſtituendum eſſe ipſis ſingularibus ciuibus, ſi cognoſci poſſunt. Ratio eſt, quia Dominus in rem ſuam conſtituendam ius ſuum retinet, nec in pauperes translatum eſt, verò Dominus non poſſit recognoſci, tunc reſtitutio facienda eſt pauperibus, pro animabus eorum, quos defraudauit, & ignorat, qui nam illi ſunt.

R 4. Pauperem, cui res incerta poſt ſufficienté diligentiã fuit applicata Domino cõparenti eã reſtituere nõ debet, ſi res fuit cõſũpta. Ita plures citati apud Bonacinam de *reſtitutione diſp.1. quaſt.3. pun.4 propoſ.4. num.18.* Ratio eſt, quia pauper acquiſiuit dominium rei ſibi traditæ. Tum etiam quia res illa ſpiritualiter non profuiſſet Domino ob applicationem pauperi factam, ſi Dominus adhuc retineret dominium, ipſiq́; eſſet reſtituenda. Si verò res extat, aut pretium illius id tenetur reſtituere, vt ſupra citato.

Sciendum, quod ſi is, qui tenetur reſtituere, ſit re vera pauper reſtitutioni obnoxium, poteſt ſibi retinere, aut partem pro ratione ſuæ neceſſitatis. Ratio eſt, quia ex eo, quod ipſe tenetur debito, non efficitur deterioris conditionis, quam cæteri pauperes, nec etiam eo quod fuerit in culpa, ceſſat in eo ratio paupertatis, quæ cauſa ſit ſufficiens, cur applicatio ei fieri poſſit. Reginal. *lib.10. cap.14. num.199.*

Cui facienda ſit reſtitutio acceptorum ob turpem cauſam, vel ad faciendum id, quod ex iuſtitia iam tenetur facere?

BRACTEA XVI.

R. Acceptum ob turpem cauſam ante ſequutum effectum danti eſſe reſtituendum. Ita Sanchez in *ſum. lib.2. cap.38. num 96.* & alij. Ratio eſt, quia qui dedit, donauit ob cauſam; ergo non ſubſiſtente cauſa res dandi eſt reſtituenda. Vnde qui accepit ad patrandum homicidium, vel ad committendam fornicationem debere ante factum acceptum reſtituere ei, à quo accepit, qui cum acceptum ſit ad faciendum turpe, non poteſt ante factum retineri; & ideò eſſe reſtituendum illi, à quo acceptum eſt, dummodo lex non efficiat accipientem incapacem dominij. Ita Vaſquez *cap.7. dub 9. num.77.* Reginaldus *lib.10. num.170.* Sotus 4. *de iuſtit. quaſt.7. art.1.* & alij.

Sciendum acceptum ab amaſio fornicante dolo, vi, metu, fraude eſſe reſtituendum. Ratio, quia dolus, & fraus nemini debet patrocinari. Et pro maiori notitia notandum, quod triplici ratione mulier poteſt aliquid accipere ab amaſio fornicante: Primò tanquam aliquid datum non pro peccato fornicationis,

tionis, ſed pro locatione corporis meretricis, ſeu pro circunſtantia concomitante actum fornicationis, nimirum pro delectatione venerea, quam percipit ex eius corpore. Secundò vi, metu, fraude, dolo, ideſt ſimulando ſe virginem cum non ſit, aut ſe non fuiſſe cognitam ab alio, niſi ſemel, vel non fuiſſe cognitam; niſi ab illuſtri viro. Tertiò blanditijs, & verbis amatoris dicendo ipſum valdè à ſe amari, aut ſolum in gratiam ipſius velle id facere: accepta priori modo poſſunt retineri, ſecundo modo ſolum poteſt retinere id quod ſine fraude merebatur, & exceſſum reſtituere tenetur, nam cenſetur inuoluntariè, & inuito dediſſe exceſſum, fraude meretricia deceptum: accepta tertio modo poſſunt retineri, cum ſimilia mendacia vſitatiſſima ſint inter amatores, & per conſequens cenſetur ſpontè datum.

R. 2. Qui aliquid accepit ad faciendum id, quod ex iuſtitia obligatur facere, acceptum tenetur reſtituere danti. Ita Nauarr. *cap. 17. num.* 13. Ratio, quia cum iniuſtitia, & turpitudo actus ſit ſolum ex parte accipientis, tenetur acceptum reſtituere danti, cum ipſe non amiſerit eius ad datum.

Cui bona vacantia, & derelicta ſint reſtituenda?

BRACTEA XVII.

SCIENDVM nomine bonorum vacantium intelligi; quæ poſt mortem relinquuntur non relictis heredibus: derelicta cenſentur ea eſſe, quæ abijciuntur intentione non amplius ea recuperandi, vel quæ Dominus poteſt recuperare, ſed eas recuperare non curat, & ideò.

R. Bona laicorum ab inteſtato morientium, & non habentium heredem intra decimum gradum deuoluuntur ad fiſcum. Ita *leg. vacantia C. de bonis vacantibus*, & auctores infra citandi, bona verò peregrini, ſine teſtamento morientis per Epiſcopum ſunt diuidenda in pias cauſas, ſi hæredibus tradi non poſſint. Ita Leſſius *lib* 2 *cap.* 14. *dub.* 7. *num* 49. Molin. *tom.* 1. *diſp.* 1. Rebellus 1. *part. lib.* 1. *quæſt.* 15 *ſect.* 2. Vaſq. *de reſtit. cap.* 5 & alij, Non pertinent ad hoſpitale apud quod mortuus eſt, vt habetur autentica, *omnes peregrini C. communia de ſucceſſionibus*, & ita etiam Azorius 3 *part. lib.* 1. *cap.* 3.

R. 2. Bona derelicta eſſe primi occupantis, & patet ex inſtituta de *rerum diuiſ. §. alia ſane*.

Cui reſtituendi ſint theſauri, & res pretioſæ inuentæ?

BRACTEA XVIII.

SCIENDVM nomen theſauri dupliciter ſumi, propriè, & impropriè, ſumitur ꝓpriè pro veteri depoſitione pecuniæ, cuius nõ eſt memoria. Nomine pecuniæ intelliguntur res mobiles, vt vaſa aurea, argentea, gemmæ, nummi, etiam aurei, & argentei. Impropriè autem ſumitur pro depoſitione pecuniæ, vel vaſorum argenteorum, & aureorum in aliquo tertio loco, vt v. g. in aliquo loco publico ea ſeruandi gratia, vt fit tempore belli, & dominium huius ſemper extat apud Dominum.

R. 1. Theſaurus impropriè dictus non eſt inuentoris, ſed totus eſt eius, qui illum depoſuit, vel eius hæredis, cum propriè non cenſeatur theſaurus. Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia Dominus eius nunquam amiſit dominium, & per conſequens ad ipſum ſpectat, tum etiam, quia huiuſmodi theſaurus non habetur pro derelicto, ſed habet verum Dominum, ſcilicet aut eum, qui ipſum abſcondit, aut ſucceſſores illius. Secundo theſaurus inuentus in proprio fundo eſt totus inuentoris. Ita definitur in *l. vnica C. de theſ.* & in *§. theſaur.* Ita Inſtitutia de *rerum diuiſione*, & docet Toletus *lib.* 5. *cap.* 18. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 13. Salonius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. & eſt communis. Tertiò theſaurus inuentus in fundo alieno ſi fortuitò inuentus ſit, dimidium erit inuentoris, & dimidium Domini fundi; ſi verò ex induſtria ſine conſenſu Domini totus erit Domini. Ita Inſtitura de *rerum diuiſ. leg. vnica*, Nauarr. *cap.* 17. *num.* 175. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. Leſſius *loco citato* Toletus *loco cit.* & alij. Quartò ſi dominus fundi conſenſit vt quæreretur theſaurus ſtandum eſt pacto. & ſi nullum erit initum totus theſaurus erit inuentoris. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 172. Ratio, quia dominus fundi cenſetur condonaſſe ſuam partem.

Sciendum, quod ſi inuentor theſauri certò ſciuerat in fundo alieno latere theſaurum, & ſimulauerit ſe nihil ſcire, dominumque fundi rogauerit permittere, vt quæreret ibi theſaurum, & ſi ille conſenſerit dimidia pars erit ipſius Domini, quia cum fuerit deceptus, non cenſetur condonaſſe ſuum ius.

R. 2. Theſaurus inuentus in fundo, quod duos dominos habet, ſcilicet directum, & vtilem partim erit inuentoris, partim erit diuidendus inter condominos. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 15. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 172. & ſi inuentor ſit condominus, tres partes poterit ſibi retinere, duas vt inuentor, tertiam vt condominus.

Sciendum, quod, quando feudatarius, vel emphiteota in fundo inuenit theſaurum, dimidia pars ad ipſum pertinet, quatenus eſt inuentor theſauri, quarta pars etiam quatenus habet dominium vtile, altera quarta pars tradetur habenti dominium vtile, quod ſi altera tertia perſona inuenit in fundo feudatarij, vel emphyteotici theſaurum, dimidia pars ad ipſum ſpectabit, dimidia ſpectabit ad habentes dominium vtile, & directum, non tamen erit eadem ratio de pignoratore, vel de nudo vſufructuario, quia cum nullum dominium habeant in fundo, ſed ſolum in colligendis fructibus: hinc eſt, quod ad Dominum pertineat theſaurus inuentus, cum theſaurus non computetur inter fructus. At verò conductor fundi, cum habeat dominium vtile, poteſt ſibi retinere dimidiam partem theſauri, altera verò pars erit Domini fundi.

R. 3. Qui ſcit in aliquo fundo latere theſaurum, & fundum emit, acquirit dominium theſauri poſtquam illum emerit. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 175. Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 7. *art.* 3. *ad* 2. Ratio ex verbis Domini deducitur Matth. 13. his verbis. Simile eſt regnum Cælorum theſauro abſcondito in agro, &c.

Sciendum 3. quod licet emens fundum in quo erat theſaurus fiat Dominus ipſius theſauri, non tamen emens rem mobilẽ fit Dominus theſauri, qui in ipſa continetur, vt v. g. emens arcam in cuius angulo continentur pecuniæ, non fit ex hoc Dominus ipſius pecuniæ, cum ſolum habuerit intentionem emendi ipſam arcam. Emens autem fundum in quo iacebat theſaurus habuit intentionem emendi ea omnia, quæ in ipſo continentur, & vendens ſimiliter vendendi. Quod ſi theſaurus inuentus fuerit in loco ſacro, dimidia pars erit inuentoris, altera vero dimidia erit Prælati illius loci. Ita plures citati apud Molinam *tom.* 1. *diſp.* 96.

R. 4. Theſaurus, ſiue res pretioſa inuenta in loco publico, ſeu in littore maris aut in flumine eſt pri-

mi

mi occupantis. Ita Inſtit. de *rerum diuiſ* Ratio, quia cum nunquam habuerint Dominum cenſentur eſſe primi occupantis.

Sciendum 4. per locum publicum intelligi ſyluam, paſcua, & ſimilia, quæ Reſpublica poſſidet ratione dominij, & ſi in his ex induſtria ſiue conſenſu domini theſaurus inueniatur, aut cum conſenſu Domini ignorantis illum ſecundum ius commune totus erit Principis, vel Reipublicæ, cuius eſt locus, ſin autem caſu fortuito diuidendus erit inter inuentorem, & Dominum fundi. Ita Nauarrus *cap.17.n.175.* Leſſius *loco cit. dub.16.* Molina *diſp.56.* & alij.

An maritus qui in fundo dotali vxoris theſaurum inuenit ipſius dominium acquirat?

BRACTEA XIX.

R. Dividendum eſſe inter vxorem, & maritum. Ratio, quia quamuis fundus dotalis pertineat ad maritum, quoad vſumfructum ſimpliciter pertinet ad vxorem, & quia theſaurus non computatur inter fructus, idcircò quoad illorum portionem, quę ſpectat ad Dominum fundi diſſoluto matrimonio, aut facto diuortio pertinet integrè ad vxorem. Ita definitur, *leg. fructus ſoluto matrimon.* & ita Bannex 2. 2. *quaeſt.56. art.5.* Arragonius *ibidem* Molina *diſp.55.* Nauarrus *cap.17.num.173.* Secundò theſaurum inuentum in fundo emphyteotico diuidendum eſſe inter emphyteotam, & proprietarium, quoad illam partem, quæ pertinet ad Dominum fundi, quia emphyteota non modo habet vſum, ſed etiam dominium vtile; proprietarius verò habet dominium directum. Tertio theſauri inuenti in predio feudali dimidium erit inuenientis ſi inueniens ſit extraneus, reliquam partem diuidendam eſſe inter proprietarium, & feudatarium. Ita Molina *diſp.56.* Leſſius *lib.2.cap.5. dub.25.* Nauarrus *cap.17.num.173.* & alij.

Animalia venatione, & piſcatione capta cui reſtituenda.

BRACTEA XX.

Sciendum animalia quædam eſſe manſueta, & domeſtica, vt oues, boues, Canes, gallinæ, & ſimilia, quædam eſſe ſylueſtria, quæ naturalem libertatem habent, vt ſunt leones, tygri, &c. Quo poſito.

R. Animalia primi generis, etiamſi poteſtatem Dominorum euaſerint non licet capere, & ſi capiantur Dominis ſunt reſtituenda. Ita Inſtituta de *rerum diuiſ.§. gallinarum*, vbi dicitur furtum committere, qui cum hęc animalia aufugerint, detinent. Ratio, quia licet aufugerint non tamen ex hoc dominus priuatur eorum dominio.

Sciendum 2. obligari ad reſtitutionem, qui detinent animalia eorum domum aduenientia, redire tamen ſolita domum Domini ſui, cum animalia per fugam non acquirant libertatem, ſed adhuc ſint ſub dominio prioris Domini. Vnde qui ad ſua columbaria traducunt alienas columbas, quę non amiſerunt cõſuetudinem redeundi ad columbarium prioris Domini, vel eas, arte, dolo, vel fraude conantur attrahere, peccant mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem, ſi verò occaſione meliorum ciborum ibi permanſerint poſſunt detineri ſi iudicio prudentis viri cenſeantur amiſiſſe conſuetudinem redeundi ad columbarium Domini ſui; & tunc cenſentur amiſiſſe conſuetudinem redeundi, ſi ter, vel quater tempore conſueto ad prius columbarium non redeant.

R. 2. Animalia ſylueſtria, & feras, quæ poteſtatem Domini euaſerunt, & in priſtinam libertatem ſe vindicarunt, poſſe accipi vbicunque fuerint, & eſſe primi accipientis. Ita habetur expreſsè Inſtitut. *loc. cit.* & Bonacin. *diſp.1.quaeſt.3.pun.7.num.7.* & alij. Ratio, quia cum acquiſierint primam libertatem cenſentur fieri primi accipientis: cenſentur acquiſiuiſſe primam libertatem, cum ter, vel quater conſueto tempore non reddeunt.

Sciendum 3. Animalia ſylueſtria, & feras tamdiù eſſe ſub dominio alicuius, quamdiù ſunt ſub illius poteſtate, quæ ſi aufugerint non cenſentur amplius eſſe illius Domini, vt v. g. Lepores, Cerui, Columbæ tamdiù ſunt Domini poſſidentis, quamdiù ſunt ſub illius poteſtate, quæ ſi aufugerint fieri primi occupantis ex eo, quod fugiendo acquiſiuerint primam libertatem, ſimiliter etiam ſi Ceruus è propria ſylua, aut prato aufugerit, & ad ipſam per aliquod ſpatium temporis non redeat, cenſetur acquiſiuiſſe primam libertatem, & per conſequens fieri primi accipientis. Ita etiam animalia cenſentur acquiſiuiſſe priorem libertatem, quando ita euaſerint, vt difficilè denuò capi poſſint à priore domino: vnde examen apum cum ſylueſtris ſit naturæ quando ab alueario ſui prioris Domini, ita euolauit, vt ab ipſo difficile capi poſſet, tunc cenſetur acquiſiuiſſe primam libertatem, & per conſequens à quolibet capi poſſe, & fieri primi capientis.

Sciendum 4. quod ſi quis vulnerauit feram lęthaliter, & ipſam conſequitur cum morali certitudine eam capiendi ipſius cẽſetur eſſe, quia in tali euentu iudicatur amiſiſſe libertatem, & feræ ſiunt illius per quem libertatem amittunt; ſi verò non fuit læthaliter vulnerata ita vt poſſit fugere, tunc fieri primi capientis, quia in tali caſu per illud non cenſetur amiſiſſe ſuam libertatem. Leſſius *lib.2. cap.5. dub.6.* Molina *diſp.2.* licet æquum ſit, vt diuidatur, ſi primum vulnus fuit aliquo modo cauſa, vt ab altero capiatur. Leſſius *dub.10.* Rebellus 1 *part. lib.1 quaeſt.* 14 *ſect.4.* Reginaldus *lib.10 tract.2 num.365.* Secundò dicendum eſt, quod ſi non ſe poterat à laqueo liberare cenſeatur eſſe Domini laquei, quia in illo cenſetur amiſiſſe ſuam libertatem. Secus autem ſi poterat ſe liberare. Leſſius *loco cit.cap.5.dub.11.* Em. Sà *verbo venatio* Molina *diſp* 42.

Sciẽdum 5. quod qui è fluuio extraxit rete alicuius plenum piſcibus, piſceſque abſtulit, ideò illud rete in eodem fluuio, & loco poſuit, & alios piſces cepit, obligatur ad reſtitutionem piſcium captorum, & capiendorum, quia capiendo cenſetur cauſa iniuſtæ damni. Verum piſces, qui per ſecundam retis extenſionem capti ſunt, eſſe ipſius extendentis rete, cum cenſeatur lucrum ex induſtria, licet aliquid obligetur dare Domino retis. Rebellus *loco citato, num.21.*

R. 3. A Principe non modo quando neceſſarium eſt, ſed etiam delectationis gratia poteſt reſeruari venatio, & piſcatio. Ita Leſſius *loco cit. dub.9.* Em. Sà *verbo venatio, num.4.* Molina *diſp.46.* Rebellus 1 *par. lib.1.quaeſt.4 ſect.2.* Ratio, quia cum pro publico laboret, poteſt ſibi reſeruare aliquid ad loca communia ad ſui delectationem.

An

An Princeps poſſit prohibere venationem?

BRACTEA XXI.

R. Non modo Princeps, ſed etiam Dominus alicuius agri, vel ſyluæ poteſt prohibere ne quis venetur, aut aucupetur in ſuo agro, vel ſylua, non ſolum quando neceſſarium eſt ad ſui ſuſtentationem, ſed etiam oblectationem. Ita Couar. *regula peccatum part.2. §.8. num.1.* & plures citati à Bonacina *loco cit. num.13.* Ratio eſt, quia poteſt prohibere ne quis ſuum agrum, vel ſyluam ingrediatur, & per conſequens ne quis venetur, aut aucupetur.

Sciendum, quod ſi animalia nimis multiplicentur in aliquo agro, vel ſylua, v. g. paſſeres, vel ſimilia, & in ſylua lupi, vrſi, & ſimilia, ita vt hæc animalia non modo vicinis, ſed etiam alijs afferant nocumentum, vel damnum, tunc non poteſt Dominus prohibere ne quis ingrediatur in agrum, vel ſyluam ad venandum, vel aucupandum. Molina *tom.1. diſp.43.* Em. Sà *verbo venatio*.

An ſint reſtituenda capta per venationem prohibitam?

BRACTEA XXII.

R. Capta per venationem prohibitam non eſſe reſtituenda, ſi animalia capta ſuam retinebant libertatem. Ratio, quia quæ ſub nullius dominio ſunt, ſiunt primi accipientis. Tum etiam, quia non capitur alienum, ſed commune, quod eſt primi occupantis iure gentium. Ratio, quia capiendo per venationem, aut piſcationem illicitã nulli affertur damnum.

Sciendum quatuor rationibus venationem, aut piſcationem prohiberi: primò ratione ſtatus perſonæ, vt ſic Clericis prohibetur venatio, & præcipuè illa quæ ſit cum ſtrepitu, non tamen mortaliter peccant Clerici venantes niſi forſan adſit ſcandalũ, aut contemptus. Secundò ratione temporis, ſic prohibetur venatio diebus feſtiuis, ſi talis venatio ſit cauſa omiſſionis miſſæ, alioqui non, cũ non ſit opus ſeruile. Tertiò ratione publicæ vtilitatis, & ne ſoboles animalium extinguantur, & ſic prohibetur venatio temporibus, quibus animalia ſunt grauida, & ſimiliter quando fœtus ſunt parui.

R. Quando venatio eſt prohibita ratione publicæ vtilitatis illius tranſgreſſio non eſt peccatum mortale niſi ſit coniuncta cum maximo damno. Ita Rebellus *1. part. lib.1. quæſt.14. ſect.3. num.13.* Reginaldus *lib.10. num 360.* Rodriquez *cap.137. num.9.* Leſſius *lib.3 cap.1. dub.9.* Ratio, quia talis tranſgreſſio non cenſetur notabilis.

Sciendum tamen a. peccare mortaliter, qui venātur, aut piſcantur contra prohibitionem factã quando damnum notabile afferunt Reipublicæ, ſeu communitati, vt accidit quando quis eſcas venenatas in flumium, aut paludes proijcit, aut calces, quibus aquæ inficiuntur, omneſque piſces moriuntur. Reginaldus *lib.10. 1. part. num.360.* Molina *tom.1. tract.2. diſput.49.*

An qui venatur in alieno fundo obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXIII.

R. Qui venatur in alieno fundo inuito domino nõ obligatur ad reſtitutionem eius quod cepit. Ita Leſſius *lib.2. cap.5. dub.8. num.43.* Ratio, quia cum animal ſilueſter nullius ſit domini cenſetur eſſe primi occupantis. Secundò, qui verò piſcatur, aut venatur in fundo, ſylua, vel agro, vel in fluuio, palude alteri locatis ad venandum, vel piſcandum obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti. Ita Reginaldus *loco cit. num.363.* Em. Sà *verbo venatio, num.4.* Ratio, quia alteri inferendo damnum peccat contra iuſtitiam.

Sciendum non modo obligari ad reſtitutionem, qui in fundo locato venatur, aut piſcatur, ſed etiam qui venando &c. canibus, equis, aut alia ratione infert damnum tertiæ perſonæ. Secundò qui venatur, aut piſcatur in loco alieno habente clauſuram, non tamen ita ſtrictam, quin animalia liberum egreſſum inde habeant, ad nihil tenetur, etiamſi feras aliqua arte auocet, vel impediat quo minus eo redeant. Ita Couar. *regula peccatum part.2. §.8. num.3.* Rodriquez *part.1 ſum. cap.37. num.3.* & alij. Tertiò, qui venatur, aut piſcatur in aliquo loco publico venationi, aut piſcationi Principum iuſtè aſſignato peccat venialiter, & ſi facit magnam deuaſtationem ferarum mortaliter, tenetur que ad reſtitutionem. Ratio primæ partis eſt, quia non ſit iniuria grauis, quia feræ nullius ſunt propriæ, ſed vagæ, & ſaltus eſt communis. Ratio ſecundæ partis, quia grauiter lædit rem alienam, qui facit huiuſmodi ſtragem, ergo obligatur ad reſtitutionem damni, licet non teneatur ad reſtitutionem animalis capti. Ita Bannez *2.2. quæſt. 62. art.3.* Leſſius *lib.2. cap.5. dub.9.* & alij. Quartò, qui venatur, aut piſcatur in locis paruis, & hominum induſtria circumſeptis, vt in piſcinis, in viuarijs, & ſtagnis, & alijs ſimilibus locis, ita vt animalia intus exiſtentia ſuam libertatem amiſerint peccant contrà iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem damni ſequuti.

An examen Apum conſidentium in arbore, ſint Domini arboris, an capientis?

BRACTEA XXIV.

R. Esse capientis. Ratio eſt, quia cum apes ſint natura ſua ſilueſtres, nullius ſunt quouſque capiantur, vel in aluearibus includantur. Secundò auis, qui in arbore nidificat nõ cenſetur domini arboris, licet poſſit prohibere alij ne ipſas capiant. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 5 dub.6.* Nauarrus *cap.17. num.129.* Molina *diſp 41.* Quod etiã dicendum eſt de examine apum: vnde qui eas capit nõ obligatur ad reſtitutionem, cum capiat rem, quæ ex natura ſua eſt primi capientis.

Cui reſtituere teneantur cædentes ligna, vel colligentes fructus in alienis ſyluis, aut in alienis paſcuis ſua pecora ducentes?

BRACTEA XXV.

R. Incolam alicuius oppidi non obligari ad reſtitutionem cædendo ligna, vel pecora ducendo in loca publica illius oppidi, dummodo

modo damnum non ſit valdè notabile. Ita Rebellus *lib. 2 quæſt.* 15. Molina *diſp* 58 Sotus *lib. 4. quæſt 6.* & alij. Ratio, quia cum ſit pars illius Communitatis habet ius cędendi ligna in locis publicis, & deducendi pecora in paſcuis publicis. Secundò incolæ diuerſorũ Oppidorum, quæ habent paſcua, & ſyluas finitimas non obligantur ad reſtitutionem, ſi alter in ſylua alterius ligna cædat, vel in eorum paſcua pecora ducat. Ita auctores citati. Ratio, quia cenſentur ſibi inuicem donare acceptum, eo quod ſoleant ſibi inuicem ligna ſuffurari. Tertiò cædens ligna in loco alterius Communitatis, vel priuati, vel ducẽs pecora ad paſcua, cuius ciues, vel priuati non poſſunt idem facere obligatur ad reſtitutionem damni. Ita Reginaldus *lib. 10. tract. 2. cap* 8. *num.* 370. Ratio, quia accipit alienum domino rationabiliter inuito, tum etiam quia cenſetur inferre damnum Communitati, vel priuato. Et in tantum ſolum obligari ad reſtitutionem damni ſequuti, in quantum dominus curat ſibi compenſare damnum; quia ſi non curaret, non obligaretur ad reſtitutionem, cum tunc dominus cenſeatur damnum illatum condonare. Quartò cædentes ligna, vel ducentes pecora ad paſcua in ſylua, vel in loco alteri locato, obligantur ad reſtitutionem, quæ facienda eſt ſicut & in alijs caſibus ei, cui damnum fuit illatum. Ita citati auctores. Ratio, quia cum inferant locanti damnum obligantur ad reſtitutionem, niſi paruitas damni excuſet, tum etiam, quia per locationem res communes ſiunt propriæ, & particulares. Quintò non peccare, nec obligari ad reſtitutionem, qui in extrema, vel graui neceſſitate ligna cædunt in locis particularium. Ratio, quia ſyluæ quas natura gignit, fuerunt ab initio communes, ac proinde non potuerunt particulari dominio alicuius deputari, niſi citrà detrimentum eorum, qui ſunt in extrema, vel graui neceſſitate. Tum etiam quia extrema neceſſitas facit omnia communia. Ita Salon. 2 2 *quæſt* 72. *art.* 3. Nauar. *cap.* 17 *num.* 122. Medina *C. de reſtit. quæſt.* 12. Sotus *lib.* 4 *quæſt.* 6. *art.* 4.

An Cuſtodes agrorum, ſyluarum, &c teneantur ad reſtitutionem, non denunciantes eos, qui in locis prohibitis piſcantur, &c.

BRACTEA XXVI.

R. Teneri ad reſtitutionem, quia ratione pacti, & ex officio tenentur impedire damna, & non impediẽdo obligantur ad reſtitutionem. Ita Medina *C. de reſtitut. quæſt.* 12. §. *vlt.* & Vaſquez *cap.* 5. §. 3. *dub* 4. *n.* 17.

Sciendum Cuſtodes poſſe in aliquo caſu diſſimulare, & non denunciare, vt quando ſciunt accipientes eſſe in extrema, vel quaſi neceſſitate, nec aliter poſſe vitam ſuam, & ſuorum conſeruare, dummodo non permittant eos plura capere, quam neceſſitas exigat. Secundò quod licet denunciantes teneantur ad ſolutionem damni, tamen non tenentur ad ſolutionem pęnæ, quam delinquentes ſoluiſſent. Ratio, quia non videtur vſu receptum, vt pęnas ſoluant, tunc etiam quia pęna non debetur, niſi poſt ſententiam.

An venæ metallicæ auri, & argenti ſint primi occupantis?

BRACTEA XXVII.

R. Ius effodiendi metalla auri, & argenti ſpectare ad Principem loci. Ita Sotus *lib.* 5. *quæſt* 3 *art.* 3. & alij. Ratio, quia ſic videtur in vſu, cum ius effodiendi metalla alijs concedant compenſato ſolum damno fundi. Tum quia tale ius ſibi vendicarunt, cum non ſint ſub dominio alicuius.

Sciendum, quod licet ex conſuetudine ſpectet ad Principem ius effodiendi metalla auri, & argenti, priuatiſque concedant, ius ea inquirẽdi vbilibet, etiam in fundo alieno, & ſi inueniantur non obligari partem dare domino fundi, ſed ſolum compenſare illi damnum illatum per effoſſionem ipſius metalli, quia huiuſmodi venæ ſunt quidam fructus, & partus terræ producti ab ipſa ad ſui defenſionem, & decorem. Vnde illius eſſe debent, cui incumbit terræ defenſio, & protectio, qualis eſt Princeps, tum etiam quia huiuſmodi mineralia non ſunt communes fructus Terrę, ſed optimi valdè qui non decent, niſi Regiam maieſtatem, & magnificentiam, & idcircò cenſentur Principis venæ metallicæ, tanquam productę à natura ad decorem ipſius, & ideò ius effodiendi metalla Principes ſibi vendicaſſe etiamſi in fundo alicuius priuati inueniantur. Secundò effodientem metalla auri, & argenti debere perſoluere Principi eam partem, quæ per leges illius regni, ſeu Ducatus illi tribuuntur, etſi iure naturæ, & gentium ſpectet ad ipſum ius effodendi. Ratio, quia leges municipales loci, quæ ad hoc ſpectant ſunt ſeruandæ. Tertiò venas lapidiſſimas eſſe domini fundi. Ita Couar. *quæſt practic. cap.* 37. & colligitur ex *leg. vir in fundo dotali*. Quartò gemmas, &c. quæ in litore maris reperiuntur eſſe primi occupantis. Ratio, quia in nullius dominio exiſtunt, quæ autem in nullius dominio exiſtunt ſiunt primi occupantis, niſi aliter iure poſitiuo decernatur. Inſtituta de *rerum diuiſ.* §. *capillorum*, & plures Doctores.

Cuiuſnam ſint res, quæ inueniuntur in vijs, platea, &c.

BRACTEA XXVIII.

R. Inventorem debere vti diligentia ad inquirendum Dominum, & ſi eum inuenerit, debet inuentum reſtituere. Secundò poſt diligentiam adhibitam, poſſe rem inuentam retinere, ſi ſit pauper, & ſi non ſit pauper, debet eam reſtituere locis pijs, &c. Ratio primæ partis eſt, quia non eſt ipſe peioris conditionis alijs pauperibus, dummodo tamen inuentum ſibi applicet de licentia Cõfeſſarij, licet aliqui dicãt poſſe inuentum propria auctoritate ſibi applicare, cum habeat ſufficientem rationem ſibi eam applicandi titulo paupertatis. Ita Nauarr. *cap.* 17 *num.* 92. Medina *Cod. de reſtitut quæſt.* 3. Molina *diſp* 747. Aragonius 2.2 *quæſt.* 66. *art.* 5. Silueſter *verbo reſtitutio* 8. *quæſt.* 3. & alij Ratio ſecundæ partis eſt, quia conſuetudine ſic videtur receptum, vt huiuſmodi erogatio fiat pauperibus. Tum quia hæc cenſetur rationabilis volũtas Dominorũ. Et ita Molina *tom.* 3. *diſp.* 746. Bannes 2.2 *quæſt* 66. *art.* 5. Rebellus, *lib.* 2. *quæſt.* 12. *num.* 3. Nauarrus *lib.* 4. *de reſtitut. cap.* 2. *nu.* 40. & alij.

R. 2. Eripientem aliquid ex vndis,quod certò periturum erat, poſſe ſibi retinere ereptum. Ratio,quia *lege Pomponius* res mea manet mea, quandiù conſumpta non eſt, *ff. de acquir. domin.* Secundò eripientem aliquid ex naufragio,quod certè periturum erat,teneri ad reſtitutionem. Ratio,quia Dominus nõdum amiſit dominium illius, eo quod res noſtra maneat noſtra,quandiù conſumpta non eſt, & per conſequẽs eripiens eam obligatur ad reſtitutionem, etiamſi certò peritura eſſet.

Sciendum, quod qui res alienas eripuit è naufragio cum periculo vitæ poteſt detrahere æſtimationẽ laboris, & periculi, & ſi periculum tanti æſtimetur, quãti res ipſa;tunc licet Dominus habeat ius rei vindicandæ, tamen recuperator poteſt exigere æſtimationem ſui laboris, & periculi, & ſi Dominus nihil dicat,poterit rem retinere tanquam ratione periculi conceſſam. Ita Leſſius *lib.2.cap.5.num.77.*

De tertia circunſtantia reſtitutionis, quæ eſt, vbi facienda?

BRACTEA XXIX.

SCIENDVM obligationem reſtituendi aliquando oriri ex re bona fide accepta, aliquando ex iniuſta acceptione,& aliquando ex contractu,vel ex quaſi contractu. Quo poſito.

R. Quando obligatio reſtituendi oritur ex re bona fide accepta,res eſt reſtituenda,vbi habetur,quãdo cognoſcitur eſſe aliena. Ita Vaſquez *cap.10.de reſtitut.dub.2.num.*42. Leſſius *lib.2.c.15.dub.8.n.51.*& alij. Ratio,quia nõ adeſt ratio, qua poſſeſſor bonæ fidei teneatur rem aliò transferre;tum etiam quia æquum non eſt, vt poſſeſſor bonæ fidei patiatur damnum ex reſtitutione rei bona fide acceptæ.

Sciendum 2.quod qui bona fide aliquid emit,v.g. equum,deinde factus malæ fidei,non obligatur mittere equum ſuo Domino proprijs expẽſis, ſed ſolùm vti diligentia ad cuſtodiendum ipſum,& interim admonere Dominum, quomodo velit eum ſibi tranſmitti; ſi verò Dominus ita ſit diſtans, vt non poſſit eum admonere, poteſt interim retinere equum, & eius opera vti;ſi verò credatur, eum nunquam aduenturum conſanguineis poterit reſtituere,&,ſi nõ erunt, pauperibus, &c. Ita Nauarrus *cap.17.num.*42. Rebellus *1.par.lib.2 quæſt.13.ſect.2.num.*4. Reginaldus *lib.10.num.*131. Leſſius *lib.2.cap.15. dub.* 18. Secundò ſi debitum ſit ex iniuſta acceptione, debet reſtitui expenſis debitoris,vbi Dominus rem ſuam habuiſſet,ſi illi non fuiſſet ablata. Ita Caiet.*2.2.quæſt.72.art.*5. Nauarr.*cap.17.num.*43. Leſſius *loco cit.* Ratio,quia Dominus rei non debet habere incommodum ob delictum alterius.

Sciendum, quod quando in reſtitutione rei faciẽdæ Domino abſenti, expẽnſæ longè maiores ſunt, quàm res ipſa valeat, non obligatur rem ipſam mittere Domino abſenti, quia cum tanto incommodo non tenetur rem reſtituere. Tum etiam quia in iſta reſtitutione non ſeruaretur æqualitas,ſed poſſe reſtitutionem differre,donec poſſit ipſam facere ſine tantò detrimento. Secundò poſſeſſorem malæ fidei poſſe in reſtitutione rei detrahere expenſas,quas Dominus feciſſet in aſportatione earum,quia ſicuti ob reſtitutionem Dominus non debet habere incommodum,ita nec etiam lucrum. Rebellus *loco cit.* Clauis regia *lib.10.tract.5.cap.4.num* 5.& alij. Tertiò,quando obligatio reſtituendi oritur ex contractu, quo res eadem debet reſtitui in vtilitatem ipſius recipientis,debet eodem loco,& expenſis reſtitui, vt in contractu conuenitur. Ratio,quia qui ſentit commodũ, & incommodum ſentire debet. Ita Leſſius *lib.2.cap.15.dub.8.num.*53. Reginaldus *loco cit.* Quando debitum ex contractu eſt in vtilitatem dantis expenſis creditoris,& non debitoris debet fieri reſtitutio. Ita Leſſius *loco cit.* Ratio,quia cum ſolùm deponens ſentiat vtilitatem, ipſe ſolus debet ſentire incommodum expenſarum;& ideò qui accepit aliquod accommodatum, vel mutuũ reſtituere debet ipsũ expenſis ipſius debitoris,cum iſti ſint contractus in gratiam ipſius. At verò depoſitum debet reſtitui expenſis ipſius creditoris, cum ſit cõtractus in vtilitatem ipſius deponentis. Ita auctores citati. An contrahentes poſſint conuenire,vt ſolutio fiat alibi, quam vbi res accepta eſt,vel fiat,vbicunque creditor voluerit? Reſpondetur non poſſe, niſi hoc onus iuſta mercede compenſetur. Ratio,quia eſt onus appretiabile pecunia, ad quod alter non tenetur ex vi contractus. Ita Leſſius *loco cit.num.*58.& alij.

An qui mutuum dedit in vno loco, & præter ſpem in alium migrat; teneatur mutuatarius ſuis expenſis mutuum ad illum mittere.

BRACTEA XXX.

R. QVOD, ſi mutuans pecuniam, quam ſecum aſportaturus non erat,tunc nõ tenetur mutuatarius proprijs expenſis Domino mutuatum mittere. Ratio, quia aliter faciẽdo mutuans reportaret commodum ex mutuo. Secundò, quod mutuatarius, qui eſt in mora reſtitutionis, quando Dominus receſſit, tunc tanquam poſſeſſor malæ fidei tenetur proprijs expenſis pecuniam vero Domino mittere; poteſt tamen deducere expenſas, quas Dominus ad eas aſportandas feciſſet. Ita Caiet.2. 2. *quæſt.62.art* 5. Petrus Nauarr. *lib.* 4. *de reſtitut. num.*2. Silueſter verbo *mora quæſt.* 1. *&* 4. Tertiò mutuatarium, qui non eſt in mora reſtituendi non obligari ſuis expenſis reſtituere mutuum, vbi Dominus mutuans migrauit, niſi deductum ſit in pactum ob lucrum ceſſans,vel damnum emergens. Ratio, quia fortaſſe mutuatarius non recepiſſet mutuum cum eo onere, & mutuans ſibi debet imputare, quia id non deduxit in pactum. Tum quia ſicut quando non eſt in mora, non obligatur ſoluere damnum emergens, aut lucrum ceſſans, niſi ſit deductum in pactum, ita nec ſuis expenſis reddere mutuum, quando non eſt in mora. Ita Rebellus *par.2.lib.2.quæſt.13 ſect.2.* Leſſius *lib.2.cap.15.dub.*8. Molina *tom.3.de iuſtit. diſput.* 752. & alij.

De quarta circunſtantia reſtitutionis, quæ eſt, quo tempore debeat fieri?

BRACTEA XXXI.

R. SI obligatio reſtituendi ſit ex contractu, debet fieri tempore, quo inter contrahentes expreſsè, vel tacitè conuentum fuerit. Ita communiter omnes. Ratio eſt,quia quiſque tenetur ſtare obligationi contractus.

Sciendum,quod quando debitor ex contractu nõ ſoluit determinato tempore, obligatur compenſare damnum, quod exinde creditor patitur, neque eſſe neceſſe,

neceſſe, vt creditor ſolutionem petat, vel proteſtetur de damno, quia ipſa dies, ſeu ſtatutum tempus pro creditore interpellat. *leg. magnam cap. de cõtrahen.* Si verò debitor non ſit in culpa, vel paratus ſit tempore ſtatuto ſoluere, ſed creditor, vel abſens fuit, vel ſi præſens noluit accipere, tunc debitor liber eſt à reſtitutione damni dati ob moram ſolutionis. Secundò ſi nullum tempus ſolutioni debitæ ex contractu expreſsè, vel tacitè præfixum erit, debitor non cenſetur eſſe in mora, niſi poſtquam creditor exigerit tempore conuenienti debitum. Ita Molina *tom. 2. diſp* 554 Ratio, quia à die petitionis debiti ſolùm eſſe cenſetur in mora culpabili. Tertiò ſi obligatio reſtituendi oritur ratione rei acceptæ, vel iniuſtæ acceptionis, vel detentionis rei alienæ ſtatim fieri debet, ac commodè, & moraliter debitor poteſt, niſi dilationem obtineat à creditore. Ita Rebellus *lib. 2. quæſt. 7. num.* 2. Reginaldus *lib. 10. tract. 2. num.* 223. Clauis regia *lib.* 10. *tract. 5. cap.* 4 Em. Sà *verbo reſtitutio num.* 62. Molina *tom. 3. tract. 2. diſp.* 753. & alij. Ratio eſt, quia præceptum negatiuum non retinendi rem alienam, & non diferendi, debiti ſolutionem obligat ſemper, & ad ſemper, & per conſequens tenetur debitor reſtituere rem alienam ſtatim, ac commodè poteſt. Quartò debitorem ex delicto obligari ſtatim reſtituere rem alienam, alioquin ſemper cenſetur eſſe in mora, & non reſtituendo tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti creditori per moram, niſi adſit aliqua rationabilis cauſa dilationis ſolutionis. Verùm illud ſtatim, quo facienda eſt reſtitutio, non accipitur mathematicè, quaſi ſtatim in inſtanti facienda ſit reſtitutio, nulla omninò interpoſita mora, ſed accipitur moraliter expectata opportunitate ſecluſo dolo, & fraude reſtituendi. Vnde qui dum in lecto decumbit, vel audit Miſſam, &c. recordatur ſe habere rem alienam, non tenetur ſurgere de lecto, ſed ſatis eſt, quod propoſitum eliciat reſtituendi, & poſtea oblata opportunitate reſtituat.

Quod peccata ammittat, qui non reſtituit rem alienam oblata opportunitate?

BRACTEA XXXII.

SCIENDVM, quod quamuis varijs modis intentio virtualis, ſeu propoſitum aliquid faciendi interrumpatur, nimirum per ſomnum, per negotium, ratione temporis, & per actum contrarium voluntatis, tamen.

R. Peccata ſolummodo multiplicari per actum moralem contrarium, & per conſequens per intentionem moraliter interruptam per actum contrarium. Ratio eſt, quia quando propoſitum interrumpitur tribus prioribus modis adhuc cenſetur in habitu perſeuerare, quando interrumpitur vltimo modo, nullo modo amplius perſeuerat, & per conſequens peccata multiplicantur ſolum iſto modo. Secundò detinentem rem alienam ipſam non reſtituendo prima opportunitate, denuò non peccare, ſed ſolum prius peccatum aggrauare. Ratio, quia non reſtituendo cenſetur ſolum velle perſeuerare in priori peccato, & talis perſeuerantia non conſtituit nouum peccatum, ſed aggrauat ſolum prius. Tertiò non cõmittere nouum peccatum, qui rogatus à creditore, vt debitum ſoluat, & differt; cum poſſit reſtituere. Ratio, quia illa dilatio non multiplicat peccatum, cum moraliter non interrumpat priorem actum, ſed ſolùm differendo intendit adhuc velle perſeuerare in priori peccato, quod eſt ſolum circunſtantia aggrauans prius peccatum, quæ in confeſſione eſt aperienda, cum ſe teneat ex parte obiecti peccati. Quartò non conſtituere nouum peccatum, qui ſuum creditorem vidit graui neceſſitate premi, & non reddit debitum loco, & tempore debito. Ratio eſt, quia non facit nouam iniuriam, nec ratione rei acceptæ, nec ratione acceptionis, ſed cenſetur ſolum cum damno proximi perſeuerare in priori iniuria illata, quæ tamen aggrauat peccatum, quia non reſtituendo infert nocumentum Domino. Vnde qui alienum retinet per multum tempus cum commodè reſtituere poſſet, non ſatisfacit ſuæ conſcientiæ, ſi ſolum confitetur ſe alienum occupaſſe, ſed explicare etiam debet quanto tempore illud reſtituere diſtulerit. Ratio, quia huiuſmodi circunſtantia aggrauans cum ſe teneat ex parte obiecti, ideò eſt confitenda.

De modo, quo facienda eſt reſtitutio, qui eſt quinta circunſtantia?

BRACTEA XXXIII.

R. NON modo per ſe ipſum, ſed etiam per tertiam perſonam poteſt fieri reſtitutio. Ita Reginaldus *lib.* 10 *num.* 214. Azorius 3 *part. lib* 4. *cap.* 37. Clauis regia *lib.* 10. *cap* 35. Bonacina de *reſtit. diſp. 1. quæſt. 7. num.* 1. & alij. Ratio, quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.

Sciendum detentores rei alienæ eſſe in duplici differentia: quoſdam eſſe publicos, vt ſunt vſurarij cogniti: alios verò eſſe occultos, vt ſunt alij detentores. Vſurarij ad tollendum ſcandalum publicè debent reſtituere, vel ſaltem reſtitutio illorum debet eſſe omnibus nota, alios verò debere occultè reſtitutionem facere, ne iubeant periculum infamiæ, quia ſicut quilibet ad euitandam infamiam poteſt reſtitutionem differre, ita etiam occultè poteſt ipſam facere ad euitandam infamiam. Secundò quando reſtitutio debetur ex contractu, debet fieri iuxta conuentionem partium. Ita communiter omnes. Ratio, quia fides in contractu data eſt ſeruanda. Tertiò reſtitutio tota ſimul fieri debet, quando debetur ex delicto, ſi commodè fieri poteſt alioquin per partes. Ratio, quia non reſtituendo ſimul, ſed per partes cum commodè poſſit totum reſtituere, cenſetur retinere alienum inuito Domino. Tum etiã quia debitor iure naturæ tenetur totum ſimul reſtituere, & Confeſſarius non poteſt diſpenſare, niſi vrgente rationabili cauſa.

An poſſe abſolui pænitens non præmiſſa reali reſtitutione.

BRACTEA XXXIV.

R. NON eſſe abſoluendum pœnitentem, qui non habet propoſitum reſtituendi. Ratio, quia non cenſetur diſpoſitus ad abſolutionem, cum careat propoſito reſtituendi. Secundò, qui ſemel, aut bis fuit abſolutus cum propoſito reſtituendi, poſſe iterum abſolui, dummodo pœniteat ſe hactenus non reſtituiſſe, & firmiter ſtatuat ſe reſtituturum. Ita Nauarr. *cap. 17. num.* 79 Medina *lib 2. inſtruct. Confeſſ cap. 11. regul.* 1. Salon. 2. 2. *quæſt. 62. art.* 8. & alij; cum limitatione infrà dicenda. Tertiò, quod quando pœnitens in vna, aut altera confeſſione, & ſæpiùs accedit, cum impotentia ad tunc

reſtituendum poteſt abſolui. Ratio, quia ratione impotentiæ non peccat non reſtituendo, & ratione impotentiæ non cenſetur eſſe in culpa, & ille ſolus non poteſt abſolui, qui eſt in culpa. Quartò pœnitentem, qui multoties promiſit reſtituere, & non reſtituit nō eſſe abſoluendum, niſi præmittat reſtitutionem, etiāſi de præſenti proponat reſtituere. Ratio eſt, quia qui multoties promiſit prudenter credi poteſt, nec de præſenti reſtituturum, ſed ad priorem culpam rediturum, cum optima ſit præſumptio, quæ deducitur ex accidentibus communibus. Vnde etiamſi pœnitens dicat modo ſe eſſe reſtituturum, debet ſuſpendere abſolutionis beneficium, quoadusque reſtituat, ſicut ſuſpendenda eſt illi, qui multoties promiſit ſe emendare à tali peccato, vel deſerere talem occaſionem proximam, quoadusque probetur eius intentio, ſeu propoſitum. Quod tamen intelligendum eſt, dummodo id ſine periculo infamiæ poſſit fieri.

An qui ter, vel quater promiſit eidem Confeſſario, vel diuerſis ſtatim reſtituere, & non reſtituit, poſſit abſolui, antequam reſtituat?

BRACTEA XXXVI.

R. Si abſque legitima cauſa non reſtituit, regulariter non eſſe abſoluendum, etiamſi dicat ſe habere firmum propoſitum reſtituendi. Ratio, quia ex præcedentibus promiſſionibus prudenter credi poteſt, non eſſe reſtiturum, etiamſi de præſenti promittat reſtituere. Verùm ſi pœnitens aliquo iuſto impedimento teneatur, quo minus poſſit reſtituere; tunc Confeſſarius tenetur ipſum abſoluere, dummodo ſublato impedimento promittat reſtituere. Ratio, quia nemo poteſt obligari ad id, quod commodè non poteſt exequi.

R. 2. Non poſſe licitè abſolui eum, qui habet animum non reſtituendi in vita, ſed ſolùm in articulo mortis. Ratio, quia cēſetur eſſe in ſtatu peccati mortalis, cum poſſit in vita reſtituere, & non reſtituit.

R. 3. Qui abſque legitima cauſa non vult in articulo mortis reſtituere, cum poſſit, ſed illud mandat ſuis hæredibus, vt quamprimum reſtituant, non poteſt abſolui. Ratio, quia ſic faciendo oſtendit non habere propoſitum firmum, ſed conditionale tantum ſcilicet, ſi moratur. Dixi abſque legitima cauſa, quia ea poſita, poteſt abſolui relinquendo reſtitutionem fieri per hæredes. Et ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 687. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 8. Petrus Nauarr. *lib.* 4. *de reſtitut. num.* 72. Sotus *lib.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 4. Silueſter *verbo reſtit.* 5. *quæſt.* 7. & alij.

De ordine, quo reſtitutio eſt facienda, quæ eſt ſexta circunſtantia?

BRACTEA XXXVI.

R. Rem alienam extantem eſſe primo loco reſtituendam, etiamſi Dominus ignoretur. Ita Reginaldus *lib.* 10 *num* 235. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 1. *num.* 3 & alij communiter. Ratio, quia cum dominium per poſſeſſionem non fuerit translatum, debet ſuo Domino reſtitui, cum res ſemper pro Domino clamet, & Dominus vbique eam poſſit ſibi vendicare.

Sciendum non modo rem extantem debere primo loco reſtitui, ſed etiam pretiū rei venditæ apud debitorem adhuc extans, ſi debitor non poſſit omnibus creditoribus ſatisfacere; v. g. quidam à credito vendidit Paulo equum extantem adhuc apud Paulum, qui cum non poſſit omnibus creditoribus ſatisfacere, debet ipſum vendentem Paulum cæteris creditoribus anteponere. Ratio, quia cenſetur ſemper habere ius ad equum, quoadusque illius pretium ſit ſolutū, & per conſequens debet cæteris anteponi, quoadusque illi pretium ſit ſolutum, Rebellus *lib.* 6. *quæſt.* 10. *ſect.* 1. *nu.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 2. *num.* 11. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 49. & 9. Caiet. *verbo reſtitutio*, & alij.

R. 2. Debita certa, quæ certis creditoribus reſtitui debent, præferenda ſunt debitis incertis, quæ Eccleſiæ, vel pauperibus erogare debent. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 47. Vaſquez de *reſtitut. cap.* 11. *num.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 1. & alij. Ratio eſt, quia ius naturæ anteponendum eſt iuri poſitiuo, de iure naturæ ſoluendum eſt debitum perſonæ determinatæ, & certæ; de iure verò poſitiuo, & in defectum cognitionis perſonæ certæ, incertæ; ideſt Eccleſiæ, & pauperibus reſtitutio fieri debet. Secundò ex bonis ipſius debitoris, defuncti prius ſoluendæ ſunt expenſæ funeris. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 52. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 244. & alij. Ratio, quia iſtæ expenſæ adeò æſtimantur neceſſariæ, vt priuilegiatæ antecedant omne debitum, & creditores ſi id non permitterent, eſſent rationabiliter inulti. Tertiò debita contracta ex contractu licito anteponenda ſunt debitis contractis ex delicto. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 238 Caiet. *verbo reſtitutio*, Medina *quæſt.* 2. *de reſtitut. dub* 7. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 52 & alij. Ratio, quia bona debitoris cenſentur magis hypothecata pro debitis contractis ex contractu licito, quam ex delicto. Tertiò debita ex contractu oneroſo anteponenda ſunt debitis ex contractu gratioſo. Ita Nauarrus *cap* 17. *num.* 50. Clauis regia *lib* 10. *tract.* 5 *num.* 34. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 15. *dubit.* 3. *num.* 35. & alij. Ratio, quia in donatione gratioſa obligatur ſub hac conditione, niſi mutetur ſtatus rerum, & ſuperueniente inopia debitoris, cum mutetur ſtatus ipſius, non obligatur ſoluere, quæ debet donatione gratioſa, ſed quæ debet donatione oneroſa, tenetur ſoluere. Quartò debita incerta præferenda eſſe, quæ contractu gratioſo debentur. Ratio, quia ſoluendum eſt prius, quod eſt alienum, cum non ſit hæres, niſi deducto ære alieno.

Sciendum, quod quando quis ſucceſſit in hæreditatem alicuius, in quo ſunt plura debita ex cōtractu oneroſo, v. g. ex venditione, & ex contractu gratioſo, vt ſunt legata, & ſimilia; & quædam ex delicto certa, & alia incerta, hæres debet prius ſoluere debita ex delicto certa, quam incerta; deinde perſoluere ea, quæ ſunt ex contractu oneroſo, vt ſi quæ debet ratione emptionis alicuius rei, poſtea quæ ſunt ex delicto, ſed incerta pauperibus, & Eccleſiæ; & poſtea quæ ſunt ex contractu gratioſo, vt legata, &c. licet alij dicant prius ſoluenda eſſe debita ex contractu oneroſo, quam ex delicto, quorum opinio videtur etiam probabilis.

Quis ordo in reſtitutione ſeruandus inter debitores habentes hypothecam?

BRACTEA XXXVII.

S. Ciendum creditores eſſe in duplici differentia, alios dici reales, alios perſonales; reales habere actionem in bonis debitoris in re, vel ad rem: perſonales habere directè ſolum in perſonā

debi-

debitoris actionem ad bona ſolum indirectè, & quatenus ſunt bona debitoris. Secundò hanc eſſe differentiam inter ius in re, & ad rem, quod ius in re tribuit ius ad rem ipſam immediatè; ius ad rem non tribuit ius immediatè in rem, ſed in perſonam, nimirum tribuit ius petendi rem ipſam à perſona, vt v.g. ille cenſetur habere ius in re, qui cum emerit rem aliquam, illi à venditore fuit tradita, quod ſi fuerit empta, & non tradita, dicitur habere ius ad rem, cum habeat ius petendi rem ipſam à debitore. Quo poſito.

R. Prius ſoluendum eſt creditoribus habentibus hypothecam, quam non habentibus, realibus, quam perſonalibus. Ita Leſſius *lib.2.cap.*15.*dub.*4. *num.*22. Nauar. *cap* 14.*num* 31 Clauis regia *lib.*10.*tract.*15. *cap.* 20.*num.*25. Ratio, quia ob id datur hypotheca ad ſecuritatem creditoris, vt in caſu quo cætera bona nõ ſufficiant ad ſatisfaciendum, curet ex ea ſibi ſatiſfacere.

Sciendum 2. hypothecam eſſe aſſignationem alicuius rei creditori pro ſecuritate, quod ſi res aſſignata in ſecuritatem tradatur ipſi creditori dicitur pignus, ſi verò non tradatur, dicitur hypotheca. Secũdò hypothecam duplicem eſſe vnam generalem, & alteram particularem; generalem eſſe qua obligantur omnia bona debitoris pro ſecuritate creditoris, particularem qua obligatur aliqua res certa, & particularis. Tertiò hypothecam etiam duplicẽ eſſe, vnam expreſſam, & alteram tacitam, expreſſa eſt, quæ conuentione partium apponitur verbo, aut ſcripto, tacita verò quæ à iure apponitur abſque cõuentione partium.

R. 2. Inter creditores ipſo, habentes hypothecam in aliqua re ſemper præferendus eſt, qui prior tempore habet hypothecam. Ita Leſſius *lib.*2 *cap.*15 *dub.* 6.*num.*23. Layman *lib.*3.*tract.*2. *ſect.*5. *cap* 11. *num.* 3. & alij. Ratio, quia qui prior eſt tempore potior eſt iure.

Sciendum 3. quoſdam eſſe caſus, in quibus creditor poſterior præfetur priori habenti hypothecam; primus eſt, quando quis alteri mutuauit ad reparãdam domum, vel nauim alteri hypothecatam, tunc mutuator præferri, debet alijs habentibus tacitam, vel expreſſam hypothecam. Rebellus *quæſt* 19.*num.* 5. Azorius *cap.*37. Leſſius *loco citat.num.*26. Nauarrus *cap.* 17.*num.*52. & alij. Secundus, quando quis mutuauit pecuniam alteri ad emendam domum, vel merces; qui anteponendus eſt, quia illi debet fieri reſtitutio ex re empta, quia ſine illo mutuo, res non extitiſſet, vel empta non fuiſſet. Sunt etiam plures alij caſus, de quibus videri poteſt apud auctores citatos.

Quis præferendus quando res aliqua diuerſis temporibus vendita fuit multis inſolidum?

BRACTEA XXXVIII.

R. Si res nulli fuit tradita primum emptorem præferendum eſſe. Ita Couar.2.*variar.cap.* 18.*num* 8. Rebellus *lib.*9 *quæſt.*17 *ſect.*3. Reginaldus *lib.*25.*num* 95. Molina de *contract.diſp.*274. Leſſius *lib* 2. *cap.*21.*dub.*19. Sanchez de *matrim. lib.*1. *diſp.* 49. Azorius 3.*part.lib* 11.*cap.*17.*quæſit.*17. Ratio, quia ille primus, cui res fuit vendita cenſetur acquiſiſſe ius ad illam, & per conſequens anteponendus. Secundò, quod ſi res pluribus fuit vendita, ſed vni tradita ille, cui fuit tradita, eſt præferendus, dummodo ſit ſolutum pretium, vel habita fides pro ſoluto pretio, etiamſi contractus venditionis cum alijs celebratus, ſit firmatus iuramento. Ita Doctores citati. Ratio eſt, quia ſimpliciter per contractum venditionis non transfertur dominium, transfertur verò ſequuta traditione, & ſoluto pretio, vel habito pro ſoluto. Inſtit.de *rerum diuiſ.* [illegible] Excipiuntur tamen tres caſus: Primus, quando venditio fuit facta Eccleſiæ, aut alijs locis pijs, quia & ſi non ſit facta traditio, tamen transfertur dominium, *leg. vlt. C. de ſacroſanct. Eccleſijs*. Secundus, quando res priori fuit vendita, eique hypothecata in ſecuritatẽ contractus. Tertius, quando fuit vendita priori, qui ſciebat rem illam in fraudem venditorum alienari, quia tunc priores creditores habent ius vendicandi illam.

Quo ordine ſatisfaciendum creditoribus perſonalibus?

BRACTEA XXXIX.

R. Inter creditores perſonales nullum ordinem ſeruandum eſſe in ſolutione, ſed pro rata omnibus ſatisfaciendum. Ita Silueſter *verbo reſtitutio, quæſit.*5. Leſſius *lib.*2.*cap.*15 *dub* 6.*num.* 44. Reginaldus *lib.*10. *nu.*248. & alij. Ratio, quia creditores perſonales habent æquale ius, conſequenter fieret illis iniuria ſi vnus alteri præferetur.

Sciendum inter creditores perſonales non valere regulam iuris, qui prior tempore potior iure, ſed tantum inter creditores reales, & habentes hypothecam. Vnde ſi bona debitoris ſufficiunt ad ſatiſfaciendum omnibus, ſine ordine, eſt illis ſatisfaciendum; ſi verò non ſufficiunt, ad ratam eſt illis ſatisfaciendum iuxta maiorem rationem debiti, vel damni illati, ita vt qui creditor eſt maioris pecuniæ, magis ei debeatur, qui verò minoris pecuniæ eſt, creditor ei ad ratam detur, nam ſi vni in totum ſolueretur, alijs verò non, illis fieret iniuria. Secundò, quod licet illa regula, iuris qui prior tempore potior eſt iure regulariter non valeat, tamen in habentibus ius prælationis, aut perſonale priuilegium valet. Habẽtes ius prælationis ſunt. Primò Reſpublica, quæ omnibus perſonalibus creditoribus præfertur. Secundò qui pecuniam depoſuerunt apud depoſitarium alijs creditoribus præferuntur. Tertiò, qui mutuauit pecuniam ad nauim extruendam, reparandam, vel emendam priuilegium Prælationis habet; ita etiam ſponſa de futuro in bonis ſponſi ob dotem traditam non ſequuto matrimonio.

Sciendum 2 quod quando bona hæreditatis non ſufficiunt ad ſatisfaciendum omnibus, ſunt prius deducendæ expenſæ neceſſariæ funeris, iuxtà qualitatem perſonæ, antequam fiat ſolutio ipſis creditoribus, etiamſi creditores habeant hypothecam in bonis debitoris, ſeu defuncti. Ratio eſt, quia impenſæ funeris præcedunt omne debitum. *leg. penult. ff de reliquijs, & ſumptibus funerum*. Tum etiam, quia creditores non cenſentur rationabiliter inuiti, quod tamen intelligendum eſt, ſi bona relicta ſint defuncti, ſecus autem ſi ſint creditorum.

An iſte ordo ſit ſemper ſeruandus?

BRACTEA XL.

R. SEMPER eſſe ſeruandum, & peccare mortaliter, qui contrà prædictum ordinem facit, niſi ignorantia iuris, aut facti, aut paruitas rei excuſet. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia qui prædictum ordinem prętermittit infert iniuriam, & damnum alijs creditoribus. Tum, quia ordo legis ciuilis, qui non nititur falſa præſumptione obligat in conſcientia, verùm ſi extaret aliqua conſuetudo contrà prędictum ordinem ea eſſet ſeruanda. Ita plures citati apud Bonacinam *diſput. 1. de reſtit. quæſt. 8 punc. 2. num. 26.* & alios. Secundò, quod licet regulariter iſte ordo ſit ſeruandus, tamen vt ſuprà dictum, qui habent perſonale priuilegium ſunt anteponendi.

R. 2. Non licere debitori, aut eius hæredi omiſſo priori creditore, ſoluere debitum poſteriori cum damno prioris, ſed ad ratam crediti omnibus eſt ſoluendum, cum omnes cenſeantur habere æquale ius, & ſoluendo vni non poteſt afferri alteri iniuriã. Ratio, quia ſoluendo vni eſſet cauſa damni, & obligaretur ad reſtitutionem. Secundò ſi ſunt plures creditores perſonales, inter quos nullus habeat priuilegium Prælationis primo petenti ſiue in iudicio, ſiue non, poteſt debitor ſoluere, etiamſi priùs petens ſit ordine poſterior. Ita Nauarrus *cap. 17 num. 52.* Silueſter *verbo reſtitutio 6. quæſit. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 15. dub. 5. num. 33.* Ratio, quia petendo fit melioris cõditionis.

Sciendum, quòd licet debitor prius petenti poſſit ſoluere debitum, non tamen ipſe ſua ſponte creditori pauperiori (niſi pauper ſit in extrema, vel quaſi neceſſitate) poteſt ſoluere, cum omnes habeãt æquale ius in debitorem. Ratio, quia ſi pauperiori fieret prius reſtitutio, cæteri eſſent inuiti, in caſu verò extremæ, vel grauis neceſſitatis poteſt pręferri, quia tunc duplex adeſt obligatio reſtituendi charitatis ſcilicèt, & iuſtitię.

Quomodo ſatisfaciendum ab hærede, quando bona defuncti non ſufficiunt ad ſoluenda omnia vota, & legata?

BRACTEA XLI.

R. HÆREDEM debere prius ſoluere vota realia defuncti, quam eius legata, ſi bona defuncti non ſufficiunt, ad ſatisfaciendum omnibus votis, & legatis. Ita Sãchez *in ſum. lib. 4 cap. 13. num. 29* & alij. Ratio, quia hæres ſuccedit in locum defuncti, defunctus autem viuens non teneretur ad legata, licet teneretur ad vota, ſequitur hęredem non obligari ad legata, & ideò obligari prius ſoluere vota, ſi bona defuncti, non ſufficiunt ad ſatisfaciendum pro votis, & legatis. Secundò quando bona ex quibus ſoluenda ſunt legata non ſufficiunt omnibus legatis perſoluendis, ſoluenda ſunt ad ratam, & nulla integrè ſoluenda, etiamſi legatũ conſiſtat in aliqua re determinata. Ita Sanchez *in ſum. lib. 4. cap. 13. num. 40.* Ratio, quia omnes cenſẽtur habere æquale ius, & per conſequens omnibus ad ratam ſatisfaciendum. Tertiò, quod ſi alicui legatum ſit de rebus immobilibus, vel mobilibus non poteſt illud ſibi retinere, ſi bona defuncti non ſufficiunt ad ſoluenda cætera legata, ſed ſolum ad ratã, ſicut alij legatarij. Quartò non eſſe ſoluenda legata, quando hæreditas non ſufficit ad ſoluenda debita, & ſi ſolutis debitis nihil remaneat ex hæreditate, tunc nullam adeſſe obligationem ſoluendi legata. Ratio primæ partis eſt, quia ad iuſtitiam ſpectat ſoluere debita, ad pietatem verò ſoluere legata. Ratio ſecundæ partis, quia non cenſetur hæres, niſi deducto ære alieno. Quintò peccare contra iuſtitiam debitorem, qui repudiauit legatum, vel hæreditatem, qua ſuis creditoribus ſatisfeciſſet. Ita Sanchez de *matrim. lib. 6. diſput. 4 num. 9.* Molina *diſp. 945.* & alij. Ratio, quia, qui obligatur ad finem, etiã ad media tenetur: cum autem debitor obligatus ſit ad reſtitutionem, etiam tenetur ad eligenda media neceſſaria.

Sciendum, quod licet contra iuſtitiam peccet, qui non acceptat hæreditatẽ, &c. tamẽ non obligatur ad reſtitutionem debitorum, qui hereditatem repudiatam acceptauit, quia acceptando hæreditatem, vel legatum ab altero repudiatum, nullam facit iniuriã illius creditoribus.

MALLEATIO XXVI.

De his, quæ excuſant à reſtitutione, vel ad tempus, vel omninò.

An damnum debitoris excuſet à reſtitutione?

BRACTEA I.

R. SI debitor reſtituere non poteſt, niſi cum notabili, & grauiori damno ſibi, vel ſuis inferendo, quam exiſtimari debeat commodum, ex reſtitutione creditori futurum, differre poteſt reſtitutionem quoadusque difficultas ceſſet. Ita Nauarrus *cap. 17. num. 57.* Molina *tract. 2. tom. 3. diſp. 754.* & alij. Ratio, quia reſtitutio obligat, vt ſeruetur æqualitas, non ſeruaretur, ſi fieret cum tanto detrimento debitoris longè maiori quam ſit damnum creditoris. Secundò non modo poſſe differre reſtitutionem ob damnum debitoris longè maius, quam ſit creditoris, verum etiam ob damnum creditoris, vel alterius tertię perſonę, vt quando reſtitutio probabiliter creditur futura pernicioſa ipſi creditori, aut allatura nocumentum tertiæ perſonæ. Ita Nauarrus *cap. 17. num 63.* Clauis regia *lib. 10. tract. 5. cap. 8. num. 10.* Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 4 num. 53.* cum quilibet teneatur ex charitate euitare damnum ſui proximi. Vnde ſi quis arma depoſitata petat ad occidẽdum, poſſunt denegari, cum vnicuique Deus mandauerit de proximo ſuo. Tertiò, non modo poſſe differre reſtitutionem ad euitandum damnum temporale creditoris, aut tertiæ perſonæ; verum etiam ob bonum ſpirituale, dummodo reſtitutionem poſſit differre ſine graui ſui præiudicio, vel damno. Reginal. *lib. 10.* Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 4. num. 53.* Clauis regia *lib 10. tract. 5. cap. 8. num. 10.* Vnde poſſe differre reſtitutionem mutui, vel depoſiti pecuniæ, &c. petenti ipſam expendendi gratia in meretrices, vel ludos prohibitos. Verum ſi abſque ſui præiudicio non poteſt differre reſtitutionem, poteſt ipſam reſtituere, quia charitas non obligat cum præiudicio proprio.

Quo-

Quomodo impotentia, vel neceſſitas ſint cauſæ differendi reſtitutionem?

BRACTEA II.

R. Impotentiam, & extremam neceſſitatem eſſe cauſas ſufficientes differendi reſtitutionem. Ita Leſſius *lib 2. cap. 16. dub* 1. Nauarrus, Clauis regia *locis cit.* & alij. Ratio; quia impoſſibilium nulla poſſibilis actio; tum etiam quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia.

Sciendum non modo extremam neceſſitatem debitoris excuſare à reſtitutione, ſed etiam extremam neceſſitatem ſuorum, vel proximi, quando aliter eorum neceſſitatibus non poteſt ſubueniri, niſi eis conferendo rem alienam alteri debitam; licet verum ſit in extrema neceſſitate poſitum non poſſe, vt ſibi ſuccurrat ſurripere alteri in extrema neceſſitate etiam poſito, cum melior ſit conditio poſſidẽtis. Clauis regia *lib. 10. cap. 5. tract. 8. nu. 6.* Vnde ſi quis alteri promiſerit etiã cũ iuramento ſe ſoluturum tali die mutuũ, ſi impotens factus ſit, vel ceciderit in extremam neceſſitatem, pro tunc liber erit à reſtitutione, etiamſi ſe obligauerit ad ſoluendam pœnam, ſi tali die non reſtitueret, cum impotentia, & extrema neceſſitas nõ modo excuſent à reſtitutione mutui, vel alterius rei, ſed etiam ab incurrenda pœna. Secundò ſi res adhuc extat tranſacta neceſſitate, debitor obligatur ad reſtitutionem ipſius rei; ſi verò fuit conſumpta, non obligatur. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 3.* Bonacina cum alijs ab eo citatis *diſput. 1. de reſtitut. quaſt. vlt. pun. 1. num. 34* Ratio, quia per extremam neceſſitatem ſolùm tribuitur ius, vt ſe ex periculo eruat. Vnde ſi quid poſt ipſam ſuperſit, eſt reſtituendum. Tertiò res ante neceſſitatem accepta, & in neceſſitate conſumpta tranſacta neceſſitate, eſt reſtituenda. Ita Silueſter *verbo reſtitutio*, Leſſius, Bonac. *locis cit.* Ratio, quia obligatio reſtituendi ante neceſſitatem contractã per ſuperuenientem neceſſitatem nõ fuit extincta. Quartò, qui in neceſſitate extrema aliquid accepit per contractum transferentemd ominium, obligatur tranſacta neceſſitate acceptum reſtituere. Ita Clauis regia, Leſſius, Bonacina *locis citatis.* Ratio eſt, quia nõ dicitur eſſe in extrema neceſſitate, in qua illi fuerit neceſſaria res aliena, cum haberet propriã acquiſitã per contractũ transferentem dominiũ. Vnde ſi quis in neceſſitate, vel etiam ante aliquid acquiſierit, v. g. contractu emptionis, vel mutui tranſacta neceſſitate obligatur ad reſtitutionem eiuſdem rei, etiamſi tempore extremę neceſſitatis ſit conſumpta, poſtquam ipſe venerit ad meliorem fortunam, quia in hoc caſu non dicitur conſumere rem alienam, ſed propriam, & per conſequens tranſacta neceſſitate obligatur ad reſtitutionem.

R. 2. Non modo extremam, ſed etiam grauem neceſſitatem excuſare à reſtitutione, quandiù ipſa perſeuerat, dummodo creditor non exiſtat in pari neceſſitate. Ita Bonacina de *reſtitut. diſput. 1. quaſt. vlt. pun. 1. num. 32.* Ratio à fortiori, quia ſicut in graui neceſſitate licet ſurripere, multò magis debitor poteſt differre reſtitutionem.

Sciendum 2. quod licet in extrema neceſſitate melius ſit conditio poſſidentis; vnde in pari neceſſitate debitor, qui eſt in extrema neceſſitate, poteſt differre ſolutionem, tamen in graui neceſſitate, cum melior ſit conditio creditoris, debitor in pari neceſſitate tenetur reſtituere acceptum. Secundò non ſolùm ſe ipſum, ſed etiam parentes poteſt præferre in graui neceſſitate creditori. Ita D. Thomas 2. 2 *quaſt* 101. *art.* 3 Salon. 2. 2. *quaſt.* 62. *art.* 5. Valentia *tom. 3. diſp* 5 *quaſt.* 871. Leſſius *lib. 2. cap. 16 dub* 1 *num* 34 Bannes 2. 2 *quaſt.* 62 *art.* 8. Ratio, quia cenſentur vna perſona, tum etiã quia debitũ ex virtute pietatis eſt iure naturali coniunctius, quam illud, quod oritur ex iuſtitia commutatiua. Tertiò debitorem non teneri cum periculo vitæ reſtituere rem ablatam Domino, qui non eſt in tali periculo. Ratio, quia extrema neceſſitas facit ſuum omne, quod eſt in ſua poteſtate: quod ſi ambo ſunt in extrema neceſſitate, tunc debitor non tenetur reſtituere, ſed potius debet ſibi ſubuenire, quam creditori, etiamſi per iniuriam rem abſtulerit. Ratio, quia extrema neceſſitas facit omnia communia, & primi capientis ſi à nullo poſſideantur, vel eius, qui actu rem poſſidet: ac proinde non tenetur ſe expoliare cum periculo vitæ, vt alteri ſuccurrat.

An ceſſio bonorum potuit eſſe cauſa differendæ reſtitutionis?

BRACETA III.

R. Qvod ceſſio bonorum eſt ſufficiens cauſa differendi reſtitutionem in vtroque foro; ita vt non poſſit quis ſuis bonis cedens ob debita iam facta in carcerem trudi, nec moleſtari: Ratio, quia, qui ceſſit bonis, cenſetur impotens ad ſatisfaciendum. Secundò, qui ſuis bonis ceſſit, obligatur ad reſtitutionem, poſtquam peruenit ad pinguiorem fortunam. Ita Leſſius *lib. 2 cap. 16. dub. 3.* Bonacina *diſp. 1. quaſt. vlt. pun.* 1. Ratio; quia obligatio reſtituendi debita non extinguitur per ceſſionẽ bonorum, ſed ſolùm fuit conſopita. Ita Scotus, Silueſter, Paludanus apud Petrum Nauarrum *lib. 4. cap. 4.* & alij.

Sciendum, quod qui ceſſit ſuis bonis quibuſdam actibus ignominioſis, obligatur ad reſtitutionem, etiamſi peruenerit ad pinguiorem fortunam cum tali diſtinctione, quod ſi ſolùm acquiſiuit neceſſaria, ad victum, nõ obligatur amplius ad reſtitutionem: ſi autẽ acquiſiuit plus, quam neceſſarium ſit ad vitam, & ad decentiam ſtatus, tunc obligatur ad reſtitutionem. Ita Nauarrus *cap. 17. num. 80.* & alij.

An qui ſatisfacit creditori ſui creditoris, obligetur amplius ad nouam reſtitutionem?

BRACTEA IV.

R. Qvi creditori ſui creditoris ſatisfacit, non obligatur amplius ad nouam reſtitutionem in foro conſcientię. Ita Silueſter *verbo ſolutio num. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 16 dub 5. num.* 1. Sairus *lib* 10. *tract. 2. cap. 7. num* 6. Rebellus *lib. 2 quaſt. 11. ſect 3 num.* 10. Bonacina *diſp. 1. quaſt 4. pun* 3. cum alijs ab eo citatis. Ratio, quia ſoluendo creditori ſui creditoris, cenſetur vtiliter geſſiſſe rem ſui creditoris, & nullam iniuriam illi feciſſe.

Sciendum, quod ſi quis ſciret aliquid ab alio iniuſtè poſſideri, poteſt illud accipere, vt reſtituat illud Domino, quoties rationabiliter præſumit talem eſſe Domini voluntatem, quia ſicut hoc licitum eſt vero Domino, ita etiam licitum eſt alij Domino cõſentiente, cum hoc nihil aliud ſit, quam concurrere ad actionem, quam Dominus præſtare poteſt per ſe, & per alium. Ita Molina *diſp. 741.* & alij.

An rei alienæ amiſſio, vel conſumptio excuſet à reſtitutione.

BRACTEA V.

R. Si res debita in ſpecie ſua, & numero erat aliena, quocunque modo debeatur, ſi perit abſque culpa debitoris, vel eodem modo peritura erat neceſſariò apud Dominum, amiſſio illius, vel conſumptio excuſat à reſtitutione, ſaltem in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia vel illa debetur ex contractu non transferente dominium, & tunc ſi perit abſque culpa, ad nihil tenetur, vel debetur ex delicto, & tunc ſi neceſſariò erat peritura apud Dominum, non tenetur ad reſtitutionem. Secundò ſi res debetur ex contractu transferente dominium, tunc ſi res pereat, perit ipſi debitori, & per conſequens obligatur ad nouam reſtitutionem. Ratio eſt, quia res ſi perit, perit Domino. Tertiò, qui rem, debitam dedit Parocho, vel Confeſſario, vt reſtituat, hic autem retineat pro ſe, ſi res debetur ex delicto debitorem obligari ad nouam reſtitutionem, ſicut etiam ſi res debita non erat certa in indiuiduo, ſed in ſpecie. Ita Nauarr. *cap.17.num.63.* Toletus *lib.5.cap.24.* Molina *diſp.754.* Petrus Nauarr. *dub 4.cap.5 num. 19.* & alij, licet plures apud Leſſium *lib. 2. cap.16.dub.6.* & Petrum Nauarrum *loco cit.* exiſtiment, quod quando quis ad euitandam infamiam, &c. rem dedit Parocho, vel Confeſſario reſtituendam, non obligetur ad nouam reſtitutionem, ſi res pereat. Quæ ſententia videtur probabilis.

An remiſſio creditoris excuſet à reſtitutione?

BRACTEA VI.

R. Remissionem crediti à creditore factam excuſare à reſtitutione. Ita Nauarrus *cap.17. num.45.* Em. Sà *verbo reſtitutio num.27.* Rebell. *lib.2.cap.16.quæſt.3.* Clauis regia *lib.10.tract.5.cap.8.num.2.* Ratio, quia remiſſio cenſetur quædam debiti donatio.

Sciendum, quod vt remiſſio creditoris excuſet à reſtitutione: primò requiritur ipſam remiſſionem eſſe liberam, & non metu extortam, vel etiam fraude. Vnde debitor non eſſet liberatus ab obligatione reſtituendi, ſi expreſsè, vel tacitè minaretur creditori, niſi integrè, vel ex parte remittat. Similiter inualidã eſſe remiſſionem debiti à creditore factam, cui debebantur centum libræ, & debitori remittit viginti, eo quod creditor timeat ſe amiſſurum omne debitũ culpa, aut fraude debitoris, & nõ cenſetur liberã remiſſio. Secus autem ſi iuſta cauſa liberè remittat. Rebellus *lib.2.cap.16.ſect.3.* Azorius *3.par.lib.8.cap. 39.* & alij. Secundò requiritur, quod ipſe poſſit donare: vnde filiusfamilias, cum non habeat poteſtatẽ donandi, nec etiam poteſt remittere credita paterna, ſicut nec vxor credita viri.

Sciendum, quod debitor, qui cum creditore compoſuit contento minori ſumma, cum peruenerit ad meliorem fortunam, non obligatur ad reſtitutionem reliquæ partis debiti, dummodo in compoſitione nõ fuerit dolus, metus, fraus, &c. Ita Silueſter *verbo reſtitutio 7.num.2.* Nauarr. *cap.17.num.73.* Em. Sà *verbo debitum num.27.* & alij. Secus ſi fuerint, quia tunc obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum 3. non modo remiſſionem actualem debiti excuſare à reſtitutione, ſed etiam quoties illi conſtat de voluntate actuali, aut virtuali, aut præſumpta creditoris remittentia reſtitutionem, vel cõcedentis dilationem, aut quando conſtat Domino diſplicere reſtitutionem. Ita Reginaldus *lib.10.num. 251.* Rebellus *lib 2.quæſt.17.num.5.* Leſſius *lib.2.cap.16 dub.8.num.59.* & alij. Ratio, quia tunc creditor non cenſetur retinere alienum inuito Domino.

An compenſatio excuſet à reſtitutione?

BRACTEA VII.

R. Qvod compenſatio facta à creditore, eſt cauſa ſufficiens excuſans à reſtitutione. Ita Clauis regia *loco cit.cap.7.* Leſſius, & Rebellus *locis citatis*, & alij. Ratio, quia nihil contra iuſtitiam cenſetur debitor amplius retinere compenſatione facta; tum etiam quia per compenſationem tollitur inæqualitas.

Sciendum licitam eſſe compenſationem concurrentibus infraſcriptis conditionibus: prima, vt debitum creditoris ſit liquidum; quod ſi ſolum erit dubioſum, non licebit facere compenſationem, cum in rebus dubijs melior ſit conditio poſſidentis: ſecunda, vt debitum ſit ex iuſtitia, non autem ex alia virtute, quia compenſatio ſolùm permittitur ad recuperandum, quod ſibi ex iuſtitia debetur. Nauarrus *cap.17.num.112.* Leſſius *loco cit.* Vnde qui aliquid accipiunt ob promiſſionem gratuitam ſibi factam obligantur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia hæc non debentur obligatione iuſtitiæ, qua ſolùm poteſt fieri compenſatio: tertia, vt in compenſatione non plus accipiatur, quam debeatur: quarta, quod alia ratione non poſſit habere ſuum; quinta, quod compenſatio fiat in re ipſius debitoris: ſexta, quod non adſit ſcandalum, aut aliquod periculum vitæ, concurrentibus iſtis conditionibus licitè poteſt fieri compenſatio.

R. 2. Debita iniuriæ non poſſe compenſari obſequijs gratis collatis. Ita Clauis regia *lib.10.tract.5.cap. 7 num.12.* Sanchez in *ſumm.lib 1.cap.13 num. 12.* Ratio, quia quæ conferuntur titulo donationis, non cenſentur in compenſationem facta debita ex iuſtitia; ſecus autem ſi eſſent facta, titulo compenſationis.

An qui ſuæ ſeruitutis non recipit pretium iuſtum, poſſit vti compenſatione?

BRACTEA VIII.

R. Qvando inter Dominum, & ſeruum paruo pretio conuentum eſt intentione, vt Dominus ſeruitio diligenter præſtito aliquo modo ſuppleret, poſſe compenſationem facere, ſi Dominus non ſupplet Rebellus *lib. 14. quæſt.15.num.10.* Leſſius *lib 2.cap.22 dub.10.num.65.* & plures alij. Ratio, quia Dominus tenetur ex iuſtitia ſupplere, cum ſtipendium debeat eſſe adæquatum ſeruituti, & intentionem ſerui Dominus poteſt facillimè cognoſcere: primò, quia iuſta cauſa, vel alio motiuo preſſus exiguo pretio conuenit, vel etiam quod Dominus noluerit maiori pretio conuenire, & famuli opera, qua Dominus eget, iudicio prudẽtis pluris cenſentur valere. Secundò, cum habuerit intentionem, quod Dominus ſuppleret talis conuentio exiguo pretio facta non fuit libera ſimpliciter, & conſequenter non cẽſetur donare exceſſum pretij ſibi debiti ratione ſeruitutis. Auctores citati, & ſi non ſupplet, poteſt vti compenſatione. Tertiò, quod quando ſeruus præſtat obſequia, ad quæ ex prima conuentionẽ nõ tenetur,

poteſt

poteſt ſibi occultè compenſare.Ita Vaſquez in *opuſc. de reſtitutione cap.5.dub.10.* & colligitur ex Leſſio *loco cit. &c.* Ratio, quia qui aliquid præſtat pretio æſtimabile in gratiam Domini,ex quo maximũ capit emolumentum, quod Domino non condonat, cum non intendat ea gratis, & liberaliter facere, præſumitur gratis non præſtare,quoties inuitus in pluribus detinetur miniſterijs, quam conuentum ſit, & poſtulat ſtipendium aſſignatum.

Sciendum, quod quando quis vtitur compenſatione non plus debet capere,quam ſibi debeatur ratione ſtipendij iuſti. Ad iudicandum de iuſtitia pretij ſtandum erit iudicio prudentis, habita ratione obſequiorum,conſuetudinis, temporis, perſonæ,& aliarum circunſtantiarum.Secundò compẽſationem non debere attingere iuſtitiam pretij rigoroſi, ſed infimi,cum hoc cenſeatur ſtipendium iuſtum,& hæc dicta habent ſolũm locum in foro conſcientiæ.

Vtrum iactura bonorum ſuperioris ordinis excuſet à reſtitutione bonorum inferioris Ordinis?

BRACTEA IX.

Sciendum bona, eſſe in triplici differentia, infima, media, & ſuprema. Infimæ ſunt pecuniæ,& res pecunia æſtimabiles,vt ſunt frumentum,vinum,&c.Media ſunt honor, & fama ſuprema ſunt vita,libertas,ſanitas,virginitas,&c.

R.Res inferiores ordinis non eſſe reſtituendas cũ iactura notabili rerum ſuperioris ordinis.Ita Leſſius *cap.16.num.21.* Azorius *3.part.lib.4.cap.29.* Em.Sa *verbo reſtitutio,num.25.* Molina *diſput.724.*& alij.Ratio,quia in iſto caſu dominus nõ eſſet rationabiliter inuitus.

Sciendum 2. quod licet notabilis iactura, v.g. famæ,&c. excuſet à reſtitutione, tamen quando debitor poteſt reſtituere abſque notabili famæ iactura, tunc obligatur ad reſtitutionem. Vnde iam infamatus ob aliqua furta obligatur ad reſtitutionem damni alteri illati etiam cum aliquo præiudicio ſuæ famę, quia cum iam ſit infamatus non cenſetur ſubire notabilem iacturam ſuę famæ.Secundò mulier, quæ ob adulterium concepit filium non tenetur manifeſtare adulterium, ſi non poteſt illud manifeſtare abſque periculo famæ, honoris, vel vitæ,etiam ſi nõ manifeſtando damna ſequãtur filijs legitimis,ſecus autem ſi iam ob tale peccatum fuerit infamata. Nauarrus *cap.17.num.87.* licet Sotus *lib.4.quæſt.6. artic.3.* Toletus *lib.5.cap.27.* Valentia *tom.3.diſput.5.quæſt.667.* & alij aſſerant, quod & ſi regulariter nemo teneatur reſtituere cum periculo vitæ, aut famæ, tamen per accidens tenetur, vt quando res reſtituenda eſt ingens,matrimonium,& infamia mediocris,vel minima. Et ita auctores citati.

An cum iactura ſtatus, quis teneatur reſtituere?

BRACTEA X.

Sciendum Statum, aut eſſe iuſtè acquiſitũ, aut iniuſtè: cenſetur iuſtè acquiſitus quando eſt per hæreditatem, legatum,&c. iniuſtè per contractum vſurarium,aut per vſuras acquiſitum,aut ex delicto.Quo poſito.

R.Debitorem non obligari reſtituere cum præiudicio ſtatus iuſtè acquiſiti, etiamſi debitum ſit ex delicto. Ita plures citati apud Bonacinam *diſp.1. de reſtit quæſt.vlt.pun.1.num.24.* Ratio eſt, quia dominus eſſet irrationabiliter inuitus, ſi vellet ſibi reſtitui,cũ iactura ſtatus iuſtè acquiſiti.

Sciendum 2. quod, qui non poteſt in totum reſtituere abſque præiudicio ſtatus,obligatur diminuere victum, ſeruitutem, veſtitum, dotem filiarum, vt per partes, & paulatim reſtituat, cum non poſſit ſimul reſtituere abſque iactura ſtatus. Secundò etiã non teneri Comitem,vel Nobilem vendere comitatum, vel domum iuſtè acquiſitam, nec obligari ad ſeruiendum, loborandum, aut totaliter priuare ſe obſequio famulorum, vel equorum,nec etiam teneri vendere inſtrumenta, veſtes,&c. ſed poſſe ſibi retinere neceſſaria, & differre reſtitutionem, donec abſque iactura ſui ſtatus poſſit reſtituere. Similiter ſpurius,qui putans ſe eſſe legitimum,poſſeſſit aliquã hęreditatem poſtquam ſciuit ſe eſſe illegitimum non obligatur cum mutatione ſtatus reſtituere, ſed ſolũ tenetur attenuare victum, & veſtitum, vt paulatim reſtituat illis, quibus damnum contulit,quia ob bonam fidem cenſentur bona iuſtè acquiſita. Clauis regia *lib.10.tract 5. nu.31.* ſecus autem ſi aliter in iudicio probari poſſit.

R.Cum præiudicio ſtatus iniuſtè acquiſiti debitorem obligari reſtituere. Ita Petrus Nauarrus *lib.4. cap.4.* Clauis regia *loco citato,* & alij apud Bonacinam *loco cit.* Ratio,quia non eſt ſtatum amittere,ſed alienum dimittere.

Sciendum 3.ſtatum iniuſtè acquiſitum illum eſſe, qui per vſuram, vel ex delicto furti fuit acquiſitus, & reſtituendo talis non dicitur habere iacturam ſtatus, ſed potius alienum reſtituere. Verum ſi talis poſſeſſor ſit probus, & bonæ famæ, & talis acquiſitio ſit occulta, & nõ poſſit reſtituere niſi ſe infamet, tunc poteſt differre reſtitutionem, & paulatim reſtituere, cum bona inferioris ordinis non reſtituantur cum præiudicio famæ, &c. poteſt etiam ſibi retinere, quæ neceſſaria ſunt ad tenuem victum, & veſtitum, & cætera neceſſaria hominibus ſuæ conditionis.

Sciendum, quod ſi filius bona fide ſucceſſit in bonis Patris,factus malæ fidei non obligatur cum præiudicio ſui ſtatus reſtituere, obligatur tamen eo meliori modo quo poteſt. Ratio, quia eſt hæres bonæ fidei. Quòd ſi mala fide in bonis ſucceſſit tũc etiam cum præiudicio ſui ſtatus obligatur ad reſtitutionem, & ſibi debet imputare detrimentum, quod patitur, quia mala fide bona hæreditaria accepit.

An ingreſſus in Religionem, excuſet à reſtitutione?

BRACTEA XI.

R. Debitorem non poſſe ingredi Religionẽ, niſi prius reſtituat, quod in ſpecie debet. Ita Rebellus *lib.2.quæſt 17.num.27.* Reginald. *lib.20.num.2.* Molina *tom.3.diſput.758.* & alij. Ratio, quia ingredi in Religionem eſt ſolum de conſilio, ſoluere debita de iuſtitia,& obligatio iuſtitiæ ſemper præfertur conſilio. Secundò ſi de facto, qui habet debita ingrediatur Religionem, & profiteatur valet profeſſio. Ita Leſſius *lib.2.cap.16 dub 8.nu.70.* & eſt communis cum D.Thoma *2.2. quæſt.vlt. artic.6.* Ratio, quia ſi eſſet inualida, vel eſſet iure naturæ,& hoc non, cum ſit perſona libera, & ſui iuris, non iure poſitiuo,cũ Clemens VIII.ſit moderatus decretũ

Pij V. quo grauati ære alieno ſuprà vires ſuarum facultatem reddebantur inhabiles ad profeſſionem, quoad inualiditatem profeſſionis, quamuis illum reliquerit in ſuo robore, quoad pœnas recipientium. Tertiò Monaſterium, quod ſcienter grauatum ære alieno admiſit ad profeſſionem non modo peccare mortaliter, ſed etiam obligari ad reſtitutionem. Ratio primæ partis eſt, quia cooperatur peccato, cũ iure naturæ, & ciuili ingrediens obligetur ad reſtitutionem. Ratio ſecundæ partis eſt, quia accipiendo ad profeſſionem cenſetur cauſa damni, & qui cauſã damni, dat damnum dediſſe videtur. Quartò debitor tenetur aliquantulum differre ingreſſum Religionis, quando credit breui, conſuetis laboribus ſe ſatisfacturum creditoribus, ſecus autem ſi longo tẽpore. Ita Lopes 1.*part.cap.*129. & alij. Ratio, quia alioquin eius ingreſſus in Religionem, eſſet nimis iniurioſus creditoribus, cum breui, & conſuetis laboribus, poſſit illis ſatisfacere. Quintò debitor, qui Religionem ingreſſus eſt, debet de licentia ſui ſuperioris curare, vt ſuo labore, & arte acquirat bona, vt ſuis creditoribus ſatisfaciat. Ita Nauarrus *cap.*17. Molina *tom.*3.*diſp.*778. Medina *cap. de reſtit. quæſt.*3. & alij. Ratio, quia iure naturæ debitor obligatur ſuis creditoribus ſatisfacere, & profeſſio non tollit obligationem, quam quia iure naturæ habet.

Sciendum, quod qui vi, vel fraude nouitium abduxit à Religione, obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti Monaſterio, & tollere fraudem. Ita Molina *tom* 4 *diſput.*51. Azorius 3.*part lib.*5.*cap* 2. & alij. Ratio, quia magnam iniuriam fecit Monaſterio, ſeu Religioni, & contrà iuſtitiam peccauit.

Sciendum 2. extrahentem aliquem à Religione obligari ad reſtitutionem damni, tanti, quanti valebat ſpes illa commodi, quæ ex ipſius donatione, virtute, & induſtria expectabatur, eo modo quo obligatur, qui vi, vel fraude, aut minis impediuit ne alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio donaretur aliquod legatum, at ſi antequam à Religione egrediatur aperiat illi fraudem, non amplius obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti per egreſſum, quia tunc non cenſentur amplius cauſa damni Monaſterij. Leſſius *lib.*2.*cap.*8 *dub.*3.*num.*25. & alij. Quod etiam extenditur, ſi nouitius aliquo modo fraudem auertit, quia tunc eius egreſſio cenſetur potius voluntaria, quam inuoluntaria. Secundò, qui nouitium ſine vi, & fraude extraxit, non tenetur ex iuſtitia aliquid Religioni reſtituere, etiamſi malo animo eum abſtraxerit. Ita Sotus *lib.*4. *de iuſtit. quæſt.*6. *art.*3. Petrus Nauar. *lib.* 1. *de reſtit. cap.* 2. *n* 15. Ratio, quia Religioni non cenſetur facta iniuria, cum nondum Religio in ipſũ habuerit ius. Tertiò, qui profeſſum vi, vel fraude è Monaſterio, ſeu è Religione abduxit, compenſare debet damnum, quod Monaſterium paſſum eſt, & fraudem tollere. Ita plures citati apud Leſſium *lib.* 2.*cap* 8.*num* 16. & alij ab eo citati. Ratio, quia abducendo cenſetur cauſa damni, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti.

Sciendum 3. quod duo requiruntur, vt abducens fraude aliquem à Religione obligetur ad reſtitutionem. Primò, quod re vera damnum ſit illatum, quia ſi erat inutilis Religioni, nulla facienda erit reſtitutio, cum nullum ſit damnum illatum. Secundò teneri ſolum ad reſtitutionem pro eo tempore, quo extra Religionem manſit fraude deceptus, non tenetur tamen extrahens ingredi Religionem. Ratio, quia vota Religionis debent eſſe ſpontanea, ex æquitate teneri alium inducere, ſi commodè poteſt, ſi ſecus non. Qui verò abſque vi, & fraude profeſſũ è Religione abduxit, ſed ſolum precibus, & ſuaſionibus non tenetur compenſare damnum illatum. Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*8.*dub.*2. Clauis regia *lib.* 13. *cap.* 1. & alij. Ratio, quia abducens non magis obligatur, quam ipſe Religioſus, qui ex iuſtitia non tenetur procurare emolumenta Religionis, ſed ſolum virtute obedientiæ, & non obligatur ad reſtitutionem ea non faciendo.

An ignorantia, & compoſitio excuſent à reſtitutione?

BRACTEA XII.

R. Ignorantiam facti excuſare à reſtitutione dũmodo ſit probabilis, & bona fide. Ratio, quia obligatio reſtituendi oritur ratione rei acceptæ, vel ex iniuſta acceptione, ſed qui poſſidet rem cum ignorantia probabili facti, non cenſetur retinere alienum, ergò, &c. Secundò ignorantiam probabilem iuris excuſare, etiam à reſtitutione, qua ſcilicet quis neſciat obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia talis cenſetur bona fide poſſidere, & poſſeſſor bonæ fidei non obligatur ad reſtitutionem. Verum ſi poſſidens dubitet, an res propria ſit, vel aliena, poſt adhibitam diligentiam, vt id ſciat, ſi non reperiat eſſe alienam, poteſt rem retinere, & excuſatur à reſtitutione, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

R. Compoſitionem obtentam à Summo Pontifice eſſe cauſam ſufficientem excuſantem à reſtitutione, ſiue obligatio reſtituendi orta ſit ex iuſta damnificatione, ſiuè ex re accepta, ſiuè ex contractu. Ratio eſt, quia Summus Pontifex videtur in huiuſmodi caſu iuſtam habere cauſam diſponendi de rebus alienis, quando verò conſtat cui reſtitutio facienda eſt, non valet compoſitio obtenta à Summo Pontifice, ſine graui cauſa. Ratio eſt, quia Summus Pontifex non eſt Dominus bonorum ſuorum ſubditorum, conſequenter non poteſt illa pro ſuo libito diſponere, & compoſitionem facere abſque graui cauſa. Leſſius *lib.*2 *cap.*16.*dub.*17.*num.*83. Clauis regia *lib.*10. *tract.*5. *cap.*8. *num.*22. Bannes 2. 2. *quæſt.* 62. *artic.*5.*dub.*8.

MALLEATIO XXVII.

De Homicidio.

An ſit licitum occidere?

BRACTEA I.

R. Licitum eſſe occidere malefactores. Ita S. Thomas 2.2 *quæſt.*64.*art.*2. Molina *tom.* 4.*diſp.*45.*tract.*13. Ratio, quia homicidium malefactorum eſt actio ordinata ad bonum publicum. Secundò non licere auctoritate priuata malefactorem occidere. Ita Leſſius *cap.*9.*dub.*3. & alij. Ratio, quia cum occiſio malefactorum ſit ad bonum publicum ordinata, debet fieri à miniſtris boni publici.

Sciendum, quod & ſi non liceat priuata auctoritate aliquem occidere, tamen licet priuato occidere bannitos, ſiue proſcriptos, contra quos à Principe, vel à Senatu, aut Iudice lata eſt ſententia mortis,

quia

quia tunc non cenſetur occidi auctoritate priuata, ſed publica. Siluester *verbo homicidium*, Azot. *3. par. lib. 2. cap. 2. quæſt. 2.* Toletus *lib. 1. cap. 73.* & alij, ſi proſcriptus erit extrà territorium condemnantis, non poteſt occidi, quia tunc fieret iniuria Principi concedenti ſecuritatem. Em. Sà *verbo homicidium, n. 10.* Siluester *verbo homicidium quæſit. 1.* & alij; ſecus verò ſi Princeps illius loci concedat facultatem, vt occidatur, quia tunc illi nulla fit iniuria. Reginaldus *tom. 2. lib. 21. cap. 2. num. 18.* Siluest. *loco cit. quæſit. 3.* Secundò ſolùm ſpectare ad miniſtros boni publici occidere maleſactores. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt. 64. art. 2.* Attagonius *ibidem*, Valentia *tom. 4. de iuſtit. diſp. 5.* & cum eo plures citati. Ratio, quia ſolum ipſi ſunt ordinati ad conſeruationem boni publici, & per conſequens, vt pars perniciosa Reipublicæ ſicut ſæpe à corpore abſcindatur, & expedit bono publico, vt homines à criminibus retrotrahantur.

Quid requiratur, vt homicidium ſit iuſtum?

BRACTEA II.

RES conditiones requiri: prima vt fiat ex iuſta, & graui cauſa; ſecunda, vt fiat auctoritate publica, propria, vel delegata: tertia, vt fiat ſecundum ordinem iuris, vt in tribus poſitus eſt. Primò, vt ob peccatum occultum, & ſecretum nullus puniatur morte à Iudice, nec à Principe, ſed neceſſe eſt, vt crimen ſit manifeſtum, vel ſufficienter probatum, vel propria confeſſione debito modo facta, cognitum. Secundò vt adſit accuſatio, niſi fortè reus repetiretur in flagranti crimine, eſſet enim ibi virtualis accuſatio, & teſtimonium. Tertiò, vt detur ei, qui occidendus eſt ſufficiens tempus ad confeſſionem, & ſpiritualem refectionem, niſi fortè ex dilatione periculum eſſet, ne impediretur iuſtitia; tunc enim ſatis eſſet, ſi daretur tempus ſe conſitendi.

Sciendum, vt neque homicidium ſit contra charitatem, duas conditiones exigi. Prima, vt animus Iudicis ſit rectus, vt videlicet agat zelo Iuſtitiæ, non odio, inuidia, aut priuato affectu. Secunda, vt Iudex, qui fert ſententiam, vel miniſter, qui illam exequitur non ſit perſona Eccleſiaſtica, quæ prohibitio tantum orta eſt iure humano, Eccleſiaſtico ob decentiam ſtatus. *Cap. neminem: Cap. Epiſcopum diſt. 15. cap. ſenten.* ne Clericus, vel Monachus: et quidem ſi ſit in ſacris, citrà diſpenſationem, aut priuilegium peccat mortaliter, ex communi ſententia, vt teſtatur Salon. *quæſt. 64. art. 4.* ſi in minoribus peccat tantum venialiter, quia nunc inferunt grauis iniuria ordini. Ita Filliucius *tract. 29. cap. 2. num. 9.* & alij.

An Clerici poſſint occidere maleſactores?

BRACTEA III.

R. CLERICIS eſſe prohibitum auctoritate publica, vel priuata aliquem occidere. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt. 64. art. 4.* Caiet. *ibidem* Molina *diſp. 8.* & alii. Ratio, quia illis prohibitum eſt in cauſa ſanguinis ſe immiſcere, ſeu mortis, ſeu mutilationis, vt patet ex *cap. ſententiam*, &c. ob perfectionem ſtatus.

Sciendum nomine Clerici intelligi, non ſolum conſtitutos in ſacris ordinibus, verū etiam in quatuor minoribus poſitos, vt etiam initiatos prima tonſura, cum tanquam Clerici gaudeant priuilegio Canonis, *ſi quis ſuadente Diabolo de ſententia excommun.*

Secundò, iure naturæ non eſſe prohibitum Clericis iudicium ferre in cauſa ſanguinis, ſed ſolum iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico, in quo Summus Pontifex poteſt diſpenſare, & violantes talem prohibitionem ſi ſint in ſacris peccare mortaliter, ſi in minoribus, venialiter, & vtrumque incurrere irregularitatem. Tertiò Clericos habentes iuriſdictionem temporalem, poſſe abſque priuilegio conſtituere Iudices ſeculares in cauſa ſanguinis. Ita S. Thomas *loco cit.* Molina *loco cit num. 2.* Ratio, quia illis non eſt prohibitum, tum etiam quia nulla videtur indecentia, vnde non ſolum poſſunt conſtituere Iudices, qui cauſas ſanguinis agant, ſed p[illegible] ſtatuere eis præcipere, vt iuſtitiam faciant nō ſolum in generali, verum etiam in ſpeciali. Ita S. Thomas *loco cit.*

An Iudex poſſit aliquem condemnare ad mortem ſine ſacramento confeſſionis, & Euchariſtia?

BRACTEA IIII.

R. IUDICEM teneri condemnato ad mortem dare tempus confitendi. Ita Siluester *verbo Iudex* Nauat. *cap. 25. num. 23.* & alii. Ratio, quia magis æſtimanda eſt ſalus æterna, quam quod reus puniatur, & Sacramentum Pœnitentiæ exiſtentibus in peccato mortali eſt neceſſarium.

Sciendum, quod ſi Iudex cognoſceret, reum petere tempus confeſſionis, non deuotionis gratia, ſed ſolum ſpe dilationis mortis, poſtquam Iudex conceſſit ad confitendum determinatum tempus non peccat, ſi amplius illud non concedat, dummodo tamen non neget tempus eliciendi actus contritionis. Secundò tenetur etiam Iudex condemnato ad mortem concedere congruum tempus ad percipiendum ſacramentum Euchariſtię, niſi excuſetur aliqua iuſta cauſa. Ita Nauat. *loco cit.* Ratio, quia debet illi concedere omnia, quæ ad ſalutem animæ ſunt neceſſaria. Tempus autem, quod à Iudice concedendum erit à media nocte poſt notificationem ſententiæ, ita vt habeat tempus confitendi, & percipiendi ſacramentum Euchariſtiæ, tres, aut quatuor horas antequam ducatur ad mortem. An verò Euchariſtia danda ſit reo non ieiuno? Reſpondeo, quod ſi in fraudem ſumpſit cibum, vt poſſit differre mortem, & adſit periculum fugæ, vel ereptionis non peccat Iudex communionem, negando, quod ſi non adſit periculum fugæ, vel ereptionis, ſed potius ſpes emendationis, & non adſit ſcandalum in dilatione iuſtitiæ, Iudex tenetur concedere tempus ad pœnitentiam, & communionem.

An Princeps poſſit condemnare, quem nouit certò deliquiſſe, ſed ſecretò?

BRACTEA V.

R. REGVLARITER non poſſe: ratio, quia id videtur iuriſgentium, ſub cuius onere Reſpublica cenſetur tranſtuliſſe in illum ſuam poteſtatem. Tum, quia ſi ſoli Principi delictum notum eſt, cenſetur occultum, & humano iudicio non punibile, cum negari poſſit in ſenſu aliquo, & conſequenter iniuria fieret ei ſi de tali crimine inauditus puniretur. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt. 67.* Caiet. *ibi*, Sotus *lib. 3. de iuſtitia, quæſt. 1.* Nauarrus *cap. 25. num. 9.* & alij. Secundò ſi Reſpublica daret Principi talem aucto-

auctoritatem, vt ex priuata ſcientia condemnare, & abſoluere poſſit, tunc licitè id ageret, quia ſic cederet iuri ſuo, quod habet in famam circà occulta. Tertiò, ſi malum auertendum ſit à Republica, non autem puniendum crimen factum, poteſt Princeps ex priuata ſcientia, quando aliud remedium non ſuppetat imperare mortem, quia tunc eſſet tantum defendere rem ſibi commiſſam. Quartò non poſſe eximere à pęna dignũ morte ex actis, & probatis. Quia contra practicas probationes Iudiciorum agere eſſe videtur contra iuſgentium, in aliquo tamen caſu, vel ex mera gratia circa magnatem, &c. poteſt abſoluere publicè condemnatum.

An homini priuato liceat occidere tyrannum?

BRACTEA VI.

SCIENDVM dupliciter poſſe aliquem dici tyrannum: Primò ratione tituli, ſeu inuaſione, & vſurpatione Regni, quando abſque vllo iure Regnum, aut Principatum armis inuadit, & occupat: Secundò ratione adminiſtrationis, vt quando iniuſtè onerat ſubditos exactionibus, & eos ſpoliat ſuis poſſeſſionibus iniuſtè, vel alio modo vexat, vt ipſi videtur. Quo poſito.

R. Tyrannus primo modo poteſt ab homine priuato interfici. Ita D. Thom. 2. *ſententiar.* & alij communiter. Ratio. quia vim vi repellere licet, quando hoc eſt neceſſarium Reipublicæ, ſed tyrannus iniuſtè inuaſor vim continuè affert Reipublicæ, ergo, &c. Secundò non licere homini priuato occidere Principẽ, qui eſt tyrannus ſolo regimine, & adminiſtratione. Ita Leſſius *lib.2. cap.9. dub.4. num.*10 Clauis regia *lib.7. cap* 10. *num.*3. Molina *tom.4. tract.*3 *diſp.* 6. *num.*6. Valentia *tom.*3. *diſp.*5. *quæſt.*8. *pun.*3. Ratio, quia, etſi tyrannus non tamen deſinit eſſe Princeps, & Principi ſemper eſt reuerentia pręſtanda; tum quia tyrannus ſolo regimine eſt verus ſuperior, & Paſtor, & non licet inferioribus, & ſubditis occidere ſuum Paſtorem, ſed reuerentia eſt illi præſtanda, etiamſi ſit malus, & prauus, & iniuſtè priuet ſubditum ſuis bonis, vel iniuſtè aliquem priuet vita.

Sciendum, vt quis iuſtę poſſit occidere tyrannum primo modo, has conditiones requiri: Primò neceſſarium eſt conſtet, illum eſſe inuaſorem, quia ſi aliquod probabile ius haberet, non cenſeretur tyrannus, & ipſum interficere non liceret. Secundò, vt non timeãtur maiora mala à ſuis ſucceſſoribus, nempè ab eius filio, vel amicis inferenda. Tertiò, vt non ſit contra expreſſam Reipublicæ voluntatem. Quartò, vt non pateat recurſus ad ſuperiorem, quia ſi patet recurſus ad ſuperiorem, non licet eum occidere, cum alia ratione poſſit huic malo occurri, quam occidendo. Ita Leſſius *lib.2. cap.9. dub.*4. & alij.

An liceat Iudici condemnare eum, qui in iudicio reus probatur, quem re vera ſcit eſſe innocentem?

BRACTEA VII.

SCIENDVM non licere Iudici condemnare reum, ſi id exiſtimet non poſſe ſe facere tuta conſcientia. Ratio, quia ageret contra dictamen rationis. Secundò ſi Iudex aliqua via innocentem liberare poteſt, obligatur præcepto charitatis ſub mortali, ideſt non admittendo accuſationem, vel admonendo teſtes, vel per varia interualla temporis eos examinando, vel etiam cauſam remittendo ad ſuperiorem Iudicem, ne contra conſcientiam agat; S. Thomas 2. 2. *quæſt.*64. *art.*6. vel etiam eius innocentiam coram populo declarare, vel differre executionem ſententiæ. Quo poſito.

R. Iudex qui iis modis non poteſt fauere innocenti in ciuilibus, ipſum iuxta legata, & probata debet condemnare. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.*64. *art.* 2. Azorius *tom.*3. *lib.*2. *cap.*2. *quæſt.*10. & alij. Ratio, quia Iudex in condemnando procedit, vt perſona publica, & ſcientia, qua vtitur debet eſſe publica, & iuridica, quæ conſtat ex teſtibus, & ſcripturis productis. Secundò non modo in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus debet Iudex reum condemnare iuxta legata, & probata, ſi aliter ipſum non poteſt defendere. Ita Auctores citati. Ratio, quia Iudex in condemnando debet iuridicè procedere, quod fit ſecundum allegata, & probata condemnando, licet aliqui dicant, quod quando Iudex ſcit priuata ſcientia, reum eſſe innocentem, debet ſuſpendere ſententiam, cum occidere eum, quem ſcit innocentem ſit intrinſecè malum, & contrà illud Inſontem, & innocentem ne occidas, aut debet officium deponere, & ad id obligari, etiamſi mors inferenda illi eſſet à Populo. Leſſius *lib.2. cap.9. dub.7. num.*82. At S. Thomas docet ad id non obligari, primò ex iuſtitia, quia cum officio ſuo fungatur, nemini facit iniuriam, neque ex charitate, quia cum tanto ſuo Incommodo non tenetur alteri ſubuenire, & non poteſt dici Iudicem interficere innocentem, nec etiam proferendo ſententiam mentiri, cum in iudicio probetur nocens; hæc tamen intelligenda ſentio de Iudice inferiori, non autem de ſupremo, qui non modo poteſt reum iuſta allegata condemnare, verum etiam abſoluere condonando pœnam, & in eo caſu poterit pœnã condonare. Azorius *tom.3. lib.2. cap.2. quæſt.* 16.

An licitum ſit occidere innocentem?

BRACTEA VIII.

RV. OCCIDERE innocentem nullo modo directè licere. Ita Exod. *cap.*23. inſontem, & iuſtum ne occidas: ratio, quia cum nullus habeat dominium in vitam alterius, nemo poteſt eam tollere; tum etiam quia eſſet maxima impietas hoc facere. Secundò, non licet occidere eum, qui nunc eſt innocens, licet in poſterum ſit futurus nocens. Ita Arragonius 2.2. *quæſt.*64 *art.*2. & alij. Ratio, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, innocentem occidere eſt intrinſecè malum, & per conſequens non poteſt occidi. Tertiò, filios innocentes patris nocentis non poſſe à Iudice occidi abſque iuſta, & rationabili cauſa: ratio, quia Princeps, & Reſpublica non eſt Domina vitę ſubditorum, & abſque cauſa non poteſt illam auferre.

Sciendum, quod licet filij innocentes ob delicta patris non poſſint iuſtè occidi, poſſunt tamen in vindictam priuari bonis, & honoribus illius familiæ debitis.

R. 2. licitum eſſe indirectè ad mortem innocentis cooperari. Ita Molina *tom.*4 *tract.3. diſp.*10. Petrus Nauarrus *lib.2. de reſtitut. cap.*3. *num.*120. Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub* 7. & alij ab eo citati, & ideò Rempublicam, ſeu Principem ad liberandam Ciuitatem ab obſidione, vel à periculo mortis poſſe tradere innocentem obſidenti eum ad mortem petenti. Molina *tom. 4. tract. 3. diſp.3. num.*4. Leſſius *lib.2. cap.9. dub.7. num.*39. quia ſicut in eo caſu obligaretur ad bonum publicum offerre

ferre

ferre ſe obſidenti Ciuitatem, ita Reſpublica, aut Princeps, poteſt etiam facere, quod innocens ob bonum publicum obligatur facere. Secundò, quod ſi obſidens aliquam Ciuitatem diceret ſe nolle deſiſtere ab obſidione, niſi illi tradatur talis puella ad ipſam ſtuprandam Rempublicam, ſiue Principem nõ poſſe eam inuitam tradere, cum adſit periculum animæ, licet ob negationem adeſſet periculum euerſionis illius ciuitatis; licet tamen ob bonum Ciuitatis poſſit eam ex vrbe expellere, & illam non tueri, cum Ciuitas non obligetur cum tanto periculo eam defendere, vel retinere. Leſſius *loc. cit.*

2. Sciendum 2. licitum eſſe in bello iuſto bombardis ſubuertere mœnia, vel turrim: qua multi innocentes opprimuntur, quando talis euerſio neceſſaria eſt ad victoriam ita facere minas, eaſque incendere, quamuis ex tali incenſione multi innocentes moriãtur. Leſſius *loco cit.* Similiter, qui fugiendo per anguſtum, ſi conculcat infantem baptizatum, vel claudũ, iter excuſatur à peccato, quia vtitur iure ſuo; ſi verò infans non eſſet baptizatus, non poteſt illac tranſire, ob periculum ſalutis ſpiritualis: ſalus enim corporalis vitæ ſpirituali eſt præferenda.

An Princeps poſſit occidere obſides, ſi qui eos tradidit, non ſtet promiſſis?

BRACTEA IX.

R. NEGATIVE ſi ob aliorum culpam non ſeruentur promiſſa. Ita Molina *diſp.* 122. Bonacina *diſp.* 2. *quæſt. vlt.* §. 3. *de homicidio.* Ratio deſumitur ab Exodo 3. vbi dicitur inſontem, & innocentem ne interficias, & obſes, qui non dedit cauſam frangendi promiſſa cenſetur innocens; & per conſequens non poteſt occidi, licet poſſit alijs pœnis puniri, ſpoliari bonis, detineri, in ſeruitutem redigi, ſi Chriſtiani non ſint, quæ omnia mouere debent hoſtes ad ſtandum promiſſis. Ita Victoria in *relect. de iure belli num.* 44. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 37. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 60. Secundò poſſe Ciuitatem cogere innocentẽ, quẽ obſidens petit, vt occidat, vt ex Ciuitate exeat, & obſidentem accedat, ſi nulla alia ratione deſiſtere ab obſidione. Ita Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 10. *num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 39. Petrus Nauarrus *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 3. *num.* 120. Ratio eſt, quia ille innocens tenetur ex charitate in patriã ex Ciuitate egredi, & obſidentem adire, ſi verò ſcit ipſum ab obſidione deſiſtere, immò ſi nolit, poteſt illum compellere, non tamẽ interficere proprijs manibus, & vt ſic poteſt indirectè cooperari morti.

An ad conſeruandam vitam matris liceat præbere Pharmacum, quo proles credatur moritura?

BRACTEA X.

R. NVNQVAM licere dare matri Pharmacum, quo prouocetur abortus ante, vel etiã poſt animationem fœtus. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 10. Azorius *tom* 3. *cap.* 4. Petrus Nauarrus *lib.* 2. *cap.* 3. & alij. Ratio cur non poſſit dare ante animationem fœtus eſt, quia ſicut non poteſt quis procurare pollutionem ob ſanitatem, ita ob ſanitatem matris non licet etiam illi Pharmacum dare, quo proles futura impediatur. Ratio, cur non poſſit dari poſt animationem eſt, quia non licet directè occidere innocentem.

Sciendum abortum eſſe occiſionem hominis imperfectam, ſi fœtus nondum erat iam animatus, Caietan. *verbo Abortus*, Angelus, Silueſter *eodem verbo*, perfectam verò ſi fœtus erat iam formatus. Ita Nauarrus *cap.* 25. *num.* 62. & alij. Dixi eſſe imperfectam, ſi fœtus nondum erat animatus, quia cum non eſt formatus, neque animatus, per conſequens neque eſt etiam occiſio hominis, qui iam ſit, ſed qui futurus eſſet, ſi impedimentum appoſitum non fuiſſet; quando verò eſt formatus, eſt etiam animatus, & tunc erit homicidium perfectum.

R. 2. Quod quando mater extremè laborat, & non ſit alia ſpes, quam Pharmacum ex natura ſua curatiuum illius morbi, poteſt illi dari cum intentione curandi morbum, licet mors fœtus ſequatur nondum animati anima rationali. Ita Leſſius *loco cit.* Silueſter, *verbo Medicina*, & alij. Ratio, quia magis præſtat vita matris, quàm prolea futura, ſeu fœtus inanimatus.

Sciendum 2. Pharmacum, quod matri datur, aut ex natura ſua eſſe mortiferum, aut ſanatiuum talis morbi, aut adhibetur intentione ſanandi matrem, aut occidendi fœtum: intentione principali procurandi abortum ante, vel poſt animationem, nunquam poteſt dari; quando verò mater extremè laborat, poteſt illi dare Pharmacum ſanatiuum illius morbi, licet ex perceptione illius ſequatur abortus fœtus nõdum animati; ſi verò proles cenſeatur animata, vel de animatione dubitetur, non poteſt dari matri Pharmacum ſanatiuum illius morbi cum periculo abortus fœtus animati, quia tunc proles cenſetur eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali, & ſalus ſpiritualis ſemper eſt præferenda ſaluti corporali. Silueſter *verbo Medicina*, ſi verò valdè probabile eſſet, non adhibito remedio vtrunque moriturum; adhibito verò Pharmaco, ſaltem matrem poſſe ſeruari, eo tempore poteſt illi dari remedium curatiuum illius morbi, licet cum periculo mortis fœtus animati. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *num.* 64. & alij.

Sciendum 3. fœtum animari anima rationali ſecũdum Ariſtotelem, marem die quadrageſima, fœminã verò die octuageſima, ſecundum Hypocratem marẽ animari aliquando trigeſimoquinto, aliquando etiã quadrageſimo, & quadrageſimoquinto, aut etiam quinquageſimo die. Ratio diuerſitatis formationis procedit ex caliditate, vel frigiditate matris. Azorius *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. & alij. Secundò procurantibus abortum eſſe primò conſtitutam pœnam mortis. *leg. penult. Cod. ad leg. Corneliam*; deinde conſtitutam eſſe excommunicationem à Sixto Quinto, quæ incipit *effrenatam* contra procurantes abortum fœtus animati, quæ hoc tempore non eſt amplius reſeruata Summo Pontifici quoad abſolutionem in foro conſcientiæ, ſed quilibet Confeſſarius poteſt ab illa abſoluere ex decreto Gregorij XIV. Pro procuratione abortus fœtus nondum animati non eſt lata excommunicatio; licet poſita ſit reſeruatio caſus, etiamſi effectus non ſequatur, cum principaliter prohibeatur actio. Tertiò non modo incurrere excommunicationem, ſed eſſe irregularem, qui eſt cauſa abortus pueri animati, ſecus autem ſi non erat animatus. Quartum Clericum conſulentem abortum in dubio cenſendum eſſe irregularem. Bonacina *diſp.* 7. *de irregularit. quæſt.* 4 *punct.* 8. *num.* 27.

An filia virgo putata, quæ cum aliquo rem habuit, poſſit accipere remedium impediens conceptionem fœtus, ad euitandam infamiam, vel mortem?

BRACTEA XI.

R. FOEMINAM, cuiuſcunque conditionis ſit, poſtquam concepit nullo modo ad euitandam infamiam, vel ſcandalum, aut mortem poſſe accipere Pharmacum, quo procuretur abortus. Ita Siluester *verbo Medicus*; Azorius 3. *par. lib.* 2. *cap.* 4. & alij citati à Diana *tract.* 5 Miſcel. *reſolut.* 11. Ratio, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, & accipere remedium impeditiuum fœtus eſt intrinſecè malum, & ideò fœmina, quæ concepit, debet ſibi imputare infamiam, ſeu mortem, quam timet, & ad hãc euitandam non poteſt ſumere remedia prouocantia abortum, ſiue fœtus ſit animatus, ſiue non, cum ſit contra naturam ipſum procurare, & magis æſtimetur vita ſpiritualis, & temporalis filij, quam periculum infamiæ matris.

An liceat marito vxorem in adulterio deprehenſam occidere?

BRACTEA XII.

R. NON eſſe licitum marito ante ſententiam occidere vxorem in adulterio deprehẽſam. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt* 8. *pun.* 3. Molina *tom.* 3. *tract.* 3. *diſp.* 7. *num.* 2. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 16 & alij. Ratio, quia iure diuino quis prohibetur ſe vendicare; tum quia ſalus animæ eorũ, qui ſic interficiuntur, exponitur euidenti periculo damnationis.

Sciendum, quod ſi maritus mulierem in fragranti crimine adulterij deprehenſam occidat ante ſententiam Iudicis non excuſatur à peccato mortali, cum ſit contra ius naturæ occidere aliquem ante ſententiam, & inaudita parte, licet impunè eam occidat. Ita auctores citati. Similiter non poſſe patrem ante ſententiam occidere filiam in ſtupro inuentam, nec eius ſtupratorem, poſt ſententiam poteſt ſi per Iudicem ei occidenda tradatur. Ita auctores citati, & eſt communis ſententiæ ratio, vt ſupra de vxore, quia ſalus animæ exponitur periculo perditionis. Verùm ſi pater occidit filiam in fragranti crimine ſtupri inuentam impunè occidit, licet peccet mortaliter. Ita Auctores citati; cum leges, quæ patri ius dant occidendi filiam in ſtupro inuentam, vel eius ſtupratorẽ improbatæ ſint per canones, ſicuti colligitur ex *cap. inter hæc* 33. & docet S. Auguſt. *lib.* 2. *de adulter. coniug. cap.* 15. S. Thom. in 4. *diſt.* 37. *quæſt.* 2. & alij plures, cum non ſit ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publicè poteſt expedire; licet non ſit iniquum, ſi permittant ſolum negatiuè, quatenus in tali caſu pœnam homicidij nõ decernunt ſi in fragranti occidat.

An liceat ſe ipſum occidere?

BRACTEA XIII.

R. NVLLO modo licere ſe ipſum directè occidere. Ita S Thomas 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 4. Molina *tom.* 4. *tract.* 3 *diſput.* 9. Sotus *lib.* 5. *quæſt.* 1. *art.* 5. Ratio, quia homo non eſt Dominus ſuæ vitæ, & per conſequens non poteſt ſe ipſum occidere, vt habetur *leg. liber ff. ad leg. Aquiliam*, Diuina verò inſpiratione licitum eſt ſe ipſum occidere. Ita S. Auguſtin. *lib.* 1. *de Ciuit. cap.* 26. apud Leſſium *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 6. Ratio patet exemplis plurium Sanctorum, vt Samſonis, S. Appolloniæ, &c. citatis à Leſſio *loco cit.* Secundò quamuis non ſit licitum ſe ipſum occidere, poſitiuè tamen poteſt quis vitam temporalem exponere ad ſaluandam vitam amici, etiam æqualis conditionis. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 26. *art.* 4. Clauis regis *lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 53. Ratio, quia tenetur exequi præceptum charitatis, quo quis hortatur ponere animam pro amicis ſuis.

Sciendum, quod licet pro amico poſſit quis vitam ſuam ponere, non tamen pro quolibet vita eſt exponenda, nam ſi ipſe magis ſit vtilis Reipublicæ, quam amicus non debet pro amico vitam exponere, nec etiam ſi magis videatur neceſſaria eius vita, vt quis habent filios, qui ſine ſua vita educari non poſſint, nec etiam nutriri. Secundò pro honore, vel bonis amici non eſt vita exponenda, cum ſit ſuperioris ordinis, & longè æſtimabilior; & quamuis liceat occidere pro defenſione facultatum, tum propriarum, tum etiam amicorum, non licere tamen pro eis mortem ſubire, pro Patria licet etiam vitam exponere mortis periculo, & pro Religione, & filius ad ſaluandam vitam patris poteſt ſe exponere euidenti periculo mortis. Tertiò etiamſi non liceat ſe ipſum occidere, licitum tamen eſt iuſta cauſa offerente ſe, aliquid facere, vel omittere, vnde ſciatur indirectè ſequuturæ mors. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 27. & alij communiter. Ratio, quia homini non eſt prohibitum vitam ſuam exponere periculo mortis, vnde miles, qui certò ſcit ſe occidendum non tenetur ob periculum mortis deſerere ſtationẽ, imò obligatur ipſam defendere cum periculo vitæ. Secundò detentum in carcere poſſe non fugere, etiamſi ſciat ſe capite plectendum ſi non fugiat, imò malefactor poteſt ſe in carcerem intrudere, & iudici ſe offerre puniendum zelo iuſtitiæ. Petrus Nauarrus *lib.* 2 *de reſtit. cap.* 3. *num.* 72. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 9. *num.* 28. quia ſicut quis zelo iuſtitiæ poteſt deſiderare mortem, ita & procurare. Tertiò condemnatus ad mortem, vt famæ pereat, poteſt à cibis abſtinere clanculum oblatis. Ita Leſſius *loco citato*, An verò quis in extrema neceſſitate famę expoſitus debeat abſtinere à cibis idolotitis? Reſpondeo affirmatiuè ob bonum Religionis, præcipuè quando comedendo honor Religionis periclitaretur. Quartò, quando duo ſunt in extrema neceſſitate poſiti poteſt alter alteri cibum præbere, quem habet, quo vitam tueri poterat. Quintò tempore belli poteſt ſe obijcere ſclopo, vel telo ad conſeruandã vitã quis Principis. Sextò in naufragio poteſt alteri dimittere tabulam à ſe occupatam, & committere ſe vndis etiam ſi certus ſit nullam eſſe ſpem euadendi. Septimò poteſt quis inijcere ignem in puluerem tormentarium ad euertenda mœnia hoſtilia, etiamſi certus ſit eodem momento ſe moriturum cum propriè nõ ſe interimat, cum ſolum intendat ruinam mœniorũ, ſed exponit ſe euidenti periculo mortis. Octauò, graſſante incendio in aliqua domo ſi non ſuppetat alia ratio euadendi mortem, poteſt quis per feneſtram è ſublimi ſe dimittere, etiamſi ſit certum periculum mortis, cum non intendat ſe occidere, ſed ſolum euitare illud dirum tormentum. Nonò, quis à latrone inuaſus poteſt permittere ſe occidi ne latro, vel alius iniuſtus aggreſſor in peccato moriatur. Decimò, fœmina poteſt prius mortem pati,

quam in turpitudinem conſentire, ſi verò non eſſet periculum conſenſus non peccaret ſi pateretur opprimi. Vndecimò iuſtè ad mortem damnatus poteſt, & tenetur omnes actiones exhibere, quæ ſunt diſpoſitiones remotæ ad necem, vt aſcendere ſcalam, funem collo appendere, non verò ſe è ſcala deijcere.

An ſit ſui occiſor, qui vitam ieiunijs, & alijs afflictionibus abbreuiat?

BRACTEA XIV.

R. Ad conſeruandam vitam nemo tenetur vti melioribus cibis, ſed ſatis eſt vti communibus, & ordinarijs. Ita Sanchez *in conſilys part.2.lib.5.cap.1.dub.33. num.2.* Clauis regia *lib.7. cap. 9.num.28.* & alij. Ratio, quia non obligatur omnia media licita, & acquiſita conducentia ad longiorem vitam ſumere.

Sciendum, quod licet quis non obligetur ad omnia media licita conducentia ad longiorem vitam, v.g. ad mutationem melioris aeris, ſalubrioris cœli, tamen media neceſſaria, & communia ad conſeruationem vitæ obligatur ſumere: vnde ſi quis ſumendo pharmacum moraliter eſſet certus ſe recepturũ ſalutem, mortaliter peccaret ſi non reciperet, cum medicina ſit per ſe ordinata ad ſalutem, iuxtà illud ſapientis *Altiſſimus de terra creauit Medicinam, & vir ſapiens non deſpiciet eam*, obligatur etiam infirmus cõſulere Medicos, & ſalutaribus vti cibis. Secundò, quod ſi quis vteretur ſingulari inedia, vel cibo nocino, vt breui vita conſumeretur, vel maximum nocumentum ſanitatis reciperet, vt ſi v.g. fungis, crudis herbis, & acerbis veſceretur, non excuſaretur à peccato mortali, ſi noſceret ſibi futurum ex his nocumentum, ſi verò inaduertenter comedat, vel etiá ſciat nocumentum futurum non eſſe notabile, tunc excuſatur à peccato mortali.

R.2. Qui ieiunijs, aut alijs corporalibus, aut ſpiritualibus afflictionibus vitam abbreuiat, aut ſanitati notabiliter nocet, peccat mortaliter ſi ſcienter hoc faciat. Ita Bonacina *diſp.2.de reſtitut. quæſt. vlt. ſect.1 pun.5.num.9.* Ratio, quia quilibet ex præcepto charitatis tenetur ſe conſeruare, & non habere affectum contrarium. Secundò, qui prouidet per abſtinẽtiam moderatam, ſtudijs, &c. vitam ſibi abbreuiaturum intendens acquiſitionem virtutis non peccat mortaliter, dummodo non intendat mortem. Ratio, quia non videtur hoc factum repugnare rationi, cum hæc opera ſint laude digna. Ita Bonacina *loco cit.* Tum etiam, quia non cenſetur peccare contrà charitatem, cum in ſuis actionibus intendat virtutem.

An quis poſſit omittere aliquid vnde certò ſcitur ſequutura mors?

BRACTEA XV.

R. Omittere aliquid ex iuſta cauſa, vnde certò ſcitur ſequutura mors indirectè, & abſq; intentione licitum eſt. Ratio, quia non eſt præceptum homini, vt conetur ſemper vitam ſeruare, vt enim poteſt ex iuſta cauſa exponere ſe periculis, ita ex eadem poteſt omittere conſeruare. Ita Sotus *lib.5 quæſt.6.art.4.* & alij citati à Fillincio *tract. 29 cap.4.num.71.* Secundò facere aliquid ex iuſta cauſa vnde certò ſcitur ſequutura mors indirectè, & abſque intentione etiam licitum videtur, vt dictum eſt ſuprà, cum non ſit prohibitum homini vitam ſuã periculis exponere, ſed ne ſine iuſta cauſa exponat, & intentione perdendi eam tanquam ex roſam. Tertiò facere aliquid, vnde certò ſcitur quod ſit ſequutura mors directè, & ex intentione, etiamſi id committeretur à Iudice, vel à Principe non videtur licitum, licet aliqui citati à Leſſio, *lib.2. cap 9. dub.6. num.24.* aliter ſentiant.

An liceat ſe ipſum mutilare?

BRACTEA XVI.

R. Illicitum eſſe abſque iuſta cauſa membrum ſibi abſcindere. Ita auctores citandi. Ratio, quia ſicut homo non eſt dominus propriæ vitæ, ita nec etiam corporis. Secundò licitum eſſe amputare ſibi membrum, vel aliquam partem, quando eius amputatio cenſetur neceſſaria ad ſalutem totius corporis. Ita Toletus *lib.5.cap.6. num 7* Em Sà *verbo homicidium, num.24.* Leſſius *lib.2. cap.9. dub.4.* & alij. Ratio, quia membra ſunt ob bonum totius corporis, & per conſequens quando membrum eſt corpori pernicioſum debet ſecari.

Sciendum, quod habens membrum putridum nõ modo obligatur permittere ſectionem illius, ſed etiam poſſe ipſum ſibi amputare, cum bonum vniuerſale corporis ſit præferendum bono priuato alicuius membri, & bonum particulare natura ipſa dictante, exponendum eſt pro bono communi: vnde videtur brachium naturaliter inclinare ad ſaluationem capitis, vel corporis etiam cum periculo ſtructionis ipſius. Similiter ſi quis ligatis manibus in carcere iuſtè detineatur, vel alligatus alicui arbori ſit traditus beſtijs deuorandus, poteſt ſibi membrũ amputare, vt mortem euadat, & vitam ſaluet, ita qui à vipera in manu morſus eſſet, poteſt abſcindere ſibi manum, ne venenum ad cor perueniat, & moriatur.

R.2. Ob bonum ſpirituale non eſſe licitum amputare ſibi membrum. Ita S.Thomas 2. 2. *quæſt. 65. art.1.* Toletus *loco cit.* Leſſius *lib.2.cap.9.dub.14.* & alij. Ratio, quia amputatio membri non cenſetur medium neceſſarium ordinatum ad ſalutem animæ.

Sciendum 2. quod licet poſſet quis affligere, & mortificare corpus, & membra ob bonum ſpirituale animæ, non tamen eſſe licitum ob bonum ſpirituale eiuſdem ſecare ſibi aliquid membrum. Et legatur de aliquibus, vt de Origene, qui ſibi ob talem finem virilia amputauit, de Marco, qui ſibi policem abſcidit, ne cogeretur ſacris initiari nõ excuſãtor tamẽ à peccato, niſi ſorſan diuina inſpiratione ſit factum, illud verò Matthæi 4. *Si oculus tuus ſcandalizat te, &c.* non eſſe intelligendum de materiali, ſeu corporali abſciſione, ſed tantum de ſpirituali, ideſt de remotione occaſionum. Secundò Patrem poſſe cogere filium, Prælatum, ſuum ſubditum, vt patiantur mẽbri abſciſionem quando eorum vita eſt neceſſaria ob bonum commune. Secus autem ſi non ſit neceſſaria ob bonum commune, ſed tantum particulare. Ita Clauis regia *lib.7. cap.9. num.38.* & alij, licet de Religioſo plures aſſerant non obligari iubente ſuperiore pati abſciſionem membri ob conſeruationem corporis ſi dolores ſint ingentes, cum ſit actio valdè heroica, nec cadat ſub imperium Prælati. Ita Salon. 2.2. *quæſt.65.art.1.* & alij. Tertiò minante Iudice mortem, licitum eſſe ſibi abſcindere membrum vel partem ipſius. Ratio, quia licet exponere peri-

culo partem, vt totum conſeruetur, & quiſque habet auctoritatem reſpectu ſuorum membrorum, vt poſſit ea è medio tollere ob defenſionem totius, & ſic faciendo vtiliter geritur negotium totius corporis, & homo plus ſe diligit, quam ſui partem, & maius bonum præfert minori, ita dictante prudentia.

An ad ſeruandam vitam liceat ſe polluere, & fornicari?

BRACTEA XVII.

R. NVNQVAM licitum eſſe ad ſeruandam vitam peccare. Ratio, quia peccatum ex natura ſua non poteſt eſſe remedium neceſſarium ad vitam conſeruandam, quia, vt ſic, eſſet remedium ad rem præceptam, qualis eſt conſeruatio vitæ. Secundò non eſſe licitum procurare pollutionem propter ſanitatem, nec Medicus poteſt præbere medicinam, quę nihil aliud operetur, quam excitare naturam ad pollutionem. Ita Em. Sà *verbo luxuria n.11.* Nauarrus *cap.16.num.6.* Vaſq. 1.2. *diſp.115. cap.3.* Rebellus *lib.3. de matrim. quæſt.17. ſect.3.* Tertiò non eſſe licitum fornicari ad tuendam ſanitatem. Ratio, quia talis fornicatio repugnat rectæ rationi, & iuri naturali, & eſt contra bonam educationem, & inſtitutionem prolis. Ita Graff. *1.part.lib.2.cap.7.* & omnes communiter.

An liceat pro defenſione vitæ alterum occidere?

BRACTEA XVIII.

R. LICITVM eſſe priuata auctoritate occidere iniuſtum aggreſſorem occidere volentem, vel mutilare cum moderamine inculpatæ tutellæ concurrentibus conditionibus infrà dicendis. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt. 64. art. 7.* Nauarrus *cap.15.num.2.* Valen. *tom.3.quæſt.8.pun.4.* & alij plures. Ratio, quia vim vi repellere licet.

Sciendum, quod ad hoc, vt quis licitè poſſit occidere iniuſtum aggreſſorem oportet, quod ſit cum moderamine inculpatæ tutellę, quod ſeruatur quando efficitur id tantum, quod requiritur ad vitam tuendam, & conſeruandam, ante quam aggreſſor occidatur; quod ſi aliter poterat ſuam vitam conſeruare, ac defendere, quam occidendo peccat, quoniam excedit moderamen inculpatæ tutellæ, vnde qui ſolum leuiter percutiendo poterat ſe defendere, peccauit grauiter percutiendo aggreſſorem. Secundò requiritur, vt aggreſſio ſit per vim facta, cum ius naturæ, & alia iura concedant vim vi repellere, in quantumuis infertur. Quod ſi de aggreſſione ſolum erit dubium, vel ſuſpicio, tunc non licebit occidere aggreſſorem, de quo dubitatur, vel ſuſpicio habetur, & ſi occidet erit homicida; ſi verò aderunt iudicia, ex quibus poſſit coniecturare moralem certitudinem, tunc licebit pręuenire: Vnde ſi mulier ſub ceruicali inuenerit pugionem præparatum à viro ad ipſam occidendam, ſi aliter non poterit euadere mortem poterit præuenire ipſum occidendo. Nauarr. *cap.15.nu.3.* Tertiò requiritur vt occiſio fiat in actu aggreſſionis, ita vt non præueniatur inimicus, quod ſi aggreſſio moraliter erit incepta, tunc poteſt ipſum aggredientem præuenire, & tunc cenſetur moraliter incepta, quando conſtat de aliquo mandato, de electione alicuius ſiccarij, vel de præparatione alicuius inſtrumenti ad dandam mortem. Quartò, vt occiſio non fiat poſt factum aggreſſionis: quare ſi aggreſſor fugeret, vel deſiſteret ab aggreſſione, vel etiamſi ſi amici ſe intermedios poſuerint, non licet amplius occidere aggreſſorem. Ita plures apud Bonacinam *diſp.2.de reſtit.quæſt.vlt ſect.1.pun.8.*

Sciendum 2. quod quando aggreſſus cum conditionibus ſupradictis occidit aggreſſorem, non peccat, cum vtatur iure naturæ ſibi conceſſo, etiamſi dederit cauſam inuaſionis per aliquam iniuriam, v. g. per furtum, ſtuprum, adulterium, &c, quia etſi dederit cauſam non tamen amiſit ius defendendę propriæ vitæ. Molina *tom.4.tract.3.diſp.15. num.2.* Vnde licitum eſt filijs contra parentes, Monacis contra Abbatem, ſeruis contra Dominum, &c. ſe defendere vim vi repellendo, modo vis iniuſtè inferatur, & ſi ſequatur aliquod damnum non obligari ad reſtitutionem, niſi ſe defendendo exceſſerit modum inculpatæ tutellæ. Vnde non eſt licitum præuenire eum qui paratus eſt aggredi, antequam moraliter inceperit actum aggreſſionis. Ratio eſt, quia non licet alium occidere, niſi ad vim repellendam: ſed ante actum aggreſſionis non infertur vlla vis, quæ ſit repellenda, ergo, &c. Ita Nauarrus *cap.15. num.2.* Leſſius *lib.2.cap.9.dub.8.num.53.* Arragonius 2.2. *quæſt. 69.art.4.* & alij.

An licet occidere illum, qui ſubornatis teſtibus oppugnat vitam alicuius?

BRACTEA XIX.

R. NEGATIVE. Ratio eſt, quia ſi liceret occidere eum, qui ſubornatis teſtibus oppugnat vitam, vel famam aperiretur via multis iniuſtis occiſionibus, cum homines facilè ſibi perſuaderent, ſe per calumniam accuſari, & nullum aliud adeſſe refugium præter mortem accuſatoris; licet alij citati à Leſſio *loco cit.* aliter ſentiat, nimirum poſſe occidi, quam opinionem probabilem vocat Petrus Nauar. *lib.2.cap.3.num.61.* quia, vt ait Caietanus, nihil refert, vtrum inuadas me gladio tuo, vel alieno: at calumniator inuadit gladio alieno, nimirum Iudicis; vnde Auguſt. *Occiderunt Iudæi Dominum gladio linguæ*, ſed hæc ſententia licet ſpeculatiuè probabilis ſit, tamen practicè tutius eſt ſuſtinere ſententiam, vt ſupra. Secundò maleficam, quæ magicis artibus nocet, poteſt cogi verberibus, vt deſiſtat, quando non adeſt alia ratio euadendi, & ſi aliud remedium non ſupereſt, & certò conſtet eam eſſe maleficam, & ſine nouo maleficio vetus maleficium non poſſe tolli.

An quis poſſit permittere, ſe occidi ab inuaſore?

BRACTEA XX.

R. POTEST aliquando quis permittere ab inimico inuadente occidi. Ita Toletus *lib.5. cap.6.nu.10.* Em. Sà *verbo homicidium, num.21.* Molina *diſp.4.num.1.* Rodriquez *1.part.cap.136.nu.17.* Silueſter *verbo bellum* 20. §. 17. & alij. Ratio, quia poſſumus exponere vitam noſtram pro vita temporali proximi.

Sciendum, quod ſi aggreſſus putaret ſe eſſe in peccato mortali, & valdè timeret damnationem, ſi tunc occideretur, obligatur omnibus modis ſe tueri, quia magis tenetur diligere ſalutem animæ ſuæ, quam proximi: at ſi aggreſſus ſciret inuaſorem eſſe in peccato mortali, & ſi eum occideret probabiliter crederet damnandum; & ipſum oppreſſum non eſſe cō-

ſcium

ſcium alicuius lethalis culpæ, rem gratam Deo faceret, ſi pateretur potius occidi, quam inimicum occidere. at ſi aggreſſus eſſet maximè vtilis Reipublicæ, & ex morte ipſius maximum damnum ſuæ familiæ ſequeretur, tenetur potius tunc occidere inuaſorem, quam ſe pati occidi, ſicuti etiam non tenetur ad alterum interficiendum, quando illa occiſio præſefert quandam atrocitatem, & immanitatem, vt quando aggreſſus eſſet filius, & aggreſſor Pater, ſi aggreſſus eſſet perſona plebea, & aggreſſor Princeps, quia tunc melius eſt ſubire mortem, quam occidere.

An vir nobilis potens declinare fuga impetum aggreſſionis, teneatur ipſum declinare?

BRACTEA XXI.

R. Viavm nobilem non obligari fuga declinare impetũ inuaſoris inimici; ſed teneri illi reſiſtere, etiamſi moraliter ſit certus ipſum occidere; quando fuga futura eſt illi ignominioſa: Ita Nauarrus *cap. 15. num. 4.* Sairus *lib. 7. cap. 10. dub 8.* Rodriquez *cap. 136 dub 11.* Lopez *1. par. cap. 62.* Petrus Nauarrus *lib. 2. cap. 3. num. 366*, & alij. Ratio, quia nobilibus fuga ignominioſa eſt, & non obligatur cum notabili ſuo dedecore impetum aggreſſoris declinare. Secus dicendum de homine vulgari aggreſſo, quia ſi poteſt fuga declinare impetum inimici aggredientis tenetur, quia ex fuga nullum detrimentum patitur in honore: hominem verò Religioſum, ſeu Clericũ teneri fugere impetũ aggredientis, quoniã eorũ laus non eſt in vſu armorũ; ſed in patientia, & humilitate. Vnde peccare non fugiendo contra charitatem, ſed non contra iuſtitiam, ſi verò percuſſio, aut iniuria illata ſit leuis, peccat contra iuſtitiam non fugiendo, ſed repercutiendo, vel occidendo. Ratio eſt, quia res quam defendit, non cenſetur tanti momẽti, vt morte alterius debeat compenſari. Ita Leſſius *lib 2. cap. 9. dub. 12. num. 86.* Iulius Clarus de *homicidio num. 31.*

Sciendum eũ, qui inuadentem occidit excedendo modum iuſtæ defenſionis non obligari ad integram reſtitutionem, ſed ſolùm ad tãtum exceſſus arbitrio prudentis. Ita Rebellus *lib. 3. quæſt. 12.* Sotus *lib. 4. quæſt. 6. art. 3.* Silueſter *verbo reſtit. 3. q. 2.* Ratio, quia qui alterũ inuadit cenſetur ex parte amiſiſſe ius ad cõpenſationẽ damni, quia ſibi ipſi debet imputare damnum, ſi occidatur, vel lędatur, cum alterũ iniuſtè inuaſerit. Tum etiã quia inuaſus non poteſt sẽper vti moderamine inculpatæ tutelæ ob ebullitionẽ ſanguinis, &c.

An ob defenſionem honoris liceat alium occidere?

BRACTEA XXII.

R. Licitvm eſſe viro honorato occidere inuaſorem inferentem ignominiam, quando aliter ignominiam euitare nõ poteſt. Ratio à fortiori, quia ſicut infra dicetur, licet occidere inuaſorem facultatum, ita etiam inuaſorem honoris.

Sciendum honorẽ multis modis auferri poſſe: primò, ſi quis alteri conatur impingere baculo, vel alapa: ſecundò ſi contumelia aliquẽ afficiat verbis, aut ſignis: tertiò ſi falſis criminationibus apud Principẽ, Iudicẽ, & viros honoratos, nomini alicuius detrahat.

R. 2. Qui fuſtè, vel pugno inuaditur, non tenetur fugere, ſi fuga eſſet illi ignominioſa, ſed poteſt ſiſtere gradum animo ſe defendendi, & ignominiam impediendi. Ratio, quia non tenetur ſuſtinere illam ignominiam, ne lædat inuaſorem. Quod ſi fuga nõ eſſet ignominioſa perſonæ, vel etiam alapa tenetur fugere; & alapam ſuſtinere, nec licat ſe tueri cum morte alterius. Vnde Clericis, Religioſis, aut etiam hominibus infimæ cõditionis non licet ſe tueri cum morte alterius, cum fuga non ſit illis ignominioſa, præſertim cum Chriſtus dicat percutienti vnam maxillam præbeant, & alteram.

Sciendum 2. virum honoratum, qui alapam, vel vulnus accepit, non modo in flagranti poſſe ſe tueri, & occidere, ſi fas erit ad ſuſtentationem honoris, ſed etiam poſſe inſequi fugientem, & ipſum repercutere, quantum ſufficit ad reparationem honoris, quando aliter nequit honorem recuperare, quia ſicut licet ſequi furantẽ res proprias, vt eas recuperet, ita & licet ſequi deferentem honorem alienum, vt eum recuperet, quando aliter reparari non poteſt, licet in praxi contrarium ſuſtinere melius ſit, præcipuè quando qui lædit, petit veniam. Secundò licitum eſſe viro honorato inuadentem honorem per cõtumelias occidere, quando aliter honor recuperari non poteſt. Ita Rodriquez *cap. 136. num. 12.* Petrus Nauarrus *lib. 2. cap. 3. num 376.* Leſſius *lib. 2. cap. 7. dub 9. num. 78.* Quod tamen debet intelligi præciſo ſcandalo, & quando iniuriæ ſunt graues, & alia ratione vitari nequeunt.

Sciendum 3. quod ad hoc, vt vir honoratus poſſit occidere illum, qui contumelijs eũ afficit, requiritur primò, ꝙ illæ iniuriæ, ſeu cõtumelię ſint graues, & atroces, & quod ipſe iniuriatus maximũ damnũ patiatur in honore. Secundò, quod illæ iniurię nõ poſſint alijs iniurijs cõpenſari, tum ob damnũ illatũ famæ ob illas cõtumelias, tũ ob inæqualitatẽ perſonę cũ pſona iniuriata ſit optimæ cõditionis, iniuriãs verò infimę.

R. 3. Nõ licet viro honorato occidere eũ qui falſis criminationibus apud Principẽ, Iudices, viros honoratos de eo detraxit, etſi honor alia rõne reparari poſſit. Ita Leſſ. *lib. 2. c. 9 dub. 8. n. 13.* & alij. Ratio, quia conſurgeret magnum periculum cædium, & magna Reipublicæ perturbatio, vt ſupra dictũm eſt.

An ob defenſionem pudicitiæ liceat aliũ occidere?

BRACTEA XXIII.

R. Licitvm eſſe mulieri pro defenſione pudicitiæ occidere inuaſorem, quando pudicitia aliter defendi non poteſt, ideſt fugiẽdo, aut vociferãdo. Ita cõmuniter oẽs ex Leſſio *lib. 2. c. 9 dub. 12. n. 76.* Ratio, quia licitũ eſt occidere ob id, ꝙ eſt minus, nimirũ propter opes, & pudicitia pluris æſtimat, quã opes præcipuè ſi periculũ ſit cõſentiẽdi in copulam: vnde etiã apud Romanos abſolutus fuit adoleſcẽs, qui occiderat Tribunũ, qui volebat vim inferre pudicitiæ; poteſt tamen inuaſus condonare inuaſori vitam patiendo violationem ſui, quãdo non eſt periculum conſenſus, quia teſte D. Lucia nõn coinquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis. Secundò non licere ad vitandam ignominiam ſimpliciter, vel alias ærumnas huius vitæ ſe interficere. Ratio eſt, quia bonum vitæ eſt maius ijs omnibus. Vnde S. Auguſt. *p. de Ciuit. cap. 19.* reprehendit Lucretiam Romanam, quæ ob ignominiam ſtupri ſe interemit.

An ad defenſionem facultatum liceat alium occidere?

BRACTEA XXIV.

R. Licitvm eſſe tàm Clericis, quàm Laicis occidere inuaſorem ſuarum facultatum, ſi illæ ſint magni momẽti, nec ſit probabilis ſpes il-

las aliter recuperandi. Ita Nauarrus *cap. 15. num. 2.* Rodriquez *cap. 136. num. 15.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 8. num. 4* Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 1. art. 8.* & alij. Ratio, quia facultates ſunt neceſſariæ ad vitam tuendam, & ſicut licet vitam tueri, ita licet media neceſſaria ad vitam, etiam cum occiſione alterius, ſi aliter non poſſint tueri.

Sciendum, quòd vt licitum ſit occidere inuadentem facultatum, plura requiruntur. Primò, vt homicidium ſiat in actu inuaſionis ipſarum rerum. Secundò, vt res ablatæ ſint magni momenti, ſeu valoris. Tertiò, vt aliter ſaluari non poſſint. Quartò, vt non adſit ſpes aliter illas recuperandi; vnde ſi occiſio erit poſt actum ablationis, erit illicita, & contra iuſtitiam, ſicut etiam ſi res ablatæ non eſſent magni momenti, modò auferens rem alienam non faciat vim Domino, aut illius cuſtodi, quia ſi rem auferret ipſo contradicente, ſi aliter furtum non poteſt impediri; niſi occidando, ſi occidatur licitè occidetur.

Sciendum 2. quod ſi latro fugiat re accepta, & à Domino ipſius rei perſequatur, vt rem dimittat, ſi ab ipſo percutiatur, ita vt moriatur, vtitur Dominus iure ſuo, cum defenſio ipſius rei, duret apud Dominum quoadusque accipiens rem ablatam quietè poſſidere cęperit. Si autem res aliter quam occidendo ſaluari poſſunt, aut adſit ſpes eas recuperandi, tunc Dominus non poteſt occidere eas defendendo.

An etiam licitum ſit occidere pro defenſione vitæ, & facultatum aliorum?

BRACTEA XXV.

R. LICITVM eſſe occidere ad defenſionem vitæ proximi inuaſorem, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Ita Molina *tract. 3. diſp. 18. num. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 9 dub. 13.* & alij. Ratio, quia pręceptum charitatis obligat ad defendendum innocentem in caſibus, in quibus non poteſt ſe defendere, & per conſequens poſſumus occidere, quando mors eſt neceſſaria ad defenſionem vitę proximi: immò peccare mortaliter, qui tenetur ex officio ſuccurrere non ſuccurrendo: ratio, quia non facit, quod ex officio tenetur facere; peccare ſolùm contra caritatem, qui non tenetur ex officio. Ratio, quia ob nudum aliquo præceptum ſe obligatur; tunc etiam, quia tenemur diligere proximum, & ſuſcipere cauſam proximi indigentis noſtro auxilio. Secundò, hominem obligari cum periculo propriæ vitæ, alienam defendere. Ita Bonacina de *reſtitut. diſput. 2. quæſt. vlt. ſent. 2. pun. 11. n. 6.* Ratio, quia obligatio charitatis non obligat cū periculo propriæ vitæ, tamen quādo agitur de defenſione vitæ publicæ, vt v. g. Principis, tunc cum periculo proprię vitæ tenetur eum defendere, quia bonum publicum pręferendum eſt priuato. Tertiò, non modo vitam proximi, ſed etiam illorum bonum quilibet obligatur ex præcepto caritatis defendere, non tamen obligatur ea defendere cum morte inuaſoris. Ratio, quia ſicut non obligatur defendere vitam cum morte inuaſoris, ita etiam nec bona eſterna, ſicut etiam non tenetur ea defendere cum præiudicio propriæ vitæ, aut bonorum neceſſariorum ad vitam; cum verò iactura eorum, quæ ſunt ſuperflua, ad vitam tenetur defendere, dummodo talis iactura non ſit notabilis. Quartò quemlibet obligatum eſſe defendere vitam inuaſi, etiamſi ipſe nollet defendi, dummodo ipſam poſſit defendere abſque graui incommodo. Ratio, quia cum inuaſus non ſit Dominus propriæ vitæ, non poteſt eam alteri donare, modò inuaſor non ſit perſona publica, & ex eius morte oriatur magnum damnum Reipublicæ.

An maritus poſſit occidere vxorem volentem adulterari, quando aliter non poteſt euitare infamiam?

BRACTEA XXVI.

R. NEGATIVE: ratio, quia ſolùm licitum eſt occidere aggreſſorem ad rem ſuam tuendam; qui autem occidit vxorem, non tuetur rem ſuam, ſed potius illam deſtruit. Tum etiam quia alia via poteſt auerti infamia, nimirū eam percutiendo, aut expellendo adulterum, aut etiam eum etiam occidendo. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 89.* Secundò famulos mercede conductos non ad pugnandum, ſed ad alia obſequia, ſi negligunt Dominum ſuum defendere, vel à morte liberare, propriè non peccare contra iuſtitiam, ideòque non teneri pęna homicidij, ſed alia arbitraria, licet grauiore quam ſi alius quiſpia, ſecum potuiſſet iniuſtam occiſionem impedire neglegiſſet. Layman de *iniuſt. læſionem corporis ſoll. 5. tract. 3. par. 7. cap. 3. num. 9.* Tertiò famuli, qui tacito pacto conducuntur, vt Dominū contra iniquos aggreſſores defendere tenentur, & contra iuſtitiam peccant, ſi id non pręſtant. Layman *locat.*

An Religioſus poſſit cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere volentem ipſum calumniari?

BRACTEA XXVII.

R. NEGATIVE. Ratio, quia ex ſupradictis conſtat, non poſſe aliquem priuata authoritate occidi cum moderamine inculpatæ tutelæ, niſi poſtquam moraliter, ſaltem inceptus ſit actus aggreſſionis vitæ, honoris, facultatum, &c. ſed volens calumniari moraliter non incępit actum inuaſionis honoris, ergo nullo modo poteſt occidi. Tum etiam quia in tantum licet occidere in quantum occiſio iudicatur medium neceſſarium ad tuendam vitam, honorem, &c. ſed in iſto caſu occiſio non cenſetur medium abſolutè neceſſarium ad tuendum honorem, ergo in iſto caſo non licet occidere. Minor patet, quia Religioſus poteſt ſe defendere à tali ignominia ſcribendo, vel etiam alia ratione, ergo occiſio non eſt abſolutè neceſſaria ad tuendum honorem. Tum etiam, quia fama Religioſi honorati, & Religionis non ląditur loquacitate, aut calumnia vnius, & ideò non ląditur fama doctorum catholicorum, qui ab hæreticis impiè obiurgantur, & calumniantur; ergo cum loquacitate vnius non læditur fama, & pietas Religioſorum, nec erit etiam licitum Religioſo occidere volentem ipſum calumniari. Plures ſunt, qui tenent opinionem contrariam. Ratio illorum eſt, quia Clericus, & Religioſus non cenſentur prioris cōditionis, quam laici, & ſicut iſti poſſunt occidere ad tuendum proprium honorem, ita, & iſti. Verum hæc opinio non placet; Primò, quia ex ſupradictis conſtat, non poſſe hominem occidi, niſi in actu inuaſionis vitæ, honoris, &c. Secundò, quod licet verum ſit Religioſum non eſſe peioris conditionis, quam ſit Laicus, tamen eſſe maioris

perfe-

perfectionis, quia nõ ſolũ tenetur ad præcepta, ſicut Laicus, ſed etiã ad conſilia, & quia Chriſtus dixit, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; idcircò non debet minantem calumniam occidere, cum de Chriſto dicat Petrus; *cum malediceretur, non maledicebat; & cum comminaretur, non comminabatur*. Vnde Religioſus in iſto caſu, non modo non imitaretur manſuetudinem Chriſti, ſed nec etiam exemplum datũ, qui vt refert Ioannes calumniatus his verbis: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Demonium habes*. ipſe ſolùm verbis ſe defendit, dicens: *Ego Demonium non habeo*; idcircò concludo Religioſum non debere occidere minantem ipſum calumniari, vel Religionem, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſed ſolùm debere verbis, & ſcriptis ſe defendere, cum non modo Religioſus obligetur ad præcepta, ſed etiam ad conſilia.

An liceat occidere eum, qui aliquem in iudicio conatur calumnijs opprimere, in cauſa magni momenti?

BRACTEA XXVIII.

RIſum poſitiuo non eſſe licitum. Ratio, quia vt ſupra dictum fuit bract. 19. an liceat occidere illum, qui ſubornatis teſtibus oppugnat vitam alicuius, multis occiſionibus aperiretur via, quia cum litigantes communiter ſibi perſuadeãt ſe habere certum ius, quoties viderint eſſe periculum, ne cauſa caderent, facilè ſibi perſuaderent ſe aduerſę partis machinationibus iniuſtè opprimi, eumq; conarentur clam occidere, ſic infinitis cædibus aperiretur via, & ideò ius ciuile punit morte talem homicidam, etiamſi diceret ob neceſſariam ſui defenſionem homicidium feciſſe, ne iniuſtis cædibus aperiatur via. Et ita Comitch. de *vtil. ſupernumeratalib. diſp.32 dub.2.num.22.* Diana *tract.5.* Miſcel. *reſolut. 97.* & alij.

MALLEATIO XXVIII.

De reſtitutione ratione homicidij, vel mutilationis.

Quomodo obligetur ad reſtitutionem iniuſtè aliquem occidens, vel mutilans.

BRACTEA I.

SCIENDVM quatuor modis poſſe aliquem alterum offendere in corpore: primò auferendo vitam: ſecundò mutilando membrum; tertiò infligendo vulnus: quartò lædendo in bonis corporalibus, à quibus vita dependet: item duo mala conſiderari poſſunt in huiuſmodi læſionibus: primum eſt ipſa læſio, id eſt ipſa occiſio, vel mutilatio; alterum eſt damnum temporale, quod ſequitur ex huiuſmodi læſione, ſcilicet expenſæ faciendæ in curatione læſi lucrum ceſſans, &c.

Sciendum 2. homicidium dupliciter contingere: primùm, quando quis occidit inuaſorem propriæ vitæ, honoris, pudicitiæ, aut facultatum, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ: ſecundùm verò, quãdo quis aliquem iniuſtè aggrediendo ipſum occidit, vel mutilat. Quo poſito,

R. Occidens inuadentem propriam vitam, honorem, vel facultates non ſeruando moderamen inculpatæ tutelæ, obligatur ſolùm ad reſtitutionem ad ratam exceſſus moderaminis inculpatæ tutelæ. Ita auctores ſupra citati. Ratio, quia excedendo facit alteri iniuriam, & quod non teneatur ad integram reſtitutionem damni ſecuti eſt, quia cum fuerit prouocatus, prouocans cenſetur renunciaſſe iuri ſuo, & per conſequens non cenſetur inuaſus obligandus ad integram reſtitutionem damni. Secundò inuaſus, qui inuaſorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti per mortem. Ita Petrus Nauarrus *lib 2.cap 3.n.62.* Leſſius *lib.2.cap.9.dub 21.* Merlin. *diſp.81.* Ratio, quia non cenſetur cauſa damni. Tertiò, qui alium iniuſtè aggreſſus eſt, ipſumque occidit obligatur ad integram reſtitutionem damni ſequuti per mortem. Ita Nauar. *cap.19. num.19.* Rodriquez 1 *part. cap. 139.* Molina *tom.4.tract.3.diſp.83.* Clauis regia *lib.11. cap.2. num.6.* Azorius 3.*part.lib.5 cap.3.* Ratio, quia occidẽdo, vel mutilando fuit cauſa efficax damni.

Sciendum 2. homicidam primò teneri reſtituere, quodlibet damnum ſequutum ob mortem, ob aggreſſionem iniuſtam occiſi, iudicio prudentis viri æſtimandum. Secundò debere reſtituere expenſas factas in curatione vulnerati in Chirurgis, Medicis, Medicinis, & cibis etiam charioribus rationabiliter ſumptis, detractis tamen his, quæ ipſe vulneratus erat inſumpturus in cibo, & potu, ſi vulneratus non fuiſſet. Tertiò obligatur etiam reſtituere lucrum ceſſans, non quod occiſus conſecutus fuiſſet, ſed tantum, quanti valebat ſpes illa lucri, iudicio prudẽtis viri, cum lucrum in ſpe, minus valeat, quam lucrum in re deductis tamen expenſis, cum lucrum dicatur, quod ſupereſt expenſis. An verò etiam detrahenda ſit laboris æſtimatio? Reſpondeo detrahendum eſſe, quantum ſimilis artifex dediſſet pro redẽptione laboris, quia ſi nihil dediſſet, nihil eſt dãdum, & iudicio prudentis viri eſſe remittendum. Similiter aliquid eſſe dandum ob iniuriam homicidij, ſeu vulneris dati, quia vita hominis licet ſit pretioſior, & non habeat æquiualentem, non eſt tamen peioris conditionis, quam vita cuiuſcunque animalis, pro qua aliquid eſſet reſtituendum ab eo, qui ea iniuſtè occidit, & ſi iuxtà æqualitatem iniuriæ non poteſt reſtitui, ſaltem ſecundum aliquam portionem erit reſtituendum. D.Thomas 2.2. *quæſt.62. artic 1.* Scotus in 4. *diſtinct.15. art.3.* Clauis regia *lib.11. cap.2. num.9.* Azorius 3.*part.lib 5.cap 3.quæſit.4.* Rebelius 1, *part.lib.3.quæſt.1.* Rodriquez *c.139 num.11.*

Verum, qui aliũ occidit, qui naturali morte fuiſſet moriturus non tenetur reſtituere lucrum, quod lucraturus. Ratio, quia occidens in hoc caſu nullum damnum infert, cum morte naturali moriturus eſſet, obligaretur ad reſtitutionem, ſi per iniuriam erat occidendus, & non morte naturali moriturus. Ratio eſt, quia non amittit aliquid iuris, in lucrandis in hac vita, quia alius eum iniuſtè ſtatuerat interficere, ſicut amittit, quando morte naturali moriturus erat Leſs. *lib.2.cap 9 dub.20.* & alij.

R.2. Pro anima occiſi nihil eſſe reſtituendum. Ratio, quia ſicut damnum in bonis fortunæ interfecti non ſufficienter compenſatur bonis ſpiritualibus, ita neque damnum in bonis corporis, tum etiam quia ſicut qui reſtituere non poteſt bona fortunæ, ad quę reſtituenda tenetur, reſtituere non obligatur in alia re non debita, ita qui reſtituere non poteſt damnũ corporale non tenetur illud reſtituere bonis ſpiritualibus. Ita Sotus *lib 4.quæſt.6. artic.3.* Rodriquez 1.*part cap.139.* Leſſius *lib.2 cap.9.dub.26.* Silueſter *verbo reſtitutio 3.quæſt.2.*

An

An homicida, qui extremo ſupplicio fuit punitus, teneatur adhuc aliquid reſtituere?

BRACTEA II.

SCOTVS in 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 2. Bannez 2. 2. *quæſt.* 62. *art* 2. Roſella *verbo reſtitutio* 3. Angelus *eodem verbo* 1. § *homicida*, & alij exiſtimant homicidam extremo ſupplicio punitum ad nihil amplius teneri. Ratio, quia talis ſententia cõpenſat omnem iniuriam, & damnum homicidij, quæ ſententia à Leſſio *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 22. cenſetur probabilis. Sed

R. Capite damnatum adhuc teneri ſi poteſt ad reſtitutionem damnorum ex homicidio ſequutorum. Ita Nauarr. *cap.* 15. *num.* 25. Couar. *lib.* 2. *variar. cap.* 10. *num.* 7. Gomez *tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 37. Arragonius 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. Petrus Nauarrus *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 1. *num.* 91. Leſſius *loco citato*, Ratio eſt, quia pœna infligitur à Iudice non vt damnum parti læſæ compenſetur, ſed vt iniuria Reipublicæ, & legibus illata vindicet, alijſque terror inuitiatur, ergo ea non obſtante tenebitur reus parti ſatisfacere damnum datum, quæ tamen inter vulgarea tantum locum habet, & arbitrio prudentis facienda eſt.

Quibus reſtitutio ab homicida ſit facienda?

BRACTEA III.

R. SI vulneratus non eſt mortuus, expenſæ curationis, & lucrum ceſſans ipſi vulnerato facienda ſunt. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. Ratio, quia ipſi fuit facta iniuria, & lucrum ceſſans ei debetur, & eius quod lucro ſuccedit, vt eſt ſatisfactio pecuniaria, &c. Secundò hæredibus neceſſarijs poſt mortem occiſi reſtitutio facienda eſt. Ita Sotus 4. *de iuſt. qu.* 6. *art.* 3. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 314. & alij. Ratio, quia hæredes occiſi neceſſarij cum ipſo faciũt vnam perſonam, & per conſequens homicida cenſetur eos læſiſſe lædendo illum, cum quo vna perſona reputantur.

Sciendum hæredes alios eſſe neceſſarios, alios non; hæredes neceſſarij dicuntur filij, vxor, & parentes, & dicuntur neceſſarij, quia in totum priuari non poſſunt hæreditate. Hæredes non neceſſarij dicuntur, qui licet ab inteſtato in hæreditatem ſuccedant, tamen hæreditate priuari poſſunt, vt fratres, &c. Vnde poſt mortem occiſi nulla reſtitutio facienda eſt fratribus, alijſque cognatis, quia cum non ſint hæredes neceſſarij cum defuncto, non cenſetur vna perſona. Leſſius, Scotus, Valentia *locis citatis*.

R. 2. Si vulneratus interfectori omnia remittat, ad nihil occiſor obligatur. Ratio, quia filijs non fit iniuria per homicidam in bonis fortunæ, niſi quatenus læduntur in Parente contra ipſius voluntatem, & per conſequens quando læſus cõdonat omne damnum, nullum ius eis remanet, ſicut qui fuit, remittit obligationem reſtituendi.

R. 3. Homicidam non obligari aliquid reſtituere creditoribus ipſius occiſi. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 26. Ratio, quia homicida nullam iniuriam creditoribus facit.

Sciendum 2. dubium eſſe, an occiſor obligetur ſatisfacere occiſo per preces, ieiunia, eleemoſynas, ſacrificia, aliaq; ſuffragia, & pia opera, quæ animæ defuncti proſint? Ad quod dicendum ex iuſtitia non obligari ad has ſatisfactiones, cum bonum ſpirituale non poſſit eſſe pretium rei temporalis, cum ſint res diuerſi ordinis; ex charitate tamen obligari huiuſmodi ſuffragijs pro ipſo ſatisfacere.

An qui alium, qui occidit ad defenſionem ſui, vel ſuarum rerum, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA IIII.

R. QVOD qui occidit inuaſorem ſui, vel ſuarum rerum cum moderamine inculpatæ tutelæ ad nullam reſtitutionem teneri, etiamſi ex odio ipſum occidat. Ratio, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ, at in iſto caſu violatur iuſtitia commutatiua, ergo, &c. Ita Nauarr. *cap.* 15. *num.* 27. Rebell. *lib.* 3. *quæſt.* 12. & alij.

Sciendum, quòd in iſto caſu inuaſus non tenetur fugere, quando fugiẽdo probabiliter ſe exponit diſcrimini alterius mali, vt ſi fuga eſſet illi ignominioſa; vnde ſi vt ſe, vel res ſuas defendat, occidit, non peccat, nec ad aliquam reſtitutionem tenetur. Verùm ſi inuaſus eſſet Clericus in ſacris, vel Religioſus tenetur fugere, quia his fuga non eſt ignominioſa. Idemque dicendum de Laico infimæ claſſis, cuius fuga in eius ignominiam non cedit. Ita Sotus *lib.* 5. *qu.* 1. *art.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 21. & alij.

Sciendum 2. quod ſi Clericus, & Religioſus nolint fugere, ſed debito moderamine res ſuas, vel ſe defendentes inuaſorem occiderent, non tenerentur ad reſtitutionem. Ita Molina *tom.* 3. *diſp.* 82. Leſſius *loco citato*. Ratio, quia licet peccarent contra charitatem non fugiendo, non tamen contra iuſtitiam, cum nullo iure teneatur fugere ad declinandam inuaſoris occiſionem. Verùm qui inuaſorem occidit, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia excedendo cenſetur cauſa mortis.

An obligetur ad reſtitutionem, qui alium caſu occidit?

BRACTEA V.

SCIENDVM homicidium aliud eſſe voluntarium, & aliud caſuale: homicidium voluntariũ eſt illud, quod per ſe intenditur ab homicida, ac reputatur, perinde ac ſi eſſet intentum, vt quando quis percutit in capite, aut circa præcordia, animo non occidendi, ſed ſolùm percutiendi, quia ſi moritur, homicidium cenſetur voluntarium, ac ſi eſſet intentum: homicidium caſuale eſt illud, quod nec in ſe, nec in cauſa eſt volitum, ſeu per ſe non intenditur, nec reputatur, ac ſi eſſet intentum; vt ſi quis percutiat Paulum percuſſione non ſufficienti ad inferendam mortem, ſi moriatur, homicidium cenſetur caſuale, quia non eſt volitum in ſe, nec in cauſa, cum percuſſio, vt ſuppono non ſit ſufficiens ad inferendã mortem. Ita Nauar. *cap.* 27. *num.* 280. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 2. Quo poſito.

R. Occidens aliquem caſu non peccat peccato homicidij, nec obligatur ad reſtitutionem. Ita Bonacina de *reſtitut. diſp.* 2. *quæſt. vlt. ſect.* 2. *pun.* 2. & alij ab eo citati. Ratio, quia tale homicidium non cenſetur voluntarium, & obligatio reſtituendi oritur ex actione iniuſta voluntaria. An putans occidere vnum, & aliũ occidit, obligetur ad reſtitutionem? R. affirmatiuè: ratio eſt, quia re vera voluit occidere hunc hominem

in indiuiduo, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem damni cauſati ob mortem illius hominis, quem occidit.

Sciendum 2. non obligari ad reſtitutionem, quando cauſa taliter erat ineſſicax, vt ex ea non poſſit regulariter effectus mortis ſequi, ſed aliunde, nempè ex eo quod per accidens coniungitur cum tali cauſa, vt v.g. quidam alteri inflixit vulnus leue, & non lethale, ſed vulneratus, aut inſcitia, aut negligentia Chirurgi perit, aut etiam quia noluit remedia opportuna accipere, vulnerans non obligatur ad reſtitutionem. Tum quia vulnus non cenſetur cauſa mortis, ſed ſolùm occaſio, negligentia, aut inſcitia Chirurgi cenſetur cauſa mortis; obligatur tamen ad aliquam reſtitutionem tanquam vulnerans. Sotus *lib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 15. *num.* 103. Secundò dans operam rei licitæ, vel illicitæ, à qua rarò mors contingere poteſt, ſi debitam diligentiam adhibuit, ne ſubſequatur mors, non obligatur ad reſtitutionem damni, ſi ſequatur. Ratio, quia mors non cenſetur volita, nec in ſe, nec in cauſa, ſed omninò caſualis. Tertiò dans operam actioni, maximè periculoſæ homicidij ſequuta morte obligatur ad reſtitutionem damni, niſi adhibuerit diligentiam, quam prudentiſſimi ſolent adhibere ad ipſum præcauendum. Ratio, quia tale homicidium non cenſetur voluntarium in cauſa, cum diligentia vſus ſit ad ipſum præcauendum, neque etiam habetur pro voluntario, quia adhibuit diligentiam, quam prudentiſſimi ſolent adhibere.

An ſi occidens non reſtituit, teneantur eius hæredes?

BRACTEA VI.

R. QVOD quando reſtitutio facienda eſt per petitionem veniæ, vel reſtitutionem famæ hæredes obligati non cenſentur. Ratio eſt, quia talis ſatisfactio eſt debitum perſonale, & ad debita perſonalia defuncti non tenentur hæredes, niſi occiſor viuens fuiſſet condemnatus, & tranſiuiſſet in rem iudicatam, vt v.g. pro iniuria quinquaginta nummos ſolueret, tunc enim tenentur hæredes illius occiſoris, vel infamatoris pecuniam illam reſtituere, quia tunc pecunia iſta non eſt, veluti debitum perſonale, ſed reuera temporale, & pecuniariũ. Ita Salon. 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 2. Sotus *lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 3. Arragon. 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 2. & alij. Secundò hæredes occiſoris obligari ad ſatisfactionem realem, quæ debetur per pecuniam. Ratio, quia bona cenſentur obligata ex iuſtitia ad reſarcienda damna, quæ teſtator fecerat ex iniuſta ſua actione, immò fiſcus ad hoc tenetur, ſi bona teſtatoris fuerint confiſcata. Ita auctores citati, Bannes *ibidem*, Nauarr. *cap.* 15. *num.* 25. & alij.

An interficiens non habentem filios, aut cognatos intra tertium gradum obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VII.

R. CVM Diana *tract.* 6. *miſcel. reſolut.* 22. non obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia obligatio reſtituendi oritur ex damno dato, non cenſetur in iſto caſu damnum datum, ergo nulla eſt hic obligatio reſtituendi, & licet habeat alios coniunctos, v.g. cognatos in quarto gradu, non tamen ex hoc oritur obligatio reſtituendi, quia in conſciẽtia circa extraneos hæredes nullum damnum conſiderari poteſt, ratione cuius homicida obligetur ad aliquam reſtitutionm, cùm defunctus ſi adhuc viuus eſſet, non teneretur eis alimenta præſtare. Et ita Mercatus *tract.* 4. *de reſtitut. cap.* 6. Valerus *in differen. vtriuſque fori verbo reſtitutio differ.* 8. & alij.

MALLEATIO XXIX.

De Duello, & obligatione reſtitutionis.

Quid ſit Duellum?

BRACTEA I.

SCIENDVM duellum tribus modis accipi: primò largè pro concertatione duorum ex conuentione etiam licita, & lege non prohibita: ſecundò ſtrictè pro certamine duorum ex condicto ad eruendam veritatem, vel ad purgationem inducendam: tertiò pro concertatione duorum ex conuentione cum periculo occiſionis, vel mutilationis ex quacunque cauſa ſuſcipiatur, etiam ex vindicta. Quo poſito.

R. Duellum quoad noſtrum attinet negotium, eſt pugna ſingularis duorum, vel plurium deliberata ab vtraque parte; ſponte, & ex condicto ſuſcepta cum periculo occiſionis, mutilationis, aut vulneris. Ex qua definitione colligitur bellum non eſſe duellum, eò quod non ſit ſingulare certamen, nec in bello ſeruatur pugna ex cõdicto, vel idẽ perſonarũ numerus ſicut ſeruatur in duello, nã in duello vnus cõtra vnũ, vel duo contra duos, vel quinque cõtra quinque, inter ſe decertare ſolẽt &c. Secundò requiritur in duello, ꝙ fiat ex condicto: vnde conflictus, qui ſubito iræ feruore, vel ex altercatione naſcũtur non eſſe duella, eò quod non fiant ex condicto, ſicuti non committunt duellum milites, vel alij, qui ob priuatas inimicitias ſe inuitant ad pugnandum, & diſtrictis enſibus alter alterum occidit, quia tales altercationes nõ fiunt ex condicto. Qui verò dicit alteri, veni ad talem locum, te ibi expecto, videtur committere duellum, vel qui videt alterum enſe carere, illique dicit, eas captum enſem, hic te expecto, vel in tali loco; pugna enim initur ex condicto, & ex præuia conuentione, ſtatuto loco, & tempore, ſicut etiam cenſetur committere duellum, qui alteri dicit, cum prima vice ſeſe obuiam habuerint pugnaturos; adeſt enim aſſignatio loci, & temporis, illius ſcilicet quo ſe obuiã habuerint; ſi verò dicat inimico, diſtringe enſem, vt pugnemus, non committit duellum, quia non eſt aſſignatio temporis, & loci ex cõdicto; qui verò ad vitãdam loci in reuerentiam, aut ſuum periculum inimico dicit, exinde vt pugnemus, non cõmittit duellum, quia propriè non deſtinatur locus, ſed ſolùm intenditur euitatio irrinerentiæ, &c.

Si verò quis dicat inimico exiſtenti in Platea, vt inde exeat, ne pugna ibi ab hominibus exiſtentibus impediatur, cenſetur committere duellum, nam ſtatuit locum, videlicet extra Plateam, & ſtatuit tempus, videlicet præſens, & ſit præmeditatè, & non tantùm in rixa, aut calore iracundiæ, quia inuitatio, quæ fit ex ira, & motu ſanguinis, ſeu iracundiæ non eſt propriè duellum, cum non ſit inuitatio ad pugnam ex condicto. Et ita plures citati à Bonacina de *cenſuris diſp.* 2. *quæſt.* 6. *pun.* 2. *num.* 6.

Scien-

Sciendum 2. quod quando vnus offert alteri duellum, illumque eo tempore, quo duellum offert, gladio aggreditur: vnde alter cogitur ibi ſtatim pugnari, neuter dici poteſt duellum committere, cum talis pugna ex parte vnius dicatur aggreſſio, & ex parte alterius defenſio, quam non ſponte, ſed coactè ſuſcepit, nec adeſt aſſignatio loci, & temporis, quæ requiritur ad duellum.

An grauiter peccet, qui offert, aut acceptat duellum, & quas pœnas incurrat?

BRACTEA II.

R. Offerentes, & acceptantes duellũ grauiter peccare: Ratio, quia temerè vita innocentis exponitur periculo, quia fieri poteſt, vt innocens occidatur, quod eſt intrinſecè malum contra ius naturæ, nec vlla conſuetudine poteſt fieri licitum. Tum, quia non licet alterum occidere priuata auctoritate, ergo multò minus licitum eſt occidere in duello. Tum quia cenſetur prohibitum iure naturali, & Diuino, & iure canonico ſub excommunicatione, alijſque grauiſſimis pœnis, vel colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. quod incipit *deteſtabilis duellorum vſus, &c.* & ex varijs Summorum Pontificum conſtitutionibus Iulij ſecundi, Leonis decimi, Clementis ſeptimi, Iulij tertij, Pij quarti, Gregorij decimi tertij, & Clementis octaui, qui non ſolum confirmauit pœnas ſuorum prædeceſſorum, & excommunicationem, ſed eam extendit ad Reges, &c. & alios quoſcunque, qui publicè, vel etiam priuatim, etiam ſine chartulis, litteris prouocatorijs, vel patrinis duellum commiſerint, vel ſi conuenerint, vt non ſinguli cum ſingulis, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Extenduntur etiam iſtæ pœnæ dominis locorum, Magiſtratibus, Ducibus, militum, &c. qui non prohibẽt quò minus hæc fiant, niſi habeant iuſtam cauſam permittendi, aut qui poſt commiſſum crimen veniam, & impunitionem concedunt ijſdem pœnis ſubijciuntur ſuadentes, conſulentes quolibet modo, etiam ad defenſionem proprij honoris, etiamſi duellum poſtea ab ab alio non acceptetur, præterea his pœnis comprehenduntur comitantes, vt videant duellum, & ſpectatores ex induſtria, niſi fortè comitentur, vt impediant, quia ſic faciunt opus virtutis, ſpectatores verò qui caſu tranſeuntes vident obiter duellum non cenſentur incurrere pœnas, quia Bulla loquitur ſolum de ſpectatore ex induſtria; comprehenduntur etiam ſocij, patrini, prouocantes, conſulentes, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt pugnam non commiſerint, eo quod impediti fuerint, nec per ipſos ſteterit, quòminus pugna committeretur. Vltimò ſubijciuntur his pœnis aliquo modo ſe intromittentes, vel ad ipſum cooperantes, vt v.g. ſcribentes, ferentes prouocationem, &c. etiamſi pugnæ effectus, aut actus ad pugnam, aut publicatio, aut denunciatio, aut aperta prouocatio ſequuta non fuerit: Imperator, Reges, Duces, Marchiones, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad duellum in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint eo ipſo ſunt excommunicati, & priuati iuriſdictione, & dominio Ciuitatis, & Caſtri, &c. & directis Dominis acquiruntur. Ita ex Conſilio Tridentino loco citato.

An prouocatus ad duellum poſſit ipſum acceptare, ne ignauiæ, aut timiditatis notam apud alios incurrat?

BRACTEA III.

R. Regvlariter non eſſe licitum prouocato ad duellum illud acceptare. Ita Leſſius *cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 84. Sanchez lib. 2. *moral. cap* 39. *num.* 9. Molina *tract.* 3. *diſp.* 17. Rodriquez *tom.* 1. *cap.* 73. *concluſ.* 1. & alii. Ratio, quia vt dictum eſt prohibitum eſt ab Eccleſia ſub grauiſſimis pœnis acceptare duellum, vt patet ex Tridentino citato.

Sciendum, quod licet ordinariè prouocatus teneatur non acceptare duellum, dantur tamen caſus in quibus prouocatus poteſt ipſum acceptare, vt quando miles in exercitu ab alio milite prouocatur, aut vir equeſtris in Aula Regia prouocatus officio, dignitate, Ducis, aut Principis fauore ob ſuſpicionem ignauiæ excidere debeat, niſi prouocanti reſiſtat. Secundò licitum eſſe in duobus caſibus duellum: primus ad ſedandos exercitus contrarios, aut ſeruandam exercitus exiſtimationem: ſecundus quando aliquis compellitur ſub vitæ periculo acceptare duellum, quia quilibet poteſt conſulere vitæ propriæ, etiam cum morte inuaſoris. Similiter videtur eſſe licitum acceptare duellum ad defenſionem propriarum, quando aliquis eas inuadit, nec aliud adeſt remedium ad eas defendendas, præter acceptationem; tunc enim non dicitur propriè duellum, ſed iuſta defenſio rerum propriarum, requiritur tamen, vt duellum fiat, vel acceptetur, quando vis infertur rebus, cum vt ſupra dictum eſt, vim vi repellere à vita, & rebus proprijs nõ liceat, niſi quãdo vis infertur. Ita apud Bonacinam *loco citato num.* 11.

An prouocans alium ad duellum ſi prouocatum occidit teneatur ad aliquam reſtitutionem?

BRACTEA IIII.

R. Qvod qui aliquem ad duellum prouocauit, & ipſe prouocatus ad vitandum dedecus ipſum acceptauit, & fuit occiſus, prouocans obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia prouocatus cenſetur inuoluntariè acceptaſſe duellum, vt ſuum ſeruaret honorem. Ita Bannes 2. 2. *quæſt.* 65. *ar.* 2. Molina *diſp.* 82. Rebellus *part.* 2. *lib* 3 *quæſt.* 11. & alij ſecus autem ſi prouocatus prouocantem occidit. Ratio, quia alterum prouocando inuitauit ad ſui occiſionem, tum etiam ex eo, quod prouocauit, cenſetur tacitè remiſiſſe obligationem reſtituendi, tum etiam, quia prouocans expoſuit ſe periculo occidendi voluntariè, & reſpectu prouocati non videtur iniuſta occiſio, cũ ſit facta ad defenſionem propriã. Ita Bannes *loco citato* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 21. & alij. Secundò, ſi duo ſe viciſſim prouocant, cenſentur tacitè ſibi inuicem remittere obligationem reſtituendi, ſi vnus ab altero in duello occidatur. Ratio eſt, quia ſcienti, & volenti, & volenti non fit iniuria, etiamſi talis occiſio ſit cum damno filiorum, quia ius quod habent filij, vt alãtur à parentibus pendet ab illorum pietate, & ideò quando pater ceſſit iuri ſuo exponendo ſe periculo mortis, perit quoque ius filiorum contra homicidam.

An aliquando duellum poſſit eſſe licitum?

BRACTEA V.

R. DVELLVM generaliter ſumptum non eſſe ita ex genere ſuo malum, quin in aliquibus caſibus, ob iuſtas cauſas licitum eſſe poſſit: Vnde ex ipſius duelli cauſa eſt perpendendum an liceat, nec ne.

Sciendum ſex eſſe potiſſimum cauſas ob quas duellum eſt ordinatum. Prima eſt, vt per victoriæ euentum eruatur veritas, & iuſtitia alterius partis, & tale duellum eſt illicitum, & ſuperſtitioſum, & damnatum, & illud indicere, vel acceptare eſt ex genere ſuo malum, ſicut mendacium, quia in teſtimonium propriæ innocẽtiæ, aut iuris, aſſumitur id, quod non eſt aptum ad talem finem, cum ſæpè iuſtam cauſam habentes contingat ſuccumbere. Tum etiam quia habet repugnantiam cum ratione, ex qua infertur non eſſe licitum ſuſpicanti quendam adulterium commiſiſſe cum propria vxore, prouocare illum ad duellum, cauſa veritatis indagandę, cum ſit intrinſecè malum, ſicut etiam tale duellum acceptare. Secunda cauſa eſt ad vires oſtendendas; ob quem finem duellum non eſt licitum. Ratio eſt, quia contra rationem eligitur atrox medium, & periculum vitæ, ob vanum finem. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt. 95. art. 8. & alij citati à* Sanchez *lib. 2. cap. 39. num. 12.* ad debilitandas hoſtium vires, eorumque animos frangendos in bello iuſto, poteſt eſſe licitum. Ratio, quia ſicut licitum eſt innitare vtrique parti ad pugnam, & eam acceptare, ita licitum eſt pugnare inter paucos, cum id fiat ob finem licitum, nempè ad debilitandas hoſtium vires, &c. Tertiò cauſa duelli eſt ad terminandam litem ciuilem, vel criminalem, & neque ob hunc finem licitum eſt duellum, quia non eſt medium aptum ad terminandam litem, an licitum ſit innocenti duellum acceptare, vel offerre, quando certum eſt fore, vt actor in iudicio ipſum opprimat, & eius iniuſtam condemnationem impetret? Reſpondeo. prætermiſſis alijs opinionibus licere duellum acceptare, vel etiam offerre, quando certum eſt innocentem damnandum ad mortem. Ratio eſt, quia id non eſt propriè duellum, ſed defenſio contra inuadentem. Quarta cauſa eſt defenſio proprij honoris, quam non cenſeo eſſe iuſtam cauſam acceptandi duellum. Ratio, quia etſi apud vulgares, & improbos, id ignominiæ tribuatur tamen apud ſapientes, & probos id honori aſcribetur, quando gratia diuinæ legis ſeruandę, duellum oblatum reſpuitur ſatis tamen erit prouocato ad duellum, vt ſuo honori conſulat prouocanti ſic reſpondere paratus ſum ad me defendendum quandocunque me inuaſeris, nolo tamen duellum acceptare, eo quod legi diuinæ aduerſetur, quia paratum eſſe ad ſe defendendum vacat culpa, Bannes 2. 2. *diſp. 3. quæſt. 17. punc. 1.*

Quinta cauſa eſt defenſio propriæ vitæ, & ob hãc cauſam non licet acceptare duellum ſponte. Ratio, quia etſi liceat vim vi repellere, ſe ab inuaſore defendendo, etiam cum occidendo, quando aliter vita defendi nequit, at hoc non eſt duellum, ſed quando ex condicto ſponte indicitur, aut acceptatur certamen, quod non eſt vitam defendere, ſed eam periculo exponere. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt. 95. art. 8.*

Sexta, & vltima cauſa eſt quando indicitur duellum vindicatiuum auctoritate publica ad illatam patriæ iniuriam vindicãdam, aut defenſiuum patriæ, ſed ex his cauſis etiam duellum cenſetur illicitum. Primò quatenus vindicatiuum. Ratio, quia ad vindicandam iniuriam, ex publica auctoritate requiritur, vt qui ad id miniſter aſſumitur ſit potentior, eo qui iniuriam intulit, & ſit veluti agens reſpectu paſſi, quod in ſingulari certamine non requiritur. Secundò quatenus defenſiuum, quia imitari oportet conditionem agentis naturalis, quod fortius, & potentius eſſe debet, vt efficaciori modo contrario reſiſtat. At conditio pugnandi in duello inefficax eſt, & reputatur debilis modus reſiſtendi ergo, &c. Verũ licet regulariter illicitum ſit, aliquando licebit reſoluere bellum in duellum, vt parcatur multitudini. Ratio, quia tunc prudenter agitur ex parte Principis gerentis iuſtum bellum, proſpiciens enim fore, vt bello indicto ſuccumbat, vel ſaltem multo ſanguine obtinenda victoria ſit. Si autem duello rem totam committat paucorum ſanguine, victoriæ quoq; ſpem habeat, rectè agit ruinam multorum certam transferens in ſpem victoriæ.

Sciendum dubium eſſe an in ijs caſibus in quibus duellum licitum eſt, liceat conditionem apponere, vt nullus ex circunſtantibus opem alicui ferat? Ad quod Reſpondeo ſi duellum ſit ob defenſionem vitę, vel rerum innocentis licitum eſſe duellum acceptare cum tali conditione, & circunſtantes tenentur ſuccumbenti non opem ferre. Ratio eſt, quia cenſerentur cooperari peccato iniuſtitię, quod ſi innocens ſuccumbat, tenentur illi ſubuenire, quia ex parte illius eſt iniuſta conditio, quando vero duellum eſt illicitum eſt illicita conditio. Ita Petrus Nauarr. *lib. 2. de reſt. cap. 13.* ſi ſermo ſit de hac conditione appoſita, quando bellum commune reſoluitur in duellum licita eſt ex parte vtriuſque duellantis. Ratio eſt, quia bonum commune exigit, vt fides ſeruetur, quia etſi ex parte iniuſtè bellantium eã conditio iniqua ſit, at bonum commune, quod in omnibus præferendum eſt, poſtulat fidem hoſtibus ſeruari, & maximè in rebus ad bellum attinentibus.

Quis poſſit abſoluere ab excommunicatione contracta ob duellum?

BRACTEA VI.

R. A excommunicatione contracta ob duellum Summum Pontificem poſſe abſoluere, nam ſicut ipſe tulit hanc pœnam, ita etiam poteſt auferre, cum ſibi abſolutionem reſeruant, vt patet ex Bulla Clementis VIII. Secundò, Epiſcopus poteſt abſoluere, quando delictum eſt occultum, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6.* quod non videtur abrogatum per Bullam Clementis VIII. cum in eo nulla fiat mentio Epiſcoporum, quæ mentio neceſſaria videtur, vt illud Decretum cenſeatur reuocatum, ex Henriquez *lib. 7. cap. 26 num. 3.* Rodriquez *tom. 1. quæſt. regular. art. 10.* & alijs. Deinde poteſt etiam abſoluere quando pœnitens iuſto detinetur impedimento, ob quod non poteſt adire Papam, vt patet ex *cap. extrà de ſententia excõmunicationis.* Tertiò Religioſi poſſunt abſoluere iuxta ſua priuilegia, dummodo non ſint reuocata, ſicut de facto fuerunt reuocata per Clementem VIII. in Bulla, quæ incipit *Sacra Congregatio*, quoad verum contractum iuxta formam Concilij Tridentini, & Gregorij XIII. hic etiam Taurini anno Domini 1649 fuit publicatum Decretum, quo reuocabantur omnes facultates conceſſæ Religionis pro abſolutione duellantium.

Sciendum dubium eſſe, an acceptantes duellum nõ ſequuto effectu incurrant excommunicationem?

Ad quod reſpondeo non incidiſſe in excommunicationem Gregorij XIII. quæ requirit effectum pugnæ conſummatum, ſed incidiſſe in excommunicationem Clementis VIII. qui ipſam extendit ad plures caſus, ad quos non extenditur Decretum Concilij Tridentini, nec Bulla Gregorij XIII. ſicut etiam, qui cum aliqua præmiſſa prouocatione ad duellum ſe contulit præfixo tempore ad determinatum locum, ibiq; prouocatum expectauit, quo non comparente intrà terminum conſtitutum diſceſſit, non incidiſſe in excommunicationem Gregorij XIII. ſed Clementis VIII.

Dubia quadam circà materiam duelli reſoluuntur?

BRACTEA VII.

R. QVOD prouocans alterum non animo pugnandi, ſed ſolum defendendi honorem, nõ incurrit in excommunicationem, & ita Diana *tract.6. Miſſellaneor. reſolut.1 plures citans*, dummodo habeat ſecuritatem, quod ex illa prouocatione nullum damnum ſequuturum ſit, ſed pax inde concilianda; ſecus verò dicendum erit ſi inter ſe conueniant pugnari ſolum, vt dicitur, vſque ad primũ ſanguinem, quia tunc incidunt in excommunicationem Gregorij XIII. Secundò non incurrere in excõmunicationem, ſi quia ad inimicum accedat arguẽdo illum mendacij ſi ſuſtinare voluerit, quod ei relatum fuit, etiamſi hoc dicendo manum enſi apponat, quia hæc non eſt prouocatio facta ad duellum ſtatuto loco, & tempore, ſed potius eſt iniuſta aggreſſio. Tertiò non affici excommunicatione, qui alium prouocat nullo ſtatuto loco, & tempore, quia de ratione intrinſeca duelli eſt, vt explicitè, vel implicitè ſtatuatur locus, & tempus. Quartò non incurrere in excommunicationem, qui ad locum determinatum duelli accedit determinato tempore ad pugnandum inſpiciendi cauſa, ſi pugna non ſequatur, eo quod non ſit ſpectator duelli, cum nõ ſequatur. Quintò, qui narrat aliquid, ex quo ſequitur prouocatio duelli non incurrere in excommunicationem etiamſi hoc præuiderit, cum id non exprimatur in Bulla Clementis VIII. & pœnæ non ſunt extendendæ vltrà verborum ſignificationem. Sextò ſcribentes, ferentes chartulas quibus, aliquis alium prouocat ad duellum incurrere in excommunicationem. Ratio eſt, quia ex parte prouocantis cooperantur, etiamſi poſteà pugna non ſequatur. Secus verò dicendum erit de illis, qui has chartulas prouocantium legunt, quia non cooperantur duello. Septimò conſulentem duellum incidere in excommunicationem, quia verè, & realiter influit in effectum, tum etiam quia ſe commiſcet in duello, quod maximè prohibetur in Bulla Clementis VIII. ſecus verò dicendum erit ſi conſilium ineſſicax erit, quia tunc ſicut non influxit in effectum duelli, ita nec incidit in excommunicationem Clementis VIII. An quãdo lis eſt inter duos, quæ non poteſt aliter terminari, niſi in duello, licitum ſit litem duello terminare? Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quia cauſa innocentia exponitur periculo, fieri enim poteſt, vt innocens occidatur, & præſumatur nocens, hac de cauſa olim ſuſcipiebantur duella, vt victus putaretur nocens, & conuictus haberetur criminis obiecti.

MALLEATIO XXX.

De Bello.

An Bellum ſit res licita?

BRACTEA I.

R. BELLVM ex natura ſua eſſe rem licitam, probatur ex multis ſacræ ſcripturæ locis, vt iudicum 3. vbi Dei conſilio Iſraelitæ inſtituuntur ad bella cum Cananæis, primo Regum 15. Saul Dei præcepto bellum gerit, & ex pluribus alijs locis ſcripturæ, tum etiam quia lege naturæ habent homines ius propulſandi iniurias, vel ſe defendendi, & prohibendi ne inferantur, vel aliquo modo vlciſcendo, & amouendo illatas, vt ſic tuti eſſe poſſint, at aliquando id non fieri poteſt, niſi per bellum, quando non eſt aliquis vtrique parti ſuperior, ad quem fiat recurſus pro compenſatione, & vindicta iniuriæ conſequenda. Ita Molina *tom 1. diſp.99.* Valentia *tom 3 diſp.3. quæſt.6.* Clauis regia *lib.7. c.13. nu.2.* & alij communiter.

Sciendum, Bellum duplex eſſe vnum offenſiuum, & alterum defenſiuum. Offenſiuum vocatur, quando quis prior bello alterum aggreditur. Defenſiuum verò, quando quis ſe defendit, contra alium aggreſſorem, inter quę bella diſcrimen eſt. Tum, quod finis belli defenſiui, tantum ſit defendere ſe ipſum, & ſuam Rempublicam, finis autem belli offenſiui ſit ſumere vindictam de alterò, vnde, & vindicatiuum dicitur. Tum, quod bellum defenſiuum ſit actio cuiuſuis hominis, etiam priuati, cui cõceditur ius ſe defendendi. Bellum verò offenſiuum ſit hominis fungentis auctoritate publica.

Sciendum 2. quod ad hoc, vt bellum offenſiuum ſit iuſtum, tres circunſtantiæ requiruntur: prima eſt auctoritas indicendi bellum, quæ ſolum reſidet penes Rempublicam perfectam, hoc eſt penes Magiſtratum, à quo illa gubernatur, ſiue penes Principem ſupremum, non recognoſcentem ſuperiorem in temporalibus: ſecunda circunſtantia, quæ requiritur eſt iuſta cauſa bellandi, quæ in vniuerſum eſt, propulſatio grauis iniuriæ, & certæ, hæc enim, quando adeſt, non modo bellum, poteſt iuſtè ſuſcipi ab ijs, qui iniuriam acceperunt, verum etiam adiuuari ab aliis, qui ſocii eſſe velint: tertia circunſtantia eſt recta intentio, vt quando ſuſcipitur bellum ob bonum cõmune, vel ob pacem, verum iſta circunſtantia non eſt adeò neceſſaria, ſicuti duæ pręcedentes, vt illa deficiente bellum dicatur iniuſtum inducens obligationem reſtituendi, ſicuti illam inducit defectus primæ, & tertiæ circunſtantiæ. Ita Molina *diſp.107.* Bannez 2. 2. *quæſt.40. art.1.* Rodriquez 1. *part. cap.126. num.2.* & alii. Conditiones belli defenſiui ſunt tres prima eſt, vt is, qui bellum infert nolit deſiſtere etiam rogatus, ſecunda iuſta cauſa ſuſcipiendi tale bellum, tertia bona intentio, auctoritas ſuperioris non eſt neceſſaria in bello defenſiuo. Ita communiter Theologi, & iuriſperiti.

An Bellum poſſit indici, quando dubitatur de iuſtitia Cauſæ?

BRACTEA II.

R. Ante diligentem inquiſitionem dubius de iuſtitia cauſæ non poteſt bellum mouere, immò neque poſt inquiſitionem, ſi de cauſa poſſeſſionis agatur, cum in dubiis melior ſit conditio poſſidentis, & ideò poſſidens rem poteſt ſe tueri, vt ſe defendat cùm ſicut in cœteris priuatis bonis, ita etiam in regno præfertur is qui poſſidet, non poſſidenti in pari dubio cauſæ; quando verò res à neutra parte poſſidetur, vt quando dubium eſſet inter duos Principes, vter eorum legitimus eſſet poſſeſſor in aliquo regno neutra pars poteſt arma capere ad occupandum totum regnum, ſi dubium ſit æquale, quia exponeret ſe periculo vſurpandi rem alienam, poteſt tamen capere arma ad occupandam partem æqualem, vel inæqualem pro æqualitate, aut inæqualitate dubii ex vtraque parte. Ita Bannez 2. 2. *queſt*.40 *art*.1. & alii, qui addit poſſe bellum iniri contra poſſeſſorem dubium ab eo, qui licet non poſſideat, habeat tamen minus dubium, quam habeat alter, qui rem poſſidet.

Sciendũ dubiũ, an dilatatio imperii, aut alia regni vtilitas cenſenda ſit principi eſſe iuſta cauſa indicendi bellum? Ad quod reſpondeo, quod cùm non liceat nocere vni particulare propter propriã commoditatem, multo minus licere toti Reipublicæ. Reginald. *lib*.21 *cap*.8. *num*.97. & alii.

An Bellum poſſit eſſe iuſtum ex vtraque parte?

BRACTEA III.

R. Ex natura rei, & per ſe loquendo non poſſe dari, quod bellum ex vtraque parte ſit iuſtum. Ratio, quia actus contrarij circa idem non poſſunt ex ſe pertinere ad eandem virtutem: talis autem eſſet conatus occupandi aliquam Ciuitatem, & conatus defendendi; per accidens ob inuincibilem ignorantiam alterius partis poteſt bellum eſſe iuſtum ex vtraque parte; fieri enim poteſt, vt vna pars pugnet pro recuperanda re, quæ verò ſit ſua, & altera pro eadem retinenda, quã inuincibiliter ignoret eſſe alienam, ſed bona fide putet eſſe ſuam. Ita Azorius 3. *par. lib*.2. *cap*.7 *queſt*.20. & alij. An Princeps ex opinione probabili poſſit bellum gerere, licet ab altero Principe poſſideatur Ciuitas, etiam cum opinione probabili? Negatiuam ſententiam tenet, vt alibi dictum fuit. Villabos in *ſumm. tom*.1. *difficult*.17. *num*.6. & 7. Vaſquez in *par*.2. *tom*.1. *diſput*.64. *cap*.3. *nu*. 11. Mourefinus in *par*.2. *tom*.1. *diſp*.29. *queſt*.5. *num*.224. & alij. Verùm ſi opinio verſetur circa ius affirmatiuam ſententiam, tenet contra præfatos Doctores Sanchez in ſuis practicis diſputationibus *diſp*.44 *nu*. 58. vbi plures affert rationes pro hac firmanda ſententia, Becanus in ſumm. Theolog. *par*.7. *cap*.25. *queſt*. 5. Molina de *iuſtit. tom*.1. *tract*.2. *diſput*.103. Valentia *tom*.3. *diſput*.3. *queſt*.16. *pun*.17. Salas in *par*. 2. *queſt*. 21. *tract*.8. *diſput. vnica ſect*.13. Tanerus in 2.2. *diſp*.2. *queſt*.6. *dub*.4. & alij.

An liceat Bellum infidelibus inferre?

BRACTEA IIII.

Sciendum triplex eſſe genus infidelium: quoſdam eſſe ſubiectos Principi Chriſtiano de facto, & de iure, vt ſunt Iudæi, & alij, qui habitant in terris Chriſtianorum: quoſdã eſſe ſubiectos Chriſtianis de iure, & nõ facto, vt ſunt Turcæ, & alij, quia iniuſta occupant terras, in qua Chriſtiani habent ius, licet de facto à Turcis poſſideantur: quoſdam denique non eſſe ſubiectos, neque de iure, neque de facto, vt ſunt Indi, & Pagani, qui nunquam Principibus Chriſtianis fuerunt ſubiecti. Quo poſito.

R. Licitum eſſe Bellum gerere, interueniente iuſta cauſa infidelibus primi generis, conſequenter poſſe etiam à Principibus Chriſtianis priuari bonis, aut vita propter commiſſa delicta, vel propter commune bonum. Ita Valentia 2.2. *diſput*.3. *queſt*.16. *pun*.2. & alij. Secundò licitum eſſe Bellum cum infidelibus ſecundi generis, qui de iure ſunt ſubiecti, licet non de facto, conſequenter poſſunt priuari bonis, & terris, quas poſſident, à Principibus, ad quos iure hæreditatis ſpectant, vel ab alijs de conſenſu tacito, vel expreſſo Summi Pontificis, qui præſumitur adeſſe ex publica lætitia, quam exhibet Eccleſia poſt obtentam ab aliquo victoriam. Ita Valentia *loco cit*. & plures apud Azorium 3 *par lib*.2. *cap*.7. *queſit*.30 Tertiò per ſe loquendo non eſſe licitum Bellum gerere cum infidelibus tertij generis, qui nec de iure, nec de facto ſubiecti ſunt, conſequter, nec eſt licitum priuare eos ſuis bonis, nam Principes Chriſtiani nullum ſuper eos habent ius, cum non ſint illis vllo iure ſubiecti. Ita Caiet. 2.2 *queſt*.66 *art*.8. Azorius *loco cit*.

Sciendum 2. quod dantur aliqui caſus, in quibus licitum eſt cõtra eos Bellum gerere: primus eſt, quando impediunt prædicationem Euangelij, nam impediendo prædicationem Euangelij faciunt iniuriam Eccleſiæ, quæ accepit poteſtatem à Chriſto prædicandi Euangelium in toto orbe: ſecundus eſt, quando committunt peccata, quæ afferunt damnum proximo, quamuis ſpectata quæ Dei honorem offendũt, vt Idolatria, &c. relinquantur vltioni Diuinæ. Ita Molina *diſp*.106. nihilominus ea, quæ proximo damnum inferunt, poſſunt à Principe impediri. Vnde Princeps poteſt Bellum mouere infidelibus, qui more belluarum viuunt comedendo carnes humanas. Ita Molina *loco cit*. tertius eſt, quando infideles poſſident terras, quæ olim Chriſtianorum erant: quartus, quando infideles inferunt iniurias Chriſtianis: quintus, quando abducunt Chriſtianos à vera Religione.

Cuius ſint, quæ capiuntur in bello?

BRACTEA V.

R. Res mobiles acquiri militibus acquirentibus, niſi aliter ſtatuant Principes, aut aliter in conſuetudine ſit receptum, nam bono communi expedit, vt huiuſmodi bona ſint militum, vt audaciores ſiant ad debellandos hoſtes. *leg. ſi quid in Bello ff. de captiuis*, & *cap. dicat* 23. *queſt*.5. Ita Tabien. *verbo Bellum num*.10. res verò immobiles fiunt Principis Bellum indicentis, ex quo fit, vt hoſtes teneantur finito Bello reſtituere acquiſita iuſto Bello, aut alio iuſto titulo, quia priores Domini amiſerũt dominium; ſi verò Bellum fuit iniuſtum, non poſſunt acquiſita retineri, ſiue illa eſ-

ſent aduerſariorum, ſiue aliorum, nam Domini non amiſerunt illorum dominium per Bellum iniuſtum.

Sciendum non poſſe emi vili pretio ea, quę ab hoſtibus aduerſarijs iniuſtè extracta ſunt, nam priores Domini non amiſerunt dominium per iniuſtam hoſtium extractionem, & rapinā, etiamſi priores Domini, nunquam recuperatiui eſſent talia bona, nō enim ob id amittunt dominium rerum ſuarum; ſi autem veriſimile ſit, ea nunquam peruētura ad priores Dominos, vt ordinariè euenit, poſſumus illa emere, etiā vili pretio hoc animo, vt Domino comparente illi eadem reſtituamus, pro eodem pretio, ſin minus nobis eadem retineamus; ſic enim vtiliter gerimus negotium Dominorum, qui non cenſentur rationabiliter inuiti. Ita Molina *diſp.*122. Reginald. *lib.*21. *cap.*8. *ſect.*4. *num.* 117. & alij apud Vaſquez de *reſtitut. cap.* 9. §.2. *diſp.*5. *num.*28. Rodriquez *cap.*128. *num.*6.

An Principes poſſint dare vrbes militibus in prædam?

BRACTEA VI.

R. Vrbes poſſe dari militibus in prædam in cauſis grauiſſimis. Ita Molina *diſp.*22. Reginaldus *lib.*21. *num.*115. Azor. 3. *part. lib.*2. *quaſ.* 13. Valentia *tom.*3. *diſp.*3. & alij. Dixi in cauſis grauiſſimis, quia non eſt licitum inferre hoſtibus pro exiguo damno, dānum longè excedens ſibi illatum, niſi hoc neceſſarium ſit pro bono publico; ſicut etiā licitum eſt poſt partam victoriam iiſdem pœnis afficere pugnantes iniuſtè, quibus affici poterant in ipſo conflictu, dum modo hoc conducat ad finem belli. Ita Azorius *loco citato* Victoria de *bello num.*44. Reginaldus *num.*114. Poſſunt etiam occidi obſides, quibus non eſt data fides de ſalute, ſi comperti fuerint nocentes. Ita Em. Sà *verbo bellum*; ſi verò ſint innocentes non poſſunt occidi, etiamſi illi, qui illos miſerunt, non ſtent promiſſis. Ita Molina *loco cit.* Lopez 1. *part. cap.*61. poſſunt tamen alijs pœnis affici, vt carcere, exilio, priuatione bonorum, &c. Reginaldus *loco citato*. Secundò non eſſe per ſe licitum in pugna, aut poſt pugnam occidere eos, qui ſunt, aut qui præſumi debent innocentes, iuxta illud Exodi 23. *Inſontem, & iuſtum non occides*, quales ſunt infantes, mulieres, Clerici, Religioſi, Legati, Oratores, Mercatores, non quidem Mercatores Ciues contrariæ Reipublicæ, ſed tranſeuntes, & ferentes mercaturas ad illum locum. Ita Molina *diſp.*119. Valentia, Tabiena, Lopes *locis citatis*. Tertiò hoſtes iniuſtè pugnantes poſſe aliquando poſt partam victoriā iiſdē pęnis affici quibus affici poterant in ipſo cōflictu, vt dictum eſt, ſi hoc conducat ad finē belli; ſecus verò non. Quartò Principem facta pace cum hoſtibus non poſſe bona illis remittere, quæ ſubditi ſui tempore belli acquiſiuerunt abſq; eorū conſenſu. Ita apud Barboſa *collectan. Doctorum in part.*1. *decretal. cap. iuſtum, num.*4.

An licitum ſit in bello captos, redigere in ſeruitutem?

BRACTEA VII.

R. Licitum eſſe in bello captos redigere in ſeruitutem; & ita communiter. Ratio eſt, quia licitum eſt eos occidere; ergo multò magis redigere in ſeruitutem, quod mitius eſt: innocentes autem poſſunt etiam fieri ſerui, quia in pęnam Patrum, & delictum, poſſunt filij puniri ſeruitute. Ita ex Azorio *quaſt.*22. Chriſtiani verò iure belli, etiam fieri poſſunt ſerui, more tamen recepto, & ex conſuetudine non fiunt ſerui, ſed tantum retineri iuſte poſſunt, donec pretio redimantur. Ita ex Couarruuia in *regula peccat.* §.11. *n.*6. & ex Azorio *q.*24. Quod verum eſt inter Chriſtianos, nam inter infideles adhuc ius gentium contrario vſu abrogatum non eſt; licitum tamen illis eſt fugere, vt in patriam redeant, & ſe conſtituant in libertate; non tamen eſſet licitum fugere, vt intra infidelium confinia vagentur, aut commorentur. Couar. *lib.*1. *variar. cap.* 2. *num.*10. & alij.

An licitum ſit procurare victoriam inſidijs?

BRACTEA VIII.

R. Seclvsis mendaciis licitum eſſe procurare victoriam per inſidias, & ſtratagemmata, dummodo non fuerit data fides hoſtibus non ponendi inſidias, fides enim hoſtibus data ſeruanda eſt. Ita S. Thom. 2.2. *quaſt.*40. *art* 3. Molina *diſp.*111. Azorius 3. *part. lib.*1. *cap.*7. *quaſit.*14. & 15. Silueſter verbo *bellum quaſit.*8. *num.*9. Em. Sà verbo *bellum, num.*15. & alii, licet fides non ſit ſeruanda hoſtibus, quando ipſi non ſtant promiſſis, quia frangenti fidem, fides ſeruanda non eſt. Tum etiam, quia promiſſiones cenſentur fieri conditionaliter, ſi hoſtis ſteterint promiſſi. Secundò licitum eſſe etiam in bello defenſiuo, etiam in bonis fortunæ pro ſumenda vindicta de iniuria illata inferre damna hoſtibus, & pro ſtabilienda pace in futurum. Ita Molina *diſp.* 120. & 122. Tabiena verbo *bellum num.*11. Quando milites cōtra expreſſam, vel tacitam ſuperioris prohibitionem ne damna aduerſariis inferrent, aliquod damnum inferunt, obligantur ad reſtitutionem. Ita Molina *loco cit.* Azorius *loco citato. quaſit.*18. Em. Sà *verbo bellum, num.*6. & alii. Ratio, quia damna cenſentur iniuſtè illata; ſi verò Dux exercitus prohibuit, ne damna inferantur hoſtibus, vt ſolum ſeruaretur diſciplina militaris, aut ne ipſius exercitus damnum pateretur, in hoc caſu milites non obligantur ad reſtitutionem, quia factum non eſt per ſe contra voluntatem Principis, licet illi diſpliceat factum ob inobſeruantiam diſciplinæ militaris, vel ob periculum damni exercitus. Ita Molina *diſp.* 101. & alii.

MALLEATIO XXXI.

De Duce exercitus, & Centurione militum, & eorum obligationibus.

De qualitate Ducis exercitus, Centurione, &c.

BRACTEA I.

R. In Duce exercitus Centurione, & militibus plures qualitates requiri, prima quæ requiritur eſt Religio, vt ſcilicet in militandi munere. Primò Dei honorem, & gloriam, communeque pacis bonum intendant.

Secūdò requiritur iuſtitia, vt ſcilicet bellum tantum iuſtum ſuſcipiatur. Verum poſſe milites cum à ſuo Principe conuocantur militiæ nomen ſalua

Religione, & iuſtè dare, niſi certo de belli iniuſtitia conſtet, nec enim ad ſubditos milites ſpectat bellorum cauſas examinare, ſed hoc Principum, & Conſiliariorum munus eſt, ſi verò milites Principi non ſubiiciantur, militiæ aſcribi minimè poſſunt, ſi de belli iniuſtitia probabiliter dubitent. Ad iuſtitiam etiam pertinet, vt à rerum Eccleſiaſticarum inuaſione abſtineant alias Dei vindictam experientur, vt nemini alteri, quam hoſtibus damnum inferant. Item vt propriis ſtipendiis acquieſcant, & ideò militibus D. Ioannes reſpondit. Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Imò ne hoſtium quidem loca ſine Ducis poteſtate deprædari eis licet.

Tertiò requiritur in milite, tàm animi, quàm corporis fortitudo. Eſt enim animi fortitudo, aggreſſio terribilium, vbi mors imminet propter bonum commune ſaluandum, cuius partes ſunt magnanimitas patientia, & perſeuerantia.

Quartò in milite fidelitas exigitur, vt ſcilicet Duci in his, quæ ad militarem diſciplinam pertinent, obtemperet. Si quidem ſumma militiæ laus eſt inter alia obedientiam exhibere. Vnde Ioſephus *lib. 3. de bello Iudaico, cap.*25. ſcripſit duabus potiſſimum rebus Romanos ad tantam perueniſſe potentiam obedientia, & armorum exercitatione, hæc fidelitas exigit, vt miles, quę amicis, vel hoſtibus promiſit factis compleat.

Quintò debent Duces, & milites eſſe vnanimes, & concordes. Vnde Ducis partes ſunt militum animos conciliare, nec pati, vt inimicitiæ inter eos exoriantur, ſimulquè curare, exortæ ſtatim extinguantur iuriſquè præcepta ſeruentur, quæ ſunt honeſtè viuere alterum non lædere, & ius ſuum vnicuiquè tribuere. Dux ille inutilis eſt, apud quem militaris diſciplina non viget.

Sextò Duces præcipuè, & Centuriones equitum, & militum debent habere ſcientiam, & peritiam artis militaris. Vnde Vegetius *lib.* 1. *cap.*1. *de re milit.* ait ſcientia rei bellicæ, dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt. Rudis, & indocta multitudo expoſita ſemper ad cædem. Hæc ſcientia maximè requiritur in Duce exercitus, Capitaneis, & in aliis habentibus adminiſtrationem, ſeu auctoritatem in exercitu, vt oſtendit. Cepoll *in tract. de Imperatore eligendo verbo ſcientia.* Quæ ſcientia acquiritur lectione, & per armorum exercitationem.

Septimò Duces, &c. debent eſſe vigilantes ad cuſtodiam, ne dormientes inuadantur ab hoſtibus, ſicut fecit Macrobius Carthag. Dux contra Aſſirios quos vincere dubitans, vino, & mandragoris, doloſè inebriatos interemit.

Vltimò requiritur in Ducibus, &c. Patientia in aduerſitatibus, & belli laboribus ſuſtinendis. Perſeuerantia, quia niſi bellando perſeuerauerint nunquam reportabunt victoriæ triumphum, hæc & plures aliæ qualitates requiruntur in Ducibus, Capitaneis, Militibus.

MALLEATIO XXXII.

De Duce Exercitus, & Centurione Militum, & de eorum obligationibus in ordine ad reſtitutionem.

An Duces, militum obligentur ad reſtitutionem damni illati per ſuos milites?

BRACTEA I.

R. Belli Duces non impedientes facta, vel alia damna ſuorum militum, quæ ex officio tenentur impedire, obligari ad reſtitutionem; non obligari tamen ad impedienda damna priuatorum, ſaltem cum damno ſuo maiori, ſeu vitæ, aut honoris, aut famæ, aut rei familiaris, quia non cenſentur ſuſcepiſſe ea munera, cum tanto grauamine, & onere, grauia verò damna præſertim ſpiritualia Communitatis, vt hæreſes teneri impedire etiam cum vitæ periculo. Ita Leſſius *lib.*2 *cap.*9. *dub.*10. Rebellus *lib.*2. *quæſit.*15. *ſect.*5. Molina *tom.*3 *diſp.*735. & alij apud Vaſquez de *reſtitut. cap.*9. § 3. *num.*25. & apud Emanuelem Sà *verbo reſtitut. num.*1. Ratio, quia cenſetur cauſa efficax totius damni, ad quod direxit exercitum.

Pro Maiori intelligentia ſciendum, culpam aliam eſſe Theologicam, & alteram iuridicam, culpam Theologicam eſſe peccatum mortale, aut veniale: Iuridicam eſſe omiſſionem debitæ diligentiæ, quam quis adhibere tenetur, quæ triplex eſt, vt dictum alibi. His poſitis.

R. Non obligari Ducem militum ad reſtitutionem damnorum ſequutorum per milites abſque culpa Theologica. Ita Rebel. 2. *part. lib.*2 *quæſt.*10. *n.*23. Azorius 3. *part lib.*9. *cap.*8. Petrus Nauarr. *lib* 2. *cap.*1. Ratio, quia Dux non cenſetur eſſe in culpa Theologica damni illati per ſuos milites. Tum quia ibi non eſt culpa Theologica damni, vbi non eſt ſcientia eiuſdẽ, & per conſequens, qui nõ habuit ſcientiã dãni, non fuit in culpa illius. Secũdò Iudicem in foro conſcientiæ, & ante Iudicis ſententiã obligari ad reſtituenda dãna à ſuis militibus eius culpa Theologica cauſata. Ratio, quia qui cauſam dãni dat, damnum dediſſe videtur, & per conſequens cum culpa Theologica fuerit damnum ſequutum, cenſetur fuiſſe ipſius cauſa.

An peccent Duces militum, qui tempore reſignationis fictos milites repræſentant, vt plura ſtipendia recipiant, vulgo dictos Paſſauolanti?

BRACTEA II.

R. Peccare mortaliter. Ita Petrus Nauarrus *lib* 2. *de reſtit. cap.*3. *num.*8. Rodriquez 1. *part. cap.*129. Molina *tom.*1. *diſp* 116. & alij, qui de bello agunt. Ratio, quia recipiendo plura ſtipendia committunt furtum, & non modo obligantur ad reſtitutionem acceptorum, verum etiam ad compenſationem damnorum, quæ inde paſſus eſt Princeps. Secundò nec tali modo abſque peccato poſſunt ſibi cõpenſare, ſi eis Princeps aliquid debeat.

Ratio,quia accipiunt quaſi ſemper pluſquam ſit debitum immò grauiſſimum damnum Principibus inferunt, quia cum putent habere neceſſarios milites ad victoriam conſequendam, ad debellandum hoſtem,Ducum fraude decipiuntur, & idcircò cum ſit pugna,vel ab hoſtibus aggrediuntur ob defectum militum,non ſolùm miſerrimè vincuntur,ſed etiam Ciuitates,& arces hoſtibus traduntur: idcircò tales Duces aliquando puniuntur nō modo in rebus, ſed etiam in vita.

An Duces militum, qui à Communitatibus extorquent pecuniam, ne apud eas cum ſuis militibus diuerſentur, peccent, & obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA III.

R. Peccare mortaliter, & obligatos eſſe ad reſtitutionem. Ratio, quia accipiendo pecuniam, & milites aliò transferentes iniuſtè aggrauant populos. Ita Molina *diſp.*118. Bonacina de *bello,num.*19. & alij. Secus autem ſi adeſſet conſenſus tacitus,vel expreſſus Principis permittentis extorquere illam pecuniam, ob aliquem iuſtum finem. Secundò peccare mortaliter Duces,& obligari ad reſtitutionem,qui plures domos faciunt ſibi aſſignare,& accepto ſtipendio ab alijs,ad vnum tantum diuertunt. Ratio, quia ſic faciendo iniuſtè aggrauant Communitates, cum ipſi non habeant ius permanendi, niſi in vna domo, etſi illa erit ſufficiens ad ipſos alendos, faciunt contra iuſtitiam faciendo ſibi alias domos aſſignare, & obligantur ad reſtitutionem accepti. Tertiò Duces,qui cum particularibus aſſignatis aliquid paciſcuntur,vt dicitur (Per li vtenſilij groſſi) iuſtè paciſcuntur. Ratio, quia accommodatio illorum vtenſilium eſt appretiabilis pecunia, & per conſequens ſi aliquid paciſcuntur, & accipiunt, iuſtè faciunt, & vtuntur iure ſuo. Quartò non modo pro vtenſilibus, &c. ſed etiam pro victu ſibi aſſignato, & animalibus poſſe aliquid paciſci, & accipere à particularibus aſſignatis pecuniam, dummodo paciſcantur prætium iuſtum, & moderatum. Ratio, quia ſicut incolæ iuſtè tenentur dare victum Ducibus, ita etiam pro victu poſſunt paciſci pretium, & ipſum accipere; tum etiam, quia in iſta conuentione nulla reperitur iniuſtitia. Quintò grauiter peccare Duces grauando ruſticos, euſque compellendo ad ea, ad quæ non tenentur, vt ad victum, &c. neque excuſantur eo quod non ſoluantur illis ſtipendia, quia per hoc bona ruſticorum non remanent obligata: excuſantur tamen compellentes ruſticos ad tradēda ſibi neceſſaria,quando aliter in eo caſu, ea habere non poſſunt, & non poſſunt diſcedere abſque communi præiudicio exercitus; & in eo caſu tenentur Princeps ruſticos compenſare, vt docet Molina *tom.*1.*diſp.*116. & alij.

An ſi Duces accipiant aliquid ſupra taxam, peccent, & obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA IV.

R. Præſcindendo ab aliqua iuſta cauſa non poſſe Duces accipere aliquid ſupra taxam, poſita autem aliqua iuſta,& rationabili cauſa poſſe aliquid accipere ſupra taxam,vt v.g. ſe modeſtè gerant, &c. & curent, ne incolæ vexentur, & moleſtentur à militibus. Ratio,quia hæc omnia ſunt appretiabilia pecunia. Secundò Duces tuta conſciētia poſſe retinere datum,dummodo ſit moderatum, & liberè fuerit datum.Ratio,quia volenti,& conſentienti nulla fit iniuria. Dixi moderatum,quia ſi immoderatum eſſet, præſumeretur non liberè datum, & per conſequens eſſet obnoxium reſtitutioni. Tertiò,quando taxa facta à Principe non eſt iuſta, & ſufficiens ad ſuſtentationem ipſius,& familię,poteſt paciſcendo reducere ipſam ad æqualitatem;ita vt ſufficiat ad ſuſtentationem. Ratio, quia ſic paciſcendo vtitur iure ſuo,& nullam facit iniuſtitiam, eo modo quo licitum eſt Piſtoribus, & alijs Artiſtis, quando taxa rerum vendendarum non eſt iuſta,diminuere aliquid de pondere,aut menſura,vt ſe ſeruēt indemnes, aut mediante aliqua mixtione reducere rem ad æqualitatem taxæ. Quando verò militibus non ſoluitur ſtipendium, & eorum opera neceſſaria eſt ad gubernationem Reipublicæ,tunc poſſunt aliquid accipere,etiam inuitis incolis. Ratio eſt,quia cum ſeruiant Reipublicæ,& ab ipſa nullum accipiant ſtipendium, debent ex iuſtitia à particularibus Reipublicæ,ſaltem ali, dummodo tamen vnus non grauetur magis,quam alius.

An Duces, qui militibus mutuant pecunias, poſſint pro dilatione vltrà ſortem aliquid ab eis accipere?

BRACTEA V.

R. Præciſo lucro ceſſante,vel damno emergente non poſſe Ducem ob mutuum,& dilatam reſtitutionem aliquid ſupra ſortem accipere ſine labe vſuræ. Et ita communiter omnes. Secus autem ſi ratione mutui daretur vna ex conditionibus, ratione quantum poteſt aliquid ſupra ſortem accipi,vt v.g. ſi probabiliter difficultas timeretur in recuperando mutuum, &c. quia in iſto caſu non modo poteſt aliquid accipi ſupra ſortem, ſed etiam paciſci, licet aliqui ſint contrariæ opinionis. Secūdò Ducē, qui cū mercatore conuenit,vt in eius fundago veſtes pro ſuis militibus emat,ſi aliquid accipiat,poſſe acceptum iuſtè retinere, dummodo milites non fraudentur in pretio, vel in qualitate veſtium,vel in alijs rebus. Ratio,quia ſicut proxenetæ poſſunt aliquid lucrari, vt plures conducant ad aliquem mercatorem emendi gratia,ita etiam Dux poteſt aliquid paciſci, & accipere à mercatore, vt in eius fundago veſtes pro ſuis militibus emat, dummodo vt ſupra dictum eſt, id ſit ſine præiudicio militum. Tertiò non expedire Reipublicæ, & Principi, vt Duces faciles ſint in concedenda facultate militibus caſtra relinquendi, præſertim quando milites valdè neceſſarij ſunt,& ideò grauiter peccare,ſi quādo non adeſt neceſſitas, faciles ſunt in concedendis talibus facultatibus. Ratio,quia cenſendo talem facultatem

cultatem

culratem poſſunt eſſe cauſa alicuius damni Reipublicæ, vel Principi, & quãdo licentia eſt danda cauſa ægritudinis iuſtè, & maturè procedere debent, antequam has litteras concedant.

An Duces ſcientes in exercitu eſſe Apoſtatas, teneantur eos expellere?

BRACTEA VI.

R. Dvcem ex officio non obligari expellere Apoſtatas ex ſuo exercitu. Ratio, quia ex officio tenetur ſolùm impedire ea damna, quę à militibus regulariter ſolẽt perpetrari, vt furta, ſacrilegia, &c. non autẽ tenentur ad impediẽda peccata, quæ Reipublicę nõ ſunt nociua, quia nimis eſſet onerosũ, ſi ad id teneretur; ergo nõ tenẽtur expellere Apoſtatas; deinde hoc eſt officium Prælati Eccleſiaſtici reuocare Apoſtatas, eos quærere, & reducere ad Religionẽ; & per conſequens non cenſetur officiũ Ducis. Secundò teneri ex charitate Apoſtatam admonere, vt ad Religionem reuertatur, cum vnicuique Deus mandauerit de proximo ſuo, & obligari concedere ipſi licentiam, ſi petat reuertendi cauſa ad Religionem, niſi aliqua, & rationabilis cauſa excuſet. Tertiò non teneri Duces expellere meretrices ab exercitu; & ita ſentiunt D. Thomas in *opuſc. de regim. Principum lib. 4. cap. 14.* Graſſius 2. *par. deciſ. lib. 2. cap. 75.* Zerola *verbo Lupanar,* Couar. 1. *par. de ſponſalib. cap. 4. num. 7.* Comitolus *lib. 3. par. 5.* Barboſa in *cap. omnis num. 4. diſt. 3.* Ratio, quia è duobus malis ſemper eligendum eſt minus, & ad euitanda maiora damna iuſtè in foro conſcientiæ meretrices permittuntur in Ciuitatibus iure poſitiuo; ergo Duces poſſunt etiam ipſas permittere in exercitu.

An Duces, qui cum ſuis militibus ſegetes comburunt, teneantur ad ſolutionem decimarum, quas Domini tenebantur ſoluere?

BRACTEA VII.

R. Si bellum ſit iniuſtum comburentes ſegetes, aut incidẽtes arbores teneri ad ſolutionem damnorum, & per conſequens ad ſolutionẽ decimarum. Secundò ſi in bello iuſto comburantur ſegetes, vel incidantur arbores, &c. reſpondeo cum diſtinctione: vel illa combuſtio ſegetum, &c. eſt neceſſaria ad victoriam, ſeu ad agendum bellum ſecurè, & tunc illa combuſtio licitè fit, quia per ſe non intenditur, ſed per accidens, & tunc non obligantur ſoluere decimas; ſi verò quando fit, non vt medium neceſſarium ad victoriam, ſed alio fine, iuſtè fit, & ideò tunc obligantur ſoluere damnum datum, & per conſequens obligantur ad ſolutionem decimarum.

An Duces poſſint pro delictis vulnerare milites?

BRACTEA VIII.

R. Vel milites, qui delinquunt, ſunt in acie, aut pugna, vel extra ipſam: ſi in acie poſſunt nõ modo à ſuis Ducibus, ſed etiam ab alijs Officialibus puniri iuxta criminum qualitatem. Ratio eſt, quia delicta militum tempore belli ſubita punitione indigent, nec præpoſteram exigunt emendationem, vel delinquunt extra aciem, & tunc diſtinguẽdum eſt: vel delicta ſunt militaris, & hæc poſſunt ab Officialibus militum puniri: vel non, vt furta, &c. & hæc puniri debẽt à Miniſtris iuſtitiæ. Ita Criſpoltus in ſuis caſibus militaribus. Secundò peccare cõtra Iuſtitiam Duces videntes milites inter ſe rixantes, ſi eos non curent ſedare. Ratio eſt, quia ex officio tenentur tumultus, & rixas inter milites impedire, dummodo poſſint impedire, ſine notabili periculo vitæ, quia cum tali periculo non obligantur, niſi forſan eos non impediendo accideret maximum periculum Reipublicæ, vel exercitui, quia tunc etiam cum notabili periculo vitæ obligantur. Tertiò non modo ex officio, & iuſtitia, ſed etiam ex charitate Ducem obligari ſedare milites inter ſe rixantes, cum vnicuique Deus mandauerit de proximo ſuo, etiam cum aliquali periculo, cum præceptum charitatis non obliget cum notabili incommodo.

An Duces, qui ad gradus ſocietatis aſſumunt, dignos relictis dignioribus peccent?

BRACTEA IX.

R. Regvlariter ad gradus ſocietatis aſſumẽdos eſſe digniores, & qui abſq; cauſa anteponit dignũ digniori, peccat. Ratio, quia violat ius, quod dignior habet, vt præferatur omnibus. Ita Vaſquez, Caietanus, Rebellus, & alij citati à Bonacina de *contractibus diſp. 1. quæſt. 2. pun. 12.* Secundò poſita aliqua iuſta cauſa poteſt Dux aſſumere ad gradum militiæ dignum, relicto digniori; & ita credo ſentire auctores contrariæ ſententiæ citati à Diana *tract. 6. Miſcellan. reſolut. 34.* Ratio, quia iuſta cauſa anteponendi dignum digniori facit, vt non ſit iniuſtitia in aſſumptione, vt patet etiam in collatione beneficij per concurſum. Secundò ſi quis dolo, vel fraude impediuit Ducem, ne militarem dignitatem daret digniori, peccauit, & digno obligatur ad reſtitutionem tanti, quanti valebat illa ſpes iudicio prudentis, conſequendi talem dignitatem militarem; ſi verò ſine dolo, & fraude operatus eſt apud Ducem, vt relicto digniori daretur dignitas digno, etiam obligatur ad reſtitutionem tanti, quãti valebat ſpes illa apud digniorem. Ratio, quia violauit ius, quod dignior habebat, vt præferetur digno; ſi verò dignior ad talem dignitatem nullam habebat ſpem; ad nihil tenetur. Ita Bonacina de *reſtitut. diſput. 1. quæſt. 2. pun. 12. num. 5. 6 & 7.* quia non cenſetur illi damnum efficaciter intuliſſe, cum nullam habuerit ſpem; ſecus verò dicendum, ſi eum impediuit, qui non erat dignus, ſed indignus, quia tunc non obligatur ad reſtitutionem, cum indignum nullum ius haberet, & impediens non cenſetur illius ius violaſſe. Ita Bonacina *loco cit.*

Dux quidam militum multa habebat acquiſita iniuſtis extorſionibus, nec Dominos ſciebas: quæritur quid facere debeat?

BRACTEA X.

R. Dvcem obligari reſtituere acquiſita iniuſtis extorſionibus pauperibus, quando Dominus certus ignoratur. Ratio eſt, quia res aliena retineri non poteſt, & nullus re aliena locupletari debet inuito Domino. Ita communiter omnes. Secundò; quando quis acquiſiuit plura extorſionibus

factis particularibus alicuius Communitatis,& licet ignorentur,poſtea quibus damnum illatum fuit, ſcitur tamen locus,in quo latum fuit, reſtitutio facienda eſt pauperibus illius loci , ſi damnum erit Communitatis, ipſi facienda eſt reſtitutio . Quando verò damnum illatum fuit aliquibus perſonis , quæ tempore reſtitutionis ignorantur, & cuius loci ſint , tunc ſatisfit,ſi reſtitutio fiat pauperibus, licet ſint alterius oppidi. Tertiò ſi Dominus,vel locus damnificatus ſciatur , ſed ita diſtat , vt difficillimè inueniri poſſit, aut commodè ei non poteſt fieri reſtitutio , tunc tuta conſcientia fieri poteſt pauperibus , quia perinde ſunt ,ac ſi ignorarentur.Ita Nauarr.*cap.17.nu.*29.Molina *diſput* 718 *num.*5. Azor. 3.*par.lib.*4.*cap.*26. Vaſquez de *reſtit.cap.*5.*dub* 4.

An Duces militum pugnantes in bello iniuſto teneantur reſtituere ſtipendia?

BRACTEA XI.

R. Posse Duces retinere ſtipendium. Ratio, quia licet opus ſit ex ſe illicitum, & iniuſtũ, ita vt ante factum nihil poſſit paciſci , & accipi,quando certò ſcitur de iniuſtitia belli aggreſſiui:ſecus autem ſi dubitatur,& bellum ſit defenſiuũ: tamen ſecuro effectu poteſt retinere ſtipendium, licet ſit obligatus reſtituere damna ſecuta.Ratio,quia labores,& pericula,quæ paſſi fuerunt, ſunt appretiabilia pecuniariùm etiam quia nulla iniuria fit illi,qui dedit accipiendo,& retinendo ſtipendium,cum ipſa obligetur illi ex contractu ſoluere,& ſicut iuſtè dat, ita alter poteſt iuſtè retinere. Ita Silueſter *verbo reſtitut.*2.*quæſt.*2.& Bonacina de *reſtitut.diſp.*1.*quæſt.*3.*par.*3. *propoſit.*1.& cum eo plures citati.

Dux quidam militum , vt ſe poſſit in bello ſuſtinere à Communitatibus,accipiebat quandam ſummam pecuniæ ſciente, & tolerante Principe:quæritur ad quid obligetur?

BRACTEA XII.

R. Posse accipere à Communitatibus,& particularibus abſque peccato,dummodo ſolùm accipiat ea , quæ ſunt neceſſaria ad ſuam ſuſtentationem,& ſuorum . Ratio eſt,quia illa non accipit iniuſtè : obligari tamen Principem compenſare Communitatem, cum ad ipſum ſpectet tribuere neceſſaria,ducibus ad ſui, & ſuorum ſuſtentationem: Secundò poſſe accipere ob ſcientiam,& tolerantiam Principis,quia illa ſcientia,& tolerantia præſumitur tacitum tributum,quod iuſta cauſa belli exigit, & Ducibus concedit.

An Duces , qui cogunt milites , vel alios diebus feſtiuis conſtruere aggeres , &c. peccent ?

BRACTEA XIII.

R. Svpposita iuſta cauſa non peccare cogendo milites diebus feſtiuis conſtruere aggeres,vel foueas ſtruentes,vel tormenta bellica parantes . Ita Silueſter *verbo Dominica quæſt.* 3. Nauarr. *cap.*13.*num.*6. Clauis regia *lib.*7.*cap.*2. & alij communiter . Ratio eſt, quia Eccleſia non obligat, quando iudicio prudentis adeſt neceſſitas laborandi ; & per epicheiam caſus neceſſitatis cenſetur exceptus.

An Duces poſſint in hoſpitio aliquid accipere ſupra taxam, vt cohibeant milites à damnis inferendis?

BRACTEA XIV.

R. Regvlariter non poſſe Duces exercitus, ſeu militiam exercentes aliquid accipere ſupra taxã.Ratio,quia tenentur obedire mandatis Principum, & per conſequens tenentur ſeruare taxam ab ipſo Principe factam . Secundò poſſe Duces , vt cohibeant milites à damnis inferendis recipere,& retinere id , quod ab incolis eis datur , dummodo datum ſit moderatum , & ipſi maiori vtantur diligentia,quam adhibere ſoleant alij Duces ad frænandos milites,ne infeſtent incolas , Ratio,quia illa maior diligentia eſt pretio æſtimabilis,& per conſequens pro ipſa poteſt Dux aliquid accipere, vt patet etiam de Aduocato , qui vt maiori vtatur diligentia ad defendendum clientem, poteſt aliquid accipere . Quod ſi dicatur ex officio teneri Duces cuſtodire milites , ne aliquem damnificent . Reſpondeo debere ex officio vti diligentia ordinaria,qua vtuntur omnes Duces,non autem extraordinaria,de qua loquimur in hoc caſu . Secundò obligari ad reſtitutionem damnorum à militibus iniuſtè illatorũ , quæ ex officio debebant, & poterant impedire . Ratio, quia non impediendo cenſentur cauſa efficax damni.Clauis regia *lib.*10.*tract.*2.*cap.*12.*num.*3.Petrus Nauarr.*lib.*3.*cap.*4.*num.*54.Leſſius *lib.*2.*cap.*10.*dub.*3.*num.* 37.& alij.

Sciendum , quod licet Duces ex officio ſint obligati impedire , ne damnum à ſuis militibus inferantur, tamen non obligantur cum damno notabili vitæ,honoris,& famæ,vel rei familiaris, quia non cenſentur ſuſcepiſſe munera cum tanto grauamine , & onere;grauia verò damna Communitatis,præſertim ſpiritualia,vt hæreſes,&c.tenentur etiã cum vitę periculo impedire . Leſſius *loco cit.num.*50. Rebellus *lib.* 2.*quæſt.*14.*num.*59. Molina *tom.* 3. *diſput.*65.*num.*1.& 2. & alij.

Quæ , & quot ſint obligationes Ducis exercitus?

BRACTEA XV.

R. Plvres eſſe:prima ex vi obedientię,& fidelitatis,ordinẽ in bellis ſeruare ſibi à Principe pręſcriptum in quibuſcunque non obuiarent legi Diuinæ, tenetur etiã ex vi ſui officij, & muneris ordinare,quæ commoda ſunt Regno,quod defenditur,& eius Ciuitatibus,Oppidis,& Oppidanis,& quę attinent ad ſalutem exercitus,quem regit, qui exercitus eſt neruus Regni, & Regis, tenetur etiam ipſe Capitaneus generalis peritiam habere Artis militaris , & ſi tali careat peritia,tenetur in conſcientia talia officia,& munera non acceptare,& accepta relinquere; & ſi adhuc vrgeatur à Principe , vel Republica , tunc obediat ſine ſcrupulo,ſi aliàs bellum ſit iuſtum, & omnia cum conſilio peritorum Ducum , & Officialium faciat ; & tunc illi non imputabuntur damna.Ratio,quia in qualiber arte quiſque tenetur ad reſtitutionem damnorum ex ſua imperitia ſecutorum . Secundò tenentur etiam milites in militari

militia ſeruare leges militię, pęnas executioni mandando in rebus grauibus vltra quod peccabũt mortaliter, tenebuntur ad damna, quæ ex eorum negligentia culpabili, vel malitia milites iniuſtè intulerunt. Tertiò tenentur etiam ad defenſionem, acquiſitionem bonorum amiſſorum, & ad victoriam eorũ, quę in bello iuſto intenduntur, homines non occidere, niſi in caſu neceſſitatis, ſed viuos in ſeruos ſi infideles ſunt accipere: ſi Chriſtiani pro captiuis debitum pretium accipiens, quia licet iure belli iuſti, libertas alterius Chriſtiani amittatur, non tamen iuſta ſeruitus acquiritur: hoc lenitate legis Chriſti Euangelica dictante, ſicque inter Chriſtianos longo iam vſu inoleuit.

Dux Belli ad quæ teneatur?

BRACTEA XVI.

R. Tempore debito ſoluendum eſſe ſtipendium militibus; quod ſi non ſoluatur Dux, qui eos conduxit, tenetur ad compenſationem, quia ſicut miles cum ſuæ vitæ periculo tenetur ſeruare ſtationem, defendere arcem, aut quoduis aliud ſibi commiſſum, ita Dux tenetur ſoluere ſtipendium, & non ſoluendo licitum eſt militi vti compenſatione, ſi ſine ſcandalo poſſit, neque alia via ſperet ſolutionem. Ratio, quia interuenit contractus locationis, & conductionis inter militem, & Ducem; & quemadmodum miles contractum compleuit, ac inſeruiuit, ita Dux tenetur illi ſoluere pretium conſtitutum; & promeritum. Ita Molina *tract. 2. de iuſtit. diſp. 116.* Secundò Ducem, qui ſtipendia militum quæ non habet, accipit obligari ad reſtitutionem Principi, ſeu Reipublicæ, & in eius defectu tenentur id reſtituere, qui ſcienter, aut ſua culpabili negligentia ea ſtipendia ſoluerunt, & ad id cooperati ſunt, vel cum ex officio impedire tenerentur, non impediuerunt. Denique quidquid in hac parte contra vel expreſſam, vel præſumptam Principis voluntatem accipitur, reſtituendum eſt, vel obtinenda à Principe venia, niſi fiat ſciente, & tolerãte Principe. Molina *loco cit.* Tertiò Ducem, qui accipit pecunias à populis, ne ad eos hoſpitij cauſa accedat cum militibus grauiter peccare, & obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia Duces non habent ius, vt id venale efficiant, & ſimul populum vnum hoſpitio grauent, & alia corradendo ab eis huiuſmodi prętia, neque Princeps id in tantum Reipublicæ detrimentum concedere intendit, & neque iuſtè, aut licitè poteſt. Molina *loco citato*.

An Dux poſſit fugam ſimulare, vt inimicos occidat?

BRACTEA XVII.

R. Ducem exercitus poſſe fugam ſimulare, ita vt hoſtes ipſum inſequentes in aliquas inſidias eis paratas occidat. Ita *cap. Dominus ibi*: cum autem iuſtè bellum ſuſcepit, & probatur ex illo Ioſue 8. Vbi Dominus præcepit Iſraelitis, vt apponerent inſidias, & ſimularent ſe fugere: vnde colligitur Ducibus exercitus licitum eſſe ſimulationem, vt inimicos vincant, & illorum obtineant victoriam, & hoc abſque vllo peccato; cum talis ſimulatio ſit medium ad victoriam. Secundò Ducem qui prudenter, vt victoria potiatur, exponit ſe maximo prælio, & conflictus periculo, ex quo potius certior eſt mors, quam eius euaſio non peccare mortaliter. Ratio, quia nequaquam exercet actum ad propriam occiſionem ordinatum, ſed eò directum, vt hoſtes vincantur, quamuis omninò periculoſum, cum morti ſat certò imminenti ſe exponat, ſic Eleazarus fortiſſimus vir à peccato defendendus eſt, & cum miris laudibus effert D. Ambroſius *lib. 1. de officijs cap. 10.* & ita Couar. *variar. reſolut. lib. 1. cap. 2. num. 10.*

Quidam alij caſus reſoluuntur?

BRACTEA XVIII.

Qvidam Dux militum detinuit ſpiam habentem pecuniam, qua à Duce ſpoliatus fuit, ipſa ſpia à Principe donata fuit poſteà vita, & libertate: quæritur an Dux, qui accepit pecuniam ipſam reſtituere debeat?

R. Negatiuè, quia quod accipitur à ſpia tempore belli eſt accipientis, & licet poſteà gratia ſpeciali Principis donata fuerit vita, non ex hoc denuò acquiſiuit dominium ſuper pecuniam, quæ Iure gentium fuit illi ablata.

Quidam Dux habebat milites, quibus dabat dimidium ſtipendij, qui poſtea petierunt ſibi integrum dari, aut licentiam ingrediendi in alia ſocietate, quam poſt duos menſes obtinuerunt: quæritur an Dux à die petitionis obligatus fuerit integrum ſtipendium dare, aut licentiam ingrediendi in alia ſocietate.

R. Non fuiſſe obligatum Ducem ſubitò facta inſtantia integrum ſtipendium aſſignare, aut eos dimittere, ſed poterat expectare eos dimittere quouſque ſine præiudicio ſocietatis id facere poſſit, & non obligari ad reſtitutionem alterius dimidietatis ſtipendij, etiamſi in aliqua culpabili mora eos dimittendi fuerit.

Quidam Dux hac conditione recepit quendam fabrum ferrarium ad ſeruitium ſuæ ſocietatis, vt gratis calcearet proprios equos: quæritur an id facere poterit?

R. Facere potuiſſe, & ita paciſci, cum de conſuetudine ſit apud milites, vt fabri ferrarij, qui accipiunt munus calceandi equos militum gratis etiam calceare equos Ducis ſocietatis. Tum etiam, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria; tum quia lege municipali id videtur vſu receptum.

Quidam Dux recepit à Communitate inſolutum domum cuiuſdam viduæ, poſteà cœpit dubitare, an illa vidua fuerit à Communitate ſatisfacta: quæritur quid Dux facere debeat?

R. Debere vti diligentia ad ſciendam veritatem, an Communitas ſatisfecerit viduæ, quæ ſi nondum fuerit ſatisfacta, curet, vt ſatisfiat, alioquin domum in conſcientia non poterit retinere, cum Communitas non poſſit dare in ſolutum domum alienam, & ipſa obligatur ad reſtitutionem ratione rei acceptæ, ſi ipſa non erit ſatisfacta à Communitate.

Dux quidam militum mortuo vno ex ſuis accepit eius arma, & equum; quæſitum fuit, an in conſcientia poſſit ea retinere?

R. Seruandam eſſe conſuetudinem introductam in militibus, quæ habet vim legis municipalis, quæ ſi talis eſt, vt mortuo milite, Dux eorum accipiat, vt dicitur, (Per regalia) arma, & equum poſſe ducem ea retinere; ſecus autem reſtituenda eſſe hæredibus ſi ſint, aut locis pijs.

Dux militiæ cuiuſdam Communitatis recepit ordinem eundi cum quinquaginta militibus ad præſidium N. ipſe eiquit omnes milites militiæ ſuæ ſocietatis

cietatis, à multis extorſit pecuniam, vt eos excuſaret, & poſteà cum quinquaginta iuit ad Præſidium: quæritur an poſſit retinere pecuniam acceptam?

R. Poſſe dummodo quod accepit ſit moderatum. Ratio, quia Dux, qui tenebat ordinem eundi ad Præſidium cum quinquaginta, poterat ex militibus adſcriptis accipere quos volebat, & non magis obligabatur accipere hos, quàm illos: vnde, vt aliquos excuſaret poterat ab illis accipere aliquid, nec accipiendo faciebat contra iuſtitiam, quia vt ſic omnes grauantur, quidam eundo ad Præſidium, & alij ſoluendo pecuniam: vnde Dux licitè poterat retinere acceptum, præcipuè cum conſuetudine receptum ſit, vt excuſati aliquid ſoluant.

Dux quidam præcepit officiali, vt Equos conduceret ad aſpontandam annonam, ſed equos conductos ſine cuſtodia mittens incolæ deprædati ſunt: quæritur quis eorum teneatur ad reſtitutionem?

R. Ducem non obligari ad reſtitutionem deperditorum equorum, &c. ſed officialem. Ratio eſt, quia iuſſio facta officiali, vt Eques conduceret non eſt cauſa per ſe, & immediatè deperditionis ipſorum, ſed per accidens, & remota: cauſa per ſe eſt incuria, & negligentia ipſius officialis, & per conſequens ad officialem ſpectat reſtitutio, qui equos conductos non benè conduxit ad locum aſſignatum. Laurent. Portel. *3. part. caſ. 27.*

An Duces, qui incolam damnificant, teneantur in Confeſſione dicere, ſe eſſe Duces?

BRACTEA XIX.

R. Teneri hanc circunſtantiam aperire in Confeſſione, & dicere ſe eſſe Duces. Ratio, quia licet regulariter verum ſit, quod circunſtantia aggrauans in confeſſione non ſit exprimenda, tamen in iſto caſu eſt manifeſtanda, quia tacendo talem circunſtantiam non ſatis aperirent malitiam peccati, cum Dux damnificando non ſolum violet iuſtitiam proximi, ſed etiam proprij officij, quod eſt impedire damna. Ita Medina Salmaticenſis in *ſumm. & Compluten ſis in Cod. Confeſſar.*

Sciendum culpam duplicem eſſe, Theologicam, & Iuridicam: quę conſiſtit in omiſſione debitę diligentiæ, quam Dux operando adhibere debet: Ducem obligari ad reſtitutionem damnorum ſequutorum per ſuos milites culpa Theologica, & etiam culpa iuridica, cum illa moderatione, vt ſupra dictum fuit, ita vt ad defenſionem boni publici, teneatur etiam cum proprio vitæ periculo, &c. ad defenſionem rerum particularium non teneatur cum proprio vitæ periculo.

MALLEATIO XXXIII.

De Militibus, & de eorum obligationibus in ordine ad reſtitutionem.

An Milites antequam pugnent, teneantur examinare iuſtitiam Belli?

BRACTEA I.

Sciendum apud omnes exploratum eſſe ſtatum militum, licitum, laudabilem, & neceſſarium eſſe, ſicut enim humanum corpus ſine manibus, & domus ſine miniſtris conſtare nequit, ita rempublicam ſine militum opera ſubſiſtere non poſſe manifeſtum eſt, quandoquidem per militiam, & armorum exercitium Reipublicæ ſalus quæritur, ac conſeruatur, & catholica Eccleſia ab hoſtium incuria liberatur. Vnde Plato in his quos de Republica ſcripſit libris, cum cæteros ſtatus, in Ciuitate inſtituiſſet, vnum neceſſarium genus hominum, longè cæteris antepoſuit, qui arma tenerent, ciueſquè alios ab hoſtibus tuerentur, quibus priuilegia tribuit honoreque, & dignitate antecellere voluit; & Doctores *in præmio inſtituta*, tradunt pro Reipublicæ ſuſtentatione, duo potiſſimum eſſe neceſſaria, nempè leges, & arma, & vnum alterius ope maximè egere, ad licitam porrò, & honeſtam militiam tria requiruntur. Primò auctoritas ſuperioris indicentis bellum. Secundò iuſta cauſa. Tertiò recta intentio, vt mali coerceantur, & boni ſubleuentur, ſine quibus bellum non eſſet iuſtum, & proinde ab ipſo erit abſtinendum. Verum dubium eſt, an ſit iuſtum bellum, cum ſunt opiniones ea de re. Ad quod reſpõdeo ſatis eſſe in moralibus duci opinione probabili, quia demonſtratio haberi non poteſt, ſic Medicus medicina porrigit ægroto, quam probabili opinione putat fore ſalutarem. Aduocatus defendit cauſam clientis ex probabili opinione Doctorum. Quibus poſitis.

R. Cum diſtinctione, vel milites ſunt ſubditi Principis indicentis Bellum, & recipiunt ſtipendium à Principe etiam pacis tempore, & ante bellum locauerunt operas ſuas, vel non ſunt ſubditi, ſi primum, ſatis eſt ſi ſciant, cauſam Belli non eſſe iniuſtam, in dubio autem præcipienti Superiori obediendum eſt, & in eius fauorem prǽſumendum. Ita Caietanus, Tabien, Em. Sà Angelus *verbo bellum*, Molina *diſp. 123.* & alij. Ratio, quia eo ipſo quod ſunt ſubditi debent pro Principe prǽſumere, quod ſi aderint indicia de iniuſtitia Belli, tunc tenentur vti diligentia ad ſciendam veritatem, ne temerè, & ex ignorantia craſſa exhibeant ſe ad damna iniuſtè inferenda. Ita Molina *loco citato*. Quando verò miles nõ eſt ſubditus, ſed extraneus, nec eſt ſtipendiarius tẽpore pacis debet examinare iuſtitiam belli antequã militent, ne iniuſtè alijs afferat præiudicium. Verum ſi adhibita morali diligentia ad ſciendam veritatẽ moraliter ſibi perſuadeat bellum eſſe iuſtum poteſt nomen ſuum in ea militia dare. Ita Nauarrus *cap. 15. num. 15.* Molina *diſp. 154.* Caietanus, Silueſter *locis citatis*.

An milites dubitantes de Iuſtitia Belli poſſint militare?

BRACTEA II.

R. Militem ſubditum dubitantem de iuſtitia belli poſſe militare, & pugnare ſi dubium ſit ſpeculatiuum, ſi verò dubium ſit practicum debet ipſum deponere, & putare ſuum Principem habere iuſtam cauſam pugnandi, cum ad ipſum non pertineat examinare cauſam belli an ſit iuſta, an iniuſta, ſed certò debere credere, Principẽ habere iuſtam cauſam ad pugnandum. Et ita auctores ſuprà citati, & præter eos Gabriel in *4. diſt. 23. concluſ. 4. art. 2.* Maior *ibidem quæſt. 20. §. iſtis notatis*, Siluius in *2. 2. quæſt. 40. art. 1.* Malderus *ibidem* Reginaldus *tom. 2. lib. 21. cap. 8. ſect. 3. num. 103.* Molfeſius in *ſumm. tract. 12. cap. 3. num. 162.* Villabos in *ſumm. tom. IX tract. 1. difficult. 18.* quia Princeps non eſt obligatus

reddere

reddere rationem iuſtitiæ belli, ſed ſatis eſt quod ſuis Conſiliarijs innoteſcat, alij autem milites ſi nõ ſint ſubditi, nec ſtipendiati tempore pacis cum tali dubio pugnare non poſſunt, ſed dubitantes debent examinare iuſtitiam cauſæ, ne ſe exponant periculo iniuſtè faciendi damna.

R. 2. Cum Petro Nauar. *de reſtit. lib. 2. cap. 3. n. 278.* Suarez *de charit. diſp. 13 ſect. 6 num* 11 extraneos dubitantes de iuſtitia belli poſſe dubium deponere, & iudicare Principem habere iuſtam cauſam faciendi bellum, & exiſtimare, Principem Chriſtianum non niſi iuſta cauſa facere bellum, & depoſito dubio licitè poteſt ſicut, & ſubditus, & ſtipendiatus militare, & pugnare. Negatiuam ſententiã tenet Vaſquez in *part. 2. diſp. 6.* Lorca in 2. 2. *ſect. 3. diſp. 53.* aſſerentes cum dubio nec ſubditum, nec ſtipendiatum, neque extraneum poſſe militare, quia in dubio tutior pars eſt eligenda: tamen non eſt recedendum ab opinione ſuprà dicta, nimirum ſubditum, & non ſubditum dubitante de iuſtitia belli deponentes dubium poſſe militare, & pugnare. Ita Diana *tract. 5. Miſell. reſolut. 9.*

An milites pugnantes in bello poſſint occidere innocentes?

BRACTEA III.

R. DICASCES non eſſe per ſe licitum occidere in pugna innocentes, aut qui præſumuntur, quia iure Diuino prohibetur Exodi 23. *Inſontem, & iuſtum ne occidas*, quales ſunt infantes mulieres, &c. Clerici, Religioſi, Legati, Oratores, Mercatores tranſeuntes, & ferentes mercaturas ad illũ locum, quia de permanentibus in Ciuitate alia eſt ratio, cum ipſi cenſeantur partes contrariæ Reipublicæ, ſeu Ciuitatis. Ita Molina *diſp.* 119. Tabiena *verbo Bellum*, & alij communiter. Secundò licitum eſſe indirectè, & per accidens occidere innocentes, quando eorum occiſio neceſſaria eſt ad victoriam: vnde licitũ eſt ſubuertere in bello iuſto mœnia, vel turrim, in qua turres, vel mœnia, in quibus multi innocentes opprimẽtur, quãdo hoc neceſſariũ eſt ad victoriã: ita Arragon. 2. 2. *quæſt. 64. art. 6.* Leſſius *lib. 2. c. 9. dub. 7. n. 40.* quia primariò nõ intenditur mors innocentum, ſed ſolum ſubuerſio turris, vel mœnium, licet ex illa ſequatur mors innocentum, ita licet diruere, & incidere Ciuitatem, vel arcem, quæ alia ratione non poteſt expugnari, licet ex ea comburantur, & occidantur plures innocentes. Tertiò, quando ſubuerſio mœnium, vel turris, vel combuſtio arcis non multum referat ad victoriam, quia arx illa alia ratione poteſt expugnari non eſt facienda, ne tot innocentes lædantur, & occidantur, & peccant mortaliter, ſic faciẽdo, cum caſus ſubuerſionis, vel turris, vel mœnium, ex qua plures innocentes ſunt occidendi ſolum cenſeatur licitus, quando aliter victoria non poteſt haberi. Quartò poſſe innocentes bonis fortunæ ſpoliari: ita communiter Doctores tractantes de bello. Ratio, quia ſuis bonis poſſunt auxilium præſtare inimico. Tum etiam, quia hæc ſpoliatio conducit ad finem Belli, ad iniuriæ vindictam in rebus, quæ ſubſunt vniuerſali dominio Reipublicæ, quales ſunt res innocentum. Et ita Molina *diſp.* 117. Victoria *de iure Belli*, Em. Sà *verbo Bellum*, & aliis. Quintò ſecluſis mendaciis licitum eſſe militibus victoriam inſidijs comparare, dummodo non fuerit fides data hoſtibus non ponendi inſidias, quia ſi fides data eſt ſeruanda. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt. 40. art. 3.* Molina *diſp.* 111. Azorius *3. part. lib. 2. cap. 7. quæſt.* 14. Silueſter, Em. Sà, Angelus *verbo Bellum*, & ſi regulariter fides data ſeruanda ſit, tamen quando ipſi non ſtant promiſſis in toto, vel in parte, non cenſetur ſeruanda. Ratio, quia frangenti fidem, fides frangatur eidem.

An milites, qui ſine debita licentia diſcedunt è Caſtri, cauſa infirmos Parentes inuiſendi, peccent?

BRACTEA IV.

R. NULLO modo poſſe militem Caſtra relinquere ſine debita licentia Ducis cauſa inuiſendi parentes infirmos. Ratio, quia bonũ publicum præferendum eſt priuato, & conſequenter ſeruitus Reipublicæ anteponenda eſt obligationi Parentum, & charitatis ordo: primò reſpicit Deum: ſecundò Rempublicam: tertiò Parentes. Et ita Criſpoltus *in ſuis caſibus militaribus*, & Ferretus *de re militari Tit. de obedientia, & pace in exercitu ſeruanda.* Quod ſi dicatur eſſe de iure naturæ ſubuenire Parentibus, & ob hanc cauſam poſſe Religioſum profeſſum exire à ſuo Monaſterio, vt illis ſubueniat. Reſpondeo verum eſſe, ſed eſſe fortius hoc vinculũ ſubueniendi Communitati, & Reipublicæ, quam Parentibus. Secundò, Milites peccare fugientes ſine Ducis licentia, quando ex eorum fuga occurrit aliquod periculum in victoris: ſecundò ſi alijs eſt malum exemplum: tertiò quia, qui ſe exponit periculo pœnæ mortis, aut alterius grauis, peccat mortaliter, ſed miles fugiendo exponit ſe periculo mortis, vel grauis pœnæ, ergo fugiendo cenſetur peccare mortaliter. Tertiò, nullo modo poſſe militem Caſtra deſerere ſi ei ſtipendium non ſoluatur à Ducibus. Ratio deſumitur ex iuramento, quoniam ipſi iurant ſeruire tempore Belli, habent tamen ius petendi ſtipendium. Tum etiam, quia in ſupplementum ſtipendij aſſignantur eis aliquæ rationes, nimirum certa quãtitas panis ad hoc, vt poſſint ſibi ſubuenire, & ideò peccant contra ſuum officium milites, qui tempore belli fugiunt, & tempore pugnæ, nec debent terreri periculo mortis imminentis, nec ob talem timorem fugere. Tum etiam, quia fuga vnius erit alijs malum exemplum, & poterit eſſe cauſa fugæ aliorum, quod erit cum præiudicio pugnæ, & Principis.

An Milites, qui è carceribus fugiunt, poſſint puniri, tanquam Caſtrorum deſertores?

BRACTEA V.

R. POSSE milites in carceribus detentos ſine peccato fugere. Ratio, quia fugiendo vtũtur iure ſuo: ſecundò milites non peccare è carceribus fugiendo, vt peccant fugitiui, nec poſſunt puniri, vt Caſtrorum deſertores. Ratio, quia fugiendo è carceribus directè, & per ſe non poſſunt dici caſtra deſerere, ſed indirectè, & per accidens, cum ſolum directè fugiant è carcere, vnde qui fugiunt è carceribus non ſunt infligendi pœna, vt puniuntur deſertores Caſtrorum. Tertiò, non poſſe Milites, qui à Ducibus pecuniam acceperunt, vt militiæ adſcribantur reſilire, antequam adſcribantur

ſine

ſine Ducis licentia. Ita Criſpoltus *in ſuis caſibus militaribus caſ.* 51. Ratio, quia contractus fuit perfectè completus, & conſequenter obligatus, qui accepit pecuniam debet remanere. Et ratio patet, quia eſt contractus, qui perficitur conſenſu, & ex vtraq; parte fuit perfectus, nimirum Ducis, qui elegit ipsũ, & militis, qui aſſumi, & eligi contentus fuit, vnde iſte eſt contractus, qui perficitur conſenſu. Quod verò ſcribatur nomen ipſius in matricula eſt per accidens.

An Milites, qui in excubijs dormiunt, peccent mortaliter?

BRACTEA VI.

R. Vae dormiunt ex inaduertentia, quia ſunt defeſſi, quia nocte antecedenti non dormierunt, vel data opera ſe accommodant, vt ſomnum capere poſſint, ſi primum non adeſt peccatum, cum non ſit vlla moralis culpa, licet non excuſentur à pœna, ſi dormire inueniantur. Tum etiã, quia ſicut inaduertentia excuſat ab alijs peccatis, ita etiam in iſto caſu cenſetur excuſare, ſi ſecundum, vel dormiunt tempore timoris alicuius aggreſſionis, & per conſequens cum aliquo periculo damni, quod ex tali dormitione poteſt ſequi, tunc peccant mortaliter, quia in materia graui cenſentur facere contrà proprium officium, quod eſt in excubijs vigilare, ne arx aliqua ſubita aggreſſione ab inimicis accipiatur, ſi verò dormiunt quando non timetur aliquod periculum, vel aggreſſio hoſtium, quia Prouincia cenſetur in pace poſita, & non adeſt vllum periculum hoſtium, dicerem non peccare ex iſto capite, ſed peccare mortaliter, quia ſe exponunt periculo grauis pœnæ, ſi à ſuis officialibus ſint inuenti.

An Milites quibus non ſoluitur ſtipendium poſſint illud accipere ab incolis eos ſpoliando, &c.

BRACTEA VII.

R. Negativs, & non eſſe licitum militibus ob imminutionem, aut dilationem ſtipendij vexare ſubditos, aut hoſpites, in quorum domibus manent furando, & accipiendo eorum bona, vel ab ipſis extorquendo pecuniam. Ratio, quia eorum bona non ſunt oppignorata militibus pro ſtipendio. Ita Caiet. *verbo Bellum*, neque diſſimulatio, vel auctoritas Ducis ſui excuſat, niſi id fiat in pœnam iuſtè infligendam nocentibus, & eorũ meritia, excipitur tamen ab iſta doctrina primò ſi conſuetudo loci obtineat, vt hoſpites militibus dẽt vtenſilia, vt v.g. habitationem, ligna, & ſimilia, tunc enim per accidens ſolum vna Prouincia, pluſquã altera oneratur. Secundò ſi grauis aderit neceſſitas, ita vt milites non poſſint viuere, niſi accipiendo alimenta neceſſaria pro ſe, pro equis, & familia, quia tunc præſumitur tacitus conſenſus Principis, qui æquiualet impoſitioni tributi iuſta cauſa, obligatur tamen Princeps ad damnum reſarciendum, quãtum moraliter poteſt, ſi iniuſta ſtipendij detentione eorum cauſa fuit, ſi verò ſine ſua culpa ſequutũ fuit non obligatur, niſi in aliquo ſit factus ditior.

An Militibus loco pecuniæ poſſint dari veſtes pro ſtipendio?

BRACTEA VIII.

Bonacina de contractibus *diſp.3.quæſt.7.pun.* 4. aſſerit eum, qui non ſoluit ſtipendium in ea re, in qua conuenit, ſed in alia peccare, & obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia violat iuſtitiam cum damno, vnde qui loco pecunię tradit pannos, vel alias merces certo pretio, quas viliori pretio vẽdidit, tenetur ad reſtitutionem damni dati. Ita Nauarrus *cap.17.num.*11. Vaſquez *in opuſculis de reſtit.cap.* 5.*dub.*20. At Layman. *lib.*2.*tract.*3. docet quoad pretij ſolutionem ſtandum eſſe conſuetudini, quia in quibuſdam regionibus mos eſt, vt milites in partem ſtipendij pannos accipere cogantur eo pretio, quo mercatores Principi vendiderunt, quod probabiliter excuſatur à peccato ob neceſſitatis rationẽ, quia pecuniæ non ſufficiunt ad bellum neceſſariò gerendum, vel continuandum, quare priuata militum iactura poſt habetur bono publico. Tum quia milites dum militiæ nomen dant ſcientes huiuſmodi conſuetudinem ſponte in ea conſentire videntur, & ideò.

R. Secluſa rationabili cauſa non poſſe militibus loco pecunię dari veſtes pro ſtipendio. Et ita Bonacina, vt ſupra, poſita verò iuſta cauſa, vel ſi ita poſtulet conſuetudo, poſſe dari militibus veſtes loco pecuniæ. Et ita Layman, vt ſuprà. Secundò militibus infirmis deberi ſtipendium: primò ratione cõtractus, qui ob infirmitatem non deſinit, quia ſicut perficitur ſolo conſenſu contrahentium, ita etiam diſſoluitur ſolo conſenſu, non autem infirmitate. Tum etiam, quia ob infirmitatem non deletur militia, ergo manenti in militia debetur ſtipendium. Ita Criſpoltus *in caſibus militaribus*. Tertiò militibus ad triremes damnatis ſi non ſunt deleti è numero militum, etiam adhuc illis debetur ſtipendium, quia reuera ſunt milites licet ſint damnati ad triremes. Si verò ſint deleti à numero militum illis non debetur ſtipendium. Et ita Criſpoltus loco citato, quod etiam dicendum eſt de militibus captis ab hoſte pro eo tempore, quo ſunt carcerati, illis deberi ſtipendium. Ita Surdus de alimentis *quæſt.*76.

An Officiales militum poſſint pro delictis ipſos vulnerare?

BRACTEA IX.

R. Militem non poſſe puniri à ſuo Officiali ob delictum commiſſum extrà aciem, & pugnam; vnde ob furtum commiſſum non poteſt miles à ſuo officiali vulnerari. Ita Criſpoltus in *ſuis caſibus militaribus caſ.*25. Secundò ob delictum commiſſum in acie, vel in pugna poſſe militem à ſuo officiali vulnerari. Ratio, quia præliorum delicta ſubita punitione indigent, nec præpoſteram exigunt emendationem, nec congruum eſt, ſi in acie committatur delictum, vt Auditori remittatur cauſa. Tertiò officialem poſſe puniri militem ob delictum militare, extrà pugnam, vel aciem commiſſum. Ita Criſpoltus *loco citato*.

R.2. Peccare contrà iuſtitiam, & contra charitatẽ Officiales videntes milites inter ſe rixantes enſibus ſi eos non ſedant. Ratio, quia Officiales tenentur ex iuſti-

inſtitia, & ex officio tumultus, & rixas inter milites impedire. Quod etiam teneaotur ex charitate patet, quia vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo. Secundò Officiales, cum graui periculo non teneri milites inter ſe rixantes diuidere, aut ſedare. Ratio, quia Præceptum charitatis non obligat cum euidēti periculo. Tertiò milites teneri defendere ſuum Capitaneum cum alijs rixantem. Ita Ioannes Lignaoo *tract. de bello cap.* 93.

An Milites poſſint ire ad bellum renitentibus vxoribus?

BRACTEA X.

R. Militam de mandato Principis poſſe ire ad bellum inuita vxore. Ita Sanchez *de matrimonio lib. 9. disp.* 4. quia in eo caſu eſſet irrationabiliter inuita, & vir tenetur potius obedire mandatis Principis, quam illi morem gerere, cum mandatum Principis ſit ordinatum ad bonum publicum. Secundò, quando agitur de bono publico Reipublicæ, vt v.g. quia ipſa eſt ab hoſtibus aggreſſa, &c. vir inuita vxore poteſt ire ad bellum ob defenſionem Reipublicæ. Ratio, quia quiſquè tenetur ob patrię defenſionem exponere ſe periculo mortis. Tertiò quando non adeſt mandatum Principis, vel neceſſitas defendendi Patriam vir inuita vxore non poteſt ire ad bellum. Ratio, quia non adeſt ſufficiens cauſa ſe ſeparandi ab vxore, cum per matrimonium debeat ſimul cum ipſa vitam gerere.

R. 2. Omnes poſſe adſcribi militiæ, qui decimum quartum annum compleuerunt. Ratio, quia in hac ætate ſunt habiles ad ferenda arma. Secundò, filiusfamilias poteſt inuitis parentibus militare. Ratio, quia quiſque tenetur pro defenſione Patriæ exponere ſe periculo mortis, & in ijs, quæ ſunt publici iuris non extenditur patriæ poteſtas, cum bonum publicum præferendum ſit priuato. Tertiò quando Parentes ſunt in extrema, vel quaſi neceſſitate, ita vt indigeant opera filiorum ad viuendum, filiū non poſſe inuitis Parentibus ire ad Bellum. Ratio, quia magis obligat filios pręceptum ſuccurrendi parentibus, quam Patriæ, cum primum ſit de iure naturę, & ſecundum de iure gentium, & poſitiuo.

An Miles, qui extraordinaria ſeruitia Principi fecit, poſſit ſibi compenſationem facere?

BRACTEA XI.

R. Affirmative, dummodo ſeruitia extraordinaria non intenderit gratis præſtare, ſed ſpe mercedis, & ita iam dixi loquendo de famulis, qui exhibent ſeruitia extraordinaria ſuis dominis, poſſe ſcilicet compenſationem ſibi facere, dummodo ea non intenderint gratis præſtare. Ratio, quia illa ſeruitia ſunt pretio æſtimabilia, & miles habet ius, vt illa ſoluantur, aliter iuſtè poteſt ſibi compenſationem facere, ſeruatis tamen, quę debent ſeruari in compenſatione. Tum etiam, quia ad ea præſtanda non tenetur miles ex iuſtitia, nec poteſt ea militi officialis præcipere, cum ex iuſtitia teneatur ad ordinaria ſua officia.

Sciendum tamen quod, ſi Princeps intuitu ſeruitutis extraordinariæ aliquid conferat militibus, vt v.g. aſſumat eos ad dignitates, honorem, &c. tunc non poteſt amplius miles vti compenſatione. Ratio, quia dignitas data, vel honor conceſſus supplent defectum ſtipendij. Secundò, quando ſpes adeſt probabilis remunerationis à Principe ob ea ſeruitia, tunc miles non poteſt vti occulta compenſatione. Tertiò, non poſſe milites in bonis ruſticorum vti cōpenſatione ob ſtipendium ordinarium non ſolutum, vel ob ſeruitia extraordinaria præſtita, & non remunerata, quia huiuſmodi res non ſunt pro Principe obligatæ niſi huiuſmodi compenſatio concederetur militibus ob delictum incolarum, ob quod eis talis pœna infligeretur. Similiter nec Duces, nec Centuriones poſſe ſibi compenſationem facere in ſtipēdijs ſuorum militum, quia compenſatio fieri debet in bonis debitoris.

An à Militibus poſſint viliori pretio emi, quæ ab hoſtibus iniuſtè capta ſunt?

BRACTEA XII.

R. Regulariter non poſſe, quia priores domini non amiſerunt dominium per iniuſtam hoſtium extractionem, & rapinam etiā ſi priores Domini nunquam recuperaturi eſſent talia bona, non ob id amittunt dominium rerum ſuarum, ſi autem veriſimile eſſet, nunquam peruentura ad priores dominos, vt ordinariè euenit poſſumus illa emere vili pretio hoc animo, vt comparente domino illi rem eandem reſtituamus eodem pretio, ſic enim vtiliter gerimus negotium dominorum, qui non cenſentur rationabiliter inuiti. Ita Molina *tom. 1. disp.* 116. Reginaldus *lib.* 21. *cap.* 8. *sect.* 4. *num.* 117. Angelus *verbo Bellum*, & alij. Secundò Milites obligari ad reſtitutionem eorum, quæ in bello iniuſto acquirunt. Ita Molina *tract.* 2. *disp.* 118. etiamſi illæ res fuiſſent dominis perituræ. Ratio, quia eorum priores Domini non amiſerunt dominium, licet fuerint à militibus rapta.

Sciendum dupliciter bellum iniuſtum putari, & ignorantia vincibili, & inuincibili: ſi bellum exiſtimetur iniuſtum ex ignorantia inuincibili, obligātur ad reſtitutionem eorum, in quo facti ſunt ditiores, &c. non autem ad reſtitutionem eorum, quæ conſūpſerunt ſtante ignorantia inuincibili, ſi verò bellum exiſtimetur iniuſtum ex ignorantia vincibili, ſeu culpabili, non modo obligatur ad reſtitutionem accepti verum etiam damni dati.

An Milites damnum hoſtibus inferentes ſine licentia Ducis obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA XIII.

R. Cum diſtinctione facta à Molina *tract.* 2. *de bello*, vel denegatio talis licentiæ eſt facta ne hoſtibus damnum inferatur, vel tantum, vt diſciplina militaris ſeruetur: ſi primò modo denegetur tenentur ad reſtitutionem. Ratio, quia propria auctoritate damnum hoſtibus intulerunt: ſi ſecundo modo non obligantur ad reſtitutionem, quia ſolum peccauerunt contra diſciplinam militarem, attamen non cenſentur feciſſe contra voluntatem Ducis. Secundò Milites, qui contrà præceptum Ducis damnum hoſtibus inferunt obligari ad reſtitutionem damni dati incolis. Ratio, quia contra iuſtitiam, & diſciplinam militarem fecerunt damnum incolis,

incolis, & pet conſequens illis obligantur ad reſtitutionem, non autem contra iuſtitiam fecerunt dãnum inferendo militibus aduerſæ partis, & per conſequens non obligantut ad reſtitutionem pto damno ipſis illato, cum non violaurtint iuſtitiam.

An librantiæ Militum poſſint emi dimidio pretio, ſi ſolutio ſit defficilis?

BRACTEA XIV.

NEGATIVAM ſententism tenet Malderus in 2.2.*tract* 5.*cap*.7.*dub*.5. Molſeſius in *ſum.tom* 2. *tract*. 12.*cap*.5.*num*.106. Salas *tract de vſur. dub.* 24.*num* 8. & licet hæc opinio ſit probabilis: tamen.

R. Poſſe mnori pretio ab eo, qui non eſt cauſa difficultatis, quam valeant emi, proptet peticula, & difficultates, quas habent adnexas, etiamſi emens non ſit paſſurus difficultstes io exigendo, ſed ſua induſtria apud Principem facilè impetratutus ſolutiouem. Sècundò poſſe emi ranri, qusnti æſtimatur apud venditorem, quare ſi quis habeat creditũ, cuius recuperandi ſpem exiguam habeat, & alrer ob fauorem, & amicitiam ſpeter, ſe illud facilè recuperaturum, poſſe illud ranti emere, quanti creditum re ipſa valet apud creditorem exignam ſpem habentẽ ad recuperandum ſuum creditum, iudicio prudẽtis, conſideratis circunſtautijs difficultatis, & periculi, &c. nec emptot obligatur ad teſtitutionem minoris emendo, etiamſi poſteà rotnm ereditum recuperet. Ratio eſt, quia iuſtum pretium rei non eſt, quanti res ipſa valet apud emptorem, ſed quanti in ſe valet, ant quanti valet ipſi creditori conſideratis circunſtantijs, &c. cum autem parum valeant ipſi creditori, ſequitur poſſe vendi, quanti æſtimantur, & ſi ſolum æſtimantur dimidia parte pretij, ſequitur dimidio pretio poſſe vendi.

Sciendum, quod ille, qni eſt cauſa difficultatis exactionis, non poteſt minori pretio emere creditũ, ſed peccat contra iuſtitiam minoris emendo, & obligarur ad reſtitutionem. Ratio, quia cenſetur cauſa, cur creditum minoris valeat creditori, quàm valerer. Tum, quia etiam ex ſno delicto exportaret commodum, & par non eſt, vt quis ex ſuo delicto commodum repottet. Molina *diſp*.313.

Quidam Miles multa ex furto, & rapina habebat in varijs regionibus extorta, dominos particulares neſciebat: quæritur quid facere debeat?

BRACTEA XV.

SVPPONENDVM eſt, quod ſuprà diximus bona incerta eſſe in triplici differentia, alia eſſe inuenta, alia debita ex contractu, alia ex delicto, hic ſolum loquimur de bonis incertis acquiſitis ex delicto.

R. Bona incerta acquiſita ex delicto iure poſitiuo regulariter reſtituenda eſſe pauperibus, & ita ex *cap. cum tu de vſuris*; & omnes Doctores communiter. Ratio, quia nullus rem alienam retinere poteſt, cum par non ſit, vt ex iniurijs, & iniquitate quis locupletetur. Quod debeant reſtitui pauperibus, quando verus dominus ignoratur. Ratio eſt, quia ſic dominus non cenſetur inuitus, & teſtituens vtiliter cenſetur agere rem domini, quia vel dominus erit viuus, & ita non cenſebitur inuitus ſi reſtitutio fiat pauperibus, quando ipſe ignoratur: ſi mortuus erit illi, in ſatisfactionem pœnæ. Dixi regulariter, & iure poſitiuo, quia pauperibus non debentur iure naturæ, & aliquando etiam à Principibus aſſignantur certis perſonis, & aliquando Summus Pontifex cõpoſitionem facit cum debitoribus, quod fieri non poſſit ſi pauperibus iure naturæ debetentur. Secundò quando damnum à militibus fuit illatum alicui Communitati, vel quia ipſam iniuſtè ſunt deprædatæ, vel illi alia ratione damnum intulerunt, reſtitutio facienda eſt illi Communitati, quia licet particulares ignorentur, tamen Communitas, cui damnum illarum eſt in ſuis particularibus ſcitur, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet, vel quia miles eſt tam abſẽs, vt illi Communitati reſtitutio non poſſet fieri, tunc reſtitutio alijs pauperibus poteſt fieri. Tertiò, quãdo damnum illatum eſt aliquibus particularibus alicuius Communitatis, reſtitutio fieri poteſt pauperibus alterius loci, quando adhibita ſufficienti diligentia ſciri non pòteſt quibus reſtitutio debeatur. Ita Molina *diſp*.447. Leſſius *lib*.2.*cap*.14.*nu*.49. Caiet. 2.2. *quæſt*.62. *art*.5. Vaſquez de *reſtitut. cap*.1. *dub*.5. & alij. Nomine pauperum intelliguntur non ſolum mendici, ſed loca pia, Monaſteria, Hoſpitalia, pauperum Eccleſiæ indigentes ornamentis, &c.

An Miles, qui pecuniam alterius militis defuncti in pauperes erogauit, ſciens ad eſſe hæredes peccauerit, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XVI.

R. MILITEM non potuiſſe erogare pauperibus pecuniam militis defuncti. Ratio, quia illius pecuniæ dominium non habebat, tum etiam, quia faciendo talem eleemoſynam grauauit hæredes, & nemo poteſt facere eleemoſynam, ſeu opus meritorium cum præiudicio alterius. Tum etiam quia, qui debitum ex delicto incertum applicat pauperi, vel cauſæ incertorum ante adhibitam diligentiam in inquirendo domino, tenetur adhuc reſtituere domino comparenti propter culpam admiſſam negligendo debitam diligentiam, quam tenebatur permittere, maiorem, vel minorem iuxtà qualitatem rei maioris, vel minoris momenti. Molina *diſp*.747. Secchius *cap*.7. *de caſibus reſeruatis*, Azorius 3.*part.lib*.4.*cap*.26. & alij, ita a fortiori, militem obligari ad reſtitutionem, qui ſcientem eſſe hæredem alterius militis defuncti partem pecuniæ ipſius pauperibus diſtribuit. Excuſantur tamen à peccato, & reſtitutione, ſi ij, quibus pecunia fuit diſtributa fuerint in extrema neceſſitate, quia ſicut nihil habenti licet furari ad ſubleuandam extremam neceſſitatem alterius, ita licebit in pauperes in extrema neceſſitate poſitos pecuniam erogare apud militem defunctum inuentam, quia ratione extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia. Ita communiter omnes.

An Milites poſſint retinere, quæ ab hoſtibus fuerunt capta, antea iniuſtè pugnantibus, vel Dominis teneantur reſtituere?

BRACTEA XVII.

R. Teneri milites ab hoſtibus iniuſtè capta, prioribus dominis reſtituere. Ratio, quia Domini non amiſerunt dominium, cum hoſtes iniuſtè pugnantes ea rapuerint; & res cenſetur ſemper clamare pro domino; nec milites ea accipientes ab hoſtibus acquirunt dominium. Ratio; quia accipiendo ab hoſtibus acquirunt ius, quale hoſtes habebant poſſidendo, cum autem ipſi nõ habuerint verum dominium, ſequitur hoſtes accipiendo non acquiſiſſe dominium. Quod ſi dicatur, ſi Milites ea è manibus inimicorum nõ rapuiſſent, Dominus eadem nunquam habuiſſet.

R. Neque ex hoc priuari dominum ſuo dominio; quia vbicunque fuerint tranſlata clamant pro domino ſuo; & per conſequens ſuo domino ſemper reſtituenda. Secundò Milites pugnantes in iniuſto bello non obligari reſtituere ſtipendia, quæ acceperunt. Ratio eſt, quia & ſi bellum fuit iniuſtum, tamẽ labor, & periculum quod paſſi ſunt milites eſt pretio æſtimabile. Vnde iuſtè pro ipſis poſſunt ſtipendium accipere, deinde ſi ſtipendium reſtituendum eſt, erit reſtituendum illi, qui dedit, ſed illi non eſt reſtituendum, cum voluntariè dederit, & nulla fuit iniuſtitia in accipiendo. Tum etiam, quia fuit datũ ob pretium militiæ, & ſicut pro eo tempore militauit, ita etiam pro eo tempore poteſt retinere pretium ſibi aſſignatum ob militiam. Ita Vaſquez *cap. 7. dub. 8. Em. Sà verbo reſtitut. n. 10.* & alij.

An Domini rerum debeant aliquid militibus reſtitutionem facientibus dare?

BRACTEA XVIII.

R. Sı bona iniuſtè ab hoſtibus capta, & poſteà à militibus recuperata ſunt; dominum rerũ teneri non ex iuſtitia, ſed ex quadam æquitate aliquid militibus dare. Ratio, quia milites expoſuerunt ſe periculo in eo, ad quod non obligantur ex iuſtitia, quia milites ex officio ſolum obligantur damna Eccleſiæ, Reipublicæ, Communitatis cum periculo vitæ defendere, non autem particularium, quia non cenſentur ſuſcepiſſe ea munera cum tanto periculo, & onere. Vnde cum ſe expoſuerint periculo vitæ, vel mutilationis ob recuperationem bonorum particularium ex quadam æquitate obligantur Domini rerum recuperatarum eis aliquid dare pro recuperatione bonorum ſuorum facta, cum ipſi vtiliter geſſerint negotium eorum, & labor ſit appretiabilis pecunia, & pro ipſo aliquid mereantur iudicio prudentis.

An Milites, quæ acquirunt ab hoſtibus, poſſint in conſcientia retinere?

BRACTEA XIX.

R. Res mobiles acquiri militibus acquirentibus, niſi aliter ſtatutum ſit à Principe, aut aliter conſuetudine acceptum. Ratio, quia expedit bono communi, vt huiuſmodi bona ſint militum, vt audaciores fiant in debellandis hoſtibus. Ita Tabien. *verbo Bellum*. Secundò bona immobilia non eſſe militibus capientibus, ſed Principi reſignanda tanquam ſua. Ita Tabiena *loco citato*, Layman de charitate *tract. 3. cap. 12.* Bonacina *de Bello, num. 22.* Tertiò bona mobilia, quæ priuilegio poſt liminij gaudent non eſſe militis capientis, ſed aut prioribus dominis reſtituenda, vel eſſe Principis, vt ſunt arma, bombardæ, currus, quibus bombardæ deferuntur, &c. Eſt autem priuilegiũ poſt liminium iure Cæſareo antiquo datum, quo res aliqua capta ab hoſtibus, & extra limen, & terminum Regni perducta ita putatur, ac ſi nunquam fuiſſet capta, & perducta, ſed eidem domino reddenda eſt, ad quem antea pertinebat. Verum conſuetudini ſtandum.

An Milites in hoſpitio poſſint aliquid accipere ſupra taxam?

BRACTEA XX.

R. Non poſſe milites accipere aliquid ſuprà taxam à Principe factam. Ratio, quia ſi aliquid accipiunt iniuſtè faciunt, cum teneãtur ſeruare taxam factam à Principe, & non ſeruando violant iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem illius quod acceperunt ſupra taxam. Quod ſi dicatur voluntariè dari ab incolis, & per conſequens milites non eſſe obligatos ad reſtitutionem. Reſpondeo non dari voluntariè ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ne ab ipſis iniuſtè moleſtentur; vt ille, qui incidit in latrones dat illis pecuniam, ne ab ipſis vexetur in vita, & iſta traditio non eſt voluntaria ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & accipientes obligantur ad reſtitutionem, ita dantes aliquid ſuprà taxam non voluntariè donant, ſed ſecundum quid; & per conſequens accipientes obligantur ad reſtitutionem. Secundò accipientes aliquid ſuprà taxam, quod datur ad euitandas moleſtias, quarum ipſi ſunt cauſa, obligari ad reſtitutionem cum iniuſtè accipiatur, & ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi. Verum ſi aliquid detur Militibus ad euitandas moleſtias ordinarias, ſiue ſubiectiones, quas Milites ſolent afferre manentes in aliqua domo, vt modeſtiores ſe gerant, &c. poſſe datum iuſtè retineri. Ratio eſt, quia ſicut Aduocatus poteſt aliquid accipere ſuprà taxam à clientibus, vt maius ſtudium in cauſa faciat, quam obligetur facere ex officio, cum illud maius ſtudium ſit pretio æſtimabile, ita & etiam miles poteſt accipere aliquid ſuprà taxam, vt modeſtiorem ſe gerat, quam ſolent ſe gerere Milites.

An in obſidione alicuius Ciuitatis licitum ſit veſci carnibus humanis?

BRACTEA XXI.

NEGATIVAM ſententiam tuentur multi. Ratio, quia talis comeſtio etiam tempore obſidionis eſt intrinſecè mala, & ideò non poteſt licere. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 142 *art.* 4. Valentia *tom.* 3 *diſp.* 9. *quæſt.* 3 *pun.* 1. Fernandez *de ſeptem peccatis moralibus, cap.* 2. Azorius *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 22.

Affirmatiuam ſententiam tuentur Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub* 2. *num.* 10. Sanchez in *ſum. lib* 1. *tom.* 1. *cap.* 18. *num.* 12. Naldus in *ſum. verb. Medicus*, Em. Sà *verbo comedere*, Caiet. in 2.2. *quæſt.* 148. *art.* 2. Abulenſis in 4. *Regum cap.* 6. *quæſt.* 32. Toletus *lib* 8. *cap.* 60. & ideò.

R. Secluſo homicidio licitum eſſe veſci carnibus humanis in obſidione alicuius Ciuitatis, quamuis jure naturę ſit prohibitum, tamen in extrema neceſſitate ceſſat talis prohibitio, & ſicut ad ſeruandam vitam licitum eſt veſci carnibus humanis, vnde in infirmitate carnes humanæ poſſunt deſeruire pro medicamento, & licitum erit haurire ſanguinem humanum ex vena adoleſcentis ad acquirendum vigorem corpori ſenili, ergo etiam licitum erit in extrema neceſſitate in obſidione Ciuitatis veſci carnibus humanis.

An accepta à Militibus in Eccleſia ſint reſtituenda?

BRACTEA XXII.

R. MILITES accipientes aliquid ſacrum in Eccleſia peccare peccato ſacrilegij, incurrere in excommunicationem, & obligari ad reſtitutionem. Ita communiter omnes. Ratio cur peccent eſt, quia furando faciunt contra præceptum iuris naturæ, iuris Diuini, & poſitiui. Ratio cur peccent peccato ſacrilegij eſt, quia violatur locus ſacer, & res ſacra, cur autem ſint excommunicati eſt, quia violant immunitatem loci, & obligantur ad reſtitutionem, quia violant etiam iuſtitiam, & ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi. Secundò milites in Eccleſia accipientes rem non ſacram depoſitatam in Eccleſia peccare peccato ſacrilegij. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 45. Coninchus *de pœnit. diſp.* 7. *dub.* 4. *num.* 22. Henriquez *lib.* 5 *cap* 6. Tertiò Militem accipientem rem non ſacram in Eccleſia non depoſitatam peccare peccato ſacrilegij iuxta ſententiã Nauarri *cap* 6. Valentia *tom.* 3 *diſp.* 6. *quæſt.* 12. *pun.* 1. Valquez in *opuſc. cap.* 5. §. 3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 3. *c.* 5. & alij. Ratio deſumitur ex iuris diſpoſitione in *cap. quiſquis inuentus* 17. *quæſt.* 4. in quo dicitur ſacrilegiũ committi auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrũ de ſacro, vel ſacrum de non ſacro, quæ cum abſolutè loquatur, & ſine diſtinctione, non eſt cur à nobis diſtinguatur, & intelligatur de re ſacra, vel de re poſita ſub cuſtodia in loco ſacro. Quæ opinio authoritate ſupra dictorum Doctorum videtur probabilis. Quartò militem furantem in Eccleſia non priuari priuilegio immunitatis. Ratio eſt, quia priuatio immunitatis nõ eſt trahenda ad caſus extrà bullam expreſſos: in bulla autem non exprimitur iſte caſus.

An Milites committentes ſtupra, adulteria in Eccleſia priuentur immunitate?

BRACTEA XXIII.

R. NULLO modo priuari, quia hic caſus nõ exprimitur in bulla, peccare tamen peccato ſacrilegij, cum violent Eccleſiam peccando. At Nauarrus *cap.* 25 *num.* 10. Couar *lib* 2 *variar. cap.* 20. Suarez *cap.* 11. *num.* 6. Panormitanus *cap ult. de immun.* & alij communiter, qui ſua ſcripta ante conſtitutionem XIV. typis ediderunt exiſtimant priuari; Ratio, quia indigni ſunt qui defendantur ab Eccleſia, tum quia quiſquis puniri debet in quo deliquit, *cap. fin. de immunit.* ſed iſti delinquunt in Eccleſia; ergo debent puniri ab Eccleſia, vt priuari debeant immunitate Eccleſiaſtica. Secundò mutilantes, & occidentes milites oppidi in Eccleſia priuari immunitate, ſi hoc culpabiliter faciant, tam in Eccleſia, quam in eius cæmiterijs. Ita *cap fin. de immunit.* & Gregorius XIV. in *conſtitut. de immunit.* Ratio eſt, quia par non eſt, vt immunitate Eccleſiæ fruatur, qui in Eccleſia deliquit occidendo, vel mutilando, ideò ſequitur iuſtè priuari eos immunitate. Dixi culpabiliter, quia quando homicidium, vel mutilatio fit inculpabiliter ad defenſionem propriæ vitæ, gaudere immunitate. Tertiò militem, qui in vna Eccleſia commiſit delictum mutilationis, vel occiſionis non poſſe in alia Eccleſia ſaluari, quia licet verum ſit ipſum non offendiſſe Eccleſiam, in qua ſaluatur, tamen de ipſo verificatur offendiſſe Eccleſiam. Ita Couar. *loco citato*, Ambroſinus *cap.* 5. *num.* 3. & alij.

An miles, qui explodit ſclopum in incolam, qui poſteà incontinenter in Eccleſia mortuus eſt, priuetur immunitate?

BRACTEA XXIV.

R. NON priuari immunitate. Ratio eſt, quia ipſe in Eccleſia non deliquit, licet vulneratus in Eccleſia mortuus ſit. Secundò priuari, immunitate militem; qui grauiter vulnerauit aliquem in Eccleſia; licet poſteà vulneratus extrà Eccleſiam ſit mortuus. Ratio, quia licet mors; aut mutilatio non ſit ſequuta in Eccleſia, ſed ſolum vulneratio, tamen quia mors eſt ſequuta ob cauſam datam in Eccleſia ſequitur ipſum priuari immunitate, ac ſi occidiſſet, vel mutilaſſet in Eccleſia. Et ita Bonacina *de cenſuris diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 11. & *de immunitat. pun.* 9. & alij. Tertiò Officialem militum exiſtentem in Eccleſia, qui mandat militibus ſuis aliquem occidi extrà Eccleſiam non priuari immunitate, quia iura dicunt; illum ſolum priuari immunitate, qui mutilat, vel occidit in Eccleſiis, iis autem, qui mandat non dicitur propriè occidere, vel mutilare in Eccleſia, licet mandatum de occidendo dederit in Eccleſia, & pœnæ non extendantur ad alios caſus, cum hoc prohibat Summus Pontifex.

An Milites, qui deprædantur in vijs publicis gaudeant priuilegio immunitatis?

BRACTEA XXV.

R. Milites, qui deprædantur in vijs publicis non gaudere priuilegio immunitatis, cum iſti ſint publici latrones, & aſſaſſinij, qui non gaudent priuilegio immunitatis, vt patet ex Bulla Gregorij XIV. Et ita Ambroſinus *de immunitate Eccleſiaſtica, cap. 2. num. 4.* & omnes ſuprà Bullam. Secundò militea proditorea, ſeu qui proditoriè aliquẽ occidunt non gaudere priuilegio immunitatis, quia in conſtitutione Gregorij XIV. excipiuntur. Vnde miles, qui ſimulata amicitia aliquem occidit, ſeu qui doloſè aliquem ſeducit, vt occidat, ſeu qui hominem non tale præuidentem occidit, vt poſteà deprædetur, non gaudet priuilegio immunitatis ex duplici capite, primò quia furatur in vijs publicis, ſecundò, quia proditoriè ipſum occidit, vtendo ſalutationibus, & verbis pacificis, vt ipſum incautè occidat.

An Officiales militum poſſint milites delinquentes, & ad Eccleſiam confugientes ſpoliare armis prohibitis abſq; violatione immunitatis?

BRACTEA XXVI.

R. Sine violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ poſſe officiales milites delinquentea, & ad Eccleſiam confugientes ſpoliare armis prohibitis. Ratio, quia detinere huiuſmodi arma eſt contrà legem, vt ſuppono, quod Eccleſia non intendit defendere. Et ita Laurentius in ſuis dubijs regularium verbo Eccleſia, & Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 12.* quia vt docet non eſt delinquentis pœna, ſed ſubtractio materiæ culpæ. Secundò ſi quis caperet fœminam, & raptam ab Eccleſia deferret poteſt fœmina ab ea extrahi. Ita Suarez *loco cit.* & colligitur ex *cap. de raptoribus*, ſic etiam ſi quis debita aliena ibi detinere, poſſet illis ſpoliari per eum, qui ad hoc poteſtatem haberet. Secundò militea non poſſe abſtrahere ab Eccleſia, qui machinati ſunt dare Vrbem hoſtibus tempore obcidionis, quod patet ex Bulla Gregorij XIV. vbi ſolum excipitur ab immunitate Eccleſiaſtica machinans in Principem quãdo contrà eius perſonam machinatus eſt, ſecus ſi in eius bona, & dignitatem.

An Officiales militum poſſit cogere Parentes Clericorum degentes cum eis ad recipiendos in hoſpitio milites?

BRACTEA XXVII.

R. Cum tali diſtinctione, vel Clerici ſunt in domo paterna, vel Parentes ſunt in domo propria Clerici, deinde vel habent regiſtrũ, vel viuunt ſumptibus Clerici, ſi Parentea Clerici habitant in domo propria, & habent regiſtrum Officiales poſſunt eos cogere ad recipiendum in hoſpitio ſuo milites. Ratio, quia eos ſic cogendo nõ faciunt contrà immunitatem Eccleſiæ, cum cogunt ducere in ſuo hoſpitio militea, & ratione regiſtri, quod habent, & ſtatui Clericali nullam iniuriam faciunt, licet cum eis cohabitet Clericus. Secundò ſi cogunt Parentes Clerici ducere hoſpitio milites ob patrimonium, quod habet Clericus, cum eis habitans violare immunitatem Eccleſiaſticam. Ratio, quia Clericus ratione Patrimonij eſt exemptus ab oneribus realibus, & perſonalibus. Tertiò ſi Parẽtes Clerici cogantur ducere hoſpitio milites ob bona profectitia Clerici acquiſita violare immunitatẽ Eccleſiaſticam. Ratio, quia bona profectitia gaudent priuilegio bonorum Patrimonialium. Quartò ſi Parentes Clerici cogantur ducere hoſpitio milites ob bona aduentitia, & acquiſita à Clerico faciunt contrà immunitatem. Ratio, quia bona aduentitia tranſeunt cum perſona, & ſicut perſona Clerici eſt priuilegiata, ita etiam bona aduentitia illius gaudent priuilegio immunitatis. Quintò ſi Parentes habitant in domo Eccleſiæ, vel propriæ ipſius Clerici, non poſſunt cogi Parentes Clerici hoſpitio ducere milites in domo Eccleſiæ, vel in domo propria Clerici, ſed debere contribuere pecuniam pro hoſpitio, pro bonis caraſtratis, &c. Ratio, quia domus Eccleſiæ, & domus propria Clerici gaudent priuilegio immunitatis, ſicuti alia bona Eccleſiaſtica, & violantes ipſam incurrunt excommunicationem Bullæ, à qua non poſſunt abſolui, niſi à Summo Põtifice, vel de mandato ipſius, licet in articulo mortis à quolibet Sacerdote, & in caſu neceſſitatis quãdo non adeſt commoditas petendi Romam, ab Epiſcopo. Sextò ob indigentiam belli poſſe milites deuaſtare bona Eccleſiaſticorum abſquè incurſu excommunicationis, quando aliter non poteſt obtineri finis belli, niſi deuaſtando bona Eccleſiaſticorũ, nec per acto bello obligati ad vllam reſtitutionem, quia reſtitutionis nulla radix apparet, niſi fortè in aliqua re ſint facti locupletiores. Molina *diſp. 112.*

An tempore obſidionis poſſint Officiales militum compellere Eccleſiaſticos, vt vendant ſuum granum, &c. pro ſuſtentatione exercitus?

BRACTEA XXVIII.

Affirmatiua reſpondent multi Theologi, & inter alios Ori. *in ſumm. cap. 4. num. 9.* Ioannes Salas *in tract. de emption. & vendit.* concludens in tali caſu non eſſe neceſſe recurrere ad iudices Eccleſiaſticos. Sed

R. Regulariter recurrendum eſſe ad Superiorem Eccleſiaſticum, in caſu tamen magnæ neceſſitatis, & quando periculum eſſet in mora nec facilè adeſt recurſus ad Superiorem Eccleſiaſticum, poterit Officialis ſæcularis ab horreis Clericorum frumentum accipere, & vendere, non vi iuriſdictionis, cum neceſſitas non det illi iuriſdictionem, ſed per ratihabitionem, & Epicheiam tenentes in tali caſu per ratihabitionem, & Epicheiam habere iuriſdictionem.

An Milites extrahentes res accolarum adductas in campanili Eccleſiæ violent immunitatem Eccleſiaſticam?

BRACTEA XXIX.

R. Cvm distinctione, [illegible] campanile eſt contiguum cum Eccleſia, & exiſtit intrà terminos triginta paſſuum, vel eſt ſeparatum ab Eccleſia, & non exiſtit intrà prædictum ſpatium: ſi primò modo milites extrahentes res accolarum adductas in campanili violant immunitatem. Ratio, quia cenſetur pars Eccleſiæ: ſi ſecundo modo non violatur immunitas, quia quando non exiſtit intrà terminos triginta paſſuum non cenſetur pars Eccleſiæ. Quod ſi dicatur, Palatia Epiſcoporũ, etiamſi non ſint intrà terminos triginta paſſuũ gaudere immunitate, ergo idem etiam poteſt dici de campanili. Reſpondeo non eſſe eandem rationem, quia Palatio Epiſcopi conceditur immunitas ob varia motiua: primò quia cenſetur locus ſacer: ſecundò ob ſuam dignitatem: tertiò quia in eo celebrantur Diuina miſteria, & per conſequens etiamſi non ſit fabricatum intrà terminos triginta paſſuum gaudet etiam tali priuilegio; at campanile fabricatum extrà triginta paſſus ab Eccleſia non cenſetur illius pars, priuilegium autem conceditur campanili quatenus eſt pars Eccleſiæ.

An Miles ne arguatur ignauiæ, poſſit acceptare duellum ab alio milite oblatum?

BRACTEA XXX.

R. Nvllo modo poſſe. Ratio eſt, quia lex Dei, & Eccleſiæ eſt ſemper anteponenda, & contra ipſam nullo modo eſt operandum. & quod arguatur ignauiæ non eſt ratio ad ipſum acceptandum; quia nemo prudens ipſum arguet non acceptando; vt legem Dei ſeruet; ſed ſolum imprudẽtes, decorum exiſtimantes de accepta iniuria vindictam ſumere propria auctoritate, poteſt tamen ipſe dicere offerenti duellum, ex condicto ipſum acceptare non poſſum, cum ſit prohibitum, paratus ſum tamen me defendere, quandocunque aggreſſus fuero.

Sciendum dubium eſſe, quando duos fratres acceptarunt duellum, & vnus in ipſo conflictu mortuus eſt, an ſuperſtes ſit irregularis? Ad quod reſpondeo eſſe irregularem. Ratio, quia conſentiendo cenſetur aliquo modo cauſa mortis fratris, cum conſenſerit in actionem illicitam, à qua vt plurimũ poteſt eſſe effectus mortis, & per conſequens ſecuta morte cenſetur irregularis. Secundò, Militem poſſe inſequi, & occidere inferentem ei alapam, ſi illata iniuria inualor fugiat quantum ſufficit ad recuperationem honoris, quando aliter, honorem non poteſt recuperare, & ipſum poteſt repercutere. Ita Nauarrus *cap.* 15. Petrus Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 380. Rodriquez *cap.* 136. Lopez 1. *part. cap.* 6. & alij. Ratio eſt, quia miles affectus tali iniuria magnam honoris iacturam faceret ſi fugientem perſequi non poſſet, practicè tamen loquendo non poteſt miles inſequi inferentem ſibi alapam. Ratio, quia habet magis ſpeciem vindictæ, quam defenſionis, & vt vitetur occaſio cædium hoc cenſeo ſuſtinendum, principaliter quando, qui lædit, petit veniam, quia tunc nõ poteſt percuti cum faciat, quod in ſe eſt, vt honor ẽ reſtituat.

An Miles applicans quandam herbam, & certa ſcripturæ verba proferens ſit cenſendus ſuperſtitioſus?

BRACTEA XXXI.

R. Regvlariter cenſendũ eſſe ſuperſtitioſũ, quando illa herba naturaliter non habet, talem virtutem, nec etiam illa verba ſcripturæ habeant talem virtutem, quia Deus nulla ſigna efficacia inſtituit præter Sacramenta, & hæc ad curationem animæ, non autem corporis. Vnde infertur, quod hæc ex pacto implicito, vel explicito Dæmonis habeant. Dixi regulariter, quia poterit eſſe naturaliter habere talem virtutem, cum aliquæ herbæ ſint à natura priuilegiatæ ad curandas aliquas ſpeciales infirmitates.

An milites capti ab hoſtibus poſſint fugere?

BRACTEA XXXII.

R. Posse fugere ſine peccato. Ratio, quia captiuitas eſt quædam pœna iuris, quæ infligitur à victoribus, qui tenent locum iudicis in bello iuſto, & victis non eſt obligatio ſubeundi pœnam, ita vt euadere quis eam non poſſit, cum ſe offert occaſio. Quod etiam habet locum in militibus Chriſtianis capti à ducibus Chriſtianis, cum quiſque poſſit ſi ſe offert occaſio euitare pœnam. Secundò milites, qui metu mortis fugiunt, & arma infidelibus relinquunt non incidere in excommunicationem Bullæ. Ratio, quia in Bulla prohibetur ne arma infidelibus inferantur, & hi, qui metu mortis fugiunt, & relinquunt arma verè non deferunt, nec tranſmittunt arma ad infideles, ſed tantum metu mortis ea relinquunt in eorum poteſtate.

An Milites capti ab hoſtibus, qui promittunt ſe redituros ſi per aliquos dies liberentur peccent ſi non ſtent promiſſis?

BRACTEA XXXIII.

R. Qvi promiſerunt redire verè, realiter, & non fictè peccare ſi non redeunt. Ratio, quia quælibet promiſſio vera, & acceptata obligat in conſcientia non ſolum virtute fidelitatis, ſed etiam iuſtitiæ cum alter acqu ſiuerit ius petendi rem verè promiſſam, & iſte verè teneatur adimplere promiſſionem. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſput.* 420. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 33 *cap.* 2. *num* 28. Nauarrus *cap.* 17 *num.* 6. Malderus *in* 2 2. *tract.* 1. *cap.* 9 *dub.* 8 Vaſquez in 1 *part. diſp.* 85. *cap.* 6. *num* 42. Salon *in* 2 2. *quæſt.* 5. *artic.* 3. Torrianus ibidem *tom.* 2. *diſp.* 64 *dub.* 16. *num.* 5. Beia *in reſponſ. part.* 4. *caſ.* 25. & alij plures loquendo principaliter de promiſſione rigoroſa, vt hæc, qua milites promiſerunt ſe redituros, quia vt liberentur promittunt, & de facto liberantur, & denuò acquirunt libertatem, à qua fuerunt per captiuitatem ſuſpenſi, & priuati; Cõtrariam ſententiam ſequuntur Fornus,

verbo Perfidia, Caiet. *in* 2. 2. *quæſt*. 113. *art*. 1. *dub*. 4 Hēriquez *lib*. 13. *cap*. 17. *num*. 6. & alij, quia frangere fidem in promiſſis non opponitur iuſtitiæ, ſed fidelitati, & per conſequens non peccat contrà iuſtitiam, qui frāgit fidem. Sed reſpondetur frangere fidem in re promiſſa, & acceptata non modo opponitur fidelitati, ſed etiam iuſtitiæ, ſicut etiam qui frangit fidem in re promiſſa titulo oneroſo.

An Miles, qui contrà Ducis Præceptum hoſtes aggreditur peccet?

BRACTEA XXXIV.

R. Egvlariter ex natura ſua facere aliquid cōtrà Preceptum Ducis eſſe peccatum mortale in materia graui, vt aggredi hoſtes, vel alio modo ſe vitæ periculo exponere. Vnde ſemper talis inobedientia ſolet acriter puniri. Secundò, ſi illa aggreſſione nullum ſequatur damnum exercitui, vel nullum fuerit periculum mali tam exercitui, quā particularibus, nullum erit peccatum. Quod, ſi iudicio prudentis fuerit aliquod periculum exercitui, vel particularibus, tunc peccauit mortaliter, quoniam temerariè, & non prudenter egit cum periculo proximi, peccare etiam mortaliter quamquam nō ſequatur damnum, quoniam expoſuit ſe periculo grauis pœnæ, quia quoties aliquid prohibetur ſub graui pęna, præſumitur velle tranſgredientem obligari ad culpam mortalem. Tertiò, non peccare mortaliter milites, qui diebus feſtiuis aggeres conſtruunt. Ratio, quia id ab Eccleſia permittitur ob neceſſitatem operis, ſicut alia plura, quæ ſunt ordinata ad defenſionem propriam, & expugnationem inimicorum. Ita Silueſter *verbo Dominica*, *quæſit*. 9. Nauarrus *cap*. 13. *num*. 6. Clauis regia *lib*. 7. *cap*. 2. & alij communiter. Quartò, etiamſi huiuſmodi opera facere eſſet contra præceptum Eccleſiæ ſi milites cogerentur à Ducibus poſſint hæc ſine peccato præſtare, quia obedientia, vel coactio excuſat à peccato, dummodo non fiat in contemptum feſti, vel Eccleſiæ, quia tunc non debent obedire, cum bonum Religionis præponderet bono priuato.

Vbinam milites habeant domicilium?

BRACTEA XXXV.

R. Habere milites domicilium in ea Diœceſi, in qua perpetuo manent, aut in qua nati ſunt, aut parentes habent, vel in qua præſidij cauſa ſemper manent. Ita communiter Doctores Sanchez *lib*. 1 *moral*. *cap*. 37. *& lib*. 3. *de matrim diſp*. 23. *num*. 12. Silueſter *verbo domicilium*, *& verbo Parochia*, Layman *lib*. 5. *tract*. 6. *cap*. 10. *num*. 5. Molina *tom*. 1. *tract* 2. *diſp*. 114. Secundò, habere quaſi domicilium in ea Diœceſi, in qua bellum gerēdi cauſa morantur, vel in qua præſidij cauſa manent. Ita auctores citati. Tertiò, milites tenentur ſeruare leges illius loci, in quo habent domicilium, vel quaſi. Ratio, quia cenſentur habitare in illo loco, & leges, & conſuetudines obligant habitantes in loco. Quartò, poſſe milites habitantes in Prouincijs, vbi nō eſt acceptatum Concilium Tridentinum contrahere matrimonium iuxtà conſuetudinem illius loci. Sanchez *lib*. 3 *de matrim*. *diſp*. 23. *num*. 12. Quintò, teneri milites in eo loco vbi militiæ cauſa degunt confiteri, & poſſe omnia alia Sacramenta ſuſcipere, excepto ſacramento Ordinis, & poſſe etiam ibi votorum, & caſuum diſpenſationem obtinere. Eſt communis opinio.

An Milites pugnantes in bello iuſto ſint irregulares?

BRACTEA XXXVI.

R. Seclvsa occiſione, aut mutilatione non eſſe irregulares, vt deducitur, ex *cap*. *petitio tua*, *de homicidio*. Secundò, milites inuaſi in bello defenſiuo, qui, ad defenſionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ ad ſui defenſionem occidunt inuadentes, non incurrere irregularitatem, cum cenſeatur licita talis defenſio. *clementina ſi furioſus de homicidio*. Si verò acceſſerint ad bellum intentione pugnandi, & in acie occiderint inuadentem, incurrere irregularitatē, quia ex eo, quod acceſſerint cum tali intentione cenſentur voluntariè exponere ſe periculo occidendi. Ita Filliucius *tract*. 19. *num* 38. Suarez *diſp* 47. *ſect*. 5. Rodriquez 1. *part*. *cap*. 170. & alij, cum homicidium in cauſa, cenſeatur volitum. Tertiò, milites pugnando in bello iniuſto eſſe irregulares ſequuta mutilatione, vel occiſione aliquorum, etiamſi ipſi non mutilauerint, vel occiderint. Quando verò in bello iniuſto diuiſus eſt exercitus in duas partes, & vna tantum pars homicidium committit, altera non: milites illius partis, quæ homicidia committit cenſentur irregulares, & non milites alterius partis. Ratio, quia alia pars nec factis, nec verbis cēſetur cooperari ad homicidium aliorum. Ita Hugolinus *cap*. 13. §. 1. *num*. 3. Henriquez *lib*. 14. *cap*. 13 *num*. 7. licet contraria ſententia ſit ſatis probabilis. Quartò, militem pugnantē in bello iuſto, dubitantem an occiderit, cenſeri irregularem, & patet ex *cap*. *ſignificaſti*, & ex *cap ad audientiam* 2. *de homicidio*. Tum etiam, quia in foro externo talis iudicatur. Valentia *tom*. 4. *diſp* 7. *quæſt*. 14 *pun*. 2 Filliucius *tract* 11. *cap*. 2 *quæſt*. 7 *num* 45. Sanchez in *ſumm tom* 1. *lib*. 1 *cap*. 11 *num*. 42. Hugolinus de cenſuris *cap* 4. §. 2 *num*. 2 Sayrus *lib*. 6. *cap* 2. *num* 16. Salas in *part*. 2 *quæſt*. 21. *tract*. 8. *diſp*. *vnica*, *ſect*. 10. *num*. 70. Villalobos in *ſumm*. *tom*. 1. *tract* 1. *difficult*. 22. Coninchus de *ſacram diſp*. 18 *dub*. 2. *num*. 28. Azorius *part*. 1. *lib*. 1. *cap*. 19. *quæſt*. 10. *&* 11. Quintò, vendentes arma militibus in bello iuſto non eſſe irregulares etiamſi arma ſint offenſiua. *cap*. *petitio tua*, vendētes verò arma in bello iniuſto eſſe irregulares ſequuta morte, vel mutilatione. Ratio, quia his imputantur homicidia, nec vllo iure eximuntur ab irregularitate. Ita Petrus Nauarr. *part*. 7. *diſp*. 6 *dub*. 1. *num*. 224. nec Clericum præbentem, aut vendentem arma in bello iuſto eſſe irregularem, etiam ſequuta morte, vel mutilatione, etiamſi in ſacris ſit conſtitutus, ſicut etiam nō eſt irregularis pugnans in bello iuſto, dummodo per ſe ipſum non occidat, vel mutilet, etiam ſi hortetur milites, vt ſuo fungantur munere, vel illos hortetur in genere ad pugnandum, ac fortiter ſe gerendos, & vincendum, & ad patriam defendendā. Ita Henriquez *lib*. 14. *cap* 3. Sairus *cap*. 19. *num* 3 Molina *tom*. 4. *diſp*. 73. *num*. 2. Aula *part*. 7. *diſp*. 6 *dub* 2. Reginaldus *lib*. 30. *tract*. 2. *num*. 165. Hugol. *tract de irregularit*. *cap*. 12. §. 2. & plures alij.

An Clericus in bello ſi aliquid capiat è bonis hoſtium, poſſit illud retinere?

BRACTEA XXXVII.

R. Poſſe retinere in bello iuſto, ſi ea bona data ſint militibus in prædam. Ratio, quia ex eo, quod eſt Clericus, non eſt peioris cōditionis, quam alij milites, & ſi ut ipſi poſſunt retinere capta ab hoſtibus in bello iuſto, & data in prędam, ita & Clerici, cum non adſit ratio cur Clerici non poſſint ea retinere, quæ receperunt ab hoſtibus, cum ipſi etiam pro Principe, & patria exponant ſe periculo vitæ. Dixi in bello iuſto, quia capto bello iniuſto non poſſunt retinere. Secundò militem, qui pro fide Chriſtiana pugnat, ſi moriatur non eſſe martyrem. Ratio eſt, quia martyr Chriſti in patiēdo debet imitari manſuetudinem ipſius, qui non cōminabatur, ſed tanquam ouis coram tondente ſe obmutuit, & qui volunt eſſe martyres Chriſti non debent perſequutori armis reſiſtere, ſed ſinere ſe tranquillè occidi, cum autem milites, qui pro fide pugnant id non faciant, non cenſentur martyres, licet multum mereantur.

An Milites, qui ab hoſpitibus plus extorquent, quam eis debetur peccent, & ſint obligati ad reſtitutionem?

BRACTEA XXXVIII.

R. Miniſtrum militum, qui vulgò dicitur (Il Forriero) qui pręit, vt hoſpitia militibus in vnoquoque oppido diſtribuat concedentem plura chirographa vni militi, vt habeat ius hoſpitandi in pluribus domibus peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem, ſi ſingulæ domus ſint ſufficientes ad militem alendum, & ab aliquibus accipiat pecuniam pro hoſpitio, & in altera hoſpitetur. Ita Molina de *iuſtit. tract.2. diſp.116.* Caietan. *verbo bellum*, & Driedo *2. de libert. Chriſtiana, cap.6.* obſeruant milites, qui ruſticos, aut alios hoſpites aggrauant, exigendo ab illis, pluſquam dare teneantur peccare cum onere illis reſtituendi quidquid inſuper accipiunt, idque, eſto bello iuſtum ſit, neque excuſari diſſimulatione, aut etiam auctoritate Principis, vel Ducis, niſi fortè in pœnam alicuius delicti iuſtè hominibus illis Principis, aut Ducis auctoritate, quæ quaſi latæ ſententiæ vim haberet grauamen hoc imponeretur. Neque item excuſari ex eo, quod debitum eis ſtipendium non ſoluatur, bona namq; Ruſticorum, aut Ciuium obligata non ſunt, vt ſtipendium illis ſoluatur, ſed ſoluendum eis eſt à Principe ex ærario publico, aut ex redditibus ad ſumptus publicos deputatis, vel contribuentibus ſingulis de Republica pro qualitate facultatum cuiuſcunquè, non verò grauando, aut vexando quoſdam particulares de Republica præ cæteris, quod eſſet iniuſtum, etiamſi id Princeps intenderet. Secundò, quod obſeruat Driedo, quod ſi vel milites in extrema famis neceſſitate eſſent, vel neceſſarij eſſent omninò ad defenſionem Reipublicę hominum illorum, neque haberent aliunde ſtipendium, aut vnde viuerent, poſſent ab illis, vel inuitis accipere neceſſaria, quandoquidem ſine magno illorum, & Reipublicæ damno diſcedere non poſſunt, Princeps tamen teneretur illis ſatisfacere de ærario, aut redditibus publicis, vel certè liberando illos in poſterum ab aliquo tributo, quouſque compenſauerit, quæ ita cōſumpſerunt. Ita *tract.2. diſp.117.* & alij. Tertiò, poſſe milites accipere gratis ab hoſpitibus, quę habuerit conſuetudo præſcripta loci, vt eis gratis dentur. Vnde vbi conſuetudo obtinuit, vt hoſpites gratis tribuant militibus vtēſilia, vt vulgò dicitur (groſſa) ideſt ligna, fœnum, &c. poſſe ea accipere, Quod etiā dicendum eſt ſi conſuetudo obtineret, vt ſal, oleū, aut aliud ſimile gratis daretur, quod vt plurimum in noſtrâ fit Prouincia, in qua militibus gratis dantur vtenſilia, &c. (Gròſſa.)

An milites deprædantes Vrbem obligantur in ſolidum ad reſtitutionem?

BRACTEA XLI.

R. In defectum cauſæ principalis obligari in ſolidum ad reſtitutionem damni iniuſtè cauſati. Ratio eſt, quia concurrunt in malo faciendo, & cauſa quæ concurrit in malo faciendo obligatur in ſolidum ad reſtitutionem, nec refert dicere, quod milites diuiſim deprædati ſunt Ciuitatem, nimirum alij vnam domum, & alij aliam, & per conſequens non eſſe obligatos, niſi pro ſua rata parte, quia omnes vnico conſenſu ingreſſi ſunt, vt deprædarentur Ciuitatem, & per conſequens moraliter omnes concurrunt in effectū deprædationis illius. Ita Siluius in 2.2. *quæſt.62. art.7.* Layman in *Theologia morali, lib.3. tract.3. cap.6. num.5.* vbi plures citat, licet Vaſquez in *opuſc. de reſtit. cap.9. §.1. num 35* Petrus Nauarr. *lib.2. cap.4. num.53.* Nauar. *cap.17. n.20.* Paludan. in 4. *diſt.15 quæſt.2. art.5.* Leſſius *lib 2. cap.13. dub.4. num.37.* ſic aſſerit, Miles gregarius non tenetur de damno, quod ipſe per ſe in bello iniquo dedit ad totum, ſed ſolum pro rata parte, neque obſtat, quod ſinguli incurrerint ad iniquam expugnationē vrbis, quia ſolum iuuerunt faciendo partem ſuam, non autem procurando, vt alij ſuam facerent, aut vrbem expugnarent. Vnde ſicut iſte non eſt cauſa damni, niſi ratione partis, quod ipſe intulit, ita non tenetur ad reſtitutionem, niſi pro ſua rata parte, ſicut enim totus exercitus eſt cauſa totius damni, ita ſinguli ſuæ tantum partis, niſi alia ratione alios iuuerint, vel excitauerint. Dux tamen tenetur ad totum, quod per milites illatum eſt, quia vel eos ad hoc direxit, vel ſi non direxerit, ſaltem tenebatur ex officio impedire. Ita Leſſius ſatis probabiliter.

Quidam miles ſuo Officiali dixit, falſum eſt quod dicis: quæritur an peccauerit, vt inferens iniuriam Officiali?

BRACTEA XL.

R. Non peccaſſe, nec intuliſſe officiali iniuriā ex vi verborum, ſi animus deficit inferendi iniuriam. Ratio, quia maximum diſcrimē eſt inter mentiris, & falſum dicis, nam qui mentitur non fallitur, ſed alium fallere, & decipere conatur, cum mentiri ſit demonſtrare voce id, cuius cōtrarium in mente geritur, quod eſt contra dictamē naturale, & contra naturam vocum, quæ inſtitutæ ſunt ad ſignificandos internos animi ſenſus, & conceptus, & per conſequens, qui alteri dicit, mentiris, facit illi iniuriam, cum ſupponat aliquid dicere ad alium fallendum, at qui falſum dicit ipſe fallitur, &

non

non habet intentionem alicui decipiendi, & per conſequens non cenſetur alteri inferre iniuriam.

Reſoluuntur quædam alia dubia militaria?

BRACTEA XLI.

PRIMVM an dans mutuum militi ſit præferendus? Reſpondeo affirmatiuè, ſi det mutuum, vt emat equum, arma, vel vt ſe militiæ adſcribat, aut ſuſtentet. Ratio, quia habet hypothecam, & ius prælationis etiam ante dotem, vt patet ex nouella Iuſtiniani Imperatoris *lib.7.cap.4.*

Secundum an militi poſſint retineri ſtipendia propter debita? Reſpondeo negatiuè, illis etiam ſententia condemnatis, *leg. ſtipendia ff. de exequutione rei iudicatæ*. Ratio, quia priuilegiantur à iure.

Tertium, an milites hoſpitari poſſint domibus Eccleſiaſticorum laicis locatis? Reſpondeo negatiuè, & ſic refert deciſum à ſacra Congregatione in vna Nouarenſi Diana *tract.1 de immunitate Eccleſiaſt. reſolut.32.* die 9. Iunij 1617. Ratio, quia per indirectum in bonorum Eccleſiaſticorum præiudicium redundaret.

Quartum, an milites parati ad omne bellum ſint in ſtatu peccati mortalis? Reſpondeo affirmatiuè, quia faciunt contrà proprium officium, quod eſt eſſe paratos ad militandum tantum in bello iuſto, non autem in iniuſto. Ita Lopez *inſtruct. confeſſ. cap.56. leg. bello.*

Quintum quidam miles, qui aliàs à caſtris fugerat, & poſteà ad militandum redierat Principi porrexit ſupplicationem, vt mercedem haberet pro ſeruitijs præſtitis, & quia tacuit fugam dubitatum fuit, an mercede frui poſſit? Reſpondeo poſſe frui mercede accepta. Ratio, quia cauſa finalis donationis talis mercedis ſubſiſtit, quæ eſt ſeruitium exhibitum Principi, ob quod ipſe fuit motus ad remunerationem, & licet fuerit tacita fuga nihil refert, quia non tenetur ſuam culpam prodere, ſed ſatis eſt, quod ſiſtat cauſa finalis motiua. Quod ſi dicatur ſi Princeps ſciuiſſet fugam, mercedem non dediſſet. Reſpondeo, quod illa voluntas habitualis Principis nõ obſtat, non enim facit diſpoſitionem conditionalẽ, cum ſubſiſtat cauſa finalis motiua, & radix donationis mercedis. Ita plures citati apud Ceſpedem, *dubio militari 96.*

Sextum, miles quidam apoſtata mortuus eſt in bello: quæritur cuius ſint eius bona? Reſpondeo, vel huius bona licitè acquiſita ſunt, vel illicitè: ſi licitè acquiſita ſi extrà clauſura moriatur ſunt Cameræ Apoſtolicæ. Ita Laurentius Portela *verbo Apoſtata*. Naldus *verbo Religioſus*, & communiter omnes: ſi intrà clauſurã Apoſtata moriatur ſunt Monaſterij, ſeu Religionis, quod etiam dicendum eſt de bonis illicitè acquiſitis.

Septimum, quidam miles eiectus à Religione mortuus eſt in bello, aliqua bona relinquens, quæſitum fuit cuius debeant eſſe? Reſpondeo non pertinere ad Religionẽ. Ratio eſt, quia Religio per iuſtam eiectionem non amplius habet ius ſuper bona acquiſita ab eiecto, ſicut non habet amplius ius ſuper eiectum, ſed pertinere ad Cameram Apoſtolicã. Ita Suarez *cap.2. de Religioſis mutantibus ſuum ſtatum*. Quod colligitur ex Bulla Gregorij XIII.

Octauum, an milites gaudeant priuilegio reſtitutionis in integrum? Reſpondeo affirmatiuè pro eo tempore, quo militiæ operam nauant. Ita colligitur ex Bonacina *de contract. diſp.3. quæſt.1. 2. propoſ. num.25.*

Nonum, an milites conducti ad defendendam vitam, ſeu bona aliquorum ſi permittant aliquem occidi, ſeu bona accipere ex ijs, quos defendere tenentur peccent contrà iuſtitiam? Reſpondeo peccare contrà iuſtitiam, & obligari ad reſtitutionem damnorum ſequutorum. Ratio, quia ex officio ſuſcepto tenentur eos, & eorum bona defendere. Ita colligitur ex Molina de *iuſtit. commut. tract.3. diſp.33. num.10.* etiamſi adſit periculum vitæ eorum, cum iuſtitia obliget etiam cum periculo vitæ.

Decimum, an milites poſſint participare cum Duce exercitus excommunicato vitando? Reſpondeo affirmatiuè. Ratio, quia licitum eſt ſubditis obedire ſuis ſuperioribus excommunicatis vitandis, & ideò iſte caſus excipitur, *cap. quoniam multos 11. quæſt.3* & per conſequens milites poſſunt participare cũ Duce exercitus excommunicato vitando, cum inferior non eximatur à ſuperiore per excommunicationem ſui ſuperioris.

Vndecimum, an miles, quando nulla eſt ſpes euadendi poſſit deſerere ſtationem? Reſpondeo militem ſi nulla ſit ſpes præualendi poſſe deſerere ſtationem, nec teneri fruſtra expectare mortem. Ratio, quia ad id non ſe adſtrinxit, neque tuta conſcientia potuit ſe adſtringere. Tantò magis ad hæc omnia tenetur Dux, quàm priuatus miles, quantò magis ſtipendium accipit, maiorem honorem conſequitur, ſi ſtrenuè ſe gerat maius præmium à Principe ſperat, vt potè tanquam is, cui res tota præcipuè commiſſa eſt. Ita Molina de *iuſtit. tract.2 diſp 116.*

Duodecimum ad quid teneatur miles, qui dolo, vel fraude accipit duplicatum ſtipendium? Reſpõdeo militem, qui dolo, aut fraude aliquid accipit ſuprà ſtatutum ſtipendium incrementum debere reſtituere Principi, vel Reipublicæ. Ratio, quia illud incrementum accipit inuito Principe. Ita Molina *loco citato*.

Decimumtertium, an milites poſſint paſcere ſuos equos in paſcuis publicis? Reſpondeo milites poſſe paſcere ſuos equos in paſcuis publicis, dummodo actu militiæ operam dent, & equi ſint militares, & non aliter. Ita Couar. *practicar. quæſt. Tit. vnico, cap.37 num 1 & leg 2. C. de paſcuis*. Et ratio eſt, quia paſcua ſpectant ad neceſſitatem communem, & miles dans operam militiæ gaudet tali priuilegio, *leg. Imperator. ff. de ſeruit. ruſtic prædior.*

Decimumquartum, an milites pro pecuniario debito in carcerẽ trudi poſſint? Reſpondeo milites ex cauſa æris alieni non poſſe in carcerem dari, & exequutio in eorum bonis, & rebus fieri debet, & gaudent hoc priuilegio, vt ſi bonis careant minimè capiantur pro ære alieno ſoluendo. *leg milites, & leg. conſurſo ff. de vulg.* Couar. Varreſd. *lib.2. c.1. num.4.*

Decimumquintum, an miles poſſit aliquid tradere concubinæ? Reſpondeo militem non poſſe donare aliquid concubinæ. Ita *leg. miles*, Ita *§.5. ff. de milit. teſtam.* apud Couaruuiam de *reſtit. 2. part. §.2.*

De Priuilegijs Militum?

BRACTEA XLII.

RMILITAS habere plura priuilegia. Primum eſt, quod miles accuſatus de crimine non quæſtionatur. *leg. milites, C. de quæſtionibus.*

Secundum, miles in vaginti caſibus in actu teſtandi priuilegiatur, quod ſcribit Guglielmus Benedicti in ſua repeti. *cap Raynaldus in verbo teſtamentum.*

Tertium, contra militantem in bello nõ currit præſcriptio. Marcin. de laude *in tract. de milite*.

Quartum, militibus datur reſtitutio, *leg. fin. C. de reſtit. militum.*

Quintum, præuentio iuriſdictionis non tollit priuilegium militis volentis declinare iuriſdictionem *gloſſ. in leg. ſi quis poſteaquam ff. de iudicijs.*

Sextum, miles non poteſt cogi eſſe tutor, niſi filiorum commilitonis, *leg. ſed miles.*

Septimum, miles præfertur alijs creditoribus etiã anterioribus in re empta ex pecunia ſua, *gloſſ. in leg. ideóq; ff. qui potiores in pignore habeantur.*

Octauum, licet miles teneatur ſoluere gabellam de rebus, quas portat, non tamen res, quas portant cadunt in commiſſum. Bald. *in leg. omnibus C. de vectig. & commiſſis.*

Nonum, miles non tenetur, niſi quatenus facere poteſt, *leg. miles ff. de re iudic.*

Decimum, miles excuſatur à vera contumacia, & dolo præſumpto. Alexand. in *leg. 2. ff. ſi in ius vocatus non ierit.*

Vndecimum, aſſertioni militis ab hoſtibus remiſſi creditur ſuffragantibus meritis. Specul. *in Tit. de teſte.*

Duodecimum, miles corporaliter non eſt puniendus cũ inſignijs militum, ſed debet exauctorari hoc eſt nudari inſignijs militum, *leg. 2. §. ſed ſi cum ff. de his, qui notantur infamia.*

Decimumtertium, ſi procurator militis ſimpliciter contrahat, videtur contrahere nomine militis Domini ſui. Paulin. de caſtr. in *leg. pecuniam ff. ſi cert. petat.*

Sunt etiam plura alia priuilegia militum, quę ponit. Spec. *de procur.* §. 1. à iure ciuili conceſſa. Multa etiam per iura canonica militibus conceduntur, & tanti militiæ ſtatus fit, vt milites, & Eccleſia in multis aſſimilentur, vt aduertit Valdus in *ſumm. verbo miles* Vnde valet argumentari à militia, ad Eccleſiam, vel piam cauſam, quando eadem ratio militat in vtroque. Hinc ſicut emptum ex pecunia militis efficitur ipſius, vt ex *leg. ſicut proponis, C. de rei vindicat.* Ita emptum ex pecunia Eccleſiæ efficitur ob eandẽ rationem Eccleſiæ, & ſic in multis alijs caſibus dicẽdum erit.

DE SEXTO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non Mœchaberis.

MALLEATIO XXXIV.

In ſexto Præcepto, prohibetur adulterium tam ex parte viri, quam ex parte mulieris, & vniuerſaliter prohibitur omnis illicitus concubitus, & omnis actus inordinatus in re venerea: Idcircò agam de omnibus ſpeciebus Luxuriæ, & de peccatis in materia ipſius, de qua tractant S. Thom. 2. 2. quæſt. 153, & 154. & alij Theol. Summiſtæ V. Luxuria, & impudicitia.

De Peccatis Luxuriæ.

De fornicatione.

BRACTEA I.

SCIENDVM ſeptem eſſe ſpecies peccatorum contrà caſtitatem hoc Præcepto prohibitas nimirum fornicationem, adulterium, Inceſtum, ſtuprum, raptum, peccatum contrà naturam, ſacrilegium. Ita S. Thom. 2. 2, *quæst.* 154. *art.* 1. Silueſter, Angelus, Tabienſis, Roſella, Armilla in *verbo Luxuria*, Nauarr. *in manuali, cap.* 16. *num.* 2. Secundò tantum peccatum eſſe ſi quis peccet, & cum eadem fœmina decies rem habeat, quantum eſt ſi quis peccet cum decem fœminis cœteris paribus. Vnde ſatis eſt in Confeſſione ſacramentali dicere, decem ſe commiſiſſe adulteria, vel fornicationes. Tertiò, hoc præcepto expreſſè eſſe prohibitum adulterium, cætera verò peccata contrà Caſtitatem reduci ad huius Præcepti prohibitionem. Quartò, hoc Præcepto in vniuerſum prohiberi omnem coitum ſiue carnalem copulam extrà legitimum coniugium factam, & voluntariam omnem humani ſeminis effuſionem extrà matrimonium. Quintò; ſicut caſtitas eſt virtus quædam ſpecialis, ita luxuria eſt ſpeciale vitium, quoniam eſt contrà ſpecialem virtutem, & verſatur circa ſpeciale obiectum, & ſpecialem materiam, & ſpecialem turpitudinem contrà rectam rationem, nimirum, quod luxuria eſt coitus carnalis extrà legitimum coniugium. Sextò, non eſſe omnes propriè ſpecies, ſed tantum moraliter, & ſecundum communem loquendi modum non metaphyſicum. Ratio eſt, quia deformitas, quæ tanquam differentia contrahit materiam luxurię ad aliquam ſpeciem, debet eſſe intra idem genus malitiæ, quod contrahit ſi at deformitas, quæ conſtituit adulterium, vel raptũ, vel ſtuprum, &c. eſt diuerſa à deformitate luxuriæ, nam in primis tribus eſt iniuſtitia, quæ non addit deformitatem, quæ fit contra caſtitatem, ſicut eſt deformitas vaſis indebiti, quæ conſtituit peccatum contra naturam, vel deformitas perſonarum debito vinculo non connexarum, vt eſt in ſimplici fornicatione, in inceſtu verò deformitas propria eſt contrà pietatem, & in ſacrilegio contra Religionem, ideóq; non erunt propriè ſpecies, nam differentia

con-

contrahens debet eſſe intrà idem genus rei, vt rationalitas eſt quædam animalitas conſtruens hominẽ; diſcretio eſt quædam quantitas conſtituens numerum, & ſic de alijs. Dixi eſſe moraliter ſpecies luxuriæ, tum quia luxuria in ijs ſe habet tanquam finis, iniuſtitia verò, vel vitia oppoſita pietati, aut Religioni per accidens ſe habent, nam adulterium committitur non vt fiat iniuria marito, ſed propter delectationem carnalem, & ita de alijs; malitia verò iniuſtitiæ, vel impietatis, vel irreligionis admiſcetur minus principaliter, & quaſi per accidens, tum quia huiuſmodi peccata committuntur in materia luauriæ, ideoque potius dicuntur ſpecies luxuriæ, quàm iniuſtitiæ, magis enim apparens eſt ratio luxuriæ, quàm aliarum. Quibus poſitis.

R. Fornicationem eſſe concubitum viri ſoluti cũ fœmina ſoluta; intelliguntur autem ſoluti hi, qui à coniugio, voto, Ordine ſacro, Religione, & cognatione ſunt liberi. Silueſter *verbo luxuria, quæſt. 1.* & eſt communis opinio.

Sciendum 2. fornicationem eſſe peccatum non modo prohibitum lege poſitiua, ſed etiam prohibitum lege naturali. Ratio eſt, quia fornicatio eſt mala ſecundum ſe, & intrinſecè, & ita lege naturali prohibita, quia eſt cõtra bonam educationem, & inſtitutionem prolis naſcituræ, ita colligitur ex S. Th. 2.2. *quæſt.* 194. *art.* 2. & Caiet. *ibidem*, Soto *de iuſtit. diſt.* 5. *quæſt.* 3. *&c.*

Sciendum 3. ſicut Deus inſtituit id, quod erat neceſſarium ad prolem concipiendam, & pariendam, nimirum vim generandi, & organa opportuna, ita inſtituit, quod erat neceſſarium ad prolẽ rectè educandam, & promouendam ad perfectum ſtatum hominis, nam finis Generationis humanæ eſt proles perfecta: hoc autem eſt vinculũ indiſſolubile maris, & fœminæ, poſito mutuo conſenſu, quod matrimonium vocamus, ſine enim tali vinculo humano more fieri non poterat, vt proles rectè educaretur, cum ad hoc non ſolum materna, ſed etiam paterna cura neceſſaria ſit, nec obſtat, quod extra matrimonium poſſit cõueniens educatio prolis haberi reperto aliquo, qui ad id ex contractu ſe obliget, nam reſpondeo id eſſe per accidens, quia ſemper ſequeretur proli non conſuli certo, & apto modo, ſicut oportet ex rei natura, & grauiſſima neceſſitate prolis humanæ, & etiam nõ poſſet habere locum in omnibus, ſed ſolum in diuitibus.

An fornicatio ſit peccatum grauius furto?

BRACTEA II.

R. Primo fornicationem non eſſe grauius peccatum, quàm cætera, quæ ſunt contra Deũ, vel proximum. Ita D. Thomas *loco citato art.* 3. Ratio, quia grauitas peccati per ſe ſpectatur ex magnitudine boni, cui ipſum opponitur, maius autem eſt bonum Diuinum, quam humanum, vnde peccata quibus bonum Diuinum contemnitur, vt ea quæ directè repugnant virtutibus Theologicis, & Religioni ſunt deteriora ſecundum ſpeciem ſuam, quàm fornicatio, quæ bono humano repugnat. Secundò inter ea, quæ bonum violant peiora ſunt, quę tendunt in nocumentum vitæ hominis, quam quæ in damnum fortunarum, & quæ contra vitam naſcituri. Vnde infert D. Thomas cum fornicatio ex ſe tendat ad læſionem vitæ, & quidem certæ prolis, nimirũ, quæ ex actu poteſt naſci, eſt deterior furto, quo ſolum bona fortunæ læduntur, minor tamen eſt homicidio, quia per homicidium læditur vita hominis nati, & per fornicationem naſcituri, licet aliqui opinionem contrariam tueantur. Ratio, quia furtum eſt contrà iuſtitiam, fornicatio ſolum contra caſtitatem, & peccatum eſt eo grauius, quo præſtantiori virtuti opponitur, vt conſtat ex *p. 2. quæſt.* 73. Secũdò per furtum læditur homo iam exiſtens in re actu poſſeſſa, at per fornicationem nemo læditur, nam proles non eſt, & nihil ei detrahitur, immò melius eſt ei eſſe, quam non eſſe, ſolum in eo peccatur, quod fornicatio careat conuenienti ordine ad prolis futuræ educationem, cuius ordinis carentia eſt contra caſtitatem, non contrà iuſtitiam, & ita Martinus de Magiſtris apud Caiet. Sed.

R. 2. Fornicationem etiam dici poſſe peccatum contra iuſtitiam, ſicut homicidium, licet modo quodam imperfectiori, quia contrà vitam futuram, non exiſtentem. Secundò, poteſt dici etiam maximum peccatum, quia hominem detinet maximè, & difficilimè ſuperatur, idque propter concupiſcentiam homini congenitam, & ſemper inhærentem, cuius motus maximè ſunt connaturales, & importuni.

An fornicatio ſit licita in aliquo caſu?

BRACTEA III.

R. Fornicationem in nullo caſu eſſe licitã ſi voluntariè fiat, ſed eſſe intrinſecè malam, & peccatum mortale. Ratio eſt, quia ſemper in ea eſt omiſſio debiti ordinis, quæ tamen inordinatio iure naturæ neceſſaria eſt in illo actu ad cõplemẽtum prolis, deinde probatur inductione, quia non eſt licita primò ad vitam conſeruandam, vt ſi quis conſilio medicorum non poſſet alia ratione vitam tueri, niſi fornicando, licet moraliter loquendo non poſſit dari hæc ſuppoſitio, quia ſemper ſunt alia remedia illius loco. Secundò, quia ſicut nunquam licet mentiri, aut peierare ad vitam tuendam, ita nec fornicari, quia eſt intrinſecè malum, & ad vitæ conſeruationem non eſt ex natura ſua ordinatum tale remedium, ſed tantum ad conſeruationem ſpeciei. Secundò non eſt licita, quia tantum lege poſitiua prohibeatur, quia vt ſuprà dictum eſt prohibetur etiam lege naturæ. Tertiò non eſt licita ob ignorantiam, quaſi lumen naturæ non dictet eſſe rẽ illicitam, cum id non dictet. Vnde ſemper eſt peccatum mortale accedere ad meretrices publicas toties, quoties. Deinde etiam eſſe peccatum inducere eas, aut inuitare ad fornicationem, quamuis paratæ ſint, quia hic, & nunc datur cooperatio ad actum, quem non facerent, niſi ad id inuitarentur.

An fornicatio ſit intrinſecè mala?

BRACTEA IIII.

R. Fornicationem eſſe intrinſecè malã, & ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia illud cenſetur intrinſecè malum, quod iure naturæ eſt prohibitum: at ſimplex fornicatio iure naturæ eſt prohibita, ergo, &c. Minor poteſt, quia ea ſunt prohibita iure naturæ, quæ cum ratione habent diſconuenientiam: at fornicatio habet cum ratione diſconuenientiam, ergo, &c. Diſconuenientia conſiſtit, quia excedit regulam rationis ex parte finis, qui eſt bona prolis educatio, hęc enim requirit operam viri, & fœminæ, quæ ſunt inter ſe matrimonio coniuncti, alioqui ex rei natura incerta eſſet, & periculo expoſita bona prolis inſtitutio, & quamuis nog

trà

tra matrimonium poſſit eſſe conueniens educatio prolis, tamẽ id eſt per accidens, quia ſemper ſequeretur proli non conſuli certo, & apto modo, ſicut oportet ex rei natura, & etiam non poſſet habere locum in pauperibus, ſed ſolum in diuitibus, vnde in pauperibus eſſet ſolum peccatum, & non in diuitibus.

Sciendum peccata alia eſſe intrinſecè mala, alia mala extrinſecè, ideſt quia prohibita, vel ex alia circunſtantia extrinſeca, Peccata iure naturæ prohibita, ſeu quæ habent diſconuenientiam cum ratione ſunt intrinſecè mala propter difformitatem, quam habent cum ratione, Peccata verò, quæ ſunt mala, quia prohibita dicuntur extrinſecè mala; quia cum non habeant diſconuenientiam, cum ratione non cenſentur iure naturæ prohibita, & per conſequens, nec intrinſecè mala. Secundò peccata intrinſecè mala non poſſe honeſtari ſine bono, ſed ſunt mala, & nunquam facienda, cum nunquam deſinant eſſe prohibita, quæ verò ſunt extrinſecè mala, poſſunt honeſtari ſine bono, & iuſta cauſa deſinere eſſe mala, vt v.g. quia fornicatio eſt intrinſecè mala, nunquam poteſt honeſtari ſine bono, & idcircò nũquã facienda, etiãſi iudicio medicorũ ęſtimaretur mediũ neceſſariũ ad conſeruandam vitam, vel ad ſubleuandam extremam neceſſitatem. Ratio, quia quis tenetur potius mori, quam offendere Deum, & fornicatio cum ſit intrinſecè mala nunquam bono ſine poteſt honeſtari, & per conſequens ſemper eſt peccatum, quia nunquam deſinit eſſe mala. Comedere carnes in die veneris poteſt honeſtari ſine bono, & poſita iuſta cauſa nimirum ſanitatis, &c. deſinit eſſe malum, & peccatum, comedere carnes in die veneris.

Sciendum 2. dubium eſſe an ius naturale ſit diſtinctum à iure Diuino, quidam aſſerunt non diſtingui, vt Scotiſtæ, ſed eſſe ipſummet ius Diuinum; ſed reſpondeo ius naturale diſtingui à iure Diuino, quia ius naturale eſt ipſa conuenientia, ſeu diſconueniẽtia rei cum ratione, quæ quia inſita eſt à natura, idcircò dicitur naturalis, vt v.g. diſconuenientia, quã habet mendacium, ſeu adulterium cum ratione eſt ipſa lex naturalis, qua prohibetur mendaciũ, adulterium, &c. Conuenientia verò, quam habet conſeruatio famæ proximi cum recta ratione eſt lex naturalis dictans ſeruandam eſſe famam proximi. Ius verò Diuinum eſt illud, quod Deus tulit, & iuſſit eſſe ſeruandum, quod duplex eſt, vnum naturale quo præcipitur idem, quod à iure naturali præcipitur, & alterum poſitiuum, quo præcipitur aliquid, quod lege naturali non eſt ſancitum, vt eſt præceptum præmittendæ confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtiæ, Ius naturale Diuinum conformari iuri naturali, & tamen non eſſe ipſum ius naturale, Ius verò Diuinum poſitiuum diſtingui totaliter à iure naturali.

An, qui commiſit fornicationem ſatisfaciat in Confeſſione dicendo peccaui mortaliter aut commiſi graue peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta?

BRACTEA V.

R. Non ſatisfacere dicendo peccaui mortaliter contra caſtitatem, aut commiſi graue peccatum in materia caſtitatis cum ſoluta. Ratio, quia peccata ſecundum ſuas ſpecies ſunt cõfitenda, atqui tali modo confitetur non manifeſtat peccata ſecundum ſuas ſpecies, ergo, &c. ſicut etiam confeſſioni non ſatisfacit ille, qui dicit ego furatus ſum ſummam notabilem, quia ſic dicendo determinatè non manifeſtat peccatum ſecundum ſuam ſpeciem, ſed indeterminatè, ergo non ſatisfacit.

Sciendum peccata regulariter eſſe confitenda ſecundum circunſtantias mutantes ſpeciem peccati, & circunſtantias aggrauantes regulariter non eſſe manifeſtandas. Dixi regulariter, quia in aliquibus caſibus pœnitens obligatur confiteri etiam circunſtantias aggrauantes. Primus eſt quando ex circunſtantia aggrauante violatur aliqua iuſtitia ſpecialis, vt quando quis ex vtraque parte commiſit adulterium, obligatur hanc circunſtantiam aperire, cum duplex iuſtitia violetur in iſto caſu. Similiter quando quis murmuratus eſt de ſuo ſuperiore, non ſatis eſt dicere in Confeſſionem, ego murmuratus ſum, ſed tenetur explicare qualitatem perſonæ, de qua murmuratus eſt; cum præter violationem iuſtitiæ generalis violetur etiam iuſtitia ſpecialis, nimirum reuerentialis, quia ſuperioribus debetur honor, reuerentia, &c. Secundus eſt quando circunſtantia eſt quid ſpectans ad obiectum peccati, vel quia quantitas ſit determinãs ipſum obiectum, vel quia eſt qualitas ſpecificans ipſum obiectum. Priori modo, qui furatus eſt ſummam notabilem non ſatisfacit dicẽdo ſe furatum eſſe ſummam notabilem, ſed debet exprimere quantitatem ipſius facti, quia in iſto caſu quantitas eſt quid ſpectans ad obiectum peccati: obiectum autem peccatum manifeſtandum eſt determinatè, & nõ manifeſtaretur determinatè ſi quãtitas determinans taceretur. Poſteriori modo, qui habuit rem cum conſanguinea, vel affinẽ non ſatiſfacit dicendo, habui rem cum conſanguinea, vel affine, ſed debet exprimere gradum affinitatis, vel conſanguinitatis, quia licet gradus ſit circunſtantia aggrauans, tamen quia in iſto caſu eſt, quod ſpectans ad obiectum peccati, eſt manifeſtanda in Confeſſione, alioquin peccatum non eſſet determinatè manifeſtatum, tum etiam quia pro variatione graduum ſit maior iniuria, vel minor iuxta quantitatem graduս.

An concubitus cum infideli ſoluta ſit fornicatio ſimplex?

BRACTEA VI.

R. Tale peccatum reduci ad ſpeciem fornicationis ſimplicis, quia ſecluſis, omnibus extrinſecis, vt ſcandalo, periculo, ſubuerſionis, & contemptu Religionis, non adeſt alia malitia, quã malitia fornicationis ſimplicis, grauioris tamen, quam eſſet ad aliam eiuſdem Religionis; Secundò, concubitum cum alterius ſponſa eſſe ſimplicem fornicationem, licet talis circunſtantia aperienda ſit in Confeſſione, ſaltem reſpectu ſponſæ, quia apprahẽditur, vt grauis iniuria facta ſponſo, licet contraria ſententia videatur etiam probabilis. Tertiò, concubitum Presbiteri cum ſoluta non eſſe propriè ſimplicem fornicationem, ſed eſſe ſacrilegium, quoad malitiam, & culpam, ob circunſtantiam perſonæ ſacræ, & voto ſolemni caſtitatis adſtrictæ; & hæc eſt communis opinio omnium Theologorum.

Quid

Quid ſit concubinatus?

BRACTEA VII.

R. Concvbinatvm eſſe concubitum viri cũ fœmina, quam vt vxori domi retinet, vel ſi in aliena domo habeat conſuetudinem habet cum ea peccandi, & ideò ad concubinatum non ſatis vnus, vel alter actus, ſed requiritur conſuetudo coeundi. Primò dixi *concubitus viri, &c.* nec addidi ſoluti, quia ſiue ſit ſolutus, ſiue coniugatus, ſiue ſacris initiatus, ſiue Religioſus dicetur cõcubinarius, ſi eam domi retinet tanquam vxorem, vel conſuetudinem habeat cum ea peccandi. Secundò dixi *quam vt vxorem*, quia ſic dicitur iure ciuili concubinarius. Dixi tertiò, *vel ſi in aliena domo*, quia ſecũdum ius canonicum id ſatis ad Clericum concubinarium, quod ſi habeat domi, tanquam pediſſequam ſuæ matris, vel ſororis, &c. id etiam ſatis erit, modo conſtet, quod Clericus eam retinet in concubinam. Secundò concubinatum eſſe graue peccatum, & periculoſum, non enim ſolummodo peccat, verũ etiam ſemper eſt in ſtatu peccati mortalis, & in continuo propoſito ſaltem virtuali peccandi, ideò talis non eſt abſoluendus, niſi prius concubinam eijciat etiam in articulo mortis ſi tempus adſit, & non ſit magna neceſſitas eam retinendi citrà ſcandalum, quia tunc ſufficeret propoſitum. Vnde Tridentinum *ſeſſ.24.cap.*8. ſtatuit, vt ab Epiſcopo ter admoneatur, & niſi reſcipuerit excommunicetur, & ſi in excommunicatione per annum perſeuerauerit caſtigetur, & puniatur ab Epiſcopo, concubina autem ter quoquè admoneatur, & niſi reſcipuerit eijciatur è Ciuitate, & ſi videtur Epiſcopo etiam extrà Diœceſim inuocato ad id brachio ſæculari ſi opus fuerit. Olim in ſacra ſcriptura concubinas dictas eſſe legitimas vxores, ſed ſine publica ſolemnitate, & ritu ductas, & non ad domeſticam familiæ gubernationem admiſſas.

MALLEATIO XXXV.

De Adulterio, & Inceſtu.

Quid ſit adulterium?

BRACTEA I.

Sciendvm adulterium continere duas contrà rectam rationem deformitates, vnam luxuriæ, quia eſt concubitus viri cum fœmina extrà cõiugium, alteram iniuſtitiæ, quia eſt coitus cum fœmina, quæ eſt vxor alterius. Secundò, adulteriũ committi dupliciter, primò ſi coniugatus carnaliter cognoſcat ſolutam fœminam, tunc enim eſt adulterium ex parte viri. Tertiò, ſi ſolutus cognoſcat carnaliter coniugatam, & eſt tantum adulterium ex parte fœminæ. Quartò, ſi coniugatus accedat ad fœminam coniugatam, eſt enim adulterium ex parte viri, & fœminę, & hoc communiter à Doctoribus appellatur adulterium duplex, illa priora adulteria ſimplicia. Ita Silueſter *verbo adulter. num.*1. Quintò coniugem habere duas obligationes ratione coniugij, vnam, qua obligatur reddere debitum coniugale coniugi petenti, alteram, qua obligatur non violare coniugi fidem per concubitum, & hinc fit, vt peccata coniugium ſint in duplici differentia; quædam contrà primam obligationem, & alia contra ſecundam. Quo poſito.

R. Adulterium eſſe peccatum luxuriæ, quo violatur fides coniugalis, & fit acceſſus ad alienum torũ. Ita colligitur ex D. Thoma *quæſt.*154.*art.*8. ibiq; Caietanus, Angelus, Silueſter, Armilla *verbo adult.* Nauar. *cap.*16.*num.*25. & alij. Siue vt alibi dixi adulterium eſt acceſſus ad alienum torum, ſiue concubitus ſoluti cum nupta, ſeu nupti cum ſoluta, aut nupti, cũ nupta. Ita colligitur ex *cap. lex §. adulter. 36. & cap. nemo 32. quæſt.* 4. Ex quo infertur dupliciter adulteriũ eſſe contra caſtitatem; primò, quia fit acceſſus ad mulierem coniunctam cum matrimonio, ſicut accidit in fornicatione ex parte mulieris: ſecũdò quia ad mulierem alteri coniunctam per matrimonium, in primo fit contrà bonum prolis propriæ educandę in ſecundo contrà bonum prolis alienæ, atquè ita accidit in adulterio ex parte viri, ex parte verò mulieris etiam dupliciter peccatur, primò quia relinquitur vir, in quo fit contrà certitudinem prolis: ſecundò, quia ex alio viro habet filios, quod eſt cõtrà bonum prolis propriæ. Ita D. Thomas *loco cit. art.*8. Tabiena *verbo adulter. num.*1.

An ſi coniux conſentiat, & cedat iuri ſuo ſit propriè adulterium?

BRACTEA II.

R. Affirmative, quia fit contrà ius matrimonij, & coniugis, vt coniux eſt, cui non poteſt efficaciter cedere, quia non competit ipſi in ordine ad priuatum bonum, ſed ratione ſtatus, qui eſt communis. Vnde etiamſi propriè loquẽdo non fiat ipſi iniuria, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, præſertim in ordine ad reſtitutionem, tamen fit iniuria ſtatui matrimonij, ſicut Clericus conſentiens in ſui percuſſionem non liberat percutientem à ſacrilegio, quia facit iniuriam ordini Clericali, remanet ergo in tali actu malitia duplex, vna contra caſtitatem in genere luxuriæ, altera contra iuſtitiam ſtatus matrimonij, & ipſum coniugem, vt coniux eſt, ideoq; habet malitiam adulterij.

Sciendum non modo committi adulterium in conſumato, ſed etiam in matrimonio rato. Ratio, quia per matrimonium ratum coniuges acquirunt verum ius in corpus alterius, conſequenter vera irrogabitur illis iniuria, ſi concedatur vſus corporis alteri ad peccandum.

An adulterium ſit grauius inceſtu?

BRACTEA III.

R. Inceſtvm eſſe peccatum grauius adulterio. Ratio eſt, quia inter inceſtus ſunt quidam, qui grauiores ſunt quocunque adulterio, & tales ſunt inceſtus cum matre, ſorore, filia, cum ſocru, nuru, nouerca, priuigna, & huiuſmodi; hi enim grauiores ſunt omni adulterio. Et ita Angelus *verbo luxuria, num.*3. Azorius *part.*3.*lib.*3.*cap.*7. *quæſt.* 6. Aliqui tamen inceſtus eſſe poſſunt minus graues adulterio, vt illi, qui tantum iure poſitiuo humano prohibiti ſunt, vt cum conſobrina in tertio, & quanto gradu, & ſimilibus. Inceſtus in ſecundo gradu, præcipuè cum aſcendentibus videntur eſſe grauiores quocunque adulterio, quia validè repugnãt

pieta-

pietati, & naturali propenſioni, & vinculo; ſunt enim veluti parentes. Inceſtus cum affinibus excepto primo gradu videntur minus graues adulterio, nam reſpectus pietatis minor eſt, iniuſtitia autem in adulterio eſt euidens. Secundò ſi coniux ſodomiticè inquinatur cum mare, vel fœmina debet exprimere in Confeſſione ſtatum coniugij. Ratio, quia diuidendo carnem ſuam cum altero irrogat iniuriam alteri coniugi, & violat fidem illi datam, ideoque debet in Confeſſione exprimere ſtatum coniugij.

Quid ſit inceſtus?

BRACTEA IV.

R. INCESTVM eſſe peccatum luxuriæ cum conſanguinea, vel affine, ſiue acceſſum ad conſanguineam, vel affinem intrà gradus prohibitos: Et ita communiter Doctores.

Sciendum Inceſtum eſſe ſi quis rem habeat cum aliqua ſua conſanguinea intra quartum gradum, item ſi cognoſcat aliquam conſanguineam ſuæ vxoris intra quartum gradum, v. g. ſi quis rem habeat cum ſocru, vel matre, vel nouerca, vel priuigna, vel cum ſorore vxoris, item ſi rem habeat cum comatre, vel cum ea, quam baptizauit, vel in Baptiſmo, aut confirmatione tenuit. Secundò dubium eſſe, An inceſtus affinitatis, qui per fornicationem committuntur in viris, aut fęminis matrimonio ſolutis ſint verè, & propriè inceſtus per ſe, & ex natura rei, vt ſi quis habet rem cum matre aliena, & poſtea cum filia eius, aut rem habuit cum ſorore aliena, & poſtea cum illius ſorore, an iſti coitus fornicarij cum affinibus per fornicationem ſint verè, & propriè inceſtus. Ad quod reſpondeo eſſe inceſtus in quantum ad matrimonium contrahendum, vnde ſi quis poſſidit aliquam per fornicationem contrahit affinitatẽ cum conſanguineis eius intrà ſecundum gradum, vt definitum eſt in Concilio Tridentino, ita vt et nulla eius conſanguinea licitè poſſit matrimonium contrahere intrà gradus prohibitos, & ſi contrahit matrimonium eſt irritum.

An omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei?

BRACTEA V.

R. INCESTVM conſanguinitatis diſtingui ſpecie ab inceſtu affinium: inceſtus conſanguineorum non diſtingui inter ſe ſpecie pro varietate graduum inter aſcendentes, & deſcendentes per lineam rectam, quoniam iſti gradus videntur ſolum differre ſecundum maiorem, & minorem pietatis conſanguineis debitæ violationem. Inceſtus affinium, nec diſtingui ſpecie inter ſe: Inceſtus cognationis ſpiritualis ſpecie diſtinguuntur, & inter ſe; & ab inceſtibus cognationis carnalis: Inceſtus cognationis legalis differunt ab inceſtibus aliarum cognationum, non tamen inter ſe; non enim eſt in illis tanta diuerſitas, vt ſpecie varientur; nec ſunt inceſtus veri, ſed iuriſdictione, & conſtitutione; ſed vt inceſtus puniuntur, & habentur.

An ſit inceſtus copula cum conſanguinea ſponſæ, vel vxoris in matrimonio tantum rato?

BRACTEA VI.

R. SI conſanguinea ſponſæ ſit in primo gradu probabile eſt, copulam eiuſmodi habere ſpecialem malitiam, & reduci poſſe ad inceſtum. Ratio, quia etſi ex ſponſalibus non oritur affinitas propriè dicta, oritur tamen publica honeſtas, & conſequenter maior quædam coniunctio, ob quam luxuriæ peccatum, cum ea habet ſpecialem repugnantiam cum ratione. Dixi ſi ſit in primo gradu, quia publicę honeſtatis impedimentum non tranſcendit primum gradum ex Tridentino. Dixi reduci poſſe ad inceſtum, quia *cap. ſi duo viri de deſponſ. impuber.* prohibetur matrimonium inter Sulpitiam, & Gulielmum, inter quos tantum erat publica honeſtas ob copulam habitam, non niſi quia fuit crimen inceſtus, commixtio ergò inter eos, inter quos eſt publica honeſtas habet malitiam inceſtus. Secundò commixtio cum conſanguinea vxoris in matrimonio tantum rato habet ſpecialem repugnantiã cum ratione, & reduci poteſt ad inceſtum. Ita communiter omnes, ſiue quia aliqui dicant oriri affinitatem ex matrimonio tantum rato, atque adeo commixtio inter affines erit propriè inceſtus. Ita S. Thomas in 4. *diſt.* 41. Sotus in 4. *quæſt.* 1. *art.* 2. Silueſter *verb. matrimonium* 8. *quæſt.* 14. Siuè quia quamuis non oriatur affinitas intercedit tamen impedimentum publicæ honeſtatis, vſque ad quartum gradum, atque adeò erit ſpecialis quædam coniunctio inter conſanguineos vxoris, & viri, ratione cuius ob maiorem reuerentiam, quæ eis deberetur prohibitum eſt inter eos matrimonium. Dixi reduci poſſe ad inceſtum, quia ſi quis contendat inceſtum proprium non eſſe, niſi inter conſanguineos, & affines, vt eſt valdè probabile, tantum conueni poſſet, eſſe ſpeciale quoddã peccatum, quod tamen ob ſimilitudinem cum alijs coniunctionibus reduci poteſt ad inceſtum. Tertiò in peccatis contrà naturam eſſe inceſtum, quoad malitiam, & peculiarem repugnantiam cum ratione ob reuerentiam naturalem conſanguineis, & affinibus debitam, fit enim iniuria naturali reuerentię, non eſt autem inceſtus, neque in ordine ad impediendum matrimonium, neque in ordine ad pœnas legales tam Ciuiles, quam Canonicas, quia hæ tantum ſunt cõtra inceſtum ex vaſe naturali: vnde oritur affinitas.

MALLEATIO XXXVI.

De Reſtitutione ob adulterium.

Ad quid teneatur adultera, quæ prolem ſuſceptam ex adulterio marito ſuppoſuit?

BRACTEA I.

R. ADVLTERAM, quæ partum ſuppoſuit non teneri manifeſtare marito, aut proli ſuum delictum cum periculo famæ, & vitæ manifeſtare: Ratio, quia vt dictum fuit res inferioris ordinis non debent reſtitui cum præiudicio rerum ſuperioris ordinis, vita, & fama ſunt res ſuperioris ordinis, & per conſequens, vt reſtituat non tenetur

ſe exponere probabili periculo amiſſionis vitæ, aut famæ, ſed debet procurare quantum poteſt, ne legitimi hæredes aliquod damnum patiantur, vt v.g. ſi habet bona paraphernalia relinquere ea ſolùm filijs legitimis, & hac ratione compenſare damnum. imminuere ſumptus quantũ poteſt, vel lucra, quæ poteſt acquirere laborando, filijs legitimis relinquere. Tertiò ſuadere filio adulterino, vt Religionem incapacem hæreditatis ingrediatur, & in ea profiteatur dummodum tamen ad eam ſit idoneus, quod ſi hoc perſuadere ei non poteſt, ſaltem vt aſſumat habitũ Clericalem, & ſacris initietur, & accipiat beneficiũ, quo contentus hæreditatem alijs relinquat. Ita Rebellus *part.1.lib* 10.*quæſt.*10. Arragon. 2.2 *quæſt.*62.*art.* 6. & alij, & ſi hiſce modis nihil præſtare poſſit, tunc ſufficit ei contritio, & propoſitum ſatisfaciendi, quando potuerit.

R.2. Quando mulier non habet vnde reſtituat, & eſt moraliter certa auferendi damnum, ſi ſe ipſam proderit, & quod nullum prericulum vitæ, vel famæ ſibi ex manifeſtatione ſequeretur, tunc tenetur adulterinum declarare, ne legitimi filij, aut hæredes damnificentur. Ita Salon. 2 2 *quæſt.*62 *artic.*6 Leſſ. *lib.*2 *cap.*10 *dub.*7. Couar. *in reg. peccatum*, *part* 1. *num.*6 §.1. Valentia *tom.*3 *diſp* 5 *quæſt.*6 *pun* 7. Molina *tom.*3. *diſp.*102. & alij. Ratio, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, cauſa cur mulier non teneatur prodere adulterinum filium eſt periculum vitæ, vel famæ, ergo quando non datur, tenetur manifeſtare, licet regulariter filius non teneatur credere matri aſſerenti ipſum eſſe ſpurium, niſi talia afferat indicia, vt illi credere teneatur. Ratio primæ partis eſt, quia allegant i ſuam turpitudinem cum alterius præiudicio nulla debetur fides, & dictum vnius, dictum nullius, & per conſequens mulieri aſſerenti ipſum eſt ſpuriũ non tenetur credere. Ita Nauarr. *cap* 16 *num.*44. Couar. *in reg. peccatum*, Petrus Nauarr. *lib.* 3. *de reſtit cap.* 1. *n.*156. Arragon. 2.2. *quæſt.*62. *art* 6. Leſſ. *lib* 2. *c.*11 *dub.* 7. & alij. Ratio ſecundæ partis eſt, quia mater poteſt talia indicia afferre conuincatur, & compellatur credere ſe eſſe ſpurium, vt v.g. ſi mater oſtendat virum tempore conceptionis abfuiſſe, vel conſtat ipſum fuiſſe impotentem, &c. & tunc filius illegitimus in conſcientia tenetur non adire hæreditatem. Ita *Auctores cit.*

R. Quod etſi hæreditas ſit ampliſſima, & mulier adultera infimæ conditionis non tamen teneri cum periculo vitæ prolem adulterinam manifeſtare; propter rationem ſupra allatam, tum etiam quia cum vita ſit maximum bonum ncta tale, nulla pecunia eſt æſtimabilis, & per conſequens etiam ſi mulier adultera ſit infimæ conditionis, non obligatur cum periculo vitæ, aut famæ prolem adulterinam manifeſtare. Ita *auctores citati.*

An Adulter teneatur aliquid reſtituere marito adulteræ ſi partus non ſit ſecutus?

BRACTEA II.

R. Adulterum ad nihil teneri ſi partus non ſit ſecutus. Ratio, quia etſi fecerit iniuriam marito, tamen quando iniuria eſt ſeparata à damno non obligat ad reſtitutionem. Ita colligitur ex communi praxi, cum nunquam fuerit auditũ, quempiam pro iniuria adulterij obligari ad reſtitutionem non ſolum quando adulterium eſt occultum, ſed etiam quando factum eſt publicum. Quatenus verò iniuria habet annexum damnum, tunc obligare ad reſtitutionem non ratione iniuriæ præcisè ſumptæ, ſed ratione damni coniuncti. Ita Molina *diſp.*100. *num.*3. & alij.

Ad quid teneatur adulter, quando partus ſecutus eſt.

BRACTEA III.

R. Adulterum ſecuto partu, quem certo credit eſſe ſuum. Teneri primo ad alimenta prolis, donec ſibi poſſit prouidere de alimẽtis, partu vſque ad tertium annum incluſiuè tenetur mater, ſecundo ad reſtitutionem hæreditatis, quam illegitimus cum alijs filijs, tanquam vnus ex ijs accepit. Ratio, quia cauſa eſt, vt damnum filijs legitimis inferatur, & cum ſit cauſa per ſe, & proxima dãnorum, quæ ſequũtur filijs legitimis per conſequens obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.*2. *dub.*6. & alij.

Sciendum Adulterũ in conſcientia nõ teneri credere adulteræ aſſerenti illum ſpurium eſſe filiũ eius, quando cohabitabat cum viro, quia probabiliter credere poteſt conceptum eſſe ex iuſto, quam ex ſe ipſo. Secundò, quod adulter non tenetur ad vllam damni compenſationem, quando non habet certitudinem moralem, quod partus ſit ſuus, licet de eo probabiliter ſit dubius. Ratio, quia in dubio æquali melior eſt conditio poſſidentis. Ita Arragon 2.2. *quæſt.* 62. *artic.*6 Leſſ. *lib* 2 *cap* 10. *dub* 6. Silueſter *verbo adulterium quæſt.*7. & alij. Tertiò ſi Adulter aliqua ratione ſuaſit adulteræ, vt ſupponeret filium illegitimum marito, tenetur cum adultera de alimentis, & hæreditate. Ratio, quia vterque eſt cauſa damni, & ideò tenentur pro rata, & in defectum alterius vterque tenetur inſolidum. Arragon. *loco citato*, & alij, quod tamen intelligendum eſt, dummodo adultera liberè conſenſerit in ſuppoſitionem filij illegitimi, quia ſi adulteræ vi conſenſum extorſiſſet teneretur ipſe ſolus.

Cui facienda ſit reſtitutio, quando maritus adulteræ nullum habet hæredem præter filium putatiuum?

BRACTEA IV.

R. Quod quando maritus adulteræ non habet alios filios præter putatiuum, ſed adſunt alij qui ab inteſtato debent ſuccedere, vel alij, quibus verò ſimiliter relicturus fuiſſet bona ſua, tenentur adulteri eis reſtituere non quantum æſtimabitur damnum datum, ſed quantum æſtimaretur illa ſpes, quam habebant de hæreditate habenda. Quando autem eſſet omninò incertum, cui maritus bona ſua fuiſſet relicturus, tunc pauperibus diſtribuenda eſſent pro ſalute ſpirituali animæ defuncti, aut pro his ad quos prouentura erant.

Sciendum, quod ſi adultera mitteret filium ad hoſpitale, tenebitur pater ſatisfacere hoſpitali, & ſi pater non ſatisfaciat, ad id teneretur mater, quoniam in defectum veri patris tenetur ipſa de ſuis bonis, illi alimenta præbere, niſi paupertas eos excuſet. Ita Caiet. *in ſumm. verbo adulterium* §.1. Rebell. 1. *part. lib.* 3. *q.*10. Mol. *tom.*3. *diſp.*102.

MALLEATIO XXXVII.

De ſtupro, & Raptu.

Quid ſit ſtuprum?

BRACTEA I.

SCIENDVM ſtuprum tribus modis ſumi: primò generaliter pro omni concubitu lege prohibito, vnde non modo pro coitu cum vidua honeſta, ſed etiam pro adulterio, inceſtu, & præpoſtera etiam libidine accipi ſolet. Ita colligitur ex *leg. inter libertas §. lex Iulia, & leg. ſtuprum ff. ad leg. Iuliam de adult. & leg. inter ſtuprum ff. de verbor. ſignific.* Secundò ſtrictè pro concubitu cum Virgine, quo eius integritas violatur. Tertiò, ſtrictius pro eodem concubitu ſi per vim fiat, quo pacto addit malitiã mortalem contrà iuſtitiam, & eſt graue crimen, quod etiam punitur morte, per leges, ſiue ea, cuius illata eſt, ſit virgo, ſiue corrupta, ſed grauius in virgine ob deflorationem. Hoc loco agimus de ſtupro in ſecunda ſignificatione. Vnde.

R. Stuprum eſſe concubitum viri cũ fœmina, quo eius integritas violatur, maximè ſi per vim fiat. Ita communiter omnes. Dicitur *concubitus viro cum fœmina*, quia concubitus præpoſteræ libidinis excluditur, ſiue ſit inter mares, ſiue inter fœminas inter ſe, eſto etiam polluantur, & inſtrumento penetretur vas virginale. Secundò dicitur *cum virgine*; qui ſi corrupta etiamſi per vim concubitus fiat, nõ eſt ſtuprum propriè dictum. Tertiò dicitur *Quo eius integritas*, non enim ſufficit eſſe corruptam ſola corruptione, vel alia libidine, & alijs membris exercita, ſed debet omninò virginale clauſtrũ violari; hanc enim conditionem omnes Doctores ſequuntur, & in definitione ſtupri apponunt.

An ſi virgo liberè conſentiat ſtuprum dicatur?

BRACTEA II.

R. QVI deflorat virginem conſentientem adhuc committere peccatum ſtupri. Ratio eſt, qui conſenſus virginis non tollit formalitatem ſtupri, quæ conſiſtit in defloratione. Ita Filliucius *tom. 2 tract. 30 cap 3 num. 66.* Azorius *2. part. lib. 5. cap. 5* Caiet. *2. 2. quæſt. 154 art. 6.* Silueſter *verbo luxuria quæſt. 1.* Angelus *verbo ſtuprum*; Tabiena *eodem verbo, num. 1.* Graff. *part. 1 lib. 3 cap. 79. num. 1.* Armilla *verbo luxur. num. 4 & verbo ſtuprum, num. 1.* Rodriquez, Suarez *de pœnit. diſp. 22. ſect. 4. num. 6.* & alij plures. Verum, qui deflorauit virginem conſentientem non obligatur ad reſtitutionem. Ita plures citati apud Bonaciniam de matrimonio *diſp. 4. num. 17. num. 14.* Ratio, quia obligatio reſtituendi ſimpliciter non oritur ex violatione iuſtitiæ, ſed cum damno alterius, ſtuprator ſolum intulit damnum virgini defloratæ, cum virginale clauſtrum fuerit violatum, Patri autẽ ſolũ intulit iniuriam, & non damnum, & per conſequens Patri non obligatur aliquid reſtituere, cum non intulerit, nec puellæ cum ipſa conſenſerit. Quod ſi dicatur Patri etiam intuliſſe damnum, eo quod cogatur augere dotem. Reſpondeo ſtupratorem non eſſe cauſam per ſe talis damni, ſed per accidens, & potius imputandum eſſe puellæ ſtupratæ, quæ cõſenſit in ſtuprum, quam ſtupratori, niſi fortè ſtuprator detexerit ſtuprum, quia tunc eſſet obligatus ad reſtitutionem, non ratione ſtupri, ſed ratione manifeſtationis ſtupri, cum manifeſtans defectus occultos, obligetur ad reſtitutionem damnorum prouenientium ex illa manifeſtatione, vt dictum eſt.

An Virgo habeat dominium ſuæ integritatis virginalis?

BRACTEA III.

R. VIRGINEM non habere dominium ſuæ integritatis virginalis, & corporalis. Ratio eſt, quoniam integritas corporis eſt bonum naturale ad corporis naturam pertinens, & ſicut fœmina non habet dominium aliorum ſuorum membrorum, ita nec ſuæ integritatis, & ita qui corrumpit virginem conſentientem committit ſtuprum, licet non obligetur ad reſtitutionem, vt dictum fuit ſuprà.

Sciendum dubium eſſe, an ſtuprum, vt ſit ſpeciale luxuriæ peccatum requirat, vt fœminæ integritas carnalis violetur, contrà voluntatem Patris fœminæ, an verò ſatis ſit, vt violetur quomodocunque per copulam cum fœmina habitam? Ad quod reſpondeo ſtuprum eſſe ſpeciale peccatum, quoties fœminæ corrumpitur integritas, ſiue ſit ſub cura parentũ, ſiue non, ſiuè ſit puella, ſiue fœmina prouectæ ætatis, ſiuè nuptura ſit, ſiue manſura virgo, & innupta, ſiue violetur conſentiens, ſiue non, & ita Azorius *part. 3. lib. 3. cap. 11. quæſt. 5.* & alij ab eo citati.

Quid ſit Raptus?

BRACTEA IV.

R. RAPTVM eſſe violentem, ſeu inuitam abductionem puellæ è propria domo ad contrahendum cum ipſa matrimonium, vel explẽdæ libidinis cauſa. Vnde raptus dicitur ille, quo puella inuita, vel reſiſtentibus eius Parentibus, ſeu illis, ſub quorum cura eſt abducitur è domo propria per vim ab libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum. Ex quibus ſequitur ad raptum tria requiri; primò vt vis inferatur. Secundò vt abductio fiat cauſa libidinis, vel ad matrimonium contrahendum: tertiò vt ſit abductio de loco ad locum, & rapta ſit honeſtæ vitæ, vnde ſi puella ſub nullius poteſtate cõſtituta volens abducitur nõ eſt raptus, ſed fuga voluntaria. Secundò, ſi puella conſentiat abductioni, & poſteà copulæ reſiſtat nõ eſt raptus, ſed copula vi extorta, quia in his reſpicitur initium, ſicut è contrà ſi reſiſtat abductioni, & poſteà copulæ conſentiat raptus eſt, ob eandem rationem. Tertiò ſi Parentes conſentiant, & ipſa diſſentiat eſſe verum raptum, quia infertur vis poteſtati, quam habet puella ſui corporis, nec Parentes abſquè iniuſtitia poſſunt eam exponere. Nauarrus *cap. 16. num 3.* ſicut ſi ipſa conſentiat, ſed ij ſub quorum poteſtate ſit diſſentiant, etiam erit raptus ob iniuriam, quæ ipſis ſit, quam ipſa remittere non poteſt, requiritur vt rapta ſit honeſta, &c. quia ſi eſſet meretrix, raptor non incideret in pœnas, niſi pœnituiſſet, & inſtituiſſet honeſtam vitam.

Sciendum, raptum poni ſub ſpeciebus luxuriæ, quia duplex malitia videtur contineri in raptu, vna contra iuſtitiam, quæ intercedit violentia, & abductio contradicente ipſa, altera contrà caſtitatem, quia abducitur cauſa libidinis, & ſub vtraque ratio-

ne ponitur ſub luxuria, primò quia illa violentia, quæ adeſt in raptu videtur procedere ex magnitudine concupiſcentiæ, propter quam quis non curat ſubire offenſas, iniuſtitiæ pericula, &c. Secundò, quia abducitur cauſa libidinis, verum vt ponatur ſub ſpecie luxuriæ requiritur raptus completus, completur autem per concubitum, ad quem vltimatè terminatur. Tertiò, raptum eſſe graue peccatum, & grauius fieri adiecta circunſtancia. Vnde grauius peccatum eſt quando rapitur virgo, quam quando rapitur vidua: item grauius eſſe peccatum, quando rapitur conſanguinea, vel affinis, quam alia: item grauius peccatum quando rapitur coniugata, quam nó cõiugata, grauiſſimum verò peccatum, quando raperetur Monialis, &c.

MALLEATIO XXXVIII.

De Reſtitutione facienda ratione ſtupri.

An qui deflorat virginem conſentientem teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA I.

R. Deflorantem Virginem conſentientem non obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia obligatio reſtituendi oritur ex damno dato cum Iniuria, ſed in iſto caſu nulla cenſetur iniuria, cum puella conſenſerit in ſtuprum iuxta regulam iuris ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, ergo ſtuprator in iſto caſu non tenetur ad reſtitutionem. Tum etiam, quia lex, quæ obligat ad reſtituendum aliquid virgini, quam violauit agit de decipiente. Sed virgo voluntariè conſenſit ergo nõ eſt decepta. Ita Sotus *lib 4 queſt.7.art.1.* Valentia *tom.3.diſp.9 q.3. pun.3.* Leſſ.*lib.2.cap.*10.*dub.*2. Nauarrus *cap.16.num.16.* Pet.Nau.*lib.2.de reſtit cap 3.num.*434.& alij.

R.2. Si deflorator vi fraude, &c. puellam violauit tenetur ad damna ſecuta. Ratio, quia violauit iuſtitiam cum damno alterius, & per conſequens cenſetur obligatus ad reſtitutionem. Vnde, ſi promiſit matrimonium, vt permitteret copulam, tenetur eã ducere; quia promiſſio illa eſt per modum contractus; & cum virgo ex parte ſua permiſerit copulam, etiam alter tenetur adimplere promiſſum.

Excipiunt tamen auctores tres caſus primus ſi ſit aliquod impedimentum; vt v.g. ſi effectus eſt eius affinis, vel ſacris ſit initiatus, vel matrimonium cũ alia contraxerit. Secundus ſi ſint valde inæquales genere, vel diuitijs, idq; ipſa ſciuerit, quia ſi ipſa ignoraſſet eius conditionem, ſunt qui dicunt eum etiam obligari, quamuis alij ſentiant ſatis eſſe ſi ſatisfaciat pecunia. Tertius ſi ex coniecturis poterat virgo facile cognoſcere eum non ſerio promittere, ſed fictè, quia tunc non præſumitur decepta.

Sciendum, quod ſi violator virginis non promiſerit matrimonium tenetur ad eam dotandam, vel ad omne damnum reſarciendum; quod ex copula ſecutum fuerit, quantum æſtimabitur arbitrio boni viri, vt poſſit nubere, ac ſi corrupta non fuiſſet, vel augendo dotem, tantum ei tribuendo quantum ſatis eſt, vt dote ſic aucta, poſſit conſequi tam honeſtum matrimonium, quam potuiſſet alioqui minore dote ſi non fuiſſet corrupta.

R.3. Si virgo vi oppreſſa cõmodè deinde, & decẽter nupſit, ac ſi non fuiſſet violata ad nihil tenetur ſtuprator. Ratio, quia nullum damnũ intulit, & obligatio reſtituendi oritur ex damno dato. Ita Nauarr. *cap.16 num.17. & 19.* Petrus Nauarrus *loco citato num.* Leſſ.*loco cit. dub.*2.& alij. Verũ ſi culpa ſtupratoris, id ſciatur poſtea à marito, vel quia ſtuprator ſe iactans fuit cauſa, vt ſtuprum detegeretur ratione cuius à marito, vel deſeritur, vel malè tractatur, tunc tenetur ad compenſanda damna. Si verò damna ſequãtur culpa, puellæ, quia ipſa dixit, vel ab alijs fuit copula detecta ſine culpa ſtupratoris. Tunc ſtuprator non tenetur ad reſtitutionem. Ratio, quia eam violando, non fecit illi iniuriam cum ipſa conſenſerit nec infamando cum ipſe non detexerit copulã habitam.

An qui deflorat virginem conſentientem teneatur aliquid reſtituere parentibus, ſub quorum cuſtodia eſt?

BRACTEA II.

R. Stupratorem, qui deflorauit virginem conſentientem non obligari aliquid reſtituere parentibus ſi virgo, non decepta promiſſionibus, ſponte in ſtuprum conſenſit. Ita Sotus *lib 4 artic.*2. Molina *diſp.*106. Siluester *verbo luxuria, queſt* 5. & alij. Ratio, quia vt ſuprà dictum fuit obligatio reſtitutionis præciſè non oritur ex iniuria illata contra iuſtitiam, ſed ex damno dato, & licet ſtuprator intulerit iniuriam parentibus, nõ tamen intulit damnum, ſupponendo quod ipſe nõ detexerit copulam, & per conſequens non obligatur ad reſtitutionem.

Si verò ſtuprator detexerit ſtuprum, tunc eſſet obligatus ad reſtitutionem damni ſecuti non ratione ſtupri, ſed ratione manifeſtationis ſtupri, cum manifeſtans defectus occultos obligetur ad reſtitutionem damnorum ſecutorum per talem manifeſtationem. Vnde ſi ex tali manifeſtatione pater puellæ ſtupratæ patiatur damnum, quia coactus erit, vt æquè bene nubat dotem augere, tunc ſtuprator ex quadam æquitate tenetur damnum reſarcire, ex iuſtitia non tenetur. Tum quia filia liberè conſenſit in ſtuprum. Tum etiam, quia ſi pater cogitur augere dotem, hoc liberaliter facit, & Ita Petrus Nauarr. *lib.2.cap.3 num.*438 Molina *diſp.*106. Salon 2.2 *queſt.* 62.*art.*2. Bannez *ibidem*, & alij.

An qui promiſſis, & muneribus virginem violauit, ad reſtitutionem teneatur?

BRACTEA III.

R. Non obligari ad aliquam reſtitutionem, & ita Sotus *lib.4.queſt.7.artic.*1 Leſſ.*lib* 2.*cap.* 10.*dub.*2. Azorius *part.3 lib.5 cap.5 queſt.*2.& alij. Ratio, quia promiſſa non tollunt voluntarium, ſed ſolum blandè alliciunt.

R.2. Qui fictè ad decipiendam virginem promiſit ſe eam ducturum, qua promiſſione, ipſa illi ſui corporis vſuram fecit, non tenetur ſi vir ſit notabiliter impar nobilitate, aut diuitia, & puella ſciebat diſparitatem. Ratio, quia in iſto caſu poterat aduertere ſe eſſe deceptam, & per conſequens virum non obligari eam ducere ratione promiſſionis, cum fuerit ficta nec ratione copulæ, nam copula non eſt digna tanto pretio, tum etiam, quia aliter vir, poteſt eam

compenſare nimirum, vel ad illam dotandam, vel augendo dotem cum violator ratione promiſſionis ficte violauerit cum iniuria, & damno alterius. Ita Nauarr. *cap.16.num.*18 Henriquez *lib.11.cap.11. num.2.* Corduba *lib.1.quæſt.*13. Gutier. *cap.*10. Speculum 3. *part. artic.*19 Dixi ratione promiſſionis fictè violaſſe iuſtitiam. Ratio, quia fictè promittendo vſus eſt fraude, & qui vtitur fraude facit contra iuſtitiam, ſecus vt ſupra dictum fuerit ſi verè promiſerit, quia tunc tenetur eam ducere, & ratione damni dati, & ratione promiſſionis. Verum ſi fictè promittens paratus ſit puellam ſtupratam ducere, & parētes eius nolint, aut ſtuprata recuſet ad nihil amplius tenetur. Ita Leſſius *lib* 2.*cap.*10.*dub* 3 *num* 27. Gutier. *loco citato, nu.* 13 Henriquez *lib.*11.*cap.*11.*num.*2. & alij.

Sciendum, quia ſi exceſſus inter ſtuprantem, & puellam ſtupratam, non eſſet ad modum notabilis in iſto caſu fictè promittens teneretur eam ducere in vxorem. Ratio, quia puella non poterat aduertere ſtupratorem fictè promittere. Sicut etiam fictè promittens teneretur ſtupratam ducere, ſi conſtanter promiſiſſet virgini ignobili, & multoties promiſſionem iteraſſet, quia in iſto caſu promittens cēſeretur verè promittere, & non fictè.

R. Quod quando puella ignorabat diſparitatem conditionis. Ratio, quia in iſto caſu puella non poteſt dici ſpontè decepta, quia ſi ſciret diſparitatem forſitan ſui corporis copiam non feciſſet.

An violator, qui promiſit puellæ ſe eam in matrimonium ducturum eo pacto, vt non permittat ſe ab alio cognoſci teneatur ſtare promiſſis, ſi ab alio fuit cognita?

BRACTEA IIII.

R. Non teneri. Ratio, quia conditionata promiſſio non obligat niſi adimpleta conditione, at in iſto caſu conditio non fuit adimpleta, nec ſeruata ergo, &c. Tum etiam, quia in ſpōſalibus hæc conditio ſubintelligitur. Ita Leſſ. *lib.*2. *cap* 10.*dub* 3. Immò ſponſalia diſſoluuntur ſuperueniente copula puellæ *ex communi Doctorum ſententia*. Nec ob amiſſam virginitatem tenetur illi aliter ſatisfacere. Ita Leſſ. *lib.*2.*cap.*10.*dub* 3. & ratio eſt, quia ex vi promiſſionis ſolum tenetur eam ducere cū pacto, vt non ſe tradat cognoſcendam alteri, quæ obligatiò extinguitur per ſuperuenientem fornicationem.

R. 2. Qui ſcienter ad extorquendam copulam promiſit coniugium puellæ iam violatæ, ea ſecuta non tenetur eam ducere. Ita Leſſ. *loco citato, dub.*3. Sanchez *lib.*1. *de matrimonio, diſp* 10. & alij. Ratio, quia puella violata exigendo coniugium pro copia ſui corporis nimium petit, cum non tanti valeat copula cum corrupta, tenetur tamen aliter compenſare iniuriam. Quod ſi copula habita erat occulta, & mulier ab omnibus æſtimata honeſta dubium eſt, an iſto caſu teneatur eam ducere. Ad quod reſpōdeo negatiuè, cum in iſto caſu non ſit cauſa damni cū iā puella fuerit violata. Tenetur tamen iniuriam compenſare. Ita Sanchez *lib.*1.*de matrim.diſp.*10.*n* 23 Leſſ. *loco citato dub.*2. & alij citati à Bonacina *de ſponſal.q.*1 *pun.*2. *num.*5.

An fictè promittens teneatur aliquando puellam, vel viduam, quam defloraurit ducere?

BRACTEA V.

R. Ficte promittentem non obligari ſtare promiſſis ratione promiſſionis, cum promiſſio ficta nullam inducat obligationem, nec etiam ratione iuramenti, ſuppoſito, quod promiſſionem iuramento firmauerit, cum iuramentum reguletur ſecūdum naturam actus ſuper quo interponitur, *leg. vltima, C. de non numerat. pecun* Obligari tamen ratione ſcandali, aut damni vitandi, vt v. g. ſi ficta promiſſione matrimonij extorſit copulā à virgine à vidua bonæ famæ, quæ alioquin pateretur infamiam, & inepta matrimonio redderetur niſi duceretur, & ita Leſſ. *lib.*2.*cap.*10.*dub.*4.*num.*31. & alij. Secus erit, & vt ſupradictum fuit ſi non pateretur infamiam. Obligaretur etiam illam ducere ratione ſcandali vitādi, vt v.g. ſi eſſet periculum homicidij, rixarum, &c.

An, qui poſt votum Caſtitatis, vel Religionis emiſſum, habuit copulam cum virgine promiſſione futuri matrimonij teneatur ipſam ducere?

BRACTEA VI.

R. Teneri ſtupratam ducere in matrimonium. Ratio, quia ad votum tenetur virtute Religionis, & ad ipſam ducendam virtute iuſtitiæ, quę ponit æqualitatem inter damnum datum, & compenſationem, & quia iuſtitia habet maiorem vim obligandi, quam virtus Religionis hinc ſequitur ſtuprantem potius teneri ad ipſam inducendam, quam ad votum Religionis, vel Caſtitatis. Secus verò dicendum erit, ſi poſt votum caſtitatis, &c. cōtraxerit ſimplicia ſponſalia, quia in iſto caſu teneretur potius ſeruare votum, quam promiſſionem. Ratio, quia prior obligatio cenſetur magis obligatoria, cum vtræque poſſint ſeruari abſquè iniuria, & damno tertij, & prior ſit facta in honorem Dei.

R. 2. Stuprantem virginem poſt votum caſtitatis, aut Religionis emiſſum, non teneri compenſare dānum amiſſæ virginitatis. Ratio, quia cum ſciuerit votum, non poteſt dici decepta. Si verò deflorauit puellam ſpe, aut promiſſione coniugij, & poſtea votum ſimplex caſtitatis, aut Religionis emiſit, tenetur reſarcire damnum puellæ ſi aliquod intulit, ſecus non.

Quidam promiſit puellæ ducere illam in vxorem deinde alteri puellæ idem promiſit, quæritur quam ducere teneatur?

BRACTEA VII.

R. Teneri primam ducere ſi neutram deflorauit, nec infamiæ macula notauit. Ratio eſt, quia ſecunda promiſſio cenſetur de re illicita, etiam ſi eſſet firmata iuramento, cum iam ſe obligauerit ad ducendam primam. Si tamen ſecundam violauit tenetur ſecundam ducere non quia prior

pro-

promiſſio inualidetur à ſecunda firmata copula, ſed ex quadam æquitate, ſi fœmina deſlorata graue dã-num, aut iniuriã ſubiret, & puella cui facta eſt prior promiſſio pateretur ſolummodo leue damnum ſi nõ duceretur. Ratio eſt, cum quilibet teneatur leue damnum pati, ad impediendum grauiſſimum proximi detrimentum, idcircò puella, cui facta eſt prior promiſſio ab illa debet reſilere ad vitandum grauiſſimum damnum ſecundæ. Ita Sanchez *lib* 1. *diſp*.49. *num*.6. Coninchus *diſput*. 23. *dub*.3. *num*.3. Henriquez *lib*.11. *cap*.13. & alij, & ſtuprator tenetur ducere ſecũdam, quam violauit. Ita Azorius 3. *part*. *cap*.5. Reginaldus *lib*.25. *num*.95. Coninc. *loco cit*. & alij.

An Meretrix teneatur reſtituere acceptum pro actu meretricio?

BRACTEA VIII.

R. Negatiuè. Ratio, quia ſi deberet reſtituere eſſet reſtituendum ei, qui dedit, ſed huic non debet reſtitui, quia in accipiẽdo nulla huic fuit facta iniuria, libenter enim dedit pro copula habita, ſeu pro locatione corporis ergo, &c. quod tamen intelligendum eſt pro peccato patrato, quia ante ipſum patratum debet reſtitui, eo quod opus propter quod datur debet omitti, tum quia accipit ad faciendum, quod ex præcepto prohibetur.

Sciendum huiuſmodi mulieres poſt rem patratã, non ſolum poſſe licitè accipere, & retinere pretium ſuæ turpitudinis antea promiſſum, ſed etiam eis cõceditur actio in iuditio ad illud exigendum. Immò ſi nullum ſit conſtitutum pretium tenebitur is, qui cum meretrice peccauit ſoluere cõſuetum pretium, eo quod illa cenſenda eſt nõ gratis ſui corporis copiam feciſſe, Couar. *in reg. peccatum, part*.2. §.2. Molin. *tom*.1. *num*.94.

An aliæ mulieres quæ non ſunt meretrices poſſint pro copula illicita pretium accipere?

BRACTEA IX.

R. Poſſe pretium accipere, & acceptum retinere. Ita Sotus *lib*.4. *quæſt*.7. *artic*.1. Bannez 2.2 *quæſt*.62. *art*.5. Arragon. *ibidem*, & alij. Ratio eſt, quia talis copula eſt pretio æſtimabilis. Tum etiam, quia pretium non accipitur pro peccato, ſed pro locatione corporis in vtilitatem alterius, verũ hoc habet ſolum locum in foro conſcientiæ, quia in foro externo, cum non ſint meretrices non poſſunt pretium exigere. Ita Medina *C. de reſtitutione*, *quæſt*.20.

Sciendum, quod qui promiſſione copulam extorſit à non meretrice tenetur in conſcientia ipſum ſoluere. Ratio, quia promiſit pretium pro locatione corporis, quæ eſt appretiabilis pecunia. Tum etiam, quia promiſſio de iure diuino, & naturali in conſciẽtia obligat. Secundò huiuſmodi mulieres non peccare petendo pretium promiſſum. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt*.62. *artic*.5. Molina de *iuſtit*. *diſp*.94. Valentia *tom*.3. *diſp*.5. *quæſt*.6. *pun*.5. Rodriquez *part*.2. *ſum*. *cap*.40 & alij. Ratio, quia talis copula licet illicita ob circunſtantias adiunctas eſt pretio æſtimabilis, & petẽdo pretium petit rem licitam. Immò tales mulieres acquirere dominium pretij, & poſſe illud conuertere in proprios vſus. Ita Sotus *lib*.4. *quæſt*.7. *artic*.1. & alij. Ratio, quia licet mulier non ſit domina ſui corporis, ſed vir, tamen eſt domina actionis liberè committendi adulterium in gratiam adulteri, & pro hac libera actione poteſt mercedem accipere, & illius eſt domina, & per conſequens in proprios vſus, poteſt illud conuertere.

MALLEATIO XXXIX.

De alijs peccatis Luxuriæ.

De peccatis contra naturam, & de primo, quod eſt beſtialitas?

BRACTEA I.

SCIENDVM in generali quinque dici peccata Luxuriæ contra naturam; primò quando non ſeruatur in copula carnali perſona debita eiuſdem generis, ſiue ſpeciei, ſed eſt coitus cum beſtia, dicitur beſtialitas. Secundò, quando non ſeruatur ſexus, & dicitur ſodomia. Tertiò, quando non ſeruatur debitum vas ſiue inſtrumentum ordinatum à natura ad copulam, vt ſi ſit coitus cum fœmina extrà vas debitum. Quartò, quando non ſeruetur modus debitus à natura præſcriptus. Quintò quando ſemen voluntariè emittitur, & polluitur quis. S. Thomas 2.2. *quæſt*.154. *art*.11. & alij communiter. Secundò hæc peccata dici contra naturam, quia licet omnia peccata ſint contra rationem rectam humanam, & proinde contra naturam, hæc tamen peccata non ſolum ſunt contrà rectam rationem, ſed etiã contra ordinem naturalem in belluis conſtitutum. Caietanus 2.2. *quæſt*.154. *art*.11. Quo poſito.

R.1. Peccata contra naturam differre inter ſe ſpecie. Ratio, quia habent oppoſitionẽ ſpecie diſtinctas, cum regula actionis, & malitia intrinſeca peccati conſiſtit in oppoſitione, quam habet cum ratione. Tum, quia alia eſt oppoſitio, & intrinſeca malitia pollutionis, & alia ſodomiæ, quia malitia pollutionis conſiſtit in emiſſione ſeminis extra vas debitum, & malitia ſodomię conſiſtit in concubitu inter perſonas eiuſdem ſexus, & ſic de alijs peccatis contra naturam dicendum eſt. Tum etiam, quia talia peccata continent peculiarem, & diſtinctam turpitudinem repugnantem caſtitati, & humanæ generationi, & priuant bono aliquo ſecundum naturam, & inſtitutionem actus venerei, nam mollities priuat bono coniunctionis, ſodomia bono proportionis ſexus, beſtialitas identitate ſpecifica, &c.

R.2. Beſtialitatem eſſe coitum hominis cum Brutis, vel cum Dęmonibus ſub ſpecie hominis, vel mulieris. Et ita communiter omnes.

Sciendum 2. quod quando concubitus ſit cũ Dæmone vltra malitiam peccati cõtra naturam eſt etiã vitium irreligioſitatis, & ſuperſtitionis ob ſocietatẽ cum Dæmone in illo actu venereo. Secundò omnes concubitus cum Dæmone eſſe eiuſdem ſpeciei, quãtum eſt ex natura actus, ſiue Dæmon ſit ſuccubus, ſiue incubus. Ratio eſt, quia ſemper eſt idem motiuũ formale, nempè ſuppoſitum alienæ ſpeciei; quantum verò ex parte affectus poſſunt eſſe diuerſæ ſpeciei, nam ſi quis cũ Dæmone coeat in ſpecie mulieris affectu fornicario, vel adulterino, vel inceſtuoſo erit præter peccatum beſtialitatis, & ſuperſtitionis etiã peccatum fornicationis, adulterij, & inceſtus, & ſic de alijs dicendum erit.

De peccato ſodomiæ.

BRACTEA II.

R. SODOMIAM eſſe concubitum, ſiue coitum inter perſonas eiuſdem ſexus. Ita colligitur ex S.Thoma 2.2.*quæſt.*154 *art.*11. Caietan. *ibidem*, Azorio 3 *part. lib.*3.*quæſit.*18. Valentia *tom.*3. *diſp.*1.*quæſt.*3 *pun.*3. Nauarr. *cap.*18.*num.*2.& alijs.

Sciendum ſodomiam dupliciter poſſe ſumi, propriè, & impropriè: propriè ſumitur pro coitu inter perſonas eiuſdem ſexus: impropriè ſumitur pro coitu præpoſtero inter virum fœminam, ſeu etiã vxorẽ extra vas naturale, quod peccatum non eſt niſi impropriè ſodomia, quãuis habeat malitiã ſodomiæ.

Sciendum 2. ſodomiam ſpecie variari ſi committatur cum maſculo votum caſtitatis habente; nam tunc non ſolum eſt ſodomia, ſed etiam ſodomia ſacrilega, quoniam votum caſtitatis continet promiſſionem Deo factam abſtinendi ab omni libidine carnali. Secundò ſodomiam inter maſculos perpetratam ſpecie diſtingui, ſi etiam accedit ratio raptus, vel violentæ oppreſſionis, quia non ſolum hic coitus eſt ſodomiticus, ſed habet etiam aliam ſpeciem adiunctam nimirum violentiæ contrà Parentes pueri, vel contrà voluntatem ipſius. Tertiò, ſodomia variatur ſpecie ſi perpetratur cum maſculo cognato intrà primum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis, quia tunc non ſolum eſt ſodomia, ſed habet ſpecialem malitiam contra pietatem, & reuerentiam debitam cognatis in primo gradu conſanguinitatis. Ita Azorius 3.*part.lib.*3.*cap.*18.*quæſit.*2.& talis circunſtantia manifeſtanda eſt in confeſſione, coitus verò ſodomiticus inter maſculos intrà tertium, vel quartum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis non habet ſpecialem deformitatem, & malitiam, præter maliriam ſodomiticam. Ratio eſt, quoniam, vel eſt gradus affinitatis, vel ſi eſt conſanguinitatis eſt ſolum inter cõſanguineos linea collaterali, quoniam ij gradus cognationis ſolum ſunt inſtituti iure poſitiuo humano ad impediendum matrimoniũ. Vnde talis circunſtantia non eſt aperienda in Confeſſione, ſicut non eſt neceſſe, qui exercet ſodomiã cum Virgine exprimere circunſtantiam virginitatis. in peccato ſodomię debet exprimi, aut fuerit agens vel patiens. Ratio, quia ſicut actio, & paſſio differunt, ita etiam ſodomia actiua, vel paſſiua, tum etiã quia actio, & paſſio ſunt qualitates obiecti peccati, peccatum in confeſſione manifeſtãdum eſt cum ſua qualitate determinante, & ſpecificante.

De peccato contrà naturam cum fœminis extrà vas ordinarium?

BRACTEA III.

R. CONCVBITVM viri cum fœmina extra vas ordinarium, qui fit eodem modo, quo peccatum ſodomiticum non eſſe propriè ſodomiam, vt dictum fuit, ſed ſolum impropriè, quamuis habeat malitiam ſodomiæ. Ratio eſt, quia propriè ſodomia eſt inter perſonas eiuſdem ſexus, vt ſupra dictum fuit.

Sciendum dubium eſſe, an concubitus maſculi cum fœmina extra vas ordinarium varietur ſpecie ſecundum diuerſitatem perſonarum, cum quibus fit? Ad quod reſpondeo ſi fiat cum fęmina habente votum caſtitatis non ſolum erit peccatum contra naturam, ſed etiam habebit ſpecialem malitiam ſacrilegij, quia fit cõtra perſonam Deo dicatam per votum caſtitatis. Secundò, ſi fiat cum Virgine erit ſolum peccatum contra naturam, ſed non habebit ſpecialem malitiam ſtupri, quoniam non violatur integritas virginis. Tertiò ſi fiat cum fœminæ violenter, & contra voluntatem parentum abducta à domo eorum, vel contra voluntatem ipſius fœminæ, tunc non ſolum eſt peccatum contra naturam, ſed etiam habet ſpecialem malitiam iniuriæ, & violentiæ factæ contra fœminam, vel parentes eius. Quartò ſi fiat cum cognata intra primum, vel ſecundum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis, tunc non ſolum eſt peccatum contra naturam, ſed habet ſpecialem malitiam, eo quod fiat contra pietatem debitam cognatis. Quintò, ſodomia cum viro non differt ſpecie à ſodomia cum muliere: cum in vtraq; reperiatur eadem formalis malitia contra rationem licet prior dicatur propriè ſodomia poſterior verò impropriè, & per conſequens prior grauius peccatum, quam ſecunda.

De peccato contra naturam facto cum fœmina in vaſe legitimo, ſed indebitè?

BRACTEA IV.

SCIENDVM hoc peccatum committi, quando concubitus eſt cum debito ſexu, nimirum maſculi cum fœmina, & in vaſe debito, ſed modo indebito, nimirum ſi maſculus ſuccumbat fœminæ, & fœmina ſupergrediatur, aut ſi concubitus fiat præpoſterè, nimirum retrò accedendo, aut ſi ſedendo, aut ſtando, qui modi poſſunt impedire prolis generationem, & ordinatam ſeminis effuſionem. Quo poſito.

R. Coniũctio naturalis tali modo indebito facta, quæ poſſit impediri generatio eſt peccatum mortale. Ita Silueſter *verbo debit.coniug.quæſt.*4.& alij ab eo citati, Summa Aſtenſis *lib.*8.*tit.*9.& alij. Ratio, quia natura ſuo fine, qui eſt generatio prolis fruſtratur. Eſſe tantum peccatum veniale ſi probabiliter crederetur prolem non eſſe impediendam. Ita Sotus in 4.*diſt.*21.*quæſt.*1.*art* 4. Nauarr. in *ſumm.cap.*16.*num.*42 cum peccatum mortale in tantum ſit, in quantum datur periculum effundẽdi ſemen extra vas, etiamſi inordinato modo fieret ob maiorem ſenſualitatem, dummodo non adſit prauus finis, quia tunc ratione huius circunſtantiæ poterit eſſe peccatum mortale. Sanchez *lib.*9.*diſputatione* 16. Henriquez *lib.* 11.*cap.*16. *num.*6.

De Pollutione.

BRACTEA V.

SCIENDVM hoc peccatum eſſe contrà rectam rationem, quoniam effunditur ſemen humanũ voluntariè extra copulam matrimonialem, quod tamen eſt à natura inſtitutum ad coniugalem copulam, vt proles inde legitima naſcatur, alatur, & educetur. Secundò Pollutionem poſſe contingere, vel in vigilia, vel in nocte, vel in ſomno. Quo poſito.

R. Pollutionem voluntariam eſſe peccatum mortale, Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia iſte actus eſt contra primarium finem, ob quem à

natura eſt inſtitutus, qui eſt generatio, vel couceptio hominis. Vnde caret principali ordine, & habitudine quam natura iu eo requirit, ac proinde grauem inordinationem coutinet.

Scieudum 2. quod hic actus dupliciter poteſt eſſe voluntarius, primò per ſe. Secundò iu cauſa, per ſe vt cum directè eſt volitus, & procuratus. Dixi, *& procuratus*, quia vt actus dicatur voluutarius non ſufficit eſſe volitum, ſed etiã requiritur, vt illa ex voluntate procedat, & ſub hac ratione pollutio ſemper cenſetur peccatum mortale, & ſi uon voluptatis, ſed ſolius ſanitatis, vel teutationis mitigandæ cauſa procuretur, vt communiter docent Doctores *In cauſa voluntarius eſt*, quando præuidetur ex aliqua cauſa ſequuturus, & illam ideò tenemur vitare, & non vitamus, ſed aduertendum, vt aliquid dicatur voluntarium iu cauſa tria requiri; primò, vt aliquo modo præuiſum ſit illum ſequuturum, quod enim nullo modo eſt coguitum uou poteſt cenſeri voluntarium, ſeu liberum, ac proiude uou poteſt imputari. Secundò, vt cauſam propter illum effectum tenearis vitare, ſi enim cauſam vitare uon teneris iã effectus ille uon poteſt imputari tibi ad culpam. Vnde nou cenſebitur voluntarius, ſed ſolum permiſſus maioris boni cauſa.

Sciendum 3. non teueri cauſam vitare, quando ipſa ſecundum ſe eſt licita, præſertim ſi ſit conſentanea officio, vel pietati, vel habeat notabilem commoditatem, vel finem houeſtum, & ſub hac ratione Confeſſarius uou tenetur vitare ſuam functiouem, nec ſtudioſus ſua ſtudia, etiamſi quid iude tale patiatur, modo uon adſit periculum couſenſus, vt cum quis ſatis firmũ ſe credit, vt illi nõ aſſeutiatur. Ratio eſt, quia ſi ſequatur aliquis effectus per accidens ſe habet ad illa cauſam, ſi verò ſubſit morale periculũ, ita vt nõ confidat ſe fore ſatis firmum, tenetur cauſam vitare, uon enim ob vllam rem poteſt ſe formali periculo peccandi expouere iuxta illud Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* Tertiò, quod requiritur ad voluutarium iu cauſa eſt, vt cauſa non vitetur, & cauſa poteſt eſſe, vel poſitiua, vel priuatiua, poſitiua cum quis liberè vacat alicui actioni, ex qua ſequitur talis naturæ cogitatio, priuatiua cum præter voluntatem incidit vehemẽs imagiuatio naturam incitans, quam neque fouet, neque conatur diuertire, ſed uegatiuè ſe habet, in priore modo tenetur abſtinere ab illa actione, & ſi in illa pergat effectus ſequutus cenſebitur in illa volitus, & voluntarius. Si actio illa, ſeu cauſa ſit per ſe propinqua diſpoſitio ad pollutiouem teuemur illam actionem pollutionis ſub peccato mortali vitare. Ratio eſt, quia eiuſdem rationis eſt per ſe loquẽdo conſentire in effectum, & in cauſam eius propinquam, quando tameu ſubeſt alia iuſta cauſa illius actionis, tunc effectus ille non cenſetur volitus, ſed ſolum permiſſus, vt potè præter imaginationem obueniens. Si verò cauſa illa ſit diſpoſitio remota uon tenemur illam ratione huius effectus ſub peccato mortali vitare etiamſi fortè ob aliam cauſam vitare teneamur, talea omnes actiones, quæ per ſe ad luxuriam pertineat, vt uimium, aut nimis calida comedere, bibere, uimis dormire, equitare, &c. Idem dicendum quando actio illa per ſe quidem pertinet ad luxuriã, tamen non eſt uiſi peccatum veniale, vel ratione tenuitatis materiæ, vel ratioue ſemiplenæ attentionis, vt rectè Caietanus 2.2.*queſt*.64.*art*.8. Em. Sà *verbo Luxuria*, *num*.9. Henriquez *lib*.1.*de matrim*.*cap*.16.*num*.6. Sanchez *lib*.9.*de matrim*.*diſp*.45.*num*.19. & alij. vt eſt aſpectus curioſus fœminæ, lectio turpis, &c. In altero modo cum cauſa priuatiua eſt, nempè negligentia amoueudi cauſam poſitiuam inuoluntariã v.g. turpem cogitatiouem tenetur homo illam appræhenſiouem excutere, & meutem alio transferre quantum poteſt. Quod ſi omittat, illa omiſſio erit cauſa voluntaria effectus. Aduertendum tameu, quod ſi opus illum, vnde præter inteutionem oritur illa imaginatio turpis ſit licitum, uou teneris illud prætermittere ad eam vitandam, modo abſit periculum conſeuſus, ſi autem non ſit licitum tenemur illud omittere, etiam propter illum effectum per accidens prouenientem, nou tameu ſub mortali (niſi opus ſit mortale, & ſecundum ſe ad luxuriam pertinens) ſed ſub veuiali, vt cum opus per ſe ad luxuriam uon pertinet, vel ſi pertinet ſolum eſt veuiale.

R. 2. Pollutionem uou eſſe peccatum mortale ſi nou eſt plenè voluutaria. Quod tripliciter poteſt eſſe; primò ſi nullo modo aduertas ex actioue, iu qua verſaris, ſiue ea ſit externa, ſiue cogitatio periculum illius impendere, vel illam actioue ratioue periculi eſſe illicitam, & tunc ſi ſequatur nullum omuinò erit peccatũ, quia quod nõ eſt cognitũ uou eſt voluntarium, & hoc maximè habet locum in ea, quæ fit in ſomnis, ex cibo, potu, vel ex cogitationibus præuijs in vigilia. Secundò ſi aliquo modo aduertas periculum, & idcircò actionem eſſe illicitam, tamen confusè, & imperfectè auimo ad alia intento, & tũc eſt peccatum ſed veniale, quia imperfecta conſideratio facit, vt res, vel obligatio non appareat grauis. Tertiò ſi ſolum ſit voluntarium in cauſa remota, qua caſu eſt imperfectè voluntarium, & potius permiſſum, quam volitum, quia tamen tenemur cauſam vitare propter periculum talis effectus, ideò ſi uou vitetur cauſa cenſetur effectus aliquo modo voluntarius in cauſa.

Scieudum 4. tribus modis iu ſomnis Pollutionem poſſe contingere: primò quando tota accidit in ſõnis, & tunc nullum eſt peccatum: ſecundò, quando commotio carnis, & deciſio ſeminis accidit in ſomnis, & emiſſio iu vigilia, & tunc neque eſt peccatum ſaltem mortale, tum quia non adeſt plena deliberatio requiſita ad mortale, tum quia magis iudicanda eſt ſecundum principium, quam ſecundum finem, principium autem fuit in ſomnis. Tertiò, quando emiſſio fit partim in ſomnis, & partim in vigilia, & tunc multò minus habet rationem peccati, ſuppoſito, quod voluntas deliberatè in illam conſentiat. Nauarr. *cap*.16.*num*.8. In tribus caſibus eiuſmodi pollutiouem eſſe peccatum mortale. Primus eſt, quando ante ſomnum directè, & formaliter intenditur, vel procuratur adhibito aliquo medio, vt contingat iu ſomnis. Secundò quando in ipſo actu, & pleno vſu rationis quis deliberatè in eam conſentit, & de ea cooperatur delectando, & adiuuando. Tertiò, quando poſt ſomnum, in quo eſt peracta deliberatè quis complacet in ea, & approbat ob delectationem venereã inde ſequutam.

R. 3. Pollutionem tactibus alienis factam, eſſe grauius peccatum, quam proprijs tactibus. Ratio, quia præter malitiam pollutionis includit malitiam ſcandali, & grauior eſt pollutio facta tactibus fœminæ, quam tactibus viri. Ratio, quia qui polluitur tactibus fœminæ poteſt ea naturaliter vti.

An ſit licitum deſiderare pollutionem?

BRACTEA VI.

R. Ob ſanitatem, vel alium finem honeſtum licitum eſſe deſiderare pollutionem, v. g. cauſa ſanitatis, ſedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animæ, &c. Ita Nauarr. *cap.* 16. *num.* 7. Toletus *lib* 5. *cap.* 13. Angelus *verbo pollutio, n.* 2. & alij. Ratio, eſt quia, quod hic deſideratur non eſt peccatum, ſed per ſe indifferens, deſideratur enim vt fiat via naturali, per cauſas naturales à natura cõſtitutas, ſine omni libera cooperatione, & finis ob quem deſideratur eſt bonus, & verè optabilis; ergo in tali deſiderio nullum eſt peccatum. Cauſa voluptatis nullo modo licitum eſt illam deſiderare, vel de ipſa gaudere ſequuto effectu. Ita Nauarrus *loco citato*, Em. Sà *verbo luxuria*, & alij. Ratio, quia idem eſſent ac conſentire peccato pollutionis, & multò minus fas eſt illam procurare, aut aliquo modo illã adiuuare, aut vt aliquid eo fine eueniat facere. Vnde Medicus non poteſt aliquid eo fine præſcribere, aut infirmo ſuadere, nec vlla ratione poteſt quis eam ita ſibi deſiderare, vt ex vi illius deſiderij diſponatur, aut incitetur ad illam. Secundò non eſſe licitum gaudere de pollutione habita cauſa voluptatis, licitum tamen eſt gaudere de illa iam facta cauſa alicuius boni effectus cum ea coniuncti. Ratio eſt, quia quod licitum eſt deſiderare, vt fiat, licitum eſt etiam de eo, quod factum ſit, & contra ſi licitum eſt gaudere de facto, etiam eſt licitum deſiderare vt fiat; hæc enim ſunt eiuſdem moris, nam gaudium neceſſariò reſultat ex bono deſiderato obtento, & ſupponit, vel implicitè deſiderium includit.

De Oſculis, Amplexibus, & Tactibus libidinoſis?

BRACTEA VII.

SCIENDVM Tactus inter fœminam, & marem alios eſſe impudicos, & libidinoſus ex ſuo obiecto, alios ex intentione vtentis illis ex eo quod ordinet eos tactus ad luxuriam. Tactus impudici ex ſuo obiecto ſunt ij, qui fiunt in his partibus quas natura inſtituit ad prolem generandam; cæteri verò tactus poſſunt eſſe impudici ex mala intentione, vel ab vſu vtentis illis tactibus, vt ſi ordinat eos ad libidinem, vel vtitur eis ex animo libidinoſo, & impudico. Quo poſito.

R. Tactus impudicos ex ſua natura, vel qui ſunt libidinoſi ob libidinoſam intentionem, & animum tangentis eſſe peccata mortalia ex ſe, vel ob malam intentionem. Ratio, quia ſunt luxurioſi tactus, vel ex obiecto, & natura, vel ex intentione hominis tãgentis. Secundò tactus, qui non ſunt libidinoſi ex obiecto, & natura ſua non eſſe peccata ſecundum ſe. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. communiter receptus. Quod etiam dicendum eſt de oſculis, quoniã hæc omnia poſſunt eſſe inter homines, vt ſigna mutua beneuolentię, familiaritatis, cognationis, amicitiæ, pacis, & debiti obſequij ſecundum Patriæ, & Prouinciæ conſuetudinem, & tunc cenſentur licita, & honeſta. Ratio eſt, quia ea ratione ſunt tantum teſtificationes quædam externæ beneuolentiæ, & vnionis animorum fundatæ in ſanguine coniunctione profeſſionis, amicitiæ, vel alterius cauſæ honeſtæ, & ſicut licitum eſt delectari de amicitia, ita licitum eſt delectari teſtificatione, & vſu ſigni amicitiæ. Vnde ſi ex tactibus, vel oſculis ſequatur aliqua delectatio non erit peccaminoſa, ſed licita, etiamſi fiant ob honeſtam delectationem, ad augẽdam amicitiam, aut beneuolentiam, etiamſi inde motus ſenſualitatis inordinatus, & venerea delectatio in carne inſurgeret, dummodo non adſit periculum conſenſus.

R. 2. Oſcula, & tactus impudicos cauſa delectationis venereę eſſe peccata mortalia. Ratio eſt, quia excitare in ſe deliberatè veneream delectationem eſt peccatum mortale ſicuti eſt ipſe concubitus, & copula, ad quam delectatio illa tendit ex ſua natura; ergo tactus ob eam aſſumpti tanquam ob prauam cauſam, & infectam ipſi etiam praui efficientur, & per conſequens peccata mortalia.

Sciendum 2. duobus modis poſſe eiuſmodi tactus exerceri: primò poſſunt exerceri tanquam diſpoſitiones quædam ad concubitum illicitum animo ſcilicet ſe excitandi ad illum, & tunc clarè conſtat eſſe peccata mortalia eius ſpeciei, ad quam pertinet concubitus, ad quem ordinantur. Secundò tanquã ſigna, quibus imaginationi repræſentetur ipſe concubitus, quaſi ea ratione fruatur delectatione concubitus in eius ſigno, & ſic etiam ſunt peccata mortalia, quia referunt delectationem actus illiciti tanquam præſentis, quæ eundem effectum parit commotionis partium inſeruientium generationi, quem actus ipſe concubitus. Tertiò, oſcula, amplexus, tactus inter coniuges abſque vllo coitu coniugali, & abſque vlla cogitatione copulæ, ſed ſolum ſimpliciter ob delectationem ſenſus abſque vllo periculo voluntariè pollutionis liciti ſunt. Ratio, quia fiunt ex obſequio, & amore coniugali, vt beneuolentiæ, & animi coniugalis ſũt ſigna, cauſæ, & effectus. Tactus impudici inter ſponſos de futuro, & eorum delectatio ſunt peccata mortalia. Ratio, quia ex natura ſua ordinantur ad copulam; cum autem copula inter illos non ſit conceſſa nec licita, ita nec etiam tactus impudici, qui ſunt diſpoſitiui ad copulam, oſcula verò, & tactus pudici inter ſponſos de futuro licita eſſe. Ratio eſt, quia ſi ſunt licita ad conſeruandam amicitiam multò magis cenſeri debent licita inter ſponſos de futuro, qui non modo vinculo communis amicitiæ coniuncti ſunt, verum etiam vinculo particulari promiſſionis corporum. Quartò fęmina quæ patitur ſe tangi, & oſculari iuxtà conſuetudinem Patriæ non peccat, dummodo tactus ſint pudici. Ratio, quia vt dictum eſt, tactus pudici, & oſcula amicitiæ cauſa vel iuxta conſuetudinem non ſunt mali. Dubium tamen eſt de fœmina, quæ certò nouit ſe tangi ab aliquo iuuene libidinosè ex mala intentione, ipſa tamen tangit eum ſecundum morem Patriæ in ſignum beneuolentiæ, vel familiaritatis, vel cognationis. an tunc teneatur reſiſtere, & non permittere, ſed illum repellere, vel ſe ſubtrahere. Reſpondeo ſi tactus ſunt ex ſe impudici tenetur reſiſtere ne tangatur, etiamſi fiant in loco ſecreto, & hoc certum eſt apud omnes. Secundò ſi tactus ſunt non ſecundum ſe impudici, & fiunt ſecundum morem Patriæ in ſignum beneuolentiæ, vel cognationis, vel alterius cauſæ honeſtæ, & ſic ſi fiant in publico coram alijs non tenetur reſiſtere, aut ſe ſubtrahere, aut illum repellere, quoniam eſſet peccatum alterius prodere, aut ſcandalum præbere alijs, mali aliquid ſuſpicandi. Tum quia fœmina iure ſuo vtitur oſculando, amplexando, vel tangendo iuxta morem Patriæ in ſignum beneuolentiæ com-

munis

munis, & ille alius ſibi imputet, ſi quidem malo animo abutitur ſignis conſuetis. Verum, ſi tactus, & oſcula fierent in aliquo loco ſecretò ſuſpicari deberent non fieri, nec pati ob conſuetudinem Patriæ, ſed potius libidinis, & ſenſualitatis cauſa, & in iſto caſu fœmina ſi commodè poteſt tenetur, vel illum repellere, vel ſe ſubtrahere, alioquin peccaret mortaliter non repellendo oſculantem, vel tangentem, cum commodè id poſſit facere abſque præiudicio ſuſpicionis peccati, & famæ proximi.

De aliijs peccatis Luxuriæ.

BRACTEA VIII.

R. TVRPILOQVIVM factum animo ſe carnaliter delectandi eſſe peccatum mortale. Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia immediatè diſponit ad copulam, & ad pollutionẽ, turpiloquium verò ſolum delectationis gratia narratum, non eſſe peccatum mortale, dummodo fiat abſquè alia praua intentione, vel abſque effectu venereo. Ratio, quia hæc delectatio ſolum remotè diſponit ad turpia. Quod etiam dicendum eſt de auditione rerum turpium, quæ ſi audiantur ob ſciẽtiam, vel ob iudicium malitiæ earum, ob aliquem bonum finem, vel ſi audiantur ex leuitate quadam, vel curioſitate non excedit peccatum veniale; Si verò audiantur ob delectationem veneream conſurgentem ex ipſis rebus turpibus, vel ad ſe excitandũ ad res ipſas turpes mortaliter delinquitur. Item ſi cum probabili periculo ruinæ, & eodem modo reſoluendum eſt de intereſſentibus Comedijs, non eſſe ſcilicet peccatum mortale, cum non præſentantur res turpes, nec modus præſentandi turpis eſt, ſed audiantur ob ſolum curioſitatem, vel delectationem repræſentationis, & non rerum repræſentatarum, & non ſit probabile periculum lapſus in mortale, quia vt ſic non peccãt mortaliter, nec etiam Clerici peccant ſublato ſcandalo.

R. 2. Ducere choreas non eſſe peccatum ſi abſolutè, & ſecundum ſe conſiderentur. Ita Silueſter, & Angelus *verbo choreas*, Lopez 1. *part. cap.* 13. Ratio eſt, quia per conſuetudinem vbiquè terrarum ſunt receptæ in ſignum communis, & particularis lætitiæ.

Sciendum, quod licet choreæ abſolutè, & ſecundum ſe conſideratæ ſint licitæ, vitiantur tamen, & malæ fiunt multis modis. Primò ratione loci prohibiti, vt ſi fiant in locis ſacris. Secundò, ratione temporis, vt ſi fiant tempore, quo miſſarum ſacra celebrantur, & impediant Diuina officia. Tertiò ratione perſonarum, vt ſi exerceantur à Clericis, qui iure communi Canonico arcentur ab iſtis Choreis, quod ius renouatum eſt hodie in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 10. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. Quartò ratione modi, vt fiant modo impudico, & laſciuo. Quintò, ratione prauæ intentionis, vt ſi fiant animo libidinoſo. Secundò aſpectus rerum turpium ob delectationem naturalem, & ſenſitiuam tantum, ſublato periculo tranſeundi ad delectationem veneream non eſſe plus quam peccatum veniale. Caiet. *verbo impudic. & verbo delectatio*, Nauarr. *cap.* 16. *nu.* 21. Medina 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 8. *dub.* 5. & alij. Ratio eſt, quia ſecundum ſe aſpectus rei quantumuis turpis nõ eſt res mala, ſed indifferens, & quod fiat ob ſolam delectationem ſenſitiuam non eſt finis adeò malus, vt efficiat aſpectum mortaliter prauum, cum nec ipſi tactus ob ſolam delectationem ſenſitiuam ſint peccata mortalia. Secundò aſpectus rerum turpium ob delectationem veneream, vel cum periculo ipſius eſt peccatum mortale. Et ita communiter omnes. Ratio, quia talis aſpectus eſt libidinoſus, & per conſequens mortalis. Tertiò, aſpectum ob ſolam curioſitatem, non eſſe peccatum mortale. Vnde aſpectus mulieris ob ſolam curioſitatem non eſt peccatum mortale, etiamſi ſit cum aliqua delectatione, modo non adſit periculum turpis delectationis. Ratio, quia ille actus videndi nullam continet turpitudinem: aſpectus pudendarũ partium regulariter eſt peccatum mortale, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet, vel ſi fiat ob ſolam curioſitatem tam breui tempore vt non adſit periculum commotionis. Ratio primæ partis eſt, quia iſti aſpectus prouocant ad libidinem immediatè: ratio ſecundæ partis conſtat ex ſupra dictis.

R. 3. Ornatum externum virorum, vel mulierum eſſe peccatum mortale, vel veniale: primò ex fine mortali, vel veniali: ſecũdò ex ſollicitudine, ſi enim tanta eſt vt prætermittantur neceſſaria ad ſalutem, erit peccatum mortale, ſi minus veniale: tertiò ex qualitate habitus, ſi enim eſſet minus caſtus, niſi conſuetudo loci excuſaret, eſſet peccatum mortale, multò magis ſi adeò leuis veſtis, vt apparerent pudenda. Nauar. *cap.* 14 *num.* 26. quartò ex habitus pretioſitate vltra conditionem perſonæ, & id regulariter eſt tantum peccatum veniale; quintò ex ſcandalo, vt quia mulier ſe ornet intentione mouendi, alios ad ſui concupiſcentiam, & id eſſet peccatum mortale, abſque tali intentione ornatus ex ſe rarò inducit peccatum mortale. Caietan. *verbo ornatus*, & alij.

An mulier peccet fucando faciem?

BRACTEA IX.

R. Mulieres non peccare mortaliter fucando faciem, etiamſi ſit virgo, vel puella, quæ non ſit tranſitura ad nuptias, ſi hoc faciat ob rationabilem cauſam, ſi verò faciat abſque rationabili cauſa peccare ſolum venialiter peccato vanitatis, & leuitatis. Ratio, quia ornatus non eſt per ſe malus, ſed indifferens, nec repugnat Charitati Dei, nec habet oppoſitionem cum ratione, peccat verò mortaliter ſi hoc faciat ex prauo fine. Ita Azorius 2. *part. lib.* 12. *cap.* 18. *quæſt.* 13. Nauarrus *cap.* 16. *nu.* 14 Em. Sà *verbo ornatus num.* 1. Graff 1. *part. lib.* 2. *cap.* 77. *num.* 5. Quod etiam dicendum eſt de fœmina, quæ vtitur alienis capillis, non peccare mortaliter, niſi hoc faciat ex intentione incitandi alios ad libidinem, aut niſi adſit lex aliqua particularis prohibens ſub mortali. Ita Azor. *loco cit.* & alij.

De delectatione moroſa.

BRACTEA X.

SCIENDVM delectationem moroſam eſſe actum intellectus, quo ipſe delectationem percipit de aliquo obiecto, quæ delectatio moroſa dicitur, non à mora temporis, ſed à mora rationis, quia ratio, ſeu intellectus moratur circa obiectum delectationem percipiendo, quæ delectatio aliquãdo percipitur cum aduertentia, & aliquando non. Secundò delectationem duplicem eſſe, vnam efficacem, & alteram inefficacem, efficax delectatio dicitur illa, quæ dicit ordinem ad exequutionem, ineſ-

ficax

An liceat coniugibus ligatis voto caſtitatis delectari de copula legitima habita, vel habenda?

BRACTEA XI.

R. Negatiuè. Ratio, quia licet obiectum ſit bonum, delectatio tamē bona non eſt, quia aduerſatur voto caſtitatis, quod prohibet omnem delectationem veneream ſenſibilem. Ita Pontius de *matrim lib.* 10. *cap.* 26. §. 2 *num.* 12. etiam ſi coniux emiſerit votum abſque conſenſu alterius cōiugis. Ita Leſſius *lib.* 4 *cap.* 3. *dub.* 14. *nu.* 106. Vaſquez *diſp.* 115. *cap.* 2. & alij. Secundò delectationem coniugis, cum fœmina aliena non ſolum habere malitiam contra Caſtitatem, ſed etiam contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia coniuges non ſolum corpus, ſed etiam affectus internos ſe mutuò obligarunt, & per conſequens ſi in alteram fœminam à ſua coniuge inclinat, illi iniuriam facit. Ita Bonacina de *matrim. quæſt.* 4. *p.* 8 *n.* 19. & alij.

Sciendum dubium eſſe, an ſit licitum coniugatis die copulæ habitæ abſtinere à Communione? Ad quod reſpondeo ipſis eſſe conſulendum, vt à copula abſtineant illo die, quo Euchariſtiam ſuſcepturi ſūt dato tamen quod à copulā non abſtinuerint, non eſt illis conſulendum, quod non communicent, ſed potius contrà, quia è communione maxima bona percipiuntur etiamſi copulam habuiſſent delectationis gratia, quamuis melius egiſſent ſi à copula abſtinuiſſent. Ita Sanctius in *ſelect diſp* 26. non poteſt tamen dignè accedere ad ſumendam Euchariſtiē quis poſt pollutionem voluntariam, vel fornicationem, etiāſi de iſtis peccatis confeſſus ſit. Ratio eſt, quia in anima remanet ſemper aliquis affectus ad illud peccatum, qui impedit ne dignè, & ſanctè Euchariſtiam ſuſcipiat, & ideò tali peccatori conſulendum erit, vt ſaltem vno die abſtineant à ſumptione Euchariſtiæ, ſi tamen ipſo die Euchariſtiam ſumpſerit nō peccabit pluſquam venialiter.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non Furtum facies.

MALLEATIO XXXX.

In ſeptimo Præcepto non modo prohibetur furtum, ſed etiam quæcumque rei alienæ acceptio, & retentio; atquè illud omne per quod damnum proximo infertur. Idcirco hic agam. Primò de furto. Secundò de Reſtitutione. Tertiò de pactis, & contractibus in genere. Deinde de illis in ſpecie, de eorum qualitatibus, &c. Tractant de iſto Theol. de Iuſtit. & iure. Summiſtæ V. Furtum, Reſtitutio, &c.

De Furto.

Quid ſit furtum?

BRACTEA I.

R. FVRTVM eſſe occultam acceptionem rei alienæ inuito Domino rationabiliter. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt* 66. *artic.* 3. Leſſius *lib* 2. *c.* 12. *dub* 1. Sotus *lib* 5. *de iuſtit quæſt* 3. Summiſtæ *verbo furtum*, & alij. Siue, vt Iuriſtæ loquuntur furtum eſt contrectatio rei fraudoloſa lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam vſus poſſeſſionis. Ita habetur *leg.* 2. *§. furtum, & inſtit. de obligat. quæ ex delicto* §. 1. quā ſupplet, & explicat Nauarr. *cap* 17 *num.* 1. Verum definitio, quam attulimus magis explicat naturam furti.

2. Sciendum, quod cum furtum ſit occulta ablatio rei alienæ formaliter diſtinguitur à damnificatione, v. g. à combuſtione domus, deſtructione ſegetum, &c. in quibus nihil accipitur, ſed ſolum damnum datur; diſtinguitur etiam à rapina, quæ ſit ſciente domino, immò ipſo contradicente, cum furtum occultè ſiat, ſimiliter diſtinguitur à detētione rei alienæ, ſiue ab iniuſta mora ſoluēndi debitum, quæ licet contineant malitiam furti, tamen non ſunt furtum. Secundò, quod ad rationem formalem furti requiritur, vt dominus, cui ſit furtum ſit rationabiliter inuitus; vnde ſi quis accipiendo rem aliquam crederet domino non diſplicere, non committeret furtum, quamuis occultè illud acciperet, eo quod ob verecundiam non audeat petere. Ratio, quia putat Dominum non eſſe inuitum, & ideò ob talem credulitatem non committit furtum, ſi verò nō haberet credulitatem, ſed ſolum dubitaret, tunc peccaret peccato furti, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Secundò ſi quis aliquid accipiat in extrema, vel graui neceſſitate, aut compēſandi cauſa, quando aliter ſuum habere, non poteſt, excuſari à peccato furti: vnde pauperes, qui aliquid accipiūt ad ſubleuandam propriam egeſtatem, vel Parentum, excuſari à peccato, quia domini non cenſentur rationabiliter inuiti. Similiter, qui vtitur compenſatione,

tione,

tione, quando aliter creditum ſuum liquidum tecupetare non poteſt, non peccat, quia dominus non cēſetut rationabiliter inuitus, cum debitum ſoluere debeat.

Quid ſit Rapina?

BRACTEA II.

R. Rapina eſt ablatio rei alienæ domino ſciente, & contradicente. Ita communiter omnes. Ratio, quia formalitas rapinæ conſiſtit in hoc, quod dominus ſit ſciens, & contradicēs, & ideò rapina diſtinguitur à furto, quia furtum fit occultè: tapina verò fit domino ſciente: furtum fit non contradicente domino, quia ignorante, tapina verò fit domino contradicente. Secundò, rapinam habere malitiam ſpecie diſtinctam à furto, & ita communiter omnes. Ratio eſt, quia diuerſam habet oppoſitionem cum regula rationis, ſeu cum dictamine conſcientiæ, & ideò furtum, & tapina differunt ſpecie.

Sciendum, quod licet rapina ſit quando aliquid accipitur domino ſciente, & contradicente, non tamen ſemper committitur peccatum rapinæ, niſi quando fit acceptio contra iuſtitiam, vt v.g. exactores communitatis, quibus data eſt cura exigendi taleas, &c. & ſoluendi debita Communitatis, ſi aliquid accipiunt ex mobilibus à non ſoluentibus taleas ipſis contradicentibus, non peccare peccato rapinæ, cum non agant contra Iuſtitiam. Similiter etiam exactores vectigalium Principis, qui aliquid accipiunt à non ſoluentibus vectigal iuſtè impoſitum ipſis diſſentientibus excuſari à peccato, cum nō operentur contrà iuſtitiam, ſed vtantur compenſatione. Secundò, milites quibus aſſignata eſt aliqua Communitas, vel particulares Communitatis ad ſoluendum illis ſtipendium militare non peccare peccato rapinæ, ſi à non ſoluentibus aliquid accipiunt ipſis contradicentibus è mobilibus in ſolutionem crediti aſſignati, cum vtantur iuſtè compenſatione.

An furtum ſit peccatum mortale?

BRACTEA III.

R. Esse peccatum mortale, quia furto violatur iuſtitia commutatiua, & violare iuſtitiam commutatiuam ex genere ſuo, & ex obiecto eſt peccatum mortale. Tum etiam, quia ex genere ſuo contrariatur charitati Dei, & proximi quod eſt peccatum mortale. In tribus caſibus poteſt eſſe peccatum veniale: primò ex paruitate materiæ: ſecundò ex defectu deliberationis: tertiò ex defectu iudicij idonei ad peccandum mortaliter, vt infrà melius explicabitur. Secundò rapinam eſſe maius peccatum, quam furtum. Ratio, quia formalitas peccati rapinæ habet maiorem oppoſitionem cū ratione, quam ſimplex furtum. Tum etiam, quia magis fit contra voluntatem domini, quam furtum, tū etiam, quia rapina non ſolum infert damnum proximo, ſed etiam iniuriam, cum fiat violentia ei, cui aufertur res. Tertiò furtum per ſe eſſe peccatum leuius fornicatione. Ratio eſt, quia fornicatio nocet corpori, & proli futuræ: furtum autem bonis externis tantum, per accidens autem poteſt eſſe grauius, vt ratione perturbationis Reipublicæ. Vnde grauius punitur cum fornicatio ſimplex non puniatur.

Quæ quantitas requiratur in furto, vel in damno dato ad conſtituendum peccatum mortale?

R. Illa quantitas eſt ſufficiens ad peccatum mortale, quæ ex ſe eſt notabilis. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia talis quantitas affert damnum notabile.

Sciendum illam quātitatem dici notabilem, quæ perſonæ, cui furatur infert graue damnum priuando maxima vtilitate, vel commoditate, &c. vt v. g. ſi perſonæ illuſtri, aut valdè diuiti furetur nummus aureus, eſt peccatum mortale tale furtum, cum inferat illi maximum damnum, quatenus poteſt eſſe pretium alicuius ſerui, vel alterius rei, licet notabiliter non illi noceat, quoad victum. Si verò furtum fiat Ciui mediocriter diuiti, dimidia pars nummi aurei eſt ſufficiens ad peccatum mortale, quia tale furtum infert illi magnum damnum priuando ipſum commoditate emendi victum vnius diei, ſi autem mercatori valdè diuiti furtum fiat, nummus aureus eſt ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale: ſi mediocriter diuiti eſt ſufficiens ad peccatum mortale dimidia pars nummi aurei. Si verò furtum fiat perſonis, quæ ſe ſuſtentant ſuo artificio, & opera, furtum vnius libræ eſt ſufficiens ad peccatum mortale. Ratio, quia illius ablatio notabile damnum infert, cum poſſit eſſe pretium laboris vnius diei, & ſufficiat ad comparandum victum pro vno die. Si verò furtum fiat mendico, qui ſibi mendicando cōſulit, & proſpicit, furtum dimidiæ libræ, aut etiam minus eſt ſufficiens quantitas ad conſtituendū peccatum mortale. Ratio eſt, quia talis quantitas poteſt illi inſeruire pro victu vnius, aut duorum dierum.

An poſſit dari quantitas, quæ reſpectu cuiuſcunque perſonæ ſit peccatum mortale?

BRACTEA V.

R. Furtum duorum aureorum à quibuſcunque auferantur etiam reſpectu Regis, aut perſonæ valdè diuitis ſemper eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia tale furtum ab omnibus non eſſe modicum exiſtimatur, cum maximè diuites talem iacturam grauiter ferant. Tum etiam, quia eorum ablatio notabiliter impedit Regis vtilitatē, cum duorum aurei ſufficiant ad perſoluēdum vnius militis, aut infimi famuli ſtipendium, quamuis Aragonius, & alij apud Petrum Nauart. *lib 3. de reſtitut. cap. 1. num. 30.* exiſtiment in contractu magnæ quantitatis cum Rege, centum nummos aureos non eſſe quantitatem ſufficientem ad conſtituendum peccatum mortale. Secundò, furtum duarum librarum non eſſe abſolutè quantitatem notabilem ad peccatum mortale, quia Reipublicæ, aut illuſtri perſonæ non infert damnum notabile, neque notabiliter impedit vtilitatem: reſpectiuè tamen poteſt eſſe notabilis quantitas, vt dictum fuit.

R. 2. Qui rem modicam aufert, ex qua notabile ſequitur damnum peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ratio eſt, quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. Vnde ſi quis furatur acum ſartori, vel ſubulam ſutori, ex quo notabile ſequitur damnum peccat mortaliter

taliter

taliter non peccato furti, ſed ratione damnificatio-nis iniuſtæ, cum fuerit illi cauſa damni non laborā-do, vt ſuppono. Vnde ſi lata eſſet excommunicatio contra furantes aliquod notabile, qui furatus eſt ta-lia non comprehenderetur, ſi verò lata eſſet excom-municatio contra eos, qui non reſtituunt notabile, quod debent comprehenderetur, cum non reſtituat damnum datum, quod eſt notabile. Similiter, ſi quis auferret nobili viro rem parui momenti, ſed ta-men illi pretioſam, & charam, v.g. pomum in viri-dario, vel malum citrinum, vel florem, quem ſcit diris imprecari furantem, peierare, blaſphemare, cō-mittit peccatum mortale non ratione furti, ſed ra-tione ſcandali dati.

An peccet mortaliter, qui furatur rem paruam animo furandi maiora?

BRACTEA VI.

R. Qui furatur rem paruam animo furandi rē notabilem, ſi poſſet, peccat mortaliter. Et ita communiter omnes. Ratio, quia volū-tas faciendi malum, & malum ſunt idem in ratione peccati, tamen ſi lata eſſet excommunicatio contra furantes rem notabilem non comprehenderet eos, qui animo furandi rem notabilem furantur rem par-uam. Secundò, qui furantur rem paruam cum vio-lentia notabili, vel a maxime indigent, peccat mor-taliter. Ratio, quia cenſetur maximam inferre in-iuriam ob violentiam, vel quia furatur maximè in-digenti.

Sciendum dubium eſſe, an furtum magnum in eadem materia differat ſpecie à furto paruo, vt fur-tum centum duplarum à furto quinquaginta, & fur-tum quinquaginta modiorum grani à furto viginti? Ad quod reſpondeo nullo modo differre in genere moris, quia magnum, & paruum non variant ſpeciē, ſed ſolum augent malitiam actus intrà eandem ſpeciem, & licet furtum notabile ſit peccatum mor-tale, & furtum paruum veniale, non tamen ex hoc ſequitur furta differre ſpecie, cum peccatum veniale in materia furti ex imperfectione actus peccati mortalis, non differat ſpecie à peccato mortali, ſed ſolum ratione circumſtantiæ aggrauantis in infinitū, quæ tamen circumſtantia in confeſſione aperienda eſt. Tertiò maior quantitas requiritur ad peccatū mortale in furto, quando res pluribus aufertur, quā quando vni. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 46.* Ratio, quia cum pluribus auferatur non infert dam-num notabile, ſicut quando aufertur vni. Vnde ſi decem ſolidi reſpectu perſonæ priuatæ ſunt ſufficiēs quantitas ad peccatum mortale ſi vni auferantur, non erunt ſufficiens quantitas ſi pluribus auferantur ob rationem allatam. Similiter ſi paulatim eadem quantitas vni perſonæ auferatur, v.g. ſi ſeruus ali-quid minutim, & paulatim furatur domino de pe-cunia, quam illi dat ad emendum quotidianum vi-ctum, maior quantitas requiritur, quam ſi ſimul au-feratur, quia non infert tantum damnum minutim accipiendo, quantum, quando ſimul tota quantitas accipitur. Si quantitas etiam eidem perſonæ aufe-ratur per maiora temporum interualla etiam maior requiritur, vt v.g. ſi famulus per magna temporum interualla aliquid domino furaretur, v.g. nummum aureum ſpatio duorum annorum, nō peccaret mor-taliter ſuppoſito, quod nummus aureus ſit ſufficiēs quantitas ad peccatum mortale reſpectu illius per-ſonæ, ſi ſimul auferatur, aut ſucceſſiuè paruo tempo-ris interuallo maior quantitas requiritur, quia do-minus non cenſetur ita inuitus quando furtum per partes committitur, & per longa interualla tempo-ris, quam ſi ſimul tota quantitas auferatur.

R. 2. Maiorem quantitatem requiri in furto vxo-ris, aut filiorum, quam in furto domeſticorum, & in furto domeſticorum, quam in furto alienorum. Ra-tio, quia ita dominus non cenſetur inuitus, ſi furtū ab his fiat, quam ſi fieret à non domeſticis.

Sciendum 2. dupliciter dominum poſſe dici inui-tum circa furtum: primò quoad ſubſtantiam: ſecun-dò, quoad modum, tunc eſt inuitus quoad ſubſtan-tiam quando illi diſplicet, rem eſſe ablatam, tunc eſt inuitus quoad modum quando diſplicet modus, quo res fuit illi ablata. Aliquando eſt inuitus ſimul & quoad rem, & quoad modum, & aliquando quo-ad modum, & non quoad rem. In furto vxoris, & filiorum, ſi res ablatæ ſint parui momenti cenſetur potius inuitus quoad modum, quam quoad rem, ſi-cut etiam in furtis domeſticorum de rebus pertinē-tibus ad victum, cenſetur potius inuitus quoad mo-dum, quam quoad rem ſi eas accipiant cauſa come-dendi, ſi verò accipiant cauſa dandi extraneis cen-ſetur inuitus, & quoad modum, & quoad rem.

De circumſtantijs excuſantibus, quod notabilis quantitas in furto non ſit peccatum mortale.

BRACTEA VII.

R. Quoties dominus non cēſetur inuitus, quo-ad rem, licet quoad modum, quia occultè accipitur, furripiens non cenſetur peccare mortaliter. Ratio, quia peccatum in furto oritur ex eo, quod res accipiatur inuito domino, quod in iſto caſu non præſumitur eſſe, cum dominus non cē-ſeatur inuitus, quoad rem. Vnde hac ratione excu-ſantur vxor, filij, qui aliquid accipiunt de bonis ma-riti, vel Patris, ludi, aut aliæ recreationis gratia, dummodo res non ſit magni momenti, quia facilè præſumi poteſt, dominum conceſſurum fuiſſe, ſi res furto ſublata fuiſſet petita, ſi autem res ſublata eſſet à domino inuito non quoad rem, ſed ſolum quoad modum non eſſet peccatum mortale, quia ablatio rei non eſſet ſimpliciter inuoluntaria, ſed ſolum modus, quo res fuit ablata. Vnde non obli-garentur ad reſtitutionem, cum circa modum non detur iniuſtitia, licet obligari poſſint ad ſatisfactio-nem per congruos modos. Secundò, ignorantia probabilis, quod res eſſet aliena excuſat à peccato mortali. Ratio, quia non cenſetur peccatum niſi vo-luntarium.

Sciendum ignorantiam duplicem eſſe, vnam pro-babilem, ſeu inuincibilem, & alteram improbabilē, ſeu vincibilem. Ignorantiam probabilem, ſeu in-uincibilem illam eſſe, quæ nullo modo poterat vin-ci, & idcircò dicitur inuincibilis, ſeu inculpabilis, quia de contrario nulla vnquam præceſſit ſuſpicio, dubietas, &c. Ignorantia improbabilis, ſeu vincibi-lis illa eſt, quæ poterat vinci poſita aliqua diligen-tia, quia præceſſerat ſuſpicio, aut dubietas de con-trario, & idcircò dicitur culpabilis. Ignorantiam in-uincibilem, ſeu probabilem excuſare à peccato non autem ignorantiam vincibilem, & culpabilem.

R. 3. Compenſationem excuſare accipientem rem alienam à peccato, dummodo id quod debetur ſit liquidum & certum, & aliter non poſſit recuperari.

Ratio eſt, quia in tali caſu cōpēſatio cenſetur licita.

Sciendum 2. quod ad hoc, vt compenſatio ſit licita, & poſſit quis accipere alienum ad recuperandum ſuum plures requiruntur conditiones: Prima, vt creditum ſit liquidum, quia de liquido ad non liquidum nulla fit compenſatio, tum quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Vnde, qui ſolum dubitat an res ſibi debeatur non poteſt vti compenſatione: Secunda, vt res ſit debita ex iuſtitia. Ita Nauar. *cap.17.num* 112. Clauis regia *lib 9. cap 14. num. 6.* Ratio, quia compenſatio permittitur ad recuperandū ſuum, & quod alter tenetur reſtituere, obligatio reſtitutionis oritur ex violatione iuſtitiæ. An verò pro re debita ratione promiſſionis acceptatæ, poſſit quis facere compenſationem? Reſpondeo affirmatiuè. Ratio, quia per acceptationem acquiſiuit ius ad rē promiſſam, & ſicut promittens non modo ratione fidelitatis, ſed etiam iuſtitiæ tenetur adimplere promiſſionem, ita non adimplendo alter poteſt ſibi cōpenſationem facere, & nulli facere iniuriam accipiēdo. Petrus Nauarrus *lib.3.cap.1. num. 376.* Famulos non poſſe compenſationem facere de bonis domini, quando gratis ſeruire promiſſerunt; ſi verò tacitam conuentionem fecerunt, vt ratione ſeruitutis det illi, dominus mercedem congruam, ſi nō dabit poſſe ſine peccato compenſationem facere. An verò ſeruus, qui neceſſitate preſſus exiguo pretio conuenit cum domino ſuo poſſit compenſationem facere? Reſpondeo negatiuè, quia ratione ſeruitutis non habet ius, niſi ad pretium conuentum, tū quia liberè conuenit, tum etiam quia ſicut copia merciū eſt cauſa quod ipſę viliori pretio vendantur, ita copia ſeruorum eſt cauſa, quod domini cum ipſis conueniant viliori pretio; quod etiam de operarijs dicendum eſt. Quod ſi ob multitudinem, vel neceſſitatem, eorum domini conueniant pro eorum labore exiguo pretio non poſſe facere compenſationem ob rationes allatas. Tertia conditio, quod in compenſatione non plus accipiatur, quam debeatur, quia plus accipiendo peccant mortaliter, & obligātur ad reſtitutionem ſuperflui. Vnde milites, qui in compenſationem crediti aſſignati à communitate, vel à particularibus loci accipientes animalia, vel &c. ſi plus accipiunt, quam ſit illorum creditum peccant mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem ſuperflui. Quarta conditio, vt non poſſit creditor commodè recuperare id, quod illi debetur. Quinta, vt compenſatio fiat in rebus ipſius debitoris, aut etiam in re ipſius debitoris exiſtente apud ipſum creditorem, vel apud alium. Sexta, vt non adſit ſcandalum, vel periculum punitionis corporalis. His circunſtantijs concurrentibus poteſt à debitore fieri compenſatio.

R. 3. Paruitas rei, & iuſta voluntas proficiendi domino ſpiritualiter excuſat à peccato mortali accipientem rem alienam, Ita Nauarrus 17. *num.4.* Ratio, quia talis acceptio deſinit eſſe mala ratione finis boni.

Sciendum 3. voluntatem proficiendi domino ſpiritualiter, vel etiam temporaliter excuſare à peccato habentem rem alienam. Vnde, qui furioſo accipit gladium, ne occidat, aut occultè accipit pigmēta, aut fucos mulieri eis malè vtenti, & alios ad peccatum prouocanti, aut aleas luſuri, ne ludat; dummodo non oriatur ſcandalum non peccat mortaliter, cum acceptio horum non ſit iniuſta.

R. 4. Exiſtens in extrema, vel graui neceſſitate excuſatur à peccato mortali, ſi furetur. Ita Nauarrus *cap. 17.* Ratio, quia omnia ſunt communia in extrema neceſſitate, vt melius infrà dicetur.

An iuſtè ſibi compenſans comparet dominium earum rerum, quas accepit?

BRACTEA VIII.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia cum compenſatio ſit licita, & iuſta, & iure naturali permiſſa, & in foro conſcientiæ transfert dominium, ac ſi iudicia auctoritate eſſet facta. Tum etiam, quia ſi dominium illius rei remaneret apud debitorem ſequeretur, quod iuſtè ſibi compenſans non poſſet de tali re diſponere, vt ſe ſeruaret indemnem, quod eſt falſum, ergo cenſetur acquirere dominium illius rei, cum poſſit de tali re diſponere: idcircò ſi feratur excommunicatio contra eos, qui furati ſunt rem alienam, non comprehendere eos, qui iuſtè vſi ſūt compenſatione. Ratio, quia per compenſationem non cenſetur accepiſſe alienum, ſed proprium. Secundò, Conſcij de iuſta compenſatione, interrogati poſſunt iureiurando reſpondere, ſe nihil ſcire, concipiendo intrà mentem ſe neſcire aliquid, quod iure teneatur dicere. Ratio eſt, quia in iſto caſu poteſt vti æquiuocatione. Vnde poteſt reſpondere neſcio, vt dicam tibi. Ita Nauarrus *cap.12.num.8.* Valentia *tom 3 diſp.5.quæſt.13.pun.2.* Bannez 2.2.*quæſt.69.art.2.* & alij.

An in extrema, vel graui neceſſitate licitum ſit ſurripere?

BRACTEA IX.

SCIENDVM ex communi omnium Doctorum ſententia, neceſſitatem triplicem eſſe communem, grauem, & extremam. Extrema eſt periculum perdendæ vitæ ob defectum cibi, vel potus, vel veſtitus, vel cauſa grauiſſimæ infirmitatis, quæ moraliter loquendo homines conducunt ad mortē. Grauis eſt periculum perdendi ſtatum, vel ab ipſo cadendi, non habendo neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, vel veſtitus, vt ſi mulier non habeat debitum veſtitum, vel etiam ſi vir non habeat, vnde conuenienter poſſit ſuas filias dotare. Communis eſt quā patiuntur pauperes oſtiatim mendicantes. Quo poſito.

R. Qui laborant neceſſitate communi non poſſūt aliquid ſurripere abſque peccato, vt ſibi prouideāt. Ita omnes Doctores. Ratio, quia neceſſitas communis non facit omnia communia. Secundò in graui neceſſitate mortis, famis, veſtitus poteſt aliquid ſurripere ſi aliter graui neceſſitati occurrere non poteſt. Ita Nauarrus *cap.17.num.5.* Leſſius *lib.2. cap.12. num.70.* Ratio, quia vtitur iure ſuo ſurripiendo cū ſit obligatus diues facere eleemoſynam. Vnde ſurripiendo accipit quod alter obligatus eſt dare.

Sciendum 2. bona eſſe in triplici differentia quædam ſuperflua vitæ, ſed non ſtatui, alia eſſe ſuperflua non ſolum vitæ, ſed etiam ſtatui, alia eſſe neceſſaria, & ſtatui, & vitæ. Diuitem teneri facere eleeſynam poſito in extrema neceſſitate de ſuperfluis vitę. De ſuperfluis verò ſtatui, & conditioni obligatur etiam facere eleemoſynam in graui neceſſitate poſito, ſicut etiam tenetur facere eleemoſynam de ſuperfluis ſtatui, & conditioni laboranti communi neceſſitate pro loco, & tempore, & abſque notabili ſuo incommodo. Ita plures apud Valentiam *tom.3. diſp.3.q.9.p.4.* Azor. *c.9.quæſt.5.* & 7.

R.2. In extrema neceſſitate poſitus poteſt aliena ſurripere, vt extremæ ſuæ neceſſitati conſulat. Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia extrema neceſſitas facit omnia communia quoad vſum. Secundò ad ſubueniẽdum extremæ neceſſitati aliorum poteſt quis ſurripere, modo ſurripiens nihil habeat. Ratio, quia ſicut poſitus in extrema neceſſitate poteſt ſurripere, ita poteſt alius ſurripere ad adiuuandam extremam neceſſitatem aliorum. Vnde filius, qui habet Patrẽ in extrema neceſſitate, poteſt furari, & aliena ſurripere, dummodo non habeat, vnde poſſit Patrem alia ratione adiuuare, quia ſi haberet, peccaret. Ratio eſt, quia ius quod de iure naturali habet vnuſquiſque aſſumendi ſibi neceſſaria ad tuendam vitam, ſolum competit Patri extremè indigenti, aut alteri non habenti de ſuo, vnde poſſit proximi neceſſitati ſubuenire, vt docet S.Th. 2.2. *q.66.artic.*7. quia ſi habeat vnde proximo poſſit ſubuenire, non poteſt alienum ſurripere.

An filia poſſit pati ſtuprum, vt adiuuet neceſſitatem Patris?

BRACTEA X.

R. Filiam non poſſe adiuuandi gratia Patrẽ in extrema neceſſitate poſitum pati ſtuprum, ſeu locare ſuum corpus, vt pretio illius locationis poſſit ſubleuare illius extremam neceſſitatem. Ratio, quia cum illa locatio corporis ſit intrinſecè mala, non definit eſſe mala ob extremam neceſſitatem Patris. Tum, quia talis locatio non cenſetur medium ordinatum ad ſubleuandam extremam neceſſitatem. Similiter dicendum eſt de vxore, nullo modo poſſe alteri locare corpus, vt ſubleuet extremam neceſſitatem mariti, aut propriam, aut maritum adiuuet in carceribus poſitum, cum locatio corporis ſit intrinſecè mala, & ob finem honeſtum non definat eſſe mala. Secundò puellam ad euitandum periculum amittendi pudicitiam, non poſſe alienum ſurripere. Ratio, quia alienum ſurripere non eſt medium ordinatum ad conſeruandam pudicitiam, ſed potius Deo commendare ſe debet, occaſiones proximas fugere, & mortem potius ſubire, quàm Deum offendere. Ita Sotus *lib.5. de iuſtit. queſt.3.art.*4. Salon 2.2. *quæſt.66.art.*7. Sicuti etiam nõ eſt licitum conſtituto in periculo amittendi honorem, aut famam alienum ſurripere ad illud euitandum. Ratio, quia bona temporalia ſunt media neceſſaria ad tuendam vitam, non autem honorem, aut famam. Ita auctores citati. In aliquo caſu particulari eſſet licitum, vt ſi alicui eſſet ignominioſum mendicare, & aliter non poſſet illi ſubuenire.

Quomodo peccent, qui minutim furantur?

BRACTEA XI.

R. Qui minima furatur animo perueniendi ad ſummã notabilem, vt diteſcat, peccat mortaliter. Ita communiter omnes Doctores. Ratio eſt, quia eiuſdem malitiæ eſt ſurripere, ac velle ſurripere. Tum etiam, quia illa intentio furandi dicit ordinem ad furtum mortaliter peccaminoſũ. Secundò, qui minima furatur ſine intentione perueniendi ad ſummam notabilem, ſed ex occaſione ea committit, peccat mortaliter quando peruenit ad ſummam notabilem. Ita Clauis regia *lib.9.cap.*15. Azorius 3 *part.lib.5.cap.13.quæſit.*4. & alij. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod pertingit ad notabilem quantitatem, incipit voluntariè detinere alienum in notabili quantitate, detentio autem rei alienæ in notabili quantitate eſt peccatum mortale.

Sciendum quædam furta eſſe leuia, & minima, quę non ſufficiunt ad conſtituendam ſummam notabilem, nec ad peccatum mortale, verum ſi collectiuè ſumantur, & quatenus inter ſe poſſunt continuari conſtituunt ſummam notabilem, & per conſequens, vt ſit peccatum mortale, ſi collectiuè ſumantur, cũ præcedentibus furtis conſtituunt ſummam notabilem, ea verò furta modica inter ſe collectiuè ſumi poſſunt, quæ continuari poſſunt, & tunc continuari poſſunt, quando vltimum vnius poſſit moraliter cõiũgi cum principio alterius, vt v.g. plures paruę comeſtiones tempore ieiunij factas ſimul ſumi poſſunt, quia continuari poſſunt, cum vltimum primæ comeſtionis, poſſit coniungi cum primo alterius comeſtionis, & per conſequens ſimul ſũptæ conſtituũt comeſtionem notabilem, & per conſequens peccatum mortale. Idem dicendum de omiſſionibus paruis factis in recitando Diuinum officium, vt v.g. omiſſio vnius pſalmi, &c. quæ licet ſecundum ſe ſint omiſſiones parui momenti, tamen ſi ſimul ſumptæ conſtituunt ſummam notabilem, per conſequens peccatum mortale conſtituunt.

Sciendum 2. furta parua pluribus modis inter ſe continuari, vt collectiuè ſumantur: primò ratione intentionis, vt quando quis furando minima habet intentionem furandi, quoties erit occaſio. Secundò, furta continuantur quando fiunt in eodem genere negotij, quod furtum dupliciter poteſt committi: primò expreſſè, vt quando aliquid venditur maiori pretio, quam res valeat, vt v.g. ſi valeat decem ſolidis, vendatur vndecim. Similiter, ſi aliquid venditur ſupra taxam conſtitutam, exceſſus illius pretij cenſetur furtum, cum contra iuſtitiam, & vltra ipſorum valorem vendantur. Vnde hæc furta parua ſimul ſumpta conſtituunt ſummam notabilem, & tũc peccatur mortaliter, quando vltimum furtum committitur, quod collectiuè ſumptum cum antecedentibus conſtituunt ſummam notabilem. Secundò furtum abſcondite fit, & implicitè vtendo ſtateris falſis, &c. quibus furatur accedentibus cauſa emendi aliquid. Vnde iſti, qui ſuis falſis ponderibus, aut menſuris modicum quid ſemper furantur, cum perueniunt ad furtum, quod coniunctum cum antecedentibus conſtituit ſummam notabilem, mortaliter peccant. Qui autem furatur minima intentione furandi maiora, ſemper peccat mortaliter furando; qui autem furatur minima, non intentione furandi maiora, peccat venialiter ratione paruitatis materię, cum verò peruenerit ad furtum paruum, quod collectiuè ſumptum cum antecedentibus facit ſummã notabilem furando illud, committit peccatum mortale. Similiter etiam peccat mortaliter, qui ingreditur vineam, & racemos colligit, vel ab ea ligna aſportat, aut qui abſcondit pecuniam, quando peruenit ad furtum, vel ad abſciſſionem, quæ continuata cum antecedentibus conſtituunt ſummam notabilem.

Sciendum 3. dubium eſſe an committat nouum peccatum, qui poſtquam peruenit ad ſummam notabilem denuò furatur. Ad quod reſpondeo, quod ſi poſtquam peruenit ad ſummam notabilem pœniteat de furto facto, ſi iterum furetur furta parua pec-

Quomodo filius committat furtum accipiendo bona Paterna?

BRACTEA XIII.

SCIENDVM bona eſſe in quadruplici differẽtia Caſtrenſia, quaſi Caſtrenſia, Profectitia, & Aduentitia, Caſtrenſia ea eſſe, quæ acquiruntur militando, aut quæ ratione militiæ traduntur, quæ etiam ſunt in duplici differentia, quędam immobilia, vt ſunt feuda, Rura, domus, &c. quædam mobilia, vt ſunt gemmæ, pecunia, & ſimilia, quaſi Caſtrẽſia ſunt, quæ non ſunt acquiſita ex militia, ſed ex aliquo officio publico, vt officio Aduocati, Medici, Tabellionis, &c. profeſſione alicuius ex ſeptem artibus, vel Theologiæ, Iuris Cæſareo, Pontificij, & etiã ea, quæ acquiruntur ex officio publico, cui eſt conſtitutum publicum ſalarium, & hæc dicuntur quaſi Caſtrenſia, quia gaudent priuilegio Caſtrenſium, ad quæ reducuntur bona acquiſita à Clerico ex officio, vel beneficio Eccleſiaſtico. Profectitia dicuntur, quæ filio relinquuntur intuitu Patris, quorum bonorum proprietas, & vſuafructus ſpectat ad Patrem. Aduentitia dicuntur illa, quæ filio adueniunt, vel relinquuntur non intuitu Patris, ſed matris, vel ab auis maternis, vel quia ſunt acquiſita induſtria, vel labore ipſius, dummodo non ſint acquiſita ex pecunia paterna, vel ex bonis Patris adminiſtratis à filio, & horum proprietas, & vſuafructus ſpectat ad filium. An verò ſi filius ex pecunia occultè ſubl ata à Patre, aliquid lucratus eſſet, bona lucrata eſſent profectitia, an aduentitia, dicendum eſt, eſſe aduentitia, licet obligetur ad lucrum ceſſans. Quo poſito.

R. Peccat mortaliter filius, qui notabilem quantitatem accipit de bonis parentum ipſis inuitis. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 13. & alij. Ratio eſt, quia accipit alienum inuito domino. Secundò, peccare filium mortaliter, qui pecuniam à Patre acceptam ad emendos libros, vel ad alium finem honeſtum impendit in res turpes, & vanas. Ratio, quia Pater cenſetur inuitus, cum dederit pecuniam ad finem honeſtum, aut ad emendos libros, &c. & non in res turpes.

Sciendum 2. non modo filium peccare mortaliter, qui pecuniam acceptam ob finem honeſtum expendit in res turpes, v.g. in commeſſationes, & ebrietates, &c. ſed etiam obligari ad reſtitutionem, & ſi non poteſt, ſi ſumma erit notabilis tenetur eam adducere in diuiſione hæreditatis, niſi fortè conſtet fratres tantundem expendiſſe, vel Patrem tales expenſas condonaſſe, vel illi talem pecuniam dediſſe abſolutè ad expendendũ, mandato tamen, vt illam expenderet in libris emendis, tunc non obligatur filius ad reſtitutionem, cum non peccauerit contrà iuſtitiam, ſed ſolum contra obedientiam, cum præterierit eius mandatum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 13. *num.* 77. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 156.

In quibus caſibus filius non peccet accipiendo de bonis Parentum.

BRACTEA XIV.

R. PLVRA eſſe caſus, in quibus poteſt aliquid ex bonis Parentum accipere abſq; peccato mortali. Primò, quando aliquid pro conditione ſtatus, & perſonæ accipit, dummodo acceptum iudicio Prudentum non cenſeatur notabile. Secundò ſi putet Patrem nõ eſſe inuitũ, & ſi rogatus eſſet facilè conceſſiſſet. Tertiò ſi accipit ad expendẽdũ more aliorum ſuæ conditionis in ludos honeſtos, eleemoſynam, & honeſtas recreationes. Quartò ſi ſurripiat ad ſubleuandam extremam neceſſitatem proximi, quia tunc Pater rationabiliter nõ poteſt eſſe inuitus. Quintò ſi habeat bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia, cum de illis poſſit diſponere. Sextò, ſi filius gerat negotia Patris ſui, poteſt pro ſuo labore tantum accipere, quantum Pater alij daret, cum filius non ſit peioris conditionis, agendo negotia Patris ſui, quam extraneus, niſi filius intendat illa facere gratis, quia tunc mutata voluntate non poteſt aliquid accipere. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12 *n.* 81. Ang. *verbo pecul n.* 11. & alij.

Sciendum, vt hoc licitè fiat, tria requiri: primò, vt filius expreſsè, vel tacitè oſtendat ſe velle aliquid lucrari: ſecundò, vt conſtet, Patrem non facturum id per ſe, neque inuenturum alium, qui hoc faciat gratis, aut minori pretio: tertiò, vt vſumfructum iſtius lucri, non ſibi vendicet filius ante mortem Patris, vel ante emancipationem. Ita Leſſius *loco cit.* *num.* 81. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 143. Reginald. *lib.* 20. *cap.* 2. *num.* 28.

Sciendum 2. Quod quando fertur excommunicatio contrà eos, qui furati ſunt bona alicuius, filij non compræhenduntur, niſi adſit ſpecialis clauſula, qua omnes coniunctim ſpeciatim contineantur.

An vxor accipiendo, vel dando de bonis mariti peccet peccato furti?

BRACTEA XV.

SCIENDVM bona coniugum eſſe in triplici differentia, quædam ſunt propria viri, vt ſunt quę à Patre accepit, vel hęreditate, & ea quæ propria induſtria, vel labore acquiſiuit, non concurrente vxore, quædam ſunt propria vxoris, vt bona paraphernalia, dos, quæ ei traditur ad ſuſtentanda onera matrimonij, per bona paraphernalia intelliguntur ſucceſſiones hæreditariæ, & ei legata, vel donata, quorum dominium, & vſusfructus eſt ipſius mulieris, vſusfructus dotis pertinet ad maritum: dominium ad ipſam mulierem. Bona communia ſunt, quæ lucrantur coniuges durante matrimonio, ſimiliter etiam fructus, qui proueniunt ex dote, & aris, lucrum autem acquiſitum ex turpi quæſtu, nimirum ex locatione corporis, non eſt commune, ſed ipſius vxoris, vt infra dicetur. Quo poſito.

R. Vxor, quæ ex bonis mariti accipit notabilem quantitatem peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem, dummodo præſumatur maritus inuitus. Ita omnes Doctores. Ratio, quia accipiendo, inuito marito cenſetur accipere rem alienam, ſicut

etiam peccat dãdo ex bonis mariti, vel ex illis, quorum ipſe vſumfructum habet. Si verò det de bonis paraphernalibus, vel ſibi legatis, vel hæreditate, & donatione acquiſitis non peccat, quia accipit rem, cuius dominium habet, & dat ea quorũ etiam habet dominium. Secundò vxor, quæ inſcio, & inuito marito aliquid accipit ex bonis communibus peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia bonorum communium adminiſtratio ſpectat ad maritum, & vxor ex illis dando vſurpat ſibi adminiſtrationem eorum, quæ non habet.

Sciendum 2. plures eſſe caſus, in quibus vxor de bonis communibus inſcio marito poteſt accipere. Primò ſi quantitas accepta, conſideratis amore, conditione mariti, & vxoris non cenſeatur notabilis, cũ vt dictum fuit maior quantitas requiratur in acceptione vxoris id conſtituendum furtum mortale. Secundò quando accipit id, quod maritus rogatus facilè conceſſiſſet. Tertiò quando accipit vt in extrema, vel graui neceſſitate poſito ſuccurrat. Quartò, vt elargiatur, vel faciat, quæ mulieres ſuæ conditionis, vel ſtatus ſolent elargiri, vel facere, vt v.g. ad faciendam moderatam eleemoſynam, ad ludendum ludo honeſto, cum nõ modo ſit obligatus maritus eam alere, ſed etiam præbere, quæ ſpectant ad honeſtam recreationem. Quintò ſi pro rebus neceſſarijs, vel pro familiæ ſuſtentatione accipiat: vnde excuſantur mulieres, quæ pecuniam accipiunt à marito, vel frumentum, aut vinum vendunt, vt quando maritus non prouidet rebus domeſticis ipſæ ex tali pecunia ſuccurrãt rebus neceſſarijs, vel filiorum vel etiam domeſticorum, & ſimiliter excuſari à peccato ſi aliquando interrogatæ à marito, an habeant pecuniam, negatiuè reſpondent, vt quam pecuniam habent ſeruent, vt prouideant domo. Sextò ſi maritus ſit amens, vel prodigus, aut diſſipator, quia adminiſtratio domus ad ipſam ſpectat, & per conſequens poteſt dare quæ maritus ſolitus erat dare, niſi aliter ſtatutum ſit per ius particulare loci. Septimò ſi Pater, vel Mater, vel proles prioris mariti ſint ita pauperes, vt indigeant auxilio illius, manifeſtata eorum miſeria marito, ſi nolit ſuccurrere poteſt ipſa, ſi non habeat bona paraphernalia ex communibus bonis eorum miſeriam ſubleuare, quia iure naturæ tenetur eos adiuuare, tenetur tamen vxor poſt mortẽ mariti referre in ſuam partem, quæ tradidit Parentibus in extrema neceſſitate poſitis. Similiter ſi vir aſſignauit vxori certam penſionem ad ſuſtentationẽ vitæ, ſed ipſa parcè viuendo totam non conſumpſit, quod reliquum eſt poteſt alteri dare abſque peccato. Vltimò poteſt aliquid dare ad impediendum damnum temporale mariti, vel etiam ſpirituale.

An vxor acquirat dominium eorum, quæ ſua induſtria acquirit?

BRACTEA XVI.

R. Vxorem acquirere dominium eorum, quæ ſua induſtria lucratur nendo, texendo, & faciendo alia opera ſimilia, cum ipſa dotem ſufficientem habeat ad ſui ſuſtentationem. Ratio, quia licet obligetur ad gubernationem domus, non tamen, cum habeat dotem ſufficientem ad ſui ſuſtentationem obligatur laborare manibus, cum ad ipſam non pertineat familiam ſuſtentare. Vnde laborando, ſi aliquid ſua induſtria acquirit, poteſt ſecretò ſibi reſeruare, & liberè donare cuicunque voluerit, quia ex eo quod eſt vxor non eſt peioris conditionis, quam ſerui, & ancillæ, qui ſicut acquirunt dominium mercedis, quam lucrantur laborando, ita & vxor acquirit dominium eorum, quę ſua induſtria lucratur, & poteſt acquiſita reſeruare, vel dare cuicunque voluerit. Secundo poſſe vxorem ſibi retinere ea, quæ turpiter acquiſiuit. Ratio eſt, quia maritus in illicitis acquiſitis ab vxore nullum habet ius. Tum etiam, quia huiuſmodi lucrum eſt odioſum marito, & per conſequens illi reſtituendum nõ eſt. Quod ſi dicatur, rem Domino fructificare, & per conſequens lucrum eſſe mariti, cum ipſe ſit dominus corporis vxoris.

R. 2. Maritum non eſſe abſolutè dominum corporis vxoris, ſed ſolum in ordine ad actus coniugales licitos. Quod etiam dicendum eſt de turpiter acquiſitis à filio, vel filia. Contrariam ſententiam ſequuntur Petrus Nauarrus *lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 136.* Sotus 4. *de iuſtit. quæſt. 7. artic. 2.* Reginald. *lib. 10. num. 195.* Molina *diſp. 94.* Ratio eſt, quia peccatum non debet delinquentibus patrocinari, ergo, &c.

An Religioſus accipiendo de bonis Monaſterij peccet peccato furti?

BRACTEA XVII.

R. Religioſum peccare peccato furti, qui in approbata Religione poſt votum paupertatis factum vſurpat ſibi res Monaſterij non neceſſarias in notabili quantitate. Ita Clauis regia *lib. 9. cap. 16. num. 21.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 9. quæſit. 1.* & alij. Ratio, quia ſine licentia accipiendo de bonis Monaſterij vſurpat ſibi dominiũ, & adminiſtrationem rerum, quod non habet.

Sciendum Religioſum profeſſum iure communi, & particulari ſuæ Regulæ, & ſtatuto Religionis carere quolibet dominio directo, & vtili poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione, vſufructu pecuniæ; rerum pecunia æſtimabilium. Nomine autem bonorum, quibus priuatur, in iure non ſolum intelligitur pecunia numerata, ſed etiam res immobiles, vel mobiles, iura, actiones, & aliæ obligationes. Azorius *loco cit.* Molina *tom. 3. tract. 2. diſp. 687. num. 1.* Secundò, Religioſum ſolum eſſe capacem vſus alicuius rei mobilis ſibi neceſſariæ, vt ſunt veſtes, libri, & ea omnia, quæ ad victum, & veſtitum ſunt neceſſaria, & ſi petita licentia ſuperior denegat vſum alicuius rei neceſſariæ non peccare Religioſum ſibi vendicando vſum illius rei, neque obligari eam reſtituere; cum ſuperior irrationabiliter cenſeatur inuitus, & Religioſus habeat ius ſibi ſuccurrendi, ita dictante iure naturæ, ſi verò non petita licentia vſurparet ſibi dominium alicuius rei neceſſariæ peccat, quia debet ſuas indigentias ſuperiori proponere, vt ab ipſo prouideatur. Si autem denegetur illi, quod neceſſarium eſt, ad cibum, victum, & ſalutem, tunc poteſt ſibi ipſe prouidere. Tertiò, Religioſum accipiendo de rebus Monaſterij in notabili quantitate, & ſine licentia, & ſine neceſſitate peccare mortaliter vſurpando ſibi dominium, & adminiſtrationem rerum non ſuarum, notabilis autem quantitas illa exiſtimatur, quæ omnibus conſideratis ſufficiens eſt ad peccatũ mortale. Similiter peccare mortaliter eũ, qui de rebus Monaſterij abſque licentia foras ſæcularibus largitur in notabili quantitate, ſiue res ſit conſumptibilis vſu, ſiue non, & per conſequens cũ recipiens receperit iniuſtè, & ab eo, qui non habet poteſtatem dandi obligatur ad reſtitutionem, niſi fortè præſumeretur, ſuperiorem Monaſterij non

fuiſſe

fuiſſe inuitum, vt præſumitur non eſſe in donatione eſculentorum familiaribus Monaſterij facta, præcipuè quando ipſa non accedunt ad valorem notabilem. An verò ad iuſtè dandum ſemper requiratur licentia particularis, an ſufficiat licentia generalis? Reſpondeo pro rebus minimis ſufficere licentiam generalem in rebus alicuius valoris requiri licentiã particularem.

R.2. Religioſus non peccat quoties, abſque licentia ſui ſuperioris rogat volentem aliquid ſibi donare, vt non ſibi, ſed ipſius conſanguineo donet. Ratio, quia non cenſetur alienare, cum non habuerit acquiſitum ius, cum non acceptauerit oblatum.

Sciendum tamen, quod Religioſus, qui offerenti gratias agit, non poteſt rogare, vt alteri donet, cum per gratiarum actionem acceptauerit, & per conſequens acquiſiuerit ius, cui amplius non poteſt cedere. Si verò vſus eſt ijs verbis, Ego non indigeo, ſi placet rogo, vt tradas meo conſanguineo, nõ peccat accipiendo intentione tradendi conſanguineo. Secundò, quæ Religioſus acquirit extrà Monaſteriũ v.g. prædicando, &c. non poteſt expendere, ſed ſũt Monaſterij. Ratio, quia quid quid acquirit Monachus acquirit Monaſterio, in caſu tamen neceſſitatis poteſt acquiſitum expendere, v.g. infirmitatis, &c. An poſſit expendere in libros, aut veſtes? Reſpondeo non poſſe abſque licentia, ſecus autem ſi in neceſſitate ſit habendi libros, aut veſtes, quia tunc poteſt, vt ſibi prouideat petita licentia, & denegante ſuperiore aliquid de Monaſterio ſine peccato ſurripere. A fortiori, poterit etiam expendere eleemoſynam datam in emendis libris.

An Religioſus, qui propoſuit ſuam indigentiam Superiori poſſit capere ſibi neceſſaria, quando Superior iniuſtè denegat?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmativa. Ratio, quia Superior cẽſetur irrationabiliter inuitus, & Religioſus habet ius ſibi ſuccurrendi ita dictante iure naturæ. Petrus Nauarrus *lib.3.de reſtit.cap.1 num.*195 Molina *diſp.*276. Clauis regia *lib.7.cap.*26.*n.*20 & alij Secundò non poſſe ſecretò Religioſum accipere aliquid à ſæculari abſque expreſſa, vel tacita licentia Superioris animo illud ſecretò retinendi, & de illo diſponendi. Ratio, quia ſe gerit in hoc caſu tamquã dominus, & habetur expreſsè in *cap.cum ad Monaſt. de ſtatu Monachorum.* Si verò acceptum erit res parua non erit peccatum illud accipere, & retinere. Ita Rodriquez *tom.3, quæſt.regular.quæſt.*29 *art.*10. Miranda *tom.*1.*manual.quæſt.*48.*art.*26. Ledeſma de *ſtatu Religioſi in communi, cap.*4. *concluſ.*3.*dub.*1. Sanchez in *decalog.cap.*19 *num.*45. Comeſtibilia, ſeu Medicinæ, aut veſtes poſſunt accipi, ſi ſuperior ea tenuerit dare. Ita Rodriquez *loco citato.* Sayrus *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 20. Sanchez *loco cit. num.*54. Ledeſma *loco cit.* & alij. Tertiò Religioſum peccare qui aliquid occultat ne Superior, vel alius in viſitatione illud auferat. Ratio, quia retinet rem inuito ſuperiore. Ita Siluellet *verbo Relig.*6.*quæſt.*7. Armilla *eodem verbo, num.*27. & alij, ſicut etiam peccat aliquid expendendo abſque ſuperioris licẽtia expreſſa, vel tacita. Ratio, quia exercet actum dominij. Ita Nauarr. de *reg.n.*23. Rodriq. *in ſum part.*2.*cap.*82.*concluſ.*3. & alij.

An ſeruus obligetur ad reſtitutionem fugiendo, aut aliquid ſurripiendo de bonis Domini?

BRACTEA XIX.

R. Servvs, qui ex contractu, & pacto debet ſeruire vſque ad determinatum tẽpus, peccat mortaliter cõtrà iuſtitiam fugiendo abſque rationabili cauſa: Ratio, quia in materia graui violat iuſtitiam, & pactum.

Sciendum plures eſſe cauſas, quarum ratione ſeruus poteſt ante determinatum tempus à Domino recedere. Prima eſt quando Dominus non dat illi neceſſaria ad victum: ſecunda quando illum percutit: tertia quando ipſe non obſeruat pacta in ſoluenda mercede, tunc ſeruus poteſt ante præfinitum tẽpus recedere, quia ſicut dominus non ſtat promiſſis, ita etiam nec ipſe obligatur ſtare, iuxta illud, frangenti fidem fides frangatur eidem.

Sciendum 2 quod ſicut ſeruus abſque iuſta cauſa non poteſt ante determinatum tempus à domino recedere, ita non poteſt etiam dominus abſque rationabili cauſa ante præfixum tempus ſeruum è domo expellere, quod ſi expellat peccat, & ipſe contra iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex iniuſta expulſione ſequuntur.

R. 2. Seruum non poſſe à domino recedere ante præfinitum tempus ex eo, quod inuenerit pinguiorem fortunam. Ita Clauis regia *lib.9.cap.*26.*num.*27. & alij. Ratio, quia obligatur ſtare contractui, vt ſicut dominus nõ poteſt expellere ſeruum ante præfinitum tempus ex eo, quod inuenerit meliorem, ita ſeruus non poteſt recedere ex eo, quod inuenit meliorem fortunam.

R.3. Peccare mortaliter ſeruum aliquid auferendo de bonis domini in notabili quantitate. Ita Nauarr. *cap.*17 *num.*138. Clauis regia *loco cit.* & alij. Ratio, quia accipiendo inuito domino peccat mortaliter, cum violet iuſtitiam.

Sciendum 3. Aliquando excuſari à peccato, quãdo ſucceſſiuè accipit clanculum victualia, dummodo in proprios vſus ea conuertat, quod ſi victualia accipit ad dandum, vel vendendum peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia quando victus ablatus conuertitur in proprios vſus, dominus cenſetur ſolùm inuitus quoad modum, nõ autem quoad ſubſtantiam, quãdo autem ablata dat, aut vendit eſt inuitus, & quoad modum, & quoad ſubſtantiam.

An ſeruus poſſit facere eleemoſynam de bonis Domini?

BRACTEA XX.

R. Negativa. Ratio, quia nullam habet adminiſtrationem bonorum domini. Ita S.Th. Ricardus in 4.*diſt.*15. *art.*2. *quæſt.* 6. Siluester *verbo eleemoſ.quæſt.*5.§.2. Excipiuntur tamen quinque caſus: primus ſi quis ſit in extrema neceſſitate: ſecundus ſi detur modicum quid, & raro: tertius quãdo adeſt conſenſus ſaltem interpretatiuus Domini: quartus quando probabiliter ſperatur ratihabitio: quintus, quando de portione aſſignata ad victum detrahitur aliquid per abſtinentiam.

Quædam dubia.

BRACTEA XXI.

AN Ancilla, quæ ſingulis diebus dat neſciante Domino modicam eleemoſynam peccet, & obligètur ad reſtitionem?

Reſpondeo peccate mortaliter, quando peruenit ad ſummam uotabilem. Ratio deducitur ex his, quæ ſuprà dicta ſunt. Secundò noo obligari ad reſtitutionem ſi eius dominus ſit talis conditionis, vt probabiliter credere poſſit, eum daturum licantiam, ſi ipſa petijſſet, ſi ſecus, obligatur ad reſtitutionem.

QuidamPeragrinus cum non haberet vnde poſſet in Patriam tedira, quędam furto accepit: quęritur an peccauerit mortalitet, & teneatur teſtituere.

Reſpondeo peccaſſe mortalitet, & obligari ad reſtitutionem, niſi fuiſſet io axtrema neceſſitata. Ita Nauarr. *de furtis conſil.6.*

Quædam muliet erubeſcens mandicata quotidiè viſitat amicam, & illi furatur patum panis: quæritur an peccaret mortaliter?

Reſpoudeo affirmatiuè, quando peruenit ad ſummam notabilem, uiſi probabiliter crederet, amicā eſſe coutentam, aut eſſat in extrema uecaſſitate. Nau. *loco cit. conſil.1.*

Quomodo fraudans vectigalia committat furtum?

BRACTEA XXII.

SCIENDVM 1. vectigalia imponi poſſa à Supremis Principibus, qui iu ſuo Principatum uullum agnoſcunt ſuperiorem, vt ſunt Imperator, Reges, Duces, &a. qui cum accipiant auctoritatem à Populo, & non ab alio ſuperiore, illiuſq; curam gerant equum eſt, vt à Populo exigant tributa neceſſaria ad ſuſtentationam dignitatis, & ſtatus, & ad regnum tueudum. Suarez da *legib.lib.5.cap.14.* Nauarr. *cap.24.num.61.* Toletus in *ſumm.lib.1. cap. 21.* Leſſius *lib.2.cap.33.dub.2.* & alij; Principes autam qui ſuperiorem coguoſcunt in temporalibus, non poſſunt imponete vectigalia, aut tributa abſque cooſenſu ſuorum ſuperiorum. Secundò ad iuſtè imponenda vectigalia, aut tributa requiri quaſdam conditiones. Primò, vt imponantur ab eo, qui legitimam habet auctoritatem impoueudi; ſecundò requiritur iuſta cauſa, qualis eſt oeceſſitas Principis, val magna vtilitas boni communis, &c. tertiò, vt ſeruetur proportio, & onera diſtribuantur iuxtà quantitatem facultatem, diuitiarum, & non magis grauentur pauperes, quam iuſtum ſiti quartò vt exigatur ſolū durante cauſa: quintò, vt impendantur eo modo, quo exiguntur, uimitum ob commuue bonum. Vnde non excuſantur à peccato Principes inſumentes vectigal, aut tributum exactum in prodigas largitiones, val in inutiles, & vanos ſumptus. Quibus poſitis.

R. Fraudantes vactigalia iuſtè impoſita pro marcibus peccant mortalitet, & obligantur ad reſtitutionem. Ita Leſſ. *lib.2.cap.33.dub.8.* Toletus *lib.5. c. 70.num.3.* Silueſter *verbo gabella*. Ratio, quia peccaut contrà iuſtitiam commutatiuam particularem. Tum quia Chriſtus docet, Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, Secundò non modo incolæ, ſed etiam exteri tenenter ſoluere vectigalia. Ita Suarez *lib.3.de legib.cap.33.num.13.* Molina *tom.3. diſput.688.* Medina de *reſtitutione, quæſt.17.* & alij.

Sciandum 2. quod ſi ab incola, vel extaro fraudentur vectigalia, receptor loco ipſorum non eſt obligatus ea ſoluere, cum ſit onus perſonala afficiēs tantū ipſum mercatorē. At verò ſi pro vectigali impoſitum ſit aliquota pars ipſius mercis, ita vt ex decima parte, vna ſoluatur pro vectigali, vt v. g. ſi ex decem meuſuris panni vna ſoluatur pro vectigali, & ex qualibet libra ſoluatur vna vncia, & ex rubio ſoluantur duæ libræ eiuſdem mercis, & ex pecoribus, quę ad loco ad locū tranſeunt vna pro centum ſoluatur, tala onus noo cenſatur perſonale, ſed reale, quod directè, & primariò ſpectat ad venditorem ſoluere. Varum ipſo non ſoluente ſpectat ad emptorem, cum ipſe exactor ius habeat ſuper quotam mercis, quæ venditur, verum tamao eſt, emptorem pro vēditore vectigal ſoluentē habare ius repeteodi ſolutū à venditore, & ſuper merces exequutio fieri poteſt, ſi ab ipſo venditore pretium ſolutum tecuperari non poſſit, cum merces tranſeant ad emptorem cum tali onere, & licet onus ſoluendi vectigal in omnibus bonis venditoris habeat hypothecam, ſpecialiter habet ſuper res venditas.

R. 2. Fraudantes vectigalia pro rebus ad vſū quotidiauum ſpectantibus excuſari poſſunt à peccato mortali, & ab obligationa reſtitutionis. Ita Nauarr. *cap.33.num.58.* Leſſius *dub.7.* Molina *diſp.669.* & alij. Ratio eſt, quia huiuſmodi exactio uimis dura videtur, & plus grauantur ſubditi, quam grauari debeant.

Sciandum 3. quod licet iuſtè non poſſit Princeps imponare vactigal, niſi præſumat cauſam imponendi eſſe iuſtam, & hic, & nunc habere iuſtum ius impouandi tale vectigal, ſiue tributum, tamen quādo dubitatur de iuſtitia vectigalis ſoluendum aſt, cum teneantur ſubditi obedire ſuo ſuperiori, & in dubijs præſumendum ſit in fauorem ſuperioris, ſed ſi non erit dubium, ſed opinio probabilis, non fuiſſe iuſtè impoſitum, tunc opinioni probabili poteſt ſe accōmodare. Tum atiam, quia in dubijs melior eſt cōditio poſſidentis. Secundò poſſe ſubditum ſine peccato fraudare vectigal, ſiue tributum in compenſationem alicuius crediti, cuius non poteſt ſolutionē à Principe obtinere, dummodo compenſatio uon redundet in damnum alterius perſonæ, vt quando exactio vectigalis, ſiue tributi per contractum emptionis in alium transfertur, quia tunc in præiudicium tertiæ perſonæ non potaſt fieri compenſatio.

An Clerici ſint immunes à vectigalibus, tributis, & alijs oneribus?

BRACTEA XXIII.

RIVRE communi Claricos eſſe immunes à vectigalibus, tributis, & alijs onaribus, quę Princeps ſuis ſubditis imponere poteſt. Quod non modo intelligēdum eſt de Clericis ſacris initiatis, verum atiam de conſtitutis in minoribus, vel ſolum initiatis prima tonſura, dummódo incedant cum touſura, & habitu Clericali, & de mandato Epiſcopi aſcripti ſint ſeruituti alicuius Eccleſiæ, &c. aut habeant beneficium iuxtà Tridentini Decretum *ſeſſ.23.cap.6.* niſi per priuilegium aliter ſit receptum, vt habetur *cap. quamquam de cenſibus in 6. &*

leg.

leg. Presbiter C. de Epiſc. & Cler. & ex Bulla Cœnæ *excommunic.* 18. Ita Couar. *cap.* 31. *practicar. quæſt. num* 9. Quaranta *verbo vectigal* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 2. *n.* 27 & alij. Clerici autem coniugati gaudent ſolum priuilegio Canonis, dummodo non ſint bigami bigamia reali, aut interpretatiua, & deferant habitum Clericalem, & Tonſuram.

Sciendum eſſe aliquos caſus, in quibus Clerici tenētur ſoluere vectigalia, & tributa, &c. Primus, quādo Clericus aſſumpſit habitū Clericalē, non animo perſeuerandi, ſed in fraudem, ne ſcilicet ſi luat vectigalia, tributa, & alia onera. Secundus, quando negotiationem exercet, quia tunc de rebus, quas negotiationis gratia aduehit tenetur ſoluere vectigal, tributum, &c. non autem de rebus, quas ipſe colligit, & deinde illarū non indigens vendit, ſimiliter etiam de ijs, quas ad ſuſtentationem propriæ familiæ emit, & deinde quia illis opus non habet vēdit, quia hoc modo non cenſetur negotiari, cum negotiari propriè ſit rem emere intentione eandem vendendi chariùs. Tertius eſt, quando Clericus acquirit bona affecta onere ſoluendi cenſum, vel tributum antiquum, & inuariabile, &c. quæ ob bonū commune imponuntur. Quæ ſi imponantur ſolum in vtilitatem Laicorum, tunc non ſunt cogendi Clerici ad ſoluendum tributum, aut taleas tali fine impoſitas. Et quando Clericus obligatur iuſta cauſa ſoluere tributum ob bonum æquè commune ſibi, & Laicis, Principem ſæcularem non poſſe per ſe ipsū, aut per ſuos deputatos eum compellere ad hæc tributa, vt benè ait Molina *diſp.* 672. niſi accedat auctoritas ſuperioris Eccleſiaſtici, cum non habeant vim coactiuam, ſupra Clericos, quamuis poſſint in bonis, quibus eſt annexum onus ſoluendi tributū exequutionem facere, cum huiuſmodi res nō ſint ex ea parte exemptæ. Molina *diſp.* 670. *vſque ad diſp.* 674. *&* *diſp.* 342. Leſſius *lib.* 8. *cap.* 33. *dub.* 4. *&* 5. Hugolin. *de cenſur. Papæ reſeruatis cap.* 18. § 3. Silueſter *verbo immunitas* 1. *num.* 14. Lopez 2. *part cap* 40. Quaranta *verbo vectigal* Rodriquez 2 *part. cap.* 73. *num.* 13. *&* 14. Non tamen cogendum eſſe Clericum ad ſoluendum tributum de nouo impoſitum pro emptione grani, vel vini in familiæ ſuſtentationem, vel pro introductione eorundem, &c. in Ciuitàte pro ipſius ſuſtentatione, nec etiam ſi fructus vendat collectos ex proprio agro, ſecus autem ſi vendat perceptos ex agro alieno, quem conduxit, & coluit per operarios, vt fructus inde perceptos venderet, cum hoc ſit genus negotiationis prohibitū Clericis. Ita Molina *diſp.* 342. *num.* 7. Quaranta *loco cit.* Secus ſi hoc faciat ad ſuæ familiæ ſuſtentationem, vel ſuccedat conductori, quia tunc poteſt permanere in conductione, donec finiatur locationis tempus. Item Clericus non poteſt cogi ad ſoluendum augumentum pretij ſalis, aut carnis, vel alterius rei vſnalis, & ad victum neceſſariæ ad ſuſtentationem ſui ſuæq; familiæ, quia tale augmentum cenſetur nouum tributum, ad quod Clerici non tenentur, nec etiam poſſe cogi ad hoſpitando milites in ſuis Ædibus, nec etiam ad contribuendum aliquid alijs, qui eos hoſpitantur, nec farrum, aut pecuniam, aut quid ſimile. Similiter in obſidione Ciuitatis non poſſunt cogi ad laborandū ad faciendas circumuallationes, vel ad egrediendū armati contra inimicum obſidentem Ciuitatem, aut armati circuire Ciuitatem, aut manere in aliquo loco armati ad ipſam defendendam, ſeu facere excubias, aut alia onera militis, quando in ipſa Ciuitate obſeſſa adſunt militea, qui commodè poſſunt hæc facere, vel Ciues eiuſdem Ciuitatis, cum ſoli Clerici, & Religioſi teneantur armati defendere Ciuitatem obſeſſam in defectum militis, & Ciuis, cæteris verò temporibus ipſam adiuuare tenentur ſacrificijs, & orationibus. Ratio, quia Clericus non obligatur, niſi in defectum ſæcularis, cum iure Canonico ſit prohibitū Clericis bellum gerere. Sotus *lib.* 1. *n.* 1. *art.* 1. & alij.

R. 2. Imponentes, & exigentes vectigalia, tributa, & gabellas, vel alia onera ab Eccleſiaſticis, vel eorum bonis incurrunt in excommunicationem XVIII. latam in Bulla Cœnæ Domini, & in excommunicationem latam in *cap. quamquam* nemini reſeruatam.

Sciendum 2. non modo incurrere cenſuram latā in Bulla Cœnæ Domini imponentes, & exigentes, verum etiam auxilium, fauorem, & conſilium dantes ad eiuſmodi onera imponēda, & qui aliquo modo cooperatur in impoſitione, & exactione illorum directè, vel indirectè per ſe, vel per alios. Secundò non modo incurrere in excommunicationem latam ſi directè imponuntur vectigalia, tributa, &c. perſonis Eccleſiaſticis, vel eorum bonis, animalibus, &c. verum etiam ſi imponātur colonis, & animalibus eorum, &c. cum talis impoſitio vertatur in damnum, & præiudicium Eccleſiaſticorum, quia vt ſic indirectè grauantur Eccleſiaſtici. Burſat. *conſil.* 42. *num* 15. Ancaranus in *cap quamquam de cenſibus*, & alij. Quod ſi Coloni, vltrà bona Eccleſiaſtica, quæ tenent habent etiam bona propria ſuo nomine allibrata, tunc non excuſantur ab onere ſolutionis ratione dictorum bonorum. Rebuff. in *leg.* 1 *num* 2. *&* 3. & Bartolus *num.* 1. *C. de agricolis*, & alij. Tertiò imponentes, & exigentes incurrere excommunicationem latam in Cęna Domini, ſi exigant tributum impoſitum, ab Eccleſiaſtico etiam ſponte datū. Si verò non ratione tributi, &c. accipiant aliquid ab Eccleſiaſtico ſponte datum non incurrunt in excommunicationem latam in Cœna Domini, ſed in *cap quamquam*, à qua ab Epiſcopo poſſunt abſolui, vt Cuſtodes Pontis fluminis, &c. qui aliquid petunt, & exigunt ab Eccleſiaſticis.

R. 3. Emphiteotam, qui bona Eccleſiaſtica in emphiteuſim accepit, teneri ad collectam, dum onera fuerunt impoſita pro domino vtili. Ratio, quia bona Eccleſiaſticorum conceſſa in emphiteuſim non ſunt Eccleſiaſticorum, quoad dominium vtile, quia in laicum fuit tranſlatum, & conſequenter ad ipſum pertinent fructus, vnde tam fructus, quam dominiū vtile ſubijcitur Iuriſdictioni Principis ſæcularis. Ita plures citati apud Belletrum *diſquiſ. Clerical. Tit. de exempt. Clericor.* §. 8 *num* 5. Bonacinam de cenſuris in Cœna Domini *diſp.* 1. *quæſt.* 19 *pun.* 3. §. 1 *num.* 9. modo id fiat ſine damno domini directi, quia alioquin ipſe indirectè grauaretur, & etiam minori onere grauentur propter onus Canonis. Quando autē ex impoſitione collectarum pro domino vtili grauatur dominus directus, nullo modo poteſt fieri. Et ita auctores citati.

Quomodo cudens monetam falſam, vel bonam abſcindens, peccet peccato furti?

BRACTEA XXIV.

SCIENDVM, quod nummus hominum impoſitione, ac lege propter neceſſitatem introductus fuit, vt eſſet rerum omnium, quibus indigemus certa æſtimatio; electa eſt autem materia metalli, auri, & argenti, quæ olim rudi, & non ſignata maſſa appendebatur, poſtea verò impreſſi ſunt figura pecudis: vnde pecuniæ dictæ fuerunt, ſucceſſu autē

tempo-

temporis ad augendam auctoritatem ipſius pecuniæ loco pecudis imago Principis impreſſa fuit. Secundò, quod pecunia publica auctoritate cuſſa nō modo habet vim in commutationibus, ſeu emptionibus ex pretio ſuo, ſed etiam ex æſtimatione, lege publica impoſita, fundamentum autem æſtimationis, ſeu iuſti nummi eſt bonitas metalli, & pondus, quæ demonſtrantur ab impreſſa figura Principis, cui debet reſpondere bonitas intrinſeca metalli, alioquin talis moneta æſtimabitur. Tertiò, valorem monetæ deſumi partim ex bonitate intrinſeca ipſius metalli, auri, & argenti, ſeu æris, partim etiam ex cōmuni hominum æſtimatione ipſius monetæ, quæ expectatur non reſpectu vnius Regionis, vel Prouinciæ, ſed cuiuſcunque gētis, vbi habetur commerciū, & negotiatio, Vnde licet in vna Prouincia cudantur ducati, ſeu libræ, & admixtione æris, ſeu alterius metalli vitietur eius intrinſeca bonitas, manente tamen per edictum impoſitus valor, vt valeat quanti alter, qui non fuit ex admixtione vilis metalli vitiatus. Quartò ad iuſtam monetam tria requiri: primò legitima cudendi auctoritas: ſecundò, materiæ bonitas, ſeu integritas: tertiò iuſtum pondus materiæ. Ita Silueſter *verbo falſarius quæſit. 7.* Petrus Nauarrus *lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 13.* & alij. Quibus poſitis.

R. Qui falſam monetam cudit, vel pondere iniquo, vel materia adulterina, peccat mortaliter peccato furti, & obligatur ad reſtitutionem. Ita colligitur ex *cap. quando de iure iurando, & leg. 3. C. de veter. numiſmat.* Silueſter *loco citato*, & alij. Secundò, qui monetam cudit abſque legitima auctoritate peccat mortaliter. Ratio, quia tale hominis factum continet dolum, & iacturam Principis, quia eius ius vſurpatur, & efficitur, vt eius monetæ non tanto numero expendantur. Tertiò, qui de iuſto pondere monetæ aliquid abſcindit, vel radit peccat mortaliter peccato furti, & obligatur ad reſtitutionem. Ita communiter omnes. Ratio, quia peccat contra iuſtitiam, & cenſetur cauſa iuſta damni, quia monetæ publicæ priuata auctoritate detrahit cum damno Communitatis. An peccent contra iuſtitiam, qui meliores, & ponderoſiores nummos ſeligunt, & alios loco illorum expendunt? Reſpondeò negatiuè, dummodo publicam monetam non peruertant, aut permutent, quia nullus videtur dolo facere, qui ſuo iure vtitur. Tertiò qui pecuniam falſis metallis, vt v. g. plumbo, ſtamno, ære tingunt colore aureo, & argenteo peccant mortaliter peccato furti, & obligantur ad reſtitutionem damni ſequuti. ex *leg. Cornelia*; & ita Silueſt. *quæſt. 6.* Couar. de *collat. veter. numiſmat. cap. 8 num. 4* Nau. *cap. 17. nu. 163.* Molina *tract. 2. tom. 3. diſp. 702 nu. 9.* & alij; & ſi bona fide, ſeu ignoranter expenderit tenetur reſtituere ei, qui læſus fuit. Ita Molina *loco cit. diſp. 702.* Petrus Nauarr. *lib. 3. cap. 1. num. 312.* Quartò, qui pecuniam ſtamni, plumbi, aut æris colore argenti, vel auri tinctam ſcienter expendit peccat mortaliter peccato furti, & obligatur ad reſtitutionem. Ita auctores citati, & ex *leg. cornelia de falſis*, Petrus Gregor. Toloſanus *lib. 3 ſintagmat. cap. 3.* Ratio, quia inferens damnum peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti, & qui expendunt ſcienter, ſeu etiam ignoranter falſas monetas, vel eas abſcindunt inferunt damnum Communitati, & priuato ergo obligantur ad reſtitutionem.

Sciendum dubium eſſe, an Princeps ſine peccato poſſit mutationem facere in moneta circa intrinſecum ipſius valorem aliquid diminuendo de pondere, aut deteriorem materiam admiſcendo, aut circa extrinſecum valorem decernatur maiori pretio expendendas eſſe, quam ſit intrinſecus eorum valor? Ad quod ſecundum communem ſententiam Doctorum reſpondeo poſſe, ſed requiri Populi conſenſum, quia pecuniæ vſus, & commoditas debet eſſe publica. Tum quia ob mutationem intrinſecam valoris ipſius monetæ admiſcendo materiam deteriorem, vel diminuendo pondus, vel augendo pretium infertur Populo magnum damnum. Vnde ne Princeps peccet, requiritur conſenſus ipſius Populi. Secundò ad hoc, vt Princeps poſſit intrinſecè, & extrinſecè mutationem facere in moneta non requiritur conſenſus Populi in particulari, ſed ſolum maioris partis magnatum, quia in talibus rebus cōſenſus maioris partis magnatum cenſetur conſenſus omnium. Secundò requiritur neceſſitas in Principe faciendi mutationem intrinſecè, vel extrinſecè in moneta, quo tempore, poteſt etiam abſque Populi conſenſu intrinſecè, & extrinſecè mutationem facere in moneta, vt v. g. tempore belli, ſi pecuniæ deſint poteſt augere pretium illarum, vel cudere nummos æreos pro argenteis, & aureis expreſſos eodem valoris ſigno cum implicito pacto crediti, vt quicūque finito bello tale ſignum attulerit detur ei bonus nummus aureus, vel argenteus pro æreo. Tertiò grauiſſimè peccare Principem, ſiue Magiſtratum ſi abſque neceſſitate, ſeu ob vtilitatem propriam intrinſecè, vel extrinſecè mutationem faciat in moneta. Ita Cou. *loco cit. c. 7. n. 6.* & alij.

An Princeps poſſit alijs permittere ius cudendi monetam?

BRACTEA XXV.

R. Svpremvm Principem, ſeu Magiſtratum, poſſe alijs concedere ius cudēdi monetam, ſicut, & alia regalia, ſed debet in ea re modum ſeruare, ne tale priuilegium vertatur in damnū tertij. Secundò inferiores Duces, ac magnates, qui ex Imperatoris priuilegio habent ius cudendi monetam non poſſunt hoc ius alijs concedere, vēdere, aut locare, quia huiuſmodi priuilegia ſunt ſpecialia perſonarum, quæ alienari nequeunt.

Sciendum dubium eſſe, an quando mutatur valor monetæ damnum, aut lucrum ſit debitoris, vel creditoris? Ad quod pro maiori intelligentia ſciendū eſt, quod ſicut duplex eſt valor, vnus intrinſecus, qui attenditur ſecundum materiæ qualitatem, & pondus, & alter extrinſecus, ita duplex mutatio pecuniæ fieri poteſt, vna ſecundum intrinſecum eius valorem, altera ſecundum valorem, ſeu æſtimationem extrinſecam. Vnde reſpondeo ſi valor monetæ ſtatuto Principis varietur, & pactum ſit de ſoluēdo in auro, & argento ita ſoluendum erit, ſicut etiā pactum de ſoluenda pecunia ſub certa æſtimatione erit ſeruandum, ſicut etiam quando dubitantes de veriſimili incremento, vel decremento exponere ſe voluerunt contrahentes æquali periculo, & ſpei perdendi, & lucrandi, reddendi enim ſunt quot fuerūt promiſſi, vel eorum æſtimatio ſecundum valorem tempore ſolutionis. Secus autem, quando non eſſet dubium. Secundò ſi pecunia promiſſa mutetur quoad valorem intrinſecum ſoluenda erit ſecundū valorem antiquum tempore contractus. Tertiò variatio pecuniæ, ſiue quoad intrinſecum, ſiue quoad extrinſecum valorem ſi fiat poſt moram culpabilem in ſoluendo nocet moroſo debitori, *leg. 3. de actione emptionis*, Bartolus, & Legiſta in *leg. Paulus, & leg. cū*

quid

quid §.1. *ſi certi.* Canoniſtæ *cap. quanto de iureiurando*, ſi verò ante moram, non habetur ratio. Quartò, ſi nullum pactum tacitum, vel expreſſum factum eſt circa incrementum, vel decrementum, & debeat ſolui quantitas pecuniæ in certa nummorum ſpecie ea facienda erit ſecundum æſtimationem tẽpore ſolutionis. Bartolus in *leg. Paulus*, Couar. *in leg. de monet. cap. 7. §. vlt. num.* 5. Quintò, ſi ab initio nihil expreſſum eſt de pecunia certæ materiæ, & formæ, nec de incremento, & decremento ſolui debet valor, quem pecunia habuerit tempore talis contractus, diſpoſitionis, teſtamenti, penſionis, tributi, ſalarij, vel pœnæ pecuniariæ per legem ſtatutæ, ſiue eius pecuniæ valor poſteà lege venerit, vel decreuerit. Ita Couar. *loco citato, num.* 3. Sotus *lib. 6. de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 2. & plures alij.

MALLEATIO XLI.

De Reſtitutione ratione damni dati, & furti.

Quomodo, qui eſt cauſa damni, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA I.

SCIENDVM damnum aliquando inferri ſine culpa inferentis: primò, quia inferens damnum non eſt capax culpæ, vt infantes, furioſi, &c. vel quia adeſt iuſta cauſa inferendi damnũ, vt quando domus proximi igne correpta deſtruitur, vt alia vicini ſeruentur, aut quando tempore peſtis comburuntur mobilia, de quibus dubitatur, an ſint infecta, & per conſequens quod alios poſſint inficere, & aliquando etiam deſtruuntur ob publicam auctoritatem, interdum verò damnum infertur aliqua culpa inferentis, quæ duplex eſt, vna Theologica, & altera iuridica. Culpa Theologica eſt ipſum peccatum mortale, aut veniale, iuridica eſt omiſſio diligentiæ, quam quis adhibere tenetur, & hæc triplex eſt lata leuis, & leuiſſima. Culpa lata eſt omiſſio illius diligentiæ, quam homines illius conditionis ſolent adhibere, culpa leuis eſt omiſſio illius diligẽciæ, quam homines diligenciores illius artis ſolent adhibere, culpa leuiſſima eſt omiſſio diligentiæ, quam hominis diligentiſſimi adhibent. Quo poſito.

R. Qui ſua culpa Theologica eſt cauſa alicuius damni, peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem. Ita communiter omnes. Ratio, quia cenſetur cauſa damni, & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. An obligetur ad reſtitutionem ante iudicis ſententiam, an poſt? Reſpondeo obligari ante iudicis ſententiam. Damnum autem, cuius abſque culpa Theologia fuit cauſa, non obligatur reſtituere, niſi poſt iudicis ſententiam. Rebellus 2. *part. lib.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 13. Azorius 3. *part. lib.* 9. *cap.* 8.

Sciendum, quod quando quis culpa Theologica, non mortali, ſed veniali eſt cauſa alicuius damni, nõ obligatur ad reſtitutionẽ totius damni ſequuti, ſed ſolum ſecundum aliquã proportionẽ ad cauſam damni, vt v.g. qui dicit aliquod verbum, non cum tota aduertentia, & conſideratione, quæ requiritur, quo ſequuta ſunt mala, & damna, non obligatur ad totalem reſtitutionem damnorum, ſed ſecundum aliquam proportionem, vt dictum fuit. Secundò, qui culpa iuridica eſt cauſa alicuius damni, non obligatur ad reſtitutionem ſecluſo pacto ante ſententiam iudicis. Ita Molina *diſp.* 698. *num.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. *num.* 26. Azorius *lib.* 3. *tom.* 3. *cap.* 7. & alij.

An qui infert damnum conſentienti peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA II.

R. Inferentem damnum conſentienti abſolutè, & ſimpliciter, nõ obligari ad reſtitutionem. Ratio quia, conſentienti nulla fit iniuria.

Sciendum dupliciter poſſe aliquem conſentire in damnum: primò abſolutè, & ſimpliciter: ſecundò ſecundum quid. Ille dicitur conſentire abſolutè, & ſimpliciter, qui voluntate totaliter libera conſentit in aliquem effectum, ille verò dicitur conſentire ſecundum quid, qui licet conſentiat, tamen conſentit, quia aliter non poteſt facere, v.g. ratione metus, vis, reuerentiæ, vt qui ſoluit vſuras, non dicitur liberè, & abſolutè in vſuris conſentire, ſed ſecundum quid, eo quod vſurarius non eſſet conceſſurus mutuum, niſi ſub vſuris. Idem dicendum de viatore, qui abſolutè non conſentit in dationem pecuniæ latroni, ſed ſecundum quid, quia aliter ab eius manibus nõ poteſt euadere. Vnde accipiens obligatur ad reſtitutionem, cum non acceperit à liberè dante, abſolutè, & ſimpliciter. Quod ſi quis liberè, abſolutè, & ſimpliciter conſentiat in damnum ſui ipſius, Inferens damnum non peccat contra iuſtitiam particularem, cum liberè conſentiat, & conſentienti nulla iniuria, & non obligatur ad reſtitutionem damni, cum reſtitutio oriatur ex violatione iuſtitiæ particularis, quæ in tali caſu non violatur cum abſolutè conſentiat. Vnde ſtuprans virginem conſentientẽ ad nihil tenetur, cum ipſa conſentiat in ſtuprum. Similiter committens adulterium, viro conſentiente ad nihil tenetur, cum vir conſentiat, & ſi quis occiderit aliquem conſentientem abſolutè, ad nihil tenetur, licet violet iuſtitiam generalem, & iniuriam, faciat Reipublicæ, cui iuri particularis non poteſt cedere. Vnde ſi quis percuſſerit Clericum conſentientem ligatur excommunicatione, cum Clericus conſentiendo, non poſſit cedere priuilegijs Eccleſię, & Clericorum, & percuſſio ſit ordinata in iniuriam Eccleſiæ, & Clericorum.

An qui dubitat ſua actione, vel omiſſione, fuerit cauſa damni, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA III.

R. QVI dubitat an ſua actione, vel omiſſione efficaciter operatus ſit damnum alterius non obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib* 2. *cap.* 13. *dub.* 4. *num* 38. Rebellus *lib.* 2. *quæſt.* 24 *ſect.* 2. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 41. Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 71. & alij. Ratio, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.

Sciendum, dubium poſſe eſſe æquale, vel inæquale: ſi dubium ſit æquale, ita vt æqualiter dubitet, an ſua actione, vel omiſſione fuerit cauſa damni, tunc dubitans ad nihil tenetur. ſiue ſit cauſa magis principalis, ſiue minus principalis, quia vt rectè docet D. Thomas tunc ſolum inde quemquam teneri cum proba-

probabiliter exiſtimari poteſt, quod fuerit iniuſta acceptio ſubſequuta, nec ſe exponit periculo peccādi non reſtituendo, quia cum eo dubio ſpeculatiuo ſtat certitudo practica, quod licitum ſit non reſtituere iure poſſeſſionis, iuxtà regulā iuris in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Si verò inæqualiter dubitet, & magis inclinet incurriſſe ad aliquod damnū v.g. in damnū percuſſionis, ſeu occiſionis ratione alicuius conſilij dati, tunc ad ratam dubij obligatus eſt reſtituere cui dānū dedit, vel quibus fuit cauſa dāni. Quod ſi dubium erit æquale circà damnum, ſed inæquale circa maius, vel minus, v. g. ſi æqualiter dubitet de damno Petri, ſed inæqualiter an voluerit ipſum occidere, an verò ſolum percuti, & magis inclinet in minus malum, tunc in fauorem ipſius eſt dicendum, & per conſequens ad obligationem minoris damni obligandus erit. Vnde qui æqualiter dubitat an ſua culpa depoſitum perierit non obligatur ad aliquam reſtitutionem, quia in æquali dubio poſſeſſio ſtat pro libertate ipſius. Similiter, quando plures milites domum alicuius, & vnus illorum commiſit furtum alijs ignorantibus, ſed dubitatur quinam ſit ille, ſunt obligandi ad reſtitutionem ad ratam dubij maioris, vel minoris, nam poſſeſſio ſtat pro facto, cum ſit dubium facti, quod cōſtat ab aliquo illorum eſſe patratum, ſed dubitatur quiſnam ſit, & non ſit potior, ratio cur vnus obligetur, & alter non. Reginald. *lib.* 10. *tract.* 2. *nu.* 120.

An fur obligetur ad reſtitutionem ſi res furtiua apud ipſum pereat?

BRACTEA IV.

SCIENDVM quatuor eſſe, quę conſtituunt poſſeſſorem in mala fide: primum eſt ignorantia craſſa, aut ſupina, qua emptor rei furtiuæ ignorabat eam eſſe talem: ſecundum eſt dubietas, quando talis poſſeſſor incipit dubitare, an res quam bona fide ſit ſua, vel aliena: tertium eſt, quando realiter ſcit eſſe alienam rem, quam poſſidet: quartum eſt ignorantia iuris, quam emptor credit rem eſſe furtiuam, emptionem tamen licitam. Quo poſito.

R. Fur, vel iniuſtus poſſeſſor rei alienæ obligatur ad pretij reſtitutionem rei, quæ apud ipſum perijt, & apud dominum contingenter peritura erat. Ita Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 74 Rebellus 1. *part. lib.* 2. *quæſt.* 7. & alij. Ratio, quia iniuſta ſua detentione cenſetur cauſa efficax damni, quia fieri poteſt, vt ſi poſſeſſor malæ fidei rem non abſtuliſſet, vel iniuſtè detenuiſſet, dominus rem ſuam incolumem ſeruaſſet. Tum etiam, quia, qui eſt in mora reſtituendi tenetur de caſu fortuito.

Sciendum 2. quod res apud furem detenta dupliciter poteſt perire: primò contingenter: ſecundò neceſſario. Quæ contingenter apud furem perit, quæ etiam apud Dominum contingenter peritura erat obligatur reſtituere ratione iniuſtę detentionis, cum iniuſtè detinens rem alienam obligetur de caſu fortuito, & contingenti, vt v.g. ſi vitulum, vel pullum equinum alteri abſtuleris, ſi apud te contingēter perit, quia tibi ab alio ſublatus fuit, vel alio caſu fortuito perijt, quo etiam apud dominū perijſſet, nihilominus obligaris ad reſtitutionem ratione malæ acceptionis, & iniuſtæ detentionis. Si verò apud dominum certò, & infallibiliter perituri eſſent, cum ſint mortui morbo, quo etiam certè apud dominum perijſſent ad nihil teneris, niſi in aliqua re ſis factus ditior, & locupletior, deductis expenſis, quia ſi ad aliud eſſes obligatus, eſſet ratione iniuſtæ acceptionis, vel detentionis; ſed iniuſta acceptio, ſiue retentio non obligat ad reſtitutionem, niſi ob damnum ſequutum, quod in iſto caſu non eſt, cum certò, & infallibiliter etiam apud dominum perijſſent Rebellus 1. *part. lib.* 2. *quæſt.* 7. Nauarr. *cap.* 17. *nu.* 8. Em. Sà *verbo reſtitutio*, & alij. Secundò, quod ſi quis furatus eſſet equum alteri, quem certò, & infallibiliter ſi ipſe non eſſet furatus alter accepiſſet, non ex hoc excuſatur à reſtitutione, ſed eſt obligatus reſtituere pretium equi, ſi apud ipſum perijt, quia furans agit contra iuſtitiam auferendo rem alienam, & domino infert damnum, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem, & ſi alter ipſum abſtuliſſet, eſſet etiam obligatus ad reſtitutionem. Qui verò aufert rem, quæ caſu, vel alia ratione certò moraliter erat apud dominum peritura ad nihil tenetur, cum non cenſeatur cauſa efficax damni, licet auferendo mortaliter peccauerit, tamen non obligatur ad reſtitutionem. Vnde qui alteri abſtulit veſtem, pecuniam, vel frumentum, quæ certò apud dominum peritura erant, vel per combuſtionem domus, vel per aliud ſimile accidens, ad nihil tenetur, quia per ablationē non cenſetur cauſa efficax damni, cum ablata, vt ſuppono combuſta fuiſſent, vel alia ratione perijſſent. Si verò certò non peritura erant apud dominum, ſed ſolum dubioſè, obligatur ad reſtitutionem cum in dubijs melior ſit conditio poſſidentis.

An poſſeſſor malæ fidei obligetur ad reſtitutionem rei, quæ apud ipſum conſeruatur, licet apud dominum perijſſet?

BRACTEA V.

R. Furem obligari ad reſtitutionem, rei quæ apud ipſum conſeruatur, licet apud dominum perijſſet. Ita communiter omnes. Ratio, quia quiſque obligatur reſtituere alienum ratione rei acceptæ, ergo, &c.

Sciendum furem, qui rem iniuſtè ablatam, vel retentam domino obtulit, vt eam reſtitueret, ſed dominus noluit eam accipere, ſed ipſum rogauit, vt rem ipſam pro aliquo tempore conſeruaret, ſi intrà illud tempus illa perijt non obligatur fur ad nouam reſtitutionem rei, quæ apud ipſum caſu, & inculpabiliter perijt. Siluester *verbo furtum, quæſt.* 16. Reginaldus *lib.* 10. *tract.* 2. *num.* 66. Medina *de reſtit. quæſt.* 2. *dub.* 4. & alij. Secus autem dicendum ſi culpa furis perierit, quia ratione culpę obligaretur ad reſtitutionem, ſicut etiam obligaretur, ſi eſſet in mora reſtitutionis, cum poſſeſſor qui eſt in mora obligetur ad reſtitutionem. Vnde venator, qui ſegetes alicuius venando deuaſtauit, quæ poſteà ante meſſem per ſuperuenientem tempeſtatem totaliter diſſipatę fuerunt, non obligatur ad reſtitutionem, cum non cenſeatur cauſa efficax damni, cum certò deuaſtatę fuiſſent per tempeſtatem. An verò obligetur ad reſtitutionem damni ſequuti, qui occidit hominem, paulò poſt ab alio occidendum? Reſpondeo affirmatiuè, cum cenſeatur cauſa efficax damni, nec excuſari à reſtitutione ex eo, quod alter eum occidiſſet, quia ille etiam obligaretur ad reſtitutionem. Secus autem dicendum ſi quis occiderit hominem, paulò poſt ob ſua delicta, occidendum à Iuſtitia, quia non cenſetur cauſa efficax damni, cum certò à iuſtitia occidendus fuiſſet.

R. 2. Qui bona fide rem alienam accepit non obligatur ad reſtitutionem ipſius, quæ ſtante bona fide

apud

apud ipſum perit, niſi in eo, in quo ditior, & locupletior eſt factus. Ita Petrus Nauarrus *lib. 4. cap. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 15. num. 98.* Em. Sà *verbo reſtitutio*, Clauis regia *lib. 10. tract. 5. cap. 8.* & alij. Ratio, quia id, in quo eſt ditior factus ſuccedit in locum rei. Vnde Procurator, vel Aduocatus, qui aliquid comeſtibile accepit à ſuo cliente, quod poſtquam conſumpſit, ſciuit alteri fuiſſe furto ſublatum non obligatur ad reſtitutionem earum rerum cum ſint conſumptæ bona fide, ſed in quo ditior, & locupletior fuit factus, vt v.g. ſi alia ſimilia emiſſet, quia ſi emiſſet obligatur ad reſtitutionem, quia cenſetur ditior, & locupletior factus, ſi non ſimilia emiſſet ad nihil tenetur, quia non cenſetur ditior, & locupletior factus. Similiter, qui bona fide ab alio accepit pallium, quod poſtquam conſumpſit ſciuit furto fuiſſe ſublatum non obligatur ad reſtitutionem pallij cõſumpti bona fide, ſed ſolum in quo ditior, & locupletior eſt factus, vt v. g. ſi ſimile conſumpſiſſet, vel aliud, quia tunc obligatur ad id, in quo eſt ditior factus per vſum pallij furto ſublati. Verũ poſtquam cognouit pallium eſſe furto ſublatum, ſi adhuc extat non poteſt amplius ipſo vti, cum vteretur re aliena inuito domino, ſed ipſum reſtituere obligatur, & pro vſu debet reſtituere id, in quo eſt ditior factus. Secundò poſſeſſorem bonæ fidei, qui eſt in mora ſoluendi teneri de caſu fortuito, ſicut ille qui iniuſtè accepit. Ratio eſt, quia exiſtens in mora tenetur de caſu fortuito, *leg. 18. ff. commodati*. Tum etiam, quia per moram culpabilem factus eſt iniuſtus detentor, & qui iniuſtè detinet rem alienam obligatur ad reſtitutionem. Tertiò, qui bona fide vendidit rem alienam maiori pretio, quam emit tenetur illud incrementum reſtituere, quia in illo incremento factus eſt ditior, & locupletior. Ita Caiet. *2. 2. quæſt. 62. art. 6.* Bannez *ibidem* Arragonius *eodem loco artic. 2.* Sotus *lib. 4. quæſt. 7. art. 2.* Syluester *verbo reſtit. 3. quæſt. 7.* Nauarr. *cap. 17. num. 8.* Toletus *in ſum. lib. 5. cap. 17.* & alij. Secus autem ſi eſſet lucrum ex induſtria, quia rem illam meliorem effecit, & ex eo pluris vendidit, ad illud incrementum nõ tenetur, quia cenſetur lucrum ex induſtria. Quartò, qui emit rẽ ſciens eſſe alienam, vt domino inuẽto eam reſtitueret poteſt pretium datum repetere, ſi rem emit modico pretio animo eam reddendi ſuo domino. Ratio eſt, quia vtiliter geſſit negotium domini, quod eſt appretiabile pecunia, & ex eo poteſt illud pretiũ repetere. Secus autem ſi eam dominus aliter, & ſine pretio eſſet recuperaturus, aut ſi illam emit pretio, quo res valebat, quia tunc pretium non poteſt repetere, nec dominus tenetur reſtituere quidquam, ſed emptor eam domino reſtituere debet. Ita Molina *tom. 3. diſput. 721.* Petrus Nauarrus *lib. 3. de reſtit. num. 202.* Medina *lib. 1. inſtruct. confeſſ. cap. 14. §. 31.* & alij.

An fur, vel alius iniquus poſſeſſor teneatur reſtituere rem iuxtà æſtimationem, quam tempore detentionis habuit?

BRACTEA VI.

R. Non modo furem debere reſtituere rem, ſed etiam incrementum rei, vt ſi apud ipſum furem res, effecta ſit maioris pretij. Ratio eſt, quia res domino ſuo creſcit, vel decreſcit.

Sciendum augmentum duplex eſſe, vnum intrinſecum, & alterum extrinſecum. Augmentum intrinſecum à cauſa intrinſeca procedit, & cenſetur quid indiſtinctum cum ipſa re, vt eſt augmentum vituli in bouem, & pulli in equum, quod procedit à cauſa intrinſeca. Extrinſecum eſt, quando augetur taxa, vel hominum æſtimatione, & dicitur extrinſecum, cum ſit qualitas extrinſeca realiter à re ipſa diſtincta, vt eſt pretium grani, & vini, quod poteſt augeri taxa, vel communi hominum æſtimatione. Similiter valor nummi aurei, vel duplatum, intrinſecè fundatur in bonitate ipſius metalli, & non diſtinguitur ab ipſo metallo, & ſemper eſt idem, & nõ poteſt variari; valor autem extrinſecus, qui fundatur in taxa, vel in hominum æſtimatione variatur, & augetur iuxtà qualitatem monetæ, eſt & aliud augmentum extrinſecum tam rerum victualium, quàm pecuniæ, quod non eſt à taxa, vel æſtimatione, augetur ratione belli, peſtis, aut alterius accidentis.

R. 2. fur tenetur reſtituere rem iuxtà augmentum valoris intrinſeci, quem habuit à die iniuſtæ acceptionis, ſiue retentionis. Ratio eſt, quia augmentum intrinſecum eſt quædam fructificatio: res autem domino fructificat. Vnde ſi quis abſtulerit iniuſtè vitulum, aut pullum equinum, quæ poſteà iam adulta vendidit obligatur integrum illorum pretium domino reſtituere, non modo ſi dominus eodem pretio vendidiſſet, verum etiam ſi minori, quia cum pretium, ſiue augmentum intrinſecum pretij non diſtinguatur à re ipſa cenſetur eſſe domini, cuius eſt res, veruntamen expenſæ, & labores quibus res melior eſt effecta ſunt deducendi ad hoc, vt in reſtitutione ſeruetur æqualitas. Vnde, qui ex argento furtiuo confecit calicem ipſum reſtituere debet deducendo expenſas, & labores, aut æquiualens pretium. Tertiò, ſi res ablata in eodem ſtatu permanſit ſatis eſt rem ipſam reſtituere, & reſarcire lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſi fuerint. Ratio, quia retinendo rem alienam cenſetur cauſa iniuſta damni. Quartò fur tenetur reſtituere rem iuxtà ſummum valorem, ſeu incrementum, quod habuit tempore detentionis iniuſtæ, ſi dominus vſque ad illud tempus erat ſeruaturus. Ita plures citati apud Bonacinam *de reſtit. diſp. 1. quæſt 3. pun 11. num. 4.* Ratio, quia reſtitutio facienda eſt iuxtà quantitatẽ damni, quod poſſeſſor iniquus intulerit, ergo, &c.

Sciendum 2. quod ſi Petrus Paulo abſtulerit centum duplas, quæ tempore acceptionis valebant octo libras pro qualibet dupla, deinde medio tempore dupla peruenit ad duodecim libras debet ipſe reſtituere non octocentum libras, vt valebant duplæ tempore acceptionis, ſed debet reſtituere mille, & ducentum libras ſicuti valent tempore iniuſtę detentionis ſi dominus vſque ad illud tempus eas ſeruaturus erat, alioquin ſatis erit reſtituere octocentũ libras cum damno emergente, vel lucro ceſſante. Similiter ſi fur accepit alicui triginta modios frumẽti, quod tempore furti, ſeu iniuſtæ acceptionis valebat duas libras pro quolibet modo, quòd poſteà medio tempore creuit vſque ad quatuor libros pro quolibet modo, ſi dominus vſque ad illud tempus illud ſeruaturus erat, obligatur ad reſtitutionem quatuor librarum pro quolibet modio, ſi verò vſq; ad id temporis illud ſeruaturus non erat, ſolum obligatur ad reſtitutionem damni, quod dominus habuit tempore acceptionis, nimirum ad duas libras pro quolibet modio. Si verò fur dubitabat an dominus ſeruaturus eſſet vſquè ad id temporis ratione dubij tenetur amplius ſoluere, quam duas libras, quo valebat tempore acceptionis arbitrio prudentis. Quod ſi rei ablatæ pretium occaſione belli, aut alio ſimili accidenti creuit, & fur ipſo tempore eam

vendidit non tenetur reſtituere pretium rei, quo vendidit ipſam occaſione belli, cum ſit lucrum ex induſtria, ſed ſolum pretium quo valebat tempore acceptionis, vel iniuſtæ detentionis iuxtà taxam, vel æſtimationem prudentum, ſi vſque ad illud tempus eam ſeruaturus erat, vel quod reſtituat rẽ eiuſdem bonitatis. Si verò dominus ob furtum rẽ aliã ſimilem emit chariori pretio fur obligatur non modo reſtituere pretium, vel rem ſimilem in bonitate, verum etiam lucrum ceſſans, vel damnum, quod paſſus eſt dominus emendo aliam rem chariori pretio, vt ſi fur alicui furatus ſit equum, pretio cuius locationis viuebat non modo obligatur reſtituere pretium, vel alium equum æquiualentem, verum etiam lucrum ceſſans, & damnũ quod paſſus eſt dominus emendo alium equum chariori pretio.

Sciendum 3. quod ſi pretium rei ablatæ creſcat ob multitudinem emptorum, vel ob aliam circumſtantiam extrinſecam, fur non obligatur reſtituere illud augmentum pretij, quo ipſe vendidit rem ob multitudinem emptorum cum ſit lucrum ex induſtria, & ſi vendidit rem pretio rigoroſo ſatis eſſe, quod reſtituat pretium medium retinendo ſibi augmentum pretij rigoroſi, tanquam lucrum ex induſtria.

R. 2. Poſſeſſorem bonæ fidei, qui culpabiliter rẽ deſtruxit durante bona fide non obligari ad reſtitutionem rei. Ratio, quia nulla culpa obligat ad reſtitutionem, niſi ſit contrà iuſtitiam commutatiuã, talis verò non cenſetur agere contra iuſtitiam, quia per ignorantiam inuincibilem arbitratur deſtruere, quod eſt ſuum, & per conſequens non obligatur ad reſtitutionem, niſi in eo, in quo factus eſt dirior, & locupletior. Nauarrus *cap.17.num.*7. Sotus *lib.*4.*q.*7. *art.*2. Adrianus in 4. *de reſtit.* contrarium aſſerunt, nimirum poſſeſſorem bonæ fidei, qui culpabiliter deſtruxit rem alienam bona fide poſſeſſam, factum malæ fidei obligari ad reſtitutionem. Secundò, qui bona fide emit equum furtiuum cognito domino, poſſe contractum reſcindere, & pretium datum à venditore repetere: ſi verò venditor non inueniatur teneri equum reſtituere. Ratio primæ partis conſtat ex alibi dictis: ratio ſecundæ partis eſt, quia rei furtiuæ nullum dominium acquirit, & res ſemper clamat pro ſuo domino, qui vbique poteſt eam ſibi vendicare. Ita S.Thomas 2.2. *art.*6. Sotus *lib.*4.*q.*7. *art.*2. Couar. in *regula peccatum*, & communiter omnes, & pro prima parte Arragonius 2.2.*queſt.*62. *art.* 6. Salon *ibidem* Nauarr. *cap.*17.*num.*9. Petrus Nauarr. *lib.*3. *de reſtit.cap.*7.*num* 195. Valentia *tom.*3.*diſp.*5.*q* 6. *pun.*4. Toletus *lib.*5.*cap.*17.*num.*12. Silueſter *verbo reſtitutio* 3.*queſt.*7. & alij. Secus autem dicendum, ſi quis rem habuerit titulo gratioſo, quia tunc verò domino reſtituenda erit.

An fur, vel alius iniquus poſſeſſor obligetur reſtituere fructus ex re aliena perceptos, & qui percipi poterant?

BRACTEA VII.

SCIENDVM differentiam eſſe inter poſſeſſorem bonæ fidei, & malæ fidei, poſſeſſorem bonæ fidei eſſe qui putat, rem quam poſſidet eſſe ſuã, aut in ea dominium habere, poſſeſſorem malæ fidei eſſe, qui ſcit, rem quam poſſidet non eſſe ſuam, & in ea dominium non habere, vel de dominio dubitat. Secundò fructus alicuius rei eſſe in triplici differentia, naturales, induſtriales, alios verò mixtos naturales eſſe, qui ſuapte natura producuntur, licet requirant aliquem laborem hominis, vt ſunt fructus arborum, terræ, & fetus animalium, induſtriales ſunt, qui producuntur ex induſtria hominis, vt ſunt quæſtus, qui negotiatione percipiuntur, mixti dicũtur illi, qui licet partim producantur ea re ipſa, tamẽ requirunt induſtriam, & laborem hominis. Quo poſito.

R. Fur, ſeu poſſeſſor malæ fidei non tenetur reſtituere fructus meræ induſtriæ, quos ex re aliena acquiſiuit. Ita Nauarr. *cap.17.num.*15. Azorius 3. *part. lib.*4.*cap.*4 *quæſt.*7. Rebellus 1.*part.lib* 2.*quæſt.*4.*num.*6 & alij. Ratio eſt, quia ij fructus non cenſentur effectus rei alienæ, ſed ſolum meræ induſtriæ. Vnde, qui alteri furatus eſt centum duplas, quibus negotiando acquiſiuit quinquaginta, ſolum obligatur reſtituere centum duplas, quas furatus eſt, quinquaginta, quæ negotiando acquiſiuit non obligatur reſtituere, cum ſint fructus ex mera induſtria, & non pecuniæ iniuſtè ablatæ, ſed obligatur ad damnum emergens, vel lucrum ceſſans, ſi aliquod ſit. Similiter, qui negotiando frumentum furtiuum lucratus eſt aliud frumentum, vel pecuniam ex negotiatione, obligatur ſolum reſtituere frumentum ablatum, & damnum emergens, lucrum verò ex induſtria negotiationis acquiſitum non obligatur reſtituere. Ita filius vſurarij, qui ex pecunia acquiſita vſuris negotiando negotio licito lucratus eſt aliam pecuniam, obligatur ſolum ad reſtitutionem pecuniæ ex vſura acquiſitæ, lucrum verò ex induſtria non obligatur reſtituere, cum non ſit effectus illius pecuniæ, ſed ſolum negotiationis ex induſtria.

Sciendum 2. eſſe dubium, an ſi vſurarius, vel alius pignora ſibi data in ſecuritatem mutui, v.g. torques, annuli, & aliæ gemmæ, &c. alteri accommodet mediante aliquo pretio, an poſſit ſibi retinere lucrum, tanquam ex induſtria? Ad quod reſpondeo teneri lucrum domino reſtituere, cum non ſit propriè lucrum ex induſtria negotiationis, ſed potius locatio gemmarum, quod ſpectat ad dominum gemmarũ, &c. Leſſius *dub.*17.*num.*114. Molina *tom.*3. *diſputat.*119. Rebellus, & Azorius *locis citatis*. Quod etiam dicendum eſt de poſſeſſore bonę fidei, qui non obligatur reſtituere fructus ex induſtria acquiſitos ex re aliena. Ita S.Thomas 2.2.*quæſt.*68.*art.*10 Nauarr. in *ſumm.cap.*3.*num.*15. Sanchez in *ſumm.lib.*2.*cap.*23. & alij plures. Ratio, quia fructus acquiſiti non ſunt effectus rei alienæ, ſed negotiationis, & induſtriæ. Vnde ſi depoſitarius alicuius pecuniæ, illam inſcio domino negotietur, & lucratus ſit, non obligatur ad reſtitutionem acquiſiti, cum ſit lucrum ex mera induſtria, ſed ſolum obligatur ad reſtitutionem depoſiti. Quod ſi depoſitarius ob negotiationem pecuniæ depoſitæ eſſet in mora reſtituendi depoſitũ obligatur ad damnum emergens, ſeu lucrum ceſſãs, quod poteſt pati ob moram dominus depoſiti, ſicut nec etiam, vt dictum fuit obligatur ad reſtitutionem lucri, quod ex locatione pignorum fuit acquiſitum.

R. 2. poſſeſſionem malæ fidei obligari reſtituere fructus naturales ex re aliena perceptos. Ita inter omnes. Ratio quia fructus ex eo, quod producuntur cedunt in dominium eius, qui eſt dominus rei.

Sciendum 3. quod licet poſſeſſor malæ fidei non ſit dominus fructum naturalium ex re aliena perceptorum, tamen ſunt deducendæ expenſæ, quas ipſe poſſeſſor malæ fidei fecit in colligendis, & percipiendis fructibus dummodo fuerint neceſſariæ, & vtiles, vt v. g. ſi fur vel poſſeſſor malæ fidei, agrũ

coluit

coluit alterius, vel etiam ſi equm, aut bouem furtiuum aluit deducendæ ſunt expenſæ, quas fur fecit in colendo agrum, ſeu in aleudo equm, vel bouem, & labores.

Scieudum 4. quod qui bona fide incepit poſſidere aliquam hæreditatem, ſiue rem aliquam, deinde factus eſt poſſeſſor malæ fidei pro eo tempore, quo fuit poſſeſſor bonæ fidei, tenetur reſtituere ea, in quibus eſt ditior, & locupletior factus, & pro tempore; quo cognouit rem eſſe alienam obligatur reſtituere ipſam, & fructus ex ea perceptos. Qui verò mala fide incepit poſſidere, & poſteà factus eſt bonæ fidei obligatur ad reſtitutionem pro eo tempore, quo fuit in mala fide. Qui autem incepit poſſidere hæreditatem mala fide, & poſteà depoſita certitudine incepit dubitare rem eſſe alienam, pro eo tẽpore quo mala fide incepit poſſidere, obligatur reſtituere fructus perceptos pro alio tempore, quo depoſita certitudine rem fuiſſe alienam, incepit ſolũ dubitare ad ratam dubij reſtituere debet.

R. 3. Fur, ſeu poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere fructus ex re aliena perceptos, quos tamen dominus hun percepiſſet, Ita Vaſquez *cap. 5. de reſtit.* Azorius *lib. 4. cap. 4.* Rebell. *1. part. lib 2. quæſt. 5. num. 9.* Ratio, quia iniuſta detentione eſt cauſa lucri ceſſantis. Vnde qui fructus percepit ex re aliena, quam effecit meliorem tenetur reſtituere fructus ex ea perceptos, quamuis dominus illam non effeciſſet meliorem, cum res, ſeu fundus domino fructificet. Vnde poſſeſſor malæ fidei domus non modo obligatur reſtituere ipſam domum, ſed etiam pretium locationis ipſius domus, etiamſi dominus illud non recepiſſet. Similiter, qui alteri furatus eſt equm, quem poſteà locatus eſt, non modo obligatur ipſum reſtituere, ſed etiam pretium locationis, ſi ipſum locatus ſit, etiamſi dominus illum non locaſſet. Secundò poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere fructus ex re aliena perceptos, quos dominus percepiſſet. Ita Azorius 3. *part. lib. 4. cap. 2. quæſit. 4.* & alij communiter. Ratio, quia ob iniuſtam detentionem cenſetur cauſa efficax damni, non obligatur tamen fur, ſeu iniquus poſſeſſor reſtituere fructus, quos dominus inhoneſtè, & cõtrà iuſtitiam lucratus eſſet, quos ſcilicet ſine peccato percipere non poterat: lucrum quod lucratum eſſet locando domum meretrici reſtituere debet, cum talis locatio non ſit intrinſecè, ſed extrinſecè mala.

Sciendum 5. quod fur in reſtitutione rei alienæ poteſt deducere expenſas, quas fecit, tantum in foro conſcientiæ. Ita Em. Sà *verbo reſtitutio num. 15.* Sa-ſon 2. 2. *quæſt. 62. art. 6.* Leſſius *lib. 2 cap. 12. dub. 17. num. 111.* Molina *tom. 3. diſp. 725.* Azorius 3 *part. lib. 4. cap. 5.* Secundò expenſas poſſe eſſe in triplici differentia, aliæ ſunt neceſſariæ, quæ niſi fierent res periret, vel deterior fieret, aliæ verò ſunt vtiles, quæ ad maiorem vtilitatem conducunt, & hæ ſunt etiam in duplici differentia, nam quædam ſunt vtiles reſpectu præſentis temporis, quo res poſſidetur à poſſeſſore malæ fidei; aliæ verò etiam vtiles erunt quando res poſſidebitur à vero domino, aliæ ſunt voluptariæ, quæ ſiunt ornatus cauſa, vt picturæ; viridarij, fontes, &c. dominum obligari reſtituere expenſas neceſſarias; vtiles verò quatenus ſibi poterunt eſſe vtiles, & quas etiam ipſe feciſſet, quæ cum ſint factæ etiã in vtilitatem ipſius, tenetur dominus eas reſtituere. Em. Sa *verbo reſtitutio, num. 15.* Clauis regia *lib. 10. tract. 2. num. 4.* Azorius 1. *part. lib. 4. cap. 5. quæſt. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 17.* & alij; expenſæ verò voluptariæ regulariter non poſſunt deduci, aliquando verò poſſunt, vt quando res ob tales expenſas pluris valet. Leſſius *loco citato, num. 13.* Clauis regia *loco citato.*

Sciendum 6. Dominum ſolum in foro conſcientiæ eſſe obligatum reſtituere expenſas, nam in foro fori non datur poſſeſſori malæ fidei repetitio expenſarum voluptariarum, & vtilium in pœnam delicti, *Cod. de infantibus expoſitis, & leg. domum, cap de vendicat. rei.* Conceditur tamen facultas auferendi per ſubtractionem materiæ expenſas, dummodo à re ipſa per ſubtractionem materiæ, poſſint ſeparari. Rebellus *lib. 2. quæſt. 8. num. 4.* Azorius 3. *part. lib. 4. c. 5.* Secundò ex fructibus poteſt poſſeſſor malæ fidei deducere mercedem laboris, & Induſtria. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 12. num. 113.* Rebellus *loco cit. n. 4.* Em. Sà *verbo reſtitutio, n. 15.* Ratio, quia labor, & induſtria re ſultant in fauorem ipſius laborantis.

Quot peccata committat fur, aut iniquus poſſeſſor retinendo rem alienam?

BRACTEA VIII.

R. Fvr, ſeu iniquus poſſeſſor peccat mortaliter non reſtituendo rem ſtatim, ac commodè poteſt. Ita Clauis regia *lib 10. tract. 5. c. 4.* Reginaldus *lib 10. tract. 2. num. 223.* Em. Sà *verbo reſtitutio, num. 61.* Valentia *tom. 3 diſp. 4 quæſt. 6. pun. 7* Molin. *tom 3. tract 2 diſp. 253. num. 2.* Ratio, quia præceptum reſtituendi licet explicitè ſit affirmatiuum, tamen implicitè includit negatiuum non retinendi rem alienam, quod ſub mortali obligat ſtatim, ac commodè poteſt reſtituere: tamen illud ſtatim mathematicè non eſt accipiendum, ſed moraliter debet accipi, ideſt expectata opportunitate, & commoditate reſtituendi, præciſo tamen dolo, & fraude. Vnde qui in lecto decumbit, vel cum exiſtit in menſa recordatur ſe obligari ad reſtitutionem, obligatur quidem elicere actum, ſeu propoſitum reſtituendi: reſtituere autem tenetur ſtatim, ac commodè poteſt Nauarrus *cap. 17. num. 74.* & alij. Secundo debitorem ex delicto malæ acceptionis, ſeu iniuſtæ retentionis obligari ad reſtitutionem ſtatim, ac commodè poteſt, alioquin non reſtituendo peccat mortaliter ratione moræ. Similiter etiam debitorem ex damno dato obligari ad reſtitutionem ſtatim, ac commodè poteſt damnum reſtituere, alioquin non reſtituendo peccat mortaliter ratione moræ, ſeu iniuſtę dilationis, ſolutionis. Debitor ex contractu, vel ex quaſi contractu tenetur reſtituere ſtatim, ac elapſus eſt terminus ſolutioni conſtitutus, etiamſi non admoneatur, quia dies interpellat pro domino, *cap. fin. de locat. & conduct.* Si verò non fuit conſtitutus terminus ad ſoluendum, dominus non videtur eſſe in mora, aut grauiter peccare non reſtituendo, antequam admoneatur, quia non petendo videtur dilationem concedere. Ita plures apud Bonacinam *loco cit. quæſt. 6. pun. 1. num 3* Tertiò, qui bona fide emit rem alienam probabiliter credens eſſe venditoris, & poſteà cognoſcit non fuiſſe ſuam, ſed alterius teneri reſtituere vero domino, etiam cum iactura pretij, & ratio, quia rei alienæ non acquiritur dominium; tũ etiam, quia eadem præſumptio fori interni, ac externi, quando forum externum non nititur falſa præſumptione, at in foro externo compelletur comperta veritate eam domino reſtituere, etiam non recuperato pretio, & forum externum, quod non nititur falſa præſumptione ſemper eſt iuſtum, & obligat in conſcientia, ergo, &c. Ita D. Thomas 2 2. *quæſt. 62. artic. 6.* Sotus *lib. 4. de iuſtitia quæſt. 7. art. 2.* Couar. in

regula peccatum de regulis iuris in 6. Medina *lib.1. de inſtruct.confeſſ.c.*14.*n.*31.& alij.

R.2. Qui non reſtituit ſtatim, ac commodè poteſt, tot ſunt peccata retentionis iniuſtæ rei alienæ, quot ſunt actus moraliter diſtincti. Ratio, quia peccata multiplicantur per multiplicationem actuum moraliter diſtinctorum.

Sciendum, vt ſupra dictum fuit actus tam in retinendo rem alienam, quam etiam in alijs rebus varijs modis moraliter diſtingui. Primò ratione intentionis, ſeu propoſiti voluntatis, vt quando per actum contrarium, ſeu propoſitum interrumpitur prior actus, vt ſi quis haberet intentionem reſtituẽdi rem alienam, deinde nouum actum eliceret, non reſtituendi rem ipſam, iſti duo actus reſtituendi, & non reſtituendi moraliter diſtinguuntur, & per conſequens tot erunt peccata, quot actus non reſtituendi. Secundò actus diſtinguuntur ratione geſtionis alicuius negotij grauis, quod totaliter habeat vim attrahendi voluntatem ipſius geſtientis à primo obiecto ad alium obiectum, quia tunc illud negotium cenſetur interrumpere intentionem, ſeu propoſitum reſtituendi, ita vt non dicatur virtualiter perſeuerare. Tertiò, actus interrumpuntur, quãdo eos intermediat ſpatium aliquod temporis, vt v.g. qui habet propoſitum reſtituendi alienum, & ipſum non reſtituit prima temporis opportunitate, ſed expectat aliud tempus, actus propoſiti eliciti non cenſetur moraliter continuare, ſed erunt tot actus moraliter diſtincti, quot erunt interruptiones intentionis per oblatã opportunitatem nõ exequutam. Quartò, diſtinguuntur etiam moraliter actus ratione ſomni, qui eos intermediat, vt quãdo quis habet propoſitum reſtituendi rem alienam, & manente eadem intentione pluries dormit tot erunt eiuſdem intentionis actus moraliter diſtincti, quot interruptiones per ſomnum, quia cum intentio habita ante ſomnum per ipſum quieſcat, non virtualiter continuatur cum ea, quæ poſt ſomnum habetur, cum ſit renouatio alterius propoſiti, & non continuatio primi ante ſomnum habiti.

Sciendum 2. quod licet ſint plures interruptiones morales actuum, tamen diſtinctio numerica peccatorum in retinenda re aliena deſumenda eſt ex mutatione propoſiti voluntatis reſtituendi rem alienam per actum contrarium non reſtituendi. Ita Petrus Nauarrus *lib.*4.*cap.*4.*num.*13. licet per geſtionem negotij grauis, & per ſpatium temporis, &c. interrumpatur intentio, & propoſitum, in inueſtigandis ijs interruptionibus Confeſſarius non ſe debet curioſè gerere, ſed ſatis eſt vt cognoſcat tempus, quo res ipſa iniuſtè detinetur.

An Confeſſarius poſſit abſoluere pœnitẽtem, qui data opportunitate non habet propoſitum reſtituendi?

BRACTEA IX.

R. Confeſſarium nullo modo poſſe abſoluere pœnitentem non habentem propoſitum reſtituendi rem alienam data opportunitate, & commoditate. Ratio, quia ſi non haberet primũ propoſitum, non eſſet diſpoſitus ad ſuſcipiendũ effectum Sacramenti.

Sciendum Confeſſarium non modo non debere abſoluere pœnitentem, qui non habet propoſitum reſtituendi prima opportunitate, ſed neque poſſe abſoluere pœnitentem habentem rem alienam, qui cum poſſit de preſenti reſtituere abſque cauſa vult differre, aut vſque ad mortem imponendo obligationem reſtituendi hæredibus. Ita Clauis regia *lib.* 10.*tract.*5.*num.*30. Reginaldus *lib.*3.*tract.*2.*nu.*22. Azorius 5 *part.lib.*4.*cap.*34.*quæſt.*4. Similiter non poteſt Confeſſarius abſoluere, qui cum poſſit totum alienum iniuſtè retentum, non vult niſi per partes reſtituere abſque iuſta cauſa. Secundò Confeſſarium eum, qui ſępius alijs Confeſſarijs promiſit reſtituere iniuſtè ablatum, vel retentum, & non reſtituit abſque iuſta cauſa non poſſe abſoluere, quia ex præteritis omiſſionibus facilè poteſt præſumere pœnitentem non eſſe reſtituturum, & per conſequens ipſum non habere propoſitum reſtituendi. An verò Confeſſarius ſit obligatus ad reſtitutionem, qui abſoluit pœnitentem per obliuionem non admonendo illum de reſtitutione facienda? Reſpondeo negatiuè cũ non cenſeatur cauſa efficax damni, cum ſemper ipſe habens rem alienam ſit obligatus ad reſtitutionem.

An poſſeſſor malæ fidei teneatur ad intereſſe?

BRACTEA X.

SCIENDVM intereſſe diuidi in immediatum, & mediatum, ſiue in intrinſecum, & extrinſecum: intereſſe immediatum eſt, quod percipitur ex re immediatè, vt v.g. ex domo reſtaurata, vel ex vinea empta, &c. mediatum eſt, quod mediatè ſequitur ex re, vt ſi domus fuiſſet reſtaurata, & ex ea perceptæ penſiones ipſæ poſſint exponi negotiationi, & lucrum dicitur intereſſe mediatum: intereſſe immediatum dicitur etiam intrinſecum, eo quod cõcomitatur rem ipſam: mediatum perinde eſt, ac extrinſecum, quod eſt iactura lucri, quod quis facere poſſet expẽſionibus perceptis ex negotiatione. Hoc poſito.

R. In foro conſcientiæ malæ fidei poſſeſſorem nõ ſolum obligari ad intereſſe intrinſecum, ſed etiã ad extrinſecum ſubſequutum ex omiſſione ſola ſoluendi id, quod debet. Ita Nauarr. *cap.*17. *num.*211. Lopez *lib.*2.*cap.*88 & alij. Secus verò in foro fori. Secundò, qui ob impotentiam non potuit reſtituere rem mala fide, vel bona poſſeſſam non teneri reſtituere damnum, vel lucrum ceſſans. Ratio, quia ſicut impotentia excuſat à reſtitutione rei, cum impoſſibilium non ſit actio poſſibilis, ita etiam à lucro ceſſante, vel damno emergente. Ita Arragon. 2.2.*quæſt.*62 *art.*4. & alij. Tertiò iniuſtum detentorem rei alienæ teneri reſtituere expenſas, quas dominus rei fecit in re quærenda, dummodo illæ expenſæ fuerint neceſſariæ ad rem quærendam iudicio prudentis, & non ſint exceſſiuæ. Ratio eſt, quia ob iniuſtam detentionem cenſetur fuiſſe cauſa efficax damni, & per conſequens obligatus eſt ad reſtitutionem.

An qui alium impedit quominus aliquod bonum acquirat teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA XI.

SCIENDVM, quod dupliciter poteſt aliquis impediri à conſecutione alicuius boni, primo modo, quando impeditur à conſecutione boni, quod ei ex iuſtitia debitum ſit, vt ſi quis in teſtamen-

to hæres inſtitutus impediretur ne adiret, vel conſequeretur hæreditatem. Secundò modo quando impeditur à conſecutione alicuius boni, in quo, vel ad quod nullum habet ius, ſed ſolum habet ſpem illud conſequendi ex mera alterius liberalitate, vt ſi quis impediatur à conſecutione eleemoſynæ, vel legati ex ſola gratuita voluntate.

Sciẽdum 2. quod ius eſt facultas legitima aliquid faciendi, vel obtinendi. Et eſt duplex ſcilicet ius ad rem, & ius in re. Ius ad rem eſt id, quod quis habet ex vinculo alicuius obligationis ad aliquam rem ipſi quidem debitam, ſed nondum poſſeſſã, vt v.g. Inſtitutus hæres poſt mortem teſtatoris, antequam adeat hæreditatem dicitur habere ius ad hæreditatem, & dicitur ius ad rem, quia non tribuit actionem in rem, ſed tantum in perſonam cum ſola ipſa remaneat obligata, & non res. Ius in re eſt id, quod quis habet in re propria, & exiſtente, & dicitur ius in re, quia tribuit actionem realem, id eſt rem obligatam habet. Tale eſt, quod habetur per emptionem, & alios contractus ſecuta rei traditione.

Sciendum 3. Quod duobus modis poteſt aliquis impediri à conſecutione alicuius boni. Vno modo precibus, perſuaſione, vel blanditijs, &c. alterum aliciendo ne alicui relinquat aliquod bonum. Alio verò modo per iniuriam, vel vim, vel metum incuſſum, vel dolum, vel fraudem, vel mendacium fingẽdo donatarium, vel legatarium eſſe ingratum, &c. Quibus poſitis.

R. Quod qui ſolis precibus perſuaſionibus, &c. impedit aliquem, quo minus aſſequatur bonum, in quo vel ad quod nullum ius habet præter liberalem voluntatem, qui donare, &c. conſtituit ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio, quia talis non violat iuſtitiam cum alter nullum ius acquiſierit ad rem, & ita definitur *in leg. vlt. Cod. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit* vbi ſic habetur eum qui blanditijs ſine vi, metu, mendacijs, vel dolo teſtamentum mutari, aut legata transferri in alterum facit ad reſtitutionem non obligari. Secus verò dicendum, ſi alium impedit per vim dolum fraudem, ſiue mendaciũ, quia in iſto caſu obligatur ad reſtitutionem, & ita Nau. *in man. cap* 17. *num.* 69. Molina *tom.* 3. *diſput* 727. Couar. *in reg peccatum* 2 *p.* §. 7. *num* 8. & alij. Ratio, quia ſic impediens violat iuſtitiam commutatiuam, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem, & læditur ius, quod alter habet in voluntate eius, qui ex liberalitate aliquid daturum erat.

An qui ad beneficium, vel officium indignum eligit obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XII.

R. Eum qui abſque cauſa confert beneficium digno relicto digniore peccare mortaliter. Ita D. Thom. *in quodlibet* 6. *artic.* 9. Rebellus *lib.* 3. *queſt.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 26. *queſt.* 1. Siluester *verbo electio* 1 *queſt.* 16. & alij. Ratio, quia violat abſque cauſa iuſtitiam diſtributiuam per acceptionem perſonarum dixi abſque cauſa, quia ea poſita non peccat.

Sciendum, quod licet regulariter peccet mortaliter conferens beneficium digno relicto digniore abſque cauſa, tamen in aliquibus caſibus peccare ſolum venialiter. Primo ratione paruitatis materiæ, quæ in omni peccato mortali ſemper excuſat. Secundò propter paruitatem exceſſus, qui inter dignũ, vel digniorem intercedit. Tertiò, quando inter ipſa Eccleſiæ beneficia modicus quoque exceſſus iudicatur, licet ſit exceſſus notabilis inter perſonas. Vt ſi ad beneficium cuius prouentus annui ſunt centum aurei Titius dignus eligatur, & Caius dignior ad beneficium cuius reditus ſunt nonaginta aurei. Quartò quando vacant ſimul duo beneficia alterũ ſimplex, & pingue, alterum verò Parrochiale, & tenue, tunc non debet eligi dignior ad beneficium magis pingue. Ratio, quia in tali caſu expedit pro bono Eccleſiæ, vt qui dignior eſt aſſumatur ad beneficium parrochiale.

Sciendum, quod quando relicto digniore eligitur dignus ad aliquod officium, vel beneficium electio eſt valida, nec poteſt reſcindi, & ita definitur in *cap. cum nobis de elect. & electi poteſtate, & in cap. cũ dilectus eod. titulo.*

R. 2. Quod qui ad beneficia, vel officia tam Reipublicæ Eccleſiaſticæ, quam laicæ indignum eligit prætermiſſo digno peccat mortaliter. Ratio, quia facit contra iuſtitiam commutatiuam, & ita D. Thomas 2. 2. *queſt.* 63. *artic.* 3. Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 2. *num* 120. Obligatur etiam ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia anteponendo indignum digno, eſt cauſa futuri damni, & per conſequens tenetur ad reſtitutionem. Ita Arragon. 2. 2 *q.* 63. *art.* 2.

R. 3. Indignum acceptando beneficium, vel officium peccare mortaliter. Ratio, quia cooperatur peccato conferentis, & beneficium, aut officium cũ ſuis fructibus tenetur reſtituere, quia nunquam eos fecit ſuos, immò ſi quid damni Eccleſiæ, vel Reipublicæ emerſit tenetur reſarcire. Rebell. *lib* 3 *queſt.* 6. & Arragon. 2. 2 *q.* 63. *art.* 2.

An qui reuelat crimen occultum alicuius, ob quod non confertur beneficium, vel officium obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XIII.

R. Eum, qui manifeſtando crimen occultum eſt cauſa, quod alter non conſequatur beneficium, vel officium obligari ad reſtitutionẽ, ſi id abſque iuſta cauſa faciat ita communiter omnes. Ratio, quia iniuſtè alterum impedit à conſecutione beneficij, vel officij, quod alioquin conſecutus fuiſſet. Verum tamen eſt non teneri ad reſtitutionem, quanti valet bonum impeditum, ſed quanti valebat ſpes obtinendi beneficium, vel officium. Ratio, quia bonum in ſpe minus valet, quam bonum in re, priuatus autem beneficio, vel officio habebat ſolũ ius in ſpe.

Sciendum, quod qui impedit alium à conſecutione boni in quo habet aliquod ius acquiſitum in re, vel ad rem, tenetur ad reſtitutionem faciendam ei, quem impediuit, & quidem in integrum ſi alter habet ius perfectum. Si autem habet ius imperfectum, quod appellant ius ad rem tantum, quantum arbitrio boni viri æſtimatur, illud ius ad rem, prout illud fuerit maius, vel minus. Ita Molina *tom.* 3 *diſput.* 727. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *queſt.* 6. *pun.* 5. Petr. Nauarr. *lib.* 3. *de reſtit. c.* 5. *n.* 2. & alij.

An minus dignus, qui ſe opponit digniori ad reſtitutionem teneatur?

BRACTEA XIV.

R. Qvod ſi minus dignus ſe opponat digniori, abſque vi, metu, &c. ſed ſolum, vt ſibi conſulat, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio, quia vbi non eſt fraus, aut dolus, &c. non violatur iuſtitiam commutatiua, ſed ſolum diſtributiua, cuius violatio nullam inducit obligationem.

R. 2. Quod quando beneficia, vel officia publica dantur per concurſum digniori ſtante edicto, quod neceſſariò debeat conferri digniori, ſi quiſpiam abſque vi, metu, aut fraude, ſed ſolum precibus impediat, quominus dignior conſequatur beneficium, vel officium non ſolum peccat mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem eidem digniori faciendam tenetur. Ratio eſt, quia huiuſmodi edictum tribuit ius perfectum iuſtitiæ commutatiuæ, vt ipſi beneficium, vel officium conferatur, ergo ſi digniori pretermiſſo minus idoneo ſua cauſa conferatur non ſolum contra iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam commutatiuam peccabit, ac proinde ad reſtitutionem tenebitur. Ita Caiet. 2.2 *quæſt.* 62. *artic.* 2. Nauarr. *cap* 17. *num.* 74 Salon 2.2. *quæſt.* 63 *artic.* 2. Silueſter *verbo reſtitut.* 3. *q.* 12 & alij.

R. 3. Quod, qui pro ſe aut pro parente, aut amico, beneficium procurans, ſine fraude, & dolo, ſed ſolis precibus agit, cum aliquo etiam legitimo oppoſitore, ne petat beneficium, vel officium ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia, qui deſiſtit ob preces vrbanas ſciens, & volens deſiſtit, ſcienti autem, & volenti, non fit iniuria, quæ per reſtitutionem ſit recompenſanda. Ita Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *artic* 2.

R 4. Quod, qui per fraudem, & dolum impedit dignum à beneficio, vel officio, ad quod obtinendũ nullam habet ſpem, licet peccet mortaliter nihil tamen impedito tenetur reſtituere. Ratio eſt, quia in iſto caſu, impediens re vera nullum damnum ei intulit, quamuis curauerit illud inferre, ſicut qui conatus eſt furari, non tamẽ potuit. Ita Salon 2. 2. *q.* 63 *art.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 18. & alij.

MALLEATIO XLII.

De Pactis.

Quomodo definiatur pactum?

BRACTEA I.

Sciendvm, pactum dici à paciſcendo, ſicut pactio, eſt enim pactio actio, qua paciſcimur, & de aliquo fœdera inagimus, & conuenimus, pactum verò eſt terminus illius actionis, ſicut actio, & actus, reſpectu agendorum. Ita communiter Doctores: vnde pactum à pactione dicitur. Quo poſito.

R. Pactum eſſe duorum, vel plurium conſenſus, in idem placitum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 3. Layman *tract.* 4. *de contract. cap.* 1. & alij communiter. Cõſenſus ponitur loco generis, vnde latius patet, quã pactum, quia conſenſus non ſolum de concordia, & conuenientia in voluntatibus dicitur, ſed etiam de concordia in opinionibus, & ſententijs. Secundò, conuentionem latius patere, quam pactum, aut conſenſus. Vnde dicitur genus ad pactum, & ad conſenſum. Tertiò inter hæc quatuor, conuentio, cõſenſus, pactum, & contractus ordinem eſſe quaſi prædicamentalem ſuperiorum ad inferiora, & è cõtra comparari ad inuicem, tanquam genus ad ſpeciem incipiendo à primis, vel tanquam ſpecies ad genus incipiendo à nouiſſimis, nam omnis contractus eſt eſſentialiter pactum, quia eſt conſenſus duorum, aut plurium in idem placitum, & omne pactũ eſt eſſentialiter conſenſus, quia eſt conuentio motuum animi iudiciorum videlicet, qui ſunt actus intellectus, vel placitorum, qui ſunt actus voluntatis, & omnis conſenſus eſt conuentio actionum, ſcilicet animi, ideſt ſententiarum, vel voluntatum, non tamen è contrà omnis conuenrio eſt conſenſus, quia conuentio in vnum locum conſenſus non eſt, & cõuenrio in vnum tempus cœtaneorum conſenſus nõ eſt, & conuentio in vnam qualitatem ſimilium conſenſus non eſt. Neque verò omnis conſenſus eſt pactum, nam conſenſus per intellectum iudiciorum, & ſententiarum pactum nullo modo eſt. Neq; etiam omne pactum eſt contractus, quia pactum ſine obligatione ſtat, & ſi aliquam obligationem habet non eſt iuſtitiæ commutatiuæ, ſed fidelitatis, veracitatis, &c. Contractus verò exigit obligationem Iuſtitiæ commutatiuæ, quare pactum eſt genus ad contractum, conſenſus eſt genus ad pactum, & conuentio eſt genus ad conſenſum. Secundò dicitur in definitione pactum eſſe duorum, vel plurium conſenſũ. Vnde excluditur hic pollicitatio, quæ pactum non eſt, quia pollicitatio eſt quædam prouocatio ad cõſenſum, non tamen eſt cum conſenſu, ſed ante conſenſum, quia eſt nondum acceptata, ſed oblata promiſſio, & ideò non eſt contractus, quia neque pactũ, Pactum verò non eſt, quia non eſt conſenſus duorũ, &c. Quando verò conſentiunt, iam pollicitatio nõ eſt, ſed à natura pollicitationis tranſit in naturam pacti, vel etiam contractus ſi conſenſus ſit in obligatione Iuſtitiæ, ſicut etiam ſtipulatio antequam acceptetur contractus, aut pactum non eſt, quia non eſt duorum conſenſus. Eodem modo promiſſio antequam acceptetur nec contractus eſſe poteſt, nec pactum, quia ante acceptationem non eſt duorum conſenſus, ſed vnius duntaxat explicata voluntas prouocans ad illum, & ideò nullo modo poteſt dici pactum, aut contractus ante acceptationem.

Quæ conditiones requirantur ad pactum?

BRACTEA II.

R. Plures requiri: prima quod ſit plurium voluntatum vnanimitas.

Sciendum ad pactum non ſufficere, quod ſit duorum in idem conſenſus, ſed requiri, vt non ſit conſenſus Intellectus, ſed voluntatis, nec ſufficere, quemcumque voluntatis conſenſum, niſi ſit ad aliquid agendum, vel non agendum in futurum. Secundò requiritur, vt qui de aliquo faciendo in voluntate conueniunt, eam voluntatem ſibi inuicẽ ſignificent verbis, vel alio modo exprimant, & vnus ſit quaſi afferens, & promittens, & alter acceptans: aliter illa voluntas, vel in corde retenta, vel per verba enunciatiua dumtaxat expreſſa, & non diſpoſitiua pactum non operabitur. Vnde ad pactũ duas concurrere voluntates in idem reciproco conſenſu,

quia

quia non ſufficit, vt quouis modo in idem conſentiant, ſed requiritur, vt conſenſus ſuos in ſe mutuò dirigant. Vnde per conſequens donatio,& promiſſio, vt dictum fuit, non cenſetur habere rationem pacti, & ſi de communi conſenſu fiant, antequam acceptentur, nullamque obligationem pariunt in foro conſcientiæ,antequam accedat conſenſus eius, in quem diriguntur, cum ſolum habeant rationem pacti per acceptationem.

An pactum inducat obligationem?

BRACTEA III.

R. Pactum naturalem inducere obligationem. Ratio, quia quilibet iure naturę tenetur ſeruare, quod alteri promiſit ipſo acceptante, ſiue titulo gratioſo, ſiue oneroſo promittenti. Tum etiam, quia pacta, iure naturali inuiolabiliter ſeruāda ſunt, quia fidelitas, & veracita exigit, ne quem decipias, & falſas promiſſa frangendo. Secundò, ne violetur Iuſtitia commutatiua, quæ ius habet ſuum vnicuique tribuendi, & in pactis ius Iuſtitiæ præcedit, ſcilicet obligatio, quæ eſt ius obligans ex iuſtitia commutatiua, ergo ſi pactum non ſeruatur lęditur iuſtitia commutatiua. Tertiò ius naturale dictat prima ſua lege. Quod tibi non uis fieri alteri, ne feceris, ergo ſicut quis non vult pacta ſibi conuenta non ſeruari, ita etiam alijs ſeruare ipſe debet.

Quotuplex ſit Pactum?

BRACTEA IIII.

R. Pactorum plures eſſe diuiſiones: prima diuiſio eſt in pactum in rem, & pactum in perſonam, quæ diuiſio habetur in terminis, *leg. iuris gen tium 7. ff. de pactis § pactor. In rem ſunt quoties generaliter paciſcor ne petam, In perſonam, quoties ne à perſona petam*. Dicitur pactum reale, quoties illa perſona in pacto nominatur, & reſpectu eius tantummodo diſpoſitio, quæ continetur in pacto fiat, non verò reſpectu aliorum, aut alterius, vt ſi quis paciſcitur ne ab aliqua perſona petam, vel ſi vendam tibi domum ea lege, ne poſſis alijs diſtrahere, quam tali, ſed notandum omnia pacta cenſeri realia, niſi contrarium probetur. Ita Iuriſperiti,& Baldus notat. Pactum dici reale, quoties tranſit ad hæredes, perſonale quando non eſt ad ipſos tranſibile, ideſt quando non egreditur perſonam, iuxta regulam iuris de perſonali priuilegio.

Secunda diuiſio eſt in pactum iuſtum, & in Pactū iniuſtum, quæ diuiſio non habetur formaliter in iure, quia ad forum contentioſum parum facit,& quia iniuſta ſolum vocantur in iure, quæ ab ipſo iure nō tolerantur.

Tertiò diuiditur Pactum, in publicum, & priuatum, ſeu quædam ſunt de re publica, & ad bonum publicum ordinata, quædam verò de re priuata, cuius pácti publici duæ ſunt proprietates; prima, quod niſi à perſonis publicis fieri non poſſint, quare pacta priuatorum de re publica,vel ad bonum publicum pertinentia ſunt ipſo iure nulla. Secundò, quod pactis priuatorum ius publicum lædi non poſſit, immò nec publicæ perſonæ, quia de quacunque læſione datur reſtitutio in integrum.

Quarta diuiſio Pactis eſt in tacitum, & expreſſū. Expreſſum eſt, quod ſufficienter verbis explicatur, aut ęquiualentibus nutibus. Tacitum, quod etiamſi non exprimatur, intelligitur, vel quia iam lege conſtitutum eſt, vel alijs quibuſlibet veriſimilibus, & ſufficientibus coniecturis habetur hæc diuiſio, *leg. habeo 2. ff. de pactis*.

Quinta diuiſio eſt in contractum ipſum, & pactū adhærens contractui,& pactum per ſe ſtans.

Sexta diuiſio pacti eſt in nudum,& veſtitum, quæ eſt omnium potiſſima.

Quid ſit pactum nudum, & veſtitum?

BRACTEA V.

R. Pactum nudum eſſe conuentionem, quæ ſtat in puris, & ſimplicibus finibus pacti, nulloque alio adminiculo iuris fulcitur. Pactum verò veſtitum illud eſſe quod in finibus conuentionis nō ſiſtit, ſed aliquo iuris adminiculo roboratur, quo iam valet obligationem, & ciuilem actionem parere. Secundò nudum pactum non parere obligationem Ciuilem,& conſequēter neque actionem, quæ eſt filia obligationis, ſed exceptionem dumtaxat, atque naturalem obligationem, nec firmitatem obtinet, ſed poteſt retractari. At verò pactum veſtitum forenſem obligationem, & actionem producere valet, & contractus nomen aſſequitur, & actus eius tanta firmitate ſunt, & ſoliditate, vt nulla valeant reuocatione rettactari. Ratio verò, cur nuda pacta nullam habeant obligationem ciuilem, nec actionem colligitur ex reatu *in leg. iuris gentium §. ſed cum nulla*; Et ita omnes Doctores communiter. Ratio verò cur etiam nullam actionem habeāt eſt, quia ſublata cauſa aufertur effectus, & obligatio eſt mater actionis: immò actio ciuilis ad obligationem ciuilem dicit Relationem intrinſecam,& eſſentialem. Quod etiam patet ex pluribus iuribus, & Auctoribus. Ratio autem cur ius ciuile, quod obligationem, & actionem negauit pactis, conceſſerit exceptionem eſt, quia exceptio ſolum datur reo iam poſſeſſionem habenti, vt ſe ab actore defendat. Qui ergo poſſeſſionem cum pacto nudo habet, iam pactum nudum ea poſſeſſione, & rei interuentu vallauit, & ea ſuperat aduerſarium iure poſſeſſionis, & ea poſſeſſione coniuncta pacto nudo magis certos reddit Magiſtratus,& Iudices rectum pactum,& voluntarium præceſſiſſe, ex quo poſſeſſio illi ſequuta ſit.

Quot modis veſtiatur nudum pactum?

BRACTEA VI.

R. Primum veſtimentum nudi facti eſſe nomen, ideſt nominatum eſſe contractum, quia omnes nominati contractus eo ipſo, quod nominati ſunt licet ad modum nudi pacti celebrati videantur, ideſt nulla rei traditione, nulla ſtipulatione, nulla ſcriptura,&c. ſuffulti potentes ſunt ad producendam obligationem, & actionem ciuilem. Secundum veſtimentum pactorum eſt interuentio rei, ſeu cauſæ complementum, vel clarius impletio contractus, vel traditio, ſeu complementum rei conuētæ ex altera ſaltem parte, quia illi pacti, quæ impleuit contractum par eſt iura fauere per conceſſionem actionis, ne fraudibus, & violentijs detur locus, ſi pars, quæ iam rem conuentam poſſidet, quam debet ex ſua parte retinet ſi ſciret contrà ſe non eſſe dandam actionem ex pacto nudo, itaque re integra ius

commune ex pacto nudo actionem non concedit, re autem iam incohata, & ex altera parte perfecta meritò non negat implenri, ne ſua ei fidelitas, & iuſtitiæ noceat, quæ pacta ſeruauit, & ſuæ conſcientiæ ſatisfecit. Et ita Filliucius *tract.33.cap.1.quæſt.9 nu.14* Leſſius *lib.2.cap.17.dub.4. num.15.* & eſt communis. Tertium pacti veſtimentum eſt ſcriptura, ſeu inſtrumentum publicum, cum enim paciſcentes adeò ſeriò agunt, vt velint in publicam ſcripturam redigi acta, eo ipſo ſatis conſtat in foro ciuili intendere ſe obligare, atque adeò equum eſt, & rationi conſentaneum ius concedere eis actionem, & obligationē ciuilem, vt compellat pacta conuenta fideliter cuſtodire. Et ita citati, & Molina *diſp.255.n.4.* Tuſcus *verbo pactum concluſ.19.num.15.* Siluester *verbo pactum, num.2.* & alij iuriſperiti. Quartum pacti nudi veſtimentum eſt ſtipulatio, ideſt interrogatio in actis paciſcendis prouocans ad promittendum cum conſentanea promiſſione ſubſequuta, cui ſtipulationi maximè fidit Ius Romanum. Habetur hoc veſtimentum, *l. iuris gentium §. quod ferè ibi*, ideoque ex ſtipulatu naſcitur actio, & eſt communis iuriſperitorum; & ratio eſt, quia ſtipulatio acceptata contractus verborum eſt, vt patet titulo de verborum ſignificatione. Quintum pacti nudi veſtimentum eſt iuramentum, ſi enim contractus, & alia pacta non iurata æquum eſt adminiculo iuris roborari, vt implementum accipiant, quantum eſt æquius pacta iurata ob eodem iure ita accipi, vt nullo modo ferat violari, ſed compellat ſeruari. Sextum pacti nudi veſtimentum eſt Inſinuatio eius ante iudicem, quia illa non alio fine videtur à paciſcentibus facta, niſi vt conſtet ipſi Iudici de pacto, & intentione ſe obligandi, & compellat eos pacta ſeruare. Septimum pacti nudi veſtimentum numeratur à Doctoribus adhærentia ad contractus fidei, & nominatos, ſicut enim, qui adhæret rei firmæ licet infirmus ex ſe ſit, firmatur, ita hæc pacta nuda dum adhærent venditioni, locationi, & alijs contractibus nominatis, qui præcipuam vim in iure habent, ipſa etiam firmātur, & robur accipiunt, vt obligationem ciuilem pariāt, & actionem. Ita habetur expreſsè, *leg. iuris gentium, §. quin immò interdum*, & ibi Bartolus, & Doctores Alexander *conſil.113.num.3.* Ita etiam Molina *diſp.225 num.4.* Filliucius *loco citato* Silueſter *verbo pactum*, & alij.

An ex pacto oriatur obligatio Canonica?

BRACTEA VII.

R. Pactum nudum obligare in foro Ecclesiaſtico, & Canonico. Ratio, quia ius canonicū reſpicit obligationem naturalem, & conſcientiæ, quia cùm Ius Canonicum ſit conditum ad ſalutem animarum reſpicit obligationem conſcientiæ, eamque iubet impleri, niſi fortè præſumatur error, vel fraus. Vnde actionem tribuit ex pacto nudo ad exigendum promiſſum, ſi exprimatur cauſa. Secus autem ſi non exprimatur. Ita Antonius Gomez *2.tom.variar.cap.9 num 2.* Panormitanus *cap.prudentiam de donat & cap.ſi cautio de fide inſtrum.* Baldus *conſil.124.* Angelus *conſil 313.* Fulgoſus *conſil.172.num.3.* Abbas *in cap. qualiter extrà de pactis*, Couar. *cap.quamuis pactum part.2.§.4.num.14.* Molina *diſp.257.* & alij.

An pactum nudum pariat obligationem in foro ciuili?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM obligationem nihil aliud eſſe, quam vinculum, quo contrahentes aſtringuntur ad aliquid faciendum, vel non faciendum, quæ obligatio triplex eſt naturalis, quæ non tribuit actionem in foro externo, ſed ſolum in conſcientia obligat: altera eſt ciuilis, quæ à lege poſitiua inducitur ſolū ex aliqua præſumptione, & talis eſt obligatio hæredis, qui non confecto inuentario obligatur ad ſoluenda legata etiam vltrà vires hæreditarias: tertia eſt mixta, ideſt naturalis, & ciuilis, quæ obligat in foro conſcientiæ, & in foro externo, & in iudicium producit actionem. Hoc poſito:

R. In foro ciuili pactum nudum nullam parere obligationem, cōmunis eſt ex Couarruuia *cap. quāuis pactum part.2.§.4 num.243.& ex leg. iuris gentium de pactis*. Ita Leſſius *lib.2.cap.17 dub.4 num.21.* Ratio, quia ſic decernitur per ius poſitiuum ne lites multiplicentur.

Sciendum 2. quod licet regulariter pacta in foro Ciuili non inducant obligationem, tamen in caſibus exceptis illam inducunt. Prima exceptio à regula generali eſt, quæ ſit per legem Canonicam, per quam omnia pacta, quantumuis nuda ſint obligationem pariunt, & actionem, licet propriè non ſit exceptio, quia regulam tollit. Tum etiam, quia non eſt de iure Ciuili, ſed de iure Canonico, vt etiam eſt ſequēs. Secunda exceptio eſt, quæ ſit per legem iurisgētium, per quam in omni pacto, etiam nudo obligatio oritur, & actio ciuilis. Tertia eſt de curia mercatorum, in qua quia valdè intereſt mercatorum, vt ſibi inuicem fidem ſeruent, & in nullo caſu etiam in nudis pactis fallant ſtatutum eſt, vt etiam ex nudo pacto detur actio. Ita Iuriſperiti. Quarta legis exceptio eſt, quæ habetur *leg. ad exactionem Cod. de dotis promiſ.* his verbis *ad exactionem dotis, quam ſemel præſtare placuit qualiacunque ſufficere verba cenſemus*, ſiue ſcripta fuerint, ſiue non, etiam ſi ſtipulatio in pollicitatione rerum dotalium minimè fuerit ſubſequuta, vbi gloſſ. ex nudo pacto, & eſt ſpecialis, & Baldus ibi, & in ſummario, *& leg. iuris gentium §. ſed cum nulla verba.* Quinta exceptio eſt donatio, quę & ſi non ſit vallata ſtipulatione, aut traditione, aut alio iuris remedio obligationem inducit. Ita *l. ſi quis argentum §. penult.* & ibi gloſſ. & communiter Doctores. Sexta exceptio habetur inſtituta *de actionib. ff de inſtituta pecunia*: vbi ex illo pacto, quod nudum reputatur datur obligatio, & actio ciuilis. Septima exceptio ex *leg. periculi Cod. de nautico fœnore*, vbi periculum ſuſcipit pecuniæ traiectitiæ Magiſter nauis etiam per pactum nudum. Octaua exceptio habetur ex *leg. etiam ff. de vſuris*: vbi ita habet textus, etiam ex nudo pacto debentur Ciuitatibus vſuræ creditarum ab eis pecuniarum. Quod debet intelligi de vſuris ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, & alijs titulis honeſtis, non autem de prohibitis, & execrādis. Nona ad eundem modum ex *leg. frumenti Cod. de vſuris*, vbi textus frumenti, vel hordei data acceptio mutuò etiam ex nudo pacto præſtanda eſt. Decima in pacto quod Vaſſallus ſeruiat domino fundi expēſis proprijs, quod etiamſi ſit nudum pactum oritur obligatio, & actio ciuilis, ne fides careat remuneratione. Textus capitalis in *leg. ſuarum 21. ff. de pactis dotal. § conuenit iaſon, &c.*

Qua

Quæ diſtinctio inter obligationem iuris naturæ, & iuris Ciuilis?

BRACTEA IX.

R. Obligationem iuris naturalis eſſe vinculum eiuſdem iuris naturalis, quo neceſſitate cõſtringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, obligationem ciuilem eſſe iuris vinculũ, quo neceſſitate conſtringimur ad aliquid dandum, vel faciendum ſecundum Ciuitatis iura. Secundò obligationem iuris naturalis eſſe longè præſtantiorem ciuili, tum quia obligatio naturalis ſuam trahit originem à iure naturæ, & obligatio ciuilis à iure ciuili: ius autem naturæ præſtantius eſt iure ciuili; tum etiam, quia obligatio naturalis ſeparari poteſt à ciuili, & aliquando obligatio ciuilis eſt ſine naturali: quando ſcilicet, vel ius ciuile non intendit ſub culpa obligare, vel ſi intendit id non aſſequitur, vel quia ducitur præſumptione non vera, vel laborat ignorantia inuincibili legis, aut contractus. Tum etiam, quia obligatio naturalis obligat ad culpam æternam tranſgredientes, quàm immediatè, & per ſe imponere non poteſt ius ciuile, ſed quatenus trahit originem à iure naturę.

An pactum nudum iuramento firmatum obliget in foro externo?

BRACTEA X.

R. Pactvm nudum iuramento firmatum in vtroque foro parere obligationem, *leg. ſi quis maior 41. ff. de pactis*, & Iuriſperiti, & Canoniſtæ. Communis eſt ſententia apud Couar. *cap. quamuis pactum* §. 4. *nu.* 26. Ratio, quia ſicut dat actionem contractui iure ciuili irrito multò magis contractui non irrito, quale eſt pactum nudum.

Sciendum, quod etſi ius ciuile quoad omnia pacta nuda, quæ cauſa donandi non fiunt, actionem directam ad exigendum deneget, non impedit tamen obligationem naturalem, ſiue legale debitum iuxta dictamen rationis naturalis oriri ex vi promiſſionis ratione fidei firmiter datæ, & acceptæ, & ex alijs ſimilibus pactis quantuncunque nudis, ſed potius ea de cauſa concedit promiſſario facultatem ad rem promiſſoris detinendam aliunde debitam, donec res promiſſa ſoluatur. Tum etiam ad compenſandum, vt ſi tanti valet res promiſſoris apud te exiſtẽs, quãti res alia ab eo promiſſa, nolitque ſtare promiſſis compenſationem facere potes, ſi pluris valeat ſoluas exceſſum. Tum denique ad excipiendũm, vt ſi iudicialiter exigat licitum ſit reſpondere, quod rem retines propter violatam fidem ad compenſationẽ rei promiſſæ faciendam. Vnde *leg. iuriſgentium ff. de pactis* §. *ſed cum nulla* Vulpianus inquit, nulla pactio obligationem intellige ciuilem, non parit exceptionem. Habet idem §. *præter autem eadem leg.* ſic habetur prætor ait pacta, & conuenta, quæ nec dolo malo, nec aduerſus leges facta erunt ſeruato (Subaudi admittendo exceptionem) iuxtà gloſſ. & Doctores ibidem Antonius Gomez 2. *reſolut.* §. 2. *cap.* 9. Sed ſecundùm ius Canonicum datur actio pro foro externo ex nudo pacto, atque ex nuda promiſſione ritè acceptata, etiamſi cauſa promiſſionis non exprimatur, modo iuridicè conſtet, cauſam ſubeſſe, & verũ animum ſe obligandi interueniſſe, iuxtà communẽ Doctorum ſententiam, quæ elicitur ex *cap.* 1. & *cap. qualiter de pactis*. Et pro foro conſcientiæ, vbi veritati ſtãdum eſt dari obligationem ſub mortali, quod colligi poteſt, quia Concilium Toletanum *cap.* 1. *de pactis* decernit is qui ſtare promiſſis non vult per Eccleſiaſticam diſciplinam, hoc eſt per cenſuram maioris excommunicationis compelli poteſt, opus tamen eſt, vt præcipuè cauſa promiſſionis vera ſit à parte rei, quia ſi fortè promiſiſti propter cauſam, quam à parte rei ſubeſſe credebas, quæ tamen re vera non ſubſiſtebat, tunc nullo iure in quouis foro obligationem adimplendi teneris: immò etiam in dubio, an cauſa vera ſit non eris obligandus ex liberali promiſſione, quia vt colligitur ex *cap. ex parte de cenſibus*, & *leg quoties ff. de verbor. ſignificat.* in dubio melior eſt conditio liberaliter promittentis, quam promiſſarij. Quod ſi quæras, cur iure canonico ex promiſſione actio oriatur, & non iure ciuili? Reſpondeo quia ex ſimplici promiſſione ritè acceptata promittens naturaliter obligatur ei, cui facta eſt promiſſio, & ideò peccat ſi fidem datam non ſeruat. Vnde quia ius canonicum curat nè peccata cõmittantur dat actionem, vt promiſſarius poſſit in iudicio petere, quod eſt ſibi promiſſum: at iuris ciuilis non eſt, niſi ea potiſſimum peccata prohibere, & impedire, quæ pacem Reipublicæ perturbant.

R. 2. Pactum irritum duobus modis firmari iuramento, primo modo directè, & in ſe ipſo, ſeu quoad vinculum, & valorem alio indirectè, & per quandã conſequutionem quoad effectus contractus validi, etiam ſi contractus ipſe per ſe non validetur: ſecundo modo contractus irritus confirmatur non quoad vinculum, ſed quoad effectum, in eo autem poſita eſt huiuſmodi confirmatio contractus, quod iuramentum non intelligitur cadere in contractum, ſed in promiſſionem illi coniunctam, qua confirmata ſequuntur omnes effectus, qui ſequuti fuiſſent ex valido contractu, & pacto.

R. 3. Lex reprobans contractum in odium creditoris non firmato iuramento, etiamſi poſſit licitè impleri. Vnde, qui iurauit ſoluere vſuras non remanet obligatus ex promiſſione, ſed tantum ex iuramento ſuo, vnde nõ remanet obligatus ex vſuris, ſed tantum ex iuramento, vnde ſi priuſquam ſoluat petit relaxationem iuramenti ea habita ad nihil tenetur. Secundò lex reprobans contractum in fauorem debitoris abſque odio, & turpitudine creditoris confirmatur iuramento, quoties ſine peccato iuramentum ſeruari poteſt, probatur tum iure ciuili in autent. *ſacram. puber.* vbi dicitur de tali iuramento, vt inuiolabiliter cuſtodiatur, tum Canonico *cap.* 2 *de pact. in* 6. vbi dicitur omninò ſeruentur, & *cap. cum contingat de iureiurando* dicitur, ſimpliciter talia iuramenta ſeruari debere. Quod debet intelligi modo ſupra dicto.

MALLEATIO XLIII.

De Contractibus in genere.

Quid ſit contractus?

BRACTEA I.

R. Ivxta communem ſententiam iuriſperitorum, & Theologorum ab omnibus acceptatam contractus eſt vltrò citròque obli-

obligatio. Quæ definitio non eſt formalis, ſed cauſalis deſumpta ab effectu, vt ſit ſenſus, contractus eſt actus ex quo oritur mutua obligatio, ex vtraque parte contrahentium. Ex qua definitione colligitur tria deſiderari in omni contractu: primò mutuum vtriuſque contrahentis conſenſum. Secundò, vt huiuſmodi conſenſus ſit legitimus, ideſt nullo iure prohibitus. Vnde pupilli nullum actum ciuilem exercere poſſunt lege illos prohibente. Tertiò, vt conſenſus liber ſit, & voluntarius, neque per vllam vim, aut metum extortus, & ſicut contractus mutuò citiuſque conſenſu conſtituitur, ita mutuò quoque vtriuſque conſenſu diſſoluitur iuxtà regulam iuris, quia omnis res, per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur. Item contractum dupliciter conſiderari: primò in fieri, & ſic eſt conſenſus in obligationem. Secundò in facto eſſe, vel vt eſt perfectus in ſuo eſſe habituali, & ſic eſt ipſamet obligatio ex illo conſenſu progenita, & contracta.

Sciendum contractum dupliciter ſumi latè, & strictè: latè ſumitur pro conuentione duorum, vel plurium in alterutrum ſaltem obligationem pariens: strictè ſumitur pro actu externo duorum, vel plurium ex ipſorum conſenſu vltrò, citròque obligationem pariente. Secundò contractum etiam tripliciter ſumi, primò impropriè, & ſic comprehendit quaſi contractum, & diſtractum: ſecundò propriè, & ſic comprehendit omnem conſenſum, per quem obligatio contrahitur etiam ab altera parte dumtaxat. Tertiò propriiſſimè, & ſic ſolum comprehendit contractus qui ex vtraque parte obligant. Secundò contractū non eſſe formaliter obligationem, ſed obligationem eſſe effectum contractus, eo modo quo dolor dicitur effectus contritionis, quam obligationem omnis contractus parit in foro conſcientiæ, ſiue accipiatur latè, vt ſunt pacta, donationes, promiſſiones, &c. quæ latè ſunt contractus, & etiam inducunt obligationem ſaltem in alterutrum, ſiue etiam strictè ex vtraque parte inducunt obligationem, vt patet in emptione, venditione, vt infrà dicetur, nam emptor eo ipſo tenetur tradere pretium ex iuſtitia venditori, & venditor tenetur tradere emptori rem illi venditam.

Quotuplex ſit contractus?

BRACTEA II.

R. Ex *leg.1 ff. de pact.* contractum multiplicem eſſe: primò diuiditur in nominatum, & in innominatum, contractus nominatus ex *l.iurisgentium, ff de pactis*, eſt qui nomine generalis pactionis, vt contractus non ſtat, ſed transit in proprium & ſpecificum nomen contractus: innominatus eſt, qui proprio, & ſpecifico nomine caret. Quæ diuiſio confirmatur ex *leg. naturalis ff. de praeſcriptionib. &c.* prioris generis ſunt emptio, venditio, locatio, mutuum, depoſitum, accommodatum, præcarium, pignus, &c. & dicuntur contractus nominati, eo quod habent proprium nomen, contractus innominatus eſt, qui non habet ſpeciale nomen, cujus quatuor ſunt ſpecies do vt des, do vt facias, facio, vt des, facio, vt facias, vt ſi Paulus Petro dederit aliquid v.g. panem, aut vinum, vt Petrus det illi oleū, aut aliud ſimile erit contractus innominatus primo modo, ſi verò dederit panem, vel vinum, vt pro eo laboret erit contractus innominatus ſecundæ ſpeciei. Si verò Paulus ſeruiat Petro, vt ipſum doceat eſt contractus quartæ ſpeciei, & ſi labores pro Paulo, vt det tibi panem, eſt contractus tertiæ ſpeciei. Ad contractus innominatos reducuntur illi, de quibus dubitatur an pertineāt ad nominatos. Secundò diuiditur in contractum bonæ fidei, & stricti iuris: contractus bonæ fidei eſt in quibus procedimus ſecundum quādam æquitatem, & iuſtitiam benigniorem, vt infrà dicetur: Contractus stricti iuris in quibus Iudicis arbitrium non tantū poteſt, ſed iuxta id quod dictum eſt, aut conuentum tenetur iudicare: hanc eſſe differentiam inter cōtractum bonæ fidei, & stricti iuris, quod in contractu bonæ fidei poteſt iudex ex æquo arbitrari, vt ſunt emptio, locatio, accommodatum, depoſitum ſocietas, pignus &c. in contractu stricti iuris Iudex ad verba ſtringitur, vt in ſtipulationibus, in contractu feudali, & emphiteotico. Tertiò diuiditur contractus in lucratiuum, & oneroſum: lucratiuus, in quo nullum intercedit pretium aut merces, ſed mera gratia, & liberalitas, oneroſus, in quo onus viciſſim imponitur, & interuenit recompenſatio, vt v.g. contractus commodati, donationis, præcarij, quibus aliquid promittitur, vel traditur abſque onere vel mercede; contractus oneroſus eſt, quo aliquid eius quod datur, debet reddi vel præſtari, vt ſunt mutuū emptio, & ſimiles contractus in quibus vel eadem res redditur, vel ſimilis in ſpecie, vel pretium loco rei. Quartò diuiditur in contractum in gratiam accipientis tantum, vt accommodatum, & mutuum &c. & in contractum in gratiam tradentis, vt eſt depoſitum, & in contractum in gratiam vtriuſque, vt emptio, venditio, locatio &c. Quintò diuiditur in pactum nudum, & pactum veſtitum: pactum nudum vt ſupra dictum fuit, nihil aliud eſſe quàm conuentionem, & conſenſum duorum vel plurium in idem, vt ſunt omnes contractus nominati, qui carent omni firmamento iuris ciuilis, & omnis contractus qui traditione rei perficitur, pactum veſtitum eſt quod aliquid amplius habet, vnde iure ciuili robur obtineat: veſtitur autem vt dictum fuit re ipſa, vt ſi ex altera parte ſit impletum. Secundò verbis accedente forma ſtipulationis. Tertiò ſcriptura, vt ſi quis fateatur ſibi eſſe ſatisfactum; Quartò iuramento: Quintò ſpecifico nomine contractus, vt ſunt contractus nominati &c. ſunt etiam aliæ diuiſiones contractus, de quibus ſuo loco.

Quomodo contractus bonæ fidei, & stricti iuris diſtinguantur.

BRACTEA III.

R. Tripliciter diſtingui: primò quia contractus bonæ fidei, in quibus intercedit dolus, dant cauſam contractui ſunt ipſo iure irriti, & nulli; non tamen ij qui ſunt stricti iuris, quamuis per exceptionem doli, praſcindi poſſint Couar, *2. part. regul. poſſeſſor* §.6. *num.6.*, Secundò quia obligatio contractus bonæ fidei extenditur ad omnia damna ſubſequuta, ad quæ tamen non extenditur obligatio contractum stricti iuris, niſi id ſit inter partes conuentum. Tertiò quia contractus stricti iuris regulariter non extenduntur ad ea, quæ tēpore contractus præcogitata non ſunt, vt ſi rem aliquam liberaliter promiſiſti, ſuperueniat aliquid, quod ſi præcogitaſſes non promiſiſſes fas eſt non ſtare promiſſis, vt docet S. Thomas cum communi ſententia 2. 2. *queſt.*110. *art.*3. Secus de contractibus bonæ fidei dicendum: vnde poſtquam rem iuſto pretio vendidiſti, vel domum locaſti non licebit ab illis recedere propter inæſtimatum euentum, de quo

ſi præ-

præ cogitaſſes, non contraxiſſes. Caietanus *in ſum. verbo votum.*

R. 2. prætet differentiam aſſignatam ſupram inter contractum nominatum, & innominatum aliam eſſe; nam contractus nominati ſimul ac fiunt, perfectam obligandi vim in iure habent, efficacemque actionem pariunt, etiamſi neuter contrahentium ex ſua parte contractum impleuerit, vt colligitur ex *leg. c. ff. de rerum permut.* Innominati verò ſunt; ex quibus non oritur ſtatim perfecta obligatio ciuilis, nec actio in iure, niſi ex altera parte ſint impleti, vel niſi veſtiantur forma ſtipulationis, aut iuramento, aut alia ratione.

Quibus modis perficiatur contractus?

BRACTEA IIII.

R. QVATVOR modis perficitur quilibet contractus, conſenſu, verbis, ſcriptura, ex re ipſa. Ita Silueſter *verbo contractus* Leſſius *cap. 17. lib. 2. dubit. 2.* & omnes. Ratio quia obligationes que ex contractu contrahuntur aut re contrahuntur aut verbis, aut litteris, aut cõſenſu *l. 1. ff. de obligat.* vbi textus obligationem quæ ex eſt litteris omiſit quia eſt minus vſitata.

Sciendum illos contractus perficit re ipſa, qui ad perfectionem contractus requirunt traditionem rei, vt depoſitum, commodatum, mutuum, permutatio; non enim ij contractus cenſentur celebrari, niſi re tradita, vt ipſa nomina indicant, quibus ſignificatur rei tradito. Vnde ante traditionem dum in ſolis verbis conſiſtunt dicuntur pacta nuda, quæ non pariunt obligationem ciuilem, niſi ex aliquo iuris priuilegio. Vnde in iſtis contractibus eodem momento, quo obligatio naſcitur, eodem etiam extinguitur, contractus qui perficiuntur ſcriptura ſunt qui ante ſcripturam rati nõ habentur, vt v.g. emphyteuſis, & quilibet alius contractus, quem contrahentes nolunt habere vim, niſi à notario conſcribatur. Antiquo tempore in omnibus contractibus requirebatur, ſed nunc non eſt neceſſarium, niſi in emphyteuſi, feudo, vel ſi ipſi contrahentes ad ſcripturam contractum referant; illi contractus verbis dicuntur perfici qui requirunt certam verborum formam, qualis eſt ſtipulatio, vt ſi quis alteri dicat, promittis pro locatione dare centum, & ipſe reſpondeat, promitto vel pro venditione domus ſpondes dare mille aureos? & ipſe reſpondeat; ſpondeo. Ita Inſtituta de *verbor. ſignificat.*

Quarto contractus qui perficiuntur ſolo conſenſu exterius explicato ſunt contractus qui non requirunt certam verborum formam, vt emptio, venditio, locatio, matrimonium, qui ex ſolo reciproco conſenſu perficiuntur, quia ſtatim obligatio contrahitur ex diſpoſitione iuris.

An omnis contractus obliget in vtroque foro.

BRACTEA V.

SCIENDVM obligationem nihil aliud eſſe, quã vinculum quo contrahentes aſtinguntur ad aliquid faciendum, vel non faciendum, quæ obligatio, vt dictum fuit triplex eſt: prima naturalis, quæ non tribuit actionem in foro externo, ſed ſolum in foro conſcientiæ: altera eſt ciuilis, quæ à lege poſitiua inducitur ſolum ex aliqua præſumptione; & talis eſt obligatio hæredis, qui non cõfecto inuentario obligatur ad ſoluenda legata etiam vltra vires hæreditatis. Tertiò eſt naturalis, & ciuilis ſimul, & eſt illa quæ obligat in foro conſcientiæ, & in foro fori, & in multum producit actionem. Quo poſito.

R. quemlibet contractum parere obligationem in foro conſcientiæ, dummodo non ſit irritus. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 4. num. 17.* & alij. Ratio quia quilibet iure naturæ tenetur ſeruare quod alteri promiſit ipſo acceptante ſiue titulo gratuito, ſiue oneroſo promittenti.

Sciendum 2. quod ſi contractus ipſe iure ſit irritus vel irritetur, tunc nullam parit obligationem, vt patet in contractu impuberum, & in alienationibus feudi dotalis, & ſimilibus, quia ex eo quod iure ciuili irritantur nullam pariunt obligationem. Secundò quod ſicut homines priuati poſſunt contractibus aliquas conditiones apponere, ita vt illis non ſubſiſtentibus validi non ſint, multò magis Princeps ſeu Reſpublica poteſt apponere in contractibus cõditiones, ita vt illis non ſeruatis ſint irriti, & inualidi. An pacta iure naturali Canonico, aut ciuili pariant obligationem dictum eſt ſupra.

De conſenſu requiſito ad contractum.

BRACTEA VI.

R. VT ſuprà dictum fuit in quolibet contractu requiri mutuum vtriuſque contrahentis cõſenſum liberum, & legitimum. Et ita communiter omnes. Ratio conſtat ex ſupra dictis.

Sciendum conſenſum requiſitum ad contractum debere habere quatuor conditiones: prima vt ſit liber, hoc eſt ſponte fiat nullui, aut metu ad id ſogente; cum autem triplex voluntas explicita diſtingui ſoleat, prima dicitur elicita, actus formalis voluntatis reſpondens huic verbo *volo*: ſecunda dicitur debita, quam legitimam alij vocant, & eſt cum quis tenetur aliquid lege velle, etiamſi actu elicito nolit: tertia libera modo ſuprà dicto. Prima nec ſemper requiritur, cum ſufficiat virtualis, nec ſatis eſt niſi ſimul ſit debita, & libera. Secunda aliquando ſufficit, vt in caſu extremæ neceſſitatis, qui accipit rem alienam comparat illius dominium domino conſentiente voluntate debita, licet ſæpè non elicita nec libera; tertia autem illa eſt, quæ communiter requiritur ad realem, & veram translationem dominij. Secunda conditio vt conſenſus ſit promiſſorius, Ideſt cum animo ſe obligandi ad leges eius contractus, qui celebratur, nam ſine eiuſmodi animo verba externa non ſunt apta inducere obligationem *leg. 1. ff. de pactis*. Tertiò vt ſit expreſſus aliquo ſigno externo, interna enim voluntas vt ſic non eſt ſenſibilis, & homo debet alteri obligari modo humano ſibi proportionato. Quarto non eſt neceſſe vt ſit conſenſus formalis, qui ſignificatur hac voce *volo*, ſed ſatis eſt vt ſit virtualis, virtute ſcilicet compræhenſus in alio.

An contractus cum errore celebratus ſit validus?

BRACTEA VII.

SCIENDVM errorem in contractu dupliciter poſſe contingere, vel circà ſubſtantiam, vel circà qualitates ipſius contractus, tunc eſt error circà ſubſtantiam, quando contrahens contrahendo de re vna, de alia contrahit, vt credens emere argentum, emit ſtannum, &c. tunc committitur error circà qualitatem, vel alia accidentia, quando

quis

quis credit contractum inire de re aliqua affectata aliquibus accidentibus, quę poſteà in ea non inueniuntur, vt credens emere equum ſtrenuum emit pigrum, vel emere vinum dulce, quod poſteà tale nõ inuenit, & contrahere matrimonium putaus cum Catherina quam putat eſſe formoſam, talem poſteà non inuenit. Hoc poſito.

R. Contractus celebratus cũ errore circà ſubſtantiam, vel circà obiectum ſubſtantiale iure naturali irritum eſt. Ratio eſt quia contractus ille cenſetur inuoluntarius ob defectum conſenſus in illum, quia contrahens non conſentit in rem illam, ſed in aliam vt ſi venditur gemmam putet eſſe vitrum, & pro tali vendat, emptor tenetur re comperta ad reſtitutionem gemmæ, vel ad iuſtum eius prætium pro vt de nouo inter eos conuenerit, quia venditur non conſentit in alienationem gemmæ ſed vitri.

Sciendum 2. Errorem circà ſubſtantiam duplicem eſſe antecedentem, & concomitantem. Antecedens qui ipſum contractum antecedit, & ipſius cenſetur cauſa, concomitans qui ſic concomitatur contractum vt nullo modo ſit cauſa ipſius, ſed eo ſublato ad huc contractus eſſet, vt ſi liber contrahat matrimonium cum ſerua neſcieus ipſam eſſe ſeruam quo cognito ad huc cum ipſa contraxiſſet matrimonium. Non modo antecedentem errorem, ſed etiam concomitantem circà ſubſtantiam reddere contractum irritum ipſo iure, & nullum. Ratio quia deeſt conſenſus, qui eſt de eſſentia contractus. Tum etiam quia cum ſit error in ipſo contractu ex eo ſit inuoluntarius. Ita Leſſius *lib. 2. de Iuſtitia cap 17. dub. 6.* Tum etiam quia error concomitans tollit voluntarium, & ſi non ſimpliciter, ſaltem ſecundum quid, quia nihil eſt nolitum quod non ſit præcognitum.

R. 2. errorẽ circà qualitatem vel accidentia obiecti non facere contractum irritum, modo non adſit dolus dans cauſã contractui. Ita communiter Doctores; Ratio quia cum huiuſmodi errore adeſt conſenſus ſufficiens ad contractum, & per conſequens contractus non cencetur irritus, vnde qui emit equũ pigrum credens eſſe ſtrenuum valide contrahit, & emit, cum error ſit ſolum circà qualitatẽ, & accidentia rei emptæ. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt. 77. art. 3.* Sotus *lib. 6. quæſt. 3. art. 2.* & eſt communis. Item matrimoniũ celebratum cum errore qualitatis, validũ eſt vt putans accipere diuitẽ, & accipit pauperẽ: item putans contrahere matrimoniũ cum virgine cõtrahit cũ deflorata: ſimiliter ſi contrahat cum errore nominis validum eſſe matrimonium, cum ſit error circà qualitatem, dummodo error nominis non tranſeat in errorem perſonalem, Ita *leg. in venditionibus parag. 2. ff. de contrahenda emptione* Azorius 3. *part. lib. 8. cap* 5. Et alij plures citato à Bonacina *de contractibus quæſt. 2. pun. 2. §. 1. num. 7.*

An contractus dolo celebratus ſit validus?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM hæc nomina dolus, circumuentio, fraus, calliditas, fallacia, machinatio, proxima eſſe, & ferè eandem rem ſignificare, & multoties confundi; ſignificant enim omnem deceptionem, quæ alium in errorem conducendi gratia. fit cum aliud ſimuletur, & aliud agatur. Secundò dolum duplicem eſſe, vnum antecedentem, ſiuè dantem cauſam contractui, alterum concomitantem, ſiuè incidentem in contractu. Dolus antecedens ſiuè dans cauſam contractui ille dicitur, ſine quo cõtrahens non contraxiſſet; Concomitans ſiuè incidens in contractu dicitur ille, quo poſito adhuc contrahentes contraxiſſent, vt ſi non eſſent decepti: nomine autem doli intelligimus deceptionem, qua quis alterum in contractu decipit dicto, aut facto, vel certè omiſſione eius, quod dicere, vel facere tenebatur. Rebellus 2. *part. lib. 1. quæſt. 6. ſect. 1* Molina *tom. 2. diſp. 293.* & alij. Secundò aliquando dolum eſſe ab vno contrahentium adhibitum, aliquando ab aliqua tertia perſona, abſque participatione alicuius contrahentis, aliquando cum participatione contrahentis. Quo poſito.

R. Dolus incidens in contractu, etiamſi ab altero contrahente, ſcienter adhibeatur in nullo foro irritat contractum; ſed ipſe eſt validus, & obligat in vtroque foro. Ita ex *lege ſi quis affirmauerit*, Rebellus *loco cit.* & alij communiter. Ratio quia per dolum incidentem non tollitur conſenſus, ac voluntarium, & per conſequens contractus cenſetur liberè celebratus, decipientem tamen peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem damnorum, quæ ob id paſſus eſt deceptus, & in vtroque foro deceptum habere actionem repetendi, ſi vltrà dimidium deceptus ſit. Rebellus *loco cit.* Silueſter *verbo culpa quæſt. 7.* Angelus *verbo Dolus*; & contractum reſcindendum eſſe volente decepto, decipientem verò non poſſe reſcindere contractum volente decepto in eo ſupermanere. Ita Antonius Gomez *tom. 2. cap. 2. n. 21.* Rebell. *loc. cit.* Molina *diſp. 352. n. 14* & alij. Ratio quia iura fauẽt deceptis, & nõ decipiẽtibus.

R. 2. Quilibet contractus ſiue onerosus, ſiuè lucratiuus celebratus per dolum dantem cauſam contractui procedentem ab vno contrahente, vel cum participatione alicuius contrahentis inualidus eſt ſiuè poſitiuo, & in foro conſcientiæ; excepto matrimonio, dummodò dolus ſit circà ſubſtantiam contractus. Ita Azorius 3. *part. lib. 6. cap.* 10. Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 64. num. 3.* Rebellus, & Silueſter locis citatis, & alij. Ratio quia in tali contractu non cenſetur adeſſe conſenſus. Tum etiam quia dolus in ſubſtantialibus tollit voluntarium.

Sciendum quòd, & ſi iure poſitiuo contractus celebrati dolo dante cauſam contractui ſint irriti, tamen iure naturæ non ſunt irriti, modo non adſit error circà ſubſtantiam contractus, cum dolo dante cauſam contractui ſit voluntarium comitans. Secundò cum contractus alij ſint ſtricti Iuris, alij verò bonæ fidei, contractus ſtricti iuris in foro externo non eſſe irrito, & inualidos. *Cap. de inutilibus ſtipulationibus*, licèt decepto concedatur actio contrà decipientem, ne adimpleat ſi nondum adimpleuit, vel compenſationem damni, ſi iam contractus erit adimpletur. *leg. cum poſteà cod. de pactis.* Angelus *verbo Dolus*, Silueſter *verbo Culpa, quæſt. 7.* & alij plures. Quando verò non eſt à contrahentibus, ſed à tertia perſona contractus eſt validus. Medina, *cod. de reſtit. quæſt. 33.* Conradus *de contract. quæſt. 57.* tenent eſſe inualidum, cum deſit conſenſus liber, qui ad ſubſtantiam contractus requiritur. At Couarruuias *regula poſſeſſor part. 2. §. 6. num. 6.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp 64. num. 3.* Silueſter *verbo Culpa, quæſit. 7.* Molina *diſp. 352.* Rebellus *prima part. lib 1 de contract. quæſt. 6. & lib. 3. quæſt 4. num. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num 33.* Reginaldus *lib. 26. num. 128.* Azorius 3. *part. lib. 6. cap. 10.* & alij tenent validum eſſe contractum, quando dolus prouenit à tertia perſona, vel à propria opinione, qua contrahens ſe ipſum decepit. Tum quia nullum ius irritat huiuſmodi contractum; tum quia adeſt ſufficiens conſenſus, cum non erretur circa ſubſtantiam, ſed circà accidentia.

An accepta per dolum, & ſimulationem ſint reſtituenda?

BRACTEA IX.

SCIENDVM, quod dolus, & ſimulatio aliquãdo poſſunt verſari circa cauſam finalem, & motiuam, aliquando ſolum circà cauſam impulſiuam. Tunc verſantur circà cauſam finalem, & motiuam, quando ita mouent contrahentem, vt his excluſis non eſſet contractus, ſeu diſpoſitio. Vnde cauſa finalis alicuius contractus dicitur illa, ſinè qua contractus non fuiſſet, v. g. talis donatio, & legatum, &c. Tunc dolus, & ſimulatio cenſentur verſari circà cauſam impulſiuam contractus, quando verſentur circà id, quod non eſt abſolutè cauſa contractus, v. g. donationis, &c. ſed tantùm ſecundum quid ex eo, quod libentius contrahat, v. g. libentius donet, vel relinquat legatum, &c. Quo poſito.

R. Contractum dolo celebratum circà cauſam finalem iuræ naturæ non eſſe inualidum, dummodo non adſit error circà ſubſtantiam. Ita Bonacio. *diſp. 3. de contract. quæſt. 1. pun. 2. §. 2. num.* 3. quia ſi contractus dolo celebratus eſſet inualidus iure naturæ, ſequeretur etiam matrimonium eſſe inualidum, matrimonium autem dolo celebratum non eſt inualidum; ergo contractus dolo celebratus iure naturæ non eſt inualidus.

R. 2. Accepta per dolum, ſimulationem verſantem circà cauſam finalem, & motiuam eſſe reſtituẽda iure poſitiuo, licet non ſint reſtituenda iure naturæ. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num.* 35. Nauarr. *cap. 17. num.* 107. Vaſquez *de reſtit. cap. 7. dub. 10. nu* 90 Azorius 3. *part. lib. 4. cap. 1. quæſit.* 8. & alij communiter. Ratio primæ partis eſt, quia talis donatio ob dolum, & ſimulationem circà cauſam finalem cenſentur inuoluntaria, cum ſit ſub conditione, ſi talis cauſa ſubſiſtit. Ratio ſecundæ partis eſt, quia vt dictum eſt, ſupra talis contractus iure naturæ nõ eſt irritus. Secundò accepta per dolum, & ſimulationem circà cauſam impulſiuam poſſunt retineri, & per conſequens poſſe retineri legatum acceptum ob dolum, & ſimulationem circà cauſam impulſiuam. Ita auctores citati. Ratio eſt, quia cum adſit ſufficiens conſenſus tradentis, aut promittentis, adeſt etiam ſufficiens titulus, quod iuſtè retineri poſſint. Tum etiam, quia talis contractus, v. g. donatio, & promiſſio valida ſunt.

Sciendum 2. quod ſi quis relinquerit aliquod legatum, puellæ, vel parenti dandum, videndum eſt an abſolutè donet, an verò cum aliqua circumſtantia finis, ſeu conditione à qua tanquam à cauſa velit dependere talem contractum, ſeu diſpoſitionem, ſi non ſit abſolutè relictum, ſed cum aliqua circumſtantia, ſeu conditione videndum eſt, an illa motiua, an ſolum impulſiua ſit, non ſubſiſtente cauſa motiua, promiſſio ſeu donatio legati erit inualida, quia non ſubſiſtente cauſa, à qua dependet diſpoſitio, nec etiam diſpoſitio ſubſiſtit, & ſubſiſtente cauſa motiua, licèt non ſubſiſtat impulſiua, donatio erit valida, cum donans, ſeu promittens cenſeatur liberè dare, aut promittere, & donatio, ſeu promiſſio non dependeat à cauſa impulſiua. Vnde qui ſe fingendo pauperem, vel parentem accipit eleemoſynam, legatum, &c. acceptum reſtituere debet ſi paupertas, vel conſanguinitas ſint cauſæ finales, & motiuæ donationis. Secus autem ſi ſolum impulſiuæ, niſi ex aliqua circumſtantia colligatur, donationem liberam, & abſolutam eſſe, quia tunc poſſunt retineri, cum abſolutè data ab eo qui poteſt dare iuſtè retinere poſſint Reginald. *lib. 25. num. 6.* Rebellus *lib. 8. quæſt. 17.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub. 17. nu.* 132. Azorius 3. *part. lib. 4. cap. 21. quæſt.* 8. Nauar. *cap. 17. n.* 127.

An deceptus poſſit compellere decipientem ſtare contractui, volente decepto perſiſtere in contractu?

BRACTEA X.

AFFIRMATIVE reſpondet Molina *diſp. 352. n.* 8. Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 32. & num.* 62. Reginaldus *lib. 15. nu.* 122. & *nu.* 144. Coninch. *de matrim. diſp. 28. dub. 1. num.* 7. & ratio quia decipiens verè concenſit; ergo ſi deceptus velit conſenſum acceptare, & permanere in contractu tenetur decipiens in eo permanere. Tum quia iura facent deceptis, & non decipientibus ſed

R. cum Sanchez de *matrim. lib. 1. diſp. 64. num.* 3. Medina *quæſt. 3. de reſtit.* & alijs apud Sanchez *lib. 4. de matrim. diſp. 15. num.* 5. non teneri ante ſententiam Iudicis adimplere cõtractum volente decepto permanere in contractu. Ratio quia contractus oneroſus cenſetur cum tacita conditione celebratus obligo me, ſi tu te obliges; cum autem deceptus non ſe obliget eo quod dolus dans cauſam contractui inualidum reddat contractum ſequitur decipientem non teneri ſtare cõtractui volente decepto illi ſtare. Tum quia contractus oneroſus non claudicat, ideſt non obligat ex vna parte, niſi etiam obliget ex alia, cum contractus ſit vltrò citroque obligatio, & cum non obliget, ex parte decepti, nec etiam ea parte decipientis, & conſequenter non tenetur decipiẽs ante ſententiam Iudicis ſtare cõtractui volente decepto in eo ſtare; obligatur tamen decipiens ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ paſſus eſt deceptus, cum peccauerit contra iuſtitiam inducendo alterum per fraudem ad contrahendum, & ex peccato contrà Iuſtitiam conſurgit obligatio reſtituendi damna ſequuta, ex violatione illius, cum reſtitutio ſit actus Iuſtitiæ commutatiuæ, qua vnicuique, quod ſuum eſt tribuitur.

An contractus ſimulatus ſit validus?

BRACTEA XI.

R. TALEM contractum eſſe nullum. Ratio huius eſt, quia in tali contractu non interuenit verus conſenſus contrahentium, & cum conſenſus non modo ſit cauſa efficiens, ſed etiam veluti forma eſſentialis contractus, hinc ſequitur ipſum eſſe inualidum, & irritum quolibet iure. Secundo ex inæqualitate pretij, non licere argumentari contractum eſſe ſimulatum, nam in *leg. Imaginaria de regulis iuris*, habetur non dari imaginariam, hoc eſt ſimulatam venditionem, vbi re vera pretium interuenit. Quod eſt verum, etiam ſi pretium vltra, vel infrà dimidiũ iuſti detur; modo tamen non ſit adeo paruum collatione rei venditæ vt moraliter loquendo pretium dici nequeat, vt ſi pro gemma pretioſa vnus nummus daretur, nam tunc potius eſſet pretij ſimulatio, quam pretium ſimpliciter: ac proinde eſſet ſimulata venditio, & per conſequens contractus in vtroque foro nullus, cum non præſumatur conſenſus, ſine quo contractus non poteſt ſubſiſtere, licet aliqui putent ex inæqua-

inæqualitate prætij contractum poſſe præſumi ſimulatum.

An contractus metu celebratus ſit validus?

BRACTEA XII.

Sciendum metum alium eſſe grauem, alium leuem, ſeu alium cadentem in conſtantem virum & alium cadentem in inconſtantem virum. Metus cadens in conſtantem virum eſt quo eligitur minus malum ad euitandum maius, ſicut nauta facit, qui ad ſaluandam vitam merces in mare proijcit; qualis eſt metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, diuturni Carceris, longi exilij, ſeruitutis, ſtupri, tam in fœmina, quam etiam in viro, amiſſionis honorifici ſtatus, amiſſionis omnium bonorum, aut notabilis partis, infamiæ iuris, vel etiam facti, excommunicationis iniuſtæ, quæ dicuntur metus grauis, & cadens in conſtantem virum ſi nobis ea timeamus, verum etiam ſi ea Parentibus, filijs, vxori, vel etiam cognatis in primo gradu, vel etiam amico maximè intrinſeco timeantur. Metus autem reuerentialis abſolutè non reducitur ad metum grauem, ſeu cadentem in conſtantem virum, niſi coniunctus ſit cum minis, aut verberibus, vel certè cum magna aſperitate vultus. Preces importunæ non habent ſimiliter vim metus cadentis in conſtantem virum, niſi coniunctæ ſint cum minis, aut timore malæ tractationis; verum ſi huiuſmodi preces ſint moleſtiſſimæ, vel procedant à perſona quæ ſuperioritatem habeat, cenſentur habere vim metus cadentis in conſtantem virum. Leſſius *lib.2. cap.3. num.39. C. de Lugo diſp. 22. ſect.7. num.*115. Quo poſito.

R. Contractus metu cadente in conſtantem virum celebratus iure naturæ eſt validus. Ita Leſſius *loco cit.* Sanchez *lib.4. de matrim. diſp.*8. *num.* 4. Ratio quia metus ſimpliciter non tollit voluntarium, ſed facit voluntarium mixtum, & ſecundum quid, Ariſtoteles 3. *Aethicor. cap.*1.

Secundò contractus metu graui celebrati iure poſitiuo etiam validi ſunt, exceptis tamen quibuſdam caſibus. Ita Leſſius *loco cit.* Azorius *part. lib.*4. *cap.*33. *quæſt.*1. Sanchez *loc. cit.* Lopez 2. *part. cap.*4. Bonacina *diſp.*3. *de contract. quæſt.*3. *pun.*2. *parag.*3. & alij. Ratio patet ex pluribus Iuribus. Inſtit. de *except. ſi metu coactus aut dolo induct. leg. ſi mulier* 21. §. *fin. &c.* Tum etiam *leg. vlt. de his quæ vi præcipiuntur.* Venditiones, & donationem per potentiam extortæ poſſunt infirmari, quod ſignum eſt antea fuiſſe contractus validos.

Sciendum 2. metum cadentem in conſtantem virum non dici talem abſolutè, ſed reſpectiuè, ac proinde metum, qui reſpectu vnius eſſet cadens in virum conſtantem, non eſſe talem reſpectu alterius, qui fortior, & robuſtior eſt. Vnde minor metus requiritur in fœmina, quam in viro, quia fœminæ ſuaptè natura ſunt valdè imbecilles, quod etiam dicendum eſt inter ipſos viros. Ita Merolla *to.*1. *diſp.*7. de voluntario *dub.*4. & cum eo plures citati.

Sciendum 3. metum reuerentialem dari, in eo, qui iure aliquo ſubiectionis alteri ſubeſt, vt in Clerico reſpectu Epiſcopi, in ſeculari reſpectu magiſtratus, cui ſubditur in vxore, reſpectu viri, in filio reſpectu patris. Ratio eſt, quia cum hi Superiores ſint, & alij, ipſis ſubiecti ſuaptè natura, quandam reuerentiam, & obſequium eis debent, quæ reuerentia timorem, ac pudorem incutit, vt minus audeant ipſorum voluntati contradicere: quod etiam dicendum eſt de ſocero, auo, tutore, & curatore, quia loco parentis habentur *leg. ad ea, quæ ff. de regul. iur.* Nauarrus *lib.*4. *Conſil. titul. de his quæ vi concil.*10. *num.*5. Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.*9. *n.*5. *Merolla diſp.*1. *de volunt. dub.*13. *n.*88. *&* 89.

Sciendum 2. quod licet verum ſit, quod contractus metu graui celebrati ſint iure poſitiuo validi; tamen ab hac regula excipiuntur quidam caſus, qui ipſo iure poſitiuo ſunt inualidi metu graui facti. Primus, eſt contractus matrimonij, quamuis ſit iuramento firmatus, vt communiter omnes Doctores docent in *cap. cum locum*, & in *cap. veniens* 2. *de ſponſalib.* Secundus, ſi dos ſoluta fuit, vel promiſſa per metum grauem, quia cum ſit acceſſoria ad matrimonium ſequitur ipſum tanquam ſuum principale. Tertius, alienatio de rebus Eccleſiæ metu facta, non eſt valida. Quartus, non tenet votum metu graui factum; *cap. de his quæ vi, &c.* Quintus, renuntiatio beneficij per vim extorta, donatio, & promiſſio etiam per vim extorta non ſunt ipſo facto irrita, ſed irritanda. Leſſius *loco cit.*

An verò *iuriſdictio* metu extorta ſit ipſo facto irrita, an irritanda dubium? Ad quod reſpondeo nõ eſſe ipſo facto irritam, ſed validam: excepto tamen caſu abſolutionis cenſuræ pro vim extortæ.

R. 2. Contractus per metum grauem celebrati poſſunt reſcindi pro arbitrio eius, qui paſſus eſt metum, ſi metus iniuſtè incuſſus fuit ad contractum extorquendum. Ita Nauarrus *cap.* 21. *num.* 51. Sanchez *lib.*4. *de matrim. diſp.*9. Reginaldus *lib.* 15. *nu.*31. Ratio eſt, quia qui altero metum iniuſtè incuſſit iniuriam illi intulit, & tenetur illum in priorem ſtatum reſtituere.

Sciendum 3. quod ſi metus non fuit incuſſus ad hunc effectum, nimirum ad contractum celebrandum, ſed ob alium finem, & ob illum contractus ſit celebratus, tunc contractus tali metu factus non poteſt reſcindi, quia in iſto caſu metus non cenſetur cauſa contractus, ſed ſolum occaſio, & ille contractus non poteſt dici metu factus, cum ſit voluntarius, & metus non fuerit incuſſus ad hunc effectũ nimirum ad celebrandum contractum. Secundò, quod ſi metus incuſſus ad contractum celebrandũ fuerit iuſtè incuſſus, tunc contractus non poteſt reſcindi, nec irritari. Ita Silueſter *verbo metus quæſ.* 6. Sanchez *lib.*4. *diſp* 8. *num.* 8. & alij ſupra citati. Ratio, quia huiuſmodi contractus validus eſt, nec vlla interceſſit iniuria, per quam debeat reſcindi, & tunc metus iuſtè incutitur, quando malum, quod minatur iuſtè poteſt inferri. Vnde qui violauit virginem poteſt compelli eam ducere, vel dotare. Ita Silueſter *verbo metus quæſt.* 6. Angelus. Contractus matrimonij, & votum ex eo quod ſunt contractus indiſſolubiles, & electiones ſtatus perpetui non irritari metu leui, nec quolibet metu graui cadente in conſtantem virum, ſed requiri quod metus grauis cadens in conſtantem virum ſit incuſſus ad hunc effectum. Ita Leſſius *loco cit. num* 47. Rebel. 2. *part. li.*1. *q.*6. *n.*17. & alij. Tertiò hanc eſſe differentiam inter metum grauem, & leuem, quòd pro metu graui, datur actio in foro externo ad reſcindendum contractum: non verò ſolet dari pro metu leui, ne lites multiplicentur *leg. nec timorem ff. de eo quod metus cauſa.*

An

An metus amiſſionis gratiæ Principis, vel alicuius magnatis reuocetur ad metum cadentem in conſtantem virum?

BRACTEA XIII.

R. Mstvs amiſſionis gratiæ Principis reuocatur ad metum cadentem in conſtantem virum. Ratio, quia ex amiſſione gratiæ Principis poteſt ſuſpicari maximum malum imminere, & per conſequens ad metum grauem, & cadentem in conſtautem virum reuocatur. Tum etiam, quia amiſſio gratiæ Principis præponderat amiſſioni honorifici ſtatus, amiſſioni bonorum, &c. qui reuocātor ad metum cadentem in conſtantem virum: ergo, &c. Tum etiam, quia talis metus habet omnia requiſita ad metum cadentem in conſtantem virum.

Sciendum quinque eſſe conditiones metus cadētis io conſtantem virum. Prima, vt malum, quod timetur ſit graue, qualis eſt metus mortis, mutilationis, &c. vt ſuprà, nam inconſtantis eſt, & leuis rem paruam expaueſcere. Secunda, vt æſtimatio ſit fortis; id eſt, vt timens non leuiter, ſed probabiliter credat malum illud ſibi imminere, quoniam vir conſtans non niſi ex rationabili, & forti mouetur æſtimatione. inconſtans autem ex leui. Tertia conditio, vt metu incutiens potens ſit minas implere, noo enim eſt viri conſtantis, quibuſcunque terreri minis, vt viri inermis, vel ſi minans ſit ſenex, debilis, & alter Iuuenis. Quarta conditio, vt minas incutiens ſolitus ſit minas exequi; ſecus ſi homo ſit facilis minas iactare, & facilius ira depoſita nihil, aut parum exequutioni maudans, nec ſufficit, vt metum incutiens ſemel minas impleuerit, quia vnicus hominis actus nō facit conſuetudinem ſed requiritur, quod ſaltem bis minas exequutus fuerit. Quinta conditio ne poſſit timens facile euitare mala quæ timentur; ſi enim poſſet alia ratione facilè occorrere malis, vt implorando alicuius auxilium, conſulendo Superiorem, non eſſet timor iuſtus, aut conſtans in conſtantem.

Sciendum 2. Senſum huius propoſitionis, An metus amiſſionis gratiæ Principis reuocetur ad metum cadentem in conſtantem virum, ita vt in his quæ ſunt extrinſecè mala excuſet à peccato, & à cenſura, ſi quæ lata eſſet, vt v. g. ſi Princeps faciat aliquod edictum contrà Immunitatem eccleſiaſticam, vt v. g. bona eccleſiaſticorum ſoluant ad ratam tributum, &c. excuſentur ab incurrenda cenſura, qui metu amiſſionis gratiæ Principis cooperantur ſcribentes edictum, interinantes, promulgantes, & exequentes. Ad quod reſpondeo excuſari, quando metus amiſſionis gratiæ Principis poteſt eſſe illi cauſa alicuius grauis præiudicij, v. g. priuationis officij, dignitatis, vel etiam exilij, &c. & ſatis eſt, quod de iſtis malis imminentibus probabilitatem habeat.

Secundò metū amiſſionis gratiæ alicuius Magnatis, &c. reuocatur ad metum cadentem in conſtantem virū, ſi probabiliter poſſit timeri aliquod damnum in vita, vel in bonis. Ratio eſt, quia ſi effectus reuocatur ad metum cadentem in conſtantem virum, quod eſt damnum in vita, vel in fama; aut in bonis, &c. ergo etiam cauſa poteſt reuocari, quæ eſt amiſſio gratiæ, à qua poſſunt dependere prædicta mala. Vnde cooperantes ad promulgationem edicti contrà Immunitatem eccleſiaſticam ob metum amiſſionis gratiæ alicuius Magnatis, v. g. primi Præſidis Senatus, &c. excuſantur non modo à peccato mortali, ſed etiam ab incurrenda cenſura; ſi cum amiſſione adſit etiam periculum alicuius mali imminentis, v. g. amiſſionis, vel priuationis officij. Ratio eſt quia metus cadens in conſtantem virum excuſat ab incurrenda cenſura, ſecùs autem ſi metus amiſſionis gratiæ non ſit coniunctus cum periculo alicuius mali imminentis.

An valeat in Conſcientia contractus ex metu leui celebratus?

BRACTEA XIV.

L. Essivs *lib. 2. cap. 17. dub. 7. num. 46.* Rebellus *part. 2. lib. 1. quæſt. 5.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. diſp. 9. num. 4.* negatiue reſpondent, quia qui metu cogitur ad aliquem contractum efficiendum priuatur per iniuriam ſua libertate; ergo debet in priſtinum reſtitui, vt probet, vel improbet contractum per metum celebratum. Deinde metus leuis aliquando non minus conturbat hominem, & impellit nolentem ad conſenſum, quam metus grauis; ergo, &c. Quæ intelligenda ſunt, quando metus leuis iniuſtè incuſſus eſt, vt quando re vera metus eſt cauſa, ſine qua noo conſentiret. Vndè ſupradicti Doctores inferunt, quod ea quæ ſolum metu reuerentiali acta ſunt poſſunt reſcindi, & eum quæ inde commodum percepit teneri ad reſtitutionem. Vnde ſi vxor conſentiat in aliquem contractum mariti, vel aliquid promittat, vel fide iubeat, quia non audeat contradicere marito timens iurgia, &c. poteſt renocare conſenſum, & eos, qui inde aliquid acceperunt ad reſtitutionem teneri, & ſimiliter reſtituenda eſſe, quæ per preces importunas ab aliquo obtenta ſunt voluntate repugnante, & ſolū data ad repellendam moleſtiam. At Molina Complutenſis *Cod. de reſtit. quæſt. 3. cauſa 9.* & Baſilius Pontius de *matrim. cap. 10. num. 5.* & alij contrarium docent, quia metus leuis eſt in poteſtate patientis, eumque refutare poteſt, nam, & is qui operatur ex metu non agit prudenter, quare in eius poteſtatè eſt metum repellere, cum in ſe ſufficiens principium habeat repellendi ipſum: quare voluntariè videtur operari, qui cum facilè poſſit repellere metum, & non vult, ex qua doctrina iam facile conſtat, promiſſionem, vel donationem non euerti, eo metu titulo libertatis, cum in eius poteſtate ſit metum repellere; conſtat enim in contractibus non cenſeri factam iniuriam aliquam, cum metum leuem à ſe facilè repetere poſſit, ſed potius noluiſſe illum pati Ita Baſilius Pontius. Ex hijs apparet vtramque ſententiam eſſe probabilem, & quæ ſit noſtra infra dicetur.

An acquiſita Contractu metu leui, aut graui celebrato ſint reſtituenda?

BRACTEA XV.

R. Acqvisita per contractum celebratū metu graui, aut leui incuſſo non eſſe reſtituenda. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 17. numer. 40.* Sanchez *lib. 4. diſp. 9. lib. 4.* Azorius *3. parte lib. 4. c. 23.* Siloeſter *verbo Reſtitutio*, Nauarrus *cap. 17. num. 30.* & alij. Ratio quia noo violat Iuſtitiam iuſtè incutiendo metum, & obligatio reſtituendi oritur ſolum ex obligatione iuſtitiæ. Secundò acquiſita per

contractum celebratum metu leui iniuſtè incuſſo in foro conſcientiæ ſunt reſtituenda. Ita auctores ſupra citati. Ratio, quia hic metus violat Iuſtitiam, ac grauis, & omnis violatio Iuſtitiæ obligat ad reſtitutionem. Tertiò acquiſita per contractum celebratum metu graui iniuſtè incuſſo in vtroque foro, ſe reſtituenda ante Iudicis ſententiam. Ita auctores citati; ratio quia infereus metum, fecit iniuriam tradenti, & obligatur ad reſtitutionem. Quartò acceptum per preces importunas, aut metum reuerentialem, quo aliquis inuitus eſt, & quaſi coactus tradidit eſſe reſtituendum, modo extortum ſit ab eo, qui voluntate repugnante tradidit ad repellendam moleſtiam, & ad euitanda iurgia, vel ad repellendam importunitatem precum, vel etiam ad euitanda alia incommoda. Sanchez *lib.* 4. *de matrim. diſp.* 9. & 10. Leſſius *loco cit. num.* 48. Rodriquez *cap.* 132. Molina *tract.* 2. *diſp.* 26. & alij. Et ideò non obligari filium ſoluere legata Patris, qui ob metum reuerentialem ea promiſit ſoluere timens eius indignationem, ſine qua non promiſiſſet. Sanchez *loc. cit.* Lopez 1. *part. cap.* 96. Similiter qui aliquid minanti promiſit ne de crimine accuſaretur obligatur ſtare promiſſioni. Ratio eſt, quia promiſit, vt alter deſiſtat à iuſta accuſatione criminis, & idcircò obligatur promiſſionem aſſequi, & alter poteſt recceptum retinere. Verum ſi qui minabatur non habuiſſet intentionem accuſandi, ſed ſolum inferendi terrorem, vt aliquid reciperet, tunc non poteſt acceptum retinere, cum illud accepetit per dolum dantem cauſam contractui. Molin. *de contract. diſp.* 154. Ratio quia metus reuerentialis coniunctus cùm timore alicuius mali imminentis reducitur ad metum cadentem in conſtantem virum.

An contractus lucratiui, promiſſorij ex metu iniuſto celebrati iure naturali ſint validi?

BRACTEA XVI.

SOTVS in 4 *diſt.* 29. *quaſt.* 1. *art.* 3. docet, donationem, aut promiſſionem metu iniuſto factam validam eſſe Iure naturæ; & ita etiam Henriquez *lib.* 11. *cap.* 4. *num.* 4. Ledeſma *de matrim. queſt.* 47. *art.* 3. *dub.* 1. Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 8. *num.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. *num.* 37. & alij; & hæc opinio videtur probabilis: ſed alij non minus probabiliter contrariam ſententiam docent, & aſſerunt contractum liberalis donationis aut promiſſionis, ex metu graui celebratum inualidum eſſe iure naturæ; ita vt neque naturalis obligatio ex eo ſequi poſſit: & ita Medina *cod. de reſtit. quaſt.* 3. *cauſa* 2. Arragon. 2. 2. *quaſt.* 89. *art.* 7. Rebellus *part.* 2. *lib.* 1. *quaſt.* 5. Molina, & Azotius, quos citat, & ſequitur Baſilius Pontius *de matrim. lib.* 4. *cap.* 6. Et probatur hæc opinio à poſteriori, quia innumeri ferè, Doctores admittunt, eum qui iniuſtè aliquid extorquet per vim aut metum à donante teneri in foro conſcientiæ ad reſtitutionem. Ita Couar. Adrianus, Sileueſter, Nauar. Sanchez, & Leſſius apud Baſilium, vbi ſupra *num.* 6. ergo neque transfertur dominium, neque valet contractus, nam ſi iure naturali valeret, non eſſet obligatio reſtituendi ante ſententiam, vel poſtulationem reſciſſionis, & transferretur dominium ſolum, quæ eſſet actio in perſonam, & non in bona, quæ omnia ſunt abſurda; ergo, &c. His loquitur, ait Pontius *num.* 8. Leſſium parum ſibi conſtare, cum docet ex vna parte donationes metus extortas mero iure naturali valere, & tamen poſteà *num.* 44. *docet*, eum qui ex huiuſmodi contractu aliquid eſt aſſequutus teneri ad reſtitutionem, & eum qui vim paſſus eſt poſſe occultè ſurripere, ſi quod donauit recuperare non poſſet; hæc quidem manifeſtè ſibi repugnant, nam ſi valent iure naturali etiam iure ciuili valent, vt Leſſius fatetur, donec reſcindatur contractus; ergo non eſt locus occultè compenſandi, nec datur obligatio reſtitutionis, donec per ſententiam reſciſſio fiat, aut poſtulet is qui vim paſſus eſt. An verò ſupradicti contractus metu graui celebrati ſint Iuris Ciuilis diſpoſitione ipſo iure irriti, vel reſcindendi agit idē Pontius *loco cit. cap.* 8. & contrà Sanchez, & alios firmat huiuſmodi contractus, & quicquid à liberalitate proficiſcitur non tantum Iure naturali, ſed etiam poſitiuo nullos eſſe. Itaque actus omnes, in quibus legitimus eſt titulus donationis vel liberalitatis ſi ex graui metu illato fiant etiam. Iure poſitiuo ſunt irriti, & ipſo Iure requiritur Iudicis auctoritas non ad illos irritandos, ſed vt à principio ita illos fuiſſe declaret; ſed quæ ſit noſtra ſententia ſuprà dictum fuit.

An contractus inualidi confirmentur iuramento?

BRACTEA XVII.

SCIENDVM differre inter ſe iuramentum eſſe validum & iuramentum confirmare contractū inualidum, tunc iuramentum cenſetur validum quando eſt ſeruandū ob honorem diuinum, etiamſi ille, in cuius fauorem factum fuit nullum Ius acquiſierit; tunc dicitur confirmare contractum inualidū, quando non ſolum ſeruandum, eſt, ſed etiam alteri ius tribuit in cuius fauorem factum fuit, & contractum in ſua ſpecie validum efficit, ita vt ſi relaxetur adhuc remaneant hæredes obligati ex iuſtitia contractus, cum eius obligatio transferatur ad heredes Leſſius *lib* 2 *cap.* 17. *dub.* 7. Secundò iuramentum non habere vim confirmandi contractum ex natura ſua nec ex aliquo iure naturali ſed ex iure poſitiuo, tam canonico, quam ciuili Metol. *diſpu.* 1. *de voluntario dub.* 21. *num* 415. Ratio primæ partis eſt quia iuramentum eſt per ſe primo, & directè conſtitutum ad confirmandam veritatem ſed ad ſeruandam veritatem ſatis eſt quod illam obligationem inducat quæ ad veritatem ſeruandā neceſſaria eſt, quod iuramentum habeat vim confirmandi contractum ex iure poſitiuo colligitur ex authent. Sacram. Puber. & eſt communis ſententia.

Sciendum ſecundò, dupliciter iuramentum poſſe addi contractui: Primò ſi aliquid iuret ſe promittere vel donare, & hoc modo iuramentum non cōfirmat contractum, ſed tantum eſt ſimplex affectio eius ret quæ fit, & contractus poteſt reuocari, ac ſi iuramentum non eſſet. Secundò ſi iuret contractum ſemper ratum habere, & nunquam reuocaturum, & hoc modo confirmat contractum. Quo poſito.

℟. iuramentum de re licita, & honeſta validum eſt, ſeruari debet. Ita Leſſius *loco cit.* & alij plures Ratio quia honor Diuinę maieſtatis poſtulat, vt quod iuramento promiſſum fuit ſeruetur, ne Deus teſtis falſæ promiſſionis fiat, & idcircò inducit obligationem faciendi id quod promittitur per tale iuramentum.

Sciendum 2. quod licet regulariter iuramentum de re licita ſeruari debeat, tamen in duobus caſibus non cenſetur obligare. Primus eſt in renunciatione, & diſpoſitione nouitij etiam iurata, niſi ſit facta de licen-

licentia Epiſcôpi, vel eius Vicarij intrà duos menſes proximos ante profeſſionem aliter diſpoſitio, & iuramentum ſunt irrita ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de regularib cap.* 16. Secundus quando iuramentum factum eſt in fauorem tertij, ſed non fuit acceptatum, aut ſi fuit acceptatum non validè. Vnde ſi Petrus Paulo promiſerit ſub iuramento dare mille libras pro dote ſuæ filię, quę promiſſio à Paulo non fuit acceptata nec ab aliquo pro ipſo, iuramentum tunc non obligare, ſed poſſe reuocari abſque nota periurij, quia cum ſequatur naturam eius cuius eſt actus, & promiſſio abſenti facta non obliget, ſed ſit reuocabilis, ſequitur iuramentum additum promiſſioni poſſe reuocari, niſi promiſſio facta ſit ſub ratione voti, quia tunc cenſetur irreuocabilis, quia ex eo quod eſt facta per modum voti cenſetur etiam à Deo acceptata. Secundò iuramentum de re illicita, & peccaminoſa eſt inualidum, & non obligat, vt quando eſt contra bonos mores, & de re quæ turpidinem continet, vnde *cod. in malis* 22. *quæſt. ex Iudic. in malè promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum*, & in *leg. Generaliter ff. de verbor. obligat. Generaliter nouimus turpes ſtipulationes nullus eſſe momenti.* Ratio quia nemo obligari poteſt ad peccatum per iuramentum, cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. Tertiò quando actus, ſuprà quem cadit iuramentum ſua natura eſt irritus, vel irritari poteſt, contractus nō confirmatur iuramento, quamuis iuramentum ſit alias validum, & obligatorium. Ratio quia tale iuramentum cenſetur de re illicita, & per conſequens non eſſe validum, cum iuramentum de re illicita ſit inualidum.

Sciendum 3. tunc contractum iure naturæ dici irritum, vel irritandum, quando dolo, vi, metu cadente in conſtantem virum fuit extortus, quia tunc non modo eſt irritus aut irritandus, ſed etiam contrahens tali modo obligatur ad reſtitutionē damni ſequuti, quia violauit iuſtitiam.

R. 2. licet contractus irritus iure naturæ non firmetur iuramento, tamen iuramentum ſeruari debet, dummodo materia iuramenti nullam turpitudinem contineat, & non ſit de re intrinſecè mala, vt ſunt prohibita, quia mala.

Ratio quia Deus ne addictus ſit in teſtem falſi: idcircò iuramentum ſeruandum eſt. Secundò quando lex non propriè irritat contractum, ſed ſolum prohibet ſi iuramento confirmetur obligat niſi adſit dolus vel fraus dans cauſam ipſi. Ita Rebellus *lib. 1. quæſt.* 9. Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub 6.* & alij. Ratio quia iuramentum aufert omnia remedia iuris, & facti, quibus obligatio poterat elidi, & contractus ſic firmatus manet firmus, & irreuocabilis, cum non irritetur à iure, ſed ſolum prohibeatur.

Sciendum 4. hoc modo firmari omnia pacta nuda vt dictum ſuprà.

Similiter omnes contractus qui naturaliter obligant niſi eſſet ipſo iure irriti vnde ſi filia nuptui tradēda paciſcatur cum Patre ſe vltrà dotem nihil amplius petituram ex Paterna ſubſtantia, pactum irritū eſt per *legem pactum cod. de collationib.* Verum ſi iuramentū firmetur validus reddetur contractus ſecluſo dolo, & fraude. Similiter donatio inter Patrem, & filium non emancipatum, & inter virum, & vxorem, quæ naturaliter obligaret niſi eſſet à iure irrita ſi iuramento confirmetur valida eſt; ſi autem fraus aut dolus interceſſerit non firmatur iuramento, quia dolus, & fraus nemini ius tribuit. An verò iurans indigeat diſpenſatione ne cenſeatur periurus. Reſpondeo negatiuè, cum iuramentum ratione fraudis, & doli ſit inualidum. Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 7. quæſt. 2.*

Sciendum 5. quod ſicut iuramentum non confirmat contractum dolo, & fraude celebratum, ita nec confirmat contractum, in quo cōtinetur læſio enormiſſima, cum enormiſſima, & grauiſſima læſio dolo comparetur. An verò deceptus, & poſſit reſcindere contractum, & agere in decipientem indigeat abſolutione à iuramento? Reſpondeo ex rigore iuris non indigere tali iuramènto, ſed ſolum ex quadam æquitate iuris.

R. 3. quod quando contractus eſt irritus ob bonū commune non firmatur iuramento. Ita Rebellus *lib. 1 quæſt.* 9. Azorius 1. *part. lib.* 11. *cap. 7. quæſit.* 1. Sanchez *in ſum. lib. 3. cap. 12. num.* 10. Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 7. n.* 56. & alij communiter. Ratio quia cenſetur iuramentum de re mala, cum ſit contrà bonum commune; tum etiam quia hoc colligitur ex *cap. ſi diligenti de forò compet.* Si verò contractus ſit irritus principaliter propter vtilitatem priuatam firmatur iuramento, modo aliqua turpitudo non inueniatur in eo, in cuius fauorem præſtatur iuramentum, & modo iuramentum poſſit ſeruari ſine peccato. Ratio eſt quia contractus, quo vxor conſentit in alienationē fundi dotalis iure poſitiuo eſt irritus. Si verò illi addatur iuramentum eſt validus, & ſeruandus; ergo ſignum eſt contractum fieri validum per iuramentū, quamuis anteà eſſet irritus ſine iuramento propter priuatam vtilitatem. Ita colligitur ex *cap. cum contingat de iuramento.* Dixi modo aliqua turpitudo non inueniatur in eo, in cuius fauorem præſtatur iuramentum, nam quoties in receptione rei promiſſæ cum iuramento reperitur aliqua culpa promiſſio nō firmatur iuramento *diſp.* 249. Ratio eſt, quia ſi iuramento firmaretur, ſequeretur illum, in cuius fauorem præſtatur iuramentum acquirere aliquod ius, ſicuti acquirit per contractum validum; ſed non poteſt acquirere ius ad actionem ſibi illicitam; ergo huiuſmodi contractus non firmatur iuramento; Licet iuramentum ſeruandum ſit, ne videatur Deus adductus in teſtem falſi, quando contractus per vim, & dolum, vel metum fuit extortus, licet non firmetur iuramento ſuperaddito, quia iuramentum ſeruari poteſt ſine peccato. Ita Azorius 3 *part. lib.* 11. *cap. 16. quæſit.* 4. Silueſter *verbo pact. num.* 11. Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub. 4. num.* 25. Secundò contractum non firmari iuramentum, quoties iuramentum eſt contrarium alteri iuramento prius facto, vt ſi vxor vendat fundum dotalem cum iuramento, ſed prius iurauerat non vendere, aut ſi donet aliquid marito contrà iuramentum prius factum non donandi, quia actus illi facti ſunt illiciti vt potè contrarij priori iuramēto, & iuramentum additum non præbet eis robur, valorem, & firmitatem cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis. *cap. quanto de iure iurando* nec obliget ad rem illicitam; ſecus dicendum eſt ſi actus contrà prius iuramentum geſtus non indigeat iuramento ad ſui validitatem; tunc enim actus eſt validus, quamuis ſit illicitus. Ita Silueſter *verbo iuramentum 4. quæſit.* 12. Angelus *verbo iuramentum 5. nu.* 25. & alij apud Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp.* 13. Tertiò quod quando iuramentum firmat contractum duplex oritur obligatio, vna erga Deum, quā iurans iurare debet ne Deus adducatur in teſtem falſi; altera ergam hominem, qui ius acquiſiuit in iurantem ab validitatem contractus, & hoc iuramentum non poteſt facilè relaxari, cum eius relaxatio vertatur in præiudicium tertij. Quando verò iuramentum non firmat contractum vna tantum oritur obligatio erga Deum; ſtandum eſt enim promiſſis ſolum ratione iuramenti. Suarez *lib. 2. cap. 23. num.* 3. Azorius. 1. *part. lib. 1. cap. 7. quæſit.* 5. Molina *tom. 2. diſp.* 150.

& alij. Quarto Iuramentum metu extortum contractui adiectum non obligare ſi contractus ob vtilitatem publicam ſit interdictus, ſecus verò dicendum ſi tantum primario proptet vtilitatem priuatã ſit interdictus. Ratio eſt, quia nullus poteſt paciſci in præiudicium boni communis, ſed ſolum proprij, *l. iurisgentium* §. *ſi paciſcitur.*

An obligatio Iuramenti tranſeat ad hæredes?

BRACTEA XVIII.

R. Qvando Iuramentum homini factum non cadit ſuprà contractum validum, nec facit illum validum eius obligatio non tranſmittitur ad hæredes. Ratio eſt, quia tunc Iuramentum eſt perſonale, quod iurans ſibi imponit: vinculum autem perſonale non tranſmittitur ad hæredes. Ita S. Thom. 2.2. *quæſt.* 98. *art.* 2. Sotus *lib.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. & alij.

Secundò hæredes teneri adimplere contractum non ſolum quando iuramentum cadit ſuprà contractum validum, ſed etiam quando cadit ſuprà contractum inualidum, ſed illum efficit validum. Ratio, quia obligatio ex contractu eſt realis, obligatio autem realis tranſmittitur ad hæredes. Verum ſi hæredes contractum iuratum non adimpleant, nó peccant peccato periurij contrà Religionem, quia ipſi non tenentur adimplere contractum ratione iuramenti, quod eſt vinculum perſonale, ſed ratione contractus defuncti. Ita Vaſquez de *de teſtam. cap* 3. *dub.* 2. *num.* 43. Vnde quando quis iurauit, ſe ſoluturum vſuras vſuratio non teneri eius hæredes ad eas ſoluendas, nam ille tenebatur ſolum vi iuramenti, cuius obligatio non traſmittitur ad hæredes, cum iuramentum ſit vinculum perſonale, nec eam obligationem hæres acceptet in fauorem vſurarij, ſicut eam acceptat in iuramento, aut in voto facto in fauorem operis. Ita Molina *diſp* 149. Couar. *capitulo quamuis pact. pract.* 2. §. 1. *num.* 7. Tertiò dubium eſſe, an contractus firmetur iuramento, quando lex ciuilis irritat huiuſmodi confirmationem? Ad quod reſpondeo non firmari; ratio eſt, quia contractus quoad robur, & vim ſuam ſubijcitur legibus humanis. Ita Paulus de Caſtro In *Autent. Sacram. puber. num.* 54. & alij apud Couar. *de pactis pact.* 2. §. 1. *n.* 8. Verum tamen eſt, iuramentum ſeruandum eſſe, nam lex ciuilis non poteſt auferre obligationem iuramẽti, quam iuramentum habet ex lege naturali, & Diuina.

An Contractus celebratus ſine ſolemnitate à iure requiſita ſit irritus?

BRACTEA XIX.

Sciendvm ſolemnitatem Contractus duplicem eſſe, vnam ſubſtantialem, & alteram accidentalem: Subſtantialem illam eſſe, cuius omiſſio efficit contractum inualidum, vt quando contrahentes redduntur inhabiles ad contrahendum, vel quando irritatur aliter factum. Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 3. Accidentalis eſt, quæ non tollit validitatem contractus, cum contractus poſſit ſubſiſtere ſine tali ſolemnitate accidentali, cum ab ipſa non accipiat eſſe. Quo poſito.

R. Contractus celebratus ſine ſolemnitate ſubſtantiali inualidus eſt, non modo in foro externo, verum etiam in foro conſcientiæ, excepto teſtamento cauſa pietatis facto. Ita Suarez *lib.* 5. *de legib. cap.* 24. *num.* 4. Azorius 3. *part. lib.* 6. *cap.* 9. Em. Sà *verbo Teſtam.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 3. *num.* 35. Ratio eſt, quia ius ciuile poteſt apponere formam in contractibus, ità vt illa non ſeruata contractus ſit nullus, & ſicut forma dat eſſe rei, ita forma præſcripta dat eſſe contractui, & ſine ipſa contractus non poteſt ſubſiſtere. Et ita Couar. *Cap.* 10. *de teſtament. num.* 10. Salas *de legib. diſp.* 16. *ſect.* 4. Azorius 3. *part. lib.* 6. *cap.* 9. & alij. Ex quibus ſequitur, alienationem, & contractus pupillorum inualidos eſſe, celebratos ſine auctoritate Tutoris, vel Curatoris de re immobili, vel pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poteſt, cum iura requirant prædictam auctoritatem, & conſenſum tamquam ſolemnitatem ſubſtãtialem, & irritent pupillorum contractus aliter factos, *leg. ſi minor de prædijs minorum*, & communiter omnes Doctores. Similiter accepta per contractum gratuitum ſine ſolemnitate ſubſtantiali reſtituenda eſſe etiam ante Iudicis ſententiam, quia cum contractus defectu ſolemnitatis ſubſtantialis ſit nullus recepta iſto titulo retineri non poſſunt. Sotus *de iuſtit. quæſt* 5. *art.* 3. & alij. Accepta contractu oneroſo non ſolemni celebrato ſine fraude, & inæqualitate, celebrato inter habentem facultatem diſponendi poſſunt titulo compenſationis retineri loco rei æqualis traditæ, cum retinens non faciat iniuriã ei, à quo accepit. Silueſter *verbo Alienatio*, Leſſius *loco citato num.* 36.

R. 2. Contractus à iure prohibitus non cenſetur inualidus, dummodo fiat eo modo, quo debet celebrari. Ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 153. & alij citati à Suarez *lib.* 5. *de legibus cap.* 25. *num.* 11. & à Bonacina. *diſp.* 3. *de contractib. quæſt.* 1. *pun.* 3. *num.* 23. Ratio quoniam aliud eſt prohibere contractum, & aliud irritare, & multa facta tenent, quæ tamen fieri prohibentur, & per conſequens talis contractus prohibitus celebratus cum forma ſubſtantiali tenet.

Sciendum 2. quod aliquando contractus prohibetur ob circumſtantiam loci, vel temporis, ne fiat v.g. in tali loco, vel tali die, tamen ſi fiat contractus cenſetur validus: aliquando prohibetur ob circumſtantiam perſonæ, nimirum ob eius decentiam qualis eſt negotiatio, quæ Clericis prohibetur ob decentiam perſonæ, qui ſi fiat erit validus, cum nõ apponatur clauſula irritans, aliquando prohibetur ob circumſtantiam actus, vt quando prohibetur ipſe contractus, qui tamen ſi fiat eſt etiam validus, etiam ſi tranſgreſſoribus ſit appoſita pœna modo nõ adſit particula irritans, nec aliter conſtet de mente prohibentis, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Si verò apponatur clauſula irritans actus erit inualidus, quia cenſetur deeſſe forma ſeu ſolemnitas ſubſtantialis. Dixi excepto teſtamento cauſa pietatis facto, quia teſtamentum cauſa pietatis factum validum eſt, etiamſi deſit ſolemnitas à iure requiſita, cum ſatis ſit ad ipſum id, quod iure naturali, & diuino eſt ſufficiens, nempè vt cõtrahentes ſint habiles ad celebrandos contractus, & libertas in contractu, cum ſolemnitas iuris ciuilis ad celebrandos contractus cauſa pietatis non ſit neceſſaria, ſed ſolum ſolemnitas iuris gentium, vt patet *ex cap. Relatum* 1. *de teſtament.* & ex *Cap. cum eſſet de teſtam.* Neque duo teſtes requiruntur ex iure Canonico in foro conſcientiæ, ſed ſolum, vt poſſit probari in iudicio. Vnde in teſtamento cauſa pietatis facta fęmina poteſt eſſe teſtis, cum iure gẽtium poſſit eſſe teſtis. Couar. in *Cap. Relatum*. Em. Sà *verbo teſtamento num.* 4. & alij. Ex quo ſequitur iuxtà communiorem ſententiam ex Couarruuia *loco*

citato

citato num.4. valida eſſe legata pia contenta in teſtamento prophano inualido, ob defectum ſolemnitatis, cum nullo Iure irritentur, non ciuili cum non habeat poteſtatem circa cauſas pias, non iure Canonico, quia in *Cap. Relatum* habetur relicta ad pias cauſas valida eſſe, quamuis non ſeruetur Ius Ciuile. Vnde ſequitur, hæredem ab inteſtato teneri reſtituere legatum, hæreditatem, vel ſoluere legata, quæ ex teſtamento inualido ad pias cauſas debentur, teneri etiam in conſcientia adimplere voluntatem teſtatoris, quam ipſe in ſchedula expreſſit, ſubſcripta propria manu, modo conſtet; talem fuiſſe voluntatem teſtatoris, cum in foro conſcientiæ in ijs, quæ pertinent ad pias cauſas ſufficiat noſſe voluntatem teſtatoris. Menochius *lib.3. conſil.*224. Couar. *locis citatis*, Em. Sà *verbo Teſtam. num.4.* & *verbo Legat. num.*51.

Sciendum 3. Dubium eſſe, an quando teſtamentum principaliter factum eſt, cauſa pietatis, abſque ſolemnitate à iure requiſita validum ſit, quoad legata prophana in eo teſtamento contenta, & relicta à laicis ex nulla cauſa pietatis? Ad quod reſpondeo inualidum eſſe quoad talia legata. Ratio eſt, quia huiuſmodi legata ſubſunt diſpoſitioni iuris Ciuilis: Ius autem Ciuile irritat contractus celebratus ſine forma præſcripta. Ita Iulius Clarus §. *Teſtam. quæſt.6.* & alij apud Vaſquez *Opus de Teſtam. cap.3. num.*11.

An Contractus celebratus ſine cauſa ſit validus?

BRACTEA XX.

SCIENDVM cauſam duplicem eſſe finalem, & impulſiuam. Cauſa finalis illa eſt, quę mouet agentem ad agendum, & diſponendum, ſine qua non diſpoſuiſſet. Impulſiua eſt illa, quæ impellit ad agendum, & diſponendum, qua tamen non ſubſiſtente adhuc eſſet facta diſpoſitio, licet nō ita libenter, aut facilè, vt ſi quia puellæ relinqueret legatum ob conſanguinitatem, vel affinitatem, conſanguinitas, vel affinitas cenſetur cauſa finalis diſpoſitionis. Si verò moueatur ad relinquendum legatum propter conſanguinitatem, qua non ſubſiſtente adhuc tradidiſſet, ſed non ita facilè dicitur tradere ob conſanguinitatem tanquam ob cauſam impulſiuam. Quo poſito.

R. Contractus ob cauſam finalem celebratus validus eſt ea ſubſiſtente: ea verò non ſubſiſtente inualidus. Ita Nau. *cap.*18. *num.*6. Rebellus *lib.*18. *qu.*36. Silueſter *verbo factum quæſit.* 4. Leſſius *lib.*2. *ca.*18. *dub.*16. Regin. *lib.*25. *num.*65. Molina *tract.*2. *diſp.*209. Secundò non ſubſiſtente cauſa impulſiua diſpoſitionis, contractus validus eſt. Ita Doctores citati; ratio quia ſubſiſtente cauſa finali licet non remaneat cauſa impulſiua remanet motiuum principale contractus, & per conſequens validus eſt, non ſubſiſtēte cauſa impulſiua.

Sciendum 2. inualidum eſſe Teſtamentum non ſubſiſtente cauſa finali, valida verò eſſe legata ſubſiſtente cauſa finali eorum, quia cum ſint diſtinctæ diſpoſitiones, par eſt, vt ſubſiſtente cauſa finali eorum ea ſubſiſtant, licet teſtamentum ſit factum ex cauſa finali falſa, quia vtile per inutile non vitiatur Et ita Em. Sà *verbo Legatum num* 25. Rebellus *qu.*17. Molin. *diſput.*309. Secundò validam eſſe diſpoſitionem, & donationem, qua quis alteri donat aliquid ob aliquem finem, non intendens ad illum obligare, ſed ſolum allicere ad illum finem obtinendū vt v.g. qua quis donat Superiori aliquod munus, vt ipſum alliciat ad conferendum beneficium, ſed non intentione obligandi ipſum, aut qua quia alteri aliquid donat intentione alliciendi ipſum ad mutuum præſtandum, aut qua quis puellæ aliquid donat intentione flectendi, aut alliciendi ipſam ad copulam, quia cenſentur abſolutè donata, & non ſub conditione, licet donentur ſub ſpe aliciendi ipſam, tamē iſta ſpes non eſt cauſa finalis. Tertiò inualidam eſſe inſtitutionem hæredis, qua quia inſtituit Paulum putans eſſe ſuum filium cum non ſit, quem non inſtituiſſet, ſi ſciuiſſet nō eſſe propriū filiū, & qua quia inſtituit hæredem nepotem putans proprium filium eſſe mortuum, quem ſi ſciuiſſet viuere inſtituiſſet hæredem, & non nepotem, & per conſequens talis inſtitutio cenſetur nulla, & filius cenſetur hæres, non verò inſtitutus.

An Contractus ſub modo celebratus ſit validus?

BRACTEA XXI.

SCIENDVM modum ſignificare clauſulam, qua adijcitur onus cōtrahenti, ſed non ſuſpenditur diſpoſitio, vt ſi dicatur, do vel lego tibi domū meam, vt hoc vel illud facias, nam hæc donatio, ſeu legatum poteſt eſſe modale, cum donans addat onus grauans legatarium, ſed non ſuſpendens legatum. Modus ſolet explicari per particulam, vt vel per aliam æquiualentē, qualis eſt Ad, Ne, Pro, in nomine, &c. vt ſi dicatur dono tibi meam domū, ne inhabitet præſentem, vel trado tibi hanc pecuniam pro reficienda Eccleſia, vel ad reficiendam Eccleſiam, &c. Ita Silueſter *verbo conditio quæſit.* 32. Reginaldus *lib.*25. *num.*53. Secundo modum aliquādo exprimi per verba conditionalia, quæ videntur conditionem importare, ſed re ipſa non important conditionem, neque iudicanda eſt diſpoſitio conditionalis, ſi conſtet, diſponentem habere intentionem apponendi modum, non verò conditionem vt ſi quis dicat, dono tibi, vel lego veſtem, hac cōditione, vt pro me officium perſoluatur poſt mortem, nam hoc legatum quamuis fiat per verba conditionalia, explicari tamen poteſt, tanquam modale. Quo poſito.

R. Contractus ſub modo celebratus eſt validus, etiamſi modus non adimpleatur, modo modus non ſit contrarius ſubſtantiæ, & diſpoſitioni, cui apponitur. Ita Sanchez *lib.*5. *de matrim. diſp.* 17. *num.* 5. & alij. Ratio, quia modus non ſuſpendit diſpoſitionem.

Sciendum 2. Quod quando in contractibus apponitur modus contrarius ſubſtantiæ contractus illum inualidat, & contrahentes non obligantur, modo modus non apponatur poſt contractum factum, ſed apponatur in ipſa diſpoſitione contractus. Vnde matrimonium celebratum ſub modo contrario ſubſtantiæ, & contractus inualidum eſt, ſi modus fuit adiectus in ipſomet contractu. Ita Sanchez *lib.5. diſp* 14. Nauarrus *cap.*22. *num* 62. Ratio, quia obligari ad aliquod contrà ſubſtantiam contractus tollit eſſentiam contractus. Similiter ſi mutuetur cū pacto, vt detur aliquid preter ſortem deſtruitur contractus, & ſit vſurarius, quia apponitur modus contrarius contractui mutui, quia de eſſentia mutui eſſe, quod ſit gratis. Secundò, quod modus aliquando apponitur in contractu per modum cauſæ finalis, & aliquando per modum impulſiuæ, quādo apponitur per modum cauſæ finalis ea ſubſiſtente contractus eſt validus. Vnde quando alicui Ec-

cleſiæ relinquitur peccatum tam modo, vt ſingulis diebus celebretur miſſa pro defunctis in altari priuilegiato, & ſi miſſæ non celebrentur, legatum deuoluat alteri Eccleſiæ, vel etiam ſi relinquatur legatum Eccleſiæ tali modo, vt ſingulis diebus celebretur miſſa matutinalis, & ſi non celebretur deuoluat legatum ad aliam Eccleſiam; ſi non fuerint adimpleta reſtituenda ſunt illi Eccleſiæ, quia illa diſpoſitio cenſetur facta ſub conditione celebrationis quotidianæ tanquam ob cauſam finalem: diſpoſitio autem facta ſub conditione non ſubſiſtit non ſubſiſtente conditione. Nauar. *cap.23. num. 67.* Silueſter *verb. Legatum 1. quæſit. 5.*

Quando verò imponitur per modum cauſæ impulſiuæ valida eſt diſpoſitio non ſubſiſtente cauſa impulſiua. Vnde quando alicui Monaſtero relinquitur legatum ſub certo onere, etiam Monaſterium non adimpleat onus valida eſt donatio, quia illud onus non cenſetur cauſa finalis, ſed impulſiua tantum: quia cauſa finalis videtur ſalus animæ, quamuis facta ſit ſub tali onere. Vnde donatio ita facta nullo modo poteſt reuocari. Azorius *3.part.li.11.ca.8.quæſit.5.* Leſſius *donat.dub.16.num.*127. Tertio, vt ſupra dictum fuit modum nihil aliud eſt, quam limitatio appoſita in futurum grauans eum, qui beneficium recepit, vt quando quis alicui legat aliquod fundum, vt ſepulcrum ædificet, vel vt vxorem ducat, quia per illud legatarius grauatur. Quartò cōtractum poſſe celebrari ſub modo poſſibili, honeſto, neceſſario, vel impoſſibili, & vtcunque celebretur validus eſt, modo adſit conſenſus de præſenti, quia modus non ſuſpendit actum, ſed eo iam perfecto aduenit.

An modus impoſſibilis in diſpoſitionibus vltimæ voluntatis adiectus validè apponatur?

BRACTEA XXII.

R. In diſpoſitionibus vltimæ voluntatis modum impoſſibilem cenſeri pro non adiecto, ſiuè de facto, ſiuè de iure ſit adiectus, iuxtà communem, quam ſequitur. Molina de *de primogenitis cap.*12. *num.*4. Gregorius ad *leg.3. tit.4. part.5.* & à fortiori in diſpoſitione inter viuos, ſiuè ſit donatio, ſiuè contractus habetur pro non adiecto, cum diſpoſitionem non ſuſpendat, ſed perfectam eſſe ſupponat, vt ex Accurſio, & communi Molina *loco cit.* An pereat donatio relicta Eccleſiæ ſi culpa Prȩlati non adimpleatur modus. Reſpondeo perire talem donationem, quando culpa ſolius Prȩlati nō impletur modus. Ratio, quia in acquirendis poteſt Prælatus nocere Eccleſiæ, non autem in acquiſitis: cum autem donatio, ſiuè legatum fuerit acquiſitum Eccleſiæ antequam ex culpa Prælati modus ille deficeret, hinc ob eius culpam non poteſt perire Legatum, ſeu donatio iam Eccleſiæ acquiſita. Secus autem dicendum eſſet ſi modus appoſitus eſſet per modum conditionis, quia tunc ſi culpa Prælati modus non adimpleretur periret donatio, ſeù legatum, cum ante conditionis euentum non eſſet Eccleſiæ ius acquiſitum, cum ius Eccleſiæ pendeat quādiu conditio impletur.

An puella cui relictum eſt legatum, vt nuberet poſſit ipſum retinere, ſi ingrediatur Religionem?

BRACTEA XXIII.

R. PVELLA cui relictum eſt legatum, vt nuberet poteſt ipſum retinere ſi ingrediatur Religionem, dummodo legatum non ſit factum in fauorem tertij. Ita Rebellus *lib.*18. *qu.* 13. & alij. Ratio, quia modus quo fuit facta donatio, ſeù legatum in fauorem ipſius puellȩ ſpectat ad cauſam impulſiuam, vt ſcilicet haberet cui nuberet, ſi vellet, & commodius nuberet.

Sciendum, quod modus aliquando poteſt apponi in fauorem illius ſolius, cui legatum relinquitur, aliquando in fauorem tertiæ perſonæ, vt v. g. quando relinquitur legatum puellæ ſi nuberet, cenſetur modus appoſitum ſolum in fauorem ipſius, vt nimirum commodus nuberet, ſi vellet; aliquando relinquitur legatum puellæ, vt nubat tertiæ perſonæ, v. g. conſanguineo, &c. tunc modus cenſetur appoſitus in fauorem tertij, v.g. conſanguinei, &c. quia cauſa finalis donationis legati eſt, vt puella nubat cum conſanguineo; ſi legatum relinquatur primo modo, etiamſi ingrediatur Religionem, vel etiam ſi cȩlibē vitam duceret manendo in ſæculo poteſt ipſum retinere, & ſi moriatur antequam nubat poteſt legatum ab eius hæredibus exigi, aut ſi iam ſolutum ſit iuſtè retineri; quia legatum cenſetur abſolutè donatum in fauorem ipſius, cui legatum eſt factum, & modus appoſitus in donatione ſpectat ad cauſam impulſiuam, qua etiam non ſubſiſtente tenet donatio. An quando legatum ſecundo modo relinquitur, nimirum vt nubat conſanguineo, &c. donatio legati cenſetur facta in fauorem tertij, & modus ſpectat ad cauſam finalem, qua nōn ſubſiſtente non valet donatio legati, & idcircò puellæ nolenti conſanguineo nubere non eſt ſoluendum, verum ſi ipſa parata ſit conſanguineo nubere, & ipſe noluerit, modus cenſendus eſt pro adimpleto. Rebellus *loco cit.* Molina *diſp.*108. Em. Sà *verbo Legatum*, & alij plures.

An error in demonſtratione rei, de qua contrahitur vitiet contractum?

BRACTEA XXIV.

R. ERROREM in demonſtratione non vitiare contractum, modo non apponatur per modum conditionis, vel cauſæ, vel non redundat in errorem ſubſtantiæ, vel perſonæ, ſeù modo conſtet de re, & perſona. Ità Molina *diſp.* 11. Em. Sà *verbo Legatum num.*12. Bonacina *diſp.3. de contract. quæſt.*1.*pun.4. num.*8. Ratio, quia ſuppoſito tali errore adeſt ſufficiens conſenſus in diſponente, & capacitas in eo, in cuius fauorem fuit diſpoſitio.

Sciendum, quod cum error in demonſtratione reducatur ad errorem qualitatis, qui non inualidat contractum cum tali errore celebratum, hinc ſequitur, quod ſi quis alicui legaret aliquod predium triginta Iugerum, etiamſi prædium non conſtet tot Iugeribus validum eſſe legatum, quia cum non ſit error in ſubſtantia donationis, ſed ſolum error in demonſtratione quantitatis non vitiatur contractus ex iſto errore. Similiter ſi quis dixerit lego tibi meā domum, cui contigui ſunt talea, qui re vera amplius non ſunt, validum eſt legatum, cum non adſit error circà ſubſtantiam donationis domus, ſed ſo-

lum

lum circà fines, & ex iſto errore non vitiatur contractus. At verò ſi quis legaret alicui triticum, quod in domo ſui vicini dicit habere, & re vera in ea illud non eſt, non cenſetur validum legatum, cum adſit error circà ſubſtantiam contractus. Similiter ſi dicatur relinquo tibi talem pecuniam, quam habeo in tali capſa, aut quam mihi talis debet, inualidum erit legatum, ſi in tali capſa pecunia non inueniatur, aut ſi eam talis debitor non debeat. Item ſi quis dixerit contraho tecum, quæ es Catherina, aut quæ es filia talis Marchionis, inualidus erit contractus matrimonij, ſi ipſa non ſit Catherina, aut filia talis Marchionis, cum ipſe ſolum intendat contrahere matrimonium cum Catherina, aut filia talis Marchionis, & non cum ea, quam præ oculis habet cum adſit error in ſubſtantia contractus. At ſi quis dicat contraho tecum quæ es pulchra, aut ſecundogenita talis Comitis, validè contrahit, etiamſi ita non ſit, cum non adſit error circà ſubſtantiam, ſed ſolum circà qualitatem, ſuppoſito quod ipſa, cum qua contrahit non ſit pulchra, diues, aut ſecundogenita talis Comitis; immo etiam validum erit matrimonium ſi celebretur per demonſtrationem qualitatis, ſiuè ea ſit turpis, ſiuè contraria ſubſtantiæ matrimonij, ſiuè vera, ſiuè falſa, vt v.g. ſi dicat cõtraho tecum quæ es ſterilis, vel quæ procuras potum ſterilitatis, &c. Sanchez *lib.*1. *de matrimon. disput.* 19. *num.* 2.

Sciendum 2. quod ſi demonſtratio addatur contractui per modum conditionis, tunc ſuſpendit effectum ipſius quoad vſque conditio ſit adimpleta, vt ſi quis puellæ dicat contraho tecum quæ dabis tãtam dotem, non tenetur contrahere antequam dos tradatur, quia iſta propoſitio facit ſenſum conditionalem, videlicet ſi dabis tantam dotem. Ita Molina *diſput.*211. & alij.

Sciendum 3. quod quando fit error in demonſtratione qualitatis alicuius fundi, vt v.g. ſi dicat lego tibi tale fundum, quod eſt triginta iugerum cum ſit quadraginta, ſi legatum ſit ad pias cauſas, poteſt legatarius totum retinere, dummodo non ſit in præiudicium alicuius tertij. Rebell. *quæſt.*18. *num.*2. quia ad pias cauſas cum præiudicio tertij nihil poteſt relinqui.

Quomodo Contractus ſub conditione obliget?

BRACTEA XXV.

SCiendum conditiones eſſe in multiplici differentia: alias eſſe honeſtas, alias turpes, alias poſſibiles, alias impoſſibiles, alias de præſenti, vel de præterito, vel etiam de futuro. Conditiones turpes eſſe in duplici differentia: quaſdam eſſe contra ſubſtantiam contractus, & alias non eſſe contrà ſubſtantiam contractus; ſed ſolũ contrà bonos mores. Quibus poſitis.

R. Contractus celebratus ſub conditione honeſta, & poſſibilis de futuro euentu adiecta in ipſomet cõtractu non eſt validus ante conditionis euentum, ſed ſolum poſt euentum ipſius conditionis. Ità Nauarr. *cap.*23. *num.*63. Rodriquez 1. *part. cap.*219. Sanchez *lib.*5. *diſp.*8. *num.*5. & alij. Ratio, quia diſpoſitio non habet vim vltra intentionem diſponentis, cum ab ipſius voluntate dependeat, at quia diſponens non intendit ſe obligare niſi poſt conditionis euentum, hinc eſt, quod contractus non obliget niſi poſt adimpletam conditionem. Dixi primò, contractus celebratus ſub conditione honeſta, quia diſpoſitio, ſeù contractus celebratus ſub conditione turpi nullam inducit obligationem, & contractus cenſetur irritus, & inualidus, cum ſit contrà bonos mores. Ita Leſſius *lib.*2. *cap.*18. *dub.*16. *num.* 1. *&* 3. ex *lege ſerue manumiſſo de condit. indebiti*, Gomez 1. *variar. cap.*12. Conat. 4. *Decretor.* 2. *part. cap.*3. *§*.2. *nu.*5. & alij apud Sanchez *lib.*7. *diſp.*3. *num.*8. *de matrimon.* Ratio, quia nullus obligari poteſt ad id, à quo abſtinere tenetur. Tum etiam, quia talis obligatio eſſet peccaminoſa, & in perniciem animæ. Dixi ſecundò. *Poſſibili de futuro euentu*, quia contractus celebratus ſub conditione impoſſibili eſt irritus. Ratio eſt, vel quia conditio cognoſcitur impoſſibilis à diſponente, & vt ſic nullam inducit obligationem, cum impoſſibilium nulla ſit actio poſſibilis, vel putatur, vt poſsibilis, & vt ſic nullam etiam inducit obligationem, non quia non adſit conſenſus verus, ſed quia ſuſpenditur à conditione, quæ nunquam fuit, nec erit.

Sciendum 2. diuerſitatem eſſe inter matrimoniũ, & cæteros contractus, quod in matrimonio conditio impoſſibilis non irritat contractum, ſed cenſetur pro non adiecta, ſicut etiam conditio turpis in matrimonio non irritat ipſum, modo non ſit contrà ſubſtantiam ipſius, vt dictum cum de matrimonio, &c. Similiter etiam in vltimis voluntatibus conditionem impoſſibilem, & turpem ius voluit haberi pro non adiecta, in cæteris autem contractibus conditio turpis, & impoſſibilis habetur pro adiecta, ſed irritat contractum, & contrahentes denuò poſſunt contrahere. Si verò conditio impoſſibilis, & turpis credebatur à Teſtatore poſsibilis, & honeſta vitiat diſpoſitionem. Leſsius *lib.*2. *cap.*18. *dub.*16. *num.*123. Sanchez *lib.*5. *diſp.*3. Hanc verò conditionem ſi vxorem non duxeris, ſi non nupſeris reijci à iure in primis nuptijs, non verò in ſecundis. Authent. *Cui relictum cod. de indicta viduitate tollenda*, & multi Auctores.

Sciendum 3. legatum relictum tali conditione, vt non nubat cum tali perſona, ac cum tali familia validum eſſe, aut etiam, vt non nubat inconſulto Patre, vel abſque conſenſu Patris, Em. Sà *verbo legatum num.*51. Rebellus *lib* 18 *quæſt.*16. Molina *diſp* 207. & alij. Si verò legatum fiat tali conditione, vt nõdum nubas, ſi per legatarium non ſtet quin fiat conditio cenſetur pro adimpleta. Sanchez *lib.*1 *de matr. diſp.*33 Similiter dicendum ſi Legatarius ingrediatur Religionem, vt v.g. ſi fœminæ relicta ſunt centum ſi nubat, vel ſi filios habuerit validum eſſet legatum, etiamſi Religionem ingrediatur, quia præſumitur, Teſtatorem non voluiſſe Religionem excludere, cũ Religio ſit maioris perfectionis, quam ſtatus matrimonialis, & ipſum legatum poterit retinere, etiamſi Religionem ingrediatur: immò ſi alicui puellæ relicta ſint ducenta ſcuta ſi nubat, centum verò ſi fiat Religioſa ſi ingrediatur Religionem ſoluenda ſunt ducenta, nam illa conditio ſi nubat, quatenus retrahit à Religione cenſetur pro non adiecta, cum nullus à Religione retrahi debeat ſpe præmij. Secus tamen dicendum, ſi addatur de primogenituris alicuius familiæ, quæ inſtituuntur, vt familiæ conſeruentur, quæ à familia non poteſt alienari. Ità Silueſter *verbo hæreditas quæſt. vlt.* Medina *quæſtion.* 33. & alij.

Sciendum 4. eſſe differentiam inter conditiones de futuro, de præſenti, & de præterito, quod conditiones, de futuro quæ dicuntur impoſsibiles nullam inducunt obligationem: Conditiones verò de præſenti, aut de præterito non tollunt obligationem & validitatem contractus, quia cum iam ſupponant peccatum, ſi conditio ſit turpis non inducunt, vel

alli-

allicinnt ad ipſum, vt ſi quis dicat, quia odio proſequntus es talem trado tibi hanc veſtem. Sanchez *lib.5. de matrim.diſp.15.num.5.* Leſsius *lib.2.cap.18.num.* 141. Reginald. *lib.25. num.61.*

Scieodum 5. quod legatum relictum v.g. Petro cũ hac conditione, vt ducat cooſanguineam in ſecundo gradu validum eſt, quia intelligitur ſi Papa diſpenſauerit. Sanchez *lib.5. de matrim. diſp.2.num.2.* Quod ſi ipſa noluerit, per ipſum tamen non ſtet, conditio cenſetur adimpleta. Sanchez *lib.2. diſp.33.num.* 8. & alij. Contractus celebratus ſub conditione neceſſariò futura non ſuſpendit effectum, nam cum ſit certa habetur tanquam præſens, & adimpleta, modo eius certitudo cognoſcatur à ponente ipſam. Sanchez *lib.5. de matrim. diſp.2. num.2.* Contractus celebratus ſub conditione de præſenti validus eſt, vt dono tibi centum libras ſi es meus cognatus, vel ſi fuiſti Romæ, quia cum non ſint propriè conditiones non ſuſpendunt effectum.

An vidua cui relictum eſt legatum tali conditione ſi caſtè vixerit, poſſit ipſum retinere tranſeundo ad ſecundas nuptias?

BRACTEA XXVI.

SCiendum talem conditionẽ ſi caſtè vixerit poſſe apponi, vel à viro teſtante, vel ſi vir erit mortuus à filijs, vel conſanguineis ipſius viduæ, qui relinquunt legatum, vel ſi legatum relinquitur à conſanguineis ipſius viduæ, vel etiam ab aliqua perſona extranea tali conditione ſi caſtè vixerit. Hoc poſito.

R. Si conditio appoſita donationi legati ſi caſtè vixerit apponitur à viro, non poteſt ipſum retinere tranſeundo ad ſecundas nuptias. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.71.* & alij. Ratio quia illa conditio apponitur tanquam cauſa finalis, cum ſecundæ nuptiæ ſoleant eſſe primis viris odioſæ. Tum etiam, quia per talem donationem vult vir fidem ſibi ſeruari, ac iura prioris coniugij violata perſiſtere. Secundo quando illa conditio ſi caſtè vixerit in donatione alicuius legati apponitur à filijs viri præmortui excludunt ſecundas nuptias, & per conſequens ad illas tranſeundo non poteſt illud retinere. Ita Silueſter *verbo Legatum quæſt.5.num.9.* Rolella *verb.adulter. num.6.* Lopez *de matrim. cap.41.* & alij. Ratio eſt, quia ſecundæ nuptiæ non ſolum ſunt odioſæ priori viro, ſed etiam filijs prioris viri, licet contraria ſententia Molinæ ſit etiam probabilis. Tertió quando in donatione alicuius legati mulieri facti, conditio illa ſi caſtè vixerit apponitur à conſanguineis ipſius mulieris non excludunt ſecundas nuptias, ſed ſolum tertias, & per conſequens tranſeundo ad ſecundas nuptias poteſt illud retinere. Ita Sanchez *lib.7. de matrim. diſp.71.* & cum eo plures citati. Quartò quando illa conditio ſi caſtè vixerit apponitur ab aliquo extraneo relinquente legatum alicui mulieri non excludunt ſecundas nuptias, ſed ſolum tertias, & per conſequens tranſeundo ad ſecundas nuptias poteſt illud retinere, cum de illa poſſit dici, quod caſtè vixerit. Ratio, quia ſolum tertiæ, & vlteriores nuptiæ ſunt ſigna incontinentiæ, & de muliere tranſeunte ad tertias nuptias dici non poteſt, quod caſtè viuat, ſed incontinenter.

R.2. Legatum relictum ſub conditione ſi nõ nupſeris, vel Religionem ingrediatur in foro fori haberi pro non appoſita, & per conſequens dicta legata valida: In foro conſcientiæ dicta legata non valere quando conſtat voluntatem teſtatoris fuiſſe, vt conditio adimpleatur, & non aliter voluiſſe ſupra dicta legata relinquere. Vnde non ſubſiſtente conditione non poteſt legata capere. Rebellus de *obligat.Iuſtit.* 2. *part. lib.18. quæſt.16.* Medina *cod. de reſtit. quæſt.23.* Caiet. Nauar. Anglez citati à Lopez in *Inſtruct.Conſc. part.2. cap.18.* & alij. Contrariam ſententiam tanquam probabiliorem ſequitur Valerius in differentiis vtriuſque fori. Ratio, quia cum talis conditio à Iure reprobetur, non videtur cur in conſcientia ſecurus eſſe poſsit, etiamſi conſtet de contraria voluntate teſtatoris, vt videre licet apud Dianam *tract.2.* Miſſel. *reſolut.57.*

An mulier cui relictum eſt legatum tali conditione, dummodò caſtè viuat poſſit illud retinere poſt emiſſam fornicationem?

BRACTEA XXVII.

R. Si legatum relictum fuit mulieri à viro, vel à filijs viri, vel à conſanguineis eiuſdem viri, vel coniugis ammittitur per vnam, & ſimplicem fornicationem. Ita Sanchez *lib. 7. de matrim.diſp.71.* & cum eo plures citati. Ratio quia fœmina quæ committit fornicationem non poteſt dici caſta ſimpliciter. Tum etiam quia leges puniunt vnicum fornicationis viduæ actum, vnde vidua intrà annum viduitatis committens actum fornicationis perdit ea omnia quæ à marito ei liberaliter fuerunt elargita, & non poteſt illa in conſcientia retinere. Secundò ſi legatum relictum fuerit ab aliqua tertia perſona tali conditione, dummodo caſtè viuat, non amittitur per vnam fornicationem ſed plures requirunt. Ita Sanchez *lib.cit.* & alij. Ratio quia licet commiſerit vnum peccatum, tamen in habitu poteſt dici caſtè viuere.

R. 2. Viduam, cui relictum eſt legatum conditione non tranſeundi ad ſecundas nuptias, ipſum non amittere per fornicationem Ita Sanchez *de matrim.diſp.91.num.41.* Nauar. *cap.25.num.3.* & alij. Ratio quia legatum explicandum eſt iuxtà verborum ſignificationem, verba autem quibus præcipitur legatum non ſignificant amitti legatum per fornicationem, ſed per ſecundas nuptias; & quamuis vidua fornicans intra annum luctus ex iuris diſpoſitione amittat legata, & alia ex priori viri largitione obtenta, tamen cum illa iuris diſpoſitio ſit pænalis, puto talem pœnam non eſſe ſubeundam ante Iudicis ſententiam.

An legatum relictum puellis vt nubant, debeatur, ſi aliquam dotem habeant ſed non ſufficientem.

BRACTEA XXVIII.

R. Affirmativa cum Homo bono de *exam. eccleſiaſticor.tract.9.cap.9.quæſt* 22. vbi ſic allegit legatum factum puellis, quæ dotem quidem habent, ſed non integram cum qua nubere poſſint commodè, modo illæ puellæ ijs qualitatibus præditæ ſint, quæ in teſtamento requiruntur validũ eſſe, & deberi illis tale legatum. Secundò contractũ celebratum ſub hac conditione ſi Deo placuerit non ſuſpendi, & reddi conditionalem, ſi intelligatur de voluntate, qua Deus omnia permittit. Ita Henriquez *lib.11.cap.12.num.10.* & alij hæc enim eſt conditio generalis quæ intelligitur in omni contractu.

Secus

Secus ſi dicatur ſi placuerit Eccleſiæ, quia tunc cenſetur factus ſub conditione approbationis ab eccleſia faciendæ. Sanchez *lib.5. diſp.1. num.12.* Tertiò, conditionem tacitam non facere contractum conditionalem, vt colligitur ex *leg. condit. ff. de condit.* Vnde ſponſalia celebrata ſub tacita conditione, non eſſe propriè conditionalia, & non ſuſpendi, ſed eſſe ipſo facto valida. Silueſter *verbo condit. quæſit.9.* Reginaldus *lib.25. num.59.* & alij. Quartò, qui diſpoſuit de re aliqua ſub conditione, non poteſt ante conditionis euentum ab ipſa reſilire ſecluſa donatione cauſa mortis. Ratio, quia ex pacto, & conneutione contrahentium oritur obligatio, talis autem eſt diſpoſitio acceptata ſub conditione. Verum ſi diſpoſitio non fuerit acceptata, poterit ante acceptationem ab ipſa reſilire. Mol. *diſp.285. concluſ. 4. num. 8.* Azorius *3.part. lib.11. cap.8. quæſit.4.* Sanchez *li.5. diſp.6. num.8.* Silu. *verbo donatio*, & alij.

MALLEATIO XLIV.

De Cauſa efficiente Contractus.

Quinam poſſit Contractus inire?

BRACTEA I.

R. Illos poſſe contrahere, qui habent vſum rationis, & liberam bonorum adminiſtrationem à Iure non impeditam. Ita Leſſius *lib. 2. cap.3. dub.8.* & omnes Doctores communiter. Ratio, quia Contractus eſt actus humanus, qui humano modo celebrari debet cum Iure diſponēdi; qui autem non habet vſum rationis, nec liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum non poteſt exercere actū humanum, & caret iure diſponendi. Vnde amentes, furioſi, infantes, qui nondum peruenerunt ad vſum rationis, id eſt qui minores ſunt ſeptem annis validè contrahere non poſſunt, nec ciuiliter, aut naturaliter ſe obligare, niſi forſan amentes, & furioſi habeant lucida interualla, in quibus, vt validè donare, ſic etiam contrahere poſſunt. Silueſter *verbo donatio*, & alij. Ratio eſt, quia cum non habeant perfectum vſum rationis prohibētur à Iure contrahere, & habere liberam ſuorum bonorum adminiſtrationem. Secundò, prodigus validè contrahere non poſſe, niſi de licentia Curatoris cum habeant adminiſtrationem bonorum interdictam. Azorius *3. part. lib.6. cap 14.* Regin. *lib. 25. num. 106.* Sanchez *lib. 6. diſp. 38.* Filliucius in ſuo tract. *de Societ. cap. 7.* addit acceptum ab huiuſmodi prodigo retineri non poſſe. Ratio, quia à Iure impeditur. *leg. ſi Curator.* & *leg. certi conditio, ff. ſi certum petatur*; & non modo impeditur alienare, ſed etiā dare, & cum acceptio repugnet prohibitioni, per conſequens retineri non poteſt. Vnde Rebell. *lib.1. de contract. quæſt. 8.* dicit, prodigos non poſſe donare poſtquam eis legitimè interdicta fuit bonorum adminiſtratio, iuxtà *leg. Is cui ff. de verbor. ſignificat.* nec etiam promittendo, tradendo, vel alienando bona ſua obligari ciuiliter, aut naturaliter poſſunt, etiam ſi reuera, vt quibuſdam placet, prodigus non foret ſatis, tamen eſſet, ſi per declaratoriam ſententiam prodigum eſſe conſtaret; quam ei nondum expreſsè interdictum eſſet, nec datus Curator. *verbo donatio* Tertiò ex contractibus ſeruorum cum dominis, ſiuè cum alijs non oritur obligatio ciuilis. Vnde neque illis, neque aduerſus illos datur actio in foro ſeculari etiā poſtquam peruenerint ad libertatem. *leg. in perſonam, leg. quod attinet ff. de regul. iur.* niſi ſeruus promiſerit pecuniam pro libertate domino, tunc enim conceditur actio aduerſus illum. *leg. promiſſ. cod. an ſeruus pro ſuo proprio*; eodemque modo ſi pactum fuit inter ſeruū, & dominum, vt pro certa pecunia illum manumittent, & ſeruus ſoluit pecuniam, & habet ſeruus actiones contrà dominum, vt ſe manumittat. *leg.1. §. ſecus*; ex contractu ſeruorum oritur obligatio naturalis, & in foro conſcientię tenetur ſtare cōtractui.

An Religioſus poſſit ſe obligare per contractum?

BRACTEA II.

Sciendum obligationem triplicem eſſe vt alibi dictum fuit, naturalem, ciuilem, & honorariam: naturalis, ex iuſtitia oritur, & inuenitur in contractibus oneroſis, & in materia graui obligat ad peccatum mortale; ciuilis fundatur in iure poſitiuo; honoraria in virtute fidelitatis, ſeu veracitatis, per quam honorati viri ſua dicta, & promiſſa beneuola, tenentur ad implere quadam liberalitate, non tamen ex iuſtitia. Quo poſito.

R. Religioſus per promiſſiones honeſtas etiam ſecularibus factas quantum ex parte renuntiationis propriæ voluntatis naturaliter ſe obligare poſſunt, quamuis Prælatus rationabili cauſa obligationem irritare poſſit, ſaltem de rebus quæ ſubſunt eius poteſtati. Ita Panormitan. *conſil.104* Nauar. in *cap. non dicatis num.74.* & plures Theologi, & Canoniſtæ. Ratio quia ſicut vota quæ poſt tria ſubſtantialia emittunt Religioſi valida, & licita ſunt non obſtante renunciatione voluntari; licet à Prælato irritari poſſint, ita, & promiſſiones honeſtæ erunt validæ ſi non irritentur. Secundò, promiſſiones licet honeſtæ à Religioſo factæ alteri ex propria perſona, ſiue Religioſo, ſiue ſeculari quando nullo modo præſumitur Prælati conſenſus ſi fiant contrà ipſius voluntatem nec validæ ſunt nec licitæ; ſi tamen ex conſenſu Prælati ſaltem præſumpto fiant, licitæ, & validæ erunt, donec ab ipſo irritentur. Ratio quia præſumitur conſenſus Prelati. Ita Nauar. *loco cit.* & colligitur ex D.Tom. *2.2. quæſt.88.* & ex alijs Doctoribus. Tertiò, ſi Religioſus non ex propria perſona ſed nomine Prælati vel conuentus aliquid promitteret vel alia ratione contractus iniret ratione alicuius adminiſtrationis, vel negotij ſibi impoſiti expreſſe vel tacitè non ſolum naturaliter, ſed etiam ciuiliter ſe obligare poteſt ad aliquid agendum, aut ad ſoluendā debita, quæ pro monaſterio fecit, & ciuiliter monaſterium obligaretur ad id, ad quod ipſe obligatur. Ita Molina *diſp.140.* Suarez *tom. 3. de Religione lib. 8, cap.15* Nauar. *cap. non dicatis 12. quæſt.2. num.20.* & alij. Ratio quia huiuſmodi contractus cenſetur facti nomine Prælati, & Conuentus, & per conſequens ipſi obligat. Tum etiam quia voluntas tacita vera voluntas eſt, & efficaciter operatur, quæ prudenter, & rationabiliter adeſſe creditur. Quartò, Religioſum fugitiuum etiam depoſito habitu, & apoſtatam quidquid acquirit acquirere monaſterio, quod etiā intelligitur de eo qui de licentia Papæ viuit extrà Monaſterium, quia licet habeat facultatem conuertendi in ſuos proprios vſus, quidquid acquirit ex induſtria, tamen quæ remanent poſt mortem cedunt monaſterio vel ſpolio Papæ, niſi habeant facultatē teſtandi. Quintò expulſos à monaſterio ſiuè iuſtè ſiue iniuſtè nullius rei dominium acquirere poſſe, quia tenentur ſeruare vota Religionis, cenſetur tamen tacitè conceſſa facultas tum vt non viuent ſub

regula

regula Religionis, tum vt habeant commoditatem, & vſu rerum quas acquirunt, dominium verò pertinet ad monaſterium ſi capax ſit. Molina *diſp.*40.& Leſſius *cap.* 41.

An Religioſi poſſint alienare bona eccleſiaſtica?

BRACTEA III.

SCIENDVM bona eccleſiæ alia eſſe mobilia,&alia immobilia,mobilia ſunt quæ moueri poſſunt,immobilia verò, quæ loco moueri non poſſunt,vt domus, Rus, caſtrũ &c. bona mobilia, quædam eſſe prætioſa quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vt aurum, & argentum, Et alia quæ per triẽnium ſeruari poſſunt, vt tapetes, & ſimilia, & alia quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, vt ſunt fructus, frumentum, vinum, oleum, &c. dos verò monialis computatur inter res pretioſas quæ ſeruando ſeruari poſſunt, & pecunia accepta pro venditione rei immobilis dummodo res immobilis non ſit vendita ab quotidianos vſus, quia tunc non computatur inter res immobiles, quę ſeruando ſeruari poſſunt.Silueſter *vorbo alienatio quæſit.* 6.Molina *tract.2.diſp.*465.*num.* 4. Quaranta *verbo alienatio num.*37.Secundò, bona eccleſiaſtica quædam dicuntur corporalia quæ ſunt ſuprà dicta; & alia incorporalia, quæ ſunt actiones, Iura, ſeruitutes, tranſitus viarum, Ius ad aliquid,& ſimilia .Tertiò,alienationem dupliciter ſumi ſtrictè, & latè, Priori modo compræhendit ſolũ contractus quibus directè transfertur dominium, vt ſunt venditio, permutatio, donatio : latè comprændit eos omnes contractus, quibus rei vſusfructus ſiue dominium vtile transfertur in alium, vt feudum, emphiteuſis, locatio ad longum tempus, cenſus tàm perpetui, quàm vitalitij, quibus annui Eccleſiæ redditus, vel pars eorum cõſtituto pretio venditur, quia annui redditus inter bona immobilia numerantur, quorum alienatio Eccleſijs, & minoribus eſt prohibita, & ſine ſolemnitate debita non poteſt fieri. Similiter nomine alienationis latè ſumptæ comprænditur quæuis conſtitutio pignoris, & hyppothecæ ſpecialis, non autem generalis. Molina *diſput.*446. quia per generalem hypothecam, non tantum iuris in rem, cum periculo rem alienandi transfertur, quam per ſpecialem; verum ſi ab antiquo res aliqua in feudum, vel emphiteuſim concedi ſolita erat,poterit etiam à Prælato deinceps concedi, ſi Eccleſiæ expedire videatur, dummodo fiat ante quam res ſit corporata Eccleſiæ, vel menſæ, ſiuè vſibus Eccleſiæ, & eo pacto, & modo quo tradita fuerat ante in feudum, vel emphiteuſim. Quo poſito.

R. Bona mobilia Eccleſiæ, quæ ſeruando nõ poſſunt ſeruari, poſſunt abſque alia ſolemnitate à Prælato alienari quomodo libuerit. Ita Molina *diſput.* 468. & omnes communiter. Ratio, quia prohibitio eſt ſolum bonorum immobilium, & bonorum mobilium, quæ ſeruando ſeruari poſſunt. Tum etiam quia experientia conſtat vendi fructus, & alia quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, abſque prædicta ſolemnitate. Secundo bona immobilia Eccleſiæ, vel mobilia prætioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt non poſſunt validè alienari, niſi adſit iuſta cauſa, & ſolemnitas à Iure præſcripta. Ratio,quia extat prohibitio in iure, vt patet ex Decretis Pontificijs, & ex conſtitutione Pauli Secundi.

Sciendum 2. Cauſas iuſtas, ob quas rerum Eccleſiaſticarum alienatio fieri poteſt quatuor eſſe. Silueſter *verbo alienat.* Molina *loco cit.* Quaranta *verbo alienatio* 23. Angelus *eod.verbo nu.*4. Nauarr. *Coment. de alien. rerum Eccleſiaſticarum*. Prima, eſt neceſſitas vrgens, vt ſi ſint multa debita, quibus alia ratione ſatisfieri non poſſit. Secunda, eſt maior vtilitas, vt quando res venditur, vt vtilior comparetur. Tertia,eſt pietas,vt quando res venditur pro redemptione captiuorum innocentium, tum etiam ad ſuſtentandos pauperes. Quarta, eſt incommoditas, vt quãdo plus incommodi, quam incommodi affert Eccleſiæ. Non eſt neceſſe quod omnes requirantur, ſed ſufficit vna.

Sciendum 3. Quod poſita vna ex his cauſis ſolemnitas ad alienationem requiſita in his conſiſtit. Primò, vt procedat tractatus in Capitulo, & diſcutiatur, vtrum expediat rem alienare, nec ne, & quod maior pars definiuerit illud amplectatur. Secundò, conſenſus maioris partis capituli. Tertiò, vt adſit conſenſus ſuperioris, qui reſpectu Clericorum, & Monaſteriorum non exemptorum eſt Epiſcopus: ſi verò Monaſterium ſit exemptum requiritur conſenſus illius, qui pleno iure eſt Superior. Quod ſi Monaſterium, ſeù Collegium non habeat Capitulum ſufficit conſenſus illius, qui præeſt cum Epiſcopi auctoritate, vel Superioris generalis, vel Prouincialis iuxtà ſtatuta Religionis. Quartò, vt fiat ſubſcriptio à Capitularibus,idque ſaltem in alienatione propriè dicta, per quam rei transfertur dominium. Vnde contractus alienationis celebratus cum his ſolẽnitatibus validus eſt; ſecus autem non, & aliter facientes incurrunt pęnam infrà dicendam.

Sciendum 4. Quod ſi res aliqua immobilis relicta ſit Eccleſiæ, ſeù res prætioſa, quæ ſeruando ſeruari poteſt tali pacto, vt poſſit alienari abſque prædicta ſolemnitate, tamen non poteſt alienari, quia huiuſmodi conditio habetur pro non appoſita, cum ſit contrà iura, quæ præſcribunt, rem Eccleſiaſticam non poſſe alienari, abſque prædicta ſolemnitate, & ſi aliter fiat alienatio ſit inualida. Secundò, an ſi aliquid relictum ſit Eccleſiæ cum pacto, vt non alienetur in obtinendo aſſenſu Apoſtolico facienda ſit mẽtio huius conditionis? Reſpondeò affirmatiuè,quia alioquin aſſenſus eſſet ſurreptitius,cum omiſſio huius conditionis vitiet contractum, & faciat ipſum ſubreptitium. Tertiò, non ſolum bona immobilia, aut mobilia prætioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, ſed etiam bona incorporalia, vt ſunt iura, actiones, & ſeruitutes, &c. non poſſunt alienari,abſque prædicta ſolemnitate, abſque incurſu pęnæ. Ita auctores citati. Ratio, quia ius indiſtinctè loquitur de omnibus bonis, incorporalia autem ſunt etiam bona Eccleſiaſtica; Ergo,&c.

An alienatio facta cum tali clauſula ſaluo Summi Pontificis aſſenſu, ſit valida?

BRACTEA IV.

R. Alienationem à Pręlato factam cum clauſula ſaluo Summi Pontificis aſſenſu, non eſſe validam. Ita Riccius *in praxi part.*1. *reſol.* 37. *num.*1. Bonacina *diſp.*3. *quæſt.*5. *num.*4. *propoſ.*2. *num.*6. & alij. Ratio, quia cenſetur proteſtatio contraria facto. Tum etiam, quia cõnſenſus Papæ ad alienationem requiritur tanquam forma, quæ cum contractu alienationis ſimul eſſe debet, cum forma ſit quæ dat eſſe contractui.

Sciendum quod ſicut dictum eſt ad validam alienationem requiruntur cauſa, & ſolemnitas copulatiuè à iure præſcripta, quæ ſolemnitas, quia requiritur ad validandum actum contractus eſſentialiter

cum

cum ipſo contractu debet eſſe, & hinc eſt quod cum requiratur conſenſus Summi Pontificis, tanquam forma, ſeù tanquam actus validans ipſum contractum debeat eſſe ſimul cum ipſo contractu, alioquin contractus erit irritus, & inualidus. Ratio, quia non erit celebratus cum ſolemnitate à iure requiſita, ſed erit ſine forma ſubſtantiali. Quod ſi dicatur factum tempore inhabili, ſed relatum in tempus habile, validum eſſe ſaltem pro tempore habili: Reſpondeo factum tempore inhabili relatum ad tempus habile validum eſſe, niſi à iure irritetur; talis autem contractus cum deficiat in forma irritatur à iure, & per conſequens non validatur per actum ſubſequentem ſed remanet irritus, & inualidus.

Prior Monaſterij in euidentem vtilitatem conceſſit quædam bona ſaluo beneplacito Apoſtolico, & ante aſſenſum tradidit poſſeſſionem: quæſitum fuit, an alienatio fuerit valida, & inciderit in excommunicationem Paulinā?

BRACTEA V.

R. Dvas eſſe opiniones: Prima docet eſſe inualidam cum in alienatione, duo copulatiuè requirantur ſolemnitas, & cauſa, & vnum ſine alio non ſufficere. Ita Menochius *lib. 9. conſil.* 852. & alij, quos citat, & ſequitur Marcus Antonius Maſſeratenſis, *lib. 1. variar. reſolutionum reſol. 5. num. 6. & reſolut. 50. num.* 43. cum Riccio *loco cit. reſolut. 7. c. 2. & 24.* & alij, & in foro conſcientiæ docet Suarez de *legibus lib 5 cap. 14. num. 6.* Vaſquez *opuſc. de redd. rib. cap.* 2. §. 2. *dub.* 14. Bonacina de contractibus *diſp. 3. quæſt.* 8. *pun. 4. propoſ. 2. num. 6.* & alij. Et ratio eſt, quia ſine forma ſubſtantiali nihil ſubſiſtere poteſt: at prędicta ſolemnitas nempè aſſenſus Apoſtolicus à iure præſcripta eſt tanquam forma ſubſtantialis; Ergo, &c.

Secunda opinio aſſerit, alienationem in euidentem vtilitatem factam, ſine aſſenſu Apoſtolico eſſe validam. Ita Quaranta in *ſumm. Bullarij, verbo alienatio num.* 34. qui citat Decium, Rebuffum, Nauarrum, & alios. Idem docuit Capic. *deciſ.* 16 *num.* 4. Berneta *conſil.* 92. Gabriel de *rerum alienat conſil. 1 l. 3.* Hieronymus Gabriel, *conſil. 71. volum. 2. num.* 11. & deciſiones nouiſſimæ Rotæ Romanę *par. 3. lib. 2. dec.* 225. *nu. 3. & 4.* & *lib. 3. deciſ. 251. nu. 6. & 7.* Et Genuenſis in *praxi cap.* 88. *n.* 4. docet quod ſi alienatio ſit facta, ſaluo aſſenſu Apoſtolico nō liceret contrahentibus, ante imploratum aſſenſum recedere à contractu, quod, & in foro conſcientiæ tenet Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 2. quæſt. 8. dub. 2.* Reginaldus in *praxi tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 6. ſect. 2. num. 69. & 70.* Naldus in *ſum. verbo actus num. 15. & verbo contractus num.* 10. Rodriquez *quæſt. regular. tom. 1. quæſt. 27. art* 9. Silueſter *verbo alienatio num.* 13. Angelus *eodem verb.* §. 14. Et ratio eſt, quia cum talis contractus celebratus ſit in gratiam Eccleſiæ, & vtilitatem, quamuis legitima forma deficiat, & ſolemnitas, tamen validus erit, cum forma requiratur ad fraudes euitandas, & quando fraus deficit non adeò eſt neceſſaria ſolemnitas in conſcientia, vt ſine illa contractus non ſit validus. An incurrant in excommunicationem? Bonacina *loco cit.* aſſerit, alienantem bona Eccleſiaſtica ſine prævio conſenſu Apoſtolico incurriſſe in dictam excommunicationem, & plures alij. At Reginaldus *loco cit.* & Filiucius *tom. 1. tract. 14. cap. 7. quæſt. 6. num. 119. & tractat. 16. cap. 9. num.* 220. aſſerunt non incurrere in illā cenſuram, quia fecerunt conditionem Eccleſiæ meliorem, & citat Quarantam *verbo alienatio num.* 50. Sed

R. Opinionem Aloyſij Riccij à Bonacina loco citato ſecutam nunc temporis ſequendam eſſe, nō modo ob rationes ab ipſis allatas, verùm etiam ob decretum Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ Octaui iuſſu editum de rebus regularium non alienandis, vbi ſtrictè prohibetur omnium rerum, & bonorum immobilium, ac prætioſorum mobilium alienationem omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur cenſus perpetuos, ſeù vitalitios, hypothecam locationem, & conductionem vltra triennium, conceſſionem in fęudum, vel emphiteuſim, &c. abſque ipſius Congregationis concilij expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis comedenda, ſub pęna priuationis omnium officiorum, quæ tum obtinebunt, vociſque actiuè, & paſſiuè, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant ſublata etiam generali, & protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate pęnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim fælicis recordationis Pauli Secundi, quæ incipit *Ambitioſ.* in ſuo robore permanſuris, &c.

An Prælatus poſſit abſque conſenſu Capituli renuntiare hæreditati, aut legato rei immobilis, aut pretioſæ rei mobilis, quæ ſeruando ſeruari poteſt?

RACTEA VI.

R. Prælatvm Monaſterij abſque conſenſu Capituli poſſe renunciare hæreditati, vel legato nondum à Monaſterio, ſeù ab alio Superiore acceptato. Ita Silueſter *verbo alien. quæſ. 9.* Armilla *eodem verbo num* 17. & alij apud Quarantam, & Riccium Sanchez *diſp. 4. num.* 12. Rebellum *lib. 18. quæſt. 14. num. 5.* Ratio, quia renunciatio non eſt mere alienatio, ſed non acquiſitio. Tum etiam, quia ante aditam hæreditatem ius in re, ſiue dominium non fuit in Eccleſia acquiſitum. Vnde non poſſunt dici Eccleſiaſtica. Tum etiam, quia Superior in acquirendis poteſt nocere monaſterio, non autem quoad acquiſita.

Sciendum quod, & ſi ſit valida renunciatio hæreditatis, vel legati à Prælato facta, nondum tamen acceptati, quia quoad acquirenda poteſt nocere quāuis non quoad acquiſita, tamen ipſe peccat contrà iuſtitiam repudiando, & non acquirendo, cum ex officio teneatur conſulere proprio Monaſterio, ſeu Eccleſiæ. Eccleſiam, ſeù Monaſterium poſſe vti priuilegio reſtitutionis in integrum ſi ob dictam renunciationem læſum fuit, modo res illa non fuerit acquiſita alteri Eccleſiæ, quia tunc melior eſt conditio poſſidentis. Angelus *verbo donatio*, Riccius *deciſ.* 22. & alij. Contrarium docet Molina *diſp.* 408. *num.* 11. Quaranta *verbo alienatio num.* 23. Lambertinus de *Iure patronatus lib. 3. quæſt. 9. art. 11. num.* 31. & alij, non poſſe legatum, aut hæreditatem relictam Eccleſiæ repudiari, abſque prædicta ſolemnitate. Ratio eſt, quia quamuis dominium rei legatę nō ſit acquiſitum Eccleſiæ ante acceptationem, nihilominus Eccleſiæ acquiſitum eſt ius ad rem, quo Prælatus non poteſt abſque prædicta ſolemnitate Eccleſiam priuare. & licet hæc opinio ſit probabilis, tamen contraria eſt probabilior, & in vſu.

Cuius valoris debeat eſſe res, vt prætioſa dicatur?

BRACTEA VII.

CASTRVS Pallaus *tom.2. diſp. vnic. pun. 15. §.1. num.2.* ſic reſpondet, quod ſi inquiras cuius valoris debeat eſſe res, vt prætioſa dicatur? Reſpondeo mihi videri centum aureos atringere debere; hinc fit, vt illæ res mobiles alienabiles ſint, quæ valorem centum aureorum non attingunt; ſed Sacta Congregatio teſte Homobono in conſultat. caſuum conſcientiæ *volum.2. pak.6. reſponſ.98.* & Peregrino in *compend. verbo alienatio*, mobile prætioſum illud cenſeri, quod excedit valorem viginti quinque aureorum. Et ideò.

R. Mobile prætioſum quod Prælatus non poteſt alienare, abſque ſolemnitate à iure præſcripta illud eſſe, quod excedit valorem viginti quinque aureorum. Et ita auctores citati.

Sciendum 2. dubium eſſe an Prælatus monaſterij poſſit abſque prædicta ſolemnitate ex votis argenti ſacræ Imagini oblatis conficere vas argenteum in honorem eiuſdem Imaginis, v.g. lampades, vel cãdelabra, &c. Ad quod reſpondeò affirmatiuè. Ratio, quia nulla alienatio, ſed ſolum mutatio figuræ materiæ, ideſt argenti de vna figura in aliam. Tum etiam, quia argenti non transfertur dominium in alium; ſed perſeuerat apud eandem eccleſiam. Sed vt dictum eſt, fit ſolum mutatio figuræ in aliam figuram, & per conſequens nulla alienatio. Secundò dubium etiam eſſe an reliquiæ Sanctorum veniãt nomine rei pretioſæ, itaut non poſſint alienari abſque prædicta ſolemnitate. Peregrin. *loc. cit. dub.4.* & alij dicunt poſſe, quia in extrauaganti *Ambitioſæ*. Sermo ſolum eſt de alienandis rebus temporalibus prætio æſtimabilibus: ſed reliquiæ Sanctorum non ſunt pretio æſtimabiles; ergo, &c. Sed contrariam ſententiam tenent Bonacina de *alienat. diſp. 2. quæſt. vnic. pun.2. num.32.* Caſtrus Pallaus *loco cit. num. 8.* & alij, & vtraque ſententia videtur probabilis.

An bona Eccleſiaſtica immobilia, ſeù mobilia pretioſa, &c. poſſint oppignorari, vel locari?

BRACTEA VIII.

R. BONA Eccleſiaſtica immobilia, ſeu mobilia, quæ ſeruando ſeruari poſſunt non poſſe, abſque prædicta ſolemnitate ſpeciali hypotheca, hypothecari, aut etiam oppignorari, vel ad longum tempus locari. Ita Molina *diſp. 369. num.6.* & alij communiter. Ratio, quia cenſentur ſpecies alienationis, quia alienatio latè ſumpta extenditur etiã ad hypothecam, & pignorationem, & locationem ad longum tempus. Vnde abſque prædicta ſolemnitate non poſſunt fieri. Ità Azorius *3. part. lib.8.* Em. Sà *verbo Conductor nu.13.* Tuſcus *tom. 3. concluſ. 406.* Curtius de locato *3 part. §. de rebus Eccleſiæ locandis*, & alij apud praxim Neapolitanam, &c.

Sciendum quod ſi res Eccleſiaſticæ locentur vltrà triennium abſque prædicta ſolemnitate inualida eſt locatio non ſolum pro eo tempore, quod excedit triennium, ſed etiam pro ipſo triennio, cum ipſa locatio irritetur à iure, niſi fiat cum prædicta ſolemnitate, & iuxtà cauſa. *Clement.1. de rebus Eccleſiæ non alienandis*: vnde ſi quis locauit prædium alicuius Monaſterij, vel Eccleſiæ ad quinque, vel ſex annos abſque prædicta ſolemnitate inualida erit locatio nõ ſolum pro quinque, vel ſex annis, ſed etiam pro ipſo triennio. Ita Azorius *loco cit.* & alij. Quod ſi dicatur vtile per inutile non vitiari. Reſpondeo in rebus diuiſis, ſiuè ſeparabilibus valere illam regulam, non autem in rebus, ſeù actionibus indiuiſis, inſeparabilibus; vt quando fit locatio ad quinque annos. Verùm ſi quis alteri locet prædium Eccleſiæ ad ſex annos, ita vt locatio non ſit vna, ſed duæ, vt ſi quis diceret, loco tibi ad tres annos tale prædium, quibus elapſis ex nunc pro tunc, loco tibi idem prædium ad alios tres annos, valida erit locatio, quoad primum triennium, non autem quoad ſecundum, quia non eſt vna ſimplex locatio, ſed duæ, & in iſto caſu valet illa regula vtile per inutile non vitiatur. Si autem locatio prædij ad ſex annos erit ſolum vna ſimplex locatio inualida erit, & pro primo, & pro ſecundo triennio, modo aliter non ſit conſuetudine receptum. Secundò res Eccleſiæ fructificantes ſolum alternis annis poſſe locari ad ſex annos, quia ſic cenſentur tantummodo locatæ ad tres, cum duo anni reſpondeant vni anno; ſicut etiam ea locari poſſunt ad nouem annos, quæ tertiò quoque anno fructus faciunt, nam ſingula triennia æquiualent ſingulis annis. Ita Vaſquez in opuſc. de beneficijs, *cap.2. §.5. dub.6. num.30.* Couar. *2. variar. cap.16. nu 4.* Rebellus *lib.14 quæſt.5.* Em. Sà *verbo conductio nu. 14.* & alij. Tertiò, quod quando res Eccleſiaſtica locatur vltrà triennium non ſolum locatio eſt inualida, ſed tam conductor, quam locator incurrunt excommunicationem, & alias pœnas, quę in Clementina *ambitioſæ* continentur.

An Princeps poſſit contrahere cum ſuis ſubditis?

BRACTEA IX.

R. PRINCIPEM cum ſuis ſubditis contrahere poſſe, & naturali obligatione ſe obligare. Ita Panormitanus *conſil.104.* & omnes communiter. Ratio, quia habet omnia requiſita ad contrahendum, nimirum vſum rationis, & liberam adminiſtrationem ſui ſtatus, tamen non contrahere obligationem ciuilem, per quam cogi poſſit, etiam ſi ſuarum legum diſpoſitionibus ſe velit ſubijcere, & per eas iudicari. Ita Rebellus *2 part. lib.1. de contract. quæſt.8.* & alij.

Ratio, quia Princeps non ſubditur ſuis legibus, quoad vim coactiuam, nec in ſe alteri iuriſdictionem poteſt tribuere, ſicut nec alterum ſibi ſuperiorẽ conſtituere valet.

Sciendum, quod licet Princeps cum ſuis ſubditis contrahendo non contrahat niſi obligationem naturalem tamen debet ſubire locum obligationis ciuilis, itaut velit per ſuas leges in ſuo foro, quoad lites, quas cum ſuis ſubditis habet diiudicari, ac ſi vnus ex priuatis eſſet, quia & ſi inter Principem, & ſubditum non videatur eſſe iuſtitia, cum tantum inter æquales eſſe videatur, tamen ratione contractus contrahit obligationem ad minimum honorariam ratione fidelitatis, ac veracitatis, quam ſeruare tenetur in litibus, quas habet cum ſuis ſubditis.

An

An pupillus, & minor viginti annorum contrahere poſſit?

BRACTEA X.

SCiendum nomine pupilli intelligi puerum, vel puellam impuberem, ideſt filium ante decimumquartum annum, & puellam ante duodecimum poſt mortem Patris derelictos. Vnde coguntur haberem Tutorem, cuius munus precipuum ſit perſonam pupilli tueri, & vt piè, & honeſtè viuat, inſtruatur, eiuſdem etiam bona adminiſtrare tali cura, ac diligentia, qualem Pater familias propijs bonis adhibere ſolet; differt autem Tutor à curatore, quod Tutor vſque ad tempus pubertatis datur, & ipſa ſequuta tutela finitur; curator autem pueris ac puellis vſque ad annum vigeſimumquintum, quo tempore minores appellantur, vt bonis eorum præſit, ſeu adminiſtrator exiſtat. Quo poſito.

R. minor, & pupillus ſine auctoritate curatoris aut Tutoris tantum in ſuum commodum contrahere poſſunt, non autem in commodum alterius, ſeu vtilitatem tertiæ perſonæ Ita *leg. ſi curatorem leg. pupillus*; & eſt communis ſententia Theologorum, & Canoniſtarum. Ratio quia non habent liberam adminiſtrationem bonorum, ſed impeditam à iure. Secondo auctoritate tutoris, vel curatoris Pupillus, & minor naturaliter, & ciuiliter ſe poſſunt obligare, & contractus celebrare. *leg. impuberes*. Quod tamen intelligendum eſt de popillo pubertati proximo, ita vt cenſeatur habere diſcretionem, quæ iure naturali ſufficiat ad contractum, quod ſecundum Iuris præſumptionem accidit poſt finitum annum decimum cum dimidio ſi puer, vel nonum cũ dimidio ſi puella, *§. pupil.* Ante eam ætatem ſolus tutor contractus celebrare poteſt, & pupillus ex proprio conſenſu non obligatur Molina *diſp.* 224.

Sciendum 2. quod ad alienationem bonorum immobilium vel mobilium prætioſorum pupilli, quæ ſeruando ſeruari poſſunt non modo requiritur conſenſus tutoris ſeu curatoris, ſed etiam requiritur decretum Iudicis *leg. lex quæ tutores cod. de adminiſtrat. Tutoris*, Rebellus 2 *part. lib.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap* 17. Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 38. *num.* 6. Tertiò, licet pupillus, & minor viginti quinque annis ciuiliter ſe obligare non poſſint ſine auctoritate tutoris vel curatoris, tamen naturaliter, & in foro conſcientiæ ſe poſſunt obligare. Ita Sanchez *lib.* 6. *diſp* 38. *num.* 21. Leſſius *lib.* 2 *cap.* 17. *num.* 61. Rebellus *part.* 2. *lib.* 1. *quæſt.* 8 *ſect.* 2. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 224. & alij. Ratio quia obligatio naturalis oritur ex conſenſu, ſed pupillus ſi pubertati proximus ſit, & minor viginti quinque annis ſufficientem habet conſenſum, ſicut colligitur ex *§. pupillus*. Inſtituta de *in vtilib. ſtipulationib.* conſequens eſt naturaliter ſe poſſe obligare ex contractu. Quod ſi pupillus contrahens infantiæ proximus ſit naturaliter non obligatur, quoniam tunc parum cenſetur diſtare à furioſo, cum vix vllum intellectum habeat, ideò iura ciuilia eius contractui reſiſtunt, & omnem obligationem tollunt. Quartò, alienatio rei mobilis facta à pupillo pubertati proximo vel à minore de conſenſu Tutoris vel Curatoris valida eſt licet poſſit contractus reſcindi à Tutore vel Curatore. Ita Rebellus 2. *part. lib.* 1. *ſect.* 2. *num* 27. Leſſius *lib.* 2. *cap* 17. *num.* 61. Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 68. *num.* 3. & alij.

Sciendum 3. quod licet minor non poſſit reſilire à contractu facto rei mobilis de licentia curatoris, ſiue etiam pupillus pubertati proximus, tamen poteſt vti priuilegio reſtitutionis in integrum, ſi ipſe velit, quia, & ſi ipſe obligetur naturaliter ſtare contractui, non tamen obligatur ciuiliter, cum prohibeatur ſe obligare. An verò qui accepit rem à pupillo vel minore, ad cuius alienationem non requirebatur decretum Iudicis ſed ſolum conſenſus tutoris vel curatoris teneantur ante ſententiam Iudicis ipſum reſtituere?

Reſpondeo non teneri ante ſententiam Iudicis, cum obligetur pupillus puberrati proximus, & minor ſtare contractui, donec vtatur remedio reſtitutionis in integrum; Et an pupillus, & minor qui poſſunt repetere ſolutum teneantur ſoluere rem promiſſam vel debitum ex contractu, v. g. an minor teneatur ſoluere quæ perdidit credita pecunia, cum poſſit, ea repetere poſtquam ſoluerit? Reſpondeo negatiuè, ſed exceptione legis Ciuilis ſe defendere poſſe, dummodo ſe ſoluturum non iurauerit Molina *diſp.* 55. *concluſ.* 4. *num.* 5. Reginaldus *lib* 25. *num.* 125. quia ſi iuraſſent, tunc deberet ſoluere, nec videretur Deũ adduxiſſe in teſtem falſi.

An vxor poſſit contrahere ſine conſenſu mariti?

BRACTEA XI.

R. Non poſſe vxorem de bonis quorum maritus habet dominium ipſo inſcio cõtrahere; ſicut nec etiam de bonis communibus. Ratio, quia contractus eſſet de re propria, non autem de re aliena. Secundò vxorem de rebus proprijs, ſeu traditis, aut paraphrenalibus poſſe inſcio marito contrahere. Ratio, quia talia bona ſunt ipſius, quoad dominium, & per conſequens poteſt ea dare, vel diſtrahere prout libuerit. An vxor poſſit de bonis mariti aliquid accipere, vel tradere ipſo inſcio? dictum fuit, & infrà dicetur.

An filius familias contractus celebrare poſſit?

BRACTEA XII.

SCiendum filios familias non ſolum dici filium, & filiam, ſed etiam, qui ex illis nati ſunt Nepotes, ac neptes quandiù ſub Patris, vel Aui paterni poteſtate exiſtunt, licet maiores ſint, ſiuè annum ætatis vigeſimum excesserint. Inſtituta de *patria poteſt.* §. *vlt.* Secundò quadruplex eſſe filij peculium, Caſtrenſe, ſeu quaſi Caſtrenſe, aduentitium & Profectitium. Peculium Caſtrenſe ſunt acquiſita à filio ratione militiæ, ſiuè ſint mobilia, ſiuè immobilia; peculium quaſi Caſtrenſe ſunt acquiſita ex publico munere, ſeu officio, vt Doctoris, Iudicis, Aduocati, Tabellionis, Medici, &c. Item bona Clericorum, ex Clericali titulo, ſeu Patrimonio, aut beneficio acquiſita, quid quid in alijs filijs aduentitiũ eſt in Clerico filio familias Caſtrenſe, aut quaſi Caſtrenſe cenſeri debet. Quod tamen debet intelligi de acquiſitis poſt Clericatum, non antea. Aduentitia ſunt quæ filio familias adueniunt non à Patre, neque intuitu Patris, ſed vel ex propria induſtria, vel liberali alicuius donatione, legato matria, vel aui materni hæreditate, &c. idcircò dicuntur aduentitia, quia à tertia perſona adueniunt. Profectitia bona diuinæ, ea quæ ex bonis Patris profecta, vel Patris intuitu filio familias donata ſunt, & dicuntur profectitia, quia à Patre, ſeu intuitu Patris proficiſcuntur in filium. Secundò eſſe differentiam inter hæc quatuor bonorum genera, quod in bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus, Pater nihil omninò

 Iuris

Iuris habet, ſed eorum filius dominium, & liberam adminiſtrationem habet. *cod. de Caſtrenſi pecul. leg. vlt. cap. de inofficioſe teſtamento*. Aduentitiorum bonorum ſola proprietas ſpectat ad filium, vſusfructus ad Patrem. *leg. cum opportet cod de bonis, quæ liberis*; quæ tamen bona non poteſt Pater, abſque Iudicis ſententia alienare, ex *leg. non ſolum leg. ob es alienum cod. de prædijs minorum*; bona verò profectitia pleno iure ſpectat ad Patrem. Inſtituta *per quas perſonas*, &c.

R. Filius familias pubes ex omni contractu obligatur de licentia Curatoris, ſine licentia non poteſt obligare ſe iure communi, qui nondum peruenit ad vigeſimum quintum annum. Ita Molina diſp. 230. item de filio emancipato, at de viuente ſeorſim à Patre cum vxore, & familia per decennium. Ratio eſt, quia non habet liberam adminiſtrationem in bonis. Tum quia prohibetur à Iure *leg. ſi curatorem habens cod. de integr. reſtit*. Secundò, filius familias de bonis Caſtrenſibus, & quaſi Caſtrenſibus contrahere poteſt dummodo ſit maior viginriquinque annis ſine licentia Patris. Ita communiter omnes, & inter alios Silueſter *verbo Pecul.* 1. *num.* 2. Molina *diſp.* 230. Azorius *tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 14. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3. & alij. Ratio, quia eorum bonorum liberam adminiſtrationem habet ex iure. Tum etiam, quia poſt vigeſimumquintum annum nulli cenſetur ſubditus. Tertiò de bonis profectitijs nullo modo contrahere poſſunt, niſi de conſenſu Patris. Ratio, quia pater habet in his dominium directum, & vtile, & per conſequens cum filius eorum nó habeat liberam adminiſtrationem cum ſint Patris, quoad vſumfructum & proprietatem, ſequitur de illis non poſſe auctoritate propria contrahere, validi tamen eſſent contractus, ſi à Patre exponeretur ad negotiandum. Quartò de bonis aduentitijs, nec etiam filius viuente Patre contrahere poteſt. Ratio, quia licet proprietas aduentitiorum, quoad dominium ſit filij, tamen quia viuente Patre eorum non habet liberam adminiſtrationem, & vſumfructum, hinc eſt, vt de ipſis non poſſit contrahere, cum ad contrahendum non modo requiratur dominium rei, ſed etiam eius libera adminiſtratio, vt ex *leg. cum opportet, leg. cum non ſolum cod. de bonis quæ liberis* oſtendit Molina *diſp.* 232.

An filius qui gerit negotia Patris poſſit pro labore, & induſtria tantum accipere, quantum daretur extraneo?

BRACTEA XIII.

R. Si filius familias ex bonis Patris lucretur poſſe ſibi retinere pro labore, & induſtria, quãtum daretur extraneo, niſi negotium intẽdat facere gratis, quia tunc nihil poteſt accipere. Ita Leſſius *lib* 2. *cap.* 12. *num.* 81. Angelus *verbo pecul. num.* 11. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 144. & alij. Ratio, quia filius non cenſetur deterioris conditionis, quam extraneus; nec iure naturæ tenetur laborare pro Patre quando Pater non eget, & ſicut extraneus lucratus, ita etiam filius negotia Patris gerendo poteſt lucrari.

Sciendum quod, vt filius poſſit licitè accipere pro ſuo labore, & induſtria tria requiruntur; primò, vt proteſtetur ſe velle lucrari, quod ſi ob reuerentiam non audeat, non erit neceſſarium, quia tunc Pater non cenſetur id egrè ferre, ſed conſenſum præbere. Secundò, vt conſtet parentem non facturum per ſe, neque inuenturum alium, qui gratis, vel minori pretio faciat. Tertiò, vt fructum lucri non ſibi vendicet ante mortem Patris, vel ſuam emancipationem, quia pertinent ad Patrem. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 81. Nauar. *cap.* 17. *num.* 143. Reginaldus *lib.* 20. *cap.* 2. *num.* 28. & alij.

Cuiusnam ſint quæ lucratur filius familias in domo Paterna?

BRACTEA XIV.

R. Lvcra prouenientia ex operibus artificialibus inter aduentitia bona numerantur, quorum vſusfructus viuente Patre ad ipsũ ſpectat, & poſt mortem ipſius, filij debere eſſe, vnde filius cenſetur operam locare Patri, & ab ipſo ſalarium poteſt exigere deductis tamen expenſis, quas Pater fecit ipſum alendo, quia Pater non tenetur alere filium habentem bona Caſtrenſia, vel quaſi, aut aduentitia, ſicut colligitur ex *leg. ſi quis liberis ff. de liberis agnoſcendis*. Et hæc eſt communis Doctorum ſententia apud Rebellum *part.* 2. *lib.* 1. *de contract. qu.* 8. *ſect.* 7. *concluſ.* 2. Nauar. *cap.* 7. *num* 14. Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 3. *dub.* 2. Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 234. & colligitur ex *leg. penult. ff. de obſequijs*; ibi pietatem liberi parentibus non operas debent.

Sciendum tamen ſi filius operam ſuam Patri præſtet nullo, ſiuè expreſsè, ſiuè tacitè petito ſalario, & quod cenſeatur id Patri remittere pietatis, & gratitudinis cauſa, & ſi poſteà à Patre, aut eo mortuo repetere velit audiendus non eſt, qua ſimili ratione docet Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 5. *num.* 7. ſi vir vxorem alat antequam ei dos debita ſoluta ſit, non poteſt repetere alimenta, quippè quæ affectu maritali condonaſſe præſumitur. Layman *de contract. tract.* 4. *cap.* 8. *num.* 5. & alij.

Ex qua culpa obligentur ad reſtitutionem contrahentes?

BRACTEA XV.

Sciendvm culpam duplicem eſſe, Theologicã; & Iuridicam; Culpa Theologica eſt peccatum mortale, aut veniale iuxtà quantitatem tranſgreſſionis grauis, aut leuis; Iuridica eſt omiſſio diligentiæ, quam quis operando adhibere debet, quæ triplex eſt lata, leuis, & leuiſſima; lata, eſt omiſſio illius diligentię, quàm paſſim homines eiuſdem cõditionis adhibent in ſuis negotijs. Vnde ignorans, quę homines eiuſdem profeſſionis ſcire debent, dicitur ignorare, ex lata culpa, & qui in cuſtodienda re aliqua non adhibet illam diligentiam, quàm cõmuniter viri adhibent dicitur committere latam culpam: Culpa leuis eſt omiſſio illius diligentię, quàm diligentiores illius artis adhibere ſolent, vt ſi quis rem ſibi accommodatam relinqueret in cubiculo aperto committeret culpam leuem; Culpa leuiſſima eſt, quando quis omittit eam diligentiam, quam homines diligentiſſimi adhibet, vt quando quis depoſitum reponit in arca, ſed manu non probat, an arca ſit clauſa, & ſimilia. Quo poſito.

R. Contractum in vtilitatem vtriuſque, cuiuſmodi ſunt contractus emptionis, locationis, ſocietatis, &c. obligare ex culpa lata, & leui. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 179. Molina *diſp.* 295. Rebellus 1. *par. li.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 8. & alij. Quando contractus eſt in vtilitatem ſolius recipientis, quale eſt accommodatũ recipiens obligatur ad reſtitutionem non ſolum ex

culpa

culpa leui, ſed etiam leuiſſima, & etiam ex caſu fortuito. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 7. num* 8. Regin. *lib. 10. nu. 2.* Rebellus 1. *part. lib. 1. quæſt.* 10. *num.* 8. Molina *tract. 2. diſp.* 293. Azorius 3. *part. lib. 6. cap.* 4. & alij communiter. Ratio patet ex *leg. contractus*: Tum quia id etiā poſtulat æquitas naturalis, vt qui aliquid accepit in ſui ſolam vtilitatem teneatur etiam de leuiſſima, cum nullus alteri debeat benefacere eū ſuo incommodo.

Sciendum 2. quod licet contractus precarij ſit tantum in vtilitatem recipientis tamen accipiens aliquid in precarium non tenetur de culpa leui, & leuiſſima, ſed ſolum de dolo, & culpa lata *leg. contractus* Ratio eſt quia tradens precarium poteſt pro ſuo libito ipſum repetere, & tradens commodatum non poteſt pro ſuo libito ipſum repetere. Reginaldus *loco cit. num.* 478. Molina *diſp.* 244. Azorius 3. *parte lib. 7. cap.* 2. & alij. Secundò, quando contractus eſt in vtilitatē ſolius dantis, quale eſt depoſitum accipiēs in vtroq; ſoto tenetur ſolum de dolo, & lata culpa. Inſtitutа *quib. modis contrahentes oblig.* §. *preterea leg.* 1. §. *is quoq; 2. ff. de act.* Ratio eſt, quia cū accipiendi nulla fiat gratia nec eius cōmodū ſpectetur non teneatur ad maiorem cuſtodiam, quam ſi res eſſet propria, & quam homines communiter adhibent in rebus ſuis talis autem eſt culpa iſta: verum ſi depoſitarius aliquid accipiat pro re ipſa ſeruanda tenetur etiam de leui, quando eſt in vtilitatem recipientis, quia tunc eſſet contractus in vtilitatem vtriuſque Molſel. *in ſum. tom. 2. tract.* 12. *cap.* 15. *nu.* 44. Megala in 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 18. *quæſt.* 2. *num.* 12. Thurianus in 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 11. *dub* 5. *num.* 8. Reginal. in *praxi tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 46. *ſect.* 1. *num.* 563. Azorius *part.* 3. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæſt.* 1. Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 527. Sotus *lib.* 4. *de Iuſtitia quæſt.* 6. *art.* 2. Tertiò, qui accepit pignus in ſeueritatem crediti tenetur ſolum de leui, non autem de leuiſſima, cum pignus tradatur in vtilitatem vtriuſque. Nauar. *cap.* 17. *num.* 23. Azorius 3. *part. lib.* 7. *cap.* 8. *quæſit.* 5. Angelus *verbo pignus* Silueſter *eodem verbo*, Rodriquez 2. *part. cap.* 25. *num.* 1. licet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *nu.* 11. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 34. *cap.* 2. *num.* 23. aſſerant, neminem in conſcientia teneri, niſi ex culpa graui, & lata, & non ex culpa leui, & leuiſſima, niſi alter ſit conuentum. Et Rebell. *part.* 2. *lib.* 16. *quæſt. vnica au* 5. *vſque ad num.* 10. aſſerit in foro conſcientiæ in ordine ad reſtitutionem nō ſufficere latam culpam iuridicam ſed requiri culpam Theologicam, & mortalem; & dolum, verum hæc opinio acriter reprehenditur à Vualero in differentijs vtriuſque fori *verbo depoſitum differ.* 4. *num.* 9.

An quid obligetur dubius de culpa?

BRACTEA XVI.

GALETUS in Margarita caſum Conſcientię *verb. Accommodatum*, & *verb. dubium* tenet quod commodatarius dubius, an res ſua culpa perierit tenetur ad reſtitutionem. Contrariam ſententiam tenet Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 41. *num.* 18. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. maximè quando dubium eſt æquale. Ratio eſt quia delictum in dubio non præſumitur. Quę opinio confirmat doctrinam valdè notandam, quam tenet Sotus *de Iuſtit. lib.* 3. *quæſt.* 6. *art.* 2. Ledeſma in 2. *part. quæſt.* 8. *art.* 6. Toletus *lib.* 5. *cap.* 18. Em. Sà *verbo culpa num.* 2. aſſerentes in contractibus quempiam teneri tantum de dolo, & lata culpa, quæ conſtituat peccatū mortale, & hanc ſententiam Diana *tract.* 6. *de miſcel. reſolut.* 49. probabilem exiſtimat cum Leſſio *loco cit.* licet contrariam ſententiam ſequatur Azorius *tom.* 3. *lib.* 7. *de commodato cap.* 7. *quæſit.* 1. Molina *tom.* 2. *diſp.* 295. *num.* 10. Rebellus *part.* 2. *lib.* 16. *quæſt vnica de commodato* Caiet. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. Nauar. *cap.* 17. *nu.* 184. Gomez *tom.* 2. *variar. reſolut. cap.* 6. *num* 2. exiſtimantes ad teſtitutionem ſolum ſufficere culpam iuridicam ſed quæ ſit noſtra opinio ex ſupradictis colligitur.

De caſu fortuito qui interuenit in contractibus?

BRACTEA XVII.

SCIS NUNC caſum fortuitum eſſe inopinatum euentum rei, quem humana prouidentia præuidere non poteſt, aut impedire, vt mors ſerui abſque nulla culpa, ruina domus, tempeſtas maris, vis fluminis, naufragium, & ſimilia; ſiue talis euentus contigerit præter ſpem, ſiue non præter ſpem, ſed potius euentus crederetur, quo pacto equus commodatus ad Bellum, vel ad iter per loca periculoſa dicitur caſu fortuito periſſe ſi ſine culpa commodatarij perit, etiam ſi id euenturum crederetur. Et ita colligitur ex ſummiſtis *verbo caſus fortuitus* Molina *diſp.* 293. Leſſius *cap.* 12. *dub.* 15 Rebellus 2. *part. lib.* 1. *quæſt.* 4. & alij. Ex his patet differre caſum fortuitum à periculo, nam ille comprehendit tantum caſus, qui accidunt ſine culpa, periculum verò etiam eos qui proueniunt à culpa. Alexander in *leg. ſed, & ſiquis* §. *quæſitum ff. ſi qui cautionibus*. Quo poſito.

R. Regulariter neminem teneri de caſu fortuito ſecluſo pacto, mora, & culpa. Et ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 179. & alij communiter. Ratio quia cum eueniat abſque culpa, vt potè qui non potuit humana prouidentia impediri nemo debet de eo teneri, conſequenter periculum caſus fortuiti pertinet ad dominum rei in his contractibus in quibus non transfertur dominium, vt eſt commodatum, depoſitum, pignus, locatio, &c. In ijs autem, in quibus transfertur dominium periculum pertinet ad eum, qui debet transferre dominium, ſi eſt ante contractum factum, vt ſi quis alteri mutuet centum, ſed ante traditionem pereant, pereunt mutuanti; ſi quis alteri vendat librum, ſed ante traditionem illius, & mercedi caſu pereat, perit vendenti; poſt contractum autem perit ei, in quem tranſlatum eſt dominium, vt res vendita emptori, res mutuata mutuatario. Ratio quia contrahens ſolum tenetur quando eſt in culpa: at quando res perit caſu fortuito non cenſetur eſſe in culpa: ergo, &c. Dixi ſecluſo pacto, mora, & culpa, quia ſi interceſſerit aliquod pactum obligatur ad reſtitutionem ratione pacti ſi res pareat caſu fortuito; exceptis tamen his caſibus: Primò cū culpa aduerſarij caſus contingit. *leg. qui efficiey* §. *vlt. ff. de contract. emptionis* vnde ſi conductor ob inimicitias locatoris patiatur damnum non tenetur. Silueſter *caſus fortuitus*: Secundò cum aduerſarij facto incidit quis in caſum fortuitum, etiamſi factum eſſet iuſtum, vt ſi locator bellum moueat, & occaſione belli conductor damnum pariatur nō tenetur de eo caſu. Bartolus in *leg. ſi merces* §. *culpa ff. locati*. Tertiò quando locator cum poſſit non vult impedire caſum fortuitum, vt ſi magiſtratus ciuitatis admoniti de peſte non impediunt cum poſſunt. Filliucius *tract.* 33. *cap.* 10. *quæſit.* 8. Obligatur de caſu fortuito quando eſt in mora cupabili ſoluendi debitū vel recipiendi commiſſum, vel eſt tempus, in quo quis interpellatus ſcienter facit, quod in eo facere tenetur: quare vt quis dicatur moroſus vel eſſe in mora, ſit in culpa adimplendi contractum oportet

 vt ſciat,

vt ſciat, vel ſiue debeat teneri ad illum implendum, & quod ſit interpelatus in die, vel ab homine, ideſt monitus *leg. magnam cod. de contrahend. & committend. ſtipulatione*; & inſuper vt habuerit facultatem adimplendi ex *leg. quod. ceſſ. de rebus creditis*. Vnde moroſus tenetur in conſcientia ad omne intereſſe, quod alius paſſus eſt ex ea mora; quia eſt cauſa culpabilis, & contrà iuſtitiam illius damni, & intereſſe: item ad pœnam legis vel conuentionis, ad illam quidem poſt ſententiam Iudicis, & ad hanc poſt petitionem partis. Obligatur etiam ratione culpæ, vt qui equum accommodatum, vſque in vnam ciuitatem duxit in aliam magis diſtantem, & in itinere raptus eſt à latronibus, tunc obligatur ad reſtitutionem; quia cenſetur eſſe in culpa ex eo quod vſus eſt equo accommodato vltrà intentionem accomodantis, cum commodatarius contrà pactum erit in aliam ciuitatem, & medio illo itinere equus fuit raptus à latronibus. Ita Rebellus 2. *part. lib. 1. quæſt. 10. num. 6.* & alij. Traditur etiam à Canoniſtis quartus modus, quando res traditur alteri æſtimata, quę æſtimatio poteſt fieri tribus modis: Primò in contractibus, in quibus transfertur dominium vt mutuo; & tunc æſtimatio efficit vt in dubio contractus tranſeat in emptionem, atque adeò periculum pertinebit, ad eum, cui res data eſt æſtimata. Secundò poteſt fieri in contractibus, in quibus non transfertur dominium, vt commodato, depoſito, &c. & tunc æſtimatio rei non facit emptionem, ſed tantũ ea de cauſa fit, vt ſciatur prætium rei in caſu, quo res illa periret culpa commodatarij, vel depoſitarij. Silueſter *verbo commodatum quæſt. 7.* Tertiò poteſt fieri vt recipiens ſciat quanti res eſt vendenda, & tunc non tenetur recipiens ad caſum fortuitum.

MALLEATIO XLV.

De reſtitutione in integrum.

Quibus concedatur beneficium reſtitutionis in integrum?

BRACTEA I.

SCIENDVM reſtitutionem in integrum eſſe beneficium, ſeù remedium, quo aliquæ perſonæ læſæ reſtituuntur à Iudice in priſtinum Ius, & Statum, ita vt contractus validi celebrati cum ipſis reſcindantur ſi ipſis expediat, vel æquetur prætium, ſi in prætio læſæ ſint, modo læſio ſit notabilis, ſiuè in damno emergenti, ſiuè in lucro ceſſante iudicio prudentis viri, vel in aliquo alio contractu. Secũdò minoribus duplex beneficium concedi; primũ, poſſe reſcindere contractum celebratum in ſuum incommodum tanquam non obligantem, & irritum, licet alios obliget. Secundum eſt priuilegium reſtitutionis in integrum, ideſt in priſtinum ſtatum, & eius. Quo poſito.

R. Minoribus, qui nondum expleuerunt vigeſimum quintum annum conceditur beneficium reſtitutionis in integrum, ſi aliquo contractu damnum acceperunt. Ita ex *leg. 3. & 5. cod. de in integrum reſtit.* etiamſi iſte contractus ſit factus de cõſenſu Tutoris, vel Curatoris, vel auctoritate Iudicis, vt patet ex *leg. 1. & ſequentibus de minoribus*. Ratio eſt, quia conſenſus Tutoris, & decretum Iudicis ſolum faciũt, vt actus mero Iure valeat, non autem excludunt beneficium reſtitutionis.

Sciendum plura requiri, vt minor poſſit frui priuilegio reſtitutionis in integrum; primò, vt contractus celebratus ſit validus, nam ſi eſſet inualidus, non poteſt vti priuilegio reſtitutionis in integrum. Secundò requiritur, vt læſus ſit ex vi contractus, vt videlicet non prudenter celebrauerit contractum, ſed imprudenter, & ignoranter. Tertiò, vt læſio ſit notabilis, quia ſi non erit notabilis non poteſt frui tali priuilegio. Quartò, vt minor probet læſionem, & eo tempore ſe fuiſſe minorem, ideſt ante vigeſimumquintum annum. Quintò, vt non iurauerit ſe non vſurum remedio reſtitutionis in integrum, quia ſi iuramentum confirmat contractum inualidum, multò magis firmiorem reddit contractum validum, ſi addatur contractui ſinè dolo, vi, metu, ſed liberè, & ſpontaneę. Sextò, vt non impetrauerit veniam ætatis à Principe, vel non ratificauerit contractum expletò anno vigeſimo-quinto, vel maior factus ratum habuerit.

Sciendum 2. Quod quando minor læſus fuit ex venditione, vel quia vendidit rem minoris iuſto pretio, vel quia alteri donauit abſque rationabili cauſa poteſt, vti priuilegio reſtitutionis in integrum. Secundò, quando adierit hæreditatem damnoſam. Tertiò, ſi ex mutuo accepto læſus eſt, vel quia ludo eam perdidit, vel malè conſumpſit poteſt vti beneficio reſtitutionis in integrum, & ſolum ſoluere id, in quo factus eſt locupletior. Quartò ſi læſus eſt ex eo, quod debitor rei ſoluit ſinè auctoritate Tutoris, vel Curatoris, eo quod ſolutio ſit ipſo Iure nulla, niſi pecunia ſit ſalua, vel conuerſa in vtilitatem minoris. Quod tamen intelligendum eſt in foro externo, non enim tenetur ſponte ſoluere ſecundo, ſed poteſt expectare ſententiam Iudicis, quia ſolutio valuit naturaliter. Si verò ſoluit ei cum auctoritate Tutoris, vel Curatoris manet liber ipſo Iure, ſed reſtituitur minor, ſi pecunia ſit diſperdita, vel conſumpta facilitate, vel culpa ipſius. Quintò, ſi donauit rem notabilem cenſetur læſus, eo poteſt reſtitui; ſi tamen ex rationabili cauſa donauerit, v.g. ob obſequia ab altero accepta, quæ debuit ſic remunerari non reſtituitur; non enim per talem donationem cenſetur læſus, quia prudenter, & ſecundum rectã ratione facta eſt.

R. 2. Reſtitutio in integrum ita minoribus conceditur, vt tranſeat actio contra tertium poſſeſſorem bonorum minoris. Ita Rebellus 2. *part. lib. 1. de contract. quæſt. 8. ſect. 5. num. 53.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 9.* Azorius 3. *part. lib. 6. cap. 14.* & alij communiter.

Sciendum 3. priuilegium reſtitutionis in integrum ſe extendere, vſque ad annum vigeſimum nonum, expletum, quia durat integre quatuor annis poſt expletum annum vigeſimum quintum modo non ratificauerit contractum expleto anno vigeſimoquinto, ſeù poſtquam factus fuerit maior, *leg. vlt. cod. de in integrum reſtitut.* Leſſius *loc. cit. num. 65.* Rebellus *loc. cit.* & alij.

An priuilegium reſtitutionis in integrum tranſeat ad hæredes minoris?

BRACTEA II.

R. PRIVILEGIVM reſtitutionis in integrum trãſite ad hæredes minoris, itaut poſſint hoc priuilegio frui. Ita Azorius 3. *part. lib. 6. cap. 14.* Molina *diſp. 573. num. 18.* & alij apud Azoriũ *loco citato*, & alios. Ratio eſt, quia hoc priuilegium compe-

competit minori ratione læſionis; ſed læſio non ſolum nocet minori, verum etiam hæredibus: ergò priuilegium reſtitutionis tranſit etiam ad hæredes minoris, itaut gaudere valeant priuilegio, quo gaudere poterat minor, & ſicuti non modo minor poteſt vti hoc priuilegio in contractibus per ſe ipſos celebratis, verum etiam in celebratis per Tutorem, & Curatorem: *leg.1. cod. de reſtit. in integrum*; ita etiã hæredes poſſunt vti hoc priuilegio in contractibus celebratis per ſe à minore, verum etiam in contractibus celebratis per Tutorem, & Curatorem. Secundò, contrahentem cum minore poſſe ſibi conſulere: primò obtinendo iuramentum à minore, quo iuret, ſe maiorem factum non velle frui priuilegio reſtitutionis in integrum. Ita communiter Doctores in *Authent. Sacramenta puberum*. Ratio eſt, quia iuramentum additum contractui etiam inualido firmat contractum conſequenter ſeruandum eſt, niſi fortè obtineatur relaxatio ratione imperfectæ ætatis, aut violentiæ. Tertiò procurando fideiuſſorem, qui ſi obliget ad reſarciendã omnia damna, & ad reſtituendum id, quod minori reſtitueretur, ſi minor voluerit vti priuilegio reſtitutionis in integrum. Ita Oddus *queſt.* 54. *art.*8. Molina *diſp.*575. & alij.

An in priuilegio reſtitutionis in integrum comprehendantur etiam fructus?

BRACTEA III.

Si res minoris gratuitò ſit alienata poſſunt repeti fructus ex ea percepti, vt perfecta ſit reſtitutio in integrum, deductis tamen expenſis. Ita Molina *diſp.*573. *nu.*18. Leſſius *lib.*2. *ca.*17. *dub.*10. *nu.*70. & alij. Ratio, quia reſtitutio ſit ad reparandam læſionem, læſio autem non eſt ſolum in re, ſed etiam in fructibus, & reſtitutio non eſſet in integrum, ſi fructus non reſtituerentur, cum de natura reſtitutionis ſit, vt tantum afferat reſtitutio quantum abſtulit læſio. Secundò ſi res minoris cõtractu oneroſo ſit alienata, vt contractu venditionis &c. non poteſt fructus repetere, ſi fuit iuſto pretio vendita, quia ſicut emptor ditatus eſt fructibus rei alienæ, ità etiam minor potuit lucrari, & commodum referre ex pretio, quod ſi non fierit ſuæ negligentiæ aſſignet. Tum quia quando perſoluitur iuſtum pretium non cenſetur contractus damnoſus minori, quia expediebat rem illam non vendi; non autem ratione fructuum conſequens erit, quod ſi res fuit vendita contractu oneroſo, vt res poſſit repeti, non autem fructus. Verum ſi res non fuit vendita iuſto pretio, ſed infrà iuſtum, per remedium reſtitutionis in integrum poteſt ea fructuum pars, quæ reſpondet rei quatenus res excedit pretium datum repeti, vt v.g. ſi res valet centum libras argenti, & empta fuit ſolum ſexaginta, cogitur emptor per ſententiam reſtituere partem fructuum, qui reſpondent rei qua parte res ſuperat pretium, & venditor cenſetur læſus, non ſolum in re, ſed etiam in fructibus. Ita Molina *diſp.*573.

An minor qui non poteſt repetere damnum poſſit vti compenſatione;

BRACTEA IV.

Non poſſe minorem ante Iudicis ſententiã vti compenſatione ob damnum acceptum, niſi damnum ſit ita manifeſtum, vt conſtet, illud ante Iudicis ſententiam reſarciendam eſſe. Ratio, quia iura concedunt, poſſe minorem vti priuilegio reſtitutionis in integrum per ſententiam Iudicis; non autem vti compenſatione; poteſt tamen vti occulta compenſatione, quando conſtat de iniuſta læſione, & damnum ità certum eſt, vt de eo nullo modo dubitari poſſit, & ipſe debitor obligatus ſit in conſcientia reſtituere damnum datum ob iniuſtam læſionem ante Iudicis ſententiam, tunc creditor poteſt vti compenſatione. Ita Sanchez *lib.*6. *de matrim. diſp.*38. *num.*31. & alij communiter.

An locis pijs, & perſonis Eccleſiaſticis, &c. concedatur priuilegium reſtitutionis in integrum?

BRACTEA V.

Beneficium reſtitutionis in integrum conceditur etiam Eccleſiæ, & locis pijs. Ita Leſſius, Rebell. *locis citatis*; & hæc opinio eſt communis. Ratio, quia minores iure fruuntur priuilegio, ideòque remedium reſtitutionis implorare poſſunt, cum nomine minorum veniant loca pia, &c.

Sciendum nomine piorum locorum intelligi eccleſias, hoſpitalia, monaſteria, & ſimilia, quę priuilegijs Eccleſiæ gaudent. Secundò perſonę Eccleſiaſticę læſæ in ijs quę pertinent ad ſuos redditus non gaudent tali priuilegio: ſi verò lędantur in aliquo, quod ſpectet ad iura beneficij, tunc gaudent priuilegio reſtitutionis, quod priuilegium extenditur per quadriennium: Si verò erit enormiter læſa amplius conceditur. Vnde perſona Eccleſiaſtica læſa in locatione beneficij non gaudet priuilegio, cum talis locatio non ſpectet ad iura beneficij. Tertiò, priuilegio reſtitutionis in integrum gaudere etiam Rempublicam, Ciuitatem, Caſtrum, Oppidum, & vniuerſitatem ſtudiorum. Molina *diſp.*574. & alij.

Sciendum 2. Quod licet priuilegium reſtitutionis regulariter extendatur ad quadriennium, tamen dari aliquas cauſas, quibus extenditur priuilegium vltrà quadriennium.

Prima, vt dictũ eſt ſi Eccleſia erit enormiter læſa. Leſſius *lib. cit. cap.* 17. *nu.*66. Secunda inculpata ignorantia, aliudue iuſtum impedimentum, quod obſtitit quò minus intrà quadriennium reſtitutio peteretur, cum legitimè impedito non curat tempus à iure præfinitum.

Sciendum 3. Priuilegio reſtitutionis in integrum non modo gaudere ſupradictos, verumetiam alios vt ſunt ſupremi Principes, quoad bona Principatos alienata cum ſpectent iſta ad Rempublicam. Secundò, homines rudes, & mulieres quæ ignorant iura. Molina *diſp* 574. Tertiò, filios familias, quo ad contractus oneroſos, & incroſos de licentia Patris celebratos pertinentes, ad ſororum dotes, vel ad alias cauſas. Quartò, milites pro eo tempore quo militiæ operam nauant. Quintò, qui abſunt ad gerenda negotia Reipublicæ, quia contrà eos non currit præſcriptio. *Cod. de tempore reſtitutionis*.

Secundò plura requiri, vt quis fruatur remedio reſtitutionis in integrum: primum, vt contractus imprudenter fuerit factus; ſecundum, vt probetur læſio in iudicio, quia minori non competit reſtitutio in integrum niſi eam petat; tertium, vt læſio non ſit valide modica, quia de minimis non curat prętor; quartum, vt contractus non fuerit nullus: quintum, vt non irauerit; ſextum, vt non ratificauerit contractum, &c.

MALLEATIO XLVI.

De Contractu emptionis, & venditionis, Et de pactis in emptione, &c.

Quid ſit emptio, & venditio?

BRACTEA I.

R. Emptio eſt contractus, qui conſenſu perficitur ſuper re aliqua mediante prætio, quo transferrur dominium. Ita Rebell. 2. *part. lib.9.quaſt.*1. Siuè vt alij loquuntur Emptio eſt contractus, quo comparatur dominium rei pto pretio, ſiuè contractus vltrò citròque emprorem, & venditorem obligans, eo quod empror obligetur ad tradendum pterium pro merce, & vendirot ad tradendas merces pro pretio.

Sciendum quod emptio primò dicitur contractus, vt excludantur conrractus irriti, & improprij, vt ſunt pacta, promiſſionea, &c. quæ ex vna tantum parte obligationem inducunt: ficut eriam diſpoſitinnes per teſtamenra factę, & per codicillos, & alię diſpoſirinnes, quę ex vtraque patte obligationem non indocunr. Secundò dicitur qui conſenſu perficitur, vt excludantur contractus, qui ſolo conſenſu perfici nequeuot, vt mutuum, ſtipulatio, & alij ſimiles. Tum etiam quia in emptinne requiritur mntnus conſenſus emproris, & venditoris, emptoris ad rradendum pretinm, & venditoris ad tradendam rem. Terriò dicitur ſuper re aliqua mediante pretio, qua parricula diſtinguitur emptio à permutatione, in qua non rraditur pretinm, ſed vna res, cum alia commutatur, & à cambio, qun pecunia cnm pecunia cambiari ſolet, & à lncatione, & conducto, quo non traditur res qonad dominium, ſed ſolnm qnoad vſum.

Sciendum 2. Vr conſtat ex definitinne tria eſſe de eſſentia emptionis: res quę vendirur, conſentus vtriuſque, & pretium: per rem intelligitnr quælibet res vendibilia, ſiuè immobilis, ſiuè mobilis, actiones, & iura, ſeruitutea, omnia bona præſentia, & futura, & omnia, quæ pecunia ęſtimari, vel compenſari poſſunt, ſiuè ſit certa, ſiuè dnbia, ſiuè in re, ſiuè in ſpe probsbili, vt ſunt fructus, animalinm fętus, iactus retis, captus auium: prætinm verò eſt nummua, ſeù pecunia, quæ inuenta eſt, vt ſit menſura, & pretium omnium quæ in contractus humanna veniunt. Requiritur rerriò conſenſus vtriuſq; quia hic contractus conſiſtit in ſola actione, ſeu cõuentione, nec ad ſui ſubſtantiam requiritur traditio rei, ſeù prætij, vr infrà dicetnr, quia ſolo conſenſu perficitur, ſed ſatis eſt, vt contrahenres conueniant de re rradenda, & prerin, cum animo ſe obligandi exterius expreſſo, venditor ad rem rradendam, emptor ad prætium ſoluendum. Vude inter abſentes iſte cootractua fieri poteſt, & per nuncium, & per litteras. Secundò, quod vt traosferatut dominium per hunc contractum præter conſenſum requiritur poſteà rei tradirio, & ipſius pretij, vel certè quod pretinm habeatur à condirione pro ſoluto, qnia noo ſequura tradirione contractus cenſetnr incompletus, quia & ſi ſecundum ſubſtanriam ſir completus, tamen non habet ſuum vltimum complementum, ad quod conrrahenrea peruenire inrendunt, & vt illud habeant requiritur rradirio rei. Terriò, quod quando conſtirutio pretij refertur in tertiam perſonam venditio non eſt perfecta, quoad vſque pretium determinetur: quod ſi illa perſona, ad quam refertur pretium determinandum erit mortua, contractus venditionis erit nullus, quia contractus nõ poteſt perfici, & conditio appoſita cenſetur impoſſibilia, cum ſit mortua perſona, ad qnam refertur pretium determinandum.

An traditio ſit de eſſentia contractus venditionis?

BRACTEA II.

R. Traditionem non eſſe de eſſentia contractus venditionia, niſi apponatur per modum conditionis. Ratio, qnia iſte contractus perficitur ſolo conſenſu quoad ſubſtantiam contractus. Ita Bonacina de *contract. diſp.3.quaſt.2.propoſ.2.* & cum eo plures alij. Dixi, niſi apponatur per modum conditionis, quia tunc effectns contractus ſuſpenderetur vſque ad condirionis euentum, vt quãdo etiam contrahens intendit contrahere dependẽret à confectinne ſcriprutæ, qnia tunc contractns non eſt perfectns, & abſolutus ante confectionem ſcripturæ, vel euentum conditionis in contractu adiunctæ: impleta verò conditione contractus remanet abſolutus, & perfectus, & fictione iuris retrotrahitur ad tempus, in quo fuit celebrarus, ac ſi tunc temporis conſenſus fuiſſet abſolntua, vt ex *leg. qui balneum §. amplius* & ex *leg.qui potior, ff. qui potiores in pignore*, oſtendir Rebellus 2. *part. lib.*1. *de contractibus quæſt.3. ſect.*1. Azorius 3. *part.lib.*8. *cap.* 26. Gomez 2. *variar. cap.*12. *num.*30. & alij apud Molinam *diſp.*377. *num.*5. Contrarium videtur ſẽtire Vaſqnez in *opuſc. cap.*61. *§.*2. *dub.*2. *nu.*6. *&* 7. Secundò contractum emptionis, &c. recenſeri inter contractus, per quos transfertur dominium in emprorem hoc ſenſu, quod ſcilicet facta traditione, ſi vendiror rei dominus eſt tranſit dominium rei in emptorem, modo prerium ſit ſolutum, vel habitnm pro ſoluto, vel pignus datum. Qnod ſi nihil horum fuerit, non tranſit dominium in emptorem etiamſi res tradatur. *leg. quod vẽdidi, ff. de contrahenda emptione.* Molina *diſp.*333. Ratio quia vendens non cenſetur velle cedere dominium propriè rei niſi mediante pretio.

Sciendum plures eſſe ſpecies, ſeu modos emptionis, & vendirionis. Primò, alia eſt naturalis, qua emuntur neceſſaria ad ſuſtentationem ſuam, & familiæ, & ſuperflna veodnnrur: alia artificialis, qua emitur aliquid, vel vt pet induſtriam commotatum vendatur, vt ſi quis emat lanam, vt inde conficiat pannum, quem deindè veodat, vel fertum, vt conficiat gladios, quos poſtea vendat, vel eo animo, vr iotegrum, & non mutatum vendarur charius ad lucrum comparandum, & hæc dici ſolet propriè negotiatio. Secundò, ex parre rerum, quæ veoduntur, alia eſt qua vendnnrur ſacræ res, vt ornamenra eccleſiarum, vaſa autea, &c. alia qua vendunrur res prophanæ, vel naturales, vt homines, equi, triticnm, &c. vel morales vt publica officia pręſulia, Iudicis, Notarij, &c. vel artificiales, vr ædificia, arma, veſtimenta. Tertiò, ex parre modi, qoo vendunrur, aliæ venduntur abſolutè, aliæ conditionatè, vr quando additur pactnm de retro vendendo aliæ ſub haſta, aliæ modo communi, ſiuè in magna, ſiuè in parua quantitate. Quartò, ex parte finis: alij enim emunt ad ſe ſuſtendandum, alij ob lucrum, alij ad Rempublicam ſeruandam, alij aliįs de cauſis. Quintò, ex parte modi ſolnendi, vel in pecunia oumerata, vel credita, vel anticipata. Colliguntur ex

Molina

Molin *tract.2. diſp.*334. Garzia de *contract. cap.*16. Azorio *lib.*8. *cap.*2.

Ad quem ſpectet ſoluere gabellam rei emptæ ante ipſius traditionem?

BRACTEA III.

R. Si aliquod tributum, gabella; aut pedagium rei emptæ ſoluendum ſit ſpectat ad eum, qui rem emit, etiamſi res non ſit tradita, aut pretium non ſit ſolutum, dummodo abſolutè conſenſerit, & non conditionatè, quia rei illius cenſetur dominus. Ita Molina *diſp.* 337. Bonacina *diſp.* 3. *quæſt.*2. *pun.*1. *num.*4. & alij. Ratio, quia ipſius rei cenſetur per contractum emptionis dominus, cum vt ſupra dictum eſt, traditio non ſit de eſſentia contractus emptionis, ſed conſenſus. Tum quia ſi periret ipſi periret, cum ſit re vera dominus illius rei.

Sciendum vt ſuprà dictum eſt cõtractum emptionis aliquando eſſe abſolutum, & aliquando conditionatum. Tunc eſt abſolutus quando conſenſus nõ dependet ab aliqua conditione; tunc verò eſt conditionatus, quando dependet à conditione, & ab ipſa ſuſpenditur, vt accidit quando contrahens non intendit contrahere, niſi dependenter à traditione, vel ſcriptura, quia contractus tunc non eſt perfectus, & abſolutus, niſi dependenter à traditione, vel ſcriptura; impleta vero conditione, contractus remanet perfectus, & fictione iuris retrotrahitur ad tempus, in quo fuit contractus celebratus, ac ſi tunc temporis conſenſus fuerit abſolutus, vt ex *leg. qui balneum §. amplius*, & *leg. qui potior ff qui potiores in pignore* Azorius 3. *part. lib.*8. *cap.*26. Rebellus 2. *part. lib.* 1. *quæſt.*3. *ſect.*1. & alij. Vnde tributum, ſeu pedagium quod ſoluitur pro dicta celebratione contractus debet ſolui gabellario, qui tunc, tempore venditionis erat, non autem ſucceſſori, qui eſt dum adimpletur conditio, ſi ante conditionis euentum mutati ſunt gabellarij Molina *diſp* 337. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 3. & alij. Simili modo quando contractus requirit rati habitionem alterius etiamſi abſolutè initus videatur, non cenſetur perfectus, niſi acceſſerit rati habito, quia talis contractus ex diſpoſitione iuris continet tacitam conditionem, quæ illi vim dare debet, eumque perficere, quæ cum acceſſerit perficitur quidem contractus ſed eo modo, vt fictione iuris hæc perfectio, & obligatio eum ſequens retrotrahatur, ac proinde ſi ab initio omnia fuiſſent, nam perinde ſunt omnia agenda. Colligitur ex *regula rati habitionem de regulis iuris in 6.*

Qualis ſit contractus, in quo pro merce partim datur pecunia, partim alia merx?

BRACTEA IV.

R. Si pretium excedit rem, quæ cum pretio traditur contractus erit emptionis, & venditionis. Ratio eſt quia quod multum excedit habet rationem principalis, & reliquum habet rationem acceſſorij; principale autem quod eſt pecunia trahit ad ſe acceſſorium, & conſequenter cenſetur contractus emptionis, iuxtà axioma Phyloſophorum. Quod à maiori parte ſit denominatio totius. Secundò, ſi res tradita cum pecunia excedit ipſam pecuniam, quamuis verba ſonent emptionem, & venditionem contractus erit permutationis, & non venditionis propter rationem ſuperius allatam. Tertiò, quando res, & pretium ſunt æqualia, aut non adeſt magnus exceſſus, contractum talem cenſeri, qualem partes intendunt celebrare. Vnde ſi contrahentes intendant celebrare contractum emptionis, contractus erit emptionis; ſi verò intendant celebrare contractum permutationis, eſt permutatio, quia contractus accipit ſuam vim ab intentione cõtrahentium: in dubio autem attendi debent verba, quibus contractus celebratur, iuxtà *legem in ſtipulationib. ff. de regulis Iuris C. de lugo diſp.*26. *ſect.*1 *num.*6.

Sciendum non eſſe emptionem ſed potius conductionem quando v. g. aliquis dat aurum aurifici ex quo faciat aliquod vas, quia tunc cenſetur ſolum cõducere eius operam, ſecus autem quando aurifex apponit materiam, quia tunc eſt vera emptio ita *C. de lugo ſub citato num.*9.

Quæ nam res vendi poſſint?

BRACTEA V.

R. Ea omnia vendi poſſunt, quæ pecunia æſtimantur, niſi adſit aliqua ſpecialis prohibitio, quæ venditionem reddat inualidam, peccaminoſam, ſiue irritam. Ita Gomez 2 *variar. cap.* 2. *num.*4. Molina *diſp.* 340 & alij communiter.

Sciendum res quæ vendi poſſunt numerari quinque. Primò, vendi poſſunt omnia bona etiam futura, modo non compræhendatur inter ea pretium quod recipitur ex emptione alterius, idque ne venditor maneat inteſtabilis. Gomez *tom.*2. *cap.*2. *num.*4. Molina *diſp.*30. *&* 40. & alij communiter Secundò, hæreditas tota aut pars illius; Gomez *loco cit. num.* 5. ex communi. Tertiò, vendere quis poteſt non modo rem totam vel partem certam, ſed etiam quotam illius, vt tertiam, quartam, quintam partem; itemque ius ſeruitutis Gomez *loco cit. num.* 4 Quartò, vendi poteſt ius, actioque, quam quis habet aduerſus alium, idque ſiue debitor ſciat vendi, ſiue ignoret, & eo ipſo ſine ceſſione, tranſit actio vtilis in emptorem; accedente autem ceſſione, etiam actio directa, nec ſolum in rem debitam, verum etiam in pignus, hypothecam, fideiuſſorem tranſit actio. Quę intelliguntur quando actio non venditur, aut ceditur in potentiorem; tunc enim eſt inualida, & qui vendit amittit in pęnam ius quod habebat ad tale debitum *leg.*2. *cod. ne liceat potentiori*. Quintò vendi poteſt res in ſpe antequam exiſtat; ſic partus ancillæ, pecorum, fructus arborum, & vendi poſſunt.

Sciendum 2. multa eſſe à iure prohibita vendi. Primò, res ſpirituales non poſſe vendi, quia pretio nõ ſunt eſtimabiles, res verò cõſecratę ratione materiæ vendi poſſunt, vt calices, aut fundum, cui eſt annexum, Ius Patronatus. Tamen verum eſt, quod eſſet ſimonia augeri pretium ratione conſecrationis, aut Iuris Patronatus. Molina *diſput.* 340. Rebel. 2. *part. lib.* 9. *num.* 33. Silueſter *verb. Beneficium*, & alij cõmuniter. Secundò res defuncti non poſſe emi ab exequutore Teſtamenti; quando exequutor debet illas vendere in exequutionem Teſtamenti *leg. non licet de contrahenda emptione*. Tertiò res pupilli vel minoris nõ poteſt eſſe emi à Curatore vel Tutore ob præſumptionem fraudis *leg. num ipſo C. de contrahenda empt.* niſi emat illas ſubhaſta iuſto pretio; res publicæ non poſſunt à priuata perſona vendi, cum non ſit illarum dominus, niſi ſpeciale habet mandatum. Quintò homo liber non poteſt vendi, niſi in caſibus à Iure conceſſis. Sextò venena ſimpliciter non poſſe vendi, quatenus poſſunt ordinari ad bonum finem

poſſunt

poſſunt vendi, vt v.g. ad faciendum medicamentum vel alind ſimile. Septimò, non eſſe prohibitum vendere res indifferentes illis, quos credimus non ab vſuros, quamuis poſteà ex venditione contingat aliquod malum, vt v.g. aleæ, chartæ luſoriæ, pigmẽtum, &c. Nauarrus *cap.21.num.25.* Reginaldus *lib.25. num.264.* Lopez 1. *part. cap.59.* Em. Sà *verbo venditio num.24.* Peccare tamen ſiquis abſque iuſta cauſa rem indifferentem venderet. Vnde ſiquis Idolum Gentili venderet, vel Agnum Hæbreo abſque neceſſitate paccaret, cum daret proximo occaſionem ruinæ. Ita Nauar *cap 29 num.16.* & alij communiter; ſicut etiam peccaret qui abſque iuſta, & rationabili cauſa extorqueret iuramentum ab in fideli, vel ab eo, quem ſcit periuraturum, aut iuraturum per falſum Deum ob rationem allatam.

Quot modis res poſſit vendi?

BRACTEA VI.

R. REM pluribus modis poſſe vendi; primò determinatè in indiuiduo, vt hæc domus, hic equus, hic ſeruus, aut indeterminatè in indiuiduò, vt ſi dicatur vendo tibi centum oues mei gregis, aut decem modis tritici; Et ſi eſt determinata, aut eſt determinata ad corpus, aut ad menſuram, &c. Tunc dicitur aliquid determinatè vendi ad corpus, quando aliquid determinatum venditur totum vnico pretio, vt ſi quis diceret vendo tibi tale prædium centum nummis aureis, aut tale dolium vini decem aureis; tunc verò aliquid dicitur vendi ad menſuram, vel pondus, &c. quando res non venditur vnico pretio, ſed pro vnaquaque menſura, vel pondere, &c. pretium aſſignatur, vt ſi quis diceret vendo tibi talem meum fundi quinquaginta iugerum tot nummis pro quolibet iugere.

An emptio, vel venditio rei alienæ ſit valida?

BRACTEA VII.

R. Venditionem rei alienæ inualidam eſſe, quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem. Ita Molina *tract.2 diſp.340. num.3.* Azorius *3.part. lib 8 cap.5.* Sanchez in *ſumm. lib.2. cap.23. num.25* Leſſius *lib.2. cap. 20. num. 162.* & alij. Ratio, quia venditor non poteſt plus iuris in emptorem transferre quam ipſe habeat; cum autem non habeat ius in re aliena, ſequitur non poſſe eam valide alienare, nec de ea contrahere.

Sciendum res aliena, quæ venditur, vel ſcitur eſſe alienam, vel non: ſi venditio, & emptio fiat inter ignorantes rem eſſe alienam valet contractus. *leg. ſi emptione ff. de contrahenda empt.* Si verò fiat inter ſcientes non valet emptio comparatione dominij, quia dominus rei ſemper poteſt eam vendicare. Secundò quod ſi quis vendidit rem alienam obligatur ad reſtitutionem æquiualentis, quod ſi emptor eam reſtituit, venditor obligatur reſtituere emptori pretium rei venditæ, dominus autem rei poteſt vbicũque res ſit eam ſibi vendicare, niſi legitimo temporis curſu præſcripta fuerit ab emptore bonæ fidei. Ita auctores ſuprà citati. Vnde vſurarius non poteſt vẽdere res per vſuram acceptas. Ratio, quia non poteſt transferre dominium illarum rerum in alium, cũ non poſſit transferre in alium id, quod non habet. Secus autem dicẽdum ſi res accepta functionem acciperet, vel per commixtionem cum proprijs acquiſitum fuiſſet dominium, vt vinum, frumentum, oleũ &c. ſi ita commixta ſint, vt non poſſint diſcerni, ita dicendum de rebus furtiuis à latrone venditis non transferri dominium in emptorem, ſed ſemper dominum poſſe eas ſibi vendicare apud quemcumque rem ablatam repererit, quia habet ſemper ius repetendi rẽ ſuam. Secundò licet venditio rei alienæ non ſit valida, quoad transferendum dominium rei, eſt tamen valida, quoad transferendum dominium pretij in venditorem. Ratio, quia emptor eſt dominus pecuniæ, & poteſt illius dominium transferre in venditorem, & conſequenter venditor acquiſiuit dominium illius. Ita auctores citati. Ratio deſumitur ex *leg. rem alienam ff de contrahenda emptione.* Tum etiam quia pecunia accipit functionem, & venditio rei alienæ accipienti functionem eſt valida, vt dictum ſuprà.

Sciendum 2. quod licet dominium pretij rei alienæ venditæ transferatur in venditorem, tamen ipſe tenetur reſtituere damnum datum, cum ſit cauſa iniuſta damni vendens rem non ſuam, niſi fortè emptor ſciret, rem eſſe alienam, quo caſu venditor non tenetur de euictione, nec emptori datur actio ad repetendum quod ſua intereſt, cum ſcienti, & volẽti nulla fiat iniuria; vnde fur, & vſurarius acquirunt dominium pecuniæ rei alienæ venditæ: licet emptor non acquirat dominium rei emptæ. Verum venditor tenetur ad reſtitutionem quantum intereſt emptoris rem non eſſe factam ſuam.

An emptio rei propriæ ſit valida?

BRACTEA VIII.

R. EMPTIONEM rei propriæ, vt ſic non eſſe validam. Ratio eſt, quia per huiuſmodi contractum nullum acquiritur dominium, cum emptor ſit adhuc dominus rei propriæ. Tum quia ſic habetur ex *leg. ſua rei, & leg. ſi in emptio, §. rei ſua ff. de contrahenda emptione,* ſiuè emptor ſciat, ſiuè ignoret rem eſſe ſuam. Vnde cum ex tali contractu nullo obligatio naſcatur, emptorem ipſum habere ius repetendi pretium, quod ſoluit. Si verò emit data fide de pretio non obligari ad illud ſoluendum, iuſq; habet retinendi rem ſuam, emptionem tamen valere, ſi quis emat rem ſuam, quam fortè timet deſituram eſſe ſuam ex *leg. exiſtimo, ff. eodem titulo,* vt ſi quis donatione rem acquirat ea conditione, vt ſi titius redeat ex Gallia eam illi reddat, poteſt enim eam emere, emptioque ad hoc erit valida, vt etiamſi Titius ex Gallia redeat non teneatur illi reſtituere.

Sciendum ex duabus legibus præcitatis, quod ſi quis in re mea ius aliquod habeat, vt vſum, vel vſũfructum, vel poſſeſſionem, vel pignus, vel hypothecam poſſum ipſe illud emere, quia non eſt rem meá emere, ſed prædictum ius, ſeù ſeruitutem, vel onus, ſub quo res mea eſt alteri obligata. Ita Reginaldus *lib.25. num.255.* & alij communiter.

An dominus inuitus poſſit cogi ad rem ſuam vendendam?

BRACTEA IX.

R. Regulariter dominus inuitus non poteſt cogi vt rem ſuam vendat in ordine ad bonum priuatum. Ita auctores infrà citandi. Ratio, quia quilibet eſt dominus rei ſuæ, moderator, & arbiter, & venditio eſt contractus ex conſenſu ipſius vendentis, & per conſequens non poteſt inuitus

nitus cogi vendere, iuxtà regulam aliquis non cogitur aliquid emere, vel vendere *leg. nec emere leg. inuitum, & leg. dudum C. de contrahend. empt.* Secundò interueniente cauſa iuſta dominus inuitus poteſt cogi rem ſuam vendere in ordine ad bonum publicum. Azorius 3. *part. lib.* 8. *cap.* 27. *quæſit.* 2. Molina *diſp.* 341. Reginald. *lib.* 25. *num.* 259. Em. Sà *verbo venditio*, & alij. Ratio, quia bonum publicum præferendum eſt priuato.

Sciendum, quod cauſæ, quibus dominus poteſt cogi res ſuas vendere, v.g. frumentum, vinum, oleũ, & ſimilia ſunt obſidio alicuius Ciuitati, magna inopia, ſeù neceſſitas, &c. quibus temporibus poteſt quis cogi talia vendere. Similiter bonum commune quo quis poteſt cogi vendere domum, agrũ, &c. ita etiam in fauorem Monaſterij, Hoſpitalis, Palatij Principis poteſt quis cogi vendere domum contiguam; item pro via publica, pro ſcholis poteſt quis cogi rem ſuam vendere. Quo pretio quando quis cogitur rem ſuam vendere debeat eam vendere infrà dicetur.

An quis poſſit vendere rem cum dubio quod ſit aliena?

BRACTEA X.

R. Poſſeſſorem dubitantem quod res ſit aliena, non poſſe eam vendere, niſi cum manifeſtatione dubij, vt ex parte tam ementis, quàm vẽdentis adſit intentio, & emptor non debet prætermittere debitam diligentiam, quoties ſe obtulerit occaſio faciendi veritatem, vt ea comperta res ſuo domino reſtituatur. Tum etiam ne emptor defraudetur ſi rem ita defectuoſam, minuſque perinde valentem per titulum oneroſum charius recipiat, vel rurſus alteri vendat, alioquin diſtractor tenebitur reſtituere damnum, inde ſequutum, non ſecus, ac receptor. Quod ſi cum eodem dubio prædictam diligentiam recipiendo omitteret, eo ipſo poſſeſſor malæ fidei eſſet, & non ſolum ratione rei acceptæ, ſed etiam iniuſtæ acceptionis ad reſtitutionem rei, & damnum ſubſequutum teneretur. Rebellus *lib.* 9. 2. *part. de Iuſtit. quæſt.* 18. *ſect.* 1. *num.* 14. Secundò dubitantem, rem aliquam mala fide poſſideri, non poſſe illam emere, aut alio titulo accipere, quia exponeret ſe periculo accipiendi rem alienam inuito domino, niſi fortè accipiet eo animo, vt eam reſtituat domino poſt adhibitam diligentiam, cum in hoc caſu dominus non cenſeatur rationabiliter inuitus, cum vtiliter geratur ipſius negotium, & alioquin fieri poſſit, vt res illi non reſtitueretur, & ſi eam emit modico pretio, poſſe pretium exigere à vero dominio, & dominus tenetur illud reddere, quia vtiliter gerit negotium ipſius; ſi verò æquali, aut maiori pretio rem emit dominus non tenetur integrum pretium reſtituere, quia vt ſic vtiliter non geſſit negotium ipſius. Ita Silueſter *verbo reſtitutio quæſt.* 7. Molina *tom.* 3 *diſp.* 721. *num.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap* 14. *dub.* 4. *num.* 24. Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 25. Salonius 2. 2. *quæſt.* 62 *art.* 6. *controu.* 4. Sanchez *ibidem dub.* 5. *concluſ.* 1. & alij apud Vaſquez *cap.* 9. §. 2. *dub.* 5. *num.* 28. Tertiò, vendentem rem alienam non indicando emptori, quod res ſit aliena peccare mortaliter, & contractum eſſe nullum. Ratio eſt, quia in tali contractu emptor rationabiliter inuitus, & deceptus cõtraxit, & per conſequens contractus non cenſetur voluntarius cum iuxtà regulam iuris. Nihil ſit, tã contrarium conſenſui, quam error, *leg. ſi per errorem, ff. de iuriſdict. omn. iudic.*

An venditor rei alienæ poſſit aliquando retinere pretium?

BRACTEA XI.

SCIENDVM quod res quæ venditur, vel venditur bona fide, vel mala fide, deinde vel venditor ex venditione factus eſt ditior, vel non; & obligatio reſtituendi aliquando oritur ratione rei acceptæ, & aliquando ratione iniuſtæ acceptionis, Quo poſito.

R. Si bona fide vendidit, & non eſt factus locupletior non tenetur domino ad pretij reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.* 2 *cap.* 21 *dub.* 17. *num.* 13. Ratio, quia ſi obligaretur eſſet ratione rei acceptæ, vel iniuſtæ acceptionis, quod neutrum dici poteſt. Quod non obligetur ratione rei acceptæ patet, cum non amplius extet apud venditorem, nec vllum ex ea receperit emolumentum, neque etiam obligatur ratione iniuſtæ acceptionis, cum nullam iniuſtitiam commiſerit, neque etiam emptori, quandiù emptor rem illam retinet, quia contractus fuit validus, & emptor ex illo nullum damnum accepit; ſi verò res domino reſtituatur, venditor tenetur emptori de euictione, & ſi factus eſt ditior, tenetur id, in quo eſt ditior factus reſtituere, ſi ſit fructus rei; ſi verò erit lucrum ex induſtria poterit ſibi retinere. Leſſius *loc. cit.* cum lucrum ex induſtria ſit acquirentis Et quando tenetur reſtituere id, in quo eſt ditior factus ex venditione rei alienæ poteſt deducere expẽſas, & labores iudicio Prudentis. Ratio eſt, quia ſunt appretiabilia pecunia.

R. 2 Venditorem malæ fidei obligari ad reſtitutionem pretij, & emptorem malæ fidei ad reſtitutionem rei emptæ. Ratio, quia dominus habet ſemper ius vindicandi, & repetendi rem vbicunque ſit iuxtà regulam iuris. Res furtiua vbique reperta condici; ac vendicari poteſt *leg.* 2. & 5 *C. de fur.* Ita Leſſius *loc. cit. num:* 135 & alij communiter. Ratio, quia venditor alienando rem alienam damnum intulit domino, & ſimiliter emens emendo.

Sciendum 2. Quod ſi res empta à fure eidem reſtituitur, non obligatur pretium reſtituere, cum hoc nõ ſit alienare, ſed priorem contractum reſcindere, quod ipſe emens poteſt facere, ne pretium rei amittat cum proteſtatione, vt res ſua domino reſtituatur. Si verò in aliquo ſit factus ditior, & locupletior illud tenetur reſtituere, quia id in quo eſt ditior, & locupletior facta ſuccedit in locum ipſius rei. Emẽs mala fide tenetur rem ſuo domino reſtituere, & ſi res non extat pretium ipſius, aut æquiualens.

Bona fide quis vendidit Equum duodecim duplas, & ſtatim, ac vendidit admonitus fuit duplas fuiſſe furto ſublatas: quæritur quid agere debeat?

BRACTEA XII.

R. Poſſe reſcindere contractum, & reſtituere pecuniam emptori, ſi autem emptor non inueniatur debet reſtituere pecuniam, cui fuit ablata. Ratio, quia cum ante commixtionem illius pecuniæ cum proprijs fuerit admonitus, pecuniam eſſe alienam nullum in ea acquiſiuit dominiũ, & ſi poſteà cum proprijs commiſerit id mala fide fecit; & per conſequens cum nullum acquiſiuerit do-

minium

minium tenetur ad reſtitutionem ipſius, aut æquiualentis, cum res, vbicunque ſit, pro ſuo domino clamet. Si verò fuit admonitus, illam pecuniam eſſe alienam poſt commixtionem bona fide factam cum propria, itaut non poſſit ab alijs amplius diſtingui, tunc earum dominium cenſetur tranſlatum Et ita communiter omnes; & colligitur ex §. *ſi duorum*, & duobus ſequentibus, Inſtit. de *rerum diuiſ.* & *leg. ſi aliena*, &c. & ideò non obligatur amplius ad reſtitutionem pecuniæ acceptæ, quia ipſius acquiſiuit dominium, ſed ſolum obligatur reſtituere id, in quo eſt ditior factus, & ſi in nihilo ſit factus, ad nihil tenetur.

Vtrum is, cui traditum eſt aliquid vendendum poſſit ſibi ex pretio aliquid retinere ſi pluris vendiderit, quam fuerit ei præſcriptum?

BRACTEA XIII.

R. Non poſſe eum, cui traditum eſt aliquid vendendum retinere ſibi aliquid de pretio, ſi pluris vendiderit, quam ei fuit præſcriptum ſi mercedem pro labore accipiat, vel ſi gratis officium præſtandum ſuſcepit, quia mandatarius vtiliter, & prudenter debet gerere negotium mandantis, & fideliter. Ita Azorius 3. *par lib.*8. *cap* 23 Reginaldus *lib.* 10. *num.*608. Molina de *contract. diſp.*363. & alij. Ratio, quia nullo iuſto titulo poteſt retinere, & accipere exceſſum pretij, & eo ipſo quod pluris fuit res vendita totum illud pretium cedit domino. Si verò is, cui aliquid eſt traditum ad vendendum, vſus eſt particulari diligentia, vel labore extraordinario, tunc ratione maioris diligentiæ adhibitæ, vel maioris laboris poteſt ſibi retinere incrementum pretij proueniens ex illo labore, & diligentia, dummodo illud incrementum ſit moderatum, & reſpondens labori, vel diligentiæ adhibitæ. Similiter ſi is, cui eſt tradita res ad venditionem pretio ſibi indicato compararet dominium ipſius rei, & poſteà ſuo nomine pluris venderet poterit tunc illud pretium abſq; iniuſtitia ſibi retinere, quia vt ſuppono eam prius iuſto pretio ipſe à domino emit, & poſteà iuſto pretio vendidit, & iſtè non cenſetur vnus contractus, ſed duo: vnus quo mandatarius compararet dominium rei ſibi traditæ vendendæ, & alter quo ipſe rem illam alteri vendit ſuo nomine.

Sciendum dubium eſſe, an is cui traditum fuit aliquid vendendum eo maiori pretio, quo potuerit, poſſit rem illam retinere ſibi eo maiori pretio, quod ab alijs fuit oblatum? Reſpondeo affirmatiuè, cum nulli faciat iniuriam, nec vlli damnum inferat. Ita auctores citati. Secundò, eum qui iuſſus, aut rogatus ab alio, vt ei aliquam rem emeret, quam cum poſſet ab vno mercatore emere pro triginta, quæſiuit alium, à quo rem emit pro viginti, non poſſe ſibi decem, quibus minoris emit retinere. Ita Azorius 3. *part. lib.*8. *cap.*23. *quæſit.*8. Molina de *contract. diſp.*363. *num.*2. Ratio, quia mandatarius debet vtiliter gerere negotium mandantis. Tum quia mandatum intelligitur ſub hac tacita conditione datum, vt mandatarius minoris emat quantum poteſt Tum quia non cenſetur lucrum ex induſtria, cum propriè non intercedat negotiatio.

An venditor teneatur aperire defectum rei, quæ venditur?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM defectum rei, quæ venditur, aut eſſe occultum, aut manifeſtum, aut notabile, aut non notabile, aut nociuum emptori, aut non emptori. Secundò defectum rei, quæ venditur aliquando conſiſtere in ſubſtantia, vt quando res aliqua traditur pro alia diuerſæ ſpeciei, vt aurichalcũ pro auro, ſtannum pro argento, aut quando vnus ager pro alio traditur, aut veſtis pro alia, & ſimilia: aliquando conſiſtere in quantitate, vt quando venditor minori pondere, vel menſura rem vendit, aliquando in qualitate, vt ſi vendatur animal infirmũ pro ſano, ſterilis terra pro fæcunda, vinum aquæ mixtum pro puro, frumentum putridum pro ſano vel frumentum mixtum ſeglæ pro puro frumento. Verum ſi per admixtionem res non eſſet facta minus bona, quam ea quæ ab alijs venditur non eſſet condemnandus iniuſtitiæ, qui tali fraude vteretur, & eodem pretio venderet, quia nullum damnum, vel iniuriam infert emptori, cum non obligetur tradere res maioris perfectionis, quæ ſint illæ, quæ ab alijs venduntur. Vnde non peccat, nec obligatur ad reſtitutionem ſibi conſulendo, reuocando res maioris perfectionis ad ſtatum, cui res aliorum exiſtunt, Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*21. *dub.* 11. *num* 83. Em. Sà *verbo venditio num.*9. Lopez 2. *part. cap.*42. Molina *diſp.*352. *num.*15. Azorius 3. *part. lib.*5. *cap* 23. & alij. Quo poſito.

R. Vendens rem defectuoſam in ſubſtantia, & quantitate peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem ſuppoſita debita quantitate, quæ conſtituat peccatum mortale. Ita Leſſius *loco citato* Rodriquez *part.*2.*cap.*81.*num.* 1. & alij, Ratio, quia cenſetur cauſa iniuſta damni. Tum etiam, quia qui fraude, & dolo vtitur in materia graui peccat mortaliter. Tum quia ſit proximo iniuria, & ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ oritur obligatio reſtituendi.

Sciendum defectum in ſubſtantia duplicem eſſe vnum notabilem quo cognito emptor non emiſſet, alium minus notabilem, quo cognito etiam emptor emiſſet, quia non reddit rem minus vtilem ad vſu, ad quem emitur. Secundò quoties in venditione taceatur defectus notabilis in ſubſtantia, & quantitate contractus eſt inualidus, & vendens obligatur ad reſtitutionem ob taciturnitatem defectus. Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*21. *dub.* 11. Rebellus *lib.* 9. *quæſt.* 8. Molina *tract.*2. *diſp.*353. *num.*5. Lopez 2. *part.cap.*42. & alij. Ratio, quia dolus dans cauſam contractui irritat contractum, & in iſto caſu ſupponitur dolus. Tum etiam, quia in tali contractu deeſt æqualitas debita: vnde peccat mortaliter, qui vendit oues interno morbo laborantes, ſi tanti vendat, quanti valerent, ſi tali vitio carerent, cum obligatione reſtituendi damna inde ſubſequuta. Similiter peccant qui vino miſcent aquam; & rumentarij, qui tritico miſcent alia ſemina, dummodo ex tali mixtione ſequatur damnum emptori. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub* 11. Sotus *lib.*6. *quæſt*3. *art.*2. Molina *diſp.* 353. & alij. Bannez 2.2.*quæſt.*77.*art* 2. Arragon. ibidem.

Tertiò, ſi defectus non eſſet notabilis non obligatur venditor eum aperire, neque obligatur ad aliquam reſtitutionem. Ita Azorius 3 *part.lib.*8. *ca.*23. *quæſit.*3. Em. Sà *verbo venditio num.*22. Nauarr. *cap.*23. *num.*89. *loco citato num.*28. & alij communiter. Ratio quia emptor eſſet rationabiliter inuitus cum non ſolea-

ſoleatur vitium ei nocinum, & quod ſit notabile ad vſum, ad quem emitur.

An quando venditor proteſtatur ſe nolle teneri de vitio occulto eo comperto, teneatur aliquid reſtituere?

BRACTEA XV.

R. VENDITOREM ad nihil teneri, ſi te vera ipſe vitium ignorabat, & pretium ſit iuſtum conſideratis circũſtanrijs habito reſpectu, quod venditor periculum vitij occulti à ſe reijceret. Ratio quia nulla datur inluſtitia, cum fuerit periculum vitij occulti compenſatum pecunia, præciſa tamen fraude. Quod ſi venditor ſciebat, ſe nolle teneri de vitio occulto, & in genere diceret, ſe nolle teneti de vitijs occultis, tamen in foro conſcientiæ obligaretur ad reſtitutionem, ac ſi nihil dixiſſet, cum ex induſtria contractus obligetur manifeſtare defectus occultos, & notabiles. Secundò, quod ſi defectus rei ſolum noceret ementi, alijs autem eſſet vtilis, & proficuus, etiam contractus eſt inualidus, ſi talis defectus taceatur. Tum quia emptor fruſtratur ſuo fine, & fruſtrà pecuniam ſuam effundit, & per conſequens tenetur illum admonere rem illam ſibi inutilem eſſe. Tum etiam quia ceſſat finis contractus, cum emptor emat rem in vtilitatem propriam, & non aliorum; & ideò quando vendens tacet vitium non notabile in ſe, nec in ordine ad vſum, ad quem emitur contractum iurę poſitiuo validum eiſe. Ratio quia non tacetur vitium emptori notabiliter noxiũ. Tum etiam ſic vſu receptum eſt; tum etiam quia talis obligatio extenditur ſolum ad effectus notabiles in ordine ad vſum. Valentia *tom.* 3. *diſp.*5. *quæſt.*20. *pun.*4. Molina *diſp.*353. *num.*20. Leſſius *lib* 2. *cap.* 21. *dub.*12. *num* 90 Azorius 3. *part. lib.*3. *cap.* 22. *quæſt.* 4. Em. Sà *verbo venditio num.*22.

An venditor teneatur manifeſtare defectum parentem, quem emptor non aduertit?

BRACTEA XVI.

R. Regulariter non obligatur venditor emptori aperire defectum parentem rei, quæ venditur, ſi emptor præſumatur prudens, & qui poſſit defectum aduertere. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.*73 *art.*3. Nauarr. *cap.*23. *num.*89. Rebellus *qu* 10. Molina *tract.*2. *diſp.*353. *num.*7. & alij. Ratio, quia ipſe poteſt ſibi conſulere, & ſibi ipſi debet imputare damnum, ſi non aduertat.

Sciendum tamen, quod ſi emptor non aduertat defectum rei ex quadam inaduertentia inuincibili, aut quia totaliter inexpertus, aut ignarus; aut quia non poteſt eos aduertere defectu ſenſuum, tunc vẽditor peccat contrà iuſtitiam non admonendo, & contractus eſt inualidus, & obligatur ad reſtitutionem damnorum ſequutorum. Si verò ex negligentia non aduertit defectus, non peccat venditor contrà iuſtitiam, ſed ſolum contrà charitatem non admonendo, nec obligatur ad reſtitutionem, cum debitor negligentiæ ſuæ, & propriæ imprudentiæ imputare debeat damnum ſecutum, & non venditori.

R. 2. Venditorem qui defectum rei occultat, vel illum proferat cum hijs, qui non inſunt rei, peccare contrà iuſtitiam, & obligari ad reſtitutionem damni ſecuti. Ita Rebellus 2. *part. lib.*9. *quæſt.* 10 Leſſius *lib.*2. *cap* 21. *dub.*92. Molina *loco cit. num* 15. Nauarrus *cap.*22. *num* 9. & alij. Ratió, quia dolus dedit cauſam contractui, & per conſequens contractus cenſetur nullus.

Sciendum 2. quod venditores, qui verbis utuntur aſtutis, vt emptor non poſſit venire in cognitione defectus rei, ut u.g. uendendo equum illum magnopere laudant, aut narrant omnes defectus, ut verum defectum contegant dicendo, uendo equum ſudum, cæcum, claudum, &c. peccare mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem. Tùm quia uiolant iuſtitiam; tum quia utuntur dolo, & fraude, & per conſequens obligantur ad reſtitutionem.

An venditor interrogatus de occultis defectibus rei teneat eos manifeſtare?

BRACTEA XVII.

R. VENDITOR interrogatus de occultis defectibus re obligatur eos manifeſtare, qui sũt notabiles, non autem non notabiles. Ita Leſſius *loc. cit. dub.*11 *num.*86. Azorius 3. *part. libr* 5. *cap.*22. Rebellus *loco cit.* & alij communiter. Ratio, quia peccaret in materia graui contrà ſuum officiũ non reſpondendo veritatem, cum ex officio teneatur explicare conditionem rei, quam vendendam exponit, ſi rogetur ab emptore, & ideò ſi interrogatus de defectibus eos non manifeſtaret, contractus venditionis non modo eſſet inualidus in foro conſcientiæ, ſed etiam in vtroque foro propter dolum dantem cauſam contractui, & emptor cenſetur rationabiliter inuitus, & venditor obligatur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt emptor ob huiuſmodi dolum, & iniuſtam deceptionem. Ratio eſt, quia vbi emptor ita explicat intentionem ſuam expreſsè eſt inuoluntarius, & diſſentit ab illa venditione; ergò expreſsè eſt nullus, & inualidus contractus. Ita Salonius 2. 2 *quæſt.* 77. *art.* 3. Secundò quod quando emptor non quærit a venditore expreſsè, & in particulari habeat ne res illa hos, vel illos defectus, ſed ſolum in genere an res ſit bona, an careat vitio, peccat quidem occultando illos, contractus tamen validus eſt, & iuſtus, ſi propter defectus illos non deſinat res illa vtilis eſſe, & proficua ad vſus, ad quos emitur, ſeruaturque iuſtum pretium iuxtà qualitatem defectus. Ratio huius eſt, quia in iſto caſu occultare, vel negare defectum illũ, non eſt mendacium nociuum, ſed officioſum tantũ, cum res illa propter illũm non ſit minus vtilis: mendacium autem officioſum non reddit contractum inualidum.

An contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei ſit validus?

BRACTEA XVIII.

R. CONTRACTUM celebratum à venditore ignorante vitium rei eſſe validum. Ita Nauarrus *cap.*23 *num.*89 Molina *diſp* 353 *num* 8. & alij communiter. Ratio, quia nullus adeſt dolus ex eo quod inuincibiliter ignoret defectum, & bona fide cenſeatur rem vendere, cum de ipſo non ſuſpicetur.

Sciendum quod ſi venditor non inuincibiliter, ſed vincibiliter ignoret defectum rei, quæ ab ipſo

venditur tunc contractus eſt inualidus, & obligatur ad reſtitutionem, quia ob ignorantiam vincibilem cenſetur eſſe in culpa, ac perinde eſt, ac ſi illũ agnouiſſet, & occultaſſet. Molina *loco cit.* & alij cum ipſo. Secundò, venditorem qui bona fide aliquid vendidit non poſſe cognito defectu tantum accipere, quantum accepiſſet ſi res vitio caruiſſet; ſed obligatur vel reſcindere contractum, vel inæqualitatem pretij ad æqualitatem reducere, vt contractus ſit iuſtus. Ita Molina *loco cit.* & alij communiter. Ratio quia non poteſt magis accipere, cum res minoris valeat cum defectu, quam ſine defectu. Vnde iuxtà æſtimationem prudentem de defectu debet imminuere pretium. Tertiò venditor qui in venditione alicuius rei dicit ſe nolle teneri de vitio occulto, aliquo poſteà comperto non obligari ad reſtitutionem ſi illud verè ignorabat, vt dictum fuit. Ita Molina *diſp.* 353. & alij. Ratio eſt, quia ex eo quod dicit, ſe nolle teneri reijcit à ſe periculum, & emptor illud ſuſcipit detracta à pretio periculi æſtimatione. Quod ſi venditor aliquem defectum nouerat, & dixit ſe nolle teneri de vitijs occultis in vtroque foro obligatur ad reſtitutionem, ac ſi nihil dixiſſet. Molina *loco cit. num.* 15. & alij.

An emptor qui reſtituit rem venditori ob notabile vitium teneatur etiam reſtituere fructus perceptos ex re empta?

BRACTEA XIX.

SCIENDVM fructus quoſdam eſſe naturales, vt ſunt qui ſuaptè natura producuntur nulla aut ſaltem modica induſtria hominis concurrente, vt ſunt fructus fœtus animalium, &c. alios ex induſtria, qui non producuntur à natura ſed ab induſtria hominis, quamuis res naturalis illi deſeruiat pro inſtrumento, fructus mixti dicuntur qui partim ex hominis induſtria, partim ex re ipſa producuntur, vt ſunt omnes fructus naturales, qui ad ſuam productionem requirunt actionem, & induſtriam hominis. Quo poſito.

R. emptorem qui propter notabilem defectum reſtituit rem venditori obligari etiam reſtituere fructus naturales, deductis tamen expenſis pro labore, &c. Ratio quia propter taciturnitatem defectus notabilis contractus fuit inualidus, & dominium rei manſit apud venditorem, & per conſequens rem fructificare venditori, non autem emptori.

Sciendum 2. quod ſicut emptor obligatur reſtituere fructus naturales rei emptæ, ita venditor tenetur reſtituere pretium, & compenſare damnum emptori ob inualiditatem contractus, cum eius fuerit cauſa, ob taciturnitatem defectus notabilis. Molina *loco citato num.* 20. & alij. Secundò, emptor non tenetur reſtituere fructus induſtriales ex re empta habitos. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num* 15. Sanchez *lib* 2. *cap.* 23. *num.* 46. Azorius 3. *part. lib* 4. *cap* 4 *quæſt.* 6. & alij. Ratio quia non cenſentur fructus rei alienæ, cum ſint ex induſtria acquiſiti, & per conſequens cenſentur acquirentis. Tertiò, tenetur etiam reſtituere fructus mixtos retenta æſtimatione induſtriæ, & laboris; & ideò tenetur reſtituere pro ea tantum parte, qua æſtimantur eſſe naturales, non autem induſtriæ. Ita auctores citati, ſi verò fructus bona fide conſumpſit tenetur reſtituere id, in quo eſt ditior factus. Azorius *lib* 4 *cap* 20. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 62 *art.* 6. Bannez *ibidem dub.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14 *dub.* 2. & alij apud Bonacinam de *reſtit. quæſt.* 3. *pun.* vlt. §. 1. *num.* 7.

An quando venditor vendit rem vitioſam, & inutilem ſibi, ſed non emptori poſſit vitium reticere?

BRACTEA XX.

R. NON poſſe venditorem reticere vitium notabile rei, quæ venditur, licet ob tale vitium res non ſit inutilis emptori. Ita Molina *diſp.* 303. Medina de *reſtit. cap.* 34. & 35. Corradus de *contract. quæſt* 14. Gabriel in 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 10. *art.* 3. Ratio quia venditor ex officio debet manifeſtare defectus notabiles, ne tertio ſit cauſa damni. Tum etiam quia emptio rei cum defectu notabili cenſetur prorſus inuoluntaria, & non manifeſtando cenſetur cauſa damni, & per conſequens ſi ſequatur, obligatur ad reſtitutionem. Secundò peccare vendentem contra iuſtitiam non detegendo defectum, licet ob talem non ſit inutilis emptori. Ita Molina *diſp.* 353. & alij ſuprà citati. Ratio quia de iuſtitia contractus, eſt vt defectus manifeſtent ne vendens poſſit eſſe alteri cauſa damni tacendo tale vitium.

Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 3. *art.* 2. affirmatiuam ſententiam tenet; nimirum non eſſe obligatum manifeſtare vitiũ inutile ſibi ſed non emptori. ſed noſtra ſententia eſt probabilior.

Sciendum quod qui ſe deceptum reperit ab taciturnitatem alicuius defectus poteſt ſecretò ſibi compenſare, dummodo via iuridica non poſſit ſuum recuperare, & abſit ſcandalum, & adſint aliæ circunſtantiæ requiſitæ ad compenſationem.

An venditor poſſit percipere fructus rei venditæ donec ſoluatur pretium?

BRACTEA XXI.

R. FRVCTVS pendentes tempore venditionis ſiue maturi, ſiue non ſint emptoris, niſi aliter conuentum ſit inter partes. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. *num.* 100. Molina *diſp.* 368. *num.* 18. Rebellus *lib.* 9. *quæſt.* 17 Reginaldus *lib.* 25. *num.* 291. & alij. Ratio quia fructus pendentes cenſentur pars rei emptæ, & proinde pretio conſtituto emi, niſi aliter conſtitutum ſit inter contrahentes. Vnde ſi quis tempore verni emat vineam cum floribus, valor fructuum computabitur ſecundum valorem, quẽ habent ipſi flores tempore emptionis, non autem ſecundum incrementum quod creſcendo acquirunt. Similiter equus qui venditur cenſetur eſſe venditus cum illis ornamentis, cum quibus fuit oſtenſus, quia cenſentur pars accidentalis illius, & ſi tempore vindemiæ empta fuit vinea cum pacto vt venditor colligat fructus de pretio tantũ detrahere debet, quanti valent fructus collecti, quia cum fructus ſint pars vineæ, regulariter cum ipſa cenſentur empti. Molina, & Rebellus *locis citatis*. Secundò, fructus qui poſt contractum naſcuntur ſunt emptoris ſi pretium ſit ſolutum vel habitum pro ſoluto, etiam ſi venditor ſit in mora tradendi rem. Ita communiter omnes. Ratio quia res domino fructificat emptor autem in tali caſu cenſetur dominus rei.

Sciendum, quod quando venditor eſt in mora tradendi rem emptã non modo obligatur ad reſtitutionem fructuum perceptorum, poſt abſolutum contractum venditionis, ſed etiam obligatur ad intereſſe quod patitur emptor ob dilationem dationis rei emptæ, vt v.g. ſi res poſt contractum venditionis

ob mo-

ob mutam ſit deterior facta, & minoris pretij, quam ſi emptor habuiſset non eſſet deterior facta, vel eam cum lucro alienaſſet. Verum cum duplex ſit intereſſe, intrinſecum quod ſequitur ipſam rem. & extrinſecum quod per accidens emptori euenit, vel quia eſſet negotiatus pecuniam, vel quia illam in alium locum tranſtuliſſet, vbi pluris valebat, dubitatur ad quod intereſſe teneatur venditor, qui fuit in mora, & in culpa. Ad quod reſpondeo in foro conſcientiæ obligari ad intereſſe intrinſecum, & extrinſecum, obligatur ad reſtitutionem totius damni ſequuti ob iniuſtam, & culpabilem dilationem; in foro verò externo ſolum obligatur ad intereſſe intrinſecum, niſi aliter ſit conuentum, & niſi forſan pecuniam eſſet negotiatus. Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub.13.* & alij. Tertiò quando res tradita eſt emptori, & pretium non fuit ſolutum, nec habitum pro ſoluto fructus quo ad valorem ſunt venditoris, & non emptoris. Ita Rebellus *loc. cit. ſect.1. num.5.* & alij. Ratio quia venditor ſemper cenſetur dominus rei quoad vſque pretium ſit ſolutum, vel habitum pro ſoluto.

Sciendum 2. Quod ſi quis alteri vendit domum vel vineam, aut aliam rem immobilem, & pretium non ſit ſolutum, nec habitum pro ſoluto emptor, quoad vſque ſoluat pretium, vel à creditore habeatur pro ſoluto obligatur reſtituere fructus cum par non ſit, vt emptor fruatur fructu rei, & pretio; & venditor ſit priuatus fructibus rei ſuæ, vel ſaltem debet emptor ad ratam reſtituere fructus, quoad valorem: immò poteſt percipere fructus, quos ipſe percepiſſet; ſeù eorum valorem, licet emptor eos non perceperit ex negligentia, vel alia cauſa. Verum ſi venditor emptori rem tradidit ſoluto pretio, vel conceſſa dilatione per aliquod tempus pro eo tempore fructus ſunt emptoris, nec tenetur venditor ſoluere eos, vſque ad præfinitum tempus, quo ipſe ſit in mora ſoluendi. Ita Leſſius *lib.2. dub.13. nu.105.* & communiter omnes. Ratio, quia quando venditor conceſſit dilationem cẽſetur renunciare iuri ſuo, & per conſequens non poteſt prætendere fructus ipſius rei.

Sciendum 3. Quod ſi aliter conuentum fuerit inter contrahentes, nimirum quod durante dilatione ſoluantur fructus, vel eorum valor, tunc emptor obligatur eos ſoluere, quia cum venditor non teneatur ante ſolutionem pretij tradere rem venditam cũ ſuo incommodo, poteſt deducere in pactum, vt intereſſe ſoluatur ratione lucri ceſſantis ex eo, quod ipſe ſuis fructibus priuatur. Molina *diſp.368. num.9.* Angelus *verbo emptio num* 5. & alij.

R.2. Si ante venditionem res eſſet locata, & nihil fructum ante ipſam venditionem à conductore fuerat perceptum integram locationis penſionem emptori deberi. Si verò pars fructuum dumtaxat erat collectá ante venditionem, penſionem iuxtà portionem partis collectæ venditori deberi; reliquum verò penſionis emptori. Similiter cum fructus domus ſit eius vſus, ac pretium conductionis, ſicut fructus ſerui, eſt eius ſeruitium, eiuſque operarum merces ſit, vt pretium domus conductæ, & merces ſerui à tempore dumtaxat perfectæ venditionis ſint emptoris. Vnde ſi domum quam alteri locaueras vendas mihi, penſio diuidenda erit inter me, & te; & eam ſolum partem percipies, quę tempori antecedenti reſponderit. Ita *leg. Iulianus, & le.2. leg. fruct. leg. poſt perfectam cod. de actionibus empti.* actio tamen perſonalis exigendi penſionem ad locatorem pertinebit, ac proinde ad venditorem. Rebellus *2. part. lib.9. de contract. quæſt.17. ſect.1. num.2.*

An ſi venditor tradat rem emptori, & ipſe non ſoluat pretium poſſit percipere vſuras fructus?

BRACTEA XXII.

Silvester *verbo vſura 2. quæſt.11.* Roſella *eodem verbo 1. num.47.* Rebell. *lib. 9. quæſt.17.* Leſſius *lib.2. cap.21. dub.13.* Filincius *tom. 2 tract.37 cap. 18. num. 176.* Megala 2.2. *lib.2. cap.6. quæſt. 1. num.9.* negatiuam tenent ſententiam, quia de re aliena actualiter vendita non licet percipere fructus. At Couar. *lib.3. variar. cap.4. num.1.* Tanerus in 2.2. *diſp. 4. quæſt.7. dub.2. nu.48.* & alij contrarium docent: nimirum venditorem poſt vẽditionem actualem poſſe percipere fructus, donec emptor integrum pretium ſoluerit. Quod ſi emptor eos percipiat tenetur eos compenſare pecunia, cum ad venditorem pertineant, cum non videatur rationi conſentaneũ, vt emptor percipiat fructus rei emptę, & ſimul fruatur pretio, & venditor nihil fruatur. Tum etiam quia magna iniuſtitia eſſet in tali contractu, cum emptor haberet lucrum, & venditor damnum ſuſtineret, ac proinde non eſſent pares in lucro, & in damno. Quod ſi dicatur, vſuras eſſe prohibitas, & per conſequens ex dilatione pretij non poſſe accipi.

R. Cum Couarruuia *loco cit.* vſurias lucratorias eſſe prohibitas, non autem compenſatorias, quibus compenſantur fructus, qui venditori debentur.

An Aurifices, & Argentarij poſſit ad pondus auri, & argenti vendere mixturas, quas in conficiendis vaſibus ponunt?

BRACTEA XXIII.

Sciendum mixturam alterius metalli in vaſibus Auri, & Argenti dupliciter ab Aurifice, vel Argentario poſſe poni: Primò, quia ipſa cenſentur neceſſaria ad conficienda vaſa aurea, & argentea, & ob id ſolum ponitur, quod neceſſe eſt: Secundò dolo, & fraude, & vt emptores fallant mittendo mixturas alterius metalli plus quam ſecundum regulas artis opus ſit. Quo poſito.

R. Aurifices, & Argentarios non peccare contrà iuſtitiam, nec obligari ad reſtitutionem immiſcendo mixturas alterius metalli, & eas vendendo pondere auri, & argenti, dummodo non immiſceant pluſquam opus ſit ad conficiendum vas auri, vel argenti. Ita Lopez *lib.1. de contract. cap.18.* Rodriquez *part.2. cap.81.* & Corduba de *caſib. cap.80.* & alij. Ratio, quia id communiter ſit, tum etiam quia illis permittitur in partem pretij, & laboris, dummodo ſine fraude ſolum immiſceant, quod neceſſarium eſt conſuetum. Secundò Aurifices, & Argentarij, qui mixturas alterius metalli immiſcent auro, & argento plus quam opus ſit, vt decipiant emptores peccant mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem. Ratio, quia hoc modo vendunt rem defectuoſam in ſubſtantia pro integra, & ſana, A es ſcilicet pro auro, & argento, &c. Tum quia violant Iuſtitiam, & vtuntur dolo, & fraude, & per conſequens obligãtor ad reſtitutionem damnorum, quæ ſequuntur, Eadem ratione peccant mortaliter, cum obligatione reſtituendi Aromatarij, & ſimiles artifices, qui vnguenta, medicamenta, aromata, & ſimilia corrupta pro integris vendunt, vel illis miſcent alia, vt eodem pretio, & pondere eadem vendunt. Verũ

ſi dum illa conficiunt aliquid miſcent, ſine quo medicamenta illa, vel vnguentum iuxtà regulas Artis confici non poſſunt, iuſtè poſſunt mixturas eodem pretio vendere, quo medicamenta, aut vnguentum, aut ſimilia.

An qui vendidit triticum, vel vinum citò corrumpendum, poſſit occultato vitio, pretio currenti vendere?

BRACTEA XXIV.

R. Cvm Arragonio 2.2. *quæſt.77. art.2. & 3.* quod qui vendidit triticum, vel vinum, aut aliã rem cum probabilitate, vt citò corrumpenda ſint, nec diu in bonitate permanſura, vel ob mixtionem aliquam, vel ob aliud accidens intrinſecum, & probabiliter credit, ementem non ſtatim conſumpturum, ſed eas eſſe conſeruaturum per aliquod tempus ex iuſtitia obligatur patefacere illum defectum; & ratio eſt, quia taciturnitas illius cedit in damnum emptoris, quod ex iuſtitia vitare tenetur, alioquin tenebitur damnum cauſatum reficere. Secundò cum eodem Arragonio *loco citato*, & Rodriquez *part. 2. cap. 82. num. 3.* quod qui aliquid vendit, quod nouit citò corrumpendum, & probabiliter putat, emptorem ſtatim illud eſſe conſumpturum, tacendo talem defectum poterit pretio currenti id vendere. Ratio eſt, quia cum habeat valorem in ordine ad vſus humanos, & ad vſum preſentem hominum ęſtimatione tanti ualeat, pretio currenti poteſt id uendere, & taciturnitas defectus, nullum affert damnum, cum probabiliter ſciat, emptorem id non eſſe conſeruaturum. Tertiò, quando bona fide, quis rem aliquam uendit inuincibiliter ignorans defectum non peccat, nec ad ullam reſtitutionem obligatur. Ratio eſt, quia ſi ſequitur aliquod damnum eſt ſine culpa uenditoris ignorantis uitium, factus malæ fidei tenetur ſatisfacere pro illo defectu, aut reſcindere contractum, ſi ità emptor petat. Ita Rebellus *lib.9. quæſt.8.* & ſi durante bona fide res fuit conſumpta tenetur reſtituere id, in quo ditior, & locupletior fuit factus. Rebelius *loco citato*.

An mercator peccet contrà iuſtitiam vendendo triticum cum puluere, & glebulis, cum quibus ab area communiter ſolet portari?

BRACTEA XXV.

R. Mercatorem non violare iuſtitiam vendendo triticum mixtum cum puluere, & glebulis, dummodo in area ſit purgatum modo conuenienti, & iuxtà conſuetudinem Regionis, in qua venditur. Et ita Doctores infrà citandi. Ratio eſt, quia in tali venditione non adeſt dolus, vel fraus; & ita ſolet eſſe vſus etiam inter timoratos agricolas. Secundò, nec etiam violare iuſtitiam immiſcẽdo puluerem triticò optimè purgato, dummodo non amplius immiſceat, quam ex area colligi poteſt, & communiter venditur. Ita Salon. 2. 2. *quæſt 77. art.2.* Lopez de *contract. cap.19.* & alij. Ratio quia ſicut non violat iuſtitiam mercator vendendo triticum cum glebulis, & puluere, quæ & ſi in area purgatum retinere ſolet, ita nec etiam peccare contrà iuſtitiam reducendo illud, vt alij agricolæ vendunt, qui cum glebulis, & puluere ſolent triticum vendere, dummodo non magis miſceant, quam ex area retinere ſolet, licet Medina in *Inſtruct. Confeſſ.* teneat, contractum eſſe inualidum, & obligari venditorem ad reſtitutionem.

An emptor teneatur manifeſtare virtutem mercis, quam venditor ignorat?

BRACTEA XXVI.

R. Qvod quando venditor ignorat valorem mercis, quam vendit, & illa ſit communiter cognita ab hominibus illius artis, habeatq; res illa ſuum pretium, tunc emptor etiam non rogatus non ſolum lege Charitatis, ſed etiam lege Iuſtitiæ tenetur virtutem illius rei venditori manifeſtare. Ita D.Thomas 2.2. *quæſt.77. art.3.* Sotus *lib.6. qu. 3. art. 2.* Nauar. *cap.23. num.89.* Rebell. *lib. 9. quæſt.8.* & alij. Secundò ſi tam venditor, quam emptor rei virtutem ignorent, tunc in tali caſu ignorantia excuſabit à peccato emptorem, non tamen à reſtitutione, qua debet ſupplere pretij defectum, factus malæ fidei, vel ſaltem tenebitur contractum reſcindere, ſi pretij defectum ſupplere nolit. Ita Arragon. 2.2. *quæſt.77. art.2. & 3.* Tertiò, quod quando venditor ignorat virtutem rei, quam vendit, nec communiter cognoſcitur ab hominibus peritis in illa arte non tenetur emptor peritiſſimus cognoſcens illã virtutem indicare venditori, ſed iuſtè poteſt illam emere exhibito pretio, quod communiter taxatur à peritis in illa Arte. Ratio eſt, quia iuſtum rei pretium, quando à lege non eſt præſcriptum illud eſt, quod communiter ęſtimatur ſecundum communem vſum fori, ſed illa virtus occultiſſima in publico foro non æſtimatur, quia non cognoſcitur; ergo emptor non tenetur dare pretium pro illa virtute, quam ipſe ſpecialiter cognouit. Ita Rodriquez *par. 2. cap.81. num.4.* & Salon. 2.2. *quæſt.77. art.3.* Hinc faſcis herbarum qui venditur ad eſum animalium poteſt emi pretio, quæ talia communi vſu fori vendi ſolent; etiam ſi emptor ſciat ibi prætioſas quaſdam herbas contineri. Ratio eſt, quia tota illa res ad eum vſum, quo vendi ſolet non pluris æſtimatur. Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub. 11.*

Cui res vendita pereat, vel deterior fiat emptori, an venditori ſi pereat, &c. ante traditionem?

BRACTEA XXVII.

Sciendvm quod res quæ venditur, aut eſt determinata in indiuiduo, vt hæc domus, hoc Rus, hic equus, hæc veſtis, &c. aut eſt indeterminata in indiuiduo, vt vendo tibi centum oues gregis mei, aut vnum equum ex decem quos habeo. Res determinata, vel eſt determinata ad corpus, vel ad menſuram, &c. determinatum ad corpus dicitur illud vendi, quando aliquod totum venditur vnico pretio, vt ſi dicatur vendo tibi meum Rus mille aureis, aut hoc dolium vini decem nummis aureis, aut hunc cumulum grani viginti nummis aureis; tũc aliquid dicitur vendi ad menſuram, quando res non venditur vnico pretio, ſed pro vnaquaque menſura pretium aſſignatur, ut ſi dicatur vendo tibi meum Rus quinquaginta iugerum, quinquaginta nummis

aureis

aureis pro qualibet Iugere. Quo poſito.

R. Si res uendita pereat poſt ipſius traditionem perit ipſi emptori etiamſi pretium non ſit ſolutum: non autem uenditori. Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub.12. num.95.* & communiter omnes. Ratio, quia per traditionem tranſlatum eſt dominium in emptorem: res autem ſi perit domino perit; ſicut etiam ſi melior fiat ipſi fit.

R.2. Si res ſit certa, & determinata, & poſt uenditionis contractum pereat, uel deterior fiat ante traditionem perit emptori, nec uenditor tenetur reſtituere pretium. Ita Leſſius *loco cit. num.96.* Silueſter *verbo emptio num.3.* Molina *diſp.366.* Rebellus *lib.9. quaeſt.15.* Azorius *3. part. lib. 8. cap. 26.* Em. Sà *verbo venditio*, & alij. Ratio quia mens contrahentium talis eſt, vt ſtatim res ad emptorem pertineat, & per conſequens ipſi pereat, aut deterior fiat. Tum etiam, quia contractus rei determinatæ, abſolutè celebratus ſufficiens eſt iure gentium ad transferendũ dominium.

Sciendum 2. quod licet contractus abſolutè celebratus ſit ſufficiens ad transferendum dominium, tamen ex diſpoſitione Iuris non transfertur ante traditionem ipſius rei, licet non impediat effectum, qui ex tranſlatione conſequi ſolet, ſi tamen culpa uenditoris res fiat deterior, uel pereat, ipſi perit, ut u.g. ſi eſſet in mora tradendi rem, quia tunc ſi perit, uel deterior fiat, perire, & deteriorem fieri ipſi uenditori. Quod ſi tam emptor, quam uenditor ſint in mora periculum erit illius, qui poſterior erit in mora, modo tamen mora prioris non ſit cauſa moræ poſterioris. Ita Rebellus *lib.9. quaeſt. 15. num. 24.*

R. 3. Si res ſit indeterminata, ut u.g. ſi quis emat decem modios tritici, ex meſſe, uel horreo, uel decem oues ex grege, uel ſi emat rem determinatam, ſed ad menſuram, u. gratia triticum tribus libris in ſingulas menſuras, tunc ante rei traditionem, uel menſurationem periculum interitus pertinet ad uenditorem. Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub.12. num.97.* Silueſter *verbo emptio*, & alij. Ratio eſt, quia dominium rei non cenſetur tranſlatum in emptorẽ ante determinationem per menſuram faciendam, uel ſi emptio ſit rei indeterminatæ, nec etiam cenſetur tranſlatum dominium, niſi per traditionem.

Sciendum 3. Quod ſi res uendatur ad corpus, ut u.g. uendo tibi hoc dolium uini, uel hunc cumulum grani tanto pretio, ſi res pereat ante rei traditionem perit emptori, quia rei dominium fuit tranſlatum, dummodo tamen non adſit culpa uenditoris, qui ex officio tenetur rem cuſtodire, donec eam tradat emptori, quia ſi culpa ipſius deterior fiat, uel pereat ipſe tenetur: Si verò uenditio fuit celebrata tali modo; uendo tibi hoc dolium uini decem menſurarum duobus nummis aureis pro qualibet menſura, uel hunc cumulum grani triginta modiorum quatuor libris argenteis pro qualibet menſura, &c. ſi res pereat ante menſuram, uel pondus perit ipſi uenditori, dummodo non adſit culpa emptoris, qui tempore conſtituto ad menſurandum, uel ponderandum non acceſſerit, quia emptori qui termino præfixo non transfert rem imputatur damnum, & periculum. *leg.1. ff. de periculo, & commodo rei vendit.*, Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub.2. num.96.* Molina *diſp. 266. num.11.* Azorius *3. part. lib.8. cap.26.* Em. Sà *verbo venditio*, Gomez *2. variar. cap.2. num. 32.* & non modo perit ipſi res ſi pereat, uerum etiam ipſi imputatur damnum, quod patitur uenditor ex eo, quod præfixo tempore non transfert rem emptam, ut u.g. ſi culpa emptoris non potuit uti dolijs, aut coactus fuit alia conducere; immò uenditorem poſſe effundere uinum, quando emptor iuridicè admonitus noluit uinum transferre, licet melius ſit, ut ipſum uendat nomine emptoris, quoniam, ut ſic cenſent utiliter gerere negotium emptoris, ita dictante charitate. Bonacina *diſp.3. quaeſt.2. pun.8. num.10.*

An liceat venditori minuere menſuram mercium, v. g. vini, vel olei?

BRACTEA XXVIII.

R. Licebit in caſu quo emptores nollent emere merces quanti re uera ualent, aut quia factum eſt monopolium, aut quia Princeps noluit iuſto pretio merces taxare, tunc licitum erit uenditori minuere menſuram, ità ut quantitas quam tradit iuſtiſſimè ualeat illud pretium quod recipitur. Ita Valentia *tom.3. diſp.5. quaeſt.10. pun.4.* Rodriquez *1. part. cap.81. num.8.* Lopez *lib. 1. de contract. cap. 15.* Arragon. *2.2. quaeſt. 77. art.3.* Toletus *lib. 8. cap. 49.* & alij. Ob id aliquando excuſantur Piſtores, qui panes minores taxa conficiunt, aut uendunt ſuprà taxam ſi omnibus conſideratis, uidelicet pretio tritici, labore, &c. non remaneat illis iuſtum, & moderatum ſtipendium ſui laboris, &c. uendendo panem ad taxam.

Quod tamen limitandum eſt, modo communiter Piſtores illius Prouinciæ tale damnum patiantur; nam ſi pauci tantum reperiantur, qui damnum patiantur ſeruando taxam non poſſunt uendere ultrà taxam, nam lex non reſpicit, quod rarò, & paucis accidit; ſed quod fit, ut plurimum; quod etiam dicendum eſt in reliquis, & ſimilibus caſibus, ut tradit Molina *diſp.353. num.24.* Rebellus *lib.9. quaeſt.10.* Reginaldus *lib.25. nu.283. & 285.* & alij. Verum quando non conſtat, an pretium à Principe taxatum ſit iuſtum, an iniuſtum, præſumendum eſt, eſſe iuſtum cum in dubio præſumendum ſit in fauorem Principis habentis auctoritatem præcipiendi, & taxandi pretia, non verò in fauorem inferiorum, quorum eſt obedire. Ita Reginaldus *loc. cit. num.284.*

Quando res duobus fuit vendita ex interuallo cui debeatur?

BRACTEA XXIX.

R. Qvando res pluribus eſt uendita, & nulli tradita debetur primo emptori, iuxtà regulam Iuris, *Qui prior eſt tempore potior eſt iure.* Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub.20. num.140.* & alij. Ratio quia illa res non poterat uendi ſecundo emptori, cum iam eſſet uendita. Vnde nec poteſt ſecũdo tradi ſine iniuria prioris; ergo ne fiat iniuria tradenda eſt priori. Secundò, quando res pluribus uendita, & uni eſt tradita, quoad dominium pertinet ad eum, cui fuit tradita, licet poſterior fuerit ad contrahendum. Ita Leſſius *loco cit.* & *leg. tradit. 20. cod. de pactis*, & *leg. nunquam, ff. de acquirendo rerum dominio.* Ratio, quia per traditionem acquiſiuit perfectum dominium, & non ſolum ius ad rem, ſed ius in re.

Sciendum ab hac regula excipi tres caſus, in quibus ex ſolo contractu dominium transfertur. Primus eſt quando aliquid donatur, aut uenditur eccleſijs, uel locis pijs, ciuitatibus in quibus ex ſolo conſenſu dominium transfertur. Vnde non poteſt ſecundus emptor, uel donatarius acquirere dominium in re ſibi tradita; ſecus ſi res ſit ſolum pro-

miſſa, quia promiſſio facta pio loco non transfert dominium, nec tribuit ius in re. Vnde ſi res Eccleſiæ promiſſa alteri tradatur illius erit. Secundus, quando priori emptori in ſecuritatem contractus res fuit hypotecæ nomine ſubiecta, quia tunc ſecundus emptor non poteſt per traditionem dominium acquirere, quia qui habet pignus eſt ſimplici creditori preferendus. Tertius, quando ſecundus emptor mala fide emit ſciens alteri iam primò venditam, prior poteſt ab eo rem euincere, tanquam in fraudem ipſius alienatam; ſpontè tamen priori tradere non tenetur, niſi fortè induxerit emptorem, vt eã ſibi venderet, quo caſu, eſt cauſa damni iniuſta, quod per illam venditionem incurrit; ſi autem bona fide contraxerit, non poterit ab eo euinci, niſi fortè prior habuerit rem titulo oneroſo, & ſecundus titulo gratioſo, quo caſu poterit illam euincere, etſi ſecundus fuerit ſcius contractus prioris. Leſſius *loc. cit.* Molina *diſp.* 369. Rebellus *lib.* 9. *quæſt.* 17. Quod ſi vterque probet rem ſibi traditam, nec appareat, vter eorum prior fuerit, tunc priori eſt adiudicanda. Ita Leſſius *loco cit.* & alij; quia potius ius habet cum ſit prior tempore. Quod ſi poſterior numerauerit pretium, vel venditor habuerit ipſum pro ſoluto, prior verò non ſoluerit, præſumptio eſt, poſteriori factam eſſe traditionem. Leſſius *loc. cit.*

An venditor teneatur de euictione?

BRACTEA XXX.

SCIENDVM, euictionem nihil aliud eſſe, quam rei emptæ, vel iuſta cauſa receptæ per ſententiam iudicis amiſſio, & ille dicitur euincere, qui rem ſuam accipit è manibus emptoris, probans in iudicio eſſe ſuam iure dominij, & non pertinere ad venditorem. Gomez *tom.* 2. *de contract. cap.* 2. Couar. *lib.* 3. *variar. cap.* 17. Molina *diſp.* 380. & alij. Quo poſito.

R. Venditor qui mala fide vendidit rem alienam emptori bona fide ementi tenetur de euictione *leg. tenetur*, §. *ſi cibi ff. de cautione emptionis, leg. venditor, leg. euicta, ff. de euictione*. Et ita communiter omnes Ratio, quia cum ſit cauſa iniuſta damni obligatur ad reſtitutionem. Tum etiam quia tenetur ſeruare indemnem emptorem.

Sciendum 2. multos eſſe caſus, in quibus venditor non tenetur de euictione. Primus eſt, quando emptor non denunciauit litem eſſe motam, vt eam defendat. Secundus, quando mala fide emit rem alienam, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria; Tertius, quando emptor citatus contumaciter abfuit; Quartus, quando emptor venditore abſente nõ appellauit de ſententia; Quintus, quando ſententia fuit iniuſta, & lata per iniuriam contra emptorem; Sextus quando emptor voluntariè compromiſit, quia non potuit compromittere in præiudicium venditoris; Septimus, quando emptor potuit vſu capere, & non vſu cępit; Octauus quando aliquid cauſale contingit. Molina *tract.* 2. *diſp.* 380. Reginaldus *lib* 25. *nu.* 314. Silueſter *verbo emptio, quæſit.* 25. Azorius 3. *part. lib.* 8. *cap.* 30. & alij.

R. Nõ ſolũ in venditione, ſed etiã in omnibus cõtractibus oneroſis contrahentes teneri de euictione. Ratio colligitur ex *leg. libera cod. de ſent. & inter locut. omniũ iudic.* Vnde primo tenetur de euictione in cõtractu de emptione. *cap. vlt. de emptione, leg.* 1. *& per totum, ff. de euict.* quamuis in venditione hæreditatis non teneatur venditor ſi res aliqua particularis euincatur; non enim res illa venditur, ſed ius hæreditatis. Secundò, in permutatione eodem modo tenetur de euictione, qui permutauit *leg. ſi permutationes cod. de euict.* Tertiò, in ſolutione, quod dicitur in datione inſolutum; *leg. libera.* Quartò in diuiſione hæreditatis, vt quando hæreditas diuiditur inter plures, & id, quod vnus accepit ſi euincatur alij hæredes tenentur de euictione *leg. familiæ*. Quintò, in diuiſione rei communis inter plures, *leg. ſi fratres cod. communia vtriuſq;* Sextò, in promiſſione dotis Genero tenetur de euictione. *leg.* 1. *cod. de iure dotis.* Septimò in emphiteuſi, locatione cenſus tenetur de euictione, qui dat in emphiteuſim, &c. Gomez de *contract. cap.* 2. *n.* 33.

R. 3. Euictionem non habere locum in contractibus gratioſis ſecluſo pacto, & culpa. Ita communiter Doctores ex Molina *diſp.* 152. Ratio, quia non eſt iuſtum, vt quis patiatur incommodum ob ſuam liberalitatem.

Sciendum 3. quod licet verum ſit, quod quando quis promiſit rem in particulari ſi euincatur non teneatur de euictione ſecluſo pacto, dubium tamen eſt de re promiſſa in genere, vt ſi quis alteri diceret, promitto tibi vnam veſtem, vel vnum equum; an ſi promiſſio ſit acceptata, & res promiſſa euincatur promittens teneatur de euictione. Ad quod reſpõdeo, quod ſi erat poſſeſſor bonæ fidei, & habebat mentem ad illam applicatam, quæ poſteà euicta fuit, non tenetur de euictione; ſecus autem ſi habuerit intentionem indeterminatam dandi vnum v. g. ex proprijs equis, vel vnam ex veſtibus. Dixi ſecluſo pacto, eum liberum ſit contrahentibus apponere pactum, quo ſe ſubijciant periculo damni, & poſito tali pacto contrahens tenetur de euictione. Secundò, euictionem non habere locum in legatis: vnde ſi à legatario domus relicta euincatur, non tenetur hæres ſoluere æſtimationem domus. *leg. ſi is ff. de euic.* fallit hæc regula, quando legatarius eſſet perſona coniuncta. Secundò, quando teſtator ſciuiſſet eſſe alienam. *leg. cum alienis C. de legatis.* Tertiò, quando res eſſet relicta in genere. Bald. *leg. ſi ſubſtituto* §. 1. *ff. de legat.* Contrà quem agere debeat ille, à quo res fuit euicta cum pluribus ſucceſſiuè fuerit vendita? Reſpondeò debere agere contrà immediatum venditorem, non verò contrà antecedentes venditores quia nihil cum eis egit, nullumque cum eis iniuit contractum. Gomez 2. *var. cap.* 2. *num.* 46.

Sciendum 4. quod ſi res euincatur, & venditor teneatur de euictione, tenetur etiam ad expenſas litis, quia hæc ſunt pars intereſſe, quod ſuſcipit in ſe venditor per obligationem ad euictionem; tenetur etiam ad expenſas, etiamſi res non euincatur, modo emptor denunciauerit venditori litem motam. Ratio, quia venditor admonitus tenetur, vel defendere emptorem, vel ſi noluerit ſoluere emptori omnes expenſas. Molina *diſp.* 152. Silu. *verbo emptio*, Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 2. *num.* 47. & alij.

De retractu Gentilitio?

BRACTEA XXXI.

RETRACTVM gentilitium eſſe ius alienius gentis, vel ciuitatis, ſtatuto, vel conſuetudine conceſſum proximo venditoris conſanguineo intra certum tempus reſcindendi, & ad ſe reuocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore conſanguineo; empta fuerat. Ita ex leg. *dubium de contrahend. emptione*. Ratio eſt, ne poſſeſſiones paternæ, atque auitæ ad alienas manus deueniant.

Scien-

Sciendum nomen venditionis in retractu gentilitio non extendi ad alias alienationes v. g. donationem, legatum, &c. neque ad contractum, quo vtile tantum dominium transfertur directo pœnes alienantem permanente, & ità Couar. 3 *reſol. cap.77.n.3. & 4* Tiraquel *lib. de retractu gentilitio* §.33 *gloſ. vnica.*

Sciendum 2. quod ſi conſanguinei poſt legitimam eis factam denunciationem, & requiſitionem, iuſto precio emere nolint, poſt duorum menſium ſpatium alteri vendi poteſt; ſin autem irrequiſito proximo conſanguineo venditio facta fuerit, ius habet ille retrahendi intrà annum, & diem, vt colligunt Doctores *ex lib.2. feud.*

Si proximus cõſanguineus cui ius retractus competebat, decedat morte naturali, ſeu ciuili; ius retrahendi non tranſit ad eius hæredem; cum ſit priuilegium illius perſonale, quod cum perſona extinguitur Molſ. *tom 2. diſp.370.*

Sciendum 3. quod proximus conſanguineus, qui conditionem iure propinquitatis retrahere, ſiue ad ſe reuocare vult, hæc præſtare debet: in primis offerre illud pretium, quod extraneus, vel remotior dedit, aut dare paratus eſt. Secundò præſtare debet omnes expenſas, quas prior emptor ratione contractus facere coactus fuit.

Sciendum 4. conditionem quæ datur ex lege ad retrahendum imitari actionem realem, quia proſequitur rem ipſam aduerſus quemuis poſſeſſorem, itaut, ſi res tertio donata, vel vendita fuerit ab eo reuocari poſſit oblato pretio, quod primus emptor ſoluerat, quamobrem cenſetur hæc actio perſonalis. Layman *tract.4. de contract. cap.17. ſect.6.* §.6.

Sciendum 5. neceſſe eſſe, vt proximus agnatus ſibi retrahat, non in vtilitatem alterius, & in fraudem emptoris, vel aliorum conſanguineorum quibus poſt ipſum ius retrahendi competit. Nam ius retractus alteri extraneo vendi, vel cedi non poteſt. Si tamen alius nemo ſuperſit ex conſanguineis, qui retrahere poſſit, aut velit extraneo uendere, aut cedere permiſſum eſſe, ait Tholoſan *cap.2.nu.2.* dummodo id regionis conſuetudo, vel lex municipalis permittat, nam ius retractus non tam iure cõmuni, quam particularibus regionum conſuetudinibus, aut conſtitutionibus municipalibus regitur.

MALLEATIO XLVII.

De Contractu emptionis cum obligatione retrouendendi.

An licita ſit emptio cum pacto retrouenditionis?

BRACTEA I.

SCIENDVM pactum de retrouendendo aliquando apponi in fauorem venditoris, itaut venditor redimere poſſit ſi velit, vel in aſſignato tempore, vel quando libuerit, aliquando in fauorem emptoris, itaut poſſit à venditore redimi, ſi emptor voluerit ſibi pretium reſtitui, aliquando etiam in fauorem vtriuſque, itaut vtrique licitum ſit contractum reſcindere, & diſſoluere. Quo poſito.

R. Venditionem cum pacto retrouendendi in fauorem venditoris poſito, licitam eſſe iuſto interueniente pretio, & iuſta cauſa, ita *leg. ſi fundum cod. de pactis inter. emptorem, & venditor.* Nauar. *cap.17. num.188.* & communiter omnes. Ratio, quia apponendo tale pactum nulli ſit iniuria, nec iniuſtitia, cum tam emptor, quam venditor ſine alterius detrimento lucrum conſequatur. Tum etiam, quia pactum de retrouendendo non eſt aliqua lege prohibitum. Tum quia, quiſque eſt arbiter rei ſuæ, eiq; modum, quem vult imponere poteſt. Secundò, venditio cum pacto retrouendendi in fauorem emptoris licita eſt interueniente iuſto precio. Ita Leſſius *lib.2. cap.21. dub.14.* Couar. *lib.3. var. cap 9. nu.4.* Azorius *3. part. lib.8. cap.12.* Molina *tract. 2 diſp.377.* & alij. Ratio, quia venditori nulla ſit iniuſtitia; cum onus quod imponitur compenſetur iuſto pretio. Tertiò, venditio cum pacto retrouendendi poſitã in fauorem vtriuſque licita eſt. Ratio, quia ſicut venditio cum pacto in fauorem emptoris, vel venditoris licita eſt, ita etiam in fauorem vtriuſque. Tum etiam quia quando pactum appoſitum compenſatur, nulli ſit iniuria; tum quia ſeruatur æqualitas; tum etiam, quia nulli ſit iniuſtitia cum ſit in fauorem vtriuſque. Ita apud Bonacina *diſp.3. de contract. quæſt. 2. pun. 3. num. 7.*

An pacta quæ apponuntur in contractu venditionis cum obligatione retrouendendi ſint licita?

BRACTEA II.

R. PACTVM in fauorem venditoris licitum eſſe; & eſt cõmunis ſententia ex Molina *diſp.375.* Ratio, quia, vt dictum, quiſque eſt arbiter rerum ſuarum, & poteſt ipſis imponere modum, quem vult, modo non ſit contrà ius aliquod, nullum autem ius eſt contrarium in hac re, dummodo ſeruetur iuſtum pretium, ergo, &c. Secundò pactum in fauorem emptoris licitum etiam eſſe ex natura. Eſt communis ſententia ex Couar. *3. varian. cap. 9.* Medina *quæſt. vlt. de vſuris* Gabriel in *4. diſt.15. qu.11. art.13.* Maior. *quæſt.43.* Molina *loco citato* licet diſſuadendum ſit tale pactum ob periculum vſuræ, quia poſſet quis exiſtimare eſſe contractum pignoris, quo venditor, vt recipiat pretium dat emptori rem illã quam vendit; & obligat ſe ad redimendam eam pretio reſtituto. Verum ſi adſint requiſita non erit pignus, ſed venditio. Tertiò pactum in fauorem vtriuſque licitum eſſe, itaut in poteſtate venditoris ſit redimere, & venditoris reuendere, quando voluerit propter rationem ſuprà allatam.

Quot conditiones requirantur, vt contractus cum obligatione retrouenditionis ſit licitus?

BRACTEA III.

R. QVATVOR conditiones requiri ad validitatem huius contractus. Ita Bonacina de *contract. diſp.3. quæſt. 2. pun.3 propoſ. 2.* & communiter omnes Doctores. Prima eſt vera intentio emendi, & vendendi; ratio, quia cum ſit actus humanus vltrò citròque obligans, ad eius validitatem requiritur mutuus conſenſus emptoris, & venditoris, & vera intentio vtriuſque emendi, & uendendi. Ita Rebellus *lib. 1. quæſt.3. ſect.1. num.3.* Reginaldus *lib.25. num.* 248. Azotius *3. part. lib. 8. cap.26.* & alij. Hinc ſi emptor ſolum habeat uoluntatem mutuandi, & uocet hoc mutuum uenditionem cum pacto retro-

trouendendi ad effectum percipiendi fructus vltrà ſortem principalem vſuram palliatam committit. Secunda conditio eſt iuſtum pretium, itaut compenſetur onus, quod imponitur, & ſeruetur æqualitas inter emptorem, & venditorem, vt contractus ſit iuſtus.

Sciendum quod cum res minus valeat vendita cum tali obligatione, & onere, quam ſi abſolutè venderetur, idcircò de pretio tantum eſt diminuendum, quanti æſtimatur onus impoſitum, quod remittendum eſt iudicio prudentis, qui iuxtà ſtatuta, & conſuetudinem loci, in quo contractus celebratur iudicet. Reginaldus *lib. 25. num. 243.* Molina *tract. 2. diſp. 375. n. 8.* Hoc tamen aduertendum eſt, quod quando apponitur pactum in fauorem ſolius ementis rea pluris valere, quam cum apponitur pactum in fauorem ipſius venditoris, & quando apponitur pactum in fauorem vtriuſque rem minoris valere, quam cũ apponitur in fauorem ſolius emptoris, itaut ſi res per ſe valeret centum, cum pacto in fauorem ſolius venditoris octoginta valebit, dum apponitur pactum in fauorem vtriuſq; valebit octoginta octo vel nonaginta prout prudens conſideratis circũſtantijs arbitrabitur. Ita Medina *quæſt. vlt. de vſura.*

Sciendum 2. hæc omnia intelligenda eſſe ſepoſito intereſſe ementis, & vendentis, nam ſi emens incurrat intereſſe ratione emptionis poterit minus dare pro re, & paciſci vt non redimatur niſi poſt certum tempus, vt interim ex fructibus reſarciat lucri iacturam; item vt teneatur eodem pretio redimere. Leſſius *loco cit. num. 120.* Tertia conditio, vt fructus rei emptæ pertineat ad emptorem cum emptor per contractum acquiſierit dominium rei emptæ. Quarta, vt in contractu non adſit aliqua læſio notabilis; quod ſi erit aliqua læſio contractus erit illicitus, & iniuſtus, & per conſequens non obligat in vtroque foro.

An celebrari poſſit Contractus venditionis cum obligatione retrouenditionis eodem pretio?

BRACTEA IV.

R. Celebrari poſſe cum obligatione retrouenditionis eodem pretio. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 14. num. 115.* Cardinalis Tuſcus *tom. 6. concluſ. 25.* Ratio, quia ſicut venditor poteſt apponere pactum, vt in tali euentu contractus diſſoluatur, & cum in diſſolutione non ſiat nouus contractus poteſt etiam apponere pactum, vt idem pretium reſtituatur; ergo etiam celebrari poteſt venditio cum pacto retrouendendi eodem pretio, cum hoc nihil aliud ſit, quam poſt aliquod tempus contractum diſſoluere. Tum etiam, quia iſte contractus communi vſu videtur receptus, & quotidiana praxi comprobatus. Secundò, ſi in conſeruanda re empta cum pacto retrouenditionis eſſent magni ſumptus faciendi, & fructus rei eſſent exigui iuſtè non poteſt apponi pactum, quod redimatur eodem pretio. Ratio, quia tale pactum eſſet contra iuſtitiam. Vnde illud apponens obligaretur ad reſtitutionem damni ſequuti, cũ ex violatione iuſtitiæ oriatur obligatio reſtituendi. Tum etiã, quia eſſet iniurioſum emptori cum non ſeruaretur æqualitas, & ſecundus venditor eſſet in damnum cum amitteret expenſas factas, pro conſeruatione rei, quod eſt iniuſtum.

An ſit pactum iuſtum, ſi apponatur vt res retrouendatur maiori, vel minori pretio?

BRACTEA V.

R. Iuxta poſſe apponi pactum in contractu venditionis, vt res redimatur maiori, vel minori pretio, prout iudicatum fuerit. Ratio, quia ob tale pactum vterque contrahens cenſetur in æquali periculo. Ita Azorius *3. parte lib. 8. cap. 12. quæſt. 4.* Em. Sà *verbo emptio num. 14.* Molina *diſp. 376.* Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 14.* Em. Sà *verbo emptio nu. 14.* Ratio, quia res tanti vendi poteſt, quanti valet; ſed tempore retrouenditionis poteſt pluris, vel minoris valere; ergò pactum poteſt apponi de retrouendenda re maiori, vel minori pretio prout res valuerit tempore retrouenditionis.

Sciendum dubium eſſe, ſi res vendatur ratione pacti minori pretio, an emptor obligetur tranſacto termino ſupplere partem pretij, quam in contractu pro pacto detraxit. Summa Corona de *vſura circà contractus* affirmatiuam ſententiam defendit, emptorem obligari ad reliquam partem pretij, quam pro pacto detraxit; ſed oppoſitum probabilius videtur, quia emit emptor iuſto pretio; res enim tanti valebat, & non pluris habita ratione grauaminis impoſiti emptori in fauorem venditoris. Et ita Bonacina *diſp. 3. de contract. quæſt. 2. pun. 3. propoſ. 6.*

An pactum venditionis cum obligatione retrouendendi in fauorem venditoris, & interim donec redimatur, locetur eidem venditori ſit licitum?

BRACTEA VI.

R. Licere rem aliquam emere cum pacto retrouenditionis in fauorem venditoris, & interim donec redimatur venditori locare dummodo non adſit fraus, & dolus dans ipſi cauſam. Ita Nauarr. *cap. 17. num. 248.* Molina *diſp. 376.* Azor. *3. part. lib 8. cap. 12. quæſt. 7.* & alij. Ratio, quia venditor non cenſetur peioris conditionis, quam alius, & ſicut emptor poteſt cui placet locare, ita & venditori. Tum etiam, quia iſti contractus diuiſim ſumpti ſunt iuſti, nec ex eo, quod coniunguntur ſiunt illiciti: quare poſſunt fieri.

Sciendum quod ſi in tali contractu apponeretur pactum, quo emptor obligaret venditorem ad ipſã conducendam, tunc temporis eſt iniuſtum, & illicitum, cum tale pactum priuet venditorem ſua libertate; ſed obligetur ad conducendam rem venditam, & onus quod imponitur non compenſatur. Secus verò dicendum ſi bona fide, & ſine fraude fiat, quia tunc contractus eſt licitus, quia ſicut poteſt, vt dictum fuit, huic vel illi, ita, & venditori locare. Secundò poteſt apponi pactum, quod res vendita certo tempore redimatur, alioquin ſit irredimibilis, dummodo ſine fraude fiat; ſecus ſi apponatur tale pactum in fraudem venditoris, quia non poteſt intra tale tempus ob impotentiam redimere, & tunc ratione fraudis pactum eſſet illicitum. Sotus *lib. 6. quæſt. 5. num. 33.* & contractus vſurarius. Ratio, quia ſicut poteſt apponi in contractibus pactum in pœnam ita in contractu venditionis poteſt apponi pactum; quod ſi res aſſignato tempore non redimatur, in poſterum ſit irredimibilis in pœnam, quia ſecluſa

fraude

fraude renſetur contractus ſortis. Tum etiam quia, non priuat contrahentem ſua libertate, cum infrà determinatum tempus poſſit redimere rem.

An liceat paciſci cum mutuatario petenti mutuum pecuniam, vt loco pecuniæ accipiat merces creditò: deinde ſibi retrouendat pecunia numerata?

BRACTEA VII.

R. Mercatorem qui petentem pecunias mutuas obligat ad accipiendas merces, quas ipſe nequibat vendere ſimul, aut diuiſim niſi in multo tempore, vſuram committere. Ita Molina *diſp.366. num.2.* Salonius 2.2. *quæſt.78. art. 2. contron.7. num.3. & 4.* & alij. Ratio quia per venditionem ſentit commodum mercator, & nimis grauatur emptor. Tum etiam, quia eſt vſura palliata dãdo merces pro pecunia numerata. Secundo mercator, qui petenti mutuam pecuniam vendit credito pretio rigoroſo, cum obligatione, vt ea ſibi reuendat pretio infimo committit vſuram. Ratio, quia imponit grauamen petenti mutuum, quod pecunia non compenſatur; tum etiam quia ſuperinducit obligationem, quam natura contractus non requirit, qui debet eſſe liber, & non coactus, & ſi imponitur grauamen, illud debet compenſari.

Sciendum quod ſi talem obligationem non imponeret mercator, nimirum vt ſibi retrouenderet merces, ſed ipſum in ſua libertate ſineret, vt venderet cui magis placuerit, ſed in pari pretio ipſum anteponeret, ſi poſteà res empta mercatori venderetur, etiamſi pretio infimo reuenderetur, cum in vtraque venditione res vendatur iuſto pretio, non committeret vſuram. Azorius *3. part. lib. 7. cap. 9.* Silueſter *verb. vſura quæſit.3.* Reginaldus *lib.25. n.296.* Leſſius *lib.2. cap.21. dub.16. num.130.* Rebellus *lib. 9. quæſt.7. num.7.* Nec refert quod hæc reuenditio fiat pretio infimo. Tum quia pretium infimum eſt iuſtum, preſertim in numerata pecunia. Tum quia, merces quæ à venditore offeruntur vileſcunt; nec etiam refert, quod idem ſit emptor, qui antea erat venditor, quia ſi alius quiuis poterat illo pretio emere, cur non ille qui vendidit? immò beneficium alteri in hoc præſtare videtur, dum ille liberatur à quærendis alijs emptoribus, non tamen poteſt illum ad hoc cogere, ſed debet omninò liberum relinquere.

Sciendum 2. hunc modum contrahẽdi ſæpè non carere culpa in mercatore, qui ex compoſito, ita vendit, vt pretio infimo redimat, nam primo poteſt peccare contra charitatem ſuadendo aliquem emere merces, quibus non eget cũ magno illius diſpẽdio, cum poſſit illi, & abſque ſuo incommodo mutuum dare. Secundo peccare peccato ſcandali præbendo alijs malum exemplum, qui à contractus ille habet ſuſpicionem vſuræ.

R. 2. Mercatorem nullo modo poſſe paciſci cum Principe petẽte, vel pecuniam mutuam; vt accipiat merces, & ex illis ſatisfaciat militibus, & ſi paciſcitur iniuſtè paciſcitur, quia facit contra naturam cõtractus, cum Princeps petat pecuniam mutuam, & ipſe loco pecuniæ det merces. Ratio patet primo, quia mercatores ſentiunt commodum, & exonerantur ab onere vendendi ratione mutui. Secundò quia merces in magna copia traditæ minoris valent quam ſi diuiſim venderentur, & tamen nihil minuũt valoris eas tradendo ſimul Principi. Tertiò quia illæ merces, pretio, quo acceptæ fuerunt, militibus ob ſtipendia traduntur, quibus ipſi milites aggrauantur cum non poſſint eas vendere pretio dato.

Quanto tempore duret pactum redimendi?

BRACTEA VIII.

R. Duplicam eſſe opinionem. Prima eſt Ioannis Baptiſtæ Lupi aſſerentis hoc ſpatiũ præſcribi ſpatio triginta annorum, ne emptor maneat in infinitum obligatus, & ait eſſe hac communem, etiamſi pactum redimendi ſit iuratum, niſi fortè iurauerit emptori ſe præſcriptionis triginta, vel quadraginta annorum iuri cedere. Secunda ſententia eſt, poſſe venditorem quandocunque voluerit etiam poſt ſpatium triginta, aut quadraginta annorum, non obſtante iure præſcriptionis redimere, cum ex conuentione partium res poſſit redimi, & non ſit definitum tempus, extendi poteſt, vt quocunque tempore per ſe, vel per ſuos hæredes poſſit rem venditam redimere. Prior ſententia eſt probabilis: Secunda probabilior; & eſt concluſio definita in leg. *Quod ſi nolit §. ſi quid ita ff. decedit.*

Ad quem pertineant fructus quando contractus venditionis diſſoluitur?

BRACTEA IX.

R. Si res redimatur eodem pretio, omnes fructus vſque ad tempus redemptionis producti pertinent ad emptorem ſecundum valorem, quod tunc habent. Couar. 1. *var. cap.15. num.6. & 7.* & alij apud ipſum. At ſecundum valorem, quem acquirunt poſt tempus retrouenditionis aut poſtquam emptor fuit in mora nõ reddendi pertinent ad priorem venditorem. Si verò diuerſo pretio, vt ſi pretio currente retrouendatur fructus pendentes pertinent ad primum venditorem, qui rem redimit; fit enim nouus contractus, & reuenditor poteſt pretium augere ratione fructuum pendẽtium, non ita in priore caſu, in quo tantum fit reſolutio prioris contractus, non autem nouus contractus. Secundò dubium eſſe, ad quem pertineant fructus medij temporis, quando contractus diſſoluitur per nouum pactum, quia ſcilicet poſt quam eſt factus abſolutè, deinde poſt aliquod tempus mutuo conſenſu diſſoluitur. Ad quod reſpondeo fructus productos eo tempore, quo durauit prior contractus pertinere ad primum emptorem, quia ad eum pertinuit periculum rei, ſi diſſoluatur, quia venditor fuit deceptus vltrà dimidium iuſti pretij; fructus percipiendi, & pendentes ſecundum æſtimationem quam habent tempore reciſionis pertinent ad emptorem, quia contractus fuit validus; in foro tamen conſcientiæ tenetur emptor ad ſatisfaciendũ venditori, quanti illius intererat, ſi ſupplementũ iuſti pretij fuiſſet ab initio ſolutum. Quod verum eſt, quando mala fide factus fuit contractus: ſi enim bona fide factus fuiſſet ad nihil teneretur. Gomez *tom.2. cap.2. num.24.*

An pactum appoſitum in contractu, quo vendens reſeruat fructus ſibi rei venditæ, donec ſoluatur pretium ſit iuſtum?

RACTEA X.

NEGATIVAM ſententiam ſequuntur Silueſter *verbo vſura quæſt.*11. Dinus Antoninus *part.*2. *tit.*1. *capit.*7. §.20. Gabriel *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.*11. *art* 2. *concluſ.* 4. Armilla *verbo vſura num.*15. Roſella *verbo vſura nu.*47. Ratio, quia quando transfertur dominium res debet fructificare domino ſuo, cuius periculo ſubſtat.

Contrariam ſententiam ſequitur Couar. *lib.*3. *var. cap.*4 plures referens, & hanc etiam tenet Sanchez in *opuſc.lib.*1.*cap* 7. *dub.*31. *num.*3. Tabiena *verbo vſura num.*9. & Ludouicus Molina in *leg.Toleti part.*2.*ſudam.*2.*num.*12. his verbis, vſuras ſi ſic eas vocemus, quas venditor in noſtro caſu percipit non ſunt iure vſuræ, ſed rei propriæ proſequutio, quæ deducitur ab æquitate iuſtitiæ commutatiuæ, quæ in æqualitate conſiſtit, quod quatenus vnus contrahentium implet debet alter viciſſim implere, aut implenti ſoluere lucrum recepti, ne ſequatur inæqualitas inter cõmutantes proprias res, nam ſi emptor fructus percipit rei emptæ nondum ſoluto pretio iuſtum eſt, vt pretij vſuras, vſque ad fructuum quantitatem venditori ſoluat, quia ei rem tradidit liberè, cum ei tradere pretio non ſoluto minimè teneretur: vſuræ enim recompenſatoriæ omni iure, permittũtur, quia dantur in recompenſationem eius; quod iuſtò competebat. Ita Molina citatus, quem ſequitur, Sanchez & alij. Quæ opinio cenſetur probabilior, & ideo.

R. Iuxta hanc opinionem. Ratio, vt ſupra.

An venditor teneatur de euictione, quando pactum iniji cum emptore ſe nolle teneri, ad quam alioqui teneretur ceſſante tali pacto?

BRACTEA XI.

R. CVM Molina *tract.*2.*diſp.*786. Panormitano in *cap.finali de empt.& vend.* Silueſter *verbo emptio quæſit.*25. *num.*26. Reginaldus *lib.*25.*num.* 314. diſtinguendo hoc modo, aut venditor pactum iniji ſciens rem eſſe alienam, aut ignorans alienam eſſe, vel obligatam: ſi primum tenetur non ſolum de euictione, non tantum ad pretium, verum etiam ad damna intereſſe, & expenſas factas in lite ab emptore, niſi in expenſis condemnatus fuerit, qui litem mouerit. *leg. emptorem* §. *fin.* vbi deciditur, eum qui nouit in ſuo fundo adeſſe ſeruitutes, & pactum iniji, ne teneatur de euictione teneri nihilominus de euictione. Ratio, quia dolus cenſetur dediſſe cauſam contractui: ſi ſecundum, videndum eſt, vtrum pactum fuerit ſpeciale, vel generale: ſi fuit ſpeciale, ideſt ne teneatur de euictione ſi res euincatur à tali perſona, vel in certa cauſa non tenetur ad pretium, nec ad intereſſe, cum illius periculum reiecerit in emptorem, nec aliter à iure decernatur. Si verò pactum fuit generale, videlicet ne venditor, qui rem alienam vendidit ignorans alienam, vel obligatam eſſe teneatur de euictione à quocunque euincatur, tenetur nihilominus ad pretium deuictare. *leg.qui libertatis ff. de euictione*. Ita Gomez 2.*variar. cap.*2. *numer.*34. Molina, & Reginaldus *locis citatis*.

An ex pacto legis commiſſoriæ contractus diſſoluatur?

BRACTEA XII.

R. PER pactum legis commiſſoriæ contractum diſſolui, v.g. quando res alicui eſt vendita ea lege, vt niſi intrà certum tempus eius pretium ſoluatur res ſit inempta, & contractus irritus & poſteà emptor intrà illud tempus non ſoluit: tunc enim ipſo facto contractus eſt nullus, ſi tamen venditor velit, quia in eius fauorem appoſitum fuit, & in hoc caſu ſi hoc pactum fuit conceptum verbis directis, fructus pertinent ad venditorem. Ratio, quia & ſi venditio fuit pura, & abſoluta, tamen ex vi pacti ita diſſoluitur, ac ſi nunquam fuiſſet, ac proinde omnes fructus ſunt reſtituendi. Si verò hoc pactum conceptum fuerit verbis obliquis, ſeu indirectis, tunc fructus medij temporis pertinent ad emptorẽ. Ratio eſt, quia tunc irritatio contractus non cenſetur retrotrahi, vſque ad tempus celebrationis, ſed fieri ſolum in poſterum, ac proinde fructus prioris temporis manent apud emptorem.

MALLEATIO XLVIII.

De pretio rerum venalium.

Quotuplex ſit pretium?

BRACTEA I.

R. PRETIVM duplex eſſe, legitimum, & naturale: legitimum illud eſſe, quod vel a poteſtate publica, ſeù a Principe, vel alio legitimo Superiore ob bonum commune eſt taxatum, Naturale illud eſſe, quod hominum æſtimatione conſtituitur, iuxtà dictamen naturalis, & humanæ rationis, conſideratis circumſtantijs rei. Ita colligitur ex Ariſtotile *lib.*5. *Aethicor. cap.*7. & ex omnibus Doctoribus.

Sciendum pretium legitimum conſiſtere in vno indiuiſibili, Naturale, ſeù vulgare, quod à communi hominum æſtimatione arbitrantium, & non tantum ſpectantium rei naturam, quam habitudines ad humanos vſus, ac voluptates, rebus vendendis imponitur; non conſiſtit in indiuiſibili, vt pretium legitimum, ſed ſuſcipit magis, & minus, & hinc, eſt quod habeat quandam latitudinem, & conſequenter tres gradus, infimum, ſeu pium, medium, ſeù moderatum, tertium ſupremum, quod etiam rigoroſum, ſeù rigidum appellatur, & omnia huiuſmodi pretia ſunt iuſta, itaque eadem res iuſtè vendi poteſt pretio infimo, mediocri, ſiue rigoroſo: & mercatores rem aliquam vendentes intrà latitudinem eius pretij non cenſentur violare iuſtitiam, quia vendunt rem pretio iuſto, nimirum pretio naturali, ſeù vulgari. Secundò vendentes aliquid ſuprà pretium rigoroſum, aut vendentes intrà infimum obligari ad reſtitutionem illius, quod acceperunt non ſeruata iuſti pretij latitudine. Tertiò, emptorem teneri dicere venditori iuſtum rei pretium, quando venditor illius eſt ignarus. Ratio eſt, quia tacendo alium decipit, & non

vo-

voluntariè ſic vendit. Tum quia, res debet iuſto pretio vendi, & emi, non emeret iuſto pretio ſi emptor venditori ignoranti iuſtum pretium non diceret, & per conſequens dolus eſſet in contractu, vnde ipſum tenetur dicere.

Vnde pretium deſumat ſuam iuſtitiam?

BRACTEA II.

R. Ivstitiam pretij tam legitimi, quam naturalis deſumi ab habitudine, quam habet ad vſus humanos, voluptates, & affectiones conſideratis alijs circumſtantijs tam intrinſecis, quã extrinſecis, ita vt illa res cenſeatur magis valere, quæ vſui humano magis inſeruit, & illa minoris, quæ minus inſeruit vſui humano, vt v. g. piper pluris valet, quam muſca, licet ſit animata, quia vſui humano magis inſeruit quam muſca: augetur, & diminuitur pretium ob circumſtantias extrinſecas, nimirum ob multitudinem, vel paucitatem emptorum ob pericula in rebus aduehendis, &c. de quibus ſuo loco dicetur.

Sciendum iuſtitiam pretij deſumendam eſſe non modo ab habitudine, quam habet res in ordine ad vſus humanos, verum etiam à tempore in quo celebratur contractus, cum res ſoleat charius vendi in principio, quam in fine Nundinarum, & mane, quam meridie ob defectum emptorum. Vnde ſi venditor veſpere venderet merces creditò pretio, quo valebant manè peccaret contra iuſtitiã, cum iam ſit forum mutatum, & iuſtitia pretij debeat deſumi à tempore, quo res venduntur. Secundò debet etiam iuſtitia pretij deſumi à loco, in quo res venduntur, non vero vbi fit contractus, quia vſus fori, & pretium iuſtum illius deſumenda ſunt in eo loco, in quo perficitur contractus: perficitur autem contractus, quando res traditur emptori, & in ipſum trãſfertur dominium. Vnde vſura eſſet vendere triticum hic Taurini pretio, quod valet Vercellis: debet autem pretium iuſtum deſumi à tempore, & loco in quo res traditur. Vnde mercatores, qui de longinquo afferunt merces, tenentur eas vendere pretio legitimo, aut vulgari illius Prouinciæ, in quam feruntur, vt vendantur, ſiue fiat cum lucro, aut cum damno illorum.

Sciendum 2. quod ſicut mutatur vſus fori, ita ad mutationem mutatur pretium vulgare mercium: mutatur autem vſus fori ob multitudinem, vel paucitatem contrahentium, vel abundantiam aut inopiam mercium, cum autem vſus fori mutatur, iuſtitia pretij ab hora, in qua contractus fuit celebratus ſumenda eſt. Vnde experientia patet, quod vna hora merces ob multitudinem emptorum pluris valent quam alia hora.

An ſolutio pretij ſit de eſſentia contractus?

BRACTEA III.

R. Solvtionem pretij non eſſe de eſſentia contractus venditionis, ſed ſolum conſtitutionem pretij eſſe de eſſentia. Quando conſtitutio pretij refertur ad tertiam perſonam contractus non cenſetur perfectus, & abſolutus, licet ſit eſſentialiter validus, donec pretium definiatur, vt ſi quis dicat vendo tibi talem agrum, quanti Petrus iudicabit valere, validè vendit. *leg. vlt. cod. de contrahenda emptione §. pretium:* ſi verò Petrus mortuus ſit, aut iudicare noluerit, reſcinditur venditio, quia non poteſt perfici contractus ob defectum alterius, & ſi aliqua gabella erit ſoluenda pro re ante cõſtitutionem pretij, vel determinationem factam à tertia perſona à venditore, & non ab emptore erit ſoluenda.

Quanta ſit latitudo trium pretiorum infimi medij, & ſupremi?

BRACTEA IV.

R. Cvm Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 347. num. 4.* Rebello *parte 2. lib. 9. quæſt. 1. ſect. 6. num. 33.* Leſſio *lib. 2. cap. 21. dub. 2. num. 11.* Filliucio *tom. 2. tract. 35. cap. 3. num. 57.* latitudinem huius pretij naturalis aliquando eſſe maiorem, & aliquando minorem; nam ſi res eſt pretioſior maior erit latitudo vt ſi res medio pretio valeat centum, ſupremum erit centum, & quinque, infimum nonageſimum; quare latitudo erit decem aureorum, & è conuerſo ſi res ſit minus pretioſa latitudo minor erit, vt ſi pretium medium fuerit decem, ſupremum, ſeu rigoroſum erit vndecimum, & infimum nonum: quare latitudo erit trium aureorum; ſunt etiam alij, qui minorem latitudinem ponunt, verum in praxi ſtandum eſt vſui fori, & conſulendi ſunt viri periti, & timorati.

Sciendum quod in foro conſcientiæ omnis venditio, in qua iuſti pretij latitudo exceditur, & omnis emptio, in qua iuſti pretii quantitas non attingitur, iniquitatem continet, ideòque per reſtitutionem ad æqualitatem reducenda eſt, niſi liberalis datio ſaltem præſumpta acceſſerit. S. Auguſt. *lib. 13 de Trinit. cap. 3.* S. Thom. *2. 2. quæſt. 77. art. 1.* Henricus Gaudenſis *quodlib. 3. quæſt. 28.* Maior in 4. *diſt. 15. num. 40.*

Quodnam pretium in contractibus ſit ſeruandum?

BRACTEA V.

R. Cvm eiuſdem rei duplex ſit pretium, vt dictum eſt quolibet pretio poteſt res vendi, cum liberum ſit contrahentibus vendere, aut emere pretio iuſto, quo voluerint. Tum etiam, quia quodlibet illorum cenſetur pretium iuſtum, & ideo quolibet poteſt res vendi, & contractus erit iuſtus, & validus. Secundò, ſi pretium legitimum erit maius pretio vulgari, res pretio vulgari debet vendi: Si verò pretium vulgare erit maius, & legitimum minus, res legitimo pretio debet vendi. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 2.* & alij. Ratio, quia pretium ſemper taxatur in gratiam emptorum, & per conſequens ſemper fauorabilius, & minus eſt eligendum: ſi verò taxetur pretium non in gratiam emptorum, ſed venditorum, ne minuatur pretium tunc legitimum eſt ſeruandum, etſi maius, quia in iſto caſu iudicium magiſtratus præferendum eſt iudicio populari, cum ad bonum commune ſit ordinatum.

Sciendum quod ſi magiſtratus mutatis circumſtantijs copiæ, vel inopiæ, &c. negligens ſit in pretio legitimo mutando, tunc licet pretium taxatum legitimum ſit in gratiam venditoris poteſt res vendi pretio vulgari cum emptor negligentia magiſtratus non debeat res charius emere. Secundò, quod quando maior pars ementium ſciente, aut conſentiente Principe, vel magiſtratu violat taxam legitimè impoſitam à Principe, vel magiſtratu impunè facit, quia tunc non cenſentur amplius obligare, cum

cenſeatur Princeps conſentire, & in lege diſpenſare: ſecus tamen ſi aliquis pignoretur ob tranſgreſſionem legis.

Quid faciendum quando pretium legitimum eſt iniuſtum?

BRACTEA VI.

R. Quando pretium à Principe, vel à Republica taxatum eſt iniuſtum nullo modo eſſe ſeruandum, cum publica poteſtas ad hoc tantum ſe extendat, vt legem ferat rationabilem, & æquam; quod ſi non erit iuſta, nulla eſt obligatio ſeruandi ipſam. Ratio eſt, quia vt dictum eſt publica poteſtas ad hoc tantum ſe extendit, vt iuſtum conſtituat pretium, & ſi eſſet iniuſtum, non obligaret in conſcientia, ſed ſatis eſſet ſeruare iuſtitiam pretij naturalis.

Sciendum, quod ſi venditores cogantur ſeruare pretium iniuſtum cum ſuo damno, vt ſe ſeruent indemnes, poſſunt de pondere, vel menſura rei, quæ venditur, quantum ſatis eſt minuere. Vnde piſtores, vel alij ſimiles, qui coguntur vendere panem, vel aliud pretio à Principe, vel à Republica taxato cum damno, ita vt illis non remaneat iuſtum, ac moderatum ſtipendium ſui laboris non peccant ſi aliquid de pondere detrahunt. Quod etiam intelligendum eſt de alijs artificibus.

Sciendum 2. quod quando res notabiliter eſt variata, quoad valorem, tunc non eſt ſeruandum pretium conſtitutum. Et ita Petrus Nauarrus *lib.* 3. *cap.*2. *num.*2. Reginaldus *num.*270. Salon. *de contract. quæſt.*77. Ex quo fit, vt ſi triticum melius ſit, quam commune liceat, tñ tranſgredi pretiũ legale, vel ſi pretium tritici tempore abundantiæ conſtitutum tempore inopiæ, etiam perſeueret venditor non tenetur ſeruare pretium taxatum. Ratio eſt, quia non eſt credibile, Principem poſita notabili mutatione, velle in eodem robore, ac uigore legem ſuam perſeuerare.

An Clerici teneantur ſeruare pretium legitimum?

BRACTEA VII.

R. Clerici, & ſi ſint immunes, & exempti v iuriſdictione ſæculari, tamen in contractibus venditionis, & emptionis debent ſeruare legitimum, aut vulgare pretium loci, in quo contrahunt, cum cenſeatur pretium iuſtum, & Clerici debeant res ſuas vendere pretio iuſto. Ita Medina *de reſtitut. quæſt.*36. Molina *diſp.*364 *num.*4. Em. Sà *verbo venditio nu.*10. Rebellus *lib.*9. *quæſt.*2. & alij. Ratio, quia æquitas poſtulat, vt in contractibus ſeruent ea, quæ ab alijs ſeruantur, & pretium iuſtum quod habetur in illo loco.

Sciendum, quod ſi Clerici taxam tranſgrediantur mortaliter peccabunt, & ad reſtitutionem non ſecus, ac laici tenebuntur, aut ſi fraude aliqua taxam deludant, vel aliud grauamen vltra pretium lege taxatum iniungant, & ſecus faciendo tenebuntur ad reſtitutionem quanti grauamen æſtimabitur. Ratio, quia iure naturæ tenentur vendere iuſto pretio: iuſtum autem pretium eſt illud, quod lege decernitur. Ita Molina *tract.*2. *de iuſtit. diſp.*3.

An ſit licitum vendere res credito pretio rigoroſo & poſteà ſtatim illas emere pretio infimo, vel medio?

BRACTEA VIII.

R. Cum Rebello *lib.*9. *quæſt.*7. *num.*7. Leſſio *lib.*2. *cap.*21. *dub* 16. *num.*11. Reginald. *lib.*25. *num.* 296. Layman *lib.*3. *ſect.*5. *tract.*4. *cap.*16. *num.* 18. Toleto *lib* 5. *cap.*31. *num.*30. Sala *tract. de emptione, & vendit. lib.*27. *num.*2. Nauarr. *lib.*3. *cap.*2. *num* 17. affirmatiuè. Ratio, quia adeſt iuſtitia in tali contractu, & cum res ematur, & vendatur iuſto pretio.

Sciendum, quod ſi in tali contractu venditor iniret pactum cum emptore, vt rem emptam iterum ſibi vendat infimo, vel medio pretio contractus eſſet iniuſtus, & vſurarius ob obligationem appoſitam reſtringentem libertatem emptoris. Molina de *Iuſtit. tom.*2. *diſp.* 316. *num.*2. & omnes. Secundò, licitum eſſe venditoribus, & ementibus ſe decipere intrà latitudinem iuſti pretij. Ita Petrus Nauar. *lib.*3. *de reſtit. cap.* 10. *num.* 10. propterea intra latitudinem trium pretiorum naturalium res vendi poteſt chariùs vni quam alteri, ſicuti intra eandem latitudinem poteſt res vlm chariùs vendi credita quam numerata pecunia. Petrus Nauarrus *loco cit. nu.*2. Couar. 2. *var. cap.*3. *num.*2. Reginald. *lib.*25. *num* 309. Rebell. 2. *part. lib.*9 *quæſt.*2. *ſect.*2. Tertiò, licet ſit licitum in foro externo ſe decipere quando non exceditur dimidiũ iuſti pretij, non tamen ſequitur, decipientem intrà dimidium iuſti pretij excuſari in foro conſcientiæ ab obligatione reſtituendi, nam in foro conſcientiæ reſtituendum eſt acceptum ſupra æqualitatem cum nullo iuſto titulo retineri poſſit, quamuis in foro externo non concedatur actio, niſi adſit læſio vltrà dimidium. Ita Molina. *diſp.* 350. *num.*3. vnde ſi quis equum valentem triginta vendat quinquaginta, dicitur lædere vltrà dimidium quia vendit ultra dimidium pretij mediocris, & moderati.

An liceat aliquando pluris vendere, vel minoris emere, quam res valeat pretio legitimo vel naturali.

BRACTEA IX.

R. Regulariter res tanti vendi poteſt, quanti valet iuxtà taxam Principis, vel pretium vulgare quando res non excedit in bonitate alias. Ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 350. *num.* 33. Reginald. *lib.*25 *num* 288. Siluester *verbo emptio num.*9 Em. Sà *verbo emptio num.* 2. & alij. Ratio, quia inter rem, & pretium debet ſeruari æqualitas, quæ non ſeruaretur, ſi res pluris venderetur, quàm valet.

Sciendum, quod vendentes aliquid ſuprà pretium rigoroſum obligantur ad reſtitutionem, quia exceſſus illius pretij non poteſt retineri, cum ſit inuoluntariè datus, & non titulo venditionis. Vnde cum ille exceſſus ſuperet æqualitatem, & valorem ipſius rei non poteſt in conſcientia retineri, niſi conuenienti modo conpenſetur, ſed eſt reſtituendum ei, à quo fuit acceptum. Quod idem dicendum eſt de emente, ſi infrà pretium infimum aliquid emat, cum in contractibus ſeruari debeat pretium legitimum, aut vulgare, & in foro conſcientiæ non ſit licitum vt dictum eſt, decipere niſi intrà latitudinem iuſti pretij, & licet in foro externo non detur actio ad reſcindendam venditionem, niſi quando quis deceptus

eſt

eſt vltra dimidium, ne multiplicentur lites, tamen in foro conſcientiæ obligatur ad reſtitutionem, qui contrahentem decipit ſupra pretiũ rigoroſum. Quod ſi venditor præſumeret exceſſum pretij datum ſibi eſſe ab emptore, tunc in conſcientia illud retinere poſſet, ex multis capitibus poteſt cognoſci, an exceſſus ſit illi datus: primò, quando vterque contrahentium eſt perſona ſagax: ſecundò, quando non datur neceſſitas emendi: tertiò, quando inter contrahentes intercedit aliqua coniunctio, vel amicitia: quartò, quando non interuenit dolus, aut metus, &c. Leſſius *lib.2.cap.2.dub.4.* Rebellus *lib.9.quæſt.2.ſect.1.* Rodriquez *par.1.cap.77.num.7.* & alij.

R. 2. Eſſe aliquas cauſas, ob quas licitum eſt rem pluris vendere, quam valet, vt v. g. ratione officij mercandi, &c. Verùm ſi ille, qui vendit ex occaſione, tantum exigat, quantum ſolent mercatores, non facit iniuriam emptori, modò res ſit æquè bona, quia poteſt eam vendere pretio currenti, etiamſi ipſe eas coras, & impenſas non habuerit, quas mercator. Secunda, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vt quando emens, vel vendens ex rei emptione, & venditione patitur aliquod damnum, vel etiam ratione peculiaris affectus, quem habet ad rem, quam vendit, poteſt ipſam chariùs vendere. Tertia cauſa, eſt ratione laborum, & expenſarum, quas venditor ſubit in rebus illis acquirendis, aduehendis, & conſeruandis, ſunt & aliæ cauſæ, de quibus ſigillatim infra dicetur.

An liceat vendere creditò pretio currenti, tempore ſolutionis?

BRACTEA X.

RNON licere venditori vendere creditò pretio currenti tempore ſolutionis, ſi non erat ſeruaturus merces eo tempore; poſſe pretio currenti tempore ſolutionis vendere, ſi vſque ad id temporis eas erat ſeruaturus: ſed tunc de pretio dedocendæ erunt expenſæ, quæ faciendæ erant pro ipſis conſeruandis, & compẽſanda pericula, ſi quæ probabiliter timebantur ex earum conſeruatione, & habenda etiam erit ratio pretij, quo res eo tempore æſtimarentur, ſi vſque tunc eſſent ſeruatæ, vide Molinam *diſput.355.* Medinam *de reſtitut: quæſt.38.* Rebellum *par.1.lib.9.quæſt.11.* Arragon.2.2.*quæſt.77.art.4.* Salon.*ibidem controuerſ.22.*

An qui vendit ex officio, poſſit maiori pretio vendere merces, quam alij, qui non ex officio, ſed ſua ſponte aliquid vendunt?

BRACTEA XI.

SCOTVS *in 4 diſt.19.qu.2.art.2.* tenet vendentem ex officio poſſe chariùs vendere quam alij; Sed. Reſp. Mercatores quicumque, ſiue vendant ſua ſponte, ſiuè rogati, ſuas merces non poſſunt eas chariùs vendere, quam pretio currenti, ſiuè illud ſic à lege taxatum, ſiue non. Ratio eſt; quia hæc duo tantum pretiorum genera iuſta ſunt, nulli autem licet vendere, niſi pretio iuſto. Salonius 2.2.*quæſt.77.art.3.* & alij. Secundò, quod mercatores Reipublicæ, obligati ad vendendum aliquod genus mercium proprijs ſumptibus quærendũ, poſſunt paulò pluris vendere, quam ab alijs vendi ſolet, qui non ex officio aliquid vendunt. Ratio, quia vendentes ex officio tenentur habere merces paratas omnibus volentibus illas emere, poſſuntque à Republica ad id compelli: ergo pro hac obligatione, quæ adeò eſt neceſſaria Reipublicæ, vel ſaltem maximè vtilis, & pretio æſtimabilis, ad quam explendam egent expẽſis, quas non faciunt alij, qui non ex officio, ſed ex occaſione aliquid vendunt, poterunt aliquid amplius exigere, quam alij; modò ipſis non ſit certum pretium pro pondere, & menſura à Republica taxatum. Ita Bannes 2.2.*quæſt.67.art.4.* Medina *Cod.de reſtitut.quæſt.31.* Leſſius *lib.2.cap.21.dub 4.* & alij. Tertiò, quod mercatores, qui coniunctim emunt, vt alijs minuratim vendãt, poſſunt chariùs, quam alij vendere. Ratio eſt, quia huiuſmodi negotiatores habere debent domos locatas, miniſtros, & famulos, alioſque ſumptus facere, quibus merces illas affectuatas ſic vendant. Ita Salonius *tom.2.de contract.quæſt.3.art.3.*

An ignorantia valoris rei, quæ emitur, ſit cauſa ſufficiens diminutionis pretij?

BRACTEA XII.

RIGNORANTIAM vtriuſque contrahentium virtutis, aut valoris rei, quæ emitur, eſſe cauſam ſufficientem diminutionis pretij, dummodo talis ignorantia ſit inuincibilis, & non adſit dolus dans cauſam contractui emptionis. Ratio, quia, quando vendens pretium, quod recipit, putat eſſe iuſtum, & emens etiam quod confert, nulla eſt deceptio, cùm laborent ignorantia inuincibili, quæ excludit omnem deceptionem.

Sciendum, quod venditor cognoſcens poſtea ſe fuiſſe deceptum poſſe repetere exceſſum, & emptor tenetur poſtea ipſum reſtituere, niſi forſan emptor tanto tempore bona fide retinuerit, quod ſufficiat ad præſcribendum, quia tunc non obligatur amplius ad reſtitutionem.

An venditor ſciens pretium mercium breuiter diminuendum eſſe, poſſit eas vendere pretio currenti?

BRACTEA XIII.

RPOSSE venditorem merces, v. g. triticum vendere pretio currenti, non modò ſi ſciat breuiter diminuendum eſſe pretium, ob ſuperuenturam magnam copiam tritici, ob quam eius valor paulò poſt minuetur, verùm etiam ſi ſciret ſuper hoc iam conditum à Magiſtratu decretum, ſed nondum promulgatum de diminutione pretij tritici. Ratio, quia vtitur iure ſuo; & ita ſentire videtur Leſſius *lib.2.cap.21.dub.5.num.40.* Reginaldus *lib.25. num.245.* Angelus *verbo vſura num.76.* Silueſter *verbo vſura quæſt.19 num 5.* Ratio primæ partis eſt, quia res iuſtè vendi poteſt, iuxta communem æſtimationem pro tempore vigẽtem, nam iuſtum pretium eſt, quod vel Principis lege, vel communi ęſtimatione conſtat, & priuata ſcientia venditoris communem ſenſum, & æſtimationem non mutat; ſicut nec priuata ſcientia emptoris illum mutat, alioquin emptor non poſſet emere pretio currente, ſi ſciret poſtea pretium valdè augendum, quod falſum eſt: ergo, &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia decretum Principis, vel Magiſtratus nondum promulgatum non obligat; licet peccet

vendo ſcientia decreti conditi, ſed nondum promulgati, ſi de mercibus diſtraheret plus, quam erat ſolitus diſtrahere. Ita Layman *lib.3.tract.4 cap.15.§.1. num.9.*

Sciendum maximum dubium eſſe de eo, qui vt ſe ipſum diſtaret occaſione huius ſuperuenturæ copiæ plus mercium diſtraheret, quam alioqui erat diſtracturus. Conradus *de contractibus quæſt.62 & 63.* Medina *Cod.de reſtitut.quæſt.35.* Gabriel. *in 4 diſt.15.quæſt.11.* Rodriquez *par.2.cap.81.num.10.* & alij aſſerunt venditorem debere rem manifeſtam facere, vel minuere de pretio non quidem tantum, quantum futurus eſſet defectus pretij, ſi copia illa eſſet præſens, ſed quātum minoris æſtimarentur, ſi omnes prædictā abundantiam mercium futuram cognoſcerent. Ratio eſt, quia ſi ſciuiſſet emptor breui tempore magnam mercium copiam venturam, proculdubio aut non emiſſet, aut non tanti, ſed expectaſſet futurum tempus; ergo emptio eſt inuoluntaria.

At D.Thomas *2.2.quæſt.77.art.3.* Caietanus *ibidem* Sotus *lib.6.quæſt.3 art.2.* Arragonius *2.2.quæſt.77.art.3.* Siluester *verbo emptio quæſit.15.* Bannes *2.2.quæſt.67.art.3.* Valentia *tom.3.diſput.5.quæſt.20.pun.4.* Molina *diſput.353.* & alij negant venditorem id debere dicere, ſed poſſe res ſuas abſque iniuſtitia vendere pretio currente. Ratio eſt, quia ſatis eſt, ſi venditor pretio vſitato vendat, nec cogitur, quod nouit de mercibus non aduehendis emptoris dicere, quia non eſt vitiū, quod in ſuis mercibus inſit.

R. Quod mercator ſciens futuram magnam copiam mercium, & non ſolùm vendit res ſuas pretio currenti, ſed etiam plures earum exponit, vendendas, neque ipſa vendit, quam alioquin foret, venditor non peccat contra iuſtitiam, neque ad aliquam reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia iuſtum pretium nō ex priuata vnius, vel duorum pendet æſtimatione: ſed vel Principis lege, vel cōi hominū æſtimatione, ſed in noſtro caſu per publicam, & communem hominum æſtimationem eſt taxatū pretium rerum; ergo illud eſt habendum pro iuſto, & vero, non obſtante quacumque alia particulari cognitione. Et ita D. Thomas, & auctores ſupra citati.

An damnum emergens, aut lucrum ceſſans, ſit ſufficiens cauſa augendi pretium?

BRACTEA XIV.

R. Mercatorem, qui ex venditione rei patitur damnum emergens, vel lucrum ceſſans poſſe rem pluris vendere, quàm valeat. Ita Nauarrus *cap.23.num.83.* Siluester *verbo emptio quæſt.6.* Leſſius *lib.2.cap.22 dub.4.num.26.* & alij. Ratio, quia mercator non tantum vendit rem nudam, ſed etiam ſuum commodum, vel damnum: vnde poteſt in venditione exigere æſtimationem illorum, præter pretium legitimum rei. Vnde ſi quis alteri vendit triticum, quod ſeruaturus erat menſe Maij, in quo pluris venditur, poſſe vendere illud pretio, quo valebit mēſe Maij deductis expenſis, & laboribus, dummodo verè ſeruaturus eſſet ipſum vſque ad illum menſem, Leſſius *loco citato*, Molina *diſput.355.* vt communiter omnes.

Sciendum non poſſe venditorem, qui vendit triticum ante tempus, quod decreſcat conuenire cum emptore, vt ſoluat plus ſi pluris valebit; non autem minus, ſi minoris valebit tempore, quo ipſe erat ſeruaturus. Ratio, quia tale pactum cenſetur contra iuſtitiam contractus venditionis, cum vendens non ſit in periculo ſicut emptor, & de natura contractus venditionis eſt, vt contrahentes ſint pares in periculo lucri, & damni, & in iſto contractu melior eſt conditio venditoris, quam emptoris. Secundò, quod ad iuſtitiam huius contractus requiruntur infraſcriptæ conditiones, vt poſſit venditor aliquid accipere ratione lucri ceſſantis: prima eſt, ſi mercator erat alioqui merces ſuas venditurus pecunia numerata: ſecūda, ſi venditor erat aliàs pecunias pro ſuis mercibus accepras negotiaturus: tertia, ſi non habeat aliam pecuniam otioſam, qua poſſit negotiari: quarta, vt rogatus eſſet à lucro, ideſt vt mercator nonniſi ex conſenſu alterius contrahentis pecuniam à lucro diuertat: quintò, vt non exigat lucrum rigidè, ſed moderatè ad arbitrium prudentis, & tantum quanti æſtimatur illud lucrum in ſpe: ſexta, ſi pretium minuat ratione periculorum, quæ in negotiatione ſubiturus erat, & impenſarum in ea faciendarum, habeaturque ratio diminutionis mercium, quo in earum conſeruatione interuenire debebit: ſeptima, vt probabiliter ſperetur lucrum iuſtum.

An labores neceſſarij ſint à lucro ceſſante deducendi?

BRACTEA XV.

R. Labores neceſſarios ad aſſecutionem lucri ceſſantis non eſſe à recompenſa lucri ceſſantis deducendos, quando quis non ſpontè, ſed coactus ceſſet à lucro, ſicut mercenarius cuius diarium diurnum ſunt duo libræ prohibitus ab aliquo non laborare, non tenetur deducere laborem à mercede, ſed integram accipere: dubium autem eſt, quando ſua ſponte, & rogatus vendere pecunia credita ceſſat à lucro. Palatius *lib.4 de contractibus*, Siluester *verbo vſura 1.quæſit.19* & alij, docent omnes eſſe deducendos. Contrariam ſententiam tenent Sotus *lib.6.quæſt.1.art.3.* Bannes *2.2.quæſt.78.art.2.* & alij, quia ſi vendens pecunia credita non laborat, hoc prouenit ex parte ementis impedientis negotiationem illam, & ideò poterit vendere proprium otium damnificatiuum rei familiaris; Sed

R. Iuxta Molinam *diſput.316.* hanc opinionem eſſe veram in caſu, quo iſte labor talis eſt, vt is, qui ceſſat à negotiatione, nolit illum pecunia redimere, quia non minus otium, quam labor ei diſplicet.

An liceat chariùs vendere ob periculum, cui mercator ſe exponit non recuperandi pretium?

BRACTEA XVI.

R. Vendens aliquid creditò, ſi probabiliter timet, amiſſurum pretium licitè poteſt pro illo periculo expoſcere aſſecutorem, vel fideiuſſorem, vel etiam vendere merces aliquantulum ſupra pretium rigoroſum. Ratio primæ partis eſt, quia licet vnicuique ſe ſeruare immunem à periculo, & indemnem ad contrahendum pecunia credita. Ad ſecundam reſpondeo cum diſtinctione pro periculo intrinſeco non licere aliquid accipere ſupra pretium rigoroſum nimirùm ob effectus caſuales, vel fortuitos. Ratio, quia is, qui vendit ad creditum ex natura contractus ſubijcit ſe eiuſmodi caſibus, & periculis, & alia incommoda ſuſtinere compellitur: ob periculum verò extrinſecum, & accidentale ortū ex natura, & ex conditione, & ingenio emptoris, nimirùm

mirum quia eſt fraudulentus,&c.ratione huius periculi poſſe aliquid petere vendentem expectata ſolutione ; quia quamuis ſolutionem expectare non ſit venale, nec pretio æſtimabile, rem tamen ſuam pro altero exponere tali periculo perdendi venale eſt, pretioque æſtimabile: ergo poterit vendere, & pro illo pretium accipere. Quod tamen intelligendum eſt, quando periculum eſt verum, & non fictum, & vt venditor non cogat emptorem, vt ſe potius, quam alium pro periculo ſuſtinendo accipiat, & nõ vt plus accipiat, quam ipſe libenter alteri daret ad ſimile periculum redimendum, ſi neceſſe foret.

An qui vendit creditò vſque ad talem terminum, poſſit aliquid vendere ſupra pretium rigoroſum ratione impenſarum, quas probabiliter timet ſe facturum in repetendo pretio?

BRACTEA XVII.

R. Poſſe mercatorem ratione periculi expenſarum, & laborum extraordinariorum merces ſuas charius iuſto pretio vendere, quam ſecundum ſe valeant, poſſeque cum emptore conuenire de huiuſmodi periculo dupliciter: primò indeterminatè, nempè vt debitor teneatur ſoluere pro expenſis, quantum euentus poſtea patefecerit, ita vt ſi poſtea ex euentu deprehenſum fuerit, pretio non ſoluto, expenſas aſcendiſſe ad pretium decem aureorum teneatur pro eis ſoluere decem: ſecundò determinatè, nempè ſtipulando à principio cum emptore, vt aliquid determinatè promittat pro periculo expenſarum, & laborum, cui venditor ſe exponit, etiamſi nullus deinde patiatur expenſas, vel labores in recuperando pretio, ſed ſatis eſt, quod eas probabiliter timeat in principio contractus. Ita Valentia *tom.3. diſp. 5. quæſt.2.pun.2.* Leſſius *lib.2.cap.21 dub.6.* Nauar.*cap.23. num.83.* & alij apud Leſſium *loco citato*; requiruntur tamen hæ duæ conditiones; prima, vt periculum ſit probabile, & non fictum; ſecunda, vt non cogatur emptor paciſci de periculo expenſarum, ſed relinquatur in ſuo arbitrio, An velit ſoluere per fideiuſſorem expenſas omnes, &c.

An affectus venditoris ad rem venditam poſſit eſſe cauſa, vt pluris vendatur?

BRACTEA XVIII.

R. Affectum venditoris ad rem aliquam poſſe eſſe cauſam, vt pluris vendatur. Ita Leſſius *lib 2.cap.21.dub.4. num.27.* Rebellus *2. par.lib.9.quæſt 1.ſect.7.* Medi. *a de reſtitut.quæſt. 21.* Nauarrus *cap 23 num.8.* & alij. Ratio, quia affectus eſt appretiabilis pecunia. Vnde ſi quis habeat aliquam gemmam, aut equum valdè carius, & rogatus fuerit ab aliquo ad eum vendendum poſſe charius vendere, quam alius venderet rem ſimilem; ſecus autem dicẽdum de affectu emptoris ad rem, quam vult emere, qui cum non pertineat ad rem, per conſequens ob talem affectum res non poteſt charius vendi. Secundò, ſi affectus venditoris ad rem non ſit realis, ſed ſolùm imaginarius, quia putat ex nimia cupiditate rem ſuam pluris valere non poſſe ex illo affectu imaginario rem pluris vendere, quam valeat. Ita Leſſius *loco citato*, & alij cõmuniter. Ratio, quia affectus inordinatus, & à ratione alienus potius eſt corrigendus quam pretio ſoluendus. Secundò, vt dictum eſt affectus emptoris ad rem non eſt ratio, cur pluris vendatur, & ſi pluris venderetur, venditor obligatus eſt ad reſtitutionem. Ita D. Thomas *2.2 quæſt.87.art.1.* Nauarrus *cap.23.num.83* Leſſius *loco citato*, Rodriquez *par.2.cap.77.* & alij. Ratio conſtat ex ſupradictis, quia talis affectus non eſt aliquid vendentis, ſed ementis; & per conſequens cum non ſit res vendentis, non poteſt pluris vendi.

An liceat charius iuſto pretio vendere pecunia credita quam numerata?

BRACTEA XIX.

R. Non poſſe aliquid vendi ſupra pretium rigoroſum ex eo, quod non venditur pecunia numerata, ſed credita. Ratio eſt, quia eſſet vendere rem pluris, quam valet tempore venditionis; ergo non licet fieri, tum quia dilatio ſolutionis eſt quædam tacita, & palliata mutuatio, & ſicut pro mutuatione nihil licet accipere ſupra ſortem, quia in hoc conſiſtit iniquitas vſuræ; ergo neque pro dilatione ſolutionis licet aliquid vendere vltra pretium rigoroſum. Ita D. Thomas *2.2.quæſt.78.art.2.* Caietanus *ibidem*, Sotus *lib.6.quæſt 4 art.1.* Nauarrus *cap.17. num. 243.* Rebellus *lib.9.quæſt. 11.* & omnes communiter.

An ſi res vtilior ſit vendenti, quam ementi poſſit charius vendi?

BRACTEA XX.

R. Quando res, quæ venditur, eſt vtilior venditori, quam emptori poteſt ab ipſo charius vendi. Ratio, quia ob illam vtilitatem cenſetur res magis valere, & per conſequens pluris poſſe vendi. Secundò, quia non modo res ipſa, ſed ipſa vtilitas vendentis venditur, quæ pretio æſtimabilis eſt: ergo, &c.

R. 2. Ob neceſſitatem, ſi venditor cogatur vendere non poſſe emptorem diminuere pretium, ſicut nec etiam ob neceſſitatem venditor poteſt augere pretium, niſi liberalis donatio interueniat, qui tamen neceſſitatis caſus facilè præſumi non poteſt. Ita Henricus Gandanenſis *quodlibet 14. quæſt.14* Layman *lib 3 de pactis, & contract. ſect 5.tract 4.cap 3 §.1.* & alij. Tertiò, ob ſpecialem commoditatem, quam emptor ex re empta, vel ob fortunam, & induſtriam ſuam percipere poteſt, non eſſe rationem augendi pretium, quia nemo ſuam commoditatem emere cogitur, ſecundum doctrinam D. Thomæ *2.2.quæſt.77.art.1.* Nauarri *cap.23.num.83.* Leſſij *lib.2.cap.21.dub.4.num.30.* & aliorum.

An res, quæ non habent pretium legitimum, vel vulgare, vt gemmæ, falcones, &c. poſſint vendi quanti volet Dominus?

BRACTEA XXI.

S. Otus *lib 1. de iuſtit. quæſt. 3. art. 3.* Emanuel Sà *verbo venditio num. 14.* Bannes *2.2. quæſt. 77. art. 1.* Valentia *tom.3.diſput.5.quæſt.2.pun.2.* Reginaldus *lib.25.num.289.* Petrus Nauarrus *lib.3. de reſtitut. cap. 2.*

do annexa, vt iudicio prudentum æſtimetur ſolùm quinquaginta, tunc poteſt emi quinquaginta, etiamſi emptor probabiliter exiſtimet integram ſolutionem habere ob aliquam cauſam; hoc enim ad bonam ipſius fortunam pertinere exiſtimandum eſt. Ita Molina *diſp.*361. Leſſius *lib.*2 *cap.*21. *dub.*10.

An creditor ſciens debitorem ſuum non eſſe ſoluendum, poſſit creditum vendere ignoranti?

BRACTEA XXXI

R. Creditorem non poſſe vendere alteri creditum ſui debitoris, quẽ ſcit non eſſe ſoluendum, Ita Leſſius *lib.*2. *cap.*2. *dub.*10. *num* 81. & alij. Ratio, quia vendit rem cum defectu notabili in ſubſtantia, & per conſequens cum hoc vitium ſit, intrinſecum eſt manifeſtandum. Tum quia adeſt dolus dans cauſam contractui; tum etiam quia ius creditoris in debitorem non ſoluendum, æquiparatur iuri colligendi fructus ex agro ſterili, & ſicut tale ius fructuum agri ſterils non poteſt vendi eo pretio, quo ius in agro fertili, ita ius in illum, qui non eſt ſoluendus. Ita Leſſius *loco citato*.

An ob dilatam ſolutionem liceat chariùs vendere rem, quam valeat?

BRACTEA XXXII.

R. Intra limites iuſti pretij licitum eſt rem chariùs vendere ob dilatam ſolutionem. Ita Leſſius *cap.*21. *dub* 6. & alij, & per conſequens ob dilatam ſolutionem res vendi poteſt pretio rigoroſo: ſupra pretiũ rigoroſum ob dilatam ſolutionem non licet aliquis plus vendere. Ita Leſſius *loco citato*, & omnes Doctores communiter cum eo. Ratio, quia dilata ſolutio cenſetur eſſe implicitum mutuum: pro mutuo autem ſimplici nihil poteſt accipi vltra ſortem, niſi adſit lucrum ceſſans, aut demergens. Tum etiam ob alias rationes ſupra allatas.

Sciendum, quod licet ſimpliciter ob dilatam ſolutionem nihil poſſit accipi extra pretium rigoroſum; tamen poteſt venditor rem chariùs vendere intra latitudinem pretij iuſti, vt v.g. ſi pretium mediocre tritici ſint duæ libræ, & pretium rigoroſum ſint duæ libræ cum quinque ſolidis, dilata ſolutione poterit vẽditor triticum vendere pretio rigoroſo, nimirùm duabus libris, & quinque ſolidis, & pluris non poterit iuſtè vendi, & ſi vendatur, erit obligatio reſtituẽdi. Secundò plures eſſe caſus, in quibus venditor poteſt pluris rem vẽdere pretio rigoſoſo: primò, ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quia ſicut omnes concedunt ob mutuum licere aliquid accipere vltra ſortem ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis, ita etiam licere dilata ſolutione pluris vẽdere pretio rigoroſo. Vnde mercatores tritici, qui decreſcente pretio tritici ob ſuperuenientem pluuiam, à qua anni fertilitas pendet, vendunt expectata ſolutione pretio, quo valebat tempore ſiccitatis; iniuſtè agunt, cum ſit magis quam vendere pretio rigoroſo, & obligantur ad reſtitutionem. Similiter qui in fine nundinarum, quo tempore ob emptorum penuriam merces minoris valent, quam in principio, tamen dilata ſolutione tanti vendunt, quãti in principio nundinarum valebant, iniuſtè vendunt, cum ſupra pretium rigoroſum vendant, & obligati ſunt ad reſtitutionem exceſſus pretij.

An quis poſſit vendere aliquid vltra iuſtum pretium conditione, vt emptor id ſoluat, cum vxorem duxerit?

BRACTEA XXXIII.

R. Posse concurrentibus conditionibus enumeratis à Patre Megala 2. 2. *lib.*2. *cap.* 6. *qu.*4. *num.*139. primò, vt periculum ſit reale, non imaginarium: ſecundò, vt ſit graue: tertiò, vt fiat ſine ſcandalo ob ſuſpicionem palliandi vſuras: quartò, vt manifeſtetur emptori ratione periculi emendi vltra iuſtum pretium: quintò, vt augmentum pretij ſit proportionatum periculo, & cum in iſto caſu adſit periculum amittendi capitale, non ſolùm ob mortem emptoris, ſed etiam quia fieri poteſt ob multa, quæ contingere poſſunt, vt ipſe vxorem non ducat, ſequitur cõtractum eſſe licitum. Secundò poſſe rem ſuam aliquem vendere eo pacto, vt emptor eam alteri vẽdere nequeat, Ratio eſt, quia hujuſmodi pactum non eſt contra naturam, ſed præter naturam contractus emptionis. Et ita colligitur ex *leg. qui fundum ff. de contractu emptionis.*

An mercator, qui non erat merces ſeruaturus vſque v.g. ad menſem Maij, poſſit eas vendere dilata ſolutione pretio, quo valebunt menſe Maij?

BRACTEA XXXIV.

R. Non eſſe licitum venditori vendere merces pretio, quo valebunt menſe Maij, ſi vſque ad id temporis ipſas non erat ſeruaturus. Ratio eſt, quia res debent æſtimari ſecundum quod vſui humano accommodantur: ſed merces non erant gubernandæ, & vſui humano applicandæ tempore mẽſis Maij, ſed in præſenti; ergo debent vendi pretio, quo æſtimantur in præſenti, & non pretio, quo æſtimabuntur tempore menſis Maij. Secus verò dicendum eſt, ſi eas ſeruaturus erat tempore Maij, quia de præſenti poteſt eas vendere pretio, quo valebunt tũc temporis concurrentibus tamen iſtis conditionibus: prima, vt venditor habeat animum ſeruãdi merces vſque ad illud tempus; ſecunda, vt merces talis ſint naturę, vt poſſint ſeruari vſque ad tale tempus: tertia, vt de pretio deducatur tantum, quantum ſeruarentur ob aridirarem, aut quacumque alia de cauſa diminutum fuiſſet iuxta expertorum iudicium: quarta, vt deducantur ex pretio, quo res illæ vendûtur valituræ tempore illo, ad quod ſeruantur omnes labores, pericula, & expenſæ neceſſariæ: quinta, vt rogatus vendat, nec ſe ipſum ingerat, vel offerat, ideſt vt nonniſi de conſenſu alterius contrahentis hoc faciat: ſexta, ne paciſcatur pretium rigoroſum, quo illo tempore valebunt, ſed pretium medium: ſeptima, vt taxatio pretij perinde fiat, ac ſi res illæ non eſſent antea venditæ, ſed ſeruatæ vſque ad illud tempus.

An venditor ſeruaturus triticum vſque ad aliud tempus poſſit de præſenti taxare pretium ſoluendum tunc temporis?

BRACTEA XXXV.

R. Possa taxare de præſenti dummodo vterque contrahentium probabiliter ſe exponat periculo damni, vel commodi periculo ſcilicet maioris, vel minoris pretij; & ſic poterit illud vendere eo pretio, quo plus, vel minus illo tempore putatur valiturum, ideſt pretio medio, vt v. g. granum ſeruandum modo tempore traditionis valet tres libras, & putatur quod in futurum valebit quinque, poteſt detracta æſtimatione custodiæ, periculi, & corruptionis, & de præſenti determinari certum pretium, nimirum quinque libræ, licet ſecurius eſſet de præſenti non determinare pretium, ſed relinquere illud incertum vſque ad tempus, in quo venditor illud determinabat vendere.

An mercator, qui volebat transferre merces in locum, vbi pluris valebant poſſit eas hic vendere pluris pretio iuſto.

BRACTEA XXXVI.

R. Venditorem, qui hic vendit merces, quas decreuerat transferre in alium locum, vbi pluris valent poſſe hic vendere pretio, quo valent in illo loco, detractis tamen expenſis, & periculo tranſportationis, dummodo tamen rogatus hic eas vendat, & non ſponte propria, quia ſi non rogatus eas venderet, ſed ſponte non poſſet vendere eas niſi pretio currenti, quo hic valent. Ratio primæ partis eſt, quia quem admodum mercator, qui erat ſeruaturus merces ad tempus, quo pluris valituræ erant poteſt tuta conſcientia pluris vendere, ſi rogatus eas vendat, ſic etiam aſportaturus merces ad locum, vbi plures æſtimantur, poteſt charius vendere, quam valeant in loco, vbi eas vendit. Ita Molina *diſp.* 364. Secundo dubium eſſe, an qui emit triticum tempore quo charius valet, nempe tempore hyemis recipiendum tamen tempore æſtatis quo vilius æſtimabitur poſſit illud vilius mercari, quam valet tempore hyemis quando emit. Ad quod reſpondeo poſſe: Ratio eſt, quia iuſtum rei pretium ſumendum eſt ex eo tempore, & loco, in quo actio, & re ipſa perficitur contractus venditionis: hic autem perficitur, & impletur quando res ipſa ſcilicet traditur, vel ſaltem tranſit in plenum dominium emptoris; ergo cum in caſu poſito triticum iſtud non traditur emptori vſque ad æſtatem æſtimandum erit, & conſtituendum illi pretium, quod fuerit in æſtate. Bannez. & Arragonius 2. 2 *quæſt.* 77. *art.* 4. & ita definitur in *cap. nauigantis de vſuris*.

An vendentes credito merces in magna quantitate, poſſint eas vendere pluris, quam ſi venderentur minutim pecunia numerata

BRACTEA XXXVII.

R. Vendentes credito ſimul in magna quantitate merces pluris, pretio, quo minutim venderentur pecunia numerata peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem ſi excedant pretium rigoroſum. Ita Petrus Nauar. *lib* 7. *cap.* 2. *n.* 42. Reginald. *lib.* 2. *num.* 82. & alij communiter. Ratio quia ſic vendendo credito nimis venderentur, & regulariter res, quæ minutim venduntur charius venduntur, quam ſi venderentur in magna quantitate. Secundo credito vendentes in magna quantitate merces pretio, quo numerata pecunia venderentur minutim, non peccare. Ratio quia illud pretium cenſetur iuſtum, & per conſequens quando res credito venditur eodem pretio iuſte venditur. Tum etiam quia licet quando res minutim venditur pluris vendatur, quam ſimul, tamen ex eo, quod ſimul venditur credito eodem pretio poteſt vendi, & contractus venditionis eſt licitus, & iuſtus. Tertio qui vendit frumentum corruptum ad ſeminandum, obligari ad reſtitutionem damni ſequuti. Ratio quia datur dolus dans cauſam contractu cum damno emptoris, qui cenſetur rationabiliter inuitus. Molina *diſp.* 353. *concluſ.* 4. *num.* 12. Quod etiam dicendum eſt de eo, qui vendidit ouem morbidam non manifeſtato vitio, & ſeruum fugitiuum etiam non manifeſtato vitio, qui *lege omnes* obligantur ad reſtitutionem.

An indigentia emptoris ſit cauſa ſufficiens augendi pretium?

BRACTEA XXXVIII.

R. Indigentiam communem emptorum eſſe rationem ſufficientem augendi pretium rei, quæ venditur ſupra pretium rigoroſum. Ita Reginaldus *lib.* 25. *num.* 273. Petrus Nauar. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 20. & alij. Ratio quia indigentia communiter eſt cauſa multitudinis emptorum, quæ facit vt res charius vendatur. Secundo particularem indigentiam vnius emptoris non eſſe rationem augendi pretium. Ita Reginaldus *loco citato*, & alij. Ratio quia ſequeretur rem poſſe charius pauperi, quam diuiti vendi. Tum etiam quia ſicut non eſt ratio minuendi pretium, quia emptor non indigeat re, ita etiam indigentia vnius, vel paucorum non erit ratio augendi pretium. Tum etiam quia indigentia emptoris non eſt in venditore, quod ab ipſo poſſit vendi. Tertio qui ſuas merces vendit cum pacto ſaltem implicito, vt emptor non alteri, quam ſibi viliori pretio reuendat contractus eſt iniuſtus, & vſurarius ob pactum appoſitum. Ita Rebellus *l.* 7. *quæſt.* 7. Nauar. *cap.* 23. *num.* 81. Rodriquez *part.* 2. *cap.* 81. & alij. Ratio quia hic contractus non eſt aliud, quam mutuum habens admixtum lucrum, & obligationem retrouendendi. Tertio ſi mercator animo reali, & recto merces vendit credito indigenti abſque pacto minoris redimendi, & poſtea ex voluntate libera emptoris eaſdem merces pretio infimo vendit, contractus eſt iuſtus, cum habeat omnia requiſita ad iuſtitiam huius contractus, & nullum adſit pactum reſtringens libertatem contrahentis. Tum etiam quia vtraque venditio eſt iuſta, licet vna fiat pretio rigoroſo, & altera infimo, quia in vtraque res venditur, & emitur pretio iuſto.

cum vſura, cum illud incrementum, quo res pluris valet, quam pretium datur ex vi pacti antecedentis propter anticipatam ſolutionem, ideſt propter vſum pecuniæ tanti temporis. Ita Molina *diſp* 355. Leſſius *loco cit.* & alij.

An ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis ob anticipatam ſolutionem poſſit emi infra pretium infimum?

BRACTEA XXV.

R. Ob damnum emergens, aut lucrum ceſſans poteſt emptor anticipata ſolutione infra pretium infimum rem emere. Ita Medina *queſt.* 28. *de reſtitut.* Molina *diſput.* 388. Leſſius *loco citato*, Sotus *lib.* 6. *queſt.* 1 *art.* 1. Corduba *in ſumma queſt.* 85. & alij. Ratio, quia damnum emergens, aut lucrum ceſſans ſunt appretiabilia pecunia, vt patet in mutuo, & per conſequens ratione anticipatæ ſolutionis poteſt quis emere infra pretium infimum.

Sciēdum, quod quamuis iuſtum rei pretium communi æſtimatione taxatum ſit illud, quod currit eo tempore, quo res vendita traditur, tamen fieri poteſt, vt res anticipata ſolutione minoris ematur, quã valitura ſit tempore traditionis ob lucrum ceſſans, vel etiam damnum emergens loco citato; & primò licet ratione lucri ceſſantis, quia mercatores ſemper patiuntur incommodum ex ea pecuniæ anticipatione; poſſunt enim lucrari per cambia, & alijs modis; alij vero, qui mercatores non ſunt, ſed eam pecuniã expoſuiſſent negotiationi alicui lucratoriæ idē præſtare poſſunt, licet in foro exteriori poſſit præſumi vſura, & iniuſtitia. Secūdò, licet ratione damni emergentis, quia in omni contractu licet ſe ſeruare indemnem, manifeſtanda tamen eſſet huiuſmodi cauſa, cur deſcendatur citra infimum, quia fortè ille vendere conſtituet alteri, qui damnum paſſurus non ſit ex anticipata ſolutione, vel fortè expectabit ſolutionem ſuo tempore, ne minus accipiat infra infimum iuſtum. Tertiò, licet ratione periculi, quia hæc ſunt pretio æſtimabilia, & quia qui emunt anticipata ſolutione exponunt ſe periculo, ideò minoris iuſto pretio emere poſſunt.

An dubium, quo emptor dubitat, venditorem tempore, conſtituto non traditurum rem emptam ſit ratio, qua infra pretium infimum poſſit emi?

BRACTEA XXVI.

Sciendum, vt alibi dictum fuit, dubium aliud eſſe probabile, & aliud non: dubium probabile illud eſſe, quod alicui reali fundamento nititur: dubium non probabile, quod non nititur reali fundamento, ſed ſolùm apparenti, & imaginario. Quo poſito.

R. Dubium, quo emptor dubitat venditorem probabiliter non traditurum rem tempore conſtituto eſt ratio, vt minoris poſſit emi res pretio infimo, licet poſtea res, de qua dubitat, tradatur tempore determinato. Ita Leſſius *loco citato*, & alij. Ratio, quia tale dubium eſt pretio æſtimabile, & idcircò poteſt de iuſto pretio diminuere. Secundò, dubium non probabile non eſſe rationem, vt vilius res poſſit emi pretio infimo. Et ita communiter omnes. Ratio, quia excluditur à iure; tum etiam quia cum non ſit probabile, non eſt pretio æſtimabile, vt dubium probabile. Tertiò emptorem poſſe cum venditore paciſci, vt ob anticipatam ſolutionem vendat illi rem pretio infimo, quo tempore traditionis valebit. Ita Filliucius *tract.* 25 *cap.* 6. Ratio, quia ſic paciſcendo nulla committitur iniuſtitia, cum vterque ſit in periculo, & illud pretium poterit eſſe maius, vel minus; tum etiam quia paciſcitur pretium iuſtum, & pretium iuſtum attendendum eſt penès tempus traditionis rei, & non penès tempus conuentionis.

An tempore magnæ penuriæ frumenti liceat pluris vendere quam ſit pretium taxatum?

BRACTEA XXVII.

Basilius Pont. *variar. diſput. par.* 1 *queſt.* 2 Petrus Nauarrus *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Salonius *de iuſtit. tom* 2 *queſt* 77 *art.* 1 *contron.* 2 Petrus de Ledeſma *in ſumma tom* 2 *tract* 8 *cap.* 32. *diffi ult* 19. Michael de Palatio *de contract. lib.* 2. *cap.* 2. Saia *tract. de empt. dub* 7. *nu.* 3. tenent taxam eſſe ſeruandam, cum taxa Principis ſit ſeruanda. Sed

R. Cum Molina *de iuſtitia tom* 2. *tract.* 2 *diſput.* 364. *num.* 7. hiſce verbis, ſi frumentum ante legem erat taxatum pretio rationabili, ac moderato, & menſe Maij, & Aprilis ſterilitas magna in anno ſequente comperitur ob pluuiæ defectū, aut aliqua alia ratione non tenentur homines deinceps vendere frumentum ſuum tempore abundantiæ taxato pretio, quoniam præſumendum eſt voluntatem Principis non eſſe, vt tanta ſuperueniente ſterilitate lex, quæ tempore abundantiæ lata erat, vim adhuc retineret, neque ſi id Princeps vellet lex, iam tunc non eſſet rationabilis, ac iuſta, ac proinde in foro conſcientiæ non obligaret; & ita ſentire videtur Nauarrus *cap.* 22. *num* 88. Rebelius *par.* 2. *lib* 9 *queſt* 2. *ſect.* 3. *num.* 14. & alij.

Sciēdum dubium eſſe, an ſi in aliqua Ciuitate plures eſſent, qui haberent frumentum, & ipſum non vēderent, ſi Magiſtratus voce preconis proclamare iubeat, vt vnuſquiſque triticum ſuum vendat tanti, quantum voluerit, ſi vendatur ſupra pretium rigoroſum peccent, & obligarentur ad reſtitutionem. Ad quod reſpondeo peccare, & obligari ad reſtitutionē. Ratio, quia cum in hac Ciuitate non ſit tritici inopia, ſed copia licet occultetur, non datur ratio augmenti pretij ipſius tritici, & per conſequens ſi pluris vendant, quam ſit pretium taxatum, peccant, & obligantur ad reſtitutionem exceſſus, quod non modò dicendum eſt de ſubditis, ſed etiam de alijs, qui in venditione tenentur ſeruare iuſtum pretium rei taxatum, ita dictante recta ratione, excedere iuſtum rei pretium non licet, & iuſtum pretium rei eſt illud, vbi communiter res tanti, & non pluris venduntur.

An debitum certum ſoluendum in poſterum poſſit minoris emi pretio anticipato?

BRACTEA XXVIII.

R. Credita certa in poſterum ſoluenda poſſe minoris emi ob anticipatam ſolutionem, quã valeat ipſum creditum ſecluſo etiam damno emergente, vel lucro ceſſante. Ratio eſt, quia pluris valet pecunia præſens, quam abſens, quia præſens

An vendens domum poſſit ſibi reſeruare pretium locationis, quoad vſque ſoluatur pretium?

BRACTEA XXXIX.

NEGATIVAM ſententiam tenent Silueſter *verbo vſura quæſt.* 11. D. Antoninus *part.* 2. *cap.* 7. §. 20. Gabriel. in 3. *diſt.* 15. *quæſt.* 13. *art.* 2. *concluſ.* 4. Armilla *verbo vſura num.* 15. Roſella *verbo vſura* 1. *n.* 47 Ratio quia per contractum transfert dominium; ergo res domino ſuo debet fructificare. Sed

R. cum Sanchez in *opuſc. tom.* 1. *cap.* 7. *dub.* 21. *nu.* 3. Tabiena *verbo vſura num.* 9. Ludouico Mexia *in leg. Tolet. part.* 2. *fundam* 2. *num.* 12. poſſe ſibi reſeruare fructus locationis quoad vſque ſoluatur pretium ipſius domus. Ratio quia illa reſeruatio pretij non eſt propriè vſura, ſed rei propriæ proſecutio, cũ æquum non ſit, quod emptor fruatur pretio, & fructu domus emptæ. Tum etiam quia talis reſeruatio cenſetur potius compenſatio, quam vſura, & licet prohibeantur vſuræ lucratoriæ, tamen compenſatoriæ nõ prohibentur, vt in contractibus ſeruetur æqualitas.

An venditores, qui mendacijs affirmant, rem ſibi tanti ſtetiſſe, vt pertrahant emptorem ad rigoroſum pretium, obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXXX.

R. VENDITOREM qui mendacijs affirmat rem ſibi tanti ſtetiſſe ſolum peccare venialiter, nec obligari ad reſtitutionem, ſi mendacia ſint ordinaria, & communia; ſecus autem ſi mendacia ſint extraordinaria, & repetita ſeriò. Ita Rebellus *lib.* 9. *quæſt.* 7. *num.* 8. & alij. Ratio quia cum mendacia ſint venditoribus communia cenſentur omnibus nota: ſi verò ſint extraordinaria adeſt dolus, & fraus dans cauſam contractui, & per conſequens datur obligatio reſtitutionis.

Sciendum dubium eſſe, an quando in Prouincia pretium tritici eſt lege poſitum, & nihilominus paſſim pluris venditur, quam lex ſtatuit, & nullus punitur, liceat à pretio legis recedere. Nauarrus *cap.* 23. *num.* 88. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 2. *art.* 3. Medina *cod. de reſtitut. quæſt* 31. & 36. & alij affirmant diſſimulationem Superiorum in puniendo vendentes vltrà pretium taxatum non reddere eos tutos in conſcientia; Sed

R. cum diſtinctione, aut enim violatio legis huiuſmodi fit ab omnibus, vel à maiori parte Populi ſciente Principe, & neminem puniente cum commodè poſſit eos punire; talis enim diſſimulatio, & taciturnitas eſt veluti conſenſus Superioris, & ceſſatio legis iuxtà regulam Iuris, qui tacet conſentire videtur, aut fit inſcio Principe, aut ſciente, & nullum puniente, quia non commodè, nec facilè tranſgreſſores taxæ punire poteſt; & tunc non adeſt tacita Principis voluntas, ac proinde lex obligat venditorum conſcientiam, quia vim ſuam non amiſit. Ita Rebellus *lib.* 9. *quæſt.* 2. *ſect.* 3. Salon. 2. 2. *quæſt.* 77. *artic.* 1. & alij.

An ſi Agricolæ plures expenſas fecerunt in tritico ſeminando, & colligendo, poſſint tuta conſcientia chariùs vendere, quam ſit pretium à lege taxatum?

BRACTEA XXXXI.

R. QVOD ſi agricolæ, qui tales expenſas fecerunt ſint pauci non eſt licitum chariùs vendere, quam lex ſtatuit. Ratio quia caſu, & accidenti maiores ſumptus fecerunt, quam cæteri; ſi verò omnes agricolæ illius Prouinciæ maiores impenſas fecerunt: Reſpondeo non poſſe pluris vendere, quam ſit pretium taxatum. Ratio eſt, quia venditores ex natura contractus huiuſmodi damnũ ſuſtinere coguntur, cum negotiatio damno, & lucro ſit expoſita: tum quia venditores pretium vſu fori impoſitum exercere nequeunt; ergo nec pretium à lege taxatum. Ita Azor *lib.* 8. *cap* 22.

Sciendum dubium eſſe, an qui emit triticum tempore meſſis pretio currenti cum pacto, vt tot menſuræ reddantur in menſe Maio ſit vſurarius? Reſpondeo ſi emptor in menſe Maio erat empturus, & deducatur aliquid ratione laborum, expenſarum, periculorum, & ſimilium, quæ ſubiturus erat ſi vſque ad illud tempus apud ipſum ſeruandum fuiſſet, non eſt vſurarius; ſi autem tunc non erat empturus, ſed requiſitus placet lucrari hoc modo ſine labore, eſt vſurarius.

Quod nam ſit iuſtum pretium mercis vltroneæ?

BRACTEA XXXXII.

EM. Sà *verbo emptio* ait merces vltroneas vilius vendi, quam non vltroneæ; & Leſſius *cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 33. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 25. Bonacina de *contract. diſp.* 3. *quæſt.* 1. *par.* 4. *num.* 21 merces vltroneas vileſcere pro tertia parte; imò Palatius, & Rebellus *part.* 2. *lib.* 9. *quæſt.* 1. *num* 36. dicunt, pallium quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato poſſe emi duobus; & ratio eſt, quia talis modus vendendi indicat copiam mercium, & paucitatem emptorum; & per conſequens vileſcere vſque ad dimidiam partem pretij, & licet vnaqueq; opinio ſit probabilis: tamen

R. iuxtà opinionem Leſſij ſuprà citati, merces vileſcere vſque ad tertiam partem.

An qui vendit merces, quæ valent mille aureis hoc pacto, vt qui emit eas vendat alteri, & lucrum ſit commune, contractus ſit iniuſtus?

BRACTEA XXXXIV.

R. ESSE iniuſtum. Ratio eſt quia qui emit eas iam habet dominium earum, & cum earum periculum ſit totum ſuæ curæ, totum etiam lucrum debet eſſe ſuum. Tum quia venditor ſi vltra mille aureos recipit dictam obligationem, quæ eſt pecunia æſtimabilis, & ideò reuera hic contractus ſimilis eſt contractui mutui, in quo recipere aliquid vltrà ſortem principalem eſt vſura. Ita Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 3. & Rodriquez *part.* 2. *ſum c.* 83. *n.* 5.

Sciendum

Sciendum eſſe dubium an qui vendit ad creditum poſſit paciſci cum emptore, vt ſi intrà terminum nõ ſoluerit tranſacto termino, poſſit venditor in pęnam rei venditæ fructus percipere.

R. Poſſe talem ponere quando non imponitur animo committendi vſuram, ſed ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, quod non facta ſibi ſolutione contingit. Ratio eſt, quia ex Iure naturæ vnicuique fas eſt ſe ſeruare indemnem. Et ita Rodriquez, in *ſum. part.* 2. *cap.* 84. Secundò ſecluſo damno emergente, vel lucro ceſſante licitum etiam eſſe paciſci cum emptore, vt ſi intrà terminum non ſoluit, poſſit venditor tranſacto termino in pœnam rei venditæ fructus percipere, vt metu illius pęnæ diligentius ſoluat in termino præfixo. Ratio eſt, quia pactum, in quo partes inter ſe conueniunt, eſt veluti lex, quam vel vterq; contrahentium viciſſim, vel alter alteri illius conſenſu imponit, vt promiſſa firmiora conſiſtant, ergo tale pactum licet apponere in contractu ne ab illo recedatur. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num* 215 *& cap.* 23 *num.* 68. Molina *diſp.* 317. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20 *dub.* 15. & alij. Tertio requiruntur iſtæ conditiones ad huiuſmodi in pœnã ritè imponendam. Primò vt non apponatur in fraudem vſurarum. Secundò vt pœna ſit moderata pro ratione culpæ: Tertiò ne quis vendat ad creditum appoſita pęna alicui, quem à principio nouit eſſe impotentem ad ſoluendum eo tempore, quod ſtatuitur: Quartò ne pœnam excipiat ab eo, qui ſine ſua culpa intrà terminum non ſoluit, quia vbi non eſt culpa, ibi non debet eſſe pęna: Quintò vt ſi partem debiti ſoluit non exigar tota pœna, ſed para pro rata. Ita Molina *diſp.* 317. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 215.

An pœna conuentionalis poſita in contractu obliget in conſcientia ante Iudicis ſententiam?

BRACTEA XXXXIV.

R. Solvandvm eſſe ante Iudicis ſententiam; & ita Couar. *epitome* 4 *decretor.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num.* 11 Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 10. *dub* 15. Rebellus *lib.* 8 *quæſt.* 9. Salon. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Ratio, quia in hoc diſtinguitur pęna conuentionalis à legali, & iudiciali, quod legalis, & iudicialis ſolui non debet ante Iudicis ſententiam, quia non ex vi pacti, ſed Iudicis præcepto debitum punientis debetur, at conuentionalis ſolui debet ante ſententiã, quia eſt debita ex conuentione partium, & partes ad hoc ſe obligarunt, quæ tamen non obligat antequã à creditore exigatur. Et ita Molina *diſp* 97. Ratio eſt, quia non petendo cum poſſit videtur cedere iuri ſuo. Tum quia nimis durum videtur, vt ſolutio pęnæ debeatur ante exactionem; tum quia ita habet vſus, & conſuetudo omnium nationum celebrantium contractus.

Sciendum dubium eſſe, an qui ex impotentia inculpabili omiſit reſtituere tempore debito teneatur in conſcientia impoſitam pęnam exſoluere? Ad quod reſpondeo, quod quando pęna impoſita fuit ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis obligat; & ratio eſt, quia creditor non tenetur hoc detrimentum pati, ſed debet ſeruari indemnis. Si verò pœna imponatur non vt ſatisfactio pro intereſſe, ſed ſolum quatenus pœna coarctans moroſum debitorem ad ſoluendum non obligat, quia vbi non eſt culpa, ibi non debet eſſe pœna: *Cod. de pęnis leg. ſancimus*. Tum quia, qui ex ſola impotentia non ſoluit, non cenſetur fuiſſe in mora, nam ſecundum Silueſtrum *verbo mora quæſt.* 1. vt aliquis dicatur eſſe in mora requiritur, vt ei non deſit ſoluendi facultas; & quià vt notat idem Silueſter *quæſt.* 4. culpa, & mora æquiparantur: igitur ſolum ille debitor tenetur ſoluere pęnam, qui ex culpa non ſoluit, non autem qui ex ſola impotentia.

Quod nam ſit pretium iuſtum eorum, quæ ſub haſta venduntur.

BRACTEA XXXXV.

R. Ivstvm pretium eorum, quæ ſub haſta venduntur eſſe illud, quod abſque fraude extorqueri poteſt. Ita Bonacina de *contract.* *lib.* *diſp* 3. *quæſt.* 2 *pun.* 4 *num.* 21. & alij ab ipſo citati. Ratio, quia res exponitur ſub haſta periculo vtriuſque fortunæ lucrandi, & perdendi: vnde illud cenſetur iuſtum pretium, quod abſque fraude extorqueri poteſt ſecluſa fraude, vel dolo.

Sciendum pretium eorum, quæ ſub haſta venduntur variari ob multitudinem, vel paucitatem emptorum, quia ſi multitudo fuerit augetur pretium, ſi verò paucitas diminuitur idem pretium. Secundò ſi quis vendendo rem ſub haſta vteretur dolo, vel fraude obligaretur ad reſtitutionem damni ſequuti per dolum, vel fraudem. Primò, ſi inducat vendens ſimulatos, ac fictos aliquos emptores, vt charius res vendatur. Tertiò ſi data induſtria proponant res vendendas tempore, quo ſciunt paucos emptores concurrere, vt vilius deputati ad vendendum vendant cui voluerint. Quartò ſi emptores inter ſe conueniant, vt alter non offerat niſi ab illis determinatum pretium, ob quod res vilius vendi cogitur, vel etiamſi immittant aliquos occultos emptores, qui ſimulatè pretium exiguum offerant; ſtatimq; deſiſtant ne pretium augeatur: vnde qui vtuntur tali fraude, obligantur ad reſtitutionem damnorum ſequutorum. Quando verò quis abſque dolo, vel fraude rogat amicum ne plus det certa quantitate, vt ipſe iuſto pretio infimo, vel moderato rem habeat, non cenſetur peccare contrà iuſtitiam, & per conſequens nec obligari ad reſtitutionem. Ita Reginaldus *lib.* 25. *cap.* 20. *num* 379. & alij, cum vtatur induſtria, vt res iuſto pretio detur.

Sciendum ſecundò, auctores non conuenire in declaratione iuſti pretij eorum, quæ venduntur ſub haſta. Salon. 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. aſſerit in hoc vendendi genere reperiri etiam tria genera pretij, quæ conſtituuntur communiter ab auctoribus in cõmuni vſu fori, nempè infimum, medium, & ſupremum, ſed cum hoc diſcrimine, nam in alijs pretijs, quæ ſumuntur ex communi vſu fori infimum, & ſupremum parum diſtant à medio: at in ſubhaſtatione plurimũ diſtant, medium namque in ſubhaſtatione eſt, quod eſt iuſtum, ſeu moderatum: infimum quod ab illo deficit, modò non deficiat infra dimidium, ſupremum quod illud excedit, modò non excedat ſupra dimidium, vt ſi iuſtum pretium equi peritorum arbitrio ſint centum, & equus ille voce preconis venditur: medium pretium erunt centum, infimum quinquaginta, ſupremum centum quinquaginta; vnde diſtant in ſubhaſtatione gradus extremi à medio quantum medietas iuſti pretij complecti poteſt verſus exceſſum, vel defectum. Malderus 2. 2. *q.* *aſſ.* 5. *cap.* 6. *dub.* 2. aſſerit iuſtum pretium in ſubhaſtatione illud eſſe, quando ex intentione licitatorum res duplò venditur, quam valeat, & quia tam opinio Bonacin, Salon. quam Malder. eſt probabilis, idcircò, &c.

Quibus

Quibus cauſis contractus venditionis diſſolui poteſt?

BRACTEA XXXXVI.

R. A Doctoribus referri multas cauſas *Cod. titul. de reſcindit. venditionis*: prima ſi fuerit contracta venditio per errorem in pretio, vt deceptus ſit emptor, vel venditor vltrà dimidium pretij iuſti; *leg. rem maioris cod. de reſcind. vendit.* Secunda, quando per eum contracta eſſet venditio; iure enim ipſo irrita eſt: Tertia, quando venditio per metum illatum, & cadentem in conſtantem virum facta eſt; datur enim actio contra eum, qui metum incuſſit: Quarta, reſcinditur ratione ætatis, vt in pupillis minoribus, Eccleſijs, & Ciuitatibus: Quinta, ratione pacti violati; Sexta, ratione conditionis non impletæ: Septima, ratione ſolemnis formæ, quę deſinit in venditione, cum tamen iure requiratur; Vltima, re adhuc integra, hoc eſt ſi neutra ex parte facta eſt rei, aut pretij traditio, eſto ara ex altera parte data ſit diſſoluitur contractus mutuo conſenſu. *leg. 1. & 2. cod. quando liceat ab empt. diſcedere*; & eſt communis Doctorum ex Gomez. *tom. ſecund. var. cap. 2.* Ratio eſt, quia non plura requiruntur ad diſtractum, quam ad contractum: at ad hunc ſufficit mutuus conſenſus; ergo etiam ſufficit ad diſſolutionem. Dixi eſto ara ex altera parte data ſit, quia ara non eſt exequutio contractus, ſed tantū data ad ſecuritatem, quòd illi ſtabitur; cum ergo non ſit adhuc exequutus contractus poterit mutuo contrahentium conſenſu diſſolui.

An contrahentibus liceat ſe decipere circa pretium?

BRACTEA XXXXVII.

R. In pretio legitimo non licere contrahentibus decipere, & ſi ſit deceptio dari actionem, & obligationem reſtituendi exceſſum in vtroque foro, ſiue deceptio fiat vltrà, vel citrà dimidium. Secundò, lege ciuili fas eſſe contrahentibus ſe decipere vſque ad medietatem pretij: vnde non punitur decipiens infra medietatem iuſti pretij in emptione, & venditione, nec contractus reſcinditur *l. 2. cod. de reſcind. vendit.* & habetur. *leg. 2. in cauſa §. & [illegible] item ff. §. quemadmodum ff. locati*: in foro conſcientiæ non licere contrahentibus ſe decipere vltra iuſtum pretium, ſed ſolum intra latitudinē iuſti pretij, qui decipit vltra, peccat mortaliter, ſi notabilis ſit exceſſus, & obligatur ad reſtitutionem. S. Thom. 2. 2. *quæſt. 77. art. 1.* S. Antoninus *2. part. tit. 1. cap. 16.* Medina in *cod. de reb. reſtituend. quæſt. 33.* & alij. Ratio, quia decipiens intrà dimidium iuſti pretij peccat contrà iuſtitiam commutatiuam, quia accipit alienum inuito Domino, & non ſeruat æqualitatem intrà pretium, & rem venditam.

Sciendum, quod recipitur vltra iuſtum pretium ſi bona fide recipiatur, & conſumatur non inducere obligationem reſtituendi, niſi in eo, in quo factus ſit ditior, cum ad id non teneatur ex parte iniuſtæ acceptionis, ſed ſolum ratione rei acceptæ. Secundò tunc venditorem dici deceptum vltrà dimidium iuſti pretij, quando non recipit medietatem iuſti pretij naturalis, vt ſi decem erit pretium naturale; tunc dicitur deceptus quando non recipit dimidium, id eſt quinque; & ſimiliter emptor dicitur deceptus quando ſoluit vltra iuſtum pretium plus quam dimidium, vt ſi res valeat pretio rigoroſo decem ſoluit ſexdecim. Ita Molina *diſp 349* Bannez. 2. 2. *quæſt. 77 art. 1.* Sotus *lib. 6. quæſt. 3. art. 1.* Couar. *lib. 2 var. cap. 3. num. 8.* Tertio qui deceptum ſe reperit in contractu emptionis, vel venditionis poſſe ſecretò ſibi compenſare ſi via iuridica non poteſt ſuum recuperare, & abſit ſcandalum, & adſint cœtera requiſita ad compenſationem?

MALLEATIO XXXXII.

De Monopolijs.

Quotuplex ſit Monopolium?

BRACTEA I.

SCIENDVM Monopolium nihil aliud eſſe, quam machinationem, ſeu induſtriam mercatorum, qua efficiunt, vt ipſi ſoli aliquid vendant, aut certo pretio. Quod quatuor modis fieri poteſt. Primò, quando venditores conſpirant inter ſe de pretio, vt nemo vendat minori pretio. Secundò, quando agunt, vt ipſi ſoli certas merces vendant, idque vel priuilegio Principis, vel propria auctoritate. Tertiò, quando ementes magnam copiam mercium, eam ſupprimunt, donec pretium creuerit. Quartò, impedientes ne aliæ merces aduehantur, vt maiori pretio res ſunt vendunt. Quo poſito

R. mercatores, qui inter ſe conſpirant de pretio ſine dolo, & fraude modo id non ſit ſuprà legitimum non peccant contra iuſtitiam, licet contra charitatem, Vnde non obligantur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 21 num* 145, & eſt vniuerſalis opinio. Ratio quia cum pretium conſpiratum contineatur intrà limites pretij iuſti nulla datur violatio iuſtitiæ. Secundò, mercatores, qui fraude, vel dolo alios impediunt, ne minoris vendant obligantur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ita Leſſ. *loco cit. nu.* 146. & alij. Ratio quia violant iuſtitiam, & perinde eſt ac ſi furarentur, quia fraus, & dolus, quibus vtuntur dant cauſam contractui. Tertiò, ſi pretium, in quod mercatores conueniunt ſit ſuprà legitimum, aut vulgare peccant contrà iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem, Ita Leſſius *loco cit.* Caiet. 2. 2. *quæſt. 77. art. 4.* & alij. Ratio quia violando iuſtitiam cenſentur cauſa iniuſta damni, Quartò, emptores peccant contra iuſtitiam cum onere reſtitutionis ſi ad extenuandum iuſtum pretium etiam infimum fraudolenter ſibi inuicem promittunt non emere niſi tanti. Ita Leſſius *loco cit.* Sotus *lib. 6 quæſt. 2. art. 3.* Arragon. 2. 2. *quæſt. 77. art. 4.* & alij. Ratio, quia per talem promiſſionem fit iniuria venditoribus, qui habent ius ad magnum pretium. Tum etiam quia pretium rerum non pendet ex cupiditate mercatorum, ſed vel ex lege Principis, vel ſtatuto Reipublicæ, aut communi hominum æſtimatione abſq; conſpiratione, & dolo inita. Vnde qui ſuo conſenſu eſt cauſa, vt res vendatur ſuprà pretium rigoroſum eſt cauſa iniuſta damni, & obligatur ad reſtitutionem.

An ſecundum genus Monopolij ſit licitum.

BRACTEA II.

R. IMPETRANTES à Principe, vel Republica priuilegium iuſta cauſa, vt ſibi ſoli liceat aliquod genus mercium inuehere, non peccant contra iuſtitiam: Secus ſi abſque iuſta cauſa. Ita Leſſius *loco cit.* Nauar. *cap.23. num.92.* Azor. *3. part. lib. 8. cap.* 28. Siluester *verbo emptio*. Molina *diſp.* 745. Em. Sà *verbo venditio*, Reginaldus *lib.* 25 *num.*397. & alij. Ratio quia vtuntur iure ſuo, & nemini fit iniuria, cum emant iuſto pretio, nec refert, quod inducatur charitas, eam etiam multitudo emptorum inducit, nec ideò peccant contra iuſtitiam emendo, cum actio ſit iuſta, à qua procedit charitas.

Sciendum, quod, ad hoc, vt priuilegium impetratum ſit licitum, plura requiruntur. Primò, vt adſit iuſta cauſa conceſſionis priuilegij, vel quia aliter nemo tales merces ſufficienti copia innehere poteſt ob ſumptus, vel quia Princeps eget pecunia pro bono publico, ob quam priuilegium aliquibus requiritur. Secundò requiritur, vt iuſtum pretium taxetur à Principe, & non remittatur iudicio venditoris, quia daretur illis occaſio vendendi pretio iniuſto cum notabili damno Reipublicæ. Secus autem dicendum erit ſi priuilegium concedatur de mercibus, quę ſolum ad delicias, & lucrum pertinent, quas nemo cogitur emere, vt ſunt picturæ, tapetes, & ſimilia, quia cum in ijs nemo grauetur, niſi qui vult, facilè Princeps poteſt habere iuſtam cauſam concedendi tale Monopolium, cum non ſint neceſſaria ad ſuſtentationem Reipublicæ.

An tertium genus Monopolij ſit licitum?

BRACTEA III.

R. MERCATORES ementes merces, v. g. frumentum, vt illud ſeruent animo charius vendendi tempore cariſtiæ non peccare cõtrà iuſtitiam, nec obligari ad reſtitutionem damni, licet peccent contra charitatem proximi. Ita Molina *tract.2. diſp.*245. *num.*5. Leſſius *lib.2. cap.21. dub.21. n.* 150. & alij. Ratio quia vtuntur iure ſuo, & currenti pretio emunt. Secundò mercatores ſupprimentes, & abſcondentes merces, v. g frumentum vſque ad tempus inopiæ non peccant contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. Ita Leſſius *loco cit.* & alij. Ratio quia ſicut poſſunt transferre ſuas merces ad alia loca, vt eas charius vendant, ità poſſunt eas ſeruare in tempus, quo eas charius vendant, cum nullo pacto ſe obligarint ad vendendum de præſenti, nec Ciues habeant ius ad eas emendas, niſi conſentientibus ipſis, licet à Magiſtratu, aut à Principe poſſint cogi ad vendendum ob bonum publicum.

An quartum genus Monopolij ſit licitum?

BRACTEA IV.

R. QVI dolo, fraude, aut minis impediunt, ne merces aduehantur, vt ob cariſtiam ſuas charius vendant peccant contra iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *loco cit.* Rodriquez. *part.2. ſum. cap.*82. *num.*3. Silueſter *verbo emptio cap.*130. & alij. Qui verò abſque fraude, ſed ſolis perſuaſionibus impediunt, ne aliæ merces adueniant, non tenetur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib. 2. cap.21. dub.*20. Arragon. 2.2. *quæſt.77. num.*4 Rodriquez. *loco cit. num.* 3. Ratio eſt, quia non faciunt illis iniuriam, cum non impediant eas per fraudem, ſed precibus, & perſuaſionibus, quę non auferunt voluntarium.

An mercator, qui non exercuit monopolium poſſit ſuas merces vendere pretio currenti, quod per monopolium creuit?

BRACTEA V.

AFFIRMATIVAM ſententiam tuetur Reginald. *lib.* 25. *num.* 327. & alij. Ratio eſt, quia pretium aſſectum per monopolium cenſetur iuſtum. Sed

R. Mercatorem, qui non exercuit monopolium non poſſe merces ſuas vendere pretio, quod fraude, & dolo per monopolium creuit. Ita Rebellus *lib.* 9. *quæſt.7. num.*5. Lopez. de *contract. c.*241. & alij. Ratio, quia pretium commune per fraudem vendentium extortum non debet cenſeri iuſtum, & per conſequens ipſo non poſſunt vendere ſuas merces. Secundò mercatores, qui non exercuerunt monopolium vendentes ſuas merces pretio, quod per monopoliũ iuſtè creuit, non peccant contra iuſtitiam, nec obligantur ad reſtitutionem, dummodo incrementum pretii remaneat intrà latitudinem iuſti pretii legalis, vel vulgaris. Ita Bonacina de contract. *diſp.3. quæſt.* 2. *pun.* 5. *num.*21. & alij.

MALLATIO XLIII.

De Negotiatore, & negotiatione.

An ſit illicita negotiatio Clericis, & Religioſis?

BRACTEA I.

R. NON eſſe licitum Clericis, & Religioſis per ſe ipſos negotiari; & patet ex iure canonico in *cap. fornicari cap. conſequens cap. negotiatorem*. Secundò, ratione, quia eſt maxima indecentia ratione ſtatus; vnde prohibita eſt illis negotiatio, *cap. vlt. de vita, & honeſt. Clericor.* Tertiò ſi ſint in ſacris, vel habeant beneficium, ex quo congruè ſuſtentari poſſint, peccant mortaliter ſi negotientur; & eſt vniuerſalis ex Molina *diſp.* 349. Medina *quæſt.* 30. *de rebus reſtituendis art.*2. Silueſter *verbo Clericus quæſt.* 2. Nauarr. *cap.25. nu.*111. Ratio, quia materia grauis eſt, & punitur ſub grauibus pœnis Clericus negotiator amiſſione pecuniarum; ergo ſignum eſt, quod tale præceptum obligat ſub mortali: pœnæ autem contra eos conſtitutæ, vt excommunicatio. *Cap. 2. ne Clerici, vel Monaci*. & ſuſpenſio, & depoſitio, *cap. conſequens* non ſunt tàm latæ, quàm ferendæ ſententiæ. & *cap. ſed ne Clericus, vel Monacus* additur, vt Religioſi grauius puniantur in *Cap. autem vlt. eodem* ſtatutum eſt, vt ſi admoniti ab Epiſcopo non deſtiterint, amittant Clericale priuilegiũ immunitatis in ſe, & in bonis propriis. Tertiò, ſecluſo ſcandalo per interpoſitam perſonam negotiari poſſunt. Ratio, quia ſic ceſſat ratio prohibitionis nempè diſtractio, cum poſſint etiam vacare Diuinis, & periculum peccandi fugere, quando non interuenit aliqua iuſta cauſa, vt paupertatis, & neceſſitatis, peccare mortaliter Clericos per alios negotiãtes. Ratio, quia ſemper interuenit aliqua indecentia ſtatus, niſi aliqua ex dictis cauſis excuſet. Molina *diſput.*343 Leſſius *lib.2. cap.21. dub.*1.

An Eccleſiaſtici emendo, aut vendendo ſubijciantur pretio legitimo, aut vulgari Prouinciæ?

BRACTEA II.

R. Affirmativa. Ratio, quia licet non ſint ſubditi Principibus ſæcularibus, naturalis tamen æquitas poſtulat, vt etiam ipſi ſeruent pretia, quæ à populo ſeruantur, & licet non ſint ſubditi legibus ciuilibus, ſunt tamen ſubiecti legi naturali, & Diuinæ, quæ aliquid vltra iuſtum pretium vendi prohibet, ſed iuſtum pretium eſt, quod Princeps præfigit, vel communi hominum æſtimatione fuit taxatum; ergo etiam Eccleſiaſtici tenētur tanti, & nō pluris res ſuas vendere, ac proinde ſi aliquid vltra pretium lege iuſta taxatum accipiant, tenentur ad reſtitutionem. Secundò, quod licet Eccleſiaſtici non teneantur directè, & vi coactiua legibus ciuilibus, quia nullus eſt directè ſubiectus legibus illius, qui non habet iuriſdictionem in ipſum. *Leg. fin. ff. de iuriſdict. omnium Iudicum*: Princeps autem Laicus non habet iuriſdictionem in Clericos, ſeù Eccleſiaſticos. *Cap. Decernimus de re iudicata*, & *cap. Eccleſia S. Mariæ de conſtitut.* & *Cap. ſæculares de foro competenti*; tamen legibus ciuilibus reſpicientibus bonum commune, & non repugnantibus libertati Eccleſiæ tenentur ex vi directiua. Nauarrus *in manuali cap. 23. num.* 88. Valentia *tom. 4. diſput. 9. quæſt. 5 pun. 4.* Clauis regia *lib. 4. pun. 4. num.* 16. Suarez *lib. 3. de legib. cap. 34.* Azorius *par. 1. lib. 5. cap. 12.* Molina *tract. 2. de iuſtit. lib. 31.* & alij. Ratio, quia decet Clericos præbere alijs exemplum, Tum quia probantur *Cap. Si in adiutor. diſt.* 10. vbi habetur ſeruādas eſſe leges ciuiles in ijs, in quo nō ſunt contra Canones, nec præiudicant Clericis; & ita etiā Clerici tenentur expendere pecuniam iuxta taxam Principis propter rationes ſuperius allatas.

An ſi Monaſterium habeat venam ferri in aliquo ſuo prædio; & per Miniſtros conductos, ferrum conficiat, dicatur negotiatio?

BRACTEA III.

R. Negativa cum Nauarra *cap. 27. num.* 129. Silueſter *verbo excommunic. 9. in excommunicat.* 21. item ſi ferrum emeret, ſed per Monachos ferrum conficiat, & non per operarios Laicos. Quod ſi prædium vna cum ferri vena emeret, etiā per operarios poſſit conficere ferrum abſque nota negotiationis, quia in iſto caſu ceſſat ratio prohibitionis, cū non impediantur hoc modo vacare Diuinis Officijs, dummodo lucrum ordinent ad honeſtum finem, licet peccent ſaltem venialiter Clerici, qui per alios negotiantur, quia aliquid indecentiæ in ea negotiatione interuenit ſtatui, quando aliqua iuſta cauſa nō excuſat. Molina *diſput.* 342. Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub.* 7. & alij; eodemque modo ſi prædium fructibus maturis plenum emeret, & ſibi ſuperfluos venderet, non eſſet negotiatio, nec deberetur gabella. Filiuc. *tract.* 31. *cap. 1. num.* 23. Secundò, Clericos non teneri in conſcientia ſoluere vectigalia, niſi poſt trinam monitionem, quia monendi ſunt, vt ab huiuſmodi negotiatione abſtineant; ſic enim definitum eſt in iure. *Cap. Ex litteris de vita, & honeſtate Clericorum*, vbi ſic habetur. Clericus, qui tertiò monitus à negotiationibus ſæcularibus non deſiſtit, interim perdit quoad bona priuilegium Clericale.

Quomodo Clericus negotiator priuetur priuilegio perſonali?

BRACTEA IV.

R. Eſſa triplicem ſententiam: prima aſſerit priuari priuilegio Canonis *ſi quis ſuadente*. Ita Silueſter *excommunicat. 6. num. 6.* citans plures quia *Cap. fin. de vita, & honeſtate Clericorum* dicitur indifferenter priuari priuilegio Clericali: tale autem intelligitur priuilegium Canonis: ſecunda ſententia aſſerit priuari priuilegio fori, & poſſe conueniri apud Iudicem ſæcularem, ſicut mercatores: tertia aſſerit ſolùm amittere priuilegium immunitatis à tributis, & vectigalibus Molina *diſput.* 342. Suarez *tom. 5. diſp.* 22. *ſect. 1. num.* 16. & 17. Salas *de empt. & vendit. dub. 2. num.* 8.

Sciendum ad incurrendam hanc pœnam requiri triplicem monitionem ex Silueſtro *verbo Clericus 1. quæſt.* 3. & ita Arnoldus Corulnus his verbis, contra ſi faciant, & tertiò moniti non abſiſtant priuilegijs omnibus priuantur, & quando quem ſeueriùs puniūtur; immò debent intercedere aliquot dies inter vnam, & alteram monitionem ex Nauarro *cap.* 27. *num.* 8. Suarez *loco citato*, quia dantur ad experiendam emptionem. Secundò, Clericum priuatum tali priuilegio ſtatim, atque emendatur illud recuperare, probatur *ex cap. fin.* his verbis, dum ijs ſe implicant, mandat enim Papa priuari priuilegio, ſi ergo emendatur, recuperabunt illud. Ita Molina, & plures alij citati à Sala *loco citato num.* 5.

An Clerici poſſint agros alienos conducere, & per operarios eos colere, fructuſque colligere, & collectos vendere, vt lucrentur?

BRACTEA V.

R. Non poſſe; id enim expreſſè prohibetur ex Canone Carthaginenſi 1. & 4. ſecus ſi tantum ad neceſſariam ſuſtentationem ſuam, vel ſuorum huiuſmodi prædia excolenda reciperēt. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub.* 1. Molina *diſput.* 342. & Salonius 2. 2. *quæſt. 77. art.* 3. Secūdò, poſſe Clericos comparare rem aliquam, vt ſit materia, ex qua rem aliquam vendendam conficiant, quia id non eſt negotiari: ſic olim Religioſi ſportas, ſtoreas, & ſimilia faciebant, vt venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent, & Apoſtolus artem ſcenofactoriam faciebat. Similiter poſſunt proprios agros colere, vt fructus vendant, lapides, vel metalla ex ſuis fundis cedere, vel eruere, ſiuè ea mutent in aliam ſpeciem, ſiuè non, greges in ſuis prędijs alere, vt ex fœtu, lacte, lana pecuniam conficiant, aut vt ipſa animalia adulta, & ſaginata vendant. Ita Medina *Cod. de reſtitut. quæſt.* 3. Molina *diſput.* 342. hæc enim omnia ſunt fructus, vel quaſi fructus agrorum. Tertiò, non eſſe clericis prohibitam negotiationem, v. g. ſi emant pecora, quæ paſcuis ſuis ſaginata vendant, quia vendunt fructus ſuorum prędiorum, vel agrorum *Card. de lugo diſp. 20. ſect. 3. num.* 29. & alij ab eo citati. Vti nec ſi greges alant, vt fœtus, lac, lanam vendant *Card. de lugo citato*. Quartò, non peccare Clericum, ſi emat agrum cum fructibus iam matu-

maturatis, illoſque vendat, quia vendit fructus agri ſui *Card. de lugo loco citato nu. 31*. Quintò, nec peccare, nec exercere negotiationem prohibitam procuratorem Conuentus, ſi id, quod ad proprios vſus emerat poſtea, vel quia non indiget, vel mutato concilio charius vendat *Card. de lugo loco citato num. 32*.

Quibus modis negotiatio licita vitietur?

BRACTEA VI.

R. Septem eſſe modos, quibus negotiatio licita vitiatur: primò ratione rei, vt quando vẽditur res, quæ non eſt vendibilis: ſecundò ex parte venditoris, vt quando vendit rem malam: tertiò ex parte emptoris: quartò ex parte loci: quintò ex parte temporis: ſextò ex parte modi: vltimò ex parte finis.

Sciendum primò, vitiari negotiationem ex parte rei, quæ venditur, vt quando venditur res, quæ non eſt vendibilis, vt Sacramenta, beneficia Eccleſiaſtica, vel licet ſit vendibilis, prohibetur tamen vendi, vt venenum, quod ad nullum bonum vſum deſeruire poteſt, vt patet *leg. quod ſæpè ff. de contrah. empt.* Item homo liber vendi ab alio non poteſt, *leg. liber homo, leg. liberi homines ff. de contrah. emptione*; licet pater poſſit vendere filium, tum ob ſuæ indigentiæ, & fami ſubueniendum, cum ad propriam redimẽdam vitam in caſu, quo iniuſtè ea veniret priuandus; licitum eſt tamen calices, & alia vaſa ſacra emere ab infidelibus, vel hæreticis animo reſtituendi ea Eccleſijs, quibus fuerunt ſublata. Et ita Caietanus *in opuſc. tract. 31*.

An copula mulieris ſit vendibilis?

BRACTEA VII.

R. Eſſe vendibilem. Ratio eſt, quia licet copula fornicaria ſit intrinſecè mala, ac proinde pretio indigna, quatenus tamen affert delectationem pro voluptate, poteſt pro ea dari, & exigi pretium poſt factum; & hac de cauſa non ſolùm meretrices, ſed etiam nuptæ poſſunt accipere, & retinere pretium non pro peccato, ſed quatenus pro locatione corporis percepta fuit delectatio appretiabilis pecunia. Ita Sotus *lib. 4 quæſt. 7. art. 1.* & alij. Secundò, ſecluſo ſcandalo, ſublataque occaſione adultero reuertenti iterum ad peccatum, licitè poteſt maritus, qua iuri ad ulterũ accuſandi, cedit pro hoc pretium accipere ſine onere reſtituendi. Ratio eſt, quia ceſſio iuris, quod maritus habet ad adulterum accuſandũ eſt pecunia æſtimabilis. Tertiò, qui deprehẽdit adulterum cum vxore, & condonauit illi vitam, cum poſſet iure permittente illum impunè occidere poſſe pro condonatione vitæ mercedem accipere. Ratio eſt, quia eodẽ iure, quo maritus potitur ad adulterum accuſandum in foro externo, potitur ad adulterum ſimul deprehenſum citra pœnam interficiendum; ergo pro condonatione vitæ poteſt mercedem accipere.

An negotiatio qua res indifferentes venduntur ſit illicitum?

BRACTEA VIII.

R. Negotiationem, qua res indifferentes venduntur poſita iuſta cauſa eſſe licitam; Et ita Caietanus *2. 2. quæſt. 69. art. 2*: Arragonius *2. 2. quæſt. 77. art. 4.* & alij. Vnde qui vendit rem indifferentem, cuius abuſus toleratur, nec cedit in damnum alterius, non peccat, nec obligatur ad reſtitutionem, etiamſi credit emptorem illa abuſurum, cũ non conſentiat, nec cooperetur peccato. Salonius *2. 2. quæſt. 77. art. 3.* Qui verò vendit, ac tradit res indifferentes eo animo, vt ementes ipſis abutantur, peccant mortaliter, quia cooperãtur peccato. Ita Salonius *loc. cit.* Tertiò, qui rem indifferentẽ vendit, cuius abuſus nõ toleratur à Republica, & vergit in damnum tertij, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia qui ſic vendit, committit idem peccatum, quod emptor, & incurrit eaſdem pœnas. Vnde qui vendit arma, vel venenum ei, de quo prudenter creditur, vel dubitatur, quod velit ſeipſum, vel alium occidere, vel vendit mulieri grauidæ, quæ probabiliter ſuſpicatur petere illa, vt faciat abortum, peccat mortaliter. Et ratio eſt, quia abuſus emptoris circa huiuſmodi res non toleratur à Republica, quia cedit in damnum tertij, quod quiuis lege caritatis tenetur impedire. De quibus alibi dictum fuit.

An negotiationi in Eccleſia ſit peccatum mortale?

BRACTEA IX.

R. Negotiari in Eccleſia verbis eſſe ſolum peccatum veniale, cum talis irreuerentia nõ cenſeatur grauis. Ita Medina *de reſtitut. quæſt. 3.* Rebellus *lib. 9. quæſt. 18. ſect. 15.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 20.* Salonius *2. 2. quæſt. 77. art. 3.* Sotus *lib. 6. quæſt. 6. art. 2.* licet enim poſſit excuſari à veniali ratione paruitatis temporis in negotiando, vt ſi tam modica ſit, vt pro nihilo habenda ſit, qualis erit vnius rei; & ob iter facta venditio. Rebellus *loco citato*. Secundò negotiari in Eccleſia factis, vt ſi templo tamquam officina, vel foro publico abutatur ad negotiandum etiam extra tempus Diuinorum Officiorum, eſt peccatum mortale. Ratio, quia magna irreuerentia facit Deo, & Eccleſiæ, tum etiam ratione ſcandali, quę duo ſemper pecc. mort. conſtituunt, etiamſi negotia fiant cauſa pietatis, quia bonitas intentionis non tollit malitiam facti prohibiti. Molina *diſp. 352.* Salonius *loco citato* Salas *eodem loco*; hinc qui tenent bancum in Eccleſia ad vendendas candelas, imagines, vel res ſimiles peccant mortaliter. Et ratio eſt, quia domum Dei faciunt domum negotiationis; ſecus autem ſi bancum teneant in cęmeterio, quod eſt domus defunctorum. Ita Caietanus *in ſumma verbo Innocentium*, Rebellus *lib. 9. quæſt. 18. ſect. 4.* & alij. Secundò in illis caſibus, in quibus peccatum eſt negotiari in Eccleſia illud peccatum eſſe ſacrilegium. Ratio eſt, quia tale peccatum eſt contra virtutem Religionis, cuius eſt cultum, & honorem Deo pręſtare, & non ſolùm committunt ſacrilegium, qui mercaturam in loco ſacto exercent; ſed etiam qui illam exercere faciunt, aut etiam permittunt, quibus ex officio Eccleſiæ cura incumbit, quia approbatur culpa, cui non reſiſtitur. Addit Caietanus, quod ponentes candelas in aliquo loco in Eccleſia, vt qui vult, emat, vt communiter fit ſine perſona ibi ſtante, non peccant, ſicut non peccant, qui propter pluuiam retrahunt ſe cum banco ad horam in Eccleſiam, & ibi imagines, vel aliud intuitu pietatis incidẽter vẽdunt, quia pari modo à peccato excuſantur; ſic enim ſolet fieri, & Prælati id ſcientes tolerant.

MAL-

MALLEATIO L.

De locatione, & de conductione, & de pactis in locatione.

Quid ſit locatio?

BRACTEA I.

R. Locatio eſt contractus, quo perſona, vel res aliqua ad vſum, vel fructum pretio conceditur. Ita Leſſius *lib.2.cap.24.dub.1.num.1.* & ita communiter omnes.

Sciendum, quod contractus in definitione locationis ponitur loco generis, & in hoc conuenit cum cæteris contractibus, qui habent loco generis contractum. Secundò dicitur, quo res, vel perſona, quia nō tantū res mobiles, aut immobiles poſſunt locari, ſed etiā homo poteſt ſe ipsū locare, aut ſeruū ſuū alteri, nimirū locare operā illius. Tertiò dicit ad vsū, vel fructum, quia quædā locātur ad vſum, vt equus, domus, ceruus, & ſimilia, quædam verò locantur ad fructum, vt agri, paſcua, vineę, & rura. Quartò dicitur *pretio*, quia contractus locationis fit mediante pretio, & in hoc differt à commodato, qui fit gratis.

Quid ſit conductio?

BRACTEA II.

R. Conductio eſt contractus, quo perſona, vel res ad vſum, vel fructum comparatur mediante pretio conuenienti. Ita Leſſius *loco citato num.3.* & alii communiter.

Sciendum, quod ſicuti vnus, & idem contractus reſpectu vnius dicitur emptio, & reſpectu alterius dicitur venditio, ita etiam vnus, idemque contractus ex parte vnius eſt locatio, & ex parte alterius dicitur conductio. Vnde locator dicitur ille, qui ſub mercede pecuniaria rem ſuam, vel perſonam locat, conductor verò, qui ſoluit mercedem ob cauſam rei, vel ob operas perſonæ ſibi conceſſas, & ſi eſt conductor rei vrbanæ, dicitur inquilinus; ſi verò ruſticæ rei conductor eſt colonus nuncupatus. Secundò locationem, & conductionem magnam cum emptione, & venditione habere affinitatem; differunt tamen primò, quia emptio, & venditio tendit ad dominii translationē, locatio ſolùm ad vſus, vel fructus conceſſionem. Secundò, quia ſi res vendita ante traditionem ſine culpa venditoris pereat, emptor nihilominus pretium ſoluere debet, ſi autem res locata ante traditionem pereat contractus, penitus diſſoluitur, & conductor liberatur. Differt etiam ab emphiteuſi, quia hæc ſolū poteſt conſtitui in re immobili, quæ cultura poteſt effici melius, & in ea transfertur dominium vtile, nec fit ad breuius tempus, quam ad decennium, at locatio poteſt eſſe rei mobilis; differt etiam ab alíis contractibus, vt videbitur ſuo loco.

Quinam poſſint inire contractus locationis, & venditionis?

BRACTEA III.

R. Eos generaliter poſſe inire contractus locationis, qui habēt liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum à iure non impeditam. Ita communiter omnes, & colligitur *ex leg.2.tit.8.pun.5.* Ratio, quia tantum iuris requiritur ad locandum, quam ad vendendum, cum autem ille poſſit vendere, qui habet liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum, ſequitur etiam illum poſſe locare, qui liberā ſuorum bonorum adminiſtrationem habet. Secundò contractus conductionis ab eo ſolo poteſt iniri, qui ſe poteſt obligare excepto milite, & Curiali, quibus prædia colenda locari non poſſunt: *leg. Curialis, &c.* excepto etiam Clerico, & Monacho, niſi neceſſitatis cauſa, *ne Clerici, vel Monaci cap.1.* Ratio, quia de ratione huius contractus eſt, vt conductor ſe obliget ad ſoluendum annuum fictum, ac penſionem, requiritur, igitur vt conductor poſſit ſe obligare ad ipſam ſoluendam.

Sciendum, quod cum obligatio duplex ſit, vna naturalis, & altera ciuilis ad conducendum non ſatis eſt, vt poſſit ſe quis obligare obligatione naturali, ſed requiritur, vt poſſit ſe obligare obligatione ciuili. Vnde minor, & pupillus non poſſunt conducere, quia ciuiliter ſe obligare non poſſint, licet naturaliter ſe obligare.

Quænam res locari poſſint?

BRACTEA IV.

R. Omnia, quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam locari, niſi extet aliqua prohibitio iuris; & ita communiter omnes. Ratio, quia non plus requiritur ad locandum, quam ad vendendum.

Sciendum ſeruitutes prædiales licet vendi poſſint, non tamen poſſe locari. *leg. locare ff. locati*: res autem pupilli, ſeu minoris locari poſſunt, ſed non vendi. Secundò domus uicina magiſtro non poteſt locari fabro, aut alteri magiſtro, quia alioquin uoces eorum confundentur. *leg. vnica Cod. de ſtudijs*, licet non cēſeatur amplius in uſu. Tertiò non poteſt quis conducere rem ſuam. *leg. vt ſuę ff. de contrah. emptione*, rem tamen alteri donatam, aut uenditam poteſt conducere. Quartò uir, bona dotalia poteſt locare, non tamen poteſt uendere. Couar. *lib.1. variar. cap.15. num.2.* Idem de rebus Eccleſiæ, poſſint enim locari ad triēnium, ſed non poſſunt uendi. Quintò ius patronatus locari poteſt una cum bonorum Vniuerſitate ad breue tempus. *Cap. Cum Bertold. de ſent. & re iudicata.*

An pecunia, oleum, & cæteræ res vſu conſumptibiles locari poſſint?

BRACTEA V.

R. Propriè pecuniam, oleum, & quæ vſu conſumantur non poſſe locari, ſed mutuari. Ita Rebellus *lib. 14. quæſt. 4. num. 1.* Rodriquez. *1. part. cap.18.* Reginald. *lib. 25 num. 48.* & alij communiter. Ratio, quia res conſumitur cum vſu, qui non diſtinguitur à dominio, & vſus non poteſt locari, niſi etiam transferatur dominium. Vnde res poſſunt mutuari, non locari. Secundò pecunia, frumentum, & ad pompam locari poſſunt, ſeu ad oblectationem, & oſtenſionem. Ita Rebell. *2. part. lib. 14. quæſt.4. num.1.* & alij ſupra citati. Ratio, quia tunc res non conſumitur cum vſu, cum præſeruetur, & per conſequens vſus ipſius poteſt locari.

Sciendum, quod ad hoc, vt pecunia poſſit iuſtè locari requiritur, vt dominium, & periculum ipſius permaneant apud Dominum, ita vt ſi pereat Domino pereat: Auctores citati, & tunc poteſt aliquid

accipi pro locatione earum rerum abſque vitio vſuræ, quia tunc, qui eas conduxit ijſdem non vtitur ad vſum, quo conſumuntur. Item aliquando poteſt locari domus cum omni eius ſupellectili, vel officina aromataria cum vaſibus liquorum, & tunc huiuſmodi res vſu conſumptibiles dantur æſtimatæ, vt reddantur in ſpecie, vel earum pretium, & proinde cenſentur venditæ, quia æſtimatio facit venditionem, & locationem.

Sciendum ſecundò de ſubſtantia locationis tria eſſe, conſenſum, rem, & pretium; conſenſus quidem, quia illa eſt vnus ex contractibus, qui conſenſu perficiuntur, res, quia ſicut emptio ſine re non conſiſtit, ita nec locatio. Tertiò pretium, quia ſine eo eſſet contractus innominatus,

An res Eccleſiæ poſſint à ſuis Prælatis locari?

BRACTEA VI.

R. Res Eccleſiæ, ſiue bona Eccléſiaſtica immobilia ad triennium poſſe locari, & non vltrà. Ita colligitur ex Clementina, quæ incipit *ambitioſe, &c.* Tum etiam, quia locatio vltrà triennium eſt ſpecies alienationis, & præiudicium poteſt inferre ſucceſſori, & ob id locatio vltrà triennium prohibetur à Iure.

Sciendum, vt alibi dictum eſt, bona Eccleſiaſtica nullo modo poſſe locari ad longum tempus, v.g. ad decennium, poſt extrauagantem Pauli ſecundi *ambitioſe*, ſed ſolum ad triennium, & ſi locetur ad plures annos locatio cenſetur irrita, non ſolum quoad illos annos, qui triennium excedunt, verum etiam pro ipſo triennio, cum ex vi contractus contrahentes non conſentiant, niſi in locationem plurium annorum; ſi verò locatio vnius triennij eſſet diſtincta ab alio triennio, ita vt tot locationes eſſent, quot ſunt triennia, tunc valeret locatio pro primo triennio, & non pro alijs. Azorius 3 *part. lib. 8. §. de locato cap. 3. quæſit.* 3. Tuſcus *tom. 3. conſil.* 406. Carocius de *locato 3. part. §. de rebus Eccleſiæ locand.* Riccius *deciſ.* 117. & 121. Em. Sà *verbo conductor num.* 12. Ratio, quia inſeparabilibus vtile per inutile non vitiatur, ſed ſolum in inſeparabilibus. Vnde ſi quis locet hoc pacto, loco tibi hanc vineam ad tres annos, quibus tranſactis ex nunc pro tunc concedo tibi eandem vineam ad alios tres annos, inualida eſt locatio, quoad ſecundum triennium, cum hoc videatur fieri in fraudem legis irritantis locationem ad plures annos, quam ad tres; vbi verò per conſuetudinem aliter receptum eſt, vel quia res, quæ locatur ſolum alternis annis fructus facit, vel vbi etiam non eſt acceptata extrauagans Pauli ſecundi, locatio vltrà triennium eſt valida. Quod etiam dicendum eſt de redditibus Capellaniæ Eccleſiaſticæ, qui vltrà triennium locari non poſſunt ob rationem allatã, ſi verò Capellania nõ ſit Eccleſiaſtica, ſed laicalis, vt eſt, quæ ſola laicorum poteſtate aufertur, vel ipſorum auctoritate ſolum fuit fundata, eius fructus locari poſſunt vltrà triennium.

An Sacerdos poſſit locare ſuam operam pro ſacro faciendo, vel inſeruiendo?

BRACTEA VII.

R. Sacerdotem poſſe locare ſuas operas ad officia temporalia, nimirum pro officio Economi in aliqua Eccleſia, vel etiam pro alio, & pro huiuſmodi locatione accipere mercedem. Ratio, quia huiuſmodi opera ſunt temporalia, & prætio æſtimabilia. Secundò, Sacerdotem non modo ad triennium, ſed ad longum tempus poteſt ſua opera locare ad ſacrificandum in tali altari, vel in tali oppido, vel ciuitate, vel ad ſacrificium faciendum apud talem Dominum, & in tali Capella ipſius. Ratio eſt, quia talis obligatio eſt pecunia æſtimabilis, quia non eſt opus neceſſariò, ſeu intrinſecè coniunctum cum ſacrificio Miſſæ. Tertiò, Sacerdotem ſimpliciter pro re ſpirituali, ideſt pro celebrando ſacrificio, aut officio dicendo non poſſe mercedem, ſeu eleemoſinam accipere, Ratio, quia ſimoniacum eſt pro re intrinſecè ſpirituali aliquid accipere: talia autem opera ſunt res intrinſecè ſpirituales, ergo, &c. Pro labore verò mediatè, & remotè adiuncto ſacrificio, aut officio dicendo, poſſe eleemoſinam accipere: Ratio, quia ſimoniacum non eſt accipere eleemoſinam pro labore mediatè, & remotè adiuncto rei ſpirituali. Idem etiam dicendum eſt de ijs, qui ad Eccleſiarum valuas recitant orationes, non poſſe pro eis per modum pretij mercedem accipere, ſed quidem gratis per modum eleemoſinæ, vel ob obligationem ciuilem, quam ſubeunt obligando ſe ad dicendum officium B. Mariæ, vel Defunctorum, vel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, &c. Quartò, poſſe Sacerdotem pro obligatione fungendi officio Magiſtri, à Dominis mercedem accipere pro docendis, & educandis filijs. Ita communiter omnes. Ratio, quia huiuſmodi opera ſunt pretio æſtimabilia. Tum quia ſicut ſæcularis pro tali officio mercedem accipit, ita & Sacerdos poteſt mercedem accipere, cum non ſit peioris conditionis, quam ſæcularis.

An liceat locare domum ei, qui putatur ea abuſurus ad peccatum,

BRACTEA VIII.

R. Illicitum eſſe abſque iuſta cauſa locare domum ei, qui creditur abuſurus ad malum finem. Ita Leſſius *lib. 2. cap.* 24. *dub.* 8. & omnes communiter. Ratio, quia cenſetur cooperari peccato, & alteri præbere cauſam peccati. Dixi abſque iuſta cauſa, quia poſita iuſta cauſa poteſt id facere. Ratio, quia locare domum ei, qui creditur abuſurus non eſt intrinſecè malum, ſed extrinſecè, & poſita iuſta cauſa poteſt quis exercere actionem extrinſecè malam; ergo, &c. & ideò non poſſe locatorem locare domum meretrici abſque iuſta cauſa, quam ſcit locare ad meretricandum, & pluribus debere eſſe occaſionem ſcandali, & peccati. Similiter nec furi, vel latroni, qui putatur quæſiturus occaſionem, vel opportunitatem nocendi ciuibus, &c. Secundò, ſi locatio fiat ob alium finem, præterquam ob malum erit licita, & ſi poſteà operentur iniquitates, v.g. fornicationes, vſuræ, &c. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 11. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 17. Molina *diſp.* 500. Leſſius *loco cit. n.* 40. & omnes communiter. Ratio, quia tunc non cenſetur cooperari per locationem domus, peccatis, quæ in ea fiunt, nec alteri præbere occaſionem peccandi, cum ipſam locet ob finem honeſtum.

Sciendum locare domum meretrici, ſeu etiam commodare cubiculum ad fornicandum, & non eſſe intrinſecè malum, ſed indifferens, & ex ſola praua intentione abutentis ordinari ad malum, & ideò poſita iuſta cauſa poteſt fieri. Contra Nauarr. *cap.* 19. *num.* 195. etiamſi ob loci circumſtantiam aliquis

peccatum

peccatum committeret; quod minimè patraret eo loco ſibi non conceſſo, vt ratione ſitus,&c. vt ſi meretrix domum illam conducens plurimum fœminis honeſtis vicinis nocebit. Et ita docent Valentia *tom.* 3. *diſp.*3. *quæſt.*21.*pun.*4. Salon. 2.2. *quæſt.* 24 *artic.* 4.*contr.*6. Suarez. *tract. de charitate diſp.* 10. *ſect.* 4. Lorca 2.2.*quæſt,*10.*art.*9.*num.*5. Molſeſ. *in ſum. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.*5. *num.* 53. Vnde ſubſiſtente cauſa rationabili non modo poteſt quis locare domum meretrici, verum etiam res indifferentes tradere,aut vẽdere ijs, quos nouerit abuſurus ad malum finem. Et ita Salas concedit poſſe vendi fucos, monilia, veſtes fœminis abuſuris illis ad adulteria, &c. Item poſſe vendi aleas, taxillos,&c. iniuſtè luſus.

An Conductor poſſit rem conductam alteri locare?

BRACTEA IX.

R. Licitvm eſſe conductori rem conductam alteri locare, dummodo aliter non ſit conuentum. Ita Molina *diſp.* 489. Carocius 2. *part. quæſt.* 15. *de ſublocat.* Tuſcus *tom.*5. *concluſ.* 413. & alij communiter. Ratio colligitur ex *leg. nemo cod. de locat.* vbi nemo prohibetur, rem, quam conduxit alijs locare.

Sciendum, quod licet regulariter poſſit conductor rem conductam alteri locare, tamen quando illa ſublocatio vertitur in damnum locatoris non poteſt ſublocare. Vnde conductor meretrici, vel vſurario non poterit domum ſublocare, quoniam cederet in opprobrium locatoris. Reginald. *lib.* 25. *num.* 506. Em. Sà *verbo conductum*. Rodriquez. 1. *part. cap.* 18. Rebellus *lib.*4.*quæſt.*18.*num.*3. & alij communiter. Secundò, debet conductor locare rem idoneo, & ad eundem vſum, & tunc ſecundus conductor actione perſonali obligatur ad ſoluendam penſionem, non primo, ſed ſecundo locatori, quam penſionem ſi ſecundus conductor primo locatori ſoluerit penitus ipſe liberatur. *leg. ſolutum*; verum bona ipſius, quæ reperiuntur in illa domo remanẽt hypothecata pro penſione ſoluenda domino. *leg. ſolutum* §. *ſolitum ff. de pignoratiua actione.*

An ſi conductor impediatur ab vſu, & cultura rei conductæ, teneatur ſoluere penſionem?

BRACTEA X.

R. Si conductor ſua culpa non vtatur re conducta tenetur ſoluere integram penſionẽ. Ita Nauarr. *cap.* 17. *nu.*188. Leſſius *lib.* 2.*cap.* 24.*dub.*2. Molina *diſp.* 493. & omnes communiter. Ratio, quia eius culpa non poteſt alteri afferre damnum, & per conſequens cum propria culpa non fuerit vſus re conducta, tenetur ſoluere penſionem. Secundò, ſi aliquod impedimentum ſuperueniat ex parte rei conductæ abſque culpa conductoris, ob quod conductor non poſſit vti re ipſa, vel eam colere, pro eo tempore non tenetur ſoluere penſionem, ſed ſolum ad ratam temporis, quo ipſa eſt vſus. Ita Nauarr. *loco cit. num.*187. Rebellus *part.* 2. *lib.*14.*quæſt.*5. Lopez *lib.* 2.*de contract. cap.*25. Molina *diſp.*493. Em. Sà *verbo conductio num.* 11. Tabiena *verbo locatio num.* 12. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 518. Ratio, quia promiſſio penſionis cenſetur facta ſub hac conditione, quatenus poterit vti re conducta, vel eam colere, contractus autem non obligat vltrà intentionem contrahentium. Tum etiam, quia ſic decernitur *leg. habitatores* §. *vlt. ff. locati*, & *leg. ſi fund. ff. locati*. Vnde qui conduxit domum, quam non poteſt inhabitare, quia vexatur à ſpiritibus, non teneri pro eo tempore, quo ipſam non potuit habitare ob vexationem ſpirituum ſoluere penſionem, cum impedimentum proueniat ex parte rei conductæ, ſed ſolum pro tempore, quo ipſam habitauit. Similiter quando domum conductam non potuit habitare ob ſuperuenientem peſtem, non tenetur ſoluere penſionem, niſi aliter conſuetudine receptum ſit: ita Dominum non teneri ſoluere penſionem famulo, cuius opera non eſt vſus, & qui in morbum incidit, & pluribus diebus in infirmitate fuit detentus; ſecus verò dicendum, ſi paucis diebus non fuerit vſus opera illius.

R. ſecundò, quando domus conducta, non fuit habitata defectu locatoris, quia non fecit in ea, quæ pactus fuit in contractu locationis, v. g. illam non reparauit ſi diruta erat, tunc conductor non obligatur ſoluere penſionem. Ita Tabiena, Silueſter *verbo locatio*, & alij ſupra citati. Ratio, quia ſi frangenti fidem fides frangatur, non eſt contra iuſtitiam; ita & etiam non eſt contra iuſtitiam non ſoluere penſionem locatori domus, qui promiſit reparare domum, & non reparauit, ſi conductor ob defectum reparationis, ea non ſit vſus.

Sciendum dubium eſſe an conductor teneatur ſoluere penſionem domus, quando ſua culpa ea non eſt vſus, & domus alteri locanda non erat. Nauarrus *cap.*17.*num.*197. affirmatiuè reſpondet. Sed reſpondeo cum Silueſtro *verbo locatio* negatiuè. Ratio, quia contra æquitatem videtur, cum reſtitutio ordinetur ad compenſandum damnum, ſed in tali caſu locator, ſi tu non conduxiſſes nihil erat lucraturus, quia domum alteri non locaſſet; ergo non minus habet ex eo, quod debebat habere; ergo nihil à conductore caſu fortuito impedito in conſcientia eſt ſibi reſtituendum. Secus tamen ſi alteri locaſſet domum, quia tunc teneretur ſoluere penſionem.

In quibus caſibus non obligatur conductor ſoluere penſionem?

BRACTEA XI.

R. Locatorem obligari remittere penſionem, vel parte ipſius ſuperueniente magna ſterilitate ob caſum fortuitum abſque culpa conductoris, niſi aliter inter contrahentes pactum ſit, quia tunc conductor cenſetur ceſſiſſe iuri ſuo, tum quia ſic habetur *leg. ſi quis feudum ff. locati*, & ex *l. conduct.* & eſt opinio omnium Doctorum.

Sciendum, quod ſi ſterilitas talis fuerit, vt conductor nihil omninò fructuum ex re conducta perceperit, vt v.g. ſi locatio erit prædiorum, & præ caſu fortuito, nempè inundatione fluuiorum, grandine, incurſu hoſtium, & ſimilium conductor nihil omninò fructuum percipiat, tunc non teuetur ſoluere penſionem. Similiter ſi locatio erit alicuius Molendini, & aditus ad illud præ incurſa hoſtium ita impediatur, vt ad illud nemo accedere poſſit molendi cauſa, tunc penſionem ſoluere non tenetur; ita ſi locatio erit domus, quæ tamen ex eo, quod diruta fuit ob terremotum, vel ob bellum nullo modo habitari poſſit, neque in iſto caſu tenetur conductor ſoluere penſionem. Quando verò ſterilitas non eſt tanta quin aliqui fructus colligantur, tunc ad ratam ſterilitatis penſionis debet fieri remiſſio, ne ſolus con-

ductor damnum patiatur, ſed damnum ſit commune. Secundò, locatorem non teneri remittere penſionē rei conductæ, quando ſterilitas non prouenit ex cauſa extrinſeca, ſed intrinſeca ipſius fundi. Ratio, quia iſta ſterilitas non dicitur prouenire ex caſu fortuito. Tum etiam, quia tempore contractus cenſetur preuiſa. Vnde ſi quis alteri locat prædium praua qualitate affectum, cuius ratione non poteſt copioſè colligere fructus, tunc conductor obligatur ſoluere penſionem, cum ſterilitas procedat ex cauſa intrinſeca, & ex mala qualitate ipſius prædij. Tum etiam, quia non prouenit per caſum fortuitum, aut inſolitum; tum etiam, quia cum tale vitium præfuerit tempore contractus, non erit ratio cur ob ipſum remittatur penſio, vel pars illius. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 8. *num.* 9. & alij. Tertiò, ſi præcedentium annorum ſterilitas compenſet præſentem ſterilitatem, locator non tenetur quidquam remittere de penſione, ſed conductor debet ipſam ſoluere. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 3. *num.* 19. Rebellus *loco cit.* & alij. Ratio, quia ſi ob ſterilitatem fit remiſſio, par eſt, vt ob fertilitatem id compenſetur, cum ſors vtriuſque debeat eſſe æqualis.

Sciendum dubium eſſe quanta debeat eſſe ſterilitas, vt fiat remiſſio penſionis pro rata. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 188. Siluester *verbo penſio quæſt.* 13. Rebellus *loco cit. quæſt.* 8. & alij docent eſſe ſtandum arbitrio prudentium expertorum illius Regionis, ſeu Prouinciæ. Alij verò, vt Roſella *verbo locatio quæſt.* 12. Angelus *eodem verbo num.* 106. dicunt eam ſterilitatem ſufficere, qua deductis expenſis, & ſemine non ſuperſunt fructus, qui reſpondeant dimidiæ penſioni, & ſi quod ſupereſt reſpondeat dimidiæ penſioni, tunc conductorem eam ſoluere debere.

An quando ſterilitas prouenit culpa conductoris, vel famulorum teneatur ſoluere penſionem?

BRACTEA XII.

R. Qvando negligentia conductoris contingit ſterilitas, vel quia non ſeminauit tempore debito, vel negligenter coluerit prædium, vel non purgauerit illud malis herbis, &c. non excuſatur à ſolutione penſionis. Ita Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 8. *num* 2. & alij. Ratio, quia ſibi debet imputare damnum, & non locatori; & per conſequens tenetur ſoluere penſionem tempore debito. Secundò, ſi conductor ob bellum, peſtem, &c. prædium conductum non ſeminauerit, vel à militibus fructus fuerunt deuaſtati, vel exuſti, non obligatur ſoluere penſionem, dummodo non adſit culpa ipſius conductoris, cum fortuitò eueniant, & conductor non obligetur de caſu fortuito. Rebellus *loco cit. num.* 16. Vnde conductor non obligatur ſoluere penſionem, quando ob bellum, peſtem, &c. non poteſt ſeminare, vel colere prædium, vel ob alias calamitates non ſolitas in ea Prouincia, & Regione, quæ ſi fuerint ſolitæ tenetur ſoluere penſionem; ſicut etiam eam tenetur ſoluere, quando prædium tempore belli, vel peſtis conduxit; ſimiliter non tenetur ſoluere penſionem, ſi fructus pendentes à militibus deuaſtentur, vel etiam quando ſunt in area antequam domum afferantur, accipiantur, vel deuaſtentur, dummodo non adſit culpa conductoris; ſi verò poſtquam domum fuerunt allati furentur, aut deuaſtentur, tunc obligatur ſoluere penſionem; ſicut etiam non tenetur ipſam ſoluere ſi fructus à ſolo ſeparati in area pereunt, v.g. frumentum, alluuione, incendio, &c. pereat. Ratio eſt, quia humano modo non poteſt dici collectum. Ita apud Bonacinam *diſp.* 3. *de contract. quæſt.* 7. *pun.* 3. *num.* 15. Tertiò, quando ſterilitas culpa famulorum contingit, tenetur conductor locatori ſoluere penſionem rei, quæ locat. Ita Rebellus *lib.* 14. etiamſi culpa famuli ſit leuis. Ratio, quia culpa famulorum domino debet imputari, vel quia non idoneum famulum elegit, vel etiam, quia non fuit ipſe ſollicitus in iubendo. Tum etiam, quia culpa famulorum æſtimatur, ac ſi eſſet culpa domini.

In quibus caſibus conductor ex caſu fortuito teneatur?

BRACTEA XIII.

R. In tribus caſibus teneri: Primus eſt, quando caſus fortuitus procedit ex aliqua culpa, quamuis leui conductoris, vt ſi quis equum locatum pro vno loco, ducat in alium, vel eundo in locum, pro quo fuit locatum non progreditur per viam ſolitam; ideoq; incidit in latrones, à quibus equus ſpoliatus eſt. Secundus, quando conductor fuit in mora culpabili reſtituendi rem domino ſuo, & res perit in mora, quod apud dominum non accidiſſet, vt ſi quis aliquia equum locatū teneret domi, qui morante conductore ipſum reddere domino, furto fuit ſublatus, obligaretur ad reſtitutionem ob moram culpabilem. Tertius, quando ab initio fuit pactum de caſu fortuitò: in ijs tribus caſibus obligatur conductor ad reſtitutionem rei apud ipſum deperditæ, etiam ſi contingenter apud dominum eſſet peritura fuiſſet.

An renuncians in genere caſibus fortuitis cenſeatur renunciare omninò inſolitis, & qui rariſſimè contingunt?

BRACTEA XIV.

R. Qvi caſibus fortuitis in genere, vel in ſpecie renunciauit, nequaquam de euentibus, qui rariſſimè contingunt cogitaſſe, ac proinde renunciaſſe, ſed ſolum conſuetis, & ſolitis in illa Regione, & Prouincia. Ita Rebellus *lib.* 14. *dub.* 8. *num.* 18. & alij plures. Ratio, quia huiuſmodi pactum cenſetur eſſe ſtricti iuris, & verificatur quoad effectus, qui raro contingunt, non tamen extenditur ad eos, qui rariſſimè. Tum etiam, quia quando agitur de obligatione ſtrictior interpretatio recipi debet, iuxtà illud. Odioſa ſunt reſtringenda.

Sciendum, quod ſi huiuſmodi renunciatio in genere, vel in ſpecie firmata ſit iuramento non erat ex hoc amplius extendenda, quam ſi iurata non fuiſſet. Tum quia iuramentum ſequitur ſuum principale, & naturam eius, cuius eſt actus; cum autem pactum ſe extendat ſolum ad ea, quæ raro, & non rariſſimè contingunt ſequitur iuramentum ad effectus rariſſimos, & inſolitos non ſe extendere.

Quanta

Quanta debeat eſſe vbertas præcedentium annorum, vt locum habent compenſatio ſterilitatis?

BRACTEA XV.

R. Locatoram poſſe augere penſionem propter vbertatem fructuum procedentem non ex induſtria conductoris, ſed ex clementia Cœli, vel alio caſu fortuito. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 24. dub. 3. num. 21.* Ratio, quia ſicut ob ſterilitatem diminuitur penſio, ita propter vbertatem debet augeri, vt qui ſentit incommodum ex ſterilitate, ſentiat etiam commodum ex vbertate.

Sciendum tamen hoc intelligendum eſſe de vbertate notabili, quia ſicut diminutio penſionis non fit ex quacumque ſterilitate, ſed ex graui, ita ſi vbertas non erit notabilis, penſio non erit augenda, cum parum pro nihilò reputetur. Secundò, illa vbertas ſufficit ad compenſandum, quæ ſimul coniuncta cum anno ſterilitatis tantum commodi affert conductori, quantum damni ſterilitas, ita vt tantum vtilitatis attulerit vbertas, quantum damni intulit ſterilitas. Ita Leſſius *loco cit. num.* 20. & alij. Ratio, quia per vbertatem facta tali compenſatione conductor non cenſetur pati damnum ex ſterilitate præcedenti.

Sciendum 2. ex Rebello 2. *part. lib.* 14. *quæſt.* 8. eam vbertatem ad compenſationem exigi, quæ communiter pleno ore vbertas appellatur; ſicut etiam ſterilitas; vt ergo ſterilitas ad remiſſionem communiter à iure, & Doctoribus requiſita continere debet damnum vltrà dimidium iuſtæ penſionis, ſeu ſolitorum fructuum, nec minor, pleno ore ſterilitas appellari ſolet, ita abundantia ad compenſationem requiſita ſecundum leges, ac Doctores vltrà dimidium ſolitorum fructuum debebit eſſe, niſi contraria conſuetudo ſolita ſit, vt ſi ſoliti ſint percipi viginti percipiantur plus, quam quadraginta: quare improbandus eſt Nauarrus *cap.* 17. & alijs aſſerentes ſufficere abundantiam in ſola tertia parte vltra ſolitum. Ita Rebellus,

An conductor excuſetur à ſolutione penſionis, quando non coluit agrum, ſi poſtea conſtiterit deuaſtandum per fortuitum euentum incendij, vel alterius labis?

BRACTEA XVI.

N. Egative reſpondet Valaſcus *quæſt. 2. num.* 42.

R. Reſolutionem admittendo pro foro iudiciali, in quo eam pœnam meretur, qui non coluit, ſicut iure iuſtitiæ tenebatur; in foro tamen conſcientiæ hominem excuſari à tota pẽſione eo, quod ratione contractus non debeat penſionem, ſed ratione fructuum in eorumque compenſationem, atq; adeò cum nullus recipiendus eſſet quantumcumque agrũ coluiſſet nihil debeat, neque teneatur ad ſatisfactionem iniuriæ, quam contra obligationem colendi, ac contra iuſtitiam commiſit, eo quod in genere moris ibi iniuria non ſubſit, niſi ratione damni, quod alteri ſubſequi poterat; cum ergo de facto per culturam non fuiſſet euitandum idcircò omninò excuſatur non minus, quam ſi præſciret certum incendium, hoſtiumque incurſum, ab omni culpa, & obligatione ſoluendi excuſandus foret; ſi tamen ante incendium aliquis fortè fuiſſet à locatore penſionem empturus ſi ſegetem in prædio locato vidiſſet: iſtud ſanè damnum, & ſi quæ alia ex ommiſſa ſeminatione orirentur, compenſare conductor teneretur, idemque dicẽdum ſi de lucro ceſſante pactum fuiſſet, vel alio ſimili, ſi fortè illud recepturus foret, ſi non locaſſet. Ita Rebellus a *parte lib.* 14. *quæſt.* 8. Secundò, prædium locati poſſe eo pacto, vt conductor rem locatam ſuo periculo ſuſcipiat, dummodo periculi fiat compenſatio, vel minuendo penſionem, vel alia ratione. Ratio, quia licet tale pactum ſit præter ſubſtantiam cõtractus non tamen eſt contrà. Tum etiam, quia nulla iniuſtitia, cum onus periculi iuſto pretio compenſetur.

An locator teneatur aperire vitium rei locatæ?

BRACTEA XVII.

R. Locatoram obligari manifeſtare vitium rei locatæ, quod conductori poteſt nocere, alioquin obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti ſua culpa per taciturnitatem vitij. Ita Silueſter *verb. locatio quæſt.* 18. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 196. Lopez. *lib.* 2. *de contract. cap.* 27. Ratio, quia ſicut venditor obligatur manifeſtare rei defectum, quæ venditur, ita etiam locator rei, quæ locatur tenetur manifeſtare defectus, quando res eſt conductori noxia, vel ita vitioſa, vt vſui, ad quem locatur non poſſit deſeruire.

Sciendum, quod, qui alteri locauit vaſa vitioſa, obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Nauarr. *cap.* 17. *num.* 196. Silueſter *verbo locatio quæſt.* 18. & omnes. Similiter, qui equum aſſuetum ſe in aquam immergere alteri locauit ad mercea transferendas, obligari ad reſtitutionem damni, quod paſſus eſt conductor non admonitus de vitio equi. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 4. Nauarrus, & Silueſter *locis citat.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. & alij. Secundò, locatorem obligari manifeſtare ſolum vitia occulta rei, quæ locatur, ſi vſui, ad quem locatur non poſſit deſeruire, alioquin non tenetur. ita Rebell. *lib.* 14 *quæſt.* 4. *nu.* 7. & plures alij. Ratio, quia conductio fit ſub tali tacita conditione, vt vſui, per quem locatur poſſit deſeruire, & per conſequens ea, quæ impediunt tenetur aperire. Vnde locans rem vitioſam, ita vt vſui, ad quem locatur non poſſit deſeruire, non poteſt ex illa locatione recipere mercedem, & ſi recipit, tenetur illam reſtituere; immò etiam obligatur ad reſtitutionem dãni ob illam locationem ſequuti. Quod ſi illud vitium ſit manifeſtum, ſi tamen locanti conſtat conductori eſſe occultum, ita vt ſi vitium ſuſpicaretur rem non conduceret, tenetur in conſcientia manifeſtare: in foro verò externo non tenetur illud manifeſtare, quia quod omnibus notum eſt, conductori etiam præſumitur notum eſſe. Quod ſi conductor, licet ſciret vitium, nihilominus conducturus eſſet rem eodem pretio, tunc locator ad nullam obligationem tenetur; ſi verò cognito vitio crederetur conducturus minori pretio, tunc locator obligaretur reſtituere exceſſum, ſi non manifeſtauit vitium. Qui verò bona fide alteri locauit rem vitioſam, & poſteà dubitat an vitium fuerit à conductore cognitum ad nihil tenetur, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis, debet tamen vti diligentia ad ſciendam veritatem, ſicut etiam qui locauit domum alteri, quæ fuit cuſa à vero domino, obligatur

ad

ad reſtitutionem damnorum, ſi mala fide locauit. *l. ſi fund. ff. locati*; Si verò bona fide locauit ignorans alienam eſſe, non tenetur ad reſtitutionem damni, quia bona fides, quæ ipſum excuſat à culpa, excuſat etiam à pœna.

Ex qua culpa obligetur locator conductori, & conductor locatori.

BRACTEA XVIII.

R. Locatore obligari conductorem de culpa lata, & leui, non autem de leuiſſima, & de dolo, non autem de caſibus fortuitis. Ita Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 24. dub. 5.* & alij. Ratio, quia cum contractus locationis ſit in vtilitatem vtriuſque ſolum conductor obligatur, vt ſuprà dictum eſt de dolo, lata, & leui culpa, non autem leuiſſima. Vnde conductor in cuſtodienda re locata, v. g. domum, equum, vas, aut ſimilia, ſolum teneri de culpa lata, & leui, & illa diligentia tenetur vti in illis conſeruandis, quam communiter ſolent homines præſtare, non autem tenetur de leuiſſima, niſi inter illos aliter ſit conuentum. Vnde ſi ob culpam, vel negligentiam latam, vel leuem res perit, vel ſit deterior facta, conductor obligatur de damno, vt v. g. ſi conduxit equum, vt recto tramite iret in vnū locum, ſed in alium diuertit, qua via equus à latronibus captus eſt, vel eſt mortuus alibi non moriturus, tunc conductor obligatur de damno, etiam culpa leuiſſima, aut caſu fortuito ſequuto; ſi verò pereat iuxtà pactum locationis, non obligatur nec de culpa leuiſſima, nec de caſu fortuito, ſed ſolum de lata, & leui; Similiter dicendum eſt, quod ſi conductor ſit in mora reſtitutionis, obligatur de culpa leuiſſima, & de caſu fortuito, vt v. g ſi equus conductus furto fuit ſublatus, vel perijt caſu contingenti, vel fortuito, quando conductor eſt in mora reſtitutionis, obligatur, & de leuiſſima, & de caſu fortuito, cum moroſus reſtitutor de qualibet culpa obligetur. Secundò, locatorem obligari de dolo, culpa lata, & leui, non autem leuiſſima circa conductorem. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 24. dub. 6.* & omnes. Ratio, quia eſt contractus in vtilitatem vtriuſque, qui ſolum obligat de dolo, culpa lata, & leui. Vnde locatarius, qui alteri locat rem vitioſam, vel prauo odore imbutam ſcienter, vel culpabili ignorantia tenetur conductori de damno; ſecus verò ſi locator fuit ignarus vitij, vel bona fide eam locauit, quia tū non obligatur de damno. Nauarr. *cap. 17. num. 196.* Siluester *verbo locatio queſt.* 18. Quod ſi locator dubitauerit an ſua culpa damnum ſequutum ſit, excuſatur à reſtitutione, quia in dubijs melior eſt conditio poſſidentis.

Sciendum ex Rebello *loco citato* culpam, quæ non excuſat conductorem ad ſoluendam penſionem debere eſſe aliquo modo grauem, nec ſufficere leuiſſimam, aut quamuis aliam, quam non maiorem veniali eſſe conſtet. Inſuper debere eſſe ad eundem finem ordinatam; vnde excuſandus erit conductor, ſi in odium ipſius ſegetes comburat, vel locatam rem deſtruat, licet huic opinioni contradicat. Siluester *queſt.* 8. Angelus §. 19. poſt gloſ. *legis ſi merces ff. locati §. culpę.* Etenim delinquenti, nulla eſt, de iuſtitia obligatio ſatisfaciendi damnum, quod per accidens ex ipſius peccato ſubſequutum fuit.

Quot ſint obligationes conductoris?

BRACTEA XIX.

R. Obligationes conductoris eſſe quatuor. Prima obligatio conductoris eſt, vt non poſſit vti re conducta, niſi ad eum vſum, ad quam conduxit, niſi aliter conijciar de mente locatoris. Ratio, quia tenetur ſtare locationi, & conuentioni factæ; Vnde, qui conduxit equum Vercellas verſus, & iuit poſteà Nouariam, vbi mortuus eſt, alioqnin non moriturus, obligatur ad reſtitutionem. Conradus *de contract. queſt.* 87. Rebellus *2. part. lib. 14. queſt. 15. num. 5.* & alij. Secunda conditio, vt non poſſit conductor abſque iuſta cauſa rem conductam dimittere, nondum explero locationis tempore, cenſetur iuſta cauſa, ſi equus v. g. conductus infirmarus eſt, aut domus ex aliqua parte corruerit, vel aliquo alio modo res conducta abſque culpa conductoris deterior fuerit facta, ita vt ipſa vti non poſſit. Tertia, vt tranſacto locationis tempore teneatur conductor eandem rem integrè reſtituere, niſi fortè abſque culpa conductoris deterior fuerit facta. Antonius Gomez *2. var. cap. 3. num. 21. & 22.* Quarta, vt determinato tempore ſoluat penſionem, aut iuxta conſuetudinem loci, & ſi nullum de ſoluenda penſione interceſſerit pactum, aut conſuetudo non extet in fine anni erit ſoluenda. Ratio, quia ante finem anni locator non adimpleuit contractum ex parte ſua. *argumento textus leg. Iulianus §. offerri ff. de actionib. empti.* Tum quia in contractibus iudicandum eſt in fauorem debitoria, cum in obſcuris potius ſit fauendum reo, quam actori, etiamſi locatio fuerit ad plures annos; hoc enim videtur tacitè inter contrahentes actum, quando non fuit præfixus terminus ad ſoluendum, & locator debet ſibi adſcribere, & imputare, ſi aliter non conuenit.

Quænam ſint obligationes locatoris?

BRACTEA XX.

R. Plures etiam eſſe; prima eſt, locatorem teneri reſarcire expenſas neceſſarias, & vtiles factas à conductore, quæ duraturæ ſunt vltrà tempus conductionis. Ratio, quia qui ſentit commodum, debet etiam incommodum ſentire; cum autem locator ſentiat commodum ex melioramento, debet etiam incommodum expenſarum ſentire ipſas compenſando.

Sciendum expenſas, quæ poſſunt fieri a conductore eſſe in triplici differentia: quaſdam neceſſarias, alias vtiles, & alias delectabiles. Expenſæ neceſſariæ ſemper à locatore compenſandæ ſunt; vtiles, quæ duraturæ ſunt vltra tempus locationis, & quæ domino erunt etiam vtiles, ſunt etiam compenſandæ, quæ verò duraturæ non ſunt vltrà locationem, vel domino non fuerint vtiles, non ſunt reſarciendæ; expenſæ delectabiles non ſunt compenſandę, cum cenſeantur ſolum factæ in vtilitatem conductoris, non autem locatoris. Verum ſi res pluris valeat ob illas in foro conſcientiæ ſunt deducendæ, cum dominus non debeat ditior fieri ex expenſis alienis. Ita Molina *tom. 3. diſp.* 731. & alij.

Secunda conditio eſt, vt locator teneatur ad onera, & tributa impoſita pro re locata, niſi aliter conuentum ſit, vel aliter poſtulet conſuetudo loci. Ita Rebellus *lib. 14. queſt. 9.* Azorius *3. part. lib. 8. cap. 8.* & alii. Ratio, quia cum locator ſit dominus rei, ad

ad ipſum ſpectat ſoluere onera pro re impoſita.

Sciendum ſecundò, quod ſi onera, vel tributa non erunt impoſita pro re, ſed pro fructibus, ad conductorem ſpectat eas ſoluere, cum fructuum ſit ipſe dominus, & non locator. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 9. Azorius 3. *part. lib.*8. *cap.*8. & alij.

Tertia conditio eſt, vt locator non poſſit rem locatam repetere, nondum finito locationis tempore, niſi adſit aliqua iuſta cauſa, vt infra dicetur. Ratio, quia non poteſt reſilire à contractu inito cum conductore, niſi in caſibus ſubſequentibus, in quibus licitum eſt rem locatam repetere, & conductorem expellere; vt patet tum ex Iure Cæſareo, *leg. ede ff. locati*; tum ex Iure Canonico *cap. propter ſterilitatem* §. *verum de locato*, & ex alijs Iuribus; locatorem tamen teneri remittere penſionem pro rata temporis, quo non permittit, conductorem vti re conducta; par enim non eſt, vt conductor ſoluat penſionem pro re, qua non vtitur. Leſſius *loco cit. dub.* 6. Siluëſter *verbo locatio quæſit.* 9. Gomez. 2. *var. cap.* 3. *nu.* 6. Reginald. *lib.*25. *num.* 510. Molina *diſp.* 490. & alij communiter.

Quibus de cauſis licitum ſit conductorem expellere, vel priuare conducto?

BRACTEA XXI.

R. Condvctorem poteſt à locatore expelli, ſi per biennium penſionē non ſoluit, quando locatio eſt per quinquennium, ſi verò locatio ſit ad tres, aut quatuor annos poteſt expelli, ſi die præfixo non ſoluit, vel iuxtà conſuetudinem loci, in quo contractus celebratur. Ita Siluester *verbo locatio* Nauarr. *cap.* 17. *num.* 193. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 10. Rodriquez. *part.* 1. *cap.*20. & alij. Ratio, quia locatio cenſetur facta ſub tali conditione, quod ſoluat penſionem die ſtatuto, aut iuxtà conſuetudinem loci.

Sciendum, quod ſi conductor aliqua iuſta cauſa impeditus non ſoluerit penſionem die deſignato, aut quia abſens erat, aut alia de cauſa, tunc non poteſt locator ipſum expellere à conductione; dummodo data opportunitate ſoluat; ſicut etiam non poteſt expelli, quando tranſacto aſſignato die rogatus de ſoluenda penſione celeriter ſatisfacit, cum per celerem ſatisfactionem purget moram, quam fecit in non ſoluendo. Secundò, inopinatus euentus, quo locator indiget re, quæ locatur v.g. ſi neceſſe habeat domum ſuam locatam habitare, vt ſi domus, quam prius habitabat priuato caſu corruat, vel comburatur, nec locator poſſit commodè aliam inuenire. *leg. ede qua locato*. Ita Cardinalis Tuſcus *tom.* 5. *concluſ.*416. & alij. Vnde ſi Paulus habeat domum, cuius partem locet Petro ad habitandum per triennium, & alteram partem ipſe Paulus habitet, quæ ſi aliquo caſu corruat, vel comburatur, ita vt ipſe non habeat aliam domum ad habitandum poteſt Petrum expellere ex parte domus ipſi locati, vt eam habitet. Similiter ſi aliquo repentino accidenti coactus ſit migrare è prima domo, quia v. g. vxorem duxit, quam tempore contractus non habebat, & & pars domus, quam inhabitat non ſit amplius ſufficiens ad habitandum poteſt expellere conductorem alterius partis. Quod etiam dicendum eſt ſi filius contraheret matrimonium, & indigeret altera parte domus ad habitandum, vel etiam, quia locator honoratus fuit aliqua dignitate, v.g. officio Præſidis, vel Iudicis, &c. ratione cuius, quia maiore indiget familia, indiget etiam grandiore domo. Tū etiam ob frequentiam hominum; verum hunc ſecundum caſum tantum habere locum in domibus, non autem in prædijs, ſeu agris. Gomezius *tom.*2. *cap.*3. *nu.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.*24. *dub.*16. *num.*34. Tertiò, ſi domus, vel alia res locata indigeat reparatione, quæ non poſſit fieri habitante conductore. *leg. ede cit.* tunc habet locator iuſtam cauſam expellendi conductorem, ità Leſſius *loco cit.* Verùm ſi facta reparatione, nondum elapſum fuerit tempus conductionis, reſtituenda eſt conductori, niſi fortè conductor eſſet inuitus, & damnum pateretur de nouo habitando. Quartus caſus eſt, quando conductor abutitur re conducta, vt quando conducunt meretrices in domum conductam, aut alio pacto malo vtitur re conducta damnum illi inferendo, vt ſi intrà cubicula ſues alat, vel arbores incidat, agrum debito tempore non colat, &c. Quod dictum eſt de meretricibus intelligit Molina *diſp.* 499. quando domus locata eſt inter probos viros, & fœminas: ſi enim domus eſſet iuxtà lupanar, aut inter alias domos, in quibus ſimilia exercentur, quia tunc corruptio morum, aut viciniæ nō ſequeretur ſcandalū, ideò expelli ea de cauſa conductor à locatore non poſſet. Quod ſi locator expellit conductorem è domo conducta tenetur pēſionem ad ratam temporis remittere, vel ſaltem prouidere emptorem de alia domo æquè commoda. *leg. qui operas ff. locati.* Ratio, quia par non eſt, vt conductor ſentiat incommodum penſionis abſque ſua culpa. An abſque Iudicis auctoritate poſſit expelli. Rebellus *loco cit.* negat; alij verò affirmant, & vtraque opinio cenſetur probabilis. Verum in certis locis lege cautum, vel conſuetudine introductum, ne id fiat abſque publica auctoritate, vt multorum malorum occaſio præſcindatur.

An in caſibus, in quibus conductor expellitur, obligetur ſoluere penſionem pro tempore, quo re conducta non vtitur?

BRACTEA XXII.

R. In ſecundo, & tertio caſu locantem obligari remittere penſionem conductori pro rata temporis, quo conductor non vtitur re conducta. Ita Rebellus *part.* 2. *dub.* 4. *quæſt.* 10. & alij. Ratio, quia nulla adeſt culpa conductoris, quæ cenſeatur cauſa damni; Secundò, in primò, & quarto caſu locans obligatur remittere penſionem pro rata temporis, quo conductor non vtitur re conducta, ſi rem poterit alteri locare ſine damno; ſi autem non poterit ſine damno locare, non tenetur remittere penſionem niſi aliter ſit conuentum, aut poſtulet cōſuetudo loci. Ita Leſſius *loco citato num.* 38. & alij. Ratio, quia cum conductor ſit cauſa efficax damni, obligetur ad reſtitutionem.

Sciendum tertiò, quod ſi locator cum conductore cōuenerit ipſum non expellere quocumque accidente non poteſt ipſum expellere, quia ex pacto cenſetur renunciaſſe iuri ſuo, ſi autem ob pactum non intenderit renunciare iuri, quod leges ei concedunt, poterit illos ob caſus ſuperius dictos expellere, etiā ſi illud pactum ſit iuramento firmatum, quia in pactis non cenſentur comprehenſi illi caſus, qui iure ſunt excepti, & iuramentum ſequitur ſuum principale, &c.

An

An præſumatur renouatio locationis ex patientia, & taciturnitate domini permittentis conductorem lapſo tempore conuento continuare?

BRACTEA XXIII.

R. Affirmatiuè, vt v. g. ſi locauerim domum ad triennium, & eo finito, in eadem domo permaneam ſciente, & tacente locatore, quia ex eo, quod locator ſciens ſileat, eo ipſo videtur iterum locare. Ratio, quia ex patientia, & taciturnitate conſenſus percipitur vtriuſque, qui ſufficit ad renouandum contractum locationis, & conductionis. *leg. Item quæſit.* §. *qui impleto ff. locat.* & *leg. Qui ad certum ff. eodem titulo*. Secundò, locationem cenſeri ſolum renouata in annũ ſequentem, vt in eadẽ lege dicitur, quod ſi finito anno ſequẽti iterum, conductor perſeueret ſciẽte, & patiente locatore; cenſetur ſimiliter locationem prorogare in ſequentem annum, & ita conſequenter quouſque finito aliquo anno eiuſmodi tacitæ prorogationis diſceſſus fiat à contractu, deſerente conductore domũ, aut locatore expellente conductorem. Molina *diſp.* 48. & alij. Tertiò non eſſe definitum in iure communi, quantum tempus requiratur, vt locator cenſeatur tacitè renouaſſe locationem in annum ſequẽtem, ſed relinqui arbitrio iudicis pro foro iudiciali; ſicut pro foro conſcientiæ prudentis arbitrio determinandum erit. Gomez. *tom.* 2. *variar. cap.* 3. *nu.* 6.

An hæres locatoris poſſit expellere conductorem?

BRACTEA XXIV.

R. Hæredem vniuerſalem non poſſe ante expletum tempus locationis expellere locatorem, niſi in caſibus ſuprà enarratis. Ita omnes Legiſtæ, & Canoniſtæ. Ratio, quia hæres vniuerſalis ſuccedit in locum locatoris; cum autem locator non poſſit expellere conductorem, niſi in prædictis caſibus, ita & hæres vniuerſalis. Secundò, minor, & pupillus tenentur ſtare locationi factę per Tutorem, & Curatorem, niſi ſint notabiliter læſi. Ita Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 11. *num* 14. Molina *diſp.* 492. *num.* 1. Gomez. 2. *var. cap* 5. & alij. Ratio, quia, quæ agit Tutor, vel Curator nomine pupilli agit, & non nomine proprio; verum minori concedi reſtitutionem in integrum, ſi notabiliter compererit ſe læſum, vt ſupra dictum eſt. Tertiò, vxor, defuncto marito, non tenetur ſtare locationi per eum factę de fundo dotali, niſi ipſa ſpecialiter conſenſerit. Verum obligatur ſeruare maritum indemnem, ne damnum patiatur iuxtà tradita per Gomez. 2. *var. cap.* 3. *de locatione*. Molin. *diſp.* 492. Rebellus *loco cit. num.* 11. Quoad locationem bonorum paraphrenalium tenetur ſtare locationi, cum cenſeatur facta à marito nomine vxoris, tanquam ab adminiſtratore, & procuratore. Quartò, ſucceſſorem particularem, qui ſolum ſuccedit in re particulari, qualis eſt emptor, donatarius, vel locatarius] non obligari ſtare contractui, locationis celebrato ab eo, qui ſuccedit in re particulari. Ratio, quia non repræſentat perſonam locatoris, nec ipſius obligationes ſuſcipit, niſi anteceſſor aliter expreſsè, vel tacitè conuenerit, aut niſi bona locatoris ſint hypothecata conductori, quia tunc tranſeunt cum onere, cum res defuncti cenſeantur tacitè hypothecatæ, ſeu obligatæ pro meritis ipſius.

An fiſcus teneatur ſtare locationi factæ per condemnatum, in cuius bonis ſuccedit?

BRACTEA XXV.

R. Teneri ſtare locationi factę ante patratum delictum, ſi fiſcus ſuccedit in omnibus bonis, vel in aliquota eorum parte, vt in dimidia, vel in tertia; tunc enim fiſcus reputatur hæres, & ſucceſſor vniuerſalis. Si verò fiſcus ſuccedit ſolum in ea parte, quæ confiſcatur, non tenetur ſtare locationi, quia cenſetur ſucceſſor ſingularis, & particularis, ſed poteſt expellere colonum, vel inquilinum. *Text. in leg. emptor cod. de locato*. Secundò, fiſcum non teneri ſtare locationi, quam delinquens celebrauit poſt patratum delictũ, propter quod eius bona iure publicantur, vt patet in hæretico, cuius bona ipſo iure publicantur ob delictum hæreſis. Ratio eſt, quia cum Fiſcus, delictũ acquiſierit ius delinquens per locationem, non potuit præiudicare fiſco. Molina *diſp.* 491. *num.* 1. & 2. Reginaldus *lib.* 25. *nu.* 593. & alij apud Gomez. 2. *var. cap.* 15. *num.* 10. apud Peregrinum de *iure fiſci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 74. Sanchez. in *ſum. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 53.

An locatio cum pacto, vt reddatur pars aliquota fructuum ſit licita?

BRACTEA XXVI.

Sciendum duobus modis poſſe dari fundum Colono ad vtendum, & fruendum. Primò, vt reddat certas menſuras frumenti, vini, &c. Secundò, vt reddat partem aliquotam, vt v. g. dimidiam, tertiam, quartam fructuum, &c. Quo poſito.

R. Si pactum erit, vt reddantur certæ menſurę fructuum primo modo, non erit locatio, ſed contractus innominatus, do, vt des, ſimilis locationi, & ad eam reduci poteſt. Ratio, q̃a nulla interuenit merces pecuniaria, in reliquis retinebit cõditiones locationis. Secundò, ſi pactũ fuerit, vt reddatur ex fructibus dimidia, vel tertia, &c. erit contractus nominatus ſocietatis, non locationis: non eſt locatio, quia non ſoluitur merces in pecunia; erit ergo innominatus quidam contractus, do, vt des, vel contractus ſocietatis; alter enim confert fundum, quaſi capitale, alter operas ſuas excolendo: quare deinde diuidetur lucrum, ſicut iuſtum erit.

An pactum, quod res vendita cenſeatur locata, donec ſoluatur pretium, ſit licitum?

BRACTEA XXVII.

R. Cum Azorio *quæſt.* 6. affirmatiuè; ex *leg. ſicut emptio ff. locati*. Interdum, inquit, locator non obligatur, conductor obligatur veluti cum emptor fundum conduxit, donec pretium exſoluat, ita tamen, vt venditor retineat fundum rei venditæ, donec ſoluatur pretium: hoc autem poſito poteſt fieri locatio à venditore, quia nondum translatum eſt dominum in emptorem, ne fides habita de pretio; & per conſequens ſi antequam ſit ſolutum pretium ipſi locetur, pactum erit validum, & licitum.

Sciendum propoſitum fuiſſe tale dubium; quidam vendi-

vendidit bancum in aula, vbi regiſtrantur, acta, quæ fiunt inter litigantes quingētis ducatis ſoluendis intrà bimeſtre, quæ ſi non ſoluātur, cenſeatur bancum locatum pretio, quo locabatur; quæſitum fuit, an tale pactum ſuſtineri poſſit in foro conſcientiæ?

R. Suſtineri poſſe. Ratio, quia quando in venditione pretium non fuit ſolutum, nec pro ſoluto habitum, fructus rei venditæ, quoad valorem cenſentur venditoris, deductis tamen expenſis, & laboribus, niſi aliter ſit in pacto conuentum, cum equum non ſit, vt venditor priuet ſe fructibus rei ſuæ, quandiù emptor non ſoluit pretium. Rebellus *lib.9 quæſt.* 19. Gomez. 2. *var. cap.* 4. *num.* 11. Leſſius *lib.* 2. *cap,* 22. *dub,* 13. Molina *diſp.* 388. Contractus ſupraſcriptus fuit talis, pretium non fuit ſolutum, nec habitum pro ſoluto. Vnde fructus, quoad valorem erant venditoris, & non emptoris, & per conſequens pactum appoſitum in venditione banchi, caſu, quo non ſoluat pretium determinato tempore ſit locatum ipſi empturi, & non venditum, quoad vſque ſit ſolutum pretium, vel habitum pro ſoluto erit iuſtum, cum adſint omnia requiſita ad locationē, nimirū dominiū rei locatæ, ideſt fructuū, cum ſint venditoris, quoad valorem ob non ſolutum pretiū, nec habitum pro ſoluto, & locationis pretium iuſtum, vt ſuppono.

An locatio rei ad fruendum pro pecunia, quæ dicitur contractus à godere ſit licita?

BRACTEA XXVIII.

R. Si huiuſmodi contractus fiat de rebus, in quibus diſtinguitur dominium directum ab vtili non erit locatio, ſed contractus innominatus, dò, vt des, vt ſi vnus det domum ad habitandum, alter det prædium ad fruendum. Ratio eſt, quia vtile dominium vnius, quod traditur, æquari poteſt cum vtili dominio alterius, quòd conceditur pro priore; ergo iuſtus, & licitus erit contractus, cum tradi poſſit alteri; & locari dominium vtile retento directo. Secundò, ſi vna ex rebus, quæ dantur ad fruendum ſit pecunia, videtur ſapere vſuram ex ſe, niſi circunſtantia aliqua honeſtetur, vt lucri ceſſantis ex parte dantis pecuniam. Ratio eſt, quia in pecunia non eſt diſtinctum dominium vtile à directo, ita vt vnum tradi poſſit abſque alio, ita cum dans pecuniam eo ipſo ſibi retineat ius eam repetendi, quando voluerit, & interim lucrum percipiat, quia vtitur re alterius, quod eſt pretio æſtimabile, proinde eſt, ac ſi mutuum daret, & pro eo lucrum acciperet, quod abſque dubio vſura eſſet. Quod verò, ſi honeſtetur, circumſtantis lucri ceſſantis non ſit vſura, patet, quia lucrum ceſſans etiam in mutuo excuſat ab vſura, conſequenter etiam excuſabit in hoc contractu, in quo interuenit mutuum. Ita Em. Sà *verbo vſura nu.* 9. Azorius *lib.* 9. *cap.* 10. Tertiò, poſſe alijs modis excuſari ab vſura, ſi celebretur diuerſus contractus à locatione. Primò, ſi fiat emptio, & venditio cum pacto de retrouendendo in gratiam emptoris, & venditoris, v. g. dans pecuniam emit domum iuſto pretio, & quia ſit cum pacto de reuendendo in fauorem vtriuſque, ideò quando venditor reddet pretium diſſoluto contractu, & emptor reſtituet domum, periculum verò domus interim, dum non diſſoluitur, pertinere debebit ad emptorem, vel certè fieri pactum, vt pertineat ad venditorem. Secundò, ſi fiat contractus cenſualis, v.g. Petrus emit à Paulo ſuper domū ius quinquaginta aureorū pro pretio mille, quā domū, deinde Paulus locat Petro, & relinquit illi pretium locationis quinquaginta aureorum loco penſionis a ſe ſoluendæ pro cenſu vendito: Tertio modo ſi fieret contractus cenſualis, non realis, vt præcedenti modo, ſed perſonalis cum pacto de retrouēdendo in fauorem vtriuſque, v.g. Petrus emit ius habendi quinquaginta à Paulo, & Paulus pro ſecuritate fructuum concedit habitationem domus, quæ tanti æſtimetur. Verum iſti modi, & ſi ſpeculatiuè loquendo, & ſtando in ſolo iure naturæ poſſint defendi à labe vſuræ, tamen practicè, & ſuppoſito iure Pontificio Bullarum, ſaltem in ſecundo, & tertio diſſuadendi ſunt, & reprobandi ob periculum palliandi vſuras. Filiucius *tract.* 36. *cap.* 5. *num.* 94.

An locatio cum pacto, vt conductor mutuet frumentum locatori, ſit licitum?

BRACTEA XXIX.

R. Locationem eſſe illicitam, & pactum iniuſtum. Ratio eſt, quia apponitur grauamen conductori, quod ex natura contractus locationis non habet, quia locatarius ipſum obligat, vt accipiat à ſe frumentū mutuum redditurum, v.g. tempore meſſis.

Sciendum, quod ſi locatarius liberè rem locet cōductori, & poſteà conductor peteret mutuum frumentum à locatario redditurum tempore meſſis, tunc contractus eſt licitus, quia per illum non imponitur grauamen conductori, & mutuum frumenti non eſt ratione pacti appoſiti in contractu, cum conductio iam fuerit liberè determinata, ſed ſit contractus diſtinctus à locatione,

An pactum, vt conductor ſuſcipiat in ſe periculum rei, ſit iuſtum?

BRACTEA XXX.

R. Posse conductorem ſuſcipere in ſe periculum rei conductæ, ſicut depoſitarius rei depoſitæ, dummodo locatarius aliquo modo compēſet tale onus pretio conuenienti arbitrio prudentis viri, vel etiam minuendo penſionem. Ratio eſt, quia, quam ius id non ſit id de natura locationis, tamen neque eſt contrarium, & contra naturam, ſed ſolum præter naturam contractus, nec propterea tranſiret locatio in venditionem, vt putauit Sotus *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 9. *art.* 2. ſicut neque depoſitum, idcircò tranſit in venditum; tantum ergo id operatur, vt ſi res conducta caſu pereat, teneatur conductor pretium eius reſtituere, ad quod alioqui non teneretur ex vi contractus, niſi pactum interceſſiſſet.

An rei locatæ dominium aliquando transferatur in conductorem?

BRACTEA XXXI.

R. Affirmative, quando ſcilicet ex pacto res locata reddi debet in eodem genere, nō autem in ſpecie ſecundum Legiſtas, vel numero ſecundum Philoſophos; tunc etiam ſignum eſt dominium eſſe translatum in conductorem, vt cum plures dant naturæ ſuum frumentum, vt alio transferat, & confundat, & miſceat ſimul, conſequens eſt, vt nauta nulli eorum cogatur reddere idem frumentum,

tum, quod acceperat, ſed aliud; nunc ergo ſignum eſt tranſiſſe in nautam dominium frumenti. Verum in hoc exemplo non video quo modo frumentum ſit res locata, ſed potius ſit nauis locata, vt per eam transferatur frumentum, & nauta locator, & non conductor. Aliud exemplum etiam tradi ſolet, cum datur argentum, argentario, vt vaſa fiant, tunc enim non cogitur artifex reddere argentum, idem numero, quod accepit, ſed aliud eiuſdem generis, ſed neque hoc exemplum valet, quia potius argentarius locat ſe ad fabricanda vaſa ex argento; quæſtio tamen ita proponitur à Doctoribus, vt videre eſt apud Azorium *cap. 11. quæſt. 9.*

Quibus modis finiatur contractus locationis?

BRACTEA XXXII.

R. LOCATIONEM finire duobus modis. Primo lapſu termini conſtituti *leg. ne cui liceat Cod. locat.*

Sciendum, vt ſuprà dictum eſt locationem non finiri, ſed potius cenſeri prorogatam, quando locator ſciens permittit conductorem retinere rem ipſi locatam. Ita Molina *diſp. 498. num. 8.* Gomez. de *locatione cap. 3. num. 15* Maſcardus *de probationib. concluſ. 993.* & alij. Secundò, locatio finiri poteſt mutuo contrahentium conſenſu, nam res, per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur; difficultas tamen eſt, an locatio facta ſub hac conditione, vt duret donec locator voluerit finiatur non ſolum locatore volente poſitiuè, vt finiatur; verum etiam ſola morte ipſius? Ad quod reſpondeo cum Molina *diſp. 498.* Rebello de *de locat. quæſt. 12.* & alij finiri etiam morte locatoris: nam voluntas finitur morte.

An Prælatus, vel beneficiatus teneatur ſtare locationi validè factæ à Prelato, vel beneficiato anteceſſore?

BRACTEA XXXIII.

R. PRÆLATVM ſucceſſorem teneri ſtare locationi factę à Prelato anteceſſore nomine ipſius Eccleſiæ de rebus non pertinentibus ad ipſum Prælatum, ſed ad ipſam Eccleſiam; verum tamen eſt Eccleſiæ competere ius reſtitutionis in integrum ſi læſa inueniatur. Ita Molina *diſp. 492. num. 6.* Silueſter *verbo locatio quæſit. 11.* Reginaldus *lib. 25. num. 541.* & alij apud Quarantam *verbo alienatio num. 19.* Secundò, Prelatum, vel beneficiatum non teneri ſtare locationi factæ ab anteceſſore nomine proprio in ſuam vtilitatem de rebus ſuæ dignitatis, vel beneficij deputatis ad proprios Prælati, vel beneficiati redditus, & ſuſtentationem. Ratio eſt, quia locatio fuit facta à beneficiato nomine proprio, & de re, de qua non poterat paciſci, niſi pro tempore, quo ipſe retinebat beneficium. Ita Rebellus *lib. 14. quæſt. 5. nu. 6.* Em. Sà *verbo locatio num. 10.* Silueſt. *eodem verbo quæſit. 11. num. 11.* Riccius *verbo alienatio decis. 123.* Quod tamen erit intelligendum eſt, dũmodo non adſit cõſuetudo legitima in contrarium, aut modo res ſit integra, & nondum incoatus ſit annus, quia ſi conductor incepiſſet operam adhibere in re colenda locatio nõ finitur pro eo anno, conſequenter locator non poteſt expellere conductorem, nec conductor poteſt reſilire inuito beneficiato. *Bonacin. diſput. 3. quæſt. 7. pun. vlt. num. 10.* & alij.

MALLEATIO LI.

De conductione famulorum.

An validus ſit contractus, quo ſeruus locat opera ſua?

BRACTEA I.

R. CONTRACTVM famuli, quo ipſe iuſta mercede locat opera ſua eſſe validum. Ratio, quia famuli opera digna ſunt ſtipendio iuxtà illud, dignus eſt operarius mercede ſua. Tum quia non apparet, quo titulo poſſit eſſe iniuſtus, cum habeat omnia requiſita ad contractum validum, & iuſtum.

Sciendum, quod vt contractus famuli ſit licitus, primò requiritur, vt locet opera ſua ad rem licitam, cum ad rem illicitam nemo poſſit locare opera ſua, & ſi locauerit, contractus eſſet iniuſtus. Secundò, requiritur, quod iuſto ſtipendio ea locet arbitrio prudentum, qui conſideratis circunſtantijs perſonæ, & ſeruitutis loci, & temporis illud arbitrentur, vel iuxtà conſuetudinem loci, quia famulis, alijſque Officialibus ſoluendum eſt ſtipendium, modo ipſi fideliter laborauerint, nec aliter conuentum ſit, & ſicut in omnibus rebus ſeruanda eſt æqualitas, ita etiam in ſoluendo famulis pretio ſeruanda eſt æqualitas, & ideò iuſtum ſtipendium, quod famulis dari debet, non debet eſſe maius ſummo, nec minus infimo iuxtà conſuetudinem loci. Ita Rebellus *lib. 14. quæſt. 3.* Molina *diſp. 506.* Leſſius *lib. 2. cap. 24. dub. 4.* Ratio, quia hoc pretium ſicut vulgare habet latitudinem, & ſicut illud eſt iuſtum, quod continetur intrà latitudinem, ita etiam, quod ſeruo dari debet, intrà latitudinem contineri debet, vt cenſeatur iuſtum.

Sciendum 2. quod ſicut locans operas ſerui tenetur dare pretium iuſtum, ita vt non ſit minus infimo, & ex hoc judicari poteſt eſſe iuſtum, & non minus infimo, quando tantum eſt, quantum alij recipiunt, vel quando multi alij non deſunt, qui libenter operam ſuam, & obſequium præſtarent pro tali mercede, ſeu quod eſt iuxtà conſuetudinem loci, ita etiam famuli obligati ſunt fideliter laborare, ſaltem etiam intrà latitudinem laboris infimi debiti, quia ſtipendium datur pro labore. Nauar. *cap. 17. num. 196.* Rebellus *lib. 14. quæſt. 3. num. 13.* Molina *tract. 2. diſp. 269.* Silueſter *verbo locatio quæſit. 12.*, Reginaldus *lib. 25. cap. 39.* & alij. Quod ſi famuli non laborauerint ſaltem intrà latitudinem laboris infimi, tenentur ad reſtitutionem non ſolum ad ratam laboris omiſſi, quatenus non peruenit ad latitudinem laboris infimi iuſti, ſed etiam damni ſequuti, cum illius cenſeatur cauſa efficax iniuſta, quæ obligat ad reſtitutionẽ. Secundò, quod ſicut poteſt dari caſus, vt famulus ſit contentus minimo pretio, vt quando conductor nõ eget opera illius, ſed ſolum ad preces ipſius ipſum conducit, aut etiam ſi famulus ſponte non petat pretium, aut contentus ſit exiguo pretio, vt hac ratione alliciat animum locatoris ad procurandum illi aliquod officium, &c. ita etiam poteſt dari caſus, vt dominus ſit contentus minimo obſequio famuli ex eo, quod eſt illi conſanguinitate, vel affinitate coniunctus, & quia pauper, cogitur ſeruiturus. An famulus poſſit vti compenſatione, quando illi non datur iuſtum pretium, ſaltem intrà latitudinem infimi? Reſpondeo poſſe, ſi maius ſtipendium debeatur ei ex iuſtitia, dummodo in tali compenſa-

tione

tione ſeruentur ea, quæ dicta ſunt de compenſatione, ſed de hoc melius infrà dicetur.

Ex qua culpa obligetur famulus?

BRACTEA II.

R. Qvando famulus domino ex mercede inſeruit, obligatur ei ex culpa lata, & leui. Ratio, quia contractus in vtilitatem vtriuſque obligat ex lata, & leui: talis autem eſt contractus inter dominum, & ſeruum; famulus enim debet domino obſequium, & famulatum, & dominus victum, & mercedem. Quod ſi famulus gratis inſeruiat domino, videri poteſt tantum teneri de culpa lata, cum nullam à domino mercedem recipiat: verius tamen eſt etiam tunc teneri de leui culpa; hoc enim ipſo, quod ſponte inſeruit polliceri videtur eam diligentiam, & curam, quam alij adhibent, qui mercede inſeruiunt, ideoque cum hi teneantur etiam ex leui culpa, conſequenter is, qui gratis famulatum offert, tenetur etiam de leui. Secundò, famulum, qui caſu fortuito domino non inſeruiuit, attamen fecit multas expenſas ad ſe præparandum poſſe illas repetere, cum intuitu ſeruitutis fuerint factæ; & colligitur ex *leg. pecuniam ff. de conduct. ob cauſam*: & ita Lopez de *contract. cap.* 25.

An famulus, qui obſeruia præſtitit, ad quæ non tenebatur, poſſit vti compenſatione?

BRACTEA III.

R. Posse famulum vti compenſatione, quando ea non intendit præſtare gratis, ſed animo mercedis præſtat opera, ad quæ non tenetur. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 108. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 4. & alij. Ratio, quia aliquid præſtat pretio æſtimabili in gratiam domini, quod domino non condonauit.

Sciendum, famulum cenſeri obſequia præſtari animo mercedis, & non gratis, quando ea animo repugnante, & inuito præſtat, & tunc non cenſetur obſequia gratis feciſſe, aut condonaſſe, & ſi non recipiat mercedem poteſt vti compenſatione. Secundò, ſi famulus obſequia præſtitit animo liberali, & gratis non poteſt mutata voluntate aliquid exigere vel occultè compenſationem facere. Ita Auctores citati; & Bonacina *de conduct. famulor. num.* 4. Leſſius, & alij. Ratio, quia eo ipſo, quod præſtitit animo liberali cenſetur condonare ſtipendium.

An famuli, qui ſolo victu, & veſtitu contenti domino ſeruiunt, poſſint clam aliquid ſurripere in compenſationem?

BRACTEA IV.

R. Non poſſe ratione ſeruitutis aliquid exigere, vel clam ſurripere. Ita Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 13. *num.* 1. Azorius 3. *part. lib.* 8. *cap.* 13. Reginald. *lib.* 29. *cap.* 25. *num.* 553. & alij communiter. Ratio, quia contractus ex conuentione contrahentium legem accipiunt; ergo famuli, qui ſolo victu, & veſtitu contenti à domino admittuntur cõuentui ſtare tenentur. Ita Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 25. Tum etiam, quia non pluris æſtimatur eorum ſeruitus, & per conſequens victus, & veſtitus cenſetur ſtipendium iuſtum eorum. Secundò, excuſari dominos, qui famulos in neceſſitate conſtitutos ſe vltrò offerentes conducunt ad ſeruiendum minori pretio ratione vltroneæ oblationis, quam alioquin conduxiſſent, quia ſicut vltroneæ merces vileſcunt, ita etiam oblatio vltroneæ ſeruitutis. Ita Sotus de *Iuſtitia quæſt.* 3. *art.* 3. Leſſius *lib.* 2. *c.* 24. *dub.* 40. *num.* 26. dummodo tamen prætium, detracta æſtimatione valoris vltroneæ oblationis, iuxtà communem æſtimationem cenſeatur iuſtum.

An qui Artiſtæ famulantur, vt ipſius artem addiſcant, poſſit Dominus ab eis obſequia exigere, ſi tardiùs artem ediſcerent?

BRACTEA V.

R. Artistas poſſe aliquid exigere pro inſtitutione puerorum, quos ſuſcipiunt inſtituendos. Ita Rebell. & Reginald. & Bonacina *loc. cit.* Ratio, quia talis labor, & inſtructio ſunt appretiabiles pecunia. Tum etiam, quia eorum opera non compenſatur ſeruitute puerorum, quæ tanti non ſolet æſtimari. Secundò, Artitifices occupantes pueros, quos inſtituendos ſuſceperunt in alijs, itaut artem diſcere nequant, aut tardius, quam par eſt, peccant contrà Iuſtitiam mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 110. Molina *diſp.* 506 Bonacina *loco cit.* & alij. Ratio, quia faciunt contrà pactum, & conuentionem cum damno ipſorum puerorum.

Sciendum, quod ſi Artiſtæ, ſeu Artifices occupant pueros in alijs ipſis non inuitis, ſed conſentientibus non peccant contra Iuſtitiam, nec obligantur ad reſtitutionem; obligantur tamen, vt alijs famulis, illis dare mercedem. Nauar. *loco cit.* ſicut etiam obligantur ipſi pueri ad reſtitutionem, ſi non præſtant opera debita, & quæ promiſerunt. Molina *diſp.* 506. Reginaldus *loco cit. num.* 553. Rebellus *part.* 2. *lib.* 14. *quæſt.* 13. *num* 2. Bonacina *loco cit.*

Sciendum 2. quod quando quis abſq; vlla mercede adductus, ſed ſola ſpe alicuius beneficij, vel officij cõſequendi domino famulatur dubiũ eſſe, an dominus teneatur ſoluere mercedẽ, ſi poſteà eum nullo beneficio afficiendum curauerit? Ad quod reſpondeo ſi famulus omninò liberè non petat iuſtam mercedem, vt hac ratione alliciat animum domini ad procurandum beneficium, vel officium, tunc eam ſoluere dominus minimè tenetur; ſi tamen tacitè intenderet, dominum ſuum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium eccleſiaſticum eſſet ſimonia, & Dominus hac intentionem aduertens, cum non poſſit talem obligationem admittere, de iuſtitia teneretur illi mercedem dare, cum famulus non intendat gratis ſeruire; ſi verò intenderet illum obligare ad procurandum officium ſæculare, tunc dominus ita aduertens tenetur quantum in ſe eſt procurare, vt id conſequatur, vel ſi hoc nollet tenetur ei iuſtum ſtipendium dare. Si verò Dominus fecerit quantum in ſe eſt, vt ille officium obtineret, & nihilominus non obtinuit, ad nihil teneretur, quia famulus non videtur ad aliud voluiſſe eum obligare. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 4. Molina *tom.* 2. *de inſtit. diſp.* 506. Lopez *loco citato.*

An Dominus, qui abſque iuſta cauſa famulum expellit ante conſtitutum tempus teneatur ad integram penſionem perſoluendam?

BRACTEA VI.

R. Dominvm, qui abſque iuſta cauſa è domo ſua expellit famulum ante conſtitutum tempus, teneri ad integram penſionem perſoluendam, modo famulus alteri operam ſuam non locauerit. Ita Azorius 3. *part. lib.* 8. *cap.* 14. *quæſt.* 1. Molina, Regin. Bonacina *locis cit.* Nauar. *cap.* 17. *n.* 109. & alij. Ratio quia conductor tenetur ſoluere penſionem rei conductæ, licet propria culpa non ſit vſus eius opera. Sicut etiam famulus, qui ante conſtitutum tempus abſque cauſa, ſed propria culpa diſcedit è ſeruitio domini, ſolum ad ratam temporis amittit penſionem, quia ſi famulo deneganda eſt tota merces, vel eſt in compenſationem damni, quod dominus patitur, vel quia non inſeruiuit, & vtroque modo ſolum ad ratam temporis tenetur denegare illi penſionem. Verum ſi intereſſe domini tantum valeat, quantum eſt id, quod famulo debet, ad nihil in conſcientia tenetur. Azorius 2. *part. lib.* 2. *cap.* 39. *quæſt.* 9. Similiter etiam, qui conduxit nauim per Padum Venetias verſus, & iuſta cauſa nauis non peruenit Venetias, ſed coacta fuit redire, v. g. Taurinum, aut etiam, quia ab hoſtibus capta fuit, vel in Pado ſubmerſa, obligatur ad ratam itineris ſoluere pretium, dummodo per illos non ſteterit, quod Venetias non peruenerit, quia vſus nauis eſt pecunia appretiabilis, & re ipſa mercator vſus eſt opera nauis: Ita qui equum accepit eundi gratia Vercellas, ſed in itinere à latronibus captus fuit, debet ad ratã itineris aliquid dare pro ſtipendio, niſi cum conductore aliter ſit conuentũ; cũ par nõ ſit, quod conductor ſit vſus opera equi abſque pretio; Si verò cõductor nõ eſſet vſus re cõducta propria culpa, tunc obligatur ſoluere integrã penſionem, vt v. g. quidam currum conduxit eundi gratia Montem regalem, ſed in medio itineris detentus fuit currus eo, quod in ipſo veherentur merces prohibitæ, vel quia conductor ſolitum vectigal non ſoluit, tunc obligatur integram ſoluere penſionem, quia ſi non eſt vſus curru conducto ipſe fuit cauſa. Silueſter *verbo locatio quæſt.* 12. Nauarr. *loco cit.* & ſic habetur in *leg. Colonus* §. *Nauem.* Dixi dominum teneri ad integram penſionem famulo perſoluendam, ſi abſque iuſta cauſa è domo ſua expulerit ante conſtitutum tempus, modò famulus alteri operam ſuam non locauerit. Ita Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 2. *n.* 11. ſed tunc poſſe tantum detrahere, quantum famulus accipit alteri ſeruiendo, & ſi alteri non ſeruiuit iuxtà Rebellum *loco cit.* tantum poſſe detrahi de pretio, quanto famulus optaſſet ſuum laborem redimi.

An dominus teneatur ſoluere penſionem pro eo tempore, quo famulus fuit infirmus?

BRACTEA VII.

R. Dominvm obligari ſoluere penſionem ſeruo pro eo tempore, quo fuit infirmus, ſi infirmitas contingat culpa domini ſui lata, vel leui. Ita Nauar. *cap.* 3. *num.* 179. Molina *diſp.* 295. Rebell. 2. *par. lib.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 8. & alij. Secundò, ſi famulus laboret infirmitate abſque culpa domini, reſpondeo duas eſſe ſententias: Primam Silueſtri *verb. familia num.* 4. dicentes communem Canoniſtarum in *cap.* 2. *de Cleric.* ægrotante, poſſe dominum iure ſubtrahere mercedẽ ex *leg. ſi vno ff. locati.* Secundam Innocentij in *cap. propter ſterilit. de locato*, & aliorum aſſerentium deberi mercedem famulis etiã tempore infirmitatis. Azorius tamen eas ita conſiliat, vt dicat primò ſtandum eſſe pactis, ſi quæ inita eſſent inter locantes operas ſuas, & conductorem. Secundò, attendendam conſuetudinem Regionis, ſi enim mos ſit, vt ſtipendium non denegetur, etiamſi famulus ægrotet vtique ſeruandus eſt, quia cum tali pacto implicito cenſetur locator operas ſuas locaſſe, ſi dari non ſolet, iure denegabitur. Tertiò, ſi neque pactum interuenerit, neque conſuetudo vlla appareat, tunc merces quidem ſubtrahi poteſt. Ratio, quia cum ſoluatur ſtipendium ob operas quotidianas, & tunc temporis non ſit vſus dominus opera ſerui, non videtur conſentaneum, quod ſoluat penſionem tempore, quo eſt infirmus, alimenta tamen denegari non debent, & aliæ neceſſariæ impenſæ, & quidem neque etiam merces ſubtrahi debet, quando breuis eſt ægritudo. Secus ſi longa infirmitas eſſet; tunc enim æquum eſt ſubtrahi.

An dominus teneatur ſuis ſumptibus curare famulos, qui poſtquam fuerunt conducti grauiter ægrotant.

BRACTEA VIII.

R. Dominvm teneri ſuis ſumptibus curare famulum infirmum, ſi infirmitas contingat ſeruo ex culpa lata, & leui domini ſui. Ratio, quia ob culpam cenſetur iniuſta cauſa infirmitatis ſequutæ, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem damnorum. Si verò infirmitas abſq; culpa domini ſeruo contingat, tenetur dominus ex charitate expenſas moderatas facere pro famulo infirmo; & Pharmaca illi præbere moderata, & neceſſaria non ſub mortali, niſi ſeruus ſit in extrema, vel graui neceſſitate; nec alius ſit, qui ſuccurrat. Ita Silueſter *verbo familia*, & Angelus *eodem verbo*. Ratio eſt, quia quilibet tenetur ex Præcepto charitatis ſuccurrere proximo in extrema neceſſitate poſito.

Sciendum dubium eſſe, an ſeruus, qui non potuit ob prauam valetudinem domino ſeruire ea tranſacta teneatur tandiù ſeruire, quandiù vſus eſt praua valetudine? Ad quod reſpondeo negatiuè, cum obligatio ſeruiendi finierit ob lapſum termini conſtituti, & terminus cenſeatur appoſitus ad finiendam obligationem. Molina *diſp.* 505. Reginald. *lib.* 25. *num.* 517. Secundo, dubium etiam eſſe, an famulus, qui promiſit inſeruire per annum poſſit petere dimidiam partem pretij, ſi non ſeruiuit niſi per medium annum, & hæc fuit pars hyemalis. Rodriquez *part.* 1. *ſum. cap.* 20. Lopez *lib.* 2. *cap.* 25. negatiuè reſpondent, quia labor hyemis non eſt æqualis laboris æſtatis, & veris, & ſi famulatum præſtaret tempore æſtatis, & veris plus medietate mercedis poteſt exigere, cum plus laboris contingat.

An quando famulus domino remittit determinationem pretij, poſſit dominus tradere, quod ſibi placuerit?

BRACTEA IX.

R. Negative: ſed teneri ſaltem tradere pretium infimum, nam mens famuli eſt, vt dominus determinet pretium, quod ſibi viſum fuerit ex æquitate, non verò ex mera voluntate, & arbitrio. Verum quia ſtipendium videtur habere latitudinem infimi, medij, & ſupremi dominus ſatisfacit tradendo ſtipendium infimum, quia cenſetur iuſtum. Si autem detur caſus, vt nulla facta ſit conuentio, ſeu mentio de pretio, contrahentes cenſentur conueniſſe de conſueto in eo loco, vel ibi communiter æſtimato, aut ſaltem æſtimando arbitrio Prudentis. Ratio eſt, quia ſicut contractus præſumitur celebratus iuxtà conſuetudinem loci, ita etiam cenſetur taxatum pretium. Ita Gomez *tom. 2. var. cap. 3. de locat. num.* 4. Molina *diſp.* 506. Reginaldus *loco cit. num.* 554. Silueſt. *verb. famulia num. 6.*

An conductor, qui non ſoluit mercedem famulo in ea re, in qua conuenit, peccet, & teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA X.

R. Dominum, qui non ſoluit mercedem famulo in re, qua conuenit, v.g. non in pecunia, ſed in alia, quia tradidit veſtem, vel triticum peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem. Ita Nauarrus *cap. 7. num.* 117. Vaſquez *reſtit. cap. 5. dub.* 10. *num* 63. Bonacina *diſp. 3. quæſt. 7. pun. 4. num.* 15. & alij. Ratio eſt, quia violat iuſtitiam pacti; tum etiam, quia ſicuti ſeruus obligatur ſtare contractui, ita & dominus conuentioni. Tum etiam, quia aliud pro alio inuito creditore ſolui non poteſt, *l. 2. §. 1. ff. ſi cert.* Verum ſi ſeruus liberè pro pecunia conuenta loco mercedis aliquid accipiat, tunc dominum non facere illi iniuriam, nec obligari ad reſtitutionem, cum volenti, & conſentienti nulla fiat iniuria, dummodo conſenſus ſit abſolutè liber, & voluntarius, & non ſecundum quid.

An famulus, qui alium domeſticum videt furari, & tacet obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XI.

R. Cum Layman in Theologia morali *lib. 4. ſect. 4. tract. 2. num. 7.* Nauarr. *cap. 27. num.* 7. Leſſio *lib. 2. cap. 13. num.* 74. & alijs non obligari ad reſtitutionem, ſed ille tantum, cui cura eſt domus, vel demandata eſt cura eius cuſtodiendæ, cum ille ſolum ex officio obligetur impedire damnũ, cœteri autem ſolum ex charitate.

Sciendum ex Petro Nauarr. de *reſtit. lib. 3. cap. 1. num.* 224. ſi fures extranei domum ingrediantur, in tali caſu quemlibet famulum obligari ad impediendum, & clamandum, ſi aliter malum impedire non poſſent, cuicumque enim famulo eo ipſo, quo domeſticus eſt, cuſtodia domus aliquo modo incumbit, vt ab extraneorum iniurijs defendat: Sed dubium eſt, ſi famulus aliquid accepit à furante ne clamet, vel indicet furtum eius domino, an obligetur ad reſtitutionem accepti. Sotus de *Iuſtitia lib. 4. quæſt.* 7. Nauar. *cap. 17. num.* 21. & alij reſpondent negatiuè; niſi acceptum ſit pars furti. At Nauarra *loco cit. num.* 132. & Leſſius *eodem loco num.* 68. adhibent limitationem, vt non procedat, ſi accipiens ſua pollicitatione expreſſa, vel tacita furem animoſiorem reddit, quia alioquin abſterritus eſſet; nam in tali caſu tenebitur de damno illato tanquam participans.

An famuli abſque incurſu peccati mortalis poſſint ſternere lectum concubinæ domini, & ipſam ornare, & ad menſam miniſtrare?

BRACTEA XII.

R. Posita iuſta cauſa poſſe famulum abſque incurſu peccati mortalis lectum ſternere concubinæ domini, ipſam ornare, & eidem ad menſam miniſtrare. Ita Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. vltimo quæſt.* 84. & alij citati à Sanchez in *ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 7. num.* 18. Ratio, quia tales actus non ſunt intrinſecè mali, ſed ſolum extrinſecè, qui poſita iuſta cauſa poſſunt fieri; non poſſe contrà Azorium *loco cit.* adducere concubinã in domũ domini ſcienter ad peccandum, vel in alium locum, in quo ſit peccaturus, aut ſcienter deferre litteras, aut inter nuncia, in quibus dominus petit concubinam, vt ea nocte veniat ad ſe ad fornicandum, quia tunc cenſetur cooperari rei intrinſecè malæ. Secus autem ſi ignoranter faceret. Ita Rebellus *part. 1. lib. 2. quæſt. 14. ſect. 7. num.* 53. Sanchez in *ſum. tom. 1. lib. 1. c. 7. nu.* 25. & 26. Secundò peccare mortaliter famulum, qui de mandato domini ſui ſcripſit litteras concubinæ, quibus eam petit ad fornicandum. Ratio, quia famulus ſcribẽdo cooperatur rei intrinſecè malæ: quod ſi dominus in dictis litteris petat ſolum à concubina, vt tali hora ad ſe veniat, vel ad talem locum, non cenſetur famulus ſcribendo peccare mortaliter, cum hæc cenſeantur verba indifferentia, cum non ad fornicandum, ſed ſolum ad veniendum petat. Et ita docet Molfeſius in *ſum. tom. 1 tract. 8 cap. 10. num* 60. Sanchez *ſum. t. 1. lib. 1. cap. 7. n. 26.* Azorius *lib. 12. cap. vlt. quæſt. 2.* Verum dubium eſt, an famulus, qui metu mortis defert litteras ad concubinam prouocantes ad libidinem peccet mortaliter. Sanchez, Molfeſius *locis citat.* cum Rebello *part. 1. lib. 1. quæſt. 14. ſect. 7. num.* 53. affirmatiuè reſpondent, cum deferre litteras ſit intrinſecè malum, quod non excuſatur metu mortis, cum quis debeat potius mori, quam facere, quod eſt intrinſecè malum. Verum alij contrariam ſententiam putant probabilem, nam videtur diſpar ratio de internuncio, & litteris, famulus enim, qui internunciũ de rebus turpibus defert concubinæ intrinſecè cenſetur cooperari peccato domini. At verò deferre tantum litteras nõ videtur intrinſecè cooperari peccato, ſed ſolum extrinſecè, & remotè, & ideò poſſe fieri ad euadendam mortem. Et hanc ſententiam docuit Armilla *verbo peccatum*; ſed non eſt recedendum à prima opinione.

An Chirurgus, qui Collegio, vel Monaſterio inſeruit creſcente numero poſſit petere augmentum ſtipendij?

BRACTEA XIII.

R. Si Medicus, aut Chirurgus locauit ſuam operam pro familia determinata Conuentus, ſiue Collegij nimirum inſeruire, v.g. triginta, aut quadraginta, aucta familia poteſt exigere augmentum ſtipendij, ſicut è contrario diminuto notabiliter numero diminuere etiam mercedem tenetur. Ita Lopez *lib.2.de contr.cap.26.* Rebel. *lib.14.quæſt.15.* & alij. Quia ratio dictat, vt aucto numero augendum ſit ſtipendium, cum ſit aſſignatum pro determinata familia. Si verò indefinitè locauit ſuam operam ſeruiendi Monaſterio, vel Collegio aucta familia non augetur ſtipendium. Ita Rodriquez *part.1.ſum.cap.21.* Lopez *lib.2.de contract.cap.26.* Bonacina *de contract.diſp.3.quæſt.7.pun.4.num.16.* & alij. Ratio, quia ſicut per diminutionem familiæ non diminuitur ſtipendium, ita nec per augmentum augetur, & ſic ſeruatur æqualitas in contractu.

Sciendum, quod ſi locans operam ſuam notabiliter grauaretur ob augmentum perſonarum in foro conſcientiæ non obligabitur inſeruire tantæ multitudini, ſi tempore contractus non fuit præuiſa: ſicut è contrario, nec Monaſterium, &c. tenebitur ad pretium taxatum, ſi notabiliter familia fuerit diminuta, Rodriquez *part.1.cap.21.* quia pretium cenſetur taxatum ſub tali conditione, ſi aderit talis, & tanta familia.

An qui ſe locauit ad fabricandum ædificium certo pretio, poſsit augmentum petere, vel compenſationem facere, ſi in eo fabricando fecit maiores expenſas, quam ſit ſtipendium aſsignatum?

BRACTEA XIV.

R. Cum Bonacina *loco cit.* ſi ſtipendium fuerit taxatum habita ratione operarum dierum, ſi tot diebus putabat locator ædificium ſe cõſtruere, tot expenſis, &c. poteſt compenſationem petere, & conductor tenetur eam præſtare, quia non interuenit iuſtum pretium laboris, & operarum. Tũ etiam, quia ſicut qui ex ignorantia emit rem maiori pretio, quam res valeat, poteſt compenſationem petere, ita qui fuit deceptus locando ſe minori pretio in conſtruendo ædificio, poteſt compenſationem petere. Si verò locator damnum paſſus eſt, non ob malè ſubductam rationem, ſed ob caſum fortuitum ſuperuenientem non poteſt petere compenſationem. Ratio, quia ſibi debet imputare caſum fortuitum, nec conductor tenetur locatori caſum fortuitum præſtare. Tum quia ſi locator citius perſoluiſſet ædificium non teneretur ad reſtitutionem; ergo neque poteſt compenſationem petere, ſi caſu aliquo diutius perfecit.

An tempore ieiunij teneatur quis ſolum conducere eos operarios, qui poſſunt operari ſine fractione ieiunij?

BRACTEA XV.

Affirmative reſpondet Toletus in *ſum.li.6. cap.5.num.1.* qui citat Paludanum *4.diſt.14. quæſt.4.art.4.* Gabriel. *diſt.16.quæſt.3.art.1.* Sed

R. contrariam opinionem eſſe conſuetudine receptam ab omnibus timoratis, & Religioſis viris, qui non ſubtrahunt ſeruis propter laborem de victu, neque operarios dimittunt ex eo, quod non ieiunent; igitur nõ tenetur dominus eum ſolum laborem ſeruis imponere, & eos ſolos operarios vocare, qui cũ moderato labore poſſint ieiunare, ſed poterit eundem laborem ſeruis imponere, & operarios quoſcunque vocare, licet ieiunium non ſint ſeruaturi. Ita Fernandez in *exam.Theolog.moral.part.2.cap.8 §.2.num.15.* immò Facundez *præcept.4.lib.1.cap 6.num.16.* putat poſſe dominos conducere operarios hoc pacto, vt eo die, quo labori ſuo incumbunt non ieiunent, quia ſicut dicti operarij non tenentur ieiunare, ita neq; venialiter non peccabit dominus illos cum conditione, vt non ieiunent conducendo.

Sciendum famulos inſeruientes dominis non frãgere ieiunium comedendo fragmenta ciborum, ſi ſatis poſt dominos ſint comeſturi, quia totum reputatur vnica comeſtio, & poſſunt illo modo incipere comeſtionem. An ſine fractione ieiunij poſſint mane aliquid accipere, quando eorum domini tardè prandent? Reſpondeo affirmatiuè, dummodo illud, quod ſumitur ſit parum, & ſumatur in ordine ad refocilandas vires ad hoc, vt poſſint expectare ad prandendum poſt dominos ſuos.

Sciendum 2. quod licet domini teneantur monere ſeruos, & curare lege charitatis, vt ieiunium ſeruent, non tamen tenentur illos compellere, aut cogere ad ieiunia ſeruanda, nam id durum nimis, & rigoroſum eſſet. Et ita Filiucius *tom.2.tract.27.part.2.cap.6.num.91.* & alij, Secundò non frangere ieiunium ſeruum, qui è medio prandio ſurgit ad ſeruiendum domino, dummodo non habuerit animum amplius non comedendi, etiamſi interruptio ſit vnius horæ, dummodo tamen habuerit animum redeundi ad menſam. Et ita Bonacina de *legib.diſp.vlt.quæſt.1.pun.3.num.10.* & Sanctius in *ſelect.diſp.52.num.4.* docet hoc etiam eſſe licitum, licet ſpatium duarum horarum interceſſerit.

MALLEATIO LII.
De locatione, & conductione animalium

An contractus, quo quis alteri locat animalia, v. g. viginti oues, pacto, vt pro penſione dentur tot agni, & tot rubia caſei, & in fine teneatur reſtituere oues viginti eiuſdem bonitatis, &c. ſit licitus?

BRACTEA I.

R. Contractum ſub illa ratione, qua alteri locantur oues ſub penſione iuſta, & non oneroſa conductori, eſſe licitum, & iuſtum. Ratio, quia nulli ſit iniuria, & nulla iniuſtitia in contra-

ctu reperitur, cum conductor deductis expenſis, & laboribus ſoluat penſionem iuſtam, vt ſuppono.

Sciendum, quod ſi conductor obligaretur ſoluere penſionem ante conſtitutum tempus iuxta conſuetudinem loci, vel nimis grauaretur in ſoluenda penſione, contractus eſſet illicitus, & pactum iniuſtum, vt v. g. ſi pactum appoſitum dandi tot agnos, & tot rubia caſei eſſet exceſſiuum, contractus eſſet illicitus, quia nimis grauaretur conductor. Secundò, pactum appoſitum in contractu, quo in fine locationis conductor obligatur reſtituere oues ſecundum numerum, & bonitatem eſſe iniuſtum, & illicitum, niſi tale pactum compenſetur iuſta mercede. Ratio eſt, quia de natura contractus locationis eſt, vt res locata ſi perit, locatori pereat, qui eſt dominus rei, & non conductori, niſi forſan eſſet in culpa, & locator quãdo cũ ſupra dicta conditione locat, perinde eſt, ac ſi mutuaret tali pacto, mutuo tibi viginti oues ſub tali penſione, quas mihi reſtitues in tali numero, & bonitate poſt finem locationis; & ideò iniuſtè fit, niſi tale pactum compenſetur iuſta mercede. Vnde locator, qui tali pacto ſine compenſatione obligat conductorem ad reddendas oues in tali numero, & bonitate committit vſuram, cum apponat pactum contra naturã contractus, cum perinde ſit, ac ſi paciſceretur lucrum ſupra ſortem. Et ita Bartholomeus Medina in *inſtruct. confeſ.* §. 17. Ratio eſt, quia periculum rei locatæ non pertinet ad conductorem, ſed ad locatorem, qui eſt dominus rei locatæ, & conductæ, & ſi res perit, domino debet perire, non autem conductori.

An quid teneatur, qui conducit equum hoc pacto, vt ſolum viginti milliaria in die conficeret, & confecit viginti quinque, & equus poſtea mortuus eſt?

BRACTEA III.

R. Condvctorem obligari ad reſtitutionem damni ſequuti per mortem equi, ſi ille exceſſus fuit cauſa, aut occaſio illius mortis, ſecus autem non. Ita Molina *diſp.* 494. & cum alij. Ratio; quia in tantum obligatur ad reſtitutionem, in quantum per illum exceſſum influxit in effectum mortis, & miniſtrando ei ſufficienter pabulum, ſi in itinere ſit mortuus domino ſuo, videtur obijſſe; niſi probetur exceſſum fuiſſe cauſam mortis.

Sciendum ex Molina, ſi locator prædictam conditionem appoſuit, quia ſciebat equum non poſſe facere, niſi tantum itineris in die, tunc illum exceſſum eſſe occaſionem mortis, & per conſequens conductorem obligatum ad reſtitutionem, ſecus autem non. Secundò, poſſe locatorem cum conductore paciſci, vt ſubeat periculum equi, dummodo aliquo modo compenſet tale onus pretio conuenienti, arbitrio prudentis, quia tale pactum non cenſetur contra naturam contractus, ſed ſolum præter, & ſusceptionem periculi hunc effectum operari, vt ſi res perierit, debeat ei pretium reſtituere, alioqui ſi res, id eſt equus, ſalua manſerit, res ipſa, id eſt equus reſtituatur.

An tempore belli poſſit locator pro locatione equi petere fidei iuſſorem?

BRACTEA IIII.

R. Si periculum erit probabile, poſſe locatorem petere fidei iuſſorem, vt ſi equus à militibus capiatur ſibi, à cõductore ſoluatur, aut in defectum conductoris ſoluatur à fidei iuſſore. Ratio, quia non obligatur locator cum periculo probabili, & euidenti amiſſionis equi ipſum locare. Vnde fidei iuſſorem pro caſu fortuito petere poteſt, & ſi petit iuſtè ſibi conſulit, vt ſe ſeruet indemnem.

Sciendum locatorem ob pericula ordinaria, quibus paſſim, & regulariter ſolent ſubij locatores, non poſſe petere fidei iuſſorem, ob extraordinaria verò, & probabilia, & euidentia, vt quando viæ occupantur, & inuaduntur à militibus, vel à latronibus poſſe tunc petere fidei iuſſorem, vt ſe indemnem ſeruet, cũ non obligetur locare alteri equum cum probabili periculo illum amittendi.

An quando in locatione, v. g. equi terminus non fuit præfixus, poſſit locator quoties voluerit ipſum repetere?

BRACTEA IV.

R. Qvando in principio contractus tacitè, vel expreſsè terminus non fuit præfixus locationi, & iuſta cauſa locator equum locatum exigit, v. g. ad euitandum maius damnum, vel ſaltem æquale, quod non ex vſu ſui equi ſibi imminet non peccat, quia cæteris paribus vnuſquiſque ſibi magis, quàm alteri obligatur. Secus ſi ex non vſu ſui equi locator nihil damni pateretur, quia tunc contra charitatem debitam proximo peccaret, licet non contra iuſtitiam, ſi cum graui damno conductoris ſuum equum reuocaret. Dixi ſi principio contractus locationis terminus tacitè, vel expreſsè non eſt præfixus, quia ſi pro aliqua inſtanti neceſſitate equus locaretur, licet verbis terminus locationis non fuerit præfixus, tunc tacitè videtur equus locatus pro toto illo tempore, quo illa neceſſitas durauerit: quo ante completum tempus illius neceſſitatis contra conductoris voluntatem, ac cum eius notabili detrimento locatio non poteſt reuocari; quia ſi illa neceſſitas tẽpore contractus locanti innotuit, eo ipſo cenſetur voluiſſe ſua ſponte non ſolum equum locare, ſed etiã incommodum illud in conductoris gratiam ſubire.

An conducens equum liber maneat à cuſtodia equi, quando eius locator pro illius cuſtodia mittit ſuum famulum?

BRACTEA V.

R. Si conductor compertum habeat, dominum miſiſſe famulum pro cuſtodia ab initio locationis, tunc non tenetur de cuſtodia; ſi verò pro certo habeat dominum locaſſe equum, & famulum, negligentia famuli non excuſat iniuriam conductoris, antequam reſtituat equum famulo: ſi autem poſt reſtitutionem equi famulo factam equus perierit, non tenebitur conductor, & ſi non appareat, an ab initio miſerit famulum pro cuſtodia, an non, ſed vtrumque tam famulum, quam equum locauit ſimpli-

plititer non videtur in tali dubio remiſſa cuſtodia equi. Secundò eum, qui equum aſſuetum ſe ſe in aquam immergere, alteri locauit ad merces transferendas teneri ad reſtitutionem damni, quod inde paſſus eſt conductor, non admonitus de vitio equi. Rebellus *lib.* 14. *quæſt.* 4. Nauar. *cap.* 17. *num.* 196. Silu. *verb. locatio quæſit.* 18. & alij.

An cum animal datur in locatum, vel cuſtodiam, poſſit paciſci, vt lucrum, & damnum commune ſit danti, & recipienti?

BRACTEA VI.

R. Poſſe tale pactum iniri, quia fieri poteſt, vt opera, diligentia, cura, & cuſtodia, quam ponit is, qui animal recipit tantam mercedem mereatur. Tum etiam, vt tantum pretium debeatur ei, qui animal locat alteri; ſicut enim animal melius factum ut bonum vtriuſque eſt, ſic factum deterius commune quoque eſt detrimentum; & damnum; pactum verò eſſet illicitum, vt totum damnum niſi dolo, vel culpa etiam leui conductoris euenerit, ſit eius, lucrum non item.

Sciendum dubium eſſe, cum animal in locatum datur æſtimatum, an eo ipſo tranſeat in mutuum, aut venditum? Prima ſententia eſt locatum tranſire in venditum, quia æſtimatio rei, venditionem facit, *leg. plerunque ff. de iure dotium leg. æſtimatę ff. ſoluto matrimonio*, Secunda ſententia eſt, contrarium affirmantium ea ratione, quod æſtimatio in hoc caſu venditionem non parit, quia ſolum æſtimatio fit, vt ſi animal conductoris dolo, vel culpa perierit iuſtum pretium reddat, non autem ſoluat in omnem euentum, videlicet ſi animal fortuito caſu perierit, nam ſi hoc quoque conuentum, & cautum fuerit, tunc animal inuenditum, ſiue mutuum tranſibit: hoc eſt quando is, qui animal recipit expreſsè promittit ſe redditurum tantum, quanta eſt æſtimatio, vel promittit ſe redditurum ipſum animal, aut pretium eius venditio eſt, non locatio. Et ita Ioannes Andreas, & Abbas in *cap.* 1. *de commodo*, quos ſequitur Azorius *cap.* 11. *quæſt.* 8. & colligi poteſt ex *leg. cum fundus ff. locati*.

Sciendum 2. dubium eſſe quid dicendum, quando Petrus centum oues dat conuentui Monachorum ea conditione, vt ex qualibet oue quot annis, dum viuit habeat duos ſolidos, ſiue aureos, cum tamen ſingulę oues quotannis fructum reddant quatuor, vel quinque ſolidorum, vel aureorum, ea etiam conditione, vt ſi omnes oues pereant, nihilominus ipſe habeat, dum viuit ſingulis quoq; annis duos ſolidos, vel aureos, & poſt obitum ſuum omnes oues etiam valdè multiplicatæ ad ipſum Conuentum pertineant. Conradus *quæſt.* 88. *concluſ.* 5. dicit talem contractum eſſe permutationem, quia Petrus commutat centum oues cũ ſenſu, vel redditu annuo duorum aureorum ad vitam; & perinde eſt, ac ſi commutaſſet ſuas oues cum fundi, vel agri vſufructu ad vitam. Angelus, verò Siluelter, & alij citati ab Azorio *loco citato quæſit.* 7. dicunt huiuſmodi contractum eſſe certum venditionis, ſeu locationis genus, quia Petrus vendit ſuas merces Monachis, accepto certo pretio ad vitam; conuenit tamen inter omnes, hunc contractum eſſe iuſtum eo, quod paris conditionis ſunt Petrus, & Conuentus Monachorum, eo quod incertus, & dubius eſt euentus, nam ſi Petrus obierit confeſtim Conuentus Monachorum centum ouium totum commodum, & fructum habebit. Quod ſi diu vixerit, quamuis Eccleſia quot annis ſoluat penſionem, damno non afficitur, quia oues fœtibus multiplicantur, nec poteſt Eccleſia reſtitutionem petere, tametſi oues perierint, niſi illæ infectæ fuiſſent, & moribundæ, quod malum non nouiſſet Petrus, vel minimè aduertiſſet. Ita apud Azorium. Secundò, animal tunc vendi, quando datur, vt pretium reddatur, non ipſum animal, tũc enim expreſsè eſt venditio certo pretio eius expectato; implicitè verò tantum venditur cum totum lucrum, periculum, & damnum eſt eius, cui datur: cum item damnum eſt animal ad omnem vſum, quem voluerit is, qui recipit, ſi datur itidem æſtimatum, & is, qui recipit promittat ſe redditurum tantum, quãti eſt æſtimatum, vel promittit ſe redditurum ipſum animal, vel eius pretium, & hinc eſt, vt is, qui dat animal, nihil præter pretium poſſit exigere, quia vendit dilata ad tempus pretij ſolutione: quare ſi aliquid vltra pretium acciperet vſuram committeret, quis pluris vendit, quam valeat; quoad pretium ſolutionis expectet.

MALLEATIO LIII.

De depoſito, & de pactis in depoſito.

Quid ſit depoſitum?

BRACTEA I.

R. DEPOSITVM eſſe contractum, quo aliquid traditur cuſtodiendum, vt integrum reſtituatur. Vel depoſitum eſt contractus, quo ſola rei cuſtodia alteri committitur. *leg.* 1. *ff. depoſiti.* Ita Gomez 2. *var. cap.* 7. & ita colligitur ex *leg. depoſit.*

Sciendum, vt ex definitione colligitur, quatuor eſſe de ſubſtantia huius definitionis. Primò, vt res aliqua tradatur: Secundò, vt tradatur ad cuſtodiendum, ita vt depoſitarius eam ſub ſua cura, & cuſtodia ſuſcipiat, niſi is ex officio eam cuſtodire teneatur, quia tunc ſatis eſt ipſo vidente eam deponere, vt ſunt Caupones, Tabellarij, Nautæ, Aurigæ. Molina *diſp.* 522. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 1. Rebellus *lib.* 16. *quæſt. vnica.* Tertiò, vt eadem res integra reſtituatur: Quartò, vt gratis depoſitum ſuſcipiatur cuſtodiendum, quia ſi aliquid ſuſciperetur potius eſſet locatio, quam depoſitum.

Sciendum 2. depoſitum aliquando ſumi pro re, quæ deponitur, ſicut etiam commodatum aliquando ſumitur pro re, quæ accommodatur, & aliquando pro contractu, quo aliquid traditur cuſtodiendum, ſine quo rei cuſtodia alicui committitur: Secundò, in hac definitione primò dicitur contractus pro genere: Secundò, quo aliquid, &c. pro differentia; hic enim finis proprius eſt depoſiti, vt cuſtodiatur, & ſeruetur. Vnde nec dominium eius, nec vſusfructus transfertur, quo fit, vt diſtinguatur à mutuo, quia in mutuo transfertur rei dominium in mutuatarium, & mutuum non poteſt repeti, niſi poſt certum tempus; depoſitum verò ſemper repeti poteſt; diſtinguitur etiam à commodato, quia per commodatum conceditur res quoad vſum; depoſitum vero traditur ad ſolam rei cuſtodiam; ob id etiam differt à Præcario, in quo etiam conceditur vſus ad beneplacitum dantis. Diſtinguitur etiam à pignore, quod pignus datur ad cautionem creditori, depoſitum verò non. Tertiò, dicitur ad cuſtodiendum, nam tribus modis poteſt aliquid apud alterum deponi: Primò, totum

ad

ad cuſtodiendum abſque vlla mercede, & ſic propriè eſt depoſitum: Secundò, ad cuſtodiendum media aliqua mercede, & ſic pertinet ad locationem: Tertiò deponitur aliquid ad cuſtodiendum, ſed conceditur facultas depoſitario, vt poſſit ea te vti gratioſè, & ſic reducitur ad mutuum, vel commodatum, dicitur, vt integrum reſtituatur, vt intelligitur depoſitum ſolum referri in vtilitatem deponentis.

An Depoſitarius poſſit vti depoſito?

BRACTEA II.

R. Non poſſe depoſitarium vti depoſito inuito deponente. Ita Reginaldus *lib.* 25. *num.* 506. Leſſius *loco cit. dub.* 2. Rebel. *loco cit.* Garzias *cap.* 22. *num.* 12. *de contract. lib.* Rodriquez *cap.* 72. *num.* 6. Azorius 3. *part. lib.* 7. *cap.* 6. & alij. Ratio, quia perinde eſſet, ac furtum, cum vteretur re aliena inuito domino, & obligaretur ad reſtitutionem damni, quod inde ſubſequitur, & ſimul ad reſtituendam æſtimationem valoris ipſius vſus accepti contra domini voluntatem, licet ex paruitate damni ſimul coniuncta cum paruitate valoris accepti vſus, poſſit aliquando excuſari à mortali.

Sciendum in tribus caſibus poſſe depoſitarium vti depoſito. Primus eſt, quando id illi à deponente cõceditur, quia tunc depoſitum mutat naturam contractus, & tranſit in mutuum, ſi ipſa res ſit vſu conſumptibilis, vt pecunia, oleum, triticum, vinum, &c. Si verò non conſumatur vſu, tranſit in commodatum. Nauar. *cap.* 16. *num.* 181. Leſſius *loco cit. nu.* 6. & alij. Secundus, quando præſumitur id domino non diſplicere, quia tunc non peccaret ob præſumptam voluntatem deponentis. Neq; obſtat, quod poſteà comperiat ſe deceptum eſſe, & domino diſplicuiſſe, nam bona fides ipſum excuſat: Reginaldus *num.* 558. Molina *diſp.* 524. *num.* 2. & alij. Tertius, quando res depoſitata poteſt accipere functionem, vt pecunia, triticum, &c. & depoſitarius certò ſit, ſe habiturum rem ſimilem ſecundum bonitatem, menſuram, & pondus tempore reſtitutionis depoſiti; & ideò tunc non peccare vtendo depoſito, quia nullum incommodum irrogatur deponenti, dummodo non ſit in mora reſtitutionis. Molina *diſp.* 524. Silueſter *verbo depoſ.* Leſſius *loco cit. n.* 8. & alij.

Sciendum 2. quod quando pecunia, quæ apud aliquem deponitur, traditur in aliquo ſaculo obſignata, vel alia ratione ſigillo munita, non poteſt, tunc depoſitarius ipſa vti, quia dominus, qui pecuniam hoc modo tradit, cenſetur illius vſum interdicere: Ita Azorius *cap.* 8. *quæſit.* 9. Leſſius *loco cit.* Reginald. *num.* 558. Molina *diſp.* 523. & alij. Secundò, quod depoſitarius, qui contra voluntatem deponentis vtitur re depoſitata, v.g. veſte, equo, &c. tenetur reſtituere domino valorem ipſius vſus, quoties vſus rei eſt pretio æſtimabilis, nam pretium illius eſt quidam fructus: res autem domino fructificat, dummodo credat, dominum velle ſibi reſtitui pretium vſus, & non cõſtet, aut rationabiliter non præſumatur illud condonare. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 6. & alij. Ratio, quia talis vſus computatur inter fructus naturales, & non induſtriales.

Cuius ſit lucrum, quod depoſitarius lucratur ex depoſito?

BRACTEA III.

R. Si depoſitarius aliquid lucratur ex depoſito, v.g. ex pecunia, negotiando lucrum eſſe ipſius depoſitarij, & non deponentis, etiamſi contra voluntatem ipſius negotiatus ſit depoſitum. Et ita communiter omnes. Ratio, quia cum ſit lucrũ ex induſtria, cenſetur ipſius depoſitarij, cum regulariter lucrum ex induſtria ſit ipſum acquirentis.

Sciendum, quod depoſitarius, qui negotiatur pecunia depoſitata, & ex ipſa aliquid acquirat, ſi non ſit in mora reſtituendi depoſitum, ad nihil obligatur; ſi verò ſit in mora, obligatur ad damnum emergens, ſeu lucrum ceſſans. Secundò, poteſt ſibi retinere incrementum, quod fecit pecunia medio tempore, quo eam retinuit, & ſatisfacere, reſtituendo pecuniam, ſecundum valorem, quem habebat tempore depoſiti accepti, & reſtituat illam in ſpecie. Si verò contra voluntatem deponentis vſus eſt pecunia, non poteſt retinere incrementum, quod fecit medio illo tempore, ſed obligatur illud reſtituere domino, quia cum pecunia non mutauerit naturam depoſiti, cuius dominium perſeuerat apud deponentem, ſequitur incrementum eius eſſe, cum incrementum cedat domino.

Quis poſſit eſſe depoſitarius, & quæ res poſſit deponi?

BRACTEA IV.

R. Quemlibet vſu rationis præditum poſſe eſſe depoſitarium, niſi lege particulari prohibeatur. Ita Molina *diſp.* 525. Azorius *lib.* 7. *cap.* 3. & alij communiter; & ideò fœminam, pupillum, & Religioſum poſſe depoſitum ſuſcipere. *leg. Publia ff. depoſiti.* Ratio eſt, quia poſſunt ſe naturaliter obligare; verum ſi pupillus ſine auctoritate Tutoris depoſitum ſuſcipiat, ſi perit, non obligatur ad reſtitutionem, niſi in quo eſt ditior, & locupletior factus. Religioſus malè facit, ſi ſine Superioris licentia ſaltẽ tacita depoſitum ſuſcipiat, & ſi id pereat, Monaſterium non obligatur ad reſtitutionem, niſi quatenus in vtilitatem Monaſterii aliquid impẽſum fuerit. Secundò, res mobiles propriè ſolum, ſiue accipiant functionem, ſiue non, poſſunt deponi. Ita Molina *diſp.* 522. Azorius *loco cit. cap.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. Silueſter *verbo depoſitum num.* 1. Reginald. *lib.* 25. *num.* 560. & alii: Res immobiles non poſſunt deponi, niſi quando eſt controuerſia, & tunc deponuntur apud ſequeſtrum quouſq; conſtet, aut decernatur ad quem pertineant, vt docet Silueſter *verbo depoſitum*, & Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 36.

Ex qua culpa teneatur depoſitarius?

BRACTEA V.

R. Quando depoſitum ſit ſolum in gratiam deponentis, depoſitarium ſolum teneri ex dolo, & culpa lata. Ita Leſſius *loco cit. dub.* 3. *num.* 9. Nauar. *cap.* 17. *num.* 181. Rebellus *lib.* 16. *quæſt. unic.* Lopez *lib.* 2. *cap.* 35. Rodriquez 1. *part. cap.* 72. & alii communiter. Ratio, quia contractus in vtilitatem dantis, ſolum obligat ex dolo, & culpa lata.

Secundò,

Secundò, quando depoſitum fit in vtilitatem vtriuſque, obligat etiam ex culpa leui, vel quando interceſſit pactum, vt ex leui etiam teneretur; nam contractus ex conuentione legem accipiunt. Vnde depoſitarius, qui aliquid accipit pro conſeruatione depoſiti, non modo obligatur de dolo, & culpa lata, verum etiam de leui, quia ob acceptionem pretii contractus depoſiti fit in vtilitatem vtriuſque; ideò mollitores, caupones, ſartores, quibus aliquid datur ad cuſtodiendum, &c. tenentur ex culpa leui, cum contractus in vtilitatem eorum etiam cedat. Secundò, obligari etiam de leui, quando intercedit pactum, vt depoſitarius etiam ex culpa leui teneatur, & etiam ſi depoſitarius ſpontè ſe offert ad cuſtodiendum depoſitum, ob quod deponens alteri committere noluit; quandò verò depoſitum fit in commodum ſolius accipientis, tenetur depoſitarius etiam ex culpa leuiſſima. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 27. dub. 3. num.* 10. Silueſter *verb. depoſitum*, Lopez *lib. 2. cap.* 36. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 181. Rebellus *lib.* 16. *quæſt. vnica*. Tertiò, tenetur etiam de leuiſſima, quando initio contractus pactum fuit, vt ex culpa leuiſſima teneatur. Nauarr. *loco cit.* Quartò, quando in reſtituendo depoſito culpa præceſſit. Nauar. *loco cit.* Quintò, quando deponens diligentiſſimum depoſitarium inquirebat; quia res deponenda pretioſiſſima erat, & diligentiſſima cuſtodia indigebat, & ipſe depoſitarius ſe obtulit cuſtodem: quare in cauſa fuit, quod deponens alteri diligentiſſimo committere omiſit: vnde cenſetur cauſa damni.

An depoſitarius teneatur de caſu fortuito?

BRACTEA VI.

R. Depositarium, qui eſt in mora reſtituendi, obligari de caſu fortuito: per caſum autem fortuitum, intelligo non omnem caſum generalem, ſed ſolum de nominato propriè caſu fortuito, cum odioſa ſint reſtringenda, & fauorabilia amplianda, & caſus fortuitus ſit odioſus depoſitario. Secundò, depoſitarium etiam teneri de caſu fortuito, quando interuenit pactum, & quando caſus fortuitus prouenit ex culpa lata, quæ tunc contingit, quando non tantum curæ præſtat depoſitarius rebus depoſitatis, quantum rebus propriis, id eſt quantum alii homines ſolent communiter rebus ſuis præſtare. Vnde quando depoſitarius eſt in mora reſtituendi, vel etiam quando caſus fortuitus prouenit ex culpa lata, id eſt ex magna negligentia in depoſiti cuſtodia, obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti ob caſum fortuitum. An ſit licitum pactum, vt ex dolo depoſitarius non teneatur? Reſpondeo cum Nauar. *c.* 17. *n.* 181. eſſe illicitum, quia eſt contra bonam fidem, & contra bonos mores, quod occaſionem delinquendi miniſtraret, quod non licet. *cap. ex parte de conſuetud.*

An depoſitarius denegare poſſit depoſitum, petenti ipſum ad malum finem?

BRACTEA VII.

R. Quod licet depoſitarius teneatur regulariter reſtituere depoſitum, tamen poteſt ipſum denegare, petenti ipſum ad malum finem, id eſt contra proximum. Ita Molina *diſp.* 755. Nauar. *cap.* 17. *num.* 63. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 4. Azorius *lib.* 4. *cap.* 39. Rebellus *lib.* 2. *quæſt.* 17. *ſect.* 3. *num.* 18. Ratio, quia deponens non debet eſſe rationabiliter inuitus, cum dilatio reſtitutionis depoſiti dirigatur ad bonum finem. Vnde ſi quis haberet arma depoſitata, & deponens ipſa peteret ad malum finem, v.g. ad vulnerandum, vel ad occidendum, depoſitarium teneri non modo lege charitatis, ſed etiā iuſtitiæ differre reſtitutionem depoſiti in aliud tempus, dummodo ſine periculo poſſit differre, cum nullus teneatur cauere damnum proximi cum proprio periculo, & incommodo. Sunt etiam alii caſus, in quibus depoſitarius non tenetur reſtituere depoſitum deponenti. Primus, quando bona depoſitata fuerunt fiſco addita per ſententiam iudicis. *leg. bona fides ff. depoſitum*. Ratio eſt, quia fiſcus poſt condemnationem in his ius acquiſiuit, & dominus poſt condemnationem illa alienare non poteſt. Secundus, quando dominus rei depoſitatæ, & fur, qui rem depoſuit in repetenda re illa concurrunt, quia tunc res depoſitata domino eſt reſtituenda. Tertius, quando fur deponit rem furto ablatam apud proprium dominum, tunc enim nullo iure compellitur eam reddere illi, qui depoſuit.

An quando Deponens petit depoſitum ob finem ſibi ſoli noxium, depoſitarius teneatur illud reſtituere?

BRACTEA VIII.

R. Depositarium lege charitatis teneri denegare depoſitum, ſi commodè poteſt petenti ipſum ob finem ſibi noxium; Secus verò ſi commodè non poteſt denegare, aut prorogare reſtitutionem. Ita Petrus Nauarr. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 32. Azorius 3. *part. lib.* 4. *cap.* 39. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 6. & alii. Ratio, quia lege charitatis quiſque tenetur præcauere damnum proximi, quantum commodè poteſt. Vnde ſi quis rem depoſitatam repetat in ſui perniciem, v.g. in ebrietates, libidines, &c. Depoſitarius obligatur lege charitatis, ſi commodè poteſt illam reſtitutionem differre in aliud tempus, cum charitas obliget ad euitandum damnum ſpirituale proximi, & vnicuique Deus mandauerit de proximo ſuo. Si autem non poteſt commodè, & ſine ſuo præiudicio excuſatur, cum præceptum charitatis non obliget cum ſuo præiudicio, & incommodo. Secundò, non poſſe dominum rem ſuam apud alium depoſitatam clam ſurripere, quia ſic grauaretur nimirum depoſitarius, cum obligatione denuò, vel depoſitum reſtituendi, vel ſe oſtendendi non amplius obligatum à reſtitutione depoſiti. Vnde talis grauaminis non poteſt eſſe cauſa, niſi depoſitarius depoſitum iniuſtè negaſſet; nec via ordinaria poſſit illud recuperare, in his duobus caſibus conceſſum eſſet ſuum depoſitum ſurripere.

An Depoſitarius poſſit præferre res ſuas rebus depoſitis, quando vtraſque ſaluare non poteſt?

BRACTEA IX.

R. Si res propria eſt pretioſior re depoſitata, poteſt depoſitarius in quolibet periculo, ſiue incendii, naufragii, vel etiam irruptionis hoſtium præferre rebus depoſitis, ſiue contractus ſit

in

in vtilitatem deponentis, ſiue depoſitarij. Ita communiter omnes. Ratio, quia nemo tenetur cum grauiori damno auertere damnum alterius, ſed ſolum ſi commodè poteſt.

Sciendum, quod licet non teneatur cum grauiori ſuo periculo defendere res depoſitatas, tamen quando contractus eſt in vtilitatem depoſitarij, ſi res depoſitatæ pereant, obligatur ad reſtitutionem valoris earum, cum æquitas non patiatur, quod alter damnum non ſuſtineat occaſione contractus in fauorem ſolius depoſitarij celebrati; & per conſequens obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Secundò, ſi res depoſita ſit maioris valoris, quam res depoſitarij tenetur eam præferre rebus vilioribus propriis. Ita Leſſius *lib.2.cap.27.dub.6.num.*29. & alii. Ratio, quia depoſitarius debet ea vti diligentia in rebus depoſitis conſeruandis, qua quiſque tenetur in rebus propriis: ſed quiſque ſaluaret res pretioſiores relictis vilioribus, & per conſequens depoſitarius idem debet facere, nimirum ſaluare res pretioſiores depoſitas, relictis ſuis vilioribus. Tertiò, quando res depoſitæ ſunt, valore inæquales rebus domini, tunc depoſitarios poteſt ſaluare potius proprias, quam alienas. Ita Rebellus *part. 2. lib. 16. quæſt. vnica* Lopea *lib. 2. de contract. cap.* 46. Leſſius *loco cit.* Ratio, quia in æquali iactura tenetur potius ſaluare res proprias, quam alienas. Tum etiam, quia nullus cum iactura propria videtur obligari ad rem alterius conſeruandam, cum magis ſua, quam aliena diligere debeat. Quod tamen intelligendum eſt, quando contractus eſt in vtilitatem deponentis, qui ſi erit in commodum ſolius depoſitarii, tunc tenetur præferre rem alienam. Ita Leſſius *loco cit.*

An in re depoſita poteſt fieri compenſatio?

BRACTEA X.

R. Si Ius commune Canonicum, & Ciuile ſpectemus negatiuè, cum videatur eſſe contra fidelitatem depoſiti. Et ita Molina *de contract. lib. diſp.* 524. Ratio huius redditur in *cap. bona fides de depoſito*; ne contractus videlicet depoſiti, qui bona fide oritur ad perfidiam retrahatur. Secundò, iure naturæ, & in foro conſcientiæ poſſe fieri compenſationem, docet Nauarrus *cap.* 17. *num.* 115. Em. Sà *verbo depoſitum num.* 4. Leſſius *lib* 2. *cap.* 27. *dub.* 4 *nu.* 16. & alii. Vnde reſpondeo compenſationem in depoſito fieri poſſe, vel commodato, quando alia ratione non poteſt, vel difficilè res debita obtineri; nam ſicut debitor non ſeruat fidem in ſolutione facienda, ita creditor non videtur obligandus ad rem debitoris apud ſe depoſitam reſtituere, cum de iure naturæ, & gentium poſſit quis ſibi ſatisfacere, quando alia via ſibi debitum habere non poteſt. Filiucius *tom.* 2. *tract.* 34. *num.* 18. Layman in Theologia Morali *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 10. Villabos in *ſum. tom.* 2. *tract.* 27. *difficult.* 5. *num.* 2. & *tract.* 11. *difficult.* 33. *num.* 3. Silueſter *verbo compenſatio num* 3. Em. Sà *verb. depoſitum num.* 4. Lopea *lib.* 2. *de contract. cap.* 37. Naldus in *ſum. verb. compenſatio num.* 5. Diana *in addit. reſolut.* 1. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *pun.* 2. *num.* 10.

An liceat deponere pecuniam apud vſurarium?

BRACTEA XI.

R. Poſita iuſta cauſa licere apud vſurarium pecuniam deponere, etiamſi deponens ſciat fore illi materiam vſuræ exercendæ. Ratio eſt, quia cum iſta depoſitio non ſit intrinſecè mala, ſed extrinſecè, iuſta cauſa poteſt fieri, quia quæ ſunt extrinſecè mala poſita iuſta cauſa poſſunt fieri. Et ita Binnea 2. 2. *quæſt.* 67. *art* 4. *dub.* 1. Caietan. *ibidem quæſt.* 78. *art.* 4. Arragonius *quæſt.* 62. *art.* 5. Salonius *eadem quæſt. art.* 5. *contr.* 2. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 5 *quæſt.* 2. *pun. vlt.* Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 331. Rebellus *part.* 2. *lib.* 2. *quæſt.* 16 *ſect.* 4. *num.* 20. & alii.

Sciendum dubium eſſe, an deponens ſit aliis creditoribus præferendus depoſitarii? Ad quod reſpondeo ſi depoſitum eſt tale, vt non tranſeat dominium depoſiti in depoſitarium, vt verè non tranſit in omni vero depoſito, tunc præfertur deponens cœteris creditoribus, quia tunc deponens vendicat illud, vt ſuum. *cod. in fine leg. depoſiti*; Si verò tranſiuit in mutuum, ac proinde comparauit depoſitarius dominiū illius, tunc ſi tale depoſitum factum eſt penes publicum depoſitarium, & deponens nullum intereſſe ob id accipiebat, gaudet priuilegio, vt præferatur cœteris creditoribus perſonalibus depoſitarii, qui ſcilicet non habent tacitam, vel expreſſam hypothecam in bonis eiuſdem depoſitarii. *leg. ſi hominem*, §. *quoties ff. depoſitum*: Si verò eſt factum penes priuatum depoſitarium colligi videtur, quod non ſit neceſſariò præferendus. Secundò, deponentes omnes æqualiter admittuntur, vt eis ſoluatur de bonis depoſitarii publici, ſiue alii ſint anteriores, ſiue poſteriores. *leg. ſi hominem* §. *vlt. ff. depoſitum*. Quando tamen eadem numero pecunia depoſita extaret apud depoſitariū, aut aliquid ex ea emptum tunc præferretur in ea pecunia is, qui eam depoſuit, etiamſi acciperet vſuram ex depoſito. *leg. ſi ventri ff. de pericul.*

An quando depoſitarius eſt dubius, vtrum res ſua culpa ſit perdita, teneatur illam reſtituere?

BRACTEA XII.

Affirmatiuè reſpondet Merola *tom.* 2. *diſp.* 3. *cap.* 3. *corolar.* 7. *num.* 50. & 51. Gaietus in *Margarita caſuum conſcientiæ verbo commodatum*, & *verbo dubium*. Ratio, quia in dubio potius damnum pati debet, qui beneficium accepit, quam qui beneficium contulit; ergo, &c. ſed his non obſtantibus.

R. cum Ioanne Sanctio in *ſelectis diſp* 43. *nu.* 11. vbi ſic ait. Quando depoſitarius, vel commodatarius dubius eſt an res ſit ſua culpa amiſſa non tenetur reſtituere, quia cum delictum non præſumatur, ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ, cum in dubiis non præſumatur delictum. Et ita etiam Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 71. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. Salas *in* 1. 2. *tract.* 5 *diſp. vnica ſect.* 23. *num.* 243. Ca[illegible]us Pallaus *tom.* 1. *diſp.* 3. *pun.* 4. *num.* 4. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 15. & alii.

Sciendum, quod in foro externo, ſi res depoſitarii appareant incolumes præſumitur in dolo, & ſic depoſitario incumbit probare eas periiſſe, vel non potuiſſe ſeruare ſimul res ſuas, & depoſitas ob imminens periculum incendii, vel alterius caſus fortuiti, & ex iuſta ratione maluiſſe res ſuas potius ſeruare, quam alienas; tunc enim ceſſat dicta præſumptio

de

de dolo etiam ſi tes ſuæ viliores eſſent. Ita Maſcar. de *probat. verbo depoſitarius concluſ.* 509. Secundò, notandum pro præſenti materia id, quod alibi diximus, aliquos generaliter in contrsctibus docete, neminem teneri ad reſtitutionem, niſi de dolo, & lata culpa; latã autem culpam illam volunt eſſe, quæ eſt culpa mortalis; vnde inferunt etiamſi non adhibeatur diligentia communis, quæ faceret latam culpam iutidicam, tamen ſi hoc prouenist ex naturali obliuione, ita vt quis excuſetur à mortali, non obligat illa lata culpa in foro interiori ad reſtitutionem. Ita Sotus *lib. 4. de inſtit. quæſt. 7. art. 2.* Martinus Ledeſma *2. par. quæſt. 8. art. 6. §. ſed dub.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 1.* Em. Sà *verbo culpa num. 2.* Quam opinionem cum Leſſio probabilem iudicio, ſicut & contrariam: ſed ſolum habere locum in foro conſcientiæ, & non in foro fori, in quo contraria locũ habet.

MALLEATIO LIV.

De contractu commodati, & de pactis in commodato.

Quid ſit commodatum?

BRACTEA I.

R. Commodatvm eſt contractus, quo res alteri conceditur, quoad vſum gratis. Ita communiter omnes.

Sciendum commodatum dici quaſi datum ſit cõmodo alterius; & eſt contractus, qui tunc perficitur quando res alteri conceditur quoad vſum. Vnde perficitur traditione.

Contractus in definitione ſe habet loco Generis; cœtera verò ponuntur loco differentiæ formalis. Differt commodatum à mutuo, quia pet mutuum transfertur dominium, pet commodatum non transfertur dominium, ſed ſolum vſus rei conceditur alteri ad determinatum tempus; differt etiam à mutuo, quod mutuum eſt ſolius tei mobilis, commodatum poteſt etiam eſſe rei immobilis. Vnde domus poteſt commodari, nimirum alteri concedi gratis, quoad vſum vſque ad determinatum tempus. Secundò, accommodatum aliquando eſſe in gratiam commodantis, aliquando ſolius commodatarij, & etiam vtrinſque, nimirum commodantis, & commodatarii. Tertiò, illum poſſe commodare, qui poteſt contrahere. Vnde pupillus, & qui propria auctoritate contrahere non poteſt, nec etiam poteſt accommodare, niſi de licentia Tutoris. Quartò, qui habet ius vtendi re aliqua, poteſt etiam illam accõmodare, niſi ſit illi ſpecialiter probibitum, vt Religioſi, qui habent ſolum ius vtendi re ſibi conceſſa ad vſum.

Quæ requirantur ad commodatum.

BRACTEA II.

R. Tria requiri ad commodatum eſſentialiter, ideſt quæ ſunt de natura ipſius contractus, ſine quibus aut altero illorum mutaret naturam contractus, & aliam induceret, nimirum vel naturam mutui, vel, &c.

Sciendum ad commodatum primò requiri mutuũ conſenſum, cum perficiatur conſenſu: Secundò, vt rea trãdatur gratis commodatario ad certum vſum, & ad certum aliquod tempus expreſſè, vel tacitè: expreſſè, vt ſi dicatur, commodo tibi pallium per vnam hebdomadam: tacitè, vt ſi dicatur, commodo tibi pallium quoaduſque tedeas à nuptiis tuę neptis, Leſſius *lib. 2. cap. 27. dub. 1.* Siluester *verbo commodatum*, Reginaldus *lib. 25. de Precario*, & alii. Tertiò, tequiritur, vt dominium commodati perſeueret apud commodãtem, & per conſequẽs ſi pereat abſq; culpa commodatarii, pereat ipſi commodati.

Sciendum res omnes tam mobiles, quam immobiles præſertim, quæ vſu non conſumuntur poſſe accommodari; res enim, quæ conſumuntur vſu, vt pecunia, frumentum, &c. nequeunt accommodari, niſi ad propriam, & ad oſtentationem. *leg. ſed mihi §. vlt. ff. commodatum*; poſſunt etiam commodari iura, & ſeruitutes, res ſacræ ad vſus tantum ſacros: res autem aliena à bonæ fidei poſſeſſore commodati poteſt, ſi ſit malæ fidei, in conſcientia non poteſt commodare, cum potius teneatur reſtituere.

Ex qua culpa teneatur Commodatarius?

BRCTEA III.

R. Qvando commodatum eſt in gratiam commodatarii, tunc tenetur ex culpa etiam leuiſſima. Ita Rebellus *lib. 16. quæſt. vnic.* Azorius *3. part. lib. 7. cap. 7. quæſit. 1.* Molina *diſp. 247.* Filiucius *tract. 34. cap. 8. num. 186.* Leſſius *lib. 2. cap. 27. dub. 3. n. 11.* & alii. Ratio, quia contractus in fauorem ſolius recipientis, obligat etiam ex culpa leuiſſima, vt dictum eſt de contractibus in genere. Secundò, commodatum in fauorem commodantis, obligat ſolum ex culpa lata, & de dolo, & ſi ſit in commodũ vtrinſque, nimirum commodantis, & commodatarij, obligat ex culpa leui. Ita habetur in *leg. ſicut certo §. interdum ff. accommodati*. Tum etiam, quia alii contractus ſolum ſic obligant. Quæ ſit culpa lata, leuis, & leuiſſima dictum eſt ſuprà: nimirum culpam latam illam eſſe, quam homines communiter vitant, leuem, quam regulariter omnes diligenter illius officii cauere ſolent, leuiſſimam, quam diligentiſſimi homines vitare curant.

An Commodatarius teneatur de caſu fortuito?

BRACTEA IV.

R. Commodatarivm regulariter non teneri de caſu fortuito, teneri ſolum in tribus ſubſequentibus caſibus: Caſum fortuitum eſſe inopinatum alicuius rei euentum, qui nullo modo præuideri, aut præcaueri potuit, vt fulmina, grandines, terræ motus, inſultus latronum, &c. Quod intelligendum eſt de his, qui nullo modo certò præuideri, aut præcaueri poſſunt.

Sciendum in tribus caſibus Commodatarium teneri de caſu fortuito. Primò, ratione pacti, vt quãdo inter contrahentes ſit pactum, quod alter teneatur de caſu fortuito: Secundò, ſi Commodatarius fuerit in mora reſtituendi, & res caſu fortuito pereat apud Commodatarium durante mora: tunc dicitur eſſe in mora reſtituendi, quando rem commodatam non reſtituit determinato tempore, & quando dies eſt appoſita obligationi, non requiritur monitio, vt quis dicatur in mora, quia dies pro homine interpellat. Tertiò, ratione culpæ, vt v.g. ſi contrà pactũ vius ſit re accõmodata; ratione cuius perierit, vel deterior fuerit facta: in his tribus caſibus obligatur Commodatarius de caſu fortuito, & non in aliis.

An Commodatarius obligetur ad reſtitutionem, ſi res apud ipſum perit, quæ etiam apud dominum erat peritura?

BRACTEA V.

R. Commodatarium non obligari ad reſtitutionem rei, quæ apud ipſum perit, quæ etiam apud dominum erat peritura, etiamſi fuiſſet in mora. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.*179. Reginaldus *lib.* 25.*num.*475. Silueſter *verbo accommodatum quæſit.9.* Azor. 3. *part. lib.* 7, *cap.* 6. *quæſit.* 3. Molina *diſp.* 295.*num.*5. Couar. *regula peccatum part.* 2. §. 6. *num.*1. & alii. Ratio, quia neque cauſa, neque occaſio cenſetur damni, cum etiam apud dominum res eſſet peritura.

Sciendum, quod Commodatarius, qui eſt in mora reſtituendi, licet non obligetur ad reſtitutioné rei, quæ apud ipſum perit, quæ etiam apud dominum erat peritura, obligatur tamen ad intereſſe pro eo tempore, quo fuit in mora, & ad æſtimationem vſus pro eo tempore, quo fuit vſus opera eius. Secundò, pactum, vt Commodatarius ex lata, aut leui culpa non teneatur eſſe licitum, & ſi tunc res ex Commodatarii culpa lata, vel leui pereat, non obligatur ad reſtitutionem, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria; pactum autem, vt Commodatarius de dolo non teneatur, eſt ipſo iure irritum, quia præbet occaſionem peccandi. *leg. in commodato ff. commodatum.* & ita communiter omnes.

An Commodatarius vtens re accommodata in alium finem, quam ad quem fuit commodata contrà domini voluntatem, peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VI.

R. Commodatarium, qui contrà voluntatem Commodantis expreſſam, vel præſumptam vtitur re commodata in alium finem, quam ob quem fuit commodata, peccare, & ſi res fuerit facta deterior, obligari ad reſtitutionem damni ſequuti. Ita Molina *diſp.*295. Lopez *lib.2. de contrac. cap.*47. & alii communiter. Ratio, quia quiſque tenetur ad reſtitutionem damni ſua culpa ſequuti; ergo etiam obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti ob talem vſum contra voluntatem domini, &c.

Sciendum, quod ſi vſus rei commodatæ in alium finem, quam ad quem fuit commodata, fuerit per paruum tempus, non peccat mortaliter, ſed venialiter. Verum ſi in illo vſu parui temporis res fuerit facta deterior, obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti, quia ex damno dato ob culpam veniale, oritur obligatio reſtituendi. Secundò, ſi Commodatarius credebat dominum contentum fore, vt vteretur re ad alium vſum, quam ad eum, ad quem erat commodata, non obligatur ad reſtitutionem, ſi res ipſa perit. Ratio, quia non cenſetur tranſgreſſus domini voluntatem, cum de ipſa haberet præſumptionem. Si tamen poſteà conſtaret Commodatarium fuiſſe deceptum, & vſum rei, ſiue etiam moram fuiſſe contra domini voluntatem, in foro conſcientiæ obligaretur ad reſtitutionem rei, ſi ipſa perit, eſto, quod non peccaret vtendo re ipſa ob bonam fidem; ſi verò dubitabat, quia non ſuberat probabilis cauſa vendendi, obligatur ad reſtitutionem, quia in dubio dominus cenſetur inuitus. Ita Molina *diſp.*295. Lopez *lib.*2. *de contractib.cap.*47. & alii. Tertiò, paruitatem non eſſe accipiendam ex ſolo valore rei commodatæ, ſed potius ex valore non conceſſi vſus, aut ex detrimento ipſius rei ſubſequuto.

An Commodatarius, qui caſu fortuito non potuit vti re commodata intrà tempus conuentum, poſſit illo tranſacto abſque alia licentia vti?

BRACTEA VII.

R. Cum Silueſtro *verb. commodatum num.* 4. Lopez *lib.2.de contract.cap.*35. Angelo *verbo commodatum num.* 6. Tabiena *eodem verb. num.* 3. & aliis non licere, niſi ſub ratihabitione probabili, credendo quod vſum dominus habebit acceptum, & tunc probabiliter cenſetur habere ratihabitionem, quando ratione amicitiæ, vel alterius tituli acceptũ vſum poteſt præſumere, alioquin ratihabitio non erit probabilis. Secundò, qui habet ius vtendi re aliqua eam poteſt alteri commodare. Ita Molina *diſp.* 294. *num.* 2. niſi aliter conuentum ſit cum domino. Ratio, quia quilibet poteſt ius ſuum alteri cedere; vt colligitur *leg.* 1. §. *inter commodatum ff. commodati.*

An Commodatarius poſſit rem commodatam titulo compenſationis retinere?

BRACTEA VIII.

R. Commodatarium poſſe titulo compenſationis rem commodatam retinere, dummodo non iurauerit rem reſtituere, aut aliter deductum fuerit in pactum inter contrahentes. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.*106. Silueſter *verbo accommodatum quæſit.*3. Reginald. *lib.* 25. *num.*583. Lopez *lib.2.de contractib.cap.36.* & alii. Ratio, quia ſi debitor non ſeruat fidem in ſolutione facienda, ita creditor non videtur obligandus ad rem debitoris commodatam reſtituendam iuxtà illud frangenti fidem, fides frangatur eidem. Quod ſi Commodatarius iurauerit rem commodatam, Commodanti reſtituere, non obſtante credito ipſius, tunc non poteſt vti compenſatione, quia iuramentum eſt obligatorium in forma ſpecifica, licet contrariam ſententiam tueantur Molina *diſp.* 297. Armilla *verbo commodatum num.* 3. Et ratio eſt, quia non eſt fides depoſiti frangenda, & in hanc opinionem inclinat etiam Garzias *lib.* 1. *de contractib. pun.* 6.

An Commodator poſſit repetere commodatum ante tempus completum, quo fuit conceſſum?

BRACTEA IX.

R. Non poſſe abſque legitima, & iuſta cauſa Commodatarium repetere commodatum ante completum tempus, quo fuit conceſſũ, ſi tempore commodati præuidebat detrimentum aliquod futurum, & nihilominus commodauit. Ratio, quia obligatur ſtare contractui, & eo ipſo cenſetur voluiſſe ex liberalitate, non ſolum commodare, ſed etiam incõmodum illud in cõmodatarii gratiã ſubire

Scien-

Sciendum iuſtam cauſam repetendi commodatum ante completum tempus eſſe ſummam neceſſitatem rei commodatæ, non ſolum propriè, verum etiam totius familiæ, v. g. ſi quis alteri accomodaſſet dolium vini, quo poſteà ipſe ſummè indiget, neceſſitas eſt ratio cur poſſit repetere ipſum ante completum tempus. Molina *diſp.* 293. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 5. Angelus *verbo accommodatum*, Siluester *eodem verb. num.* 4. & alij complurra. Ratio eſt, quia commodator, non cenſetur voluiſſe compræhendere talem euentum. Quod ſi commodans tempore commodati præuidebat, aut timebat neceſſitatem, ſeu indigentiam illam, & nihilominus commodauit, tunc non poteſt tuta conſcientia inuito commodatario commodatum repetere, quia ex eo, quod ipſam indigentiam præuidit, & tamen commodauit, cenſetur tale incommodum in gratiam cõmodatarij voluiſſe ſubire, & ideò non poteſt commodatum ante completum tempus repetere. Ratio eſt, quia in contractibus celebratis quiſque debet promiſſis, & pactis ſtare, nec ab eo poteſt reſilire, vt patet in mutuo, quod ob damnum ſuperueniens, mutuans ipſe ante tempus non poteſt repetere, ergo nec etiam potuit repetere commodatum re non integra ante determinatum tempus.

An impotentia excuſet Commodatarium à reſtitutione rei accommodatæ, & à reſtitutione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod patitur commodator ob moram reſtitutionis commodati?

BRACTEA X.

R. Commodatarium non obligari ad reſtitutionem damni emergentis, vel lucri ceſſantis ob moram reſtitutionis rei commodatæ; quando dilatio non ex culpa, ſed ex impotentia prouenit. Ita Siluester *verbo mora quæſit.* 4. Rodriquez 1. *part. cap.* 111. & alij. Ratio, quia impotentia eſt cauſa ſufficiens differendi reſtitutionem, ita & eſt ratio non ſoluendi damnum emergens, vel lucrum ceſſans. Dixi quando dilatio prouenit non ex culpa, quia ſi Commodatarius ob culpam præcedentem, aut ſubſequentem factus eſt impotens ad reſtituendum in ſpecie rem accommodatam, quia petit eius culpa, tenetur non ſolum reſtituere rem ſi pereat, ſed etiam damnum, vel intereſſe lucri ceſſantis, quod Commodanti inde venit iuxtà *caput vnicum de commodato*. Ratio eſt, quia talis impotentia eſt culpabilis in ſua cauſa. Ita Rodriquez *part.* 1 *ſum. cap.* 111 Quando verò eſt impotens non ex culpa præcedenti, aut ſubſequenti, non tenetur ad tale intereſſe damni, aut lucri ceſſantis, tenetur tamen ad ſtipendium, vt v. g. ſi quis iuſto impedimento impeditus reſtituere equum commodatum non potuit, ſi non fuerit pactum ſoluendi, non tenetur ad tale intereſſe damni, aut lucri ceſſantis; tenebitur tamen ad ſtipendia locationis equi accommodati. Ita Siluester *verbo mora quæſt.* 4. Rodriquez *loco citato*.

An in contractu commodati liceat apponere pænam, quod ſi res non reddatur tempore aſſignato, eam Commodatarius ſoluat?

BRACTEA XI.

R. Licere in contractu accommodati apponere pęnam, quod ſi res non reſtituatur tempore aſſignato, eam Commodatarius ſoluat, dummodo ſine fraude apponatur, & pęna ſit moderata. Ita Siluester *verbo vſura quæſt.* 28. & alii. Ratio, quia quilibet poteſt conſulere ſuæ indemnitati; ergo vt ſibi conſulat, poteſt apponere pęnam, vt ſe ſeruet indemnem.

Sciendum, quod ſi pęna apponatur fraude ad recipiendum aliquid ob commodatum, vel quia probabiliter exiſtimat Commodatarium non eſſe reſtituturum rem commodatam tempore præfixo illicitè apponitur. Si verò apponatur in compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis, pactum erit validum, & iuſtum, cum Commodatarius, qui eſt in mora cenſeatur cauſa damni emergentis, vel lucri ceſſantis. Secundò, quod licet in contractu commodati ſit appoſita pœna, ſi Commodatarius non ſoluat tempore debito, tamen ſi dilatio ſolutionis proueniat ex impotentia, & non ex culpa, non obligatur ad ſolutionem pęnæ, quia vbi non eſt culpa, non debet eſſe pœna, niſi vt ſupra dictum fuit, pactum apponatur in compenſationem damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quia tunc ſi omittit Commodatarius reddere ſine culpa propria, non erit peccatum petere ab eo dictam pœnam, quia pactum fuit validum. An talis pœna obliget ante Iudicis ſententiam. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 37. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 8. *art.* 2. & alij negant deberi ante Iudicis ſententiam. Ratio eſt, quia cum hæc pęna ſit contra voluntatem eius conditio naturalis petit, vt non ſit debita ſolutio, niſi quis à Iudice cogatur: ſed reſpondeo deberi ante Iudicis ſententiam; & ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 15. Rebellus *part.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 9. Salon. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. & alij. Ratio, quia in hoc diſtinguitur pęna conuentionalis à legali, & iudiciali, quod legalis, & iudicialis ſolui non debet, niſi poſt ſententiam: at conuentionalis ſolui debet ante ſententiam, quam vim habet ratione pacti, & ex conuentione partium, & partes ad hoc ſe obligarunt.

An Commodator obligetur reſarcire expenſas, quas Commodatarius fecit?

BRACTEA XII.

R. Expensas ordinarias pertinere ad Commodatarium, extraordinarias verò ad Commodantem, dummodo non ſint leues, quia ſi tales expectabunt ad Commodatarium. Ita Garzias *cap.* 5. *num.* 8. Molina *diſp.* 297. Lopez *lib.* 2. *cap.* 46. & alij. Ratio primæ partis eſt, quia qui ſentit commodum, tenetur etiam ad incommodum. Vnde, qui commodatum accepit equum, debet illum alere, & ſi opus eſt, ferreis laminibus pedes aptare, & ſimilia facere. Ratio ſecundæ partis, quia extraordinariæ cedunt in vtilitatem Commodantis, & per conſequens ipſe tenetur eas reſtituere Commodatario. Secus verò, vt dixi ſi ſint exiguę, quia ſi tales ſpectât ad Commodatarium. Ita Molina *diſp.* 297. Lopez *lib.* 2. *de contractib. cap.* 46.

An Commodatarius obligetur ad nouam reſtitutionem, ſi res commodata miſſa per nuncium ad dominum, non peruenit?

BRACTEA XIII.

SCIENDVM eſſe differentiam inter mutuum, & commodatum; quod in mutuo transfertur dominium, & mutuatarius obligatur ſolum ad reſtitutionem ipſius rei in ſpecie, ſeu æquiualentis; in commodato verò transfertur dominium, & ipſa res commodata in indiuiduo debet reſtitui, & non alia pro ipſa. Quo poſito

R. Si res commodata miſſa per nuncium ad Commodantem, pereat culpa mittentis, obligatur ad nouam reſtitutionem: ſecus autem non. Ita Nauarrus *cap. 17. num. 185.* Rebellus *lib. 6. quæſt. vnica*, Bonacin. de *contractib. diſput. 3. quæſt. 15.* & alij. Ratio, quia quiſque tenetur ad reſtitutionem damni ſua culpa ſequuti, & ex contractu obligatur adhibere diligentiam, vt res perueniat ad ſuum dominum, alioquin ipſe tenetur ad nouam reſtitutionem.

Sciendum 2. Quod ſi Commodatarius rem mittat domino per nuncium fidelem habitum, & multoties talem expertum, ſi res commodata non perueniat ad dominum malitia ipſius nuncij, mittens non obligatur ad nouam reſtitutionem, cum non cenſeatur eſſe in culpa, ſed ſeruus. Secundò, ſi nuncius erat infidelis, & tamen communiter habebatur, vt bonus, & fidelis, & malitia ipſius res miſſa pereat, non obligatur mittens ad nouam reſtitutionem, cum non cenſeatur eſſe in culpa, & res, quæ perit, domino perit, quando non adeſt culpa; ſecus autem ſi nuncius communiter non exiſtimabatur idoneus, quia tunc tenebitur Commodatarius reſtituere rem miſſam ſi perit ex culpa portatarii, quia ſibi imputatur, ſi per infidelem nuncium miſit. Si verò Commodans miſit nuncium, vt rem commodatam reciperet, tunc ſi res perit, vel caſu, vel ex culpa internuncij creditori, perit, & non debitori. Ratio eſt, quia eo ipſo, quod perſonam, cui traderetur deſignauit, ratam habuit ſolutionem, ſecus verò ſi Commodans nuncium mitteret ad Commodatarium, vt rem commodatam mitteret, non tamen Commodans illi ſignificaret, vt per eum nuncium illam ad ſe mitteret: tunc ſi illã ei traderet, & culpa nuncij ad Commodantem non perueniret, Commodatarius obligaretur ad nouam reſtitutionem. Ratio, quia ille nuncius ſolum fuit deſtinatus, vt Commodatarium de reſtitutione admoneret, non tamen, vt illi reſtitutio fieret.

An Commodans rem vitioſam obligetur de damno ſubſequuto.

BRACTEA XIV.

R. OBLIGARI, ſi ſcienter rem vitioſam commodauit non aperiendo vitium. Ratio, quia tacendo tale vitium cenſetur cauſa iniuſta damni. Secus autem ſi vitium non manifeſtauit, vel ex ignorantia, vel obliuione. Silueſter *verbo commodatum num. 5.*

Sciendum tamen iuxtà Rodriquez *part. 1. ſumma cap. 111.* Lopez *lib. 2. cap. 35.* Commodantem non obligari ad omnia damna ſubſecuta, ſeu ad omne intereſſe extrinſecum, ſed ſolum obligari ad primum damnum cauſatum pro prima vice, cum talis contractus ſit in vtilitatem recipientis. Secundò, tres eſſe regolariter obligationes Commodantis: prima, vt moneat Commodatarium de vitio rei accommodatæ: Secunda, vt ſoluat extraordinarias expenſas in reparationem damni rei commodatæ, modò non prouenerint culpa Commodatarij: Tertia, vt non repetat commodatum ante præfixum tempus expreſsè, vel tacitè, pro quo fuit conceſſum. Similiter quatuor etiam eſſe obligationes ex parte Commodatarii: prima, vt non vtatur re commodata ad alium finem: ſecunda, vt rem commodatam reſtituat tempore conſtituto, & eandem rem in indiuiduo reſtituat: tertia, vt eam reſtituat non factam deteriorem dolo, aut culpa: quarta, vt ſeruet rem commodatam ea cura, qua rem ſuam.

Sciendum 2. Ex iſtis capitibus oriri obligationem reſtituendi damnum ob commodatum. Primò ex pacto, quod poſſit fieri, quamuis regolariter non ſoleat: Secundò, ex dolo, & fraude adhibita à Commodatario, vt noceret rei commodatæ: Tertiò ex culpa abſque fraude, vt primò ex negligentia in ea cuſtodienda lata, leui, & leuiſſima: Secundò, ex vſu ad alium finem ab eo, in quem res eſt conceſſa; Tertiò, ex mora in ea reſtituenda; Quartò, ex perſona parum fideli, per quam remiſſa res eſt; Quintò, ex periculo, ad quod eſt expoſita, & in eo perit ob conſeruanda propria, vt ſi naufragio res commodata eſt proiecta in mare ad ſaluanda propria, vt dicetur.

An commodare alicui cubiculum ad fornicandum, ſit peccatum?

BRACTEA XV.

R. QVOD ſi talis commodatio cubiculi ſit ſimpliciter ad fornicandum, eſt peccatum mortale, quoniam eſt cooperari peccato, quod eſt intrinſecè malum; ſi autem commodatio cubiculi ſimpliciter fiat, & ex aliqua iuſta cauſa, non eſt peccatum, etiam ſi ſciat Commodatarium in ipſo eſſe fornicaturum, quoniam talis Cõmodatio, vt ſic, non eſt intrinſecè mala, ſed ſolum extrinſecè, & ex ſola praua abutentis intentione, ordinatur ad prauum finem, & quæ ſunt ſolum extrinſecè mala, iuſta cauſa poſſunt fieri, vt alibi eſt dictũ. Iuſtam cauſam intelligi aliquod malum imminens, ſi non fiat, vel priuationem vtilitatis, vel alicuius rei honeſtæ.

Quando res duobus fuit commodata, & culpa vnius periit, ad quid teneantur ambo?

BRACTEA XVI.

R. QVOD ſi res aliqua indiuidua, v. g. plauſtrum, iumentum, &c. duobus fuit commodata, & vnius dolo, aut culpa periit, aut deterior facta eſt, ille ſolus damnum inſtaurare cogetur; ſin autem neuter culpa caruit, vterque obligatur in ſolidum; ſed ſi alter totum præſtiterit, ab altero dimidiam partem repetere poterit, vt habetur in *leg. ſiue certo loco §. ſi duobus ff. eodem.* Idem in locato locum habet, atque in depoſito iuxtà *leg. 1. §. ſi apud duos ff. depoſiti*; ſin autem duo obligationem contrahunt non ex culpa, ſed ex pacto, quia v. g. caſum etiam fortuitum rei accommodatæ, locatæ, vel depoſitæ in ſe ſusceperunt, ſinguli tantum pro parte tenentur, niſi expreſsè conuentum fuerit, vt in ſolidum teneantur, ſicut videtur ſentire gloſſ. in *cit. §. ſi apud duos verſus*

reperiuntur, & videri poteſt Molina tom. 2. diſp. 297. in fine, & alii plures.

An res commodatæ præferendæ ſint propriis, quando vtreque ſaluari non poſſunt?

BRACTEA XVII.

R. Rem commodatam tripliciter ſe habere reſpectu rei propriæ: primò, vt ſit pretioſior noſtra; ſecundò, vt minus pretioſa: tertiò, vt ſit æqualis, & nec pretioſior, nec vilior noſtra: ſi res commodata eſt pretioſior noſtra rebus propriis, tum debet præferri; Ratio, quia rei commodatæ debetur ea cura, quam quis haberet rem propriæ: ſed quiſquis ſaluaret rem pretioſiorem relicta viliore; ergo, &c. Vnde ſi commodatum fuit in gratiam ſolius Commodatarii, nihil poteſt exigi in compenſationem pro rebus propriis perditis, vt ſaluaret cõmodatas; Si verò eſſet in gratiam vtriuſque, vel ſolius Commodantis, tunc poteſt exigi; quia non tenetur Commodatarius, cum ſuo damno illas ſaluare. Molina diſp. 296. Secundò, ſi res commodata vilior eſt, poteſt poſtponi propriis rebus pretioſioribus. Ratio, quia ideſt minus damnum. An Commodatarius obligetur ad aliquam compenſationem? Reſpondeo ex iuſtitia non teneri, ſed ſolum ex quadam æquitate, & decentia. Tertiò, ſi eſt æqualis poteſt præferri res proprias, quando commodatum eſt in gratiam vtriuſque: ſi verò eſſet in gratiam ſolius Commodatarii præferendæ ſunt res alienæ, quia hoc poſtulat gratitudo, & fidelitas; quod ſi non fiat, compenſanda erit res aliena amiſſa; & eſt communis ex Molina diſp. 296.

MALLEATIO LV.

De contractu Præcarij, & pacti, &c.

Quid ſit Præcarium?

BRACTEA I.

R. Præcarium eſt contractus, quo res aliqua conceditur precibus ad vſum, & ad libitum ipſius concedentis, ſeu quouſque concedens voluerit. Ita *leg. 1. ff. de Præcario, & cap. vlt. de Precario*, & communiter omnes.

Sciendum Præcarium dici eo, quod fit precibus illius, in cuius fauorem conceditur: differt autem Præcarium a mutuo, quia in mutuo transfertur dominium, in Precario non transfertur, per quod diſtinguitur etiam a venditione, qua transfertur dominium. Similiter a locatione, cum Precarium ſit ſolum in vtilitatem accipientis, locatio verò in vtilitatem vtriuſque contrahentis: à commodato etiam diſtinguitur, cum commodatum ſit ad certum tempus, Precarium verò ad beneplacitum concedentis; à depoſito etiam, cum Precarium concedatur ad aliquem vſum, depoſitum verò ad ſolam cuſtodiam ipſius rei. Secundò, tria eſſe de eſſentia huius contractus. Primò, conſenſus dantis, & recipientis: Secundò, traditio: Tertiò, vt dans poſſit repetere rem ſuam quoties voluerit.

Quinam poſſint contractum Precarij inire? & In quibus conſiſtat?

BRACTEA II.

R. Eos omnes poſſe inire contractum Precarii, qui alios contractus contrahere poſſunt, & per conſequens habens vſum rationis, poteſt contrahere. Secundò, Precarium conſiſtere in his omnibus, in quibus conſiſtit commodatum, nimirum in rebus immobilibus, & mobilibus, & ſe mouentibus, & in his, quę in iure conſiſtunt, cuiuſmodi ſunt ſeruitutes agrorum, vrbanorum, ſeu ruſticorum. Vnde concedi poteſt ius tranſeundi per agrum alienum, vſque ad concedentis beneplacitũ: quare duo ſpecialiter ſunt in iſto contractu; Primò, quod concedatur precibus: Secundo, vſque ad beneplacitum concedentis. An Precarium poſſit iniri pacto, vt non poſſit repeti, niſi determinato tempore? Reſpondeo non poſſe, quia tale pactum eſſet contra naturam contractus, vt habetur in *lege cum Precario 1. ff. de Precario*. Secundò, Precatarium teneri ex dolo, & lata culpa, vt habetur *leg. contractus ff. de reg. iuris*, niſi aliud deductum eſſet in pactum; & licet ſit in fauorem recipientis, excipitur tamen à regula, ita vt non obligat ex culpa leuiſſima, aut leui, ſed ſolum ex dolo, & lata, cum poſſit ad nutum concedentis repeti, qui ſibi debet imputare, ſi Precatarius culpam leuiſſimam admiſerit, quoniam ſuo arbitratu poterat Precarium repetere, quando placuiſſet.

An Precarium poſſit reuocari ante vſum, ideſt ſtatim, ac conceſſum fuit?

BRACTEA III.

R. Precarium non poſſe reuocari ante vſum ipſius rei conceſſę abſque rationabili cauſa, qua poſita poteſt reuocari. Ita Nau. *c. 27. n.* 182 Lopez *lib. 2. c. 24.* Silueſt. *verb. Precar. n. 1.* Garzias *lib. 1. de contr.* & alii. Ratio, quia Precarium dependet ex libera voluntate concedentis, & idcircò poſita iuſta cauſa poteſt reuocari etiam ante vſum ipſius rei, abſque cauſa non poteſt reuocari cum detrimento eius, cui fuit conceſſum, cum charitas obliget ad prę cauendum damnum tertii. Tum etiam, quia qui accipit ſi ſtatim reuocetur, poſſet doli acceptionem opponere, cum enim Precarium ſit liberalitatis beneficium, & de beneficio iuuandi ſumus, non decipiendo, & lędendo, vt habetur *leg. commodate §. ſicut autem in fine ff. commodatum*. Ita Nauar. *loco cit.* Couar. *lib. 3. var. cap. 17. num. 6.* Molina *diſp.* 298.

Quibus modis finiatur Precarium?

BRACTEA IV.

R. Quatuor modis finiri, Primò, morte eius, cui fuerat conceſſum, quia cenſetur priuilegium perſonale, quod expirat cum vita illius, cui conceditur. *leg. cum Precario §. vlt ff. de Prec & cap. vlt. de Precario*: non tamen finitur morte concedentis, ſed perſeuerat reſpectu hęredum illius, quouſque reuocetur. *leg. quæſitum eſt, §. quod à Titio ff. de Precario*. Eſt communis ex Couar. *lib. 3. var. cap. 15. num. 1. 2. & 3.* Secundò, finitur voluntate concedẽtis: Tertiò, finitur tempore, ad quod data res eſt Precatio,

cario. *leg. cum Precario ff. de Precario*. Quarto, cum is, qui Precario conceſſit, alienauit rem Precario datam; tunc enim etiam requiritur voluntas domini, alioquin finitur Precarium. *leg. quæſitum §. quod à Titio eſt.* quando conceditur non ad tempus finitum, reputatur conceſſum quouſque non reuocetur, aut pęniteat concedentem, *leg. 2. §. 1. ff. de Precario*: Vnde ad hoc, vt finiatur neceſſe eſt, vt reuocetur per actum contrarium concedentis: quando autem ad certum tempus, neceſſarius eſt idem actus contrarius, vt ſcilicet res ante id tempus reuocetur: Quando aliquid conceditur ad beneplacitum concedentis, vel dum concedens voluerit, tum finitur morte concedentis, quia cum ſit ſermo de voluntate, & beneplacito perſonę, quę viuit in hoc ſæculo, vtique morte ipſius voluntas etiam, & beneplacitum ceſſat. *leg. locatio ff. locati cap. ſi gratioſè de reſcr.* Eſt communis apud Couar. *lib. 3. var. cap. 15. num. 2.*

MALLEATIO LVI.

De mutuo, & de vſura, & de pactis in mutuo.

Quid ſit mutuum?

BRACTEA I.

R. Mvtvvm eſſe contractum, quo rei dominium transfertur in accipientem, animo recipiendi ſimilem in ſpecie, & bonitate. Ita colligitur ex *leg. 2 §. ſi certum petat leg. 1. §. mutui autem datio ff. de actione, & obligat.* Et ita communiter omnes. Dicitur primo contractus loco Generis, in hoc enim conuenit mutuum cum reliquis contractibus; aliqui addunt Gratioſus, eſt enim ſpecies quędam donationis; cum mutuum ſumatur duobus modis: Primò, pro re ipſa, quę cadit in contractum mutuationis, vt cum diximus dari, vel reddi mutuum. Secundò, pro ipſo actu mutuandi, nunc loquimur de ſecundo modo. Secundò, dicitur, quo rei dominium transfertur in accipientem, quia eſt contractus, qui perficitur traditione, vt depoſitum, & commodatum, ad differentiam eorum contractuum, qui ſolo conſenſu perficiũtur, vt venditio, &c. Tertiò, dicitur animo recipiendi ſimilem in ſpecie, & bonitate ad differentiam commodati, & permutationis, nam ſi eadem res reddenda eſſet, non eſſet mutuum, ſed commodatum, vel ſi reddenda eſſet res alterius ſpeciei, non eſſet mutuum, ſed permutatio.

Sciendum materiam mutui eſſe, quę vſu conſumi poteſt, vt eſt oleum, vinum, frumentum, quę vſu conſumuntur: ſiue etiam pecunia, cuius conſumptio conſiſtit in alienatione, & translatione dominii in alterum. Ita Silueſter, & Angelus *verbo mutuum*, Azorius *3. part. lib. 7. cap. 4. & 5.* & alii communiter: ſiue vt alii docent: materia mutui eſt res, quæ vſu conſumi poteſt, & conſiſtit in numero, pondere, & menſura, in numero, vt pecunia, in pondere, vt aurum, & argentum, & quodlibet genus metalli: in menſura, vt oleum, vinum, mel, frumentum, &c. quæ res dicuntur recipere functionem, quia vna poteſt ſubſtitui, & dari loco alterius, vt vinum pro vino, frumentum pro frumento, &c. Secundò, quatuor pertinere ad mutuum. Primò, conſenſus mutuus in contrahentibus: Secundò, traditio rei, quæ datur mutuo: Tertiò, res, quæ poſſit mutuò dari: Quartò, vt gratis eiuſmodi res tradatur.

Quomodo res reſtituenda debeat eſſe eadem in ſpecie, & bonitate?

BRACTEA II.

R. Dvplicem eſſe bonitatem rei, vnam intrinſecam, quæ eſt in re ipſa, & conſiſtit in ſubſtantia rei, vt v.g. triticum, quod redditur ſit ita perfectum in ſubſtantia, ſicut id, quod acceptum eſt: altera eſt extrinſeca, & eſt valor, & æſtimatio rei, quando ſcilicet tanti valet triticum, quando redditur, quanti valebat, quando acceptum eſt: eodem modo bonitas intrinſeca conſiſtit in perfectione materiæ, & valore, quem habet, vt pecunia: extrinſeca autem in identitate materiæ, vt ſi quis mutuò accepiſſet centum nummos aureos, ſi reddit valorem æqualem pecunię in argento, etiãſi non reddat in auro. An quis teneatur ex præcepto charitatis aliquando mutuare? Reſpondeo affirmatiuè: Ratio eſt, quia mutuum eſt opus charitatis ad indigentiam, & neceſſitatem ſubleuandam; tenetur autem præcipuè in duobus caſibus: Primo, quando proximus extrema neceſſitate laborat, & petit mutuum. Ratio eſt, quia tenemur diligere proximum opere, & corde, ſicut nos ipſos. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 32. art. 5. & 6.* Caiet. *ibidem*, Nauarrus *cap. 24. num. 5.* & alij. Secundò, quando vehementer indiget, quia nimirum vita, ſalus, & libertas periclitatur, & mutuum petit.

Quomodo mutuum differat à commodato?

BRACTEA III.

R. Differre primò, quia mutuum eſt de rebus, quæ recipiunt functionem, & commodatum de rebus, quæ non recipiunt functionem. Vnde equus non dicitur mutuati, ſed commodati; tum etiam, quia materia mutui eſt conſumptibilis vſu in indiuiduo, & materia commodati non conſumitur vſu, quia in commodato vſus rei diſtinguitur à ſubſtantia illius, & rectè tradi poteſt vnum ſine altero: in mutuo verò, quia vſus illius ſimul eſt conſumptio eiuſdem in particulari, & in numero, ideò neceſſe eſt etiam ſecundariò concedi dominium rei in particulari, quamuis retineatur in genere, & in ſpecie, quatenus mutuatarius tenetur ad eandem rem in ſpecie reſtituendam. Hinc ſi res mutuata creſcit, vel decreſcit, quoad valorem ipſi mutuatario creſcit, vel decreſcit, quia iam dominus eius effectus eſt. Secus tamen de re commodata dicendum; commodanti enim, qui dominus adhuc eius eſt, creſcit, vel decreſcit, conueniunt tamen in hoc, quod vterque contractus tam mutui, quam commodati debet eſſe gratuitus. Ita Nauarrus in *comment. de vſuris.*

Quotuplex ſit mutuum?

BRACTEA IV.

R. Dvplex eſſe expreſſum, & tacitum: expreſſum eſt cum dat alteri rem nomine mutui: tacitum eſt, quando ſub titulo, aut colore alterius contractus fit ob anticipatam, vel dilatam ſolutionem, vt cum quis emit credita pecunia, tacitè accipit mutuum, quia perinde eſt, ac ſi ſtatim ſoluiſſet pretium, & deinde mutuum accepiſſet à venditore vſque ad tempus dilatæ ſolutionis; ſic etiam

cum quis emit anticipata ſolutione idem eſt, ac ſi mutuum daret pretium illud venditori vſque ad tempus receptionis rei. Quod dicitur etiam virtuale, implicitum, paleatum, præſumptum, fi&um, interpretatiuum.

An ex mutuo conſurgat obligatio?

BRACTEA V.

R Affirmativa: Ratio, quia ex omni contractu valido conſurgit obligatio, niſi iuris priuilegio excipiantur, vt excipitur primò Eccleſia locus pius, vel etiam opidum, &c. qui non tenentur ad reſtitutionem, niſi mutuans probet pecuniam mutuatam conuerſam fuiſſe in vtilitatem Eccleſiæ, vel loci pii, vel oppidi, &c. *leg. Ciuitas ff. ſi certum petatur, & autenth. hoc ius porrectum cod. de Sacroſanctis Eccleſys, & leg. 1. ff. de ſolutionib.* Molina *diſp.* 300. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 2. *num.* 12. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 276. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 2. *ſect.* 3. Secundò, excipitur minor, cuius nomine Tutor, vel Curator aliquid mutuò acceepit, qui non tenetur ſoluere, niſi mutuans probet, mutuum eſſe conuerſum in vtilitatem minoris. *leg.* 3. *Cod. quando ex facto Tutoris*, Molin. Rebellus *loco cit.* datur tamen actio aduerſus illum, qui mutuum accepit nomine alterius. Leſſius *loco cit. num.* 16. poteſt enim cogi ad ſeruandum indemnem eum, qui tradidit ei pecuniam mutuò. An ſicut non obligantur in foro externo, ita etiam non obligentur in foro conſcientiæ? Reſpondeo probabile eſſe non teneri, vt multi ſentiunt apud Molinam *diſp.* 701. id enim ſtatuit lex in pœnam eorum, qui dabant mutuò, & vt auferatur omnis occaſio occidendi Parentes; probabilius tamen videtur in conſcientia ex Rebello *lib.* 8. *quæſt.* 2. *ſect.* 2. obligari, tum quia naturaliter obligantur *leg. qua naturalis ff. ad Senatuſconſult. Maced.* Tum etiam, quia ad obuiandum morte Parentum ſatis erat, non ciuiliter obligari, & in foro externo, cui vt ſatisfacerent occidebant Parentes. Quod ſi filius familias iurauerit ſe reſtituturum ſecundum omnes, tenetur ſaltem poſt mortem Patris, niſi petat abſolutionem à iuramento, cum videatur factum in fraudem legis, Prælatus videtur habere iuſtam cauſam relaxandi, ne lex Maced. inutilis reddatur. Ita Leſſius *loco cit num.* 9.

Sciendum multos eſſe caſus, in quibus filius tenetur. Primò, ſi habet bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia. Secundò, ſi publicè putabatur ſui Iuris. Tertiò, ſi accepit mutuò non pecuniam, ſed rem aliam, vt triticum, vinum, & ſimilia, nam lex ſolum loquitur de mutuo pecuniario, niſi id fecerit in fraudem legis, vt inde conflaret pecuniam: Quartò, ſi pecunia ſit verſa in vtilitatem Patris: Quintò, ſi Pater eam debuiſſet ſecundum rectam rationem ſuppeditare, vt ſi filius abſens cauſa ſtudiorum accipiat mutuum neceſſarium, vt viuat, & emat libros neceſſarios, &c.

Qui poſſint mutuò dare?

BRACTEA VI.

R Eos, qui poſſunt contrahere iure naturæ, obligari, ex mutuo, niſi iuris priuilegio excepti ſint, vt diximus de filio familias, de Eccleſia, de Ciuitate, &c. Secundò, ſi dominus conceſſit ſeruo adminiſtrationem peculij poteſt dare mutuũ, & accipere, *leg. ſi rogaſti* §. *ſi fugitiuus* ſin minus quandocunque ſeruus mutuum det is, qui accipit, obligatur domino ſerui; dominus enim accipit ius in contractibus ſerui, *leg. nec ſeruus ff. de peculio*. Denique ſi ſeruus mutuum accipiat, ſiquidem iuſſu, aut nomine domini, & ſic dominus obligatur, ſin minus ſeruus obligatur naturaliter, hoc eſt ſi fuerit adeptus libertatem, cogitur reddere mutuum. *leg. quod attinet ff. de regul. iur.* Tertio, ſi Procurator eſt tantum generalis ſine libera poteſtate, vel mandato ſpeciali, non poteſt dare mutuum, ſi autem eſt cum libera bonorum adminiſtratione, poteſt dare mutuò. *leg. Procurator ff. de Procuratore*.

De obligationibus mutuatarij?

BRACTEA VII.

R Obligationes mutuatarij eſſe quinque. Prima eſt reſtituendi rem ſuo tempore, alioquin tenebitur ad damna, & ad intereſſe ſequuta ex mora: Secunda, reddendi rem eandem in ſpecie, vt ſi accepit nummos, reddat nummos, ſi frumentum, reddat frumentum, &c. vſus enim rei tantum conceditur, & quia per vſum conſumitur res in particulari, ſupereſt, vt ſaltem reddatur in ſpecie. *leg. mutuum ff. de reb. credit.* Tertia eſt reddendi rem mutuatam in eadem quantitate, in qua fuit accepta, vt modium frumenti pro modio item frumenti, & res, quæ conſiſtunt in pondere, & menſura reddi debent in eodem pondere, & menſura: hæc enim eſt earum quantitas; quod ſi menſura varietur ſatis eſt reddere in eo pondere, aut menſura, quo fuit res mutuata. Idem dicendum eſt de pecunia, cuius quantitas poſita eſt in numero, & valore, quæ ſi varietur, debet reſtitui iuxtà valorem, quem tempore mutui habebat. Quarta, eſt reddendi rem mutuatam æquè bonam, ideoque qui mutuant frumentum corruptũ, vel vinum acetoſum, vt deinde recuperent vinum, & frumentum bonum, niſi compenſent id, in quo eſt exceſſus, peccant peccato vſuræ. Quinta obligatio eſt reddendi rem in omni euentu, quo ipſa periret, etiamſi caſu fortuito. *leg. incendium Cod. ſi certum petatur*; Et ratio eſt, quia dominium eſt penes mutuatarium.

Quid ſit vſura?

BRACTEA VIII.

R Cum Caietano *verb. vſura*, vſura eſt lucrum proueniens ex mutuò immediatè ratione mutui. Ita etiam Molina *diſp.* 303. Valentia *diſp.* 5. *quæſt.* 21. & communiter omnes Doctores. Primò, dicitur *lucrum*, & per lucrum intelligitur aliquid temporale pretio æſtimabile, ſiue ſit pecunia, ſiue obſequium, ſiue munus, ſiue aliquod opus pretio æſtimabile. Secundò, dicitur *ex mutuo*, ſiue ſit mutuum expreſſum, ſiue tacitum, ſiue formale, ſiue virtuale. Tertiò, dicitur *ratione mutui*, quia ſi proueniret ex amicitia, vel gratitudine non eſſet vſura; vt autem cenſeatur vi mutui prouenire, exigitur, vt mutuans intendat ex vi mutui obligare mutuatarium eiuſſſter, ſeu ex obligatione inſtitiæ. Vnde colligitur, quod vſura dupliciter accipitur: Primò, pro contractu: Secundò, pro voluntate: Vſuram pro contractu nihil aliud eſſe, quam mutuationem expreſſam, vel implicitam cum pacto reddendi aliquid ſupra ſortẽ ratione mutui, pro voluntate eſt voluntas capiendi lucrum ſuprà ſortem ex vi mutui.

Quo

Quo iure ſit probibita vſura?

BRACTEA IX.

R. Primo eſſe prohibitam iure naturali. Ratio, qnia contra ius naturale eſt, vt res vendatnr bis, ſen duplici pretio, aut vendatur id, qnod non eſt vendentis. Tum etiam, qnia accipere aliquid ſuprà ſortem repugnat iure naturali, quia plus accipit, quam res valear. Nauar. *cap.* 17. *num.* 20. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 2. Molina *diſp.* 304. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *pun.* 1. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 2. *ſect.* 2. Salon. 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 1. *contr.* 1. Graff. 1 *part. lib.* 2. *cap.* 104. & alij. Secundo, vſuram prohibitam eſſe iure diuino, vt patet ex verbis Lucæ 6. *mutuum date nihil inde ſperantes*. Quod etiam colligitur ex pluribus locis ſcripturæ. Et ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. Salonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. Bannez *ibid.* Medina *cod. de vſuris. qu.* 2. Nauar. *comment. de vſuris* 14. *quæſt.* 13. *cap.* 1. *num.* 10. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 2. *ſect.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 4. Tertiò, vſuras eſſe prohibitas Iure Canonico, vt patet ex *cap. quia in omnibus cap. ſuper ſeo cap. conſuluit de vſuris, &c.* Demum in *Clement. vnica de vſuris* §. *vlt.* excommnnicantur Iudices cogentes ad earum ſolutionem, vel non concedentes repetitionem, iuxtà quã Clementinam conceditur actio in foro ſæculari ad repetendas vſuras iam ſolutas. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *loco cit.* Leſſius *loco cit.* Bannez, Rebellus *locis cit.* Quartò, Iure Ciuili, & Cæſareo fuiſſe permiſſas vſuras, vt conſtat ex *leg. Placuit ff. de vſuris*, & *leg. eos Cod. de vſuris*, & cõceſſa eſt etiã actio in foro Ciuili, *leg.* 1. *&* 2. *de vſuris*. At verò vſuræ vſurarum erant prohibitæ, hoc eſt lucra ex vſuris debita; tantum enim ex capitali debito concedebantur vſuræ, non autem ex vſuris, quæ ſuo tempore ſolutæ non eſſent, & deberentur Iure tamen Canonico abrogatæ ſunt leges Ciuiles, qua parte vſuras approbant.

An Iudæis fuerint permiſſa?

BRACTEA X.

R. Ivdæis fuiſſe prohibitum accipere vſuras à ſuis fratribus Hæbreis: iuxtà illud Deuteronomij, *fratri tuo non fænerabeᵭs*, alijs verò fuiſſe permiſſum accipere ad vſuram tamquam minus malũ impunè factũ. Ita S. Thom. *loco cit.* Caiet. *ibidem* Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. Ratio colligitur ex eodem loco Deuteronomij 23. *Non fænerabeᵭs fratri tuo pecuniam ad vſuram, ſed alieno*, hoc eſt Gentili; ergo permiſſum erat Iudæis Gentibus recipere vſuras, idque propter nimiam eorum auaritiam, ne fratres, & conciues ſuos fœnoribus deſtruerent, ſicut permiſſus fuit libellus repudij propter duritiam cordis eorum.

Sciendum permiſſas eſſe ſecundum D. Ambroſium *lib. de Tobia cap.* 15. Azorium *lib.* 5. *cap.* 2. *de vſuris*. Maiorem *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 29. Medinam de *vſuris quæſt.* 2. *art.* 1. Michaelem de Palatio de *contract. lib.* 4. *cap.* 11. & plures alios auctoritate Dei in recompenſationem eorum, quæ iuſtè, & licitè poterant Iudæi ab ipſis gentibus vicinis auferre. Quam ſequuntur etiam D. Antoninus *par.* 2. *tom.* 1. *cap.* 7. §. 2. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. *par.* 1. §. 3. Salonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. & alij:

An Princeps ſæcularis permittens vſuras peccet?

BRACTEA XI.

R. Non peccare; immò ſtando intra terminos iuris naturalis, & Diuini licitum eſt condere legem permiſſiuam vſurarum, non quidẽ propter lucrum Principis, qnod ab vſuris perciperet, ſed propter vitanda maiora mala, nimirum furta, latrocinia, ſicuti licitum etiam eſt condere leges meretricum permiſſiuas ad vitanda adulteria, &c. nec huiuſmodi legum conditores peccant, vt omnes Doctores tradunt, immò ſublato Iure Canonico poteſt Princeps ſęcularis denegare actionem repetendi vſuras iam ſolutas in iudicio, vt probat Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 2. *ſect.* 2. non ſecus, à creditoribus negant actionem repetendi mutuum à filio familias, quod alioquin iure naturali creditori debetur. Dixi ſublato Iure Canonico, quia vt ſuprà dictum eſt *Clementina vnica de vſuris*, excommunicat Iudices, Rectores, & Officiales Communitatum, qui per ſua ſtatuta compellunt ad vſuras ſoluendas, vel negant actionem in Iudicio repetendam. Ita Arragonius, Bannez, & Rebellus *locis citatis*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 4.

Quotuplex ſit vſura?

BRACTEA XII.

R. Vsvram triplicem eſſe mentalem, ex pacto, & realem: ſiue tribus modis comitti vſuram, intentione, pacto, & lucro. Vſura mentalis, ſeu ex intentione, eſt quando lucrans intendit lucrum ex mutuo principaliter, tanquam debitum ex iuſtitia. Vſura ex pacto eſt quando in aliquo contractu apponitur pactum appretiabile pecunia contra naturam ipſius contractus, ſeu reſtringens libertatem contrahentis. Vſura realis eſt quando verè, & realiter exigitur lucrum, ſeu aliquid appretiabile pecunia pro mutuo, & hæc duplex eſt, vna expreſſa, vt cum v. g. dicitur dò tibi mutuò centum hac conditione, vt mihi vltrà ſortem reddas quinque, vel ſex ſingulis annis. Tacita eſt, quæ includitur in aliquo contractu, vt quando ratione anticipatæ, vel dilatæ ſolutionis merces vendũtur maiori, vel minori iuſto pretio vulgari.

An ſperare lucrum ex mutuo, ſit vſura?

BRCTEA XIII.

Sciendvm lucrum duobus modis poſſe iure nd ex mutuò: Primò immediatè ex mutuo tanquam ſibi debitum ex obligatione Iuſtitiæ: Secundò, non tanquam debitum ex iuſtitia immediatè ex mutuo, ſed mediatè tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, & per conſequens non tanquam ex mutuo immediatè, ſed ſolum mediatè, nimirum beneuolentia, & gratitudine. His poſitis

R. Intendere lucrum ex mutuo priori modo eſſe vſuram mentalem. Ratio, quia talis eſt actus internus, qualis externus: externus eſſet vſurarius; ergo etiam internus. Tum etiam, quia velle accipere lucrum ea ratione, eſt velle accipere alienum, & aliquid non debitum ſuprà ſortem, & per conſequens ſicut id non licet intendere, ita nec etiam ſperare, quod non licet velle, cum ſperare ſit quoddam velle. Secundò, ſperare lucrum, mediante beneuolentia, & gratitudine, non tanquam pretium mutui non

eſſe vſuram, etiamſi principaliter ratione beneuolentiæ intendatur. Ratio, quia tale lucrum à domino cenſetur liberè datum, & cum talis acceptio non ſit vſuraria, nec etiam erit intentio accipiendi. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. Conradus *tract.* 2. *de contractib.* videtur ſenſiſſe cõtrarium aſſerens eſſe vſuram ſperare lucrum, mediãte beneuolentia, Silueſter *verbo vſura* 1. *quæſt.* 1. Nauar. *cap.* 17. *num.* 209. docent principaliter ratione beneuolentiæ non licere intendere lucrum, ſed tantum minus principaliter, ſed falluntur, quia quotieſcunque lucrum intenditur, non tanquam debitum ex iuſtitia, id eſt tanquam pretium mutui, ſed tanquam debitum ex liberalitate, & gratitudine, non eſt vſura, quia ſic non intenditur alienum, niſi ſi ſpontè detur, quod nullum eſt peccatum.

Quæ regulæ ſeruandæ ad cognoſcendum animum Vſurarium?

BRACTEA XIV.

R. A Doctoribus quatuor afferri. Prima eſt, ſi mutuator ſperauit, vel accepit lucrum ex liberalitate, & gratitudine mutuatarij tantummodo, ſibique perſuadet eo animo mutuatã tiū dediſſe, tunc nemo eſt damnandus peccato vſuræ, nec obligandus ad reſtitutionem. Secunda, ſi mutuator intendit, vel accepit tanquam pretium pro mutuo, eſt condemnandus tanquam vſurarius. Tertia, ſi mutuator dubitat de animo mutuatarij, an dederit ex liberalitate, an ex obligatione tanquam pretium, tunc eſt condemnandus vſuræ, quia vel voluit exercere iniuſtitiam, vel ſe expoſuit periculo illius exercendæ. Quarta, quando non conſtat de animo dantis, tunc eſt colligendus ex qualitate perſonæ, an diues fuerit, vel pauper, liberalis, an auarus, & ſi perſeueret dubium in accipiente, tunc tenetur reſtituere quoadúſque conſtet de titulo, quod datum fuerit.

An liceat paciſci amicitiam pro mutuo?

BRACTEA XV.

R. Licitum eſſe ſperare amicitiam pro mutuo. Ratio, quia amicitia eſt quid honeſtum, nec eſt appretiabilis pecunia. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 5. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 3. Ratio eſt, quia vſura tunc eſt, quando accipitur aliquid pro mutuo appretiabile pecunia. Secundò, amicitiam generalem licet deducere in pactum, & ita opinor ſentire Sotum *lib.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 106. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 7. Couar. 3. *var. cap.* 2. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 25. *n.* 189. & alij. Tertiò, amicitiam particularem nullo modo poſſe deduci in pactum. Ratio, quia talis amicitia habet annexam obligationem appretiabilem pecunia, vt v. g. inſeruiendi in aliquo negotio, faciendi, &c. & ita ſentire videtur Molina *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *pun.* 1. Salon. 2. 2. *quæſt.* 78 *art.* 2. & alij. Quartò, non peccare peccato vſuræ, qui excitat mutuantem ad aliquid ſibi dandum, non ratione mutui, ſed ſolum liberaliter, & voluntariè, non ex iuſtitia, ſed ex gratitudine, tamen acriter reprehendi propter periculum, cui ſe exponunt. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. Molina *tract.* 2. *diſp.* 205. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 4. Quintò, Canonicum, qui ad horas vadit propter diſtributiones tanquam pretium Diuini Officij committit ſimoniam, vendere enim rem ſpiritualem propter lucrum temporale: Si verò tanquam ſtipendium laboris debitum in ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ ſic non eſſet ſimonia, etiãſi eas principaliter intenderet.

An accepta animo vſurario ſine externo pacto, ſint reſtituenda?

BRACTEA XVI.

R. Accepta ob gratitudinem, & amicitiam principaliter, & ſecundariò ratione mutui non eſſe reſtituenda. Ratio, quia ſolum ea ſunt reſtituenda, quæ principaliter ſunt ratione mutui accepta. Secundò, quod quando ex parte vtriuſque intentio eſt vſuraria, quia nimirum mutuatarius dat aliquid ſupra ſortem ratione mutui, & mutuans recipit tanquam debitum ratione mutui, tunc mutuans etiam reſtituere tenetur id, quod ſupra ſortem accepit. Ratio, quia non cenſetur liberè donatum, & acceptum vltra ſortem, eſt reſtituendum. Tertiò, quod quando mutuans bona fide aliquid accepit, & mutuatarius intentione vſuraria dedit, durante bona fide, non tenetur illud reſtituere, factus verò malæ fidei obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia donatio fuit vſuraria. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *ſect.* 21. *pun.* 3. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 109. Si verò mutuans dubitet an ſibi liberaliter fuerit donatum, an verò ratione mutui tenetur ad reſtitutionem quouſque comperiat liberaliter ſibi fuiſſe donatum. Ratio, quia quilibet debet cauere periculum committendi vſuram; qui autẽ dubitat eſt in periculo. Regulæ ad cognoſcendum an ſibi liberaliter fuerit traditum, ſi in inuoluntariæ mixtè deſumendæ ſunt ex qualitate tradentis, nam ſi tradens tradat ſpontè, & liberali animo, quia eſt liberalis, & gratus, præſumendus eſt liberaliter, & ratione gratitudinis dare, cum adſit certitudo moralis ad ita credendum. Ita Couar. *regula peccatum part.* 2. *num.* 4. Caiet. *tom.* 2. *opuſc.* 8. *quæſt.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 6. & alij.

Et quid ſi res bona fide fuiſſet conſumpta?

BRACTEA XVII.

R. Tunc ad nihil aliud obligari, niſi in eo, in quo eſt ditior, & locupletior factus. Ratio, quia tunc non obligatur ratione rei acceptę, quæ amplius non extat, nec obligatur ratione iniuſtæ acceptionis, cum bona fide fuerit accepta, & cõſumpta. Leſſius *loco cit.* Caiet. *ibidem*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *pun.* 3. & alij. Secundò, dubitans quo animo fuerit aliquid ſibi datum poſtquam cognouit gratis, ac liberaliter fuiſſe datum, poteſt tuta conſcientia illud retinere, nec teneri ad reſtituendũ, ſed ad pœnitendum tantum de ſua iniqua, & mala voluntate, quam habebat accipiendi ex mutuo. Ratio eſt, quia mutuatarius reuera tranſtulit dominium in mutuantem, quia gratis, ac liberè donauit; ergo ceſſante conſcientia erronea mutuans non tenetur reſtituere. Tum quia acceptum non cenſetur alienum, cum ſit liberè datum. Quod ſi dicatur mutuantem non accepiſſe lucrum, vt donum, ſed vt debitum.

R. Donationem non eſſe validam, quãdo qui accipit, non intendit donũ accipere titulo donationis, ſed debiti dumtaxat: at ſi intendit acceptare omni titulo, & modo, quo poteſt, valida eſt donatio.

An licitum ſit mutuare aliquid cum pacto, vt pœnam debitam, vel famæ honoriſue violati, reſtitutionem condonet?

BRACTEA XVIII.

R. LICITVM mutuare alteri cum pacto, vt priuatam vindictã condonet. Ratio eſt, quia qui ſic mutuat, nihil lucratur, ſed ſolum redimit iniuſtam vexationem: & per conſequens pactũ appoſitum cenſetur eſſe iuſtum. Si verò exigat iuſtam vindictam, vel ſatisfactionem, ſcilicet ſecundũ ordinem iuris, ſecundum quod habet actionem perſequendi iniuriam contra mutuantem, tunc eſſet vſurarium pactum, vt mutuatarius remittat huiuſmodi actionem. Ratio eſt, quia talis remiſſio eſt pretio æſtimabilis, cum liberet mutuantem ab onere ſoluendi, vel ſatisfaciendi, quod reputatur moleſtum, & graue, & hæc eſt communior ſententia ex Molina *diſp.* 307. & Leſſio *loco cit. dub.* 7. Quod intelligendum eſt de pacto, per quod induceretur obligatio iuſtitiæ; ſi enim fieret pactum amicitię, per quod ſolum induceretur obligatio ex gratitudine, & amicitia, eſſet licitum, quia remiſſio non exigeretur, vt pretium mutui, ſed vt officium amicitię faciendum gratis, & liberè: quare ſi quis petit mutuum ab alio, poteſt mutuator dicere, ſe eſſe paratum ad dandum, modo etiam mutuatarius velit facere aliquod officium, quod fieri ſolet ex amicitia. Ita Leſſius *loco cit.* Vnde rectè dicit Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *&* 2. non eſſe vſuram pactum condonandi læſionem famę, quia ſua natura iure amicitię condonari ſolet, loquitur enim de pacto amicitiæ.

R. 2. Pactum, vt mutuatarius remittat pœnam imponendam per Iudicem, eſt vſurarium. Ratio, quia etiamſi pœna non ſit debita ante ſententiam, atque adeò non videatur vſura illam condonare, tamen eſt debita remotè, quia poteſt mutuator accuſari, & tunc obligaretur illã ſoluere; quod ſatis eſt ius enim illud ad accuſandum, & remiſſio eius eſt pretio æſtimabile. Secundò, qui mutuat pacto, vt offenſus damnum, quod paſſus eſt in fama, vel in honore, vel re alia remittat, eſt illicitum. Ratio, quia tale pactum eſt pecunia æſtimabile. Molina *diſp.* 307. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 7. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 4. & alij.

An pactum, quo quis alteri mutuat obligatione conferendi beneficium, ſit licitum?

BRACTEA XIX.

PETRVS Nau. de *reſtit. lib.* 3 *cap.* 2. *part.* 2. *dub.* 6. tenet, quod deducere in pactum collationem, vel præſentationem beneficij ſtatim faciendam non eſt illicitum, cum obligatio ſtatim cum modico tempore duret, non ſit pretio æſtimabilis; ergo mutuare cum tali pacto, quod mutuatarius ſtatim conferat beneficium, non erit licitum. Sed

R. Cum Arragonio 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *dub.* 2. Medina *lib.* 1. *cap.* 14. *§.* 23. Lopez *part.* 2. *cap.* 56. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 25. *cap.* 11. *num.* 212. tale pactum eſſe illicitum, quia tollit libertatem præſentandi collatori, ac proinde eſt pretio æſtimabile.

An qui alteri mutuat ea conditione, vt mutuatarius remutuare teneatur, ſit vſura?

BRACTEA XX.

R. Poſſe plures inter ſe paciſci viciſſim mutuum dare, aut viciſſim ſe obligare ad mutuandum, & tale pactum eſſe licitum, cum obligatio ſit mutua, & reciproca, & ex vtraque parte ſeruetur æqualitas, & pro obligatione vnius recipere aliam ſimilem obligationem. Tum etiam, quia nullum datur pretium rei mutuatæ, cum non exigatur remutuatio ratione mutui, ſed ratione alterius virtutis, ſeu obligationis. Ita Molina *diſp.* 308. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 1. cum obligatio vnius compẽſetur obligatione alterius. Secundò, illicitum eſſe pactum, quo quis ratione mutui obligat alterum in præſenti, vel impoſterum ad remutuandum, quia imponitur onus appretiabile pecunia ratione mutui, ſiue imponatur ad implendum ſtatim, vel in futurum. Ita Em. Sà *verbo mutuum num.* 3. Molina *diſp.* 308. Bannez. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. & alij. Dixi ratione mutui, quia ſi mutuans obliget mutuatarium ad remutuandum ratione gratitudinis, tale pactum non erit illicitum, quia tunc nulla ciuilis obligatio ab eo exigitur præter eam, quam habet ex iure naturali, & ex ipſa beneficij natura. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 8. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 21 *pun.* 20. & alij.

An qui mutuat pecuniam Colono hac conditione, vt colat agrum ſuum iuſta mercede, ſit vſura?

BRACTEA XXI.

D. ANTONINVS *part.* 2. *tom.* 1. *cap.* 7. §. 10. Roſella *verb. vſura* §. 11. Adrianus in 4. *de reſtit. quæſt. de vſura*, Angelus *verbo vſura* 1. *num.* 4. Rebellus *part.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 4. & alij apud Azorium *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 1. negant eſſe vſuram. Ratio, quia mutuans tali pacto, & cum iſta obligatione ciuili non conſequitur lucrum ex mutuo, cum dec æquiualens; ergo non eſt vſurarius, & ponamus, quod ille prius locaſſet operas Colono, & dediſſet ipſi pecuniam, & Colonus nollet operari, licet mutuare illi, vt operaretur pro pecuniis acceptis; ergo licitum erit mutuare cum pacto, vt operaretur pro pecuniis accipiendis, & licet hæc opinio Maldero in 2. 2. videatur probabilis, tamen

R. Mutuare pecuniam Colono hac conditione, vt iuſta mercede colat agrum eſſe vſuram, & per conſequens tale pactum eſſe illicitum. Et ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Caiet. Salon. Arragonius, Bannez *ibidem* Petrus Nau. *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 239. Molina *tom.* 2. *diſp.* 308. *&* 309. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 1. Leſſius *loco cit. dub.* 8. Silueſter *verb. vſura* 1. *quæſt.* 2. Medina *in ſum. lib.* 1. Megala 2. 2. *lib.* 20. *cap.* 15. *quæſt.* 2. *num.* 29. Molfeſ. *in ſum. part.* 2. *tom.* 12. Nauar. *cap.* 17. *num.* 200. Diana *tract.* 8. *de contract. reſolut.* 39. Ratio, quia obligatio ad colendum agrum etiam ſoluta iuſta mercede, eſt pretio æſtimabilis, & per conſequens non poteſt exigi à mutuatario ratione mutui citrà vſuram; ſi tamen talis obligatio exigatur ratione gratitudinis, non erit vſura. Ita ſupra citati. Tum etiam, quia obligatio ciuilis, ſeu ex iuſtitia, per quam mutuatarius amittit aliquam libertatem, eſt vſuraria, & pactum appoſitum eſt illicitum, & cum per ta-

lem

em obligationem mutuatatius amittat libertatem, ſequitur eſſe vlurarium, & pactum illicitum.

An qui mutuat alteri obligatione, vt emat in officina mutuantis, veniat ad ſuum molendinum, &c. committat vſuram?

BRACTEA XXII.

R. Esse vſuram, ſi mutuans intendat obligare mutuatarium, vt mutuatarius ratione mutui frequentet officinam mutuantis. Ratio eſt, quia ratione mutui imponit obligationem ciuilem pretio æſtimabilem. Tum etiam, quia imponit obligationem reſtringentem libertatem mutuatarii, ita vt libetum ei non ſit ire ad emendum, quo voluerit; Secus verò ſi non intendat imponere obligationem, ſed ſolum ratione gratitudinis emat in officina mutuantis. Ratio, quia vt ſic nulla imponitur obligatio ciuilis pretio æſtimabilis, ſed ſolum obligatio gratitudinis, quæ nec eſt pretio æſtimabilis, nec reſtringit libertatem. Leſſius *lib.* 2. *dub.* 8. S. Thomas 2. 2. *queſt.* 78. & alii. Secundò, committere vſuram, qui mutuat alteri cum pacto, vt veniat ad ſuum molendinum. Ita Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 7. *queſit.* 3. Silueſter *verbo vſura* 1. *queſit.* 7. Nauar. *cap.* 17. *nu.* 200. Reginaldus *loco cit. num.* 200. & alij. Ratio, quia imponit obligationem pretio æſtimabilem, ad quam mutuatarius non tenetur. Tertiò, eſſe vſuram mutuare tali conditione non repetendi mutuum, donec mutuatarius frequentet ſuum molendinum, vel apothecam. Ratio, quia tali pacto imponit tacitè obligationem frequentandi ſuum molendinum, & priuat mutuatarium libertate eundi quo voluerit, quouſque reſtituatur mutuum. Ita Caiet 2. 2 *queſt.* 78. *art.* 2. Sotus 6. *de iuſtit. queſt.* 1. *art.* 2. & alii. Quartò, committere vſuram, qui mutuat medico, vt teneatur ipſum curare tempore, quo indiguerit iuſta mercede. Ratio, quia imponit obligationem pretio æſtimabilem, quam ante non habebat, etiamſi pro huiuſmodi operibus conſtituat iuſtum pretium. Ita Molina *diſp.* 309. *num.* 2. Medina *queſt.* 1. *de acquiſitis per vſuram*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *queſt.* 21. *pun.* 2.

An licitum ſit mercatoribus petenti mutuos centum nummos aureos, dare quinquaginta in pecunia, & quinquaginta in mercibus, vel etiam totum, pretio rigoroſo ad creditum?

BRACTEA XXIII.

R. Esse illicitum, & committere vſuram. Ratio, quia ob tale mutuum mutuans ſentit commodum appretiabile pecunia vendendi ſuas merces in magna quantitate. Tum etiam, quia mutuatario imponit grauamen vendendi merces pretio infimo, aut mediocri, quod eſt etiam appretiabile pecunia. Et ita ſentire videtur Sotus *tract. de vſuris dub.* 17. *num.* 1 Ioannes Delacruzo in *director. conſcientiæ par.* 1 *precep.* 10. *queſt.* 5. *dub.* 2. *concluſ.* 1. dicens vſura eſt mutuare obligando mutuatarium, vt dimidium mutuum accipiat in mercibus: Secus ſi ſit ſine obligatione, dicens ſe nolle mutuare tantam pecuniam, ſed quod accipiat mutuatarius, ſi velit aliquid in mercibus, tunc non erit vſura, & ſi ſciat mutuans, mutuatarium venditurum vilius illas, & licet mutuans non poſſit obligare mutuatarium, vt illas merces ſibi reuendat, tamen ſecluſa hac obligatione, licet mutuanti ſicut, & aliis emere illas vili pretio, quia idem eſt pretium iuſtum, reſpectu omnium emptorum.

An qui dat mutuum fæminæ, vt ſui copiam præbeat, committat vſuram?

BRACTEA XXIV.

R. Cum diſtinctione, vel ratione mutui paciſcitur cum fœmina, vt ſui copiam præbeat, & ſic pactum eſt iniuſtum, & illicitum, vel intendit ratione mutui principaliter amicitiam, & mediante amicitia copulam, & vt ſic pactum de amicitia contrahenda non eſt illicitum, licet mutuans peccet ratione finis praui. Molina *diſp.* 307. Sotus *lib.* 6. *de Iuſtit. queſt.* 1. *art.* 2. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 185. & alii. Secundò, pactum, quo quis mercede ſe obligat ad mutuandum, eſſe licitum. Ratio eſt, quia licet iſta obligatio ſit ciuilis, & pretio æſtimabilis, tamen licitum erit illam vendere, & pretio accepto ſe obligare, modo qui accipit pretium, obliget ſe ad mutuandum, non quando ei libuerit, ſed quotieſcunque qui, obligationem illam dato pretio ab ipſo emit, petierit. Ita Molina *diſp.* 308. & Sotus *lib.* 1. *de Inſtit. queſt.* 1. *art.* 2.

An mutuans pacto, vt mutuatarius conducat fundum mutuantis, committat vſuram?

BRACTEA XXV.

R. Quod mutuans pacto, vt mutuatarius ciuiliter obligetur ad conducendum agrum, vel domum mutuantis, committit vſuram, & pactum eſt illicitum. Ratio, quia talis obligatio, cum ſit de materia debita iuſtitiæ, eſt pretio æſtimabilis.

Sciendum, quod ſi mutuatarius liberè vellet conducere agrum, vel domum, & non ratione pacti, quia tamen tale opus præſtare non poſſet niſi mutuū ei daretur ad ſumptus in illo colendo neceſſarios, tunc ſi paciſceretur conducere agrum, &c. ſi mutuum eidem daretur, tunc tale pactum non eſt illicitum, cum conductio iam fuerit libera, & determinata, & non ſit ratione mutui. Secundò, pactum poſſe fieri licitum, ſi mutuans ad iudicium boni viri dimittat aliquid de pretio propter pactum, quod mutuat à mutuatario propter mutuum extorquet. Ita Bannez 2. 2. *queſt.* 78. *art.* 2.

An pactum, quo quis alteri mutuat pecuniam, vt tempore meſſis eam tradat in tanto tritico, ſit licitum?

BRACTEA XXVI.

R. Tale pactum in mutuo eſſe illicitum, quia eſt contra naturam contractus, de cuius ratione eſt, vt res reſtituatur ſimili in ſpecie, & bonitate, & pactum, quod apponitur eſt de re diſſimili in ſpecie, nimirum, vt reddatur triticum loco pecuniæ. Tum quia mutuans acquirit obligationem ſibi vtilem pretio æſtimabilem oneroſam mutuatario. Ita Sotus *lib.* 6. *de inſtit. queſt.* 1. *artic.* 2. Molina *diſp.* 309. & alii.

Dixi in mutuo, quia ſi ſub ratione emptionis, & anticipatæ ſolutionis tritici pecuniam conferat, modo ſeruetur iuſtum pretium, pactum erit licitum, quia ex intentione, & non ex verbis indicandi ſunt contractus; & ſi petens pecuniam vſus ſit nomine mutui, & reuera habuit intentionem non mutuandi, ſed emendi triticum anticipata ſolutione, iuſto tamen pretio, pactum erit licitum, licet ſit æquiuocatio in nomine contractus.

An pactum, quo quis alteri mutuat frumentum vetus, vt tempore meſſis nouum ſibi reddatur, ſit licitum?

BRACTEA XXVII.

R. QVOD qui mutuat frumentum vetus cum tali pacto, ſi pro certo ſcit, vel probabiliter coniecturet recens melius, & maiori pretio futurum, quam ſit ſuum vetus tempore, quo illud mutuum dedit, pactum erit illicitum, ſi priuet mutuatarium libertate reſtituendi, quando ipſi libuerit. Ratio eſt, quia tunc ratione mutui recipit lucrum. Ita Molina *diſp.* 311. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 8. Nauar. *cap.* 17. *num.* 224. Salon. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. Secundò, pactum, quo quis mutuat frumentum vetus obligatione reſtituendi recẽs tempore meſſis, ſi probabiliter credat tanti valiturum recens, quanti vetus eſſe licitum, cum ſeruetur æqualitas inter datum, & acceptum, & mutuator non reportet commodum cum damno, & iniuria mutuatarii. Ita Nauar. *loco cit.* Molina *diſp.* 311. *num.* 4. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 4. *num.* 9. Azorius 3. *par. lib.* 3. *cap.* 7. *quæſt.* 1. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 187.

An pactum, quo quis mutuo dat maſſam argenteam obligatione, vt tantum ſibi reddatur in pecunia, ſit licitum?

BRACTEA XXVIII.

R. Eſſe illicitum: Ratio eſt, quia mutuans ratione mutui lucrum acquirit, nimirum obligationem onerofam, qua mutuatarius conſtringitur ad ſoluendum in pecunia, quod accepit in maſſa argentea. Tum etiam, quia talis maſſa minoria valet ſecundum gradus ſuos, quam pecunia: vnde qui paciſcitur pro maſſa, vt tantum ſibi reddatur in pecunia aliquid lucratur pretio æſtimabile. Lopez *lib.* 1. *cap.* 18. Secundò, pactum, quo quis alteri mutuat centum hac conditione, ſi moriatur intra biennium, nihil reddat: Sin autem vltra duos annos viuat, reddat duplum, licitum eſſe, quia vterque ſtat in periculo amittendi, vel lucrandi, quoniam poteſt perdere illa centum ſi moriatur mutuatarius, vt ea lucrifacere, ſi ſuperuiuat. Tum etiam, quia hic non eſt propriè contractus mutui, ſed contractus innominatus do, vt des, ideſt do tibi pecuniam tali pacto, vt ſi intra biennium moriaris, eam tibi lucreris, quod ſi vixeris, reddas duplum.

An mutuanti liceat in pactum deducere, vt mutuatarius ſtatim emat, vendat, vel remutuet?

BRACTEA XXIX.

R. TALE pactum eſſe illicitum, & fœneratitium; & ita Rebellus *part.* 2. *lib* 8. *quæſt.* 4. *num.* 10. vbi ſic aſſerit, non minus fœneratitiam conuentionem eſſe obligare mutuatarium ad ſtatim mutuandum, quam in poſterum. Ratio, quia talis obligatio ad ſtatim mutuandum, vel emendum non minus moleſta eſt mutuatario, & vtilis mutuanti, quam obligatio ad mutuandum, vel emendum in poſterũ; ergo poteſt eſſe æqualiter pretio æſtimabilis, ac proinde ſicut eſt vſura ex pacto mutui obligare ad hoc in poſterum faciendum, ita ad ſtatim. Contrariam opinionem ſequitur Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 25. *num.* 198. Ratio, quia cum mutuatarius non remaneat in poſterum obligatus, nec amittat libertatem vendẽdi, vel emendi in poſterum, cum ſolum mutuatarius ſit ſubiectus in præſens, & non in futurum nullum cenſetur inde ſubire onus pretio æſtimabile; & per conſequens pactum de ſtatim mutuando, vel emendo non eſſe illicitum, & licet hæc à Diana *tract.* 8. *de contractibus reſolut.* 60. vocetur probabilis, tamen ſuperior eſt probabilior. Ratio, quia tam cenſetur onus impoſitum mutuatario facere aliquid de præſenti, quam facere in futurum.

An pactum, quo datur triticum tempore pecuniæ, vt reddatur triticum in æquali valore tempore abundantiæ, ſit licitum?

BRACTEA XXX.

R. POSSE licitè fieri, & quidem multi contendunt interuenire in iſto contractu duplicem venditionem, vnam proprij frumenti pro pretio, quod valet cum traditur, alteram frumenti alterius pro tempore, quo reddetur dilata ſolutione pretij vſque ad illud, ideoque ſi tempore, quo tradidit ſuum frumentum valebat v. g. rubium ſex aureis, & erant decem, poterit deinde recipere viginti, quando ſinguli valebant tribus aureis. Alij cenſent eſſe mutuum, quia ex vi contractus debet reddi res in eadem ſpecie, nempè frumentum pro frumento, quod in venditione non accidit, & vtraque opinio cenſetur probabilis.

An ſit vſura anticipato pretio conducere operas Artiſtarum?

BRACTEA XXXI.

R. CONTRACTVM hunc dupliciter conſiderari poſſe, aut ſub ratione mutui, aut ſi ſit anticipata ſolutio conductionis, aut locationis: ſi conductio Artiſtarum fiat primo modo, nimirum ſub ratione mutui vſuram eſſe, obligari mutuum ad aliquid faciendum iuſta mercede, cum talis obligatio ſit pecunia æſtimabilis. Ita Molina *diſp.* 309. Caiet. *in ſum. verb. vſura* Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 11. *art.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 220. ſi fiat ſecundo modo, quod nimirum datio pecuniæ non ſit mutuum, ſed anticipata ſolutio pretij, locationis, & conductionis, contractus non eſt vſurarius, ſed licitus. Ita Molina *loco cit.* Bannẽz 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. Ratio eſt, quia confert

fert pecuniam, vt pretium locationis operarur ad cognoſcendum quod illa anticipata ſolutio non ſit mutuum, eſt quando non imponitur obligatio reſtituendi rem ſimilem in ſpecie, & in bonitate.

An qui mutuat Aduocato cum pacto, vt ratione mutui ſibi patrocinetur iuſta mercede, committat vſuram?

BRACTEA XXXII.

R. Committere vſuram, & pactum eſſe illicitum. Ratio, quia ex mutuo lucrum acquirit, nimirum obligationem, qua Aduocatus ciuiliter obligatur ad locandam operam ſuam; Secus autem ſi det pecuniam tanquam ſtipendium patrocinandi, quo anticipato, conducit operam Aduocati, quia tunc mutuum non eſt, nec admittitur vllum peccatum vſuræ. Ita Sotus *lib. 6. quæſt.* 1. *art.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 220. & alij.

Sciendum dubium eſſe, an quando Aduocatus ſub reatu mortali tenetur patrocinari, tunc vſura ſit illi mutuare ea lege, vt iuſto ſtipendio id efficiat, cum iam obligetur vinculo charitatis? Ad quod reſpondeo committere vſuram, & pactum eſſe illicitum. Ratio, quia ponit obligationem, quam ex iuſtitia non habet, & eſt pretio æſtimabilis, & longè maior, quam obligatio ex ſola lege charitatis: Vnde, qui mutuat Regi, vel Communitati cum pacto tacito, vel expreſſo, vt liber ſit à tributis ſoluendis, committit vſuram. Ratio, quia illud pactum, ex quo naſcitur obligatio ciuilis, & ex iuſtitia, eſt pretio æſtimabilis. Similiter qui mutuat alicui cum pacto, vt mutuatarius pro eo deprecetur Regem, vel Principem, committit vſuram, nam obligationem imponat vi mutui tanquam debitam ex iuſtitia. Ratio, quia ſupra ſortem exigit obligationem iuſtitiæ. Tum etiam, quia hæc obligatio adimit libertatem mutuatarij alteri gratificandi, quod eſt pretio æſtimabile; Secus verò ſi talem obligationem imponat ex mera liberalitate, aut gratitudine, quia vt ſic non committeret vſuram. Tertiò, qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius teneatur tempore vindemiæ vendere ei vinum pretio currenti, committit vſuram ratione obligationis, quæ eſt pecunia æſtimabilis, ſicut etiam committit vſuram, qui mutuat triticum, quod habet in loco remoto pacto, vt in loco, vbi mutuans agit illud reſtituatur. Ratio, quia mutuans ex mutuo vult ſentire commodum vecturæ, quod eſt pretio æſtimabile.

An committat vſuram, qui alicui mutuat, vt liti cedat?

BRACTEA XXXIII.

R. Non committi vſuram ab eo, qui obligationem imponit mutuatario, vt liti iniuſtæ cedat, vel à petendo debito iniuſto, vel vt condonet iniuſtam ſatisfactionem, quam exigit, quia ceſſatio ab iniuſta vexatione eſt debita ex iuſtitia, & conſequenter mutuator non imponit obligationem, ad quam non teneatur anteà. Caietan. *verbo vſura cap.* 2. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Medina *cod. de rebus per vſuram acquiſit.* Petrus Nauarrus *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 381. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 193. Em. Sa *verbo mutuum*. Secundò, eſſe vſuram alteri mutuare cum pacto, vt mutuatarius condonet iuſtã ſatisfactionem debitã, vel vt ceſſet ab actione iuſta, quam mutuatarius habet ad exigendũ pœnam iuſtam ob iniuriam illatam. Ratio, quia ceſſio litis, & condonatio debiti ſunt pretio æſtimabiles: ergo erit vſura illis petere à mutuatario. Tum etiam, quia mutuans imponit obligationem quaſi ex iuſtitia, ad quam mutuatarius ante non tenebatur. Ita Rebell. *part.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 4. Nauar. *cap.* 17. *num.* 237. Petrus Nauar. *loco cit. num.* 387. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 194. Arragon. *loco cit.*

An ſit vſura alteri mutuare pacto, vt reſtituat debitum ex iuſtitia?

BRACTEA XXXIV.

R. Non eſſe vſuram alteri mutuare pacto, vt mutuatarius reſtituat, quod debet liquidũ. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 209. Molina *diſp.* 309. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. Secundò, qui mutuat alteri pacto, vt mutuatarius teneatur ad faciendum ex iuſtitia, quod ſolum tenetur facere ex charitate, committit vſuram. Ita Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *nu.* 2. Rebellus *part.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 4. Molina *loco cit.* Reginald. *lib.* 23. *num.* 44. & *lib.* 25. *num.* 191. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 15. & *lib.* 7. *cap.* 7. *quæſit.* 5. Ratio, quia tale pactum imponit grauamen appretiabile pecunia, cum imponat obligationem, ad quã non tenebatur ex iuſtitia, ſed ſolum ex charitate. Ita Nauar. *loco cit.* Lopez *part.* 2. *cap.* 15. Tertiò, quod qui mutuat gratia recuperandi debitum litigioſum, committit vſuram. Ratio, quia ratione mutui multum lucratur mutuans, quia ſine expenſis, & lite, recuperet debitum, quod ſine his, non erat recuperaturus. Molina *diſput.* 309. Quartò, quod qui apertè dicit, ego tibi mutuo centum hoc pacto, vt alia centum, quæ mihi ſurripuiſti cum ſorte mutuata ſoluas, non peccat, ſiue poſſit alia via iuridica debitum recuperare, ſiue non. Ratio, quia non acquirit lucrum ex mutuo, cum iam mutuatarius ſit obligatus ad reſtituenda illa centum.

An ſit vſura dicere, mutuo tibi pecuniam cum pacto, vt ſis mihi amicus, gratus, vel beneuolus?

BRACTEA XXXV.

R. Vt ſupra dictum fuit non eſſe vſuram mutuare tali pacto, vt ſit amicus, gratus, vel beneuolus, ſi ipſe intendat de amicitia, & beneuolentia ordinaria; Secus verò ſi indicet de beneuolentia, & amicitia extraordinaria, quæ obligat amicum ad aliquid particulariter faciendum. Ratio eſt, quia ex obligatione antidotali fieret obligatio ciuilis, quæ eſt lucrum pecunia æſtimabile; & ita opinor ſentire Valentiam *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *pun. tom.* 2. *diſp.* 309. & alios. Secundò, eſſe vſuram obligare mutuatarium ad oſtendenda ſigna particularia amicitiæ, vt v. g. ad detegendum caput, &c. Ratio eſt, quia ſunt pretio æſtimabilia; ergo ratione mutui non poſſunt deduci in pactum.

An qui debet centum nummos ſoluendos poſt annum, ſed anticipatè ſoluit quinquaginta pacto, vt creditor expectet per biennium alios quinquaginta, committat vſuram?

BRACTEA XXXVI.

R. Cum Bonacina de contract. lib. diſp. 3. quæſt. 3. pun. 3. num. 9. nullo modo fieri poſſe. Ratio, quia nihil aliud videtur eſſe, quam implicitè mutuare cum onere, vt alios ei mutuet in fine anni: quare iuxta Petrum Nauar. de reſtit. lib. 3. cap. 2. vt licitus fiat contractus diſſoluendus, eſt contractus prior, quo debitor ſe obligauit ad ſoluendum centum, & alius de nouo ineundus; quod debitor tradens quinquaginta, obliget ſe ad ſoluendos alios quinquaginta poſt biennium; ita Arragon. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. dub. 1. Secundò, non committi vſuram ab eo, qui ſuas merces creditò vendit, vt plures attrahat emptores ad emendum, modo non excedat iuſtum pretium. Ratio eſt; quia vtitur iure ſuo, cum poſſit res vendere non ſolum numerata pecunia, verum etiam credita pecunia. Tertiò, committi vſuram ab eo, qui mutuat alteri pecuniam, vel triticum cum pacto, vt illud ſibi non reſtituat, niſi tunc temporis, quo pluris valebit, nam ex contractu mutui obligat mutuatarium ad dandum ſibi lucrum ſupra ſortem, incrementum ſcilicet valoris tritici; & ita expreſſè conſtat ex cap. nauiganti de vſuris. Quod tamen intelligendum eſt, modo mutuanti non ceſſet lucrum ex mutuo, vt accidit ſi mutuator ſeruaturus erat triticum vſque ad illud tempus, illudque in gratiam mutuatarij tradiderit ante præfixum tépus.

An mutuatarius teneatur ad reſtitutionem damnorum ratione mutui antequam eſſet in mora ſoluendi?

BRACTEA XXXVII.

R. Negatiue. Ratio, quia mutuatarius nollet forſan tanto cum onere mutuum accipere. Tum etiam, quia ex contractu mutui tenetur damna, quæ conſequuntur ex mora, non tenetur tamen ad id, quod euenit ante moram, niſi fiat pactum de eo, ſibi autem imputet mutuans, quod de eo pactum non egerit. Ita communis ex Molina diſp. 314. Salas tract. de vſuris dub. 18. num. 4. Leſſius lib. 2. cap. 20. dub. 10. num. 73. Turrianus 2. 2. tom. 2. diſp. 61. dub. 3. num. 3. Filincius tom. 2. tract. 34. cap. 5. num. 71. & alij. Affirmatiuam ſententiam tenet Medina, & Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 23. in foro conſcientiæ teneri mutuatarium ad damnum emergens ante moram, & Reginaldus ibidem quæſt. 1. art. 6. §. præterea.

Quænam obligatio in contractibus conſtituat vſuram?

BRACTEA XXXVIII.

R. Illud pactum, & conuentionem, per quæ imponitur mutuatario onus, & obligatio quaſi ex iuſtitia, ad quam mutuatarius aliàs non teneb itur labem vſuræ continere. Ratio eſt, quia pactum, quo imponitur mutuatario onus pretio æſtimabile tanquam ex iuſtitia debitum vſurarium eſt, cum per ipſum exigatur aliquid ſupra ſortem, cum etiam huiuſmodi pacto ſublatus libertas contrahentium. leg. ſi cunctis de æſtimatibus, & Inſtituta de obligationib. & ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. Azorius 3. part. lib. 7. cap. 7. quæſit. 3. Molina diſp. 310. Salon. quæſt. 78. art. 2. contr. 2. num. 8. & alij. Hinc ſequitur vſuram ab eo committi, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt præſtet munus, & officium à lingua, vel obſequio, vel à manu, quia hæc omnia ſunt pretio æſtimabilia; officium à lingua eſt alloqui Regem, canere, &c. officium ab obſequio eſt exhibere officia particularia, vel ſigna amicitiæ; vt comitari dominum, &c. officium à manu eſt colere agrum, domum conducere, &c. & ita Auctores citati.

An qui non repetit mutuum, niſi tempore, quo illud maiori pretio æſtimatur, peccet, & committat vſuram?

BRACTEA XXXIX.

R. Quod quando in mutuo ſoluendo non eſt conſtitutum tempus, nullum eſt peccatum diſſimulare, & non petere triticum mutuatum, niſi tempore, quo pretio maiore venditur. Ita Sotus lib. 6. quæſt. 1. art. 2. Nauar. cap. 17. num. 225. Ratio, quia tunc mutuatarius ſibi debet imputare, quod non prius ſoluerit, cum commodè potuerit. Secundò, quod qui non repetit mutuum, quando videt vilius æſtimari, ſed expectat tempus opportunum, quo maiori pretio venditur; peccat contra charitatem, & ita Salonius 2. 2. quæſt. 78. art. 2. non autem contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia cum non ſit præfixum tempus habet ius repetendi rem mutuatam quando ſibi libuerit, qui autem vtitur iure ſuo, nemini iniuriam facit. Tertiò, peccare contra iuſtitiam, qui operam dat, ne mutuatarius quando ipſi vtile, & commodum eſt, vt mutuum reſtituatur, ſed ſolum eo tempore, quo pretium augetur. Ratio eſt, quia cum debitor illud tempus expectare non teneatur mutuans, prohibens, vel impediens, ne tunc ſoluat, priuat ipſum iure ſuo; ergo peccat contra iuſtitiam.

An qui mutuum accepit in pecunia aurea, vel argentea, poſſit inuito creditore eam reſtituere in pecunia ærea?

BRACTEA XXXX.

R. Poſſe, Ita Molina tom. 2. diſp. 299. & alij. Ratio eſt, quia in debitis pecuniarijs potius habetur ratio valoris, quam materiæ, vel formæ, niſi tamen aliud deductum ſit in pactum. Ratio eſt, quia pecunia aurea, & argentea eſt commodior, quam ærea; ergo mutuans poteſt mutuatarium obligare ad ſoluendum in ſimili pecunia; nemo enim cogitur cum ſuo incommodo alteri mutuare. Ita Molina diſp. 299. & Silueſter verb. ſolutio quæſt. 2. Tertiò, qui mutuat in pecunia ærea non poteſt cum mutuatario paciſci, vt auream, vel argenteam pro ea ſibi reſtituat. Ratio, quia de ratione mutui eſt, tantundem reddatur eiuſdem naturæ, quantitatis, qualitatis, ſiue bonitatis; ergo tale pactum apponere ſine mutuatarij conſenſu eſt contra naturam mutui, & per conſequens illicitum,

Tum

Tum etiam, quia ratione mutui non licet aliquid lucrari, nec imponere obligationem ciuilem, quam ex natura contractus mutuatarius non habet; ergo neque licet mutuare pecuniam æream, vt ſibi reddatur in pecunia aurea, vel argentea. Ita Nauarrus *cap. 17. num. 226.* Quartò, vſurarium eſſe dare pecuniam æream pro aurea, vel argentea cum aliquo lucro ratione mutui; ſi verò ratione venditionis, vel permutationis ſic fiat, non eſt vſurarium. Et ita Nauarrus *cap. 17. num. 226.*

An qui mutuat pecuniam, qui poſteà auctoritate Principis augetur, poſſit eandem pecuniam exigere ſecundum valorem, quem habet tempore reſtitutionis?

BRACTEA XLI.

R. Qvod ſi mutuans pecuniam, v. g. centum nummos aureos, illos erat ſeruaturus vſque ad illud tempus, quo auctoritate Principis eorum valor auctus eſt, licitè, poteſt illos centum aureos integros, & in valore auctos exigere. Ita Silueſter *verb. vſura* 1. §. 14. Lopez *lib. 2 cap. 67.* Si mutuans illos non erat ſeruaturus in illud vſq; tempus, quo aureus, pluris eſt valiturus, quia nimirum parabat illos ſtatim diſtrahere, tunc non poteſt licitè illos integrè, & in valore auctos recipere, quia eſſet vſura, ſicut vſura quoque eſſet, ſi venderet triticum tempore meſſis pro pretio chariori Maij, ſi vſque ad iſtud tempus ipſum ſeruaturus non erat; & ratio eſt, quia aurei ſunt moneta, ideſt menſura pretij rerum; & ideò quando auctoritate publica eius valor augetur, iam in ratione materię pecunię, & menſuræ mutuatæ; ergo quemadmodum quando menſura tritici mutuata poſteà eſt aucta, non tenetur mutuatarius mutuum reſtituere ſecundum menſuram auctam, ſed ſatis eſt, vt eandem menſuram reddat, quam accepit, ita nec quando aureus eſt auctus in valore, tenetur mutuatarius ſoluere illum cum eo augumento, ſed ſufficit reddere centum aureos in menſura, qua tempore mutui valebant. Hinc qui decem modios tritici ab aliquo ſurripuit, tempore furti valentes decem, & poſteà eorum pretium auctum eſt ad viginti, ſi dominus ipſum non erat ſeruaturus vſque ad illud tempus, quo pretium creuit, ſed ſtatim venditurus ſatisfecit iuſtitiæ ſoluendo decem pretio, quo valebant tempore furti: Si verò ſeruaturus erat vſque ad illud tempus, quo valebant viginti, viginti debet ſoluere. Ratio eſt, quia debet reſtituere acceptum, & damnum datum, vt ſeruetur æqualitas in reſtitutione.

An quando in contractu mutui non fuit conuentum, quod res debeat reſtitui ſecundum valorem, vel menſuram, quomodo ſit reſtituenda?

BRACTEA XLII.

R. Contractvm conſiderandum eſſe iuxtà valorem rerum, modo aliter non ſit deductum in pactum, vt v. g. ſi quis mutuo accepit decem modios tritici, qui tempore acceptionis valebant viginti quatuor libras, ſed tempore, quo mutuatarius ſtatuit reſtituere, decreſcit ad viginti libras in ſingulos modios, eos eſſe reſtituẽdos iuxtà valorem, quem triticum habebat tempore acceptionis, non autem iuxtà quantitatem. Ita Petrus Nau. *lib. 1. cap. 2. num. 252.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 17. num.* 149. Rebellus *lib. 11. quaſt. 15. & lib. 8. quęſt. 8. num.* 4. & alij. Ratio eſt, quia ſi attenderetur quantitas, magna ſequeretur inæqualitas in reſtitutione inter contrahentes, quia fieri poteſt, vt qui mutuo accepit decem tritici modios tunc temporis, quo triticum valebat quinquaginta nummis aureis, reſtituat eos tempore, quo valent tantummodo quadraginta, vel è contrà; & per conſequens erit magna inæqualitas inter datum, & acceptum: Si verò attendatur valor ſeruatur æqualitas inter datum, & acceptum, & nullus contrahentium patitur damnū. Dixi modo aliud in pactum non ſit deductum; quia ſi contrahentes conueniant de eadem quantitate reſtituenda, ſecundum eandem quantitatem reſtituenda res eſt, habita tamen ratione periculi augmenti, vel decrementi, ne contractus labem iniuſtitiæ contineant, vt patet ex *cap. nauiganti de vſuris.* Contrariam tamen ſententiam ſequuntur Sotus *lib. 6. quaſt. 1. art. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 3.* & alij. Ratio eſt, quia mutuatarius abſolutè debet reſtituere rem, & non tenetur reſtituere mutuanti pretium rei ſibi mutuatæ; & per conſequens debet reſtituere rem iuxtà quantitatem, non autem iuxtà valorem. Sed hæc noſtra opinio videtur probabilior, quia ſi res reſtitueretur ſimpliciter iuxtà quantitatem, & non iuxtà valorem, non fieret reſtitutio ſecundum eandem bonitatem, & per conſequens non erit æqualitas inter datum, & acceptum, quæ in reſtitutione debet eſſe.

An mutuator poſſit aliquid exigere ſuprà ſortem ratione damni emergentis?

BRACTEA XLIII.

S. Ciendvm intereſſe duplex eſſe, vnum damni emergentis, & aliud lucri ceſſantis: damnum emergens illud eſſe, quod quis patitur in ſuis rebus ratione mutui: lucrum verò ceſſans illud eſſe, quod quis non percipit, eo quod mutuum alteri dederit, vt ſi quis faciat iacturam aliquam in bonis iam acquiſitis dicitur damnum emergens: ſi vero in acquirendis lucrum ceſſans. Vnde ſi quis pecuniam paratam ad reſtaurandam domum, quæ minatur ruinam, vel ad emendum triticum pro familia mutuo dat alteri, vnde fit, vt domus labatur, vel tritici valor creſcat in pretio dicitur pati damnum emergens ex mutuo; ſi verò deſinat negotiari, vel emere vineam, cum haberet ad id pecuniam paratam, idq; vt alteri det mutuum, dicetur pati lucrum ceſſans, eorum ſcilicet fructuum, & bonorum, quæ acquiſiuiſſet ex negotiatione, vel emptione rei frugiferę. Secundò, damnum emergens duplex eſſe, immediatum, & mediatum, intrinſecum, & extrinſecum: immediatum eſt iactura vtilitatis, quam quis percepiſſet ex domo reſtaurata, vel ex vinea empta his pecunijs, quas mutuo dedit, ex eius enim locatione penſiones recepiſſet, ex vinea fructus, vel penſiones ex eiuſdem locatione: mediatum eſt iactura illius vtilitatis, quæ ex hoc mediatè ſequi potuiſſet, vt ſi domus reſtaurata fuiſſet, & perceptæ penſiones ex locatione, hæ potuiſſent exponi negotiationi, vel impendi in aliam rem frugiferam: intrinſecum eſt, quod comitatur ipſam rem mutuatam, & coincidit fermè cum immediato; extrinſecum verò eſt iactura

lucri,

lucri, quod quis facere potuiſſet ex penſionibus perceptis ex locatione, vel ex negotiatione tritici mutuati, & perinde eſt, ac medlatum, Quibus poſitis.

R. Mutuator poteſt in principio contractus paciſci cum mutuatario de aliqua pecunia vltrà ſortem reddenda ratione damni emergentis, vel ratione periculi ex mutuatione impendentis. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Molina *diſp.* 314. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 10. *num.* 72. Nauar. *in comment. de vſuris num.* 58. *condit.* 5. Reginald. *lib.* 23. *num.* 69. Salonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2 *contr.* 8. *nu.* 10. Bannez *ibid.* Arragonius *ibidem*, Azorius 3. *part. lib.* 5 *cap.* 4. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 8. & alij, Ratio eſt, quia æquitas non poſtulat, vt mutuator patiatur damnum notabile alteri ſubueniendo: damnum autem patietur, ſi non poſſet paciſci de damno, vel eius periculo; Si verò in principio non paciſcatur cum mutuatario de præſtando damno emergente, mutuatarius non tenetur illud præſtare, dummodo non ſit in mora ſoluendi. Ratio eſt, quia nullo titulo tenetur, non enim tenetur ex iniuſta acceptione cum iuſtè acceperit, & retinuerit, nec fuerit in mora reſtituendi tempore præfixo, neque tenetur ratione rei acceptæ, cum nihil omninò apud ſe habeat, nec ratione contractus, cum nullum inierit pactum de huiuſmodi damno emergente præſtando. Secundò, quando mutuatarius eſt in mora, in qua non conſentit mutuans, & inde damnum aliquod ſequatur, tenetur mutuatarius illud reficere, etiamſi à principio non fuerit deductum in pactum. Ratio eſt, quia, qui eſt cauſa damni, ipſum reſtituere tenetur, at quando mutuatarius eſt in mora, propter quam mutuans patitur damnum, cenſetur reuera cauſa damni: ergo mutuatarius tenetur illud reficere. Ita Caietan. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 10. Silueſter *verb. vſur.* 1. *quæſt.* 19. & alij.

Sciendum 2. Mutuatarium tunc dici eſſe in mora, quando elapſo iam termino non ſoluit, cum tamen poſſit, nec neceſſe eſt, vt creditor eum interpellet de ſolutione, quia ipſa dies ſatis interpellat virtute taciti pacti, quod ſemper interuenit in omni contractu, in quo conſtituitur terminus ſolutionis, vt v. g. non ſoluens teneatur ad intereſſe; ſecus autem dicendum ſi mutuatarius bona fide putaret, mutuantem non eſſe inuitum circa dilationem, quia tunc non cenſeretur eſſe in mora, ac proinde in foro conſcientiæ, non teneretur illud damnum reſarcire, niſi à principio deductum eſſet in pactum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 10.

Quot conditiones requirantur, vt mutuans poſſit exigere damnum emergens, ex vi mutui?

BRACTEA XLIV.

R. Tres conditiones requiri; Prima, vt mutuum ſit cauſa damni, & mutuator non potuerit illud commodè euitare, ſed ratione mutui impotens factus ſit ad damnum impediendum. Secunda conditio, vt mutuatarium illius damni mutuans admoneat, nam fortè nollet mutuum cum tanto onere. Tertia, vt mutuans non cogat mutuatarium paciſci de periculo damni, potius quã de damno, ſed relinquat ipſius arbitrio; quod ſi ipſe eligat pactum de periculo, potius quam de damno, poteſt mutuator acceptare, & tunc etiamſi nullum damnum ſequatur, poteſt mutuator exigere pretiũ conuentum, quia ſatis eſt periculũ fuiſſe pretio æſtimabile.

Sciendum, quod ſi neque damnum ipſum, neque periculum damni fuerit deductum in pactum, mutuatarius non tenetur pro eo quidquam ſoluere, etiamſi poſteà eueniat, modo ipſe non fuerit in mora ſoluendi, quia nec tenetur ratione pacti, nec ratione culpæ, ſed mutuans hoc ipſo, quod non deducit in pactum, cenſetur illud in ſe recepiſſe; ſecus ſi fuerit in mora, tunc enim damnum ex culpa ipſius euenit. Similiter ſi per vim coactus fuit mutuare, hic enim eſt cauſa damni per iniuriam. Ita Leſſius *loco cit. num.* 77. & alij.

An qui non ſoluit tempore præfixo, teneatur ad damna, quæ mutuans poſt illam moram paſſus eſt, accipiendo v. g. pecuniam ſub vſuris?

BRACTEA XLV.

R. Mutuatarium teneri ad reſtitutionem damni. Ratio eſt, quia mutuatarius culpabiliter non ſoluendo, cenſetur cauſa damni.

Sciendum, ad iuſtificationem huius contractus duas conditiones requiri; Prima eſt, vt mutuans accipiat pecuniam ſub vſuris ad vſus ſibi neceſſarios, non autem ſi creditor accepit pecuniam ad vſus otioſos, & non vtiles, v. g. ad ludum, &c. creditor enim in tali caſu cenſetur hæc damna voluntariè pati. Angelus *verbo vſura* 1, *num.* 20. Molina *diſp.* 315. & alij. Secunda eſt, vt mutuans moneat mutuatarium ſe velle pecuniam accipere ſub vſuris, quia fortaſsè mutuatarius de hoc monitus, vel ſoluiſſet mutuum, vel alio modo prouidiſſet. Ita Molina *diſp.* 315. Secundò, mutuatarius, qui non eſt in culpa reſtituendi mutuum, non obligari ad intereſſe damni emergentis. Ratio eſt, quia mutuatarius duplici tantum titulo, obligatur ad intereſſe damni emergentis, vel ratione pacti, vel ratione moræ: in caſu autem illo nulla eſt talis conuentio, & mora eſt abſq; culpa, cum impotens factus ſit ad ſoluendum tempore præfixo; ergo mutuatarius in tali caſu tenebitur ſolum ad reddendum principale, minimè verò damna poſt moram ſine eius culpa ſubſequuta. Et ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2.

An mutuans poſſit repetere mutuum ante præfixum tempus ob imminens aliquod damnum?

BRACTEA XLVI.

R. Cum diſtinctione, quod ſi à principio mutui mutuator deducit in pactum damnum emergens, mutuatarius ratione illius pacti tenetur ipſum reſarcire, quia ex vi pacti liberè in illud conſentit: Si autem à principio mutui non deduxit in pactum damnum emergens, ſed abſolutè mutuauit, & deinde ex defectu mutui patiatur aliquod damnum, non tenetur mutuatarius illud reſarcire ex iuſtitia, cum non ſit obligatus ratione pacti, aut moræ: peccabit tamen mortaliter contra charitatem, ſi commodè poſſit reſtituere mutuum, & non reſtituat, & ſimiliter contra gratitudinem, cum non rependat beneficium, quod ab altero accepit, ſi commodè poſſit.

Quod intereſſe debeatur à mutuatario, immediatum, an verò mediatum?

BRACTEA XLVII.

R. Solvm deberi intereſſe immediatum, vt v. g. penſiones amiſſas ob non reſtauratum domum, & non locatam, fructus deperditos ob non emptam vineam, vt daretur mutuo pecunia, ex qua domus fuiſſet reſtaurata, vel vinea empta. Ita Medina *cod. de vſur. quæſt.* 3. licet aliqui dicant etiam deberi intereſſe mediatum, vt v. g. ſi quis debeat poſt annum mille aureos, & ratione damni emergentis quinquaginta aureos ſecundo anno debebit intereſſe pro eiſdem mille, & ſimiliter pro quinquaginta non ſolutis, & ſic deinceps, quia mutuans patitur damnum in vtroque, vt ſi mutuans accepiſſet totidem pecunias ab alio ſub cambio, deberet enim ſuo creditori ſoluere non tantum vſuras ſub cambio acceptas, verum etiam vſuras vſurarum. Sed respondeo, quod licet hæc opinio ſit probabilis, tamen cõtraria eſt probabilior, quia ſecunda poteſt in ſe includere aliquam ſuſpicionem vſuræ, & ob hãc rationem mutuatarium ſolum debere mutuanti intereſſe intrinſecum, non autem extrinſecum. Et ita ex *leg. ſi ſteril.* 9. *cum per venditorem ff. de actione emptoris.* Vnde ſi non ſit datum triticum ſuo tempore, ſolum tenetur debitor ſoluere æſtimationem maiorem, quam habuit triticum poſt moram, non autem damnum extrinſecum. Ita Nauar. *cap.* 1. *de vſuris num.* 55. licet aliqui etiam in isto caſu teneant opinionem contrariam: nimirum mutuatarium non ſolum obligari ſoluere in foro conſcientiæ intereſſe intrinſecum, ſed etiam extrinſecum. Et ita Cagnol. in *rubrica cod. de ſenten. quæ pro eo,* & indicat Angelus *verbo vſura* 1. *num* 30. quia inquit debitor moroſus cum teneatur ex contractu, & conſequenter ex iuſtitia impedire damna ſequuta ex omiſſione, niſi non impediat, tenebitur compenſare omnia, cum omnium cauſa ſit. Ita etiam Adrianus in 4. *de reſtit. quæſt* 6. quæ opinio cenſetur etiam probabilis.

An mutuans poſſit paciſci cum mutuatario de lucro ceſſante?

BRACTEA XLVIII.

R. Licitvm eſſe mutuanti paciſci in principio contractus mutui cum mutuatario de lucro ceſſante. Ita Couar. 3. *var. cap.* 4. Reginal. *lib.* 23. *num.* 82. Valentia *tom.* 3 *diſp* 3. *quæſt.* 20. *contr.* 9. Molina *diſp.* 315 & alij. Ratio patet ex ſupradictis de damno emergente. Tum etiam, quia lucrum ceſſans eſt appretiabile pecunia, vt damnum emergens; tum etiam, quia pecunia illa quatenus ſubeſt induſtriæ humanæ pluris valet, quam ipſa per ſe conſiderata; eſt enim veluti ſemen fecundum lucri per induſtriam, in quo lucrum ipſum virtute continetur; ergo plus pro ea exigi poteſt, quam ipſa per ſe valeat. Ratio eſt, quia dum quis ſe priuat pecunia deſtinata ad negotiandum, non modò ſe priuat illa pecunia, ſed etiam ſpe lucri, quam ex illa per induſtriam percipere poterat: ſed hæc ſpes lucri eſt pretio æſtimabilis, ergo, &c.

Sciendum, quod vt tale pactum ſit licitum, tres conditiones requiruntur. Prima eſt, vt mutuario ſit cauſa, cur ceſſet lucrum, quod habebatur in ſpe certa, vel probabili, nam ſi tenueta nulla ſpes eſſet certa moraliter, non poſſet aliquid accipere ratione lucri ceſſantis, quia quando nulla ſpes eſt certa moraliter, lucrum non ceſſat propter mutuum: probabile autem illud eſſe dicitur, quando ſecuriùs eſt lucrari, quam non lucrari. Vnde ſequitur ſi quis relicta aliqua negotiatione propter datum mutuum, conferat ſe ad aliam rationem lucrandi per artificium, vel aliã induſtriam, & ita compenſet totum lucrum negotiationis, non poſſe ratione lucri ceſſantis quidquam exigere, quia per mutuum non ceſſat illi lucrum abſolutè; datur enim ei occaſio lucrandi alia via, quam non habuiſſet, ſi in negotiatione prima perſtitiſſet. Similiter mutuantem alteri mille nummos, quos deſtinauerat negotiationi, non poſſe ratione lucri ceſſantis quidquam exigere, ſi aliam pecuniam otioſam habeat, quam commodè poſſit ſubſtituere in locum pecuniæ mutuatæ. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 212. Bannez 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 2. Salonius *ibid.* Ratio eſt, quia mutuator non videtur vllum pati damnum ratione mutui, cum habeat aliam pecuniam otioſam, quam loco mutuatæ poſſit ſubſtituere. Secus dicendum eſt ſi eam non poſſit commodè ſubſtituere, quia ad alios vſus eam deſtinauit, vt v. g. ad dotandas filias, vel ad ſolandam ſenectutem, &c. tunc enim mutuator poſſet lucrum ceſſans exigere, cum patiatur damnum ratione mutui. Nauar. *loco cit.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 37. Bannez 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Molina *diſp.* 316. & alij. Secundò eum, qui certò non deſtinauerat pecuniam negotiationi, ſed illam deſtinaturus erat poſſe aliquid ad ratam probabilitatis paciſci, nam cauſa mutui probabiliter amittit lucrum. Ita Salas *dub.* 20. *num.* 2. & alij. Secunda conditio eſt, vt non tantum exigatur, quantum eſt lucrum, quod ſperabatur, ſed quanti valebat ſpes lucri, detractis expenſis, quas mutuator feciſſet negotiando. Ratio eſt, quia lucrum in ſpe minoris valet, quam in re. Ita Sotus 6. *de Iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 3. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 69. Nauar. in *comment. de vſuris num.* 64. Molina *diſp.* 306. & ideò ſi paratus ſis ſpem illam lucri vendere decem aureis, & labores, & expenſas ob illud ſoluendas redimere tribus, non potes exigere ratione lucri ceſſantis niſi aureos ſeptem, ſi amplius petas iniuſtitiã committis, pro lucro ceſſante plus exigens, quam ipſe illud æſtimes, non tamen id eſſet propriè vſura, cum id non acciperetur ratione mutui, ſed ammiſſionis lucri.

Sciendum 2. Dupliciter lucrum ceſſans poſſe in pactum deduci: Primò indeterminatè, nempè, vt mutuatarius teneatur tantum ſoluere pro intereſſe, quantum euentus declarabit lucri fuiſſe futurum. Secundò, determinatè, nempè ſtipulando à principio, vt aliquid determinatè promittat pro ſpe lucri, qua ſe mutuans per mutuum priuat, & tunc poterit mutuans hoc exigere, etiamſi euentus declaret, nullum lucrum fuiſſe obuenturum, quia ſpes illa cum mutuo daret, erat pretio æſtimabilis. Secundò, tantum eſſe detrahendum pro labore, &c. quanti mutuator laborem, &c. redemiſſet; quod ſi mutuator non optaſſet laborem redimi, ſed optaſſet potius illum ſubire, tunc mutuans non obligatur illum deducere. Ita Sotus 6. *de Iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 3. Leſſius *loco cit. num.* 98. Reginaldus *lib.* 23. *nu.* 89. & alij. Tertia conditio lucri ceſſantis eſt, vt lucrum non ſtatim exigatur, ſed conuenienti interuallo, & ſcilicet tempore, quo mutuans feciſſet illud lucrum ex pecunia, ſi non mutuaſſet peracta, videlicet negotiatione, cui illam pecuniam expoſuiſſet alioquin, ſi ſtatim exigeret, nõ mutuaret totam ſummam, ex qua tamen lucrum reciperet, vt ſi quis det mutuo centum, & pro lucro ceſſante ex conuentione facta, debeantur decem, ſi

ſtatim

ſtatim reciperet non mutuaret niſi nonaginta, cum tamen recipiat lucrum, ac ſi eſſent centum. Ita Petrus Nauar. *lib.* 3. *cap.* 20. Toletus, Valentia, & alij citati à Sala *de vſuris dub.* 10. *num.* 8. Molin. *diſp.* 316. Toletus *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 11. *num.* 100. & alii.

An liceat in principio mutui taxare pretium lucri ceſſantis ad euitandas lites, &c.

BRACTEA XLIX.

R. Licere in principio taxare lucrum ceſſans, deductis expenſis, periculis, & laboribus, & taxa fuerit moderata. Ratio, quia ſicut fructus acerbi poſſunt minoris emi eo, quod ſubſunt periculis fortunæ, ita poteſt minus taxari lucrum, quod ſubeſt incertitudini. Et ita Nauar *cap.* 17. *num.* 210. Caiet. in *ſum. verb. vſura cap.* 2. Bannez 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 4. *num.* 5.

Sciendum ex Azorio *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. *quæſit.* 3. Molina *diſp.* 316. Salas *de vſuris dub.* 20. *num.* 11. non modo licere taxare in principio lucrum ceſſans, ſed etiam licere in principio accipere tale lucrum, dummodo non accipiatur ex tali ſumma, aut ex re frugifera: quare mutuator, qui mutuo dedit centum nummos, poteſt ex mutuatione ſtatim accipere, v. g. oleũ, vinum, frumentum, &c. verum licet hæc opinio ſit probabilis, tamen non eſt admittenda, cum perinde ſit accipere oleum, vinum, frumentum, ac accipere pecuniam.

An qui bona fide fecit contractum vſurarium, poſſit ratione lucri ceſſantis veritate comperta tantum retinere, quantum contractu iuſto lucraturus fuiſſet?

BRACTEA L.

R. Cum Molina *tract.* 5. *diſp.* 75. Leſſio *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 12. non poſſe retinere aliquid ratione lucri ceſſantis, niſi contrahens intendat expreſsè velle ſe obligare eo meliore modo, aut velle contrahere meliore modo, quo poſſit. Ratio, quia acquiſita titulo iniuſto, & vſurario non poſſunt retineri, quæ autem accepta ſunt in propoſito, caſu dicuntur acquiſita contractu iniuſto, & vſurario, cũ qui tradidit, non liberè tradiderit, neque iuſto titulo; ergo huiuſmodi accepta non poſſunt retineri, niſi contrahentes expreſſerint velle ſe obligare, vel contrahere omni meliore modo. Quod ſi dicatur, bonam fidem prodeſſe poſſidenti; ergo qui contractum iniquum bona fide iniit, videtur poſſe lucrari, alioquin bona fides ei non prodeſſet. Reſpondeo bonam fidem prodeſſe ſolum, vt contrahens non teneatur reſtituere durante bona fide, non verò, vt cognita iniuſtitia contractus, non teneatur reſtituere, vel ſaltem id, in quo eſt ditior, & locupletior factus.

Sciendum expreſſionem illam contrahentium, qua celebrantes contractum vſurarium intendunt ſe obligare omni meliore modo operari, vt cum ille contractus ſit inualidus, alius validus ſuccedat in ipſius locum. Vnde ſi quis bona fide mutuet mercatori accipiendo quinque pro centum, intendens omni meliore modo contrahere, altero idem intendente, mutuans cenſetur contractum inire trium cõtractuum, nam intentio contrahentium eſt contrahendi omni meliore modo, & ſic de aliis dicendum eſt. Secundò, ad efficiendum licitum contractum aliàs inualidum, & vſurarium non ſufficere illa verba generalia voluntariè, & omni meliore modo, quæ communiter adhiberi ſolent à Notarijs in omni inſtrumento, ſed non percipiuntur à contrahentibus, nam ea verba potius ex conſuetudine, & ex proprio marte Notarij ſolent apponere, quam ex ſenſu, & intentione contrahentium, verba autem, quæ communiter apponi ſolent ex tabellionum vſu nihil operãtur, quia magis ex ſtilo ipſorum, quam ex voluntate contrahentium videntur apponi. Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 27. *num.* 6. Gumez 2. *var. cap.* 4. *num.* 22. Couar. *rubrica de teſtamentis part.* 2. *num.* 13. Rebellus 2. *part. lib.* 18. *quæſt.* 12. *num.* 4. & alij.

An ratione donationis poſſit aliquid accipi in mutuo?

BRACTEA LI.

R. Licere ratione donationis ſimpliciter aliquid accipi pro mutuo, quia mutuans ex beneficio mutui non eſt peioris conditionis quam eſſet ante illud; ergo ſi aliquid gratis ante mutuum poterat recipere à mutuatario, ita etiam poſt; requiruntur tamen aliquæ conditiones ex parte vtriuſque: ex parte mutuantis duæ exiguntur. Primum, vt id recipiat tamquam dono datum, non tamquam debitum ex mutuo, aliàs eſſet animo ſaltem vſurarius. Secundum, vt conſtet ſibi de recta dantis intentione, vel ſaltem probabiliter præſumat ex indicijs, vt v. g. ſi talis mutuatarij conſuetudo, ſi liberalis, & amicus mutuanti, ſi prompto, & hilari animo det huiuſmodi lucrum, quia ſecus dicendum erit ſi mutuatarius erit auarus, ſi cum triſtitia, ſi metu det, &c. quia tunc ſignum eſt non dare animo libero, & ſufficiente ad transferendum dominium per viam donationis, ideoq; reſtituendũ eſſet, ex parte mutuatarii, duo etiam alia requiruntur. Primò, vt gratis det, & liberaliter non vi, nec metu, alioquin deeſſet ratio voluntarii, & liberi requiſita ad donationem. Secundò, vt non præceſſerit vllum pactum de huiuſmodi donatione facienda, ſed propria ſponte inter ſoluendum mutuum aliquid addat liberaliter. Medina *de vſuris quæſt.* 3. *caſu* 9. Nauarr. *de vſuris cap.* 1. *num.* 24.

An ratione periculi ſortis, vel difficultatum, aut expenſarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, liceat aliquid exigere ſuprà ſortem?

BRACTEA LII.

R. In mutuo licitum eſſe aliquid ſuprà ſortem paciſci, & exigere ob periculum amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expenſis, vel laboribus. Ratio eſt, quia talia pericula ſunt pretio æſtimabilia. Tum etiam, quia ſicut fideiuſſor poteſt aliquid accipere pro periculo, cui ſe exponit fidei iubendo, Ita etiam mutuator poteſt aliquid paciſci, & exigere pro periculo, cui mutuando exponit capitale. Ita Silueſter *verb. vſura* 1. *quæſt.* 35. Medina *quæſt.* 38. *de reſtit.* Molina *diſp.* 318. Leſſius *loco cit. dub.* 13. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 6. *quæſit.* 1. Salas *tract. de vſuris dub.* 22. *num.* 3. & alii.

Sciendum requiri tres conditiones, vt mutuator poſſit iuſtè aliquid paciſci, & exigere ratione periculi, cui exponit capitale. Prima eſt, vt mutuatarius

non cogatur facere fideiuſſorem mutuantem,ſed relinquatur in eius libertate, vel dato pignore, vel alio fideiuſſore cauere indemnitatem mutuantis. Secunda, vt mutuator non plus exigat ratione iſtius periculi, quam ipſe daret alteri pro certitudine capitalis, vel quanti communiter æſtimetur periculum, pretium in omni contractu debet eſſe iuſtum. Tertia, vt periculum ſit verum, ex quo probabiliter timeatur incommodum, nec refert, & ſi poſteà fortè damnum nullum euenerit, quia non pro ipſo damno futuro, ſed pro periculo damni pactum fuit. Secundò, mutuator, qui coegit mutuatarium ad eligendum ſe ipſum pro mutui ſecuritate, tenetur ad relaxandum pactum, & ad aliquid reſtituendum mutuatario pro obligatione illi impoſita, niſi condonatio præſumatur ex circumſtantiis, licet mutuator poſſit retinere pretium acceptum pro rei ſecuritate, quia licet peccauerit ineundo contractum iniquum, nihilominus videtur poſſe pretium reſpondens obligationi,& periculo ſuſcepto retinere. Ita Salon. *tom. 2. de contract. aſſecurat. art. 4. num. 5.* & alii.

An liceat pro carentia pecuniæ, & obligatione expectandi ſolutionem mutui vſque ad certum tempus aliquid paciſci, & exigere?

BRACTEA LIII.

R. Non licere in mutuo ſimpliciter ob carentiam pecuniæ, vel obligationem expectandi ad certum tempus aliquid paciſci,& exigere ſupra ſortem. Ita Molina *tract. 2. diſp. 308. num. 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 14.* Reginaldus *lib. 23. num. 52.* Ratio eſt, quia carentia pecuniæ, & obligatio expectandi vſque ad determinatum tempus, ſunt de intrinſeca ratione mutui, & ſicut pro mutuo nihil poteſt accipi, ita nec etiam pro intrinſeca ratione mutui. Dixi ſimpliciter ob carentiam pecuniæ, quia ſi ex carentia pecuniæ ſimul etiam ceſſet aliquod lucrum, vel immineat aliquod damnum, vel timeatur aliquod periculum, ſic, ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis coniuncti, cum ea carentia pecuniæ poterit aliquid accipi pro quantitate damni emergentis, vel lucri ceſſantis; Si verò ex carentia pecuniæ nullum probabiliter timeatur damnum, nihil poteſt accipi, vt ſupra dictum eſt. Quod ſi dicatur, qui ſe priuat ſuo inſtrumento ad aliquod tempus, poteſt pecuniam accipere pro tali priuatione, cum ſit pecunia æſtimabilis; ergo etiam mutuans poteſt aliquid accipere pro carentia pecuniæ? Reſpondeo priuantem ſe aliquo inſtrumento poſſe pecuniam accipere, cum talis priuatio ſit propriè locatio, qui verò mutuando priuat ſe pecunia, non poteſt aliquid exigere ratione priuationis, & carentiæ pecuniæ, cum per mutuum pecuniæ dominium transferatur in mutuatarium, nec quidquam accipi poſſet pro vſu rei alienæ præciſo alio iuſto titulo.

An qui tradit pecuniam alicui ſolum ad oſtenſionem, & pompam pacto, vt teneatur eandem pecuniam numero, reſtituere poſſit aliquid accipere suprà ſortem?

BRACTEA LIV.

R. Affirmatiue: Ratio eſt, quia, cum in hoc caſu pecunia non diſtrahatur talis traditio pecuniæ, non dicitur contractus mutui, cum dominium non transferatur, ſed locationis, vnde tunc non accipit fructum ex alieno, ſed ex ſuo, quia quando locatur pecunia non transfertur dominium, ſed remanet apud ipſum tradentem, cum locatarius ſit ex pacto obligatus ipſam numero, & in indiuiduo reſtituere. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 78. artic. 1.* Caiet. *ibidem, & in ſum. verbo vſura.*

An in mutuo poſſit apponi pœna conuentionalis?

BRACTEA LV.

R. Id eſſe licitum, & mutuatorē poſſe cum mutuatario paciſci, vt niſi ſoluerit tempore præfixo, ſoluat aliquam pęnam. Ita Scotus *diſt. 15. quæſt. 2.* Silueſter *verbo vſura 1. num. 28.* Medina *quæſt. 3. de vſura* §. 4. Nauar. *cap. 17. num. 225.* Molina *tract. 2. diſp. 317.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 15.* Petrus Nauar. *lib. 3. cap. 2. num. 331.* Toletus *lib 5. cap. 32.* & alii. Ratio eſt, quia debitor, qui eſt in mora peccat contra iuſtitiam retinendo alienum, ſeu alteri debitum, ac proinde dignus eſt pœna; ergo ex conuentione partium poteſt illi aliqua pęna conſtitui, ſicut illi ſolet pœna imponi, qui a contractu reſiliuit. Tum etiam, quia ſic habetur *leg. ſuam de penis, & leg. ſi pacto quo penam Cod. de pactis.*

Sciendum, vt pœna in contractu mutui appoſita ſit iuſta, quatuor requiri conditiones. Prima eſt, vt non fiat in fraudem vſurariam, quaſi mutuum detur propter illam pœnam, tanquam propter lucrū, quod ſperatur ex mutuo; debet ergo imponi, vel quia intereſt mutuanti, vel quia velit habere rem tempore præfixo. Quod ſi detur mutuum ei, qui ſciebatur non ſoluturus, vel mutuans optet mutuatarium trāſgredi terminum, potius quam ſoluere tempore pręfixo, ſunt hęc quidem indicia pœnæ impoſitæ in fraudem, ſed tamen non ſunt contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. Secunda, vt debitor verè ſit in culpa non ſoluendo, nam ſine culpa non poteſt imponi pœna, ſiue ea ſit iudicialis, quam iudex imponit per ſententiam, ſiue legalis, quæ lege eſt conſtituta, ſiue conuentionalis, quæ conſtituitur ex conuentione partium. Vnde ſi factus ſit impotens, non poteſt exigere. Vnde ſequitur eum non teneri ad ſoluendam pœnam, qui non ſoluit tempore pręfixo propter veram impotentiam, vt quia detinebatur infirmitate, aut quia longè diſtabat à creditore, aut quia in vincula coniectus fuerat, &c. Secundò, eum non teneri etiam ad ſoluendam pœnam, qui termino pręfixo non ſoluit ob dilationem, ſeu prorogationem termini ſibi conceſſam à creditore. Ratio eſt, quia debitor non dicitur admiſiſse culpam, nec propriè dici poteſt fuiſse in mora, cum ante terminum ſibi prorogatum non teneretur ſoluere. Ita Caietan. *verbo vſura cap. 17. num. 215.* Reginald. *lib. 23. num. 250.* Tertia conditio eſt, vt pęna ſit moderata iuxta menſuram culpæ, quod etiam in pœna iudiciali, & legali requiritur; quando enim pęna eſt immoderata iniquē

quę cogitur mutuatarius in eum conſentire, ac proinde non poteſt per illa parte iuſtum modum excedit. Ex quo ſequitur ſi pars debiti ſoluta ſit, non poſſe totam pœnam exigi, ſed tantum partem iuxtà proportionem debiti. Quartà conditio eſt, vt mora ſit notabilis, quia ſi tantum tres, aut quatuor dies excederent, non ſatis eſſent ad pœnam incurrendam: habenda tamen eſt ratio conſuetudinis Prouinciæ.

Sciendum 2. Pœnam conuentionalem eſſe ſoluendam ante Iudicis ſententiam. Et ita Couar. *de emptione lib. 4. cap. 6. num. 11.* Molina *diſp. 97. & diſp. 317.* Salas *tract. de vſuris dub. 21. num. 3.* Em. Sà *verbo pœna num. 9.* Menochius *de arbitrarijs lib. 2. centuria 3. caſu* 270. *num.* 40. Gutier. *de matrim. cap. 18. num.* 19. Reginaldus *lib. 25. num* 228. & alij. Ratio eſt, quia hæc videtur intentio contrahentium, vt violans fidem, ſoluat pœnam; ergo non requiritur auctoritas Iudicis, alioqui non adimpleretur contrahentium intentio, neque ſeruaretur conuentio, & pactum inter cō trahentes initum. Tum quia in hoc diſtinguitur pęna conuentionalis à legali, & iudiciali cū obligēt ſolum poſt ſententiam Iudicis, conuentionalis verò ante ſententiam, cum ſuam vim habeat ex conuentione partium.

Sciendum 3. Sicut legalis, & iudicialis pęna non debentur ante ſententiam Iudicis, ita conuentionalis non debetur ante exactionem partis, quæ Iudicis vicem ſuplet, eſt enim nimis durum, & moribus hominum non ſatis commodatum, vt ſolutio debeatur ante exactionem, equum verò, vt parte exigente, quia debetur ex pacto: quare ſicut Iudici iubenti nō licet reſiſtere, ita neque parti exigenti pœnam conuentam denegare. Ita Couar. *in epitome 4. decretor. 2. par. cap. 6. §. 9. num. 11.* Molina *diſp. 97.* & alij.

An licitum ſit in contractu mutui pactum legis commiſſoriæ in pignoribus apponere?

BRACTEA LVI.

SCIENDVM pactum legis commiſſoriæ in pignoribus eſſe, quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito ea conditione, vt ſi debitor non ſoluat intrà certum terminum pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur: dicitur pactum legis commiſſoriæ eo, quod ſi debitor non ſoluat ſtatuto tempore incidat in commiſſum, ideſt amittat ius rei ſuę propter culpam commiſſam non ſoluendo tempore præfixo. Quo poſito

R. Pactum legis commiſſorię eſſe illicitum, & vſurarium, tum ex iure canonico, *cap. ſignificante* 1 cum ex iure Cæſareo *leg. 1. & vlt. cod. de pactis pignorum.* Ita Nauarrus *cap. 17. num.* 226. Reginaldus *lib. 25. num.* 232. Molina *tract. 2. tom. 8. diſp.* 324. Azorius *3 part. lib. 7. cap.* 10. Rodriquez *lib. 16. quæſt. vnica de pacto legis commiſſor.* & alij. Ratio eſt, quia per huiuſmodi pactū videtur aliquid accipi ſupra ſortem ex mutuo.

Sciendum 2. quod licet regulariter tale pactum ſit illicitum fieri aliquando poteſt, vt aliquando nō ſit illicitum, vt quando huiuſmodi pactum apponitur in pœnam, cum licitum ſit pœnam apponere ſoluendam à mutuatario, ſi tempore præfixo non ſoluerit, Ita Nauar. *cap. 17. num.* 217. Reginaldus *loco cit. num.* 598. & alij. Secundò, in foro conſcientiæ per ſe loquendo, quando apponitur pactum in mutuo, vt niſi ſoluatur intrà talem terminum, pignus vendatur iuſto pretio. Ita Molina *diſp.* 538. Reginaldus, & Rebellus *locis citatis*, & alij. Ratio eſt, quia hoc non ſit in grauamen pro mutuo, ſed vt mutuator ipſe ſe ſeruet indemnem, & rem ſuam debito tempore recuperet, dummodo id, quod ſupereſt de venditione pignoris, non tranſeat in commiſſum, ſed reſtituatur mutuatario. Vnde quando pignus non pluris valet, quam debitum, non committi vſuram apponendo pactum, vt ſi debitor non ſoluat conſtituto tempore, pignus habeatur venditum iuſto pretio. Ratio eſt, quia nihil accipitur ſupra ſortem ratione mutui. Ita Rebellus, & alii locis citatis.

An qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi, ſit vſurarius?

BRACTEA LVII.

CREDITOREM nō poſſe ſibi retinere fructus pignoris, ſed deductis expenſis debere eos reddere debitori, aut computare in ſortem capitalem. Ratio eſt, quia, qui ratione mutui accipit aliquid pecunia æſtimabile ſupra ſortem principalem, eſt vſurarius; ergo creditor non poteſt ſibi retinere fructus pignoris ob ſecuritatem dati, ſed debet eos reſtituere, alioquin eos retinendo, eſt vſurarius. Tum etiam, quia res fructifera debet ſuo domino fructificare: ſed pignus eſt debitoris; ergo fructus illius pignoris illius eſſe debent, non autem creditoris, ac proinde ſi à retinente pignus accipiuntur deductis expenſis, & laboribus in partem debiti cō putari debent. Et ita colligitur in *cap. 1. & 2. de vſuris.* Molina *diſp.* 120. Rebellus *lib. 8. quæſt.* 11. Reginald. *lib. 25 num. 204. & 241.* Azorius *3. part. lib. 8. cap.* 9. Salonius *2. 2. quæſt. 78. art. 2. contr.* 12. Bannez, & Aragonius *ibidem*, & alii communiter.

An mutuans teneatur computare in ſortem fructus perceptos ex agro, quos ipſe percepit, ſed dominus non percepiſſet?

BRACTEA LVIII.

SOTVS *lib. 6. quæſt. 1. art. 2.* ait, ſi debitor ſterilem agrum, quem colere non intendebat creditori, dederit in pignus, & creditor ſua induſtria, & laborē ex eo colligat modicos fructus; non obligari computare illos in ſortem, quia cenſentur fructus induſtriæ; ſi verò fructus percepti ex agro, qui non reputabatur ſterilis, ſed domini ignauia nō colebatur, computandos eſſe in ſortem, ſi ſint alicuius momenti: ſed hæc opinio non placet Nauarro *cap. 17. num.* 206. dicenti, tam modicos, quam magnos fructus computandos eſſe in ſortem, niſi libera donatione dati præſumantur. Quo poſito

R. Quod ſi ager ſit omninò, & abſolutè ſterilis ex natura terræ, induſtria vero, & diligentia pignoratarii aliquos fructus ferat, non tenetur illos referre in ſortem, ſed ſunt ipſius, cum in iſto caſu cenſeantur fructus illius induſtriæ. Ita Salonius *2. 2. quæſt. 78. art. 2.* Secundò, quod qui tantum expendit in pignore, quantum vtilitatis ex eo percipit, non eſt vſurarius, etiamſi eam vtilitatem in ſortem mutuatam non computet. Ratio eſt, quia pignoratarius pro labore, &c. mercedem aliquam meretur; ergo ſi recipit fructus, qui non excedunt expenſas, poteſt eos retinere ratione mercedis. Tertiò, ſi ager ille ſterilis erat ex incuria, & ignorantia domini, ex natura tamen fructiſet, tunc pignoratarius deductis expenſis, & laboribus, debet reſtituere fructus, aut eos computare in ſortem. Ratio eſt, quia tunc non cenſen-

tur fructus ſolius induſtriæ, ſed mixti, nimirum etiã fœcunditatis illius agri. Et ita Molina *diſp.* 320. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 16 Nauar. *cap.* 17. *num.* 216. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 11. Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus pignoratarius non tenetur fructus computare in ſortem. Primus eſt, quando feudatarius debet aliquid domino directo, eoque in pignus tradit feudum, quia tunc dominus directus feudi poteſt fructus percipere, non computando in ſortem, vt definitur ab Innocentio tertio in *cap.* 1. *de feudis*, & ab Alexand. tertio in *cap. cumquæſtus de vſuris*. Secundus eſt, quando emphiteuta oppignorat domino directo rem emphiteuticam, tunc enim dominus directus poteſt fructus illius rei percipere ſorte manente integra. Et ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 217. & 218. requiruntur hæc tria. Primò, quod dominus directus non exigat obſequium, vel penſionem ſolitam. Secũdò, vt non percipiat eos fructus, quos prædium producit, qua parte eſt melioratum ab emphiteuta; Tertiò, vt feudum, vel emphiteutis gratis aut ferre, gratis ſit conceſſa. Ita Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 5. *num.* 4. Conrad. *de contractib. quæſt.* 32. Nauar. *cap.* 17. *num.* 218.

An gener teneatur ad reſtitutionem fructuum, percipiendo fructus pignoris pro dote tradita, non computando eos in ſolutionem ſortis principalis?

BRACTEA LIX.

R. QVOD quando Socer non ſoluit dotem Genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum licere Genero fructus illius percipere, non computando eos in dotem. Ratio eſt, quia eos non capit vi mutui, ſed alia ratione, nimitum ad ſuſtinenda onera matrimonij, ſicuti vſus, & vſusfructus dotis licitè traditur marito ad eadem onera matrimonij ſuſtinenda, ita etiam eidem licitè traduntur fructus pignoris, vt maritus his fruatur, donec dos ei tradita fuerit. Ita Molina *diſp.* 321. Toletus *lib.* 5. *cap.* 30. & alij; ſic definiuit, & Innocentius tertius in *cap. ſalubriter de vſuris*. Tum etiam, quia huiuſmodi pignus, quando non datur dos, eſt tanquam dos, & ad eundem finem nimitum ad ſuſtinenda onera matrimonij datur; ergo quemadmodum, qui dat dotem, eo ipſo dat fructus eius, ita & qui dat pignus loco dotis, ſimul dat eius fructus. Si verò Gener non ſuſtentet onera matrimonij, non poſſe tunc fructus pignoris percipere. Ratio eſt, quia iuxtà deciſionem Pontificis in *cap. ſalubriter*, tantum pro ſubſidio onerum matrimonij, poteſt Gener fructus iſtos percipere; ergo ceſſante iſta cauſa, debet ceſſare effectus. Ita Molina *diſp.* 321. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 12. Salon. 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. & alij.

An ſi Gener accepto pignore fructifero concedat Socero, ne per aliquod tempus ſoluat dotem, poſſit recipere fructus?

BRACTEA LX.

R. POſſe facere fructus ſuos, etiamſi conceſſerit Socero, ſeu alteri dilationem ad ſoluendam dotem, nam per conceſſionem dilationis non cenſetur condonaſſe obligationem, quam Socer habet ad alendam filiam, vel ad tradendum vnde alatur. Secus verò dicendum ſi Socer exprimat ſe velle, vt fructus illi computentur in ſolutionem dotis, quia tunc nihil poteſt vltra dotem accipere. Ratio huiuſeſt, quia ſicut poteſt vir indotatam fœminam ſibi deſponſare, ita etiam poteſt remittere fructus pignoris, quos ad ſuſtinenda onera matrimonii erat accepturus. Ita Salonius 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Arragonius *ibidem*, Nauar. *cap.* 17. *num.* 213. Lopez *lib.* 2. *cap.* 60. Molina *diſp.* 322. Salas *de vſuris dub.* 29. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 223. Silueſter *verbo vſura* 3. *quæſit.* 2. & alii. Secundò, Gener, qui non accepto pignore conceſſit dilationem dotis, poteſt etiam petere fructus. Ratio eſt, quia ſi Gener conceſſit dilationem dotis iuxtà conſuetudinem iuris eam videtur conceſſiſſe, ac proinde licet non acceperit pignus, poteſt nihilominus petere fructus dotis, dum ſolutio dotis differtur. Ratio, quia tenetur onera matrimonii portare. Ita Bannez, & Arragonius 2 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Molina *diſp.* 321. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. & alii; immò poſſe conuentionem facere cum Socero, vel aliis, ad quos pertinet dotem tradere, vt ſingulis annis aliquid tradant, donec perſoluta fuerit dos. Ratio eſt, quia ex natura contractus dotalis, debet Sponſus recipere, vel dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis, ex cuius fructibus ſuſtineat onera matrimonii; ergo quando nec dos, nec pignus aliquid fructiferum ei datur, poteſt pro ſuſtinendis oneribus matrimonii titulo lucri ceſſantis, aut ratione compenſationis aliquid paciſci, donec dos perſoluatur. Ita Molina *diſp.* 321. Silueſter *verbo vſura* 3. *quæſit.* 3. & alii.

An Gener poſſit percipere omnes fructus pignoris vltra dotem, etiamſi excedant onera matrimonij?

BRACTEA LXI.

R. POſſe Generum omnes fructus pignoris percipere, etiamſi excedant onera matrimonii, & ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Salon. *ibidem*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 16. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 12. & alii. Ratio eſt, quia ita eſt natura contractus dotalis, vt qui dotem promiſit, videatur promittere omnes fructus pignoris, ſiue excedant onera matrimonii, ſiue non. Vnde ſponſus, etiamſi diues ſit, & habeat, vnde aliũde valeat onera matrimonii ſuſtinere, nihilominus poteſt tunc in conſcientia percipere tanquam omnes ſuos omnes fructus pignoris obligati pro dote. Ratio eſt, quia cum ex natura contractus dotalis fructus illi ipſius ſint, ſicut etiam fructus dotis, ſi illam actu recepiſſet, faceret ſuos, etiamſi diues eſſet, ita & fructus pignoris illius. Ita Salonius, & Bannez 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. Tertiò, committi vſuram à Genero, qui Socero volente dotem ſoluere, renuit illam acceptare, ſed petit pignus fructiferum cum intentione non computandi fructus in ſortem, perinde enim ſe habet, ac ſi mutuaret pecuniam Socero, cum pacto aliquid recipiendi ſuprà ſortem. Salonius, & Bannez *locis cit.*

An

An Vidua ſoluto matrimonio per mortem mariti, vel, &c. poſſit percipere penſionem, quandiù ſibi ſua dos non ſoluitur?

BRACTEA LXII.

R. Possa Viduam ſoluto matrimonio per mortem, vel, &c. percipere penſionem, quandiù ſibi ſua dos non redditur, & hoc non pro dilatione dotis præcisè, ſed ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ad vitanda alia incommoda. Ratio, quia quandiù ſua dos illi non reſtituitur, non deſinit eſſe dos, neq; deſinit gaudere priuilegio dotis, quia cum illo onere tranſiuit ad maritum, & hæredes mariti, vt quandiù ſibi non ſolueretur, ſalua dote aleretur non ſolum familia, ſed etiam ipſa, ſi remaneret ſola, & non ſolum per annum, ſed quandiù in vita patitur dilationem dotis, quia vſque ad redditam dotem perſeuerat in marito onus ſuſtinendi onera coniugalia, ſalua dote.

Sciendum tres conditiones requiri ad hoc, vt Vidua poſſit percipere penſionem, quoadusque illi ſoluatur dos. Prima, vt Vidua ſoluto matrimonio verè ſuſtineat onera matrimonii, quia ſi fiat Religioſa, vel reuertatur ad domum Patris, & ab eo pro ratione ſui ſtatus alatur, non poteſt percipere penſionem, quia ceſſat tunc omninò cauſa, propter quam ipſam poteſt percipere. Secunda, ne ipſius culpa ſolutio dotis differatur, quia ſi culpa illius differretur, non poteſt percipere fructus cum eo ipſo, quod hæredes mariti ſunt parati, culpa verò Viduæ differatur ſolutio, perinde eſt, ac ſi actu ſoluerent. Tertia, vt promiſſio dotis ſit abſolutè, & ſimpliciter facta, quia ſi fiat ſub eo pacto, vt penſiones computentur in dotem, tunc nihil poteſt vltra dotem accipere. Vnde non peccant mulieres viduæ, quæ ab hæredibus mariti defuncti recipiunt ſeptem, vel octo pro centenario ſuæ dotis, cum id accipiant loco alimentorum, quæ hæredes mariti tenentur dare.

An committatur vſura quoties chirographa minoris emuntur, anticipato pretio?

BRACTEA LXIII.

R. Seclvso damno emergente chirographa poſſunt minoris emi anticipata ſolutione, ſeu credita impoſterum exigenda, etiamſi nullam adnexam habeant difficultatem. Et ita Caiet. in *ſum. verbo vſura cap. vlt.* Nauarr. *cap.* 17. *num.* 232. Armilla *verbo vſura num.* 50. *&* 51. Roſella *eodem verbo* 2. §. 15. & alii. Ratio eſt, quia res vtilis ſtatim ſecundum communem æſtimationem pluris valet, quam res inutilis de præſenti, & vtilis in futuro; ergo pecunia præſens vtilis ſtatim pluris valet, quam pecunia nunc inutilis, & vtilis poſtea, atque adeò minori ſumma poteſt emi. Tum etiam, quia qui emit debitum centum aureorum, qui ſoluendi ſunt impoſterum, non emit centum, ſed ius, & actionem ad centum, minoris tamen valet habere actionem ad rem, quam rem ipſam, id eſt habere actionem ad centum, quam centum, vt habetur ex *leg. minus ff. de regul. iur.* Tum quia ius pro centum in futurum ſoluendis, ſi ſtatim in pecunia numerata redderetur, venditor haberet plus, quam debet habere: at hoc eſt contra iuſtitiam; ergo pro centum futuris non ſunt reddenda in præſenti alia centum, ſed pauciora, nimirum nonaginta. Maior habetur Inſtitut. *de actione §. placuit,* vbi dicitur, plus ſoluit, qui ante tempus ſoluit, nec refert, quod debita ſint certa, nam deficere poſſunt ex multis cauſis, & ſatis eſt ſi ſit vera emptio, vt eſt in huiuſmodi contractu, & non mutuum, præſertim cum Caliſtus tertius, & Sixtus quartus teſte Silueſtro *verb. vſura* 2. *quæſt.* 14. conceſſerint, vt huiuſmodi debita poſſint minoris emi; ergo etiamſi ſint liquida anticipata ſolutione, poſſunt minoris emi. Secundò, creditum litigioſum, ac periculoſum poſſe ſine labe vſuræ minori pretio emi anticipata ſolutione ad ratam difficultatis, &c. Ratio eſt, quia creditum minoris valet cum periculo, quam ſine periculo. Sine periculo dictum eſt ſupra, poteſt minori pretio emi anticipata ſolutione; ergo multò magis creditum litigioſum, aut periculoſum. Vnde ſi quis habeat creditum contra Principem; cuius recuperandi exiguam ſpem habeat, & alter ob fauorē Principis, & amicitiam Officialium ſperet ſe illud facilè recuperaturum, poteſt illud tanti emere, quanti creditum re ipſa valet creditori exiguam ſpem habenti ad recuperandum illud. Ratio eſt, quia iuſtum pretium rei non eſt, quantum res ipſa valet emptori, ſed quantum in ſe valet, aut quantum valet ipſi creditori: cum autem creditum creditori parum valeat ratione difficultatis, & exiguæ ſpei ſequitur huiuſmodi creditum minoris emi poſſe. Similiter minori pretio poſſe emi ſtipendia immatura Militum, & chyrographa Officialium Aulæ Principis ad ratam difficultatis, &c.

An vſurarius acquirat dominium eorum, quæ acquirit per vſuras?

BRACTEA LXIV.

R. Si res illæ nomine vſuræ acceptæ ita miſceantur rebus vſurarii ſimilibus, vt non poſſint ab eis diſtingui, tunc earum dominium cenſetur translatum. Ita Molina *diſp.* 326. & eſt communis. Ratio eſt, quia per admixtionem acquiritur dominium, quando ita res miſcetur cum propriis, vt non amplius diſtinctè diſcerni queat. Secundò, ſi non ita permiſceantur, non transfertur earum dominium in vſurarium, ac proinde nunquā transfertur ex vi ſolutionis, ſeu traditionis factæ ratione contractus mutui. Ita Caiet. *tom.* 2. *opuſc.* 8. *cap.* 1. Medina *de vſuris quæſt.* 4. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1 *art* 4. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 6. Ratio, quia per contractum nullum, non transfertur dominium iuxta *regul. iur. in* 6. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi: ſed contractus vſurarius quolibet iure eſt nullus; ergo, &c. Tum etiam, quia de eſſentia donationis eſt, vt ſit ſpontanea, ſed donatio vſuraria non eſt ſimpliciter ſpontanea. Ratio eſt, quia mutuatarius per ſolutionem non intendit donare gratis, nec plus iuris dare vſurario, quam habeat, aut quam ei debeatur ratione mutuationis: at ratione mutuationis nihil debetur præter ſortem; ergo, &c.

An vſurarius comparet dominium eorum, quæ ex pecunia vſuraria lucratur?

BRACTEA LXV.

R. Res lucrifactæ pecunia vſuraria ſtatim, ac ipſi traditæ fuerint, tranſeunt in ipſius dominium. Ita Adrianus in 4. *de reſtit. quæſt. de vſura*. Medina *de vſura quæſt*. 4. §. *ad quartum*, Couar. *lib*. 3. *var. cap*. 3. *num*. 6. Ratio eſt, quia tale lucrum non eſt fructus rei per vſuram acceptæ, ſed potius induſtria vſurarij; ergo non mutuatario, ſed vſurario competit; & colligitur ex *leg* 1. *cod. ſi quis alteri*, vel ſibi ſub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit, vbi ſignificatur eum effici dominum, cuius nomine aliena pecunia res empta fuerit, ſi eius poſſeſſio fuerit tradita. Secundò, ſi vſurarius res per vſuram acquiſitas vendat, ſit dominus pretij, dominium tamen earum non transfert in emptorem. Prima pars patet ex *leg*. 46. *qui vas in fine ff. de furtis*, vbi dicitur nummus, qui redactus eſt ex pretio rei furtiuæ, non eſt furtiuus. Secunda verò pars probatur, quia per contractum venditionis rei, non poteſt plus iuris in alium transferre, quam ipſe habeat: cum autem non habeat dominium rerum per vſuras acquiſitarum, ſequitur illud non poſſe in alium transferre. Quod tamen intelligendum eſt, modo emptor bona fide res illas emerit, neſciens eſſe alienas, quia ſi mala fide emerit, contractus erit irritus. Vnde tunc vſurarius non acquirit dominium pretij, vt habetur *leg. ſi* ● *emptione ff. de contrahenda emptione*.

An contractus gratuiti, vel oneroſi initi cum vſurario, ſint validi?

BRACTEA LXVI.

R. Qvod, qui aliquo titulo gratuito, vel oneroſo accipit ab vſurario aliquid vſu conſumptibile, vt pecuniam, oleum, &c. ab vſurario habente alia bona, vnde reſtituat idem in ſpecie, vel æquivalens, licet peccet mortaliter, aut venialiter iuxtà quantitatem rei acceptæ, non tamen obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia res vſu conſumptibiles accipiunt functionem, & vna, loco alterius poteſt ſubſtitui, & vſurarius non tenetur eandem rem numero reſtituere. Ita Valentia *tom* 3. *diſp*. 5. *quæſt*.. 1. *pun*. 3. Bannez 2. 2 *quæſt*. 78. *art*. 3. & alij. Quod ſi vſurarius non habeat alia bona, vnde reſtituat, accipiens peccat contra iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia cum vſurarius non habeat alia bona, quæ loco illarum poſſit ſubſtituere, cenſetur recipere alienum, & per conſequens accipiendo, peccate contra iuſtitiam, & obligari ad reſtitutionem. Secundo, qui titulo gratuito, vel oneroſo accipit ab vſurario aliquid eorum, quorum ipſe habet, dominium, non peccat, neque ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia ſic accipiendo nulli facit iniuriam, cum vſurarius ſit dominus illius rei, vt ſuppono. Tertiò, qui titulo donationis, vel emptionis aliquid ab vſurario per vſuram acquiſitum accipit, tenetur illud ſi ſit fructiferum cum ſuis fructibus reſtituere mutuatario, à quo vſurarius illud accepit per vſuram. Ratio eſt, quia cum vſurarius non acquiſierit illius dominium, non poteſt illud in alium transferre. Ita Leſſius *lib*. 2. *cap*. 20. *dub*. 29. Bannez, & Salon. 2. 2. *quæſt*. 78. *art*. 3. & alij. Quartò, quod vſurarius non habens niſi bona reſtitutioni obnoxia, poteſt validè emere domos, vel agros in eorum pretio, tradendo pecuniam, quam per vſuram acquiſiuit. Ratio eſt, quia tali contractu non fit impotens ad ſoluendas vſuras. Ita Sotus *lib*. 6. *quæſt*. 1. *art*. 4. Salonius, & Bannez *locis citatis*, Valentia *tom*. 3. *diſp*. 5. *quæſt*. 21. *pun*. 3. Si verò vſurarius per tales contractus fiat impotens ad ſoluendum vſuras, tunc, ſi vſurarius non inductus, ſed ſpontè res ſuas etiam titulo gratuito alienat, qui accipit, non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etiam ſi ſciat per huiuſmodi contractus fieri impotentem ad ſoluendum. Ratio eſt, quia res illæ nemini ſunt realiter obligationi obnoxiæ, ſed ſunt ipſius vſurarij qui nullo iure eſt inhabilis ad transferendum illatum dominium, ergo, &c. Ita Molina *diſp*. 328. Rodriquez *part*. 2. *cap*. 106. *num*. 11. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 20. *dub*. 19. Arragon. 2. 2. *quæſt*. 78. *art*. 3. & alii. Si verò vſurarius inductus ad donandum, vel alienandum, donat, vel aliénat, qui ab eo accipit aliquid accipit aduertens eum ſic reddi impotentem ad ſoluendum, tenetur ad reſtitutionem, ſi hæc impotentia eſt cauſa non ſoluendi. Ratio, quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur; ſi verò talis impotentia non ſit cauſa non ſoluendi, non tenetur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib*. 2. *cap*. 20. *dub*. 29. & alii.

An liceat accipere quinque pro centum in mutuo?

BRACTEA LXVII.

R. Regvlariter non licere quinque pro centum accipere in mutuo. Ratio eſt, quia non licet aliquid accipere ſupra ſortem, ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, vel ratione periculi, cui exponitur pecunia licitum eſſe, conſtat ex ſupradictis.

Sciendum accipientem quinque pro centum in contractu trium, ideſt in contractu complectente aſſicurationem ſortis, & fructus abſque labe vſuræ, poſſe accipere quinque pro centum, dummodo implicitè ſaltem ineantur tres contractus, nimirum contractus ſocietatis, & contractus aſſicurationis capitalis, & contractus aſſicurationis lucri certi, pro incerto maiori, ſeu venditionis lucri incerti pro certo, vt v. g. Petrus dat Paulo pecuniam ad negotiandum titulo ſocietatis, ex qua negotiatione ſinguli poſſent accipere vndecim, vel duodecim pro lucro incerto, deinde cum eodem Paulo mercatore init contractū aſſicurationis capitalis, pro cuius aſſicuratione ſuſcepta a Paulo detrahit quatuor, vel quinque ex his, quæ probabiliter lucraturus erat ex contractu ſocietatis, deinde pro aſſicuratione lucri incerti detrahit, vel dat vnum, vel duo, quibus ita peractis remanent Petro quinque pro centum, quæ licitè poſſe accipi videntur. Ratio eſt, quia licitè accipitur lucrum ex ſocietate, ſeruatis conditionibus contractus. Tum quia iſti tres contractus ſunt liciti, ſi ſeorſim ſumantur; ergo etiam liciti ſunt ſi fiant ſimul, ſiue cum eadem, ſiue cum diuerſa perſona, ſiue eodem, ſiue diuerſo tempore, nam quæ ſeorſim iuſta ſunt, ſunt etiā ſimul iuſta, modo ſeruetur æqualitas, cum ſimul, & ſucceſſiue fieri non mutet iuſtitiam facti; & ſic colligitur ex *cap. per veſtras de donat. inter virum, & vxorem*, & ex *cap. vnico de commodato*; & ita Silueſter *verb. ſocietas* 1. *quæſit*. 2. Nauar. *cap*. 17. *num*. 255. & 256. Molina *diſp*. 417. Reginaldus *lib*. 25. *num*, 297. Couar. 3. *var. cap*. 2. *num*. 4. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 20. *dub*. 12. *num*. 110. & *cap*. 25. *dub*. 3. Valentia *tom*. 3. *diſp*. 5. *quæſt*. 24. *pun*.

pun. 2. & *quæſt.* 25. *pun.* 2. & alii. Nec obſtat Bulla Sixti quinti, quæ incipit *Deteſtabilis auaritia*, vbi damnat ſocietatem, in qua periculum capitalis non remanet apud apponentem, quia in huiuſmodi Bulla damnatur ſocietas, quoties periculum capitalis ſtat penes accipientem per ſolum ſocietatis contractum. Secus ſi periculum capitalis reiciatur in accipientem per contractum aſſicurationis illius.

An in Monte pietatis inueniatur vſura?

BRACTEA LXVIII.

SCIENDVM nomine Montis intelligi ſummam pecuniæ publicè deputatam ad ſubueniendum per mutuum illa indigentibus, vt ea ratione maiora mala, atque diſpendia vitarentur: vſus autem huius montis eſt, cum his cōditionibus: Prima, vt ex illa detur mutuū vſq; ad certā ſummā pauperibus loci, non exteris, aut diuitibus: Secunda, vt ad certum tempus, v. g. ad annum, vel paulò amplius ita eis permittatur: Tertia, vt mutuatarii dent pignus idoneum, quia alioquin talis mons facilè exhauriretur multis poſtea non ſoluentibus: Quarta, ſingulis menſibus aliquid minutim ſoluant pro ſumptibus neceſſariis ad Montis conſeruationem, vt pro ſtipendio Miniſtrorum, qui Montem cuſtodiunt, & adminiſtrant, ſemperque parati eſſe debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, cuſtodienda, reddenda pro conductione domus, pro libris rationem cœteriſque neceſſariis inſtrumentis: Quinta, ſi tempore præſcripto non ſoluerint, vendatur pignus, & quod ex pretio detracta ſorte, monti ſatisfiat, & quod ſuperfuerit, Domino pignoris reſtituatur. Quibus poſitis

R. Montem cum ſupra poſitis conditionibus eſſe liberum ab omni labe vſuræ. Ratio huius eſt, quia lucrum, quod mutuatarii ſoluunt ex vi mutui, non ſoluunt, ſed propter expenſas ipſius Montis, ac proinde ratione damni emergētis, & cœteris ſupra enarratis, alioquin enim Mons ipſe, vel ex parte, vel in totum periret. Et ita Nauar. *comment. tract. de vſuris num.* 59. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 23. *pun.* 6. Rebellus 3. *part. lib.* 8. *quæſt* 13. Lopez *lib.* 2. *de contract. cap.* 49. Toletus *lib.* 5. *cap.* 38. Molina *diſp.* 325. Salas *de vſuris dub.* 33. *num.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 33. Quaranta *verb. Montes pietatis*, Arragon. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. Bannez *ibid.* Tum etiam, quia probatur à Leone decimo in Concilio Later. *ſeſſ.* 10. ſtatuta excommunicatione latæ ſententiæ his, qui in contrarium aliquid prædicare, aut diſputare verbo, & ſcripto auderent. Quod etiam determinatum fuit à Paulo ſecundo, Sixto quarto, Innocentio octauo, Alexandro ſexto, & Iulio ſecundo, vt refertur in præfata Bulla Leonis decimi. Secundò, non modo auctoritate publicâ, ſed etiam virum priuatum poſſe; huiuſmodi Montem inſtituere, etiamſi pecuniam illam ſub onere alicuius ſenſus accepiſſet, & poſſe tantum exigere, quantum ſufficit ad ſe ipſum indemnem ſeruandū, quia nemo tenetur alteri mutuare cum ſuo damno. Et ita Leſſius *loco cit. num.* 94. Tertiò, ob huiuſmodi Montem multa commoda oriri in Republica; Primò impeditur peccatum vſuræ Deo, & hominibus valdè deteſtabile. Secundò, pecunia remanet in Patria: Tertiò, incolæ pecunia fruentes habent locum, vbi ſecurè, & fructuosè eam poſſent collocare. Quartò, homines tenuiores in omni euentu poſſunt ſtatim habere pecuniam numeratam, idque mediocri detrimento: Quintò, venditis pignoribus reſtituitur quod detrimenta, & ſortem excedit.

An liceat petere mutuum ab vſurario, quem mutuatarius ſcit non mutuaturum, niſi ſub vſuris?

BRACTEA LXIX.

R. NON licere petere mutuum ſub vſuris à mutuante, quem mutuatarius ſcit non eſſe daturum, niſi ſub vſuris. Ita Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 6. Salas *tract. de vſuris dub.* 48. *num.* 3. & alii. Ratio eſt, quia petere mutuum ſub vſuris, eſt cooperari rei intrinſecè malæ, quod non licet fieri, etiam poſita cauſa.

Sciendum aliud eſſe petere mutuum ſub vſuris, & aliud accipere mutuum ſub vſuris: Primum eſt intrinſecè malum, & actiuè inductiuum ad peccatum, ſecundum verò nihil eſt aliud, quam contrahere mutuum paſſiuè concurrendo ad vſuram. Ita Rebel. *loco cit. num.* 28. Caiet. in *ſum. verb. vſura cap. penult.* Reginald. *lib.* 23. *num.* 101. & alii. Vnde qui promittit vſuras, aut eas ſoluit, non facit opus intrinſecè malum, nec peccat, ſi hoc faciat ex aliqua iuſta cauſa: receptio verò vſurarum ex parte vſurarii eſt intrinſecè mala, & contra iuſtitiam, cùm ſit acceptio rei, quæ non debetur. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 21. *pun.* 4. Rebellus *loco cit. num.* 28. Reginald. *loco cit. nu.* 107. & alii.

R. 2. Petere ſimpliciter mutuum ab vſurario ex iuſta cauſa, non videtur illicitum. Ratio, quia non petit rem intrinſecè malam, cum id poſſit fieri ſine peccato, ſed ſolum extrinſecè; quod autem eſt extrinſecè malum poſita iuſta cauſa poteſt fieri, &c.

Sciendum 2. Non peccare mortaliter, qui petit mutuum ab vſurario ob cauſam vanam, & inutilem, v. g. ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos, ſed ſolū venialiter. Et ita Sanchez in *ſum. lib.* 3. *cap.* 8. *num* 23. Molina *diſp.* 335. Toletus *lib.* 5. *cap.* 37. Salas *de vſuris lib.* 48. *num.* 7. & alii. Ratio eſt, quia petit rem indifferentem, & extrinſecè malam ſolum ex malitia ipſius vſurarii; ergo non videtur peccare plus, quam venialiter.

An ſi vſurarius aſſignet ſuo creditori ſolutionem exigendam ab eo, qui nomine vſuræ debet ipſi vſurario, poſſit creditor ſolutionem aſſignatam exigere?

BRACTEA LXX.

R. CREDITOREM non poſſe talem aſſignationem accipere, ſi certò illi conſtet, illam vſurario nullo modo deberi. Ita Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 24. *num.* 198. & alii communiter. Ratio, quia ſicut famuli peccant exigendo vſuras nomine ſui domini; ergo neque creditor vſurarii poteſt eas exigere, cum videatur par ratio. Tum etiam, quia vſurarius iuſtè non habet ius exigendi, ita nec poteſt tale ius in alium transferre. Tum etiam, quia ſi creditor vſurarii illas exigeret, exigeret eo titulo, quo ipſe vſurarius exigeret nempè tanquam debitas pro vſu pecuniæ: ſed exigere illas eo titulo, quo exigit vſurarius, eſt iniuſtum, & iniquum, ergo, &c. Secundò, ſi creditor vſurarii dubitet, an debitor aſſignatus, debeat vſurario alio titulo, quam vſuræ prætermittenda eſt diligentia in indaganda, & inquirenda veritate, eaque præmiſſa, ſi non inuenerit ipſum eſſe debitorem ſolo vſuræ titulo poterit exigere,

gere, etiamſi dubium perſeueret: nam in dubio, proximus præſumi debet iuſtus negotiator. Ita Leſſius *loco cit.*

An bona vſurarij ſint reſtitutioni obnoxia?

BRACTEA LXXI.

R. QVOD omnia bona tam permanentia vſuratij, quam conſumptibilia, quandiù apud ipſum ſunt, ſunt obnoxia reſtitutioni vſurarum obligatione perſonali. Ratio eſt, quia vſurarius eſt obligatus obligatione perſonali ad ſoluēdas vſuras; ergo etiam eius bona remanent obligata obligatione perſonali, cum obligatio perſonalis tranſeat à perſona in bona ipſiua. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Bannez, & Arragon. *ibidem*, Molina *diſp.* 329. Secundò, bona permanentia, & fructiferæ acquiſita per vſuras remanent obligata obligatione reali reſtitutioni apud quemcumque exiſtant, & quocumque contractu ſint acquiſita. Ratio eſt, quia eadem bona ſunt reſtiruenda; ergn remanent obligata obligatione reali. Tertiò, bona per vſuram, quæ acquiſita vſu ſunt conſumptibilia, non ſunt obligata pro vſuris ſoluendis obligatione reali, ſed perſonali. Ratio eſt, quia huiuſmodi bona cum functionem accipiāt, non ſunt eodem numero reſtituēda, ſed ſufficit quod æquiualenter reſtituantur; ergo ſolum remanent obnoxia obligatione perſonali; Si verò vſurarius non habeat alia, quæ ſubſtituat, remanent obnoxia obligatione reali. Ratio eſt, quia eadem numero ſunt reſtituenda, apud quemcumque ſint, dummodo à propriis poſſint diſcerni. Quartò, rea emptæ pecunia vſuraria non remanere obnoxia reſtitutioni obligatione reali, ſed perſonali. Ratio eſt, quia vſurarius acquirit dominium illorum, & ſi fructificant, illi fructificant.

Ad quam reſtitutionem teneatur vſurarius?

BRACTEA LXXII.

R. VSVRARIVM teneri ad reſtitutionem rerum per vſuram acceptarum. Ratio eſt, quia vſurarios non acquirit dominium illarum. Secundò, teneri ad reſtitutionem damni emergentis, & lucri ceſſantis mutuatario; Ratin eſt, quia cenſetur iniuſta cauſa damni. Tertio, tenetur deductis expenſis ad reſtitutionem fructuum, quoa percepit ex re aliena, modo non fuerint fructus meræ induſtriæ. Quartò, tenetur reſtituere fructua, quoa ex ſua culpa, & negligentia non percepit, & etiam eos, quoa ipſe percepit, & dominua ſua negligentia, vel caſu fortuito non percepiſſet. Ratio eſt, quia cenſentur fructus rei alienæ, non tenetur tamen reſtituere fructus, quos ipſe non percepit ſua negligentia, quos etiam dominus non percepiſſet ſua negligentia, Ratin eſt, quia tunc non obligatur ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis, ſeu damnificationis; ergo non obligatur. Ita Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 15.

An hæredes vſurarij teneantur ad reſtitutionem?

.RACTEA LXXIII.

R. TENERI ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia hæres gerit perſonam defuncti, & ſicut defunctus vſurarius obligatur ad reſtitutionē, ita & hærea, Tum quia non cenſetur hæres, niſi deducto ære alieno, cum bona defuncti tranſeant ad hæredes cum onere, & hæredes ſicut defuncto in bonis, ita in oneribus, & obligationibus ſuccedunt. Et ita definitur in *cap. Tua nos de vſuris*. Secundò, ſi debita vſurarii excedant vires hæreditatia, hæredes in foro conſcientiæ non tenentur ſoluere omnea vſuras, ſed ſolum ad ratam facultatum ſibi à defuncto relictarum; in foro verò externo, qui hæreditatem accipiunt cum beneficio inuentarii, non obligantur ad ſoluendas vſuras, niſi quantum hæreditaa ſe extēdit; quod ſi talem hæreditatem accipiant ſine beneficio inuentarii, tenentur ſoluere omnia debita defuncti, etiamſi excedant hæreditatem, licet vt ſuprà dictum eſt in foro conſcientiæ, obligentur ſolum ad ratam. Ita Toletus *lib.* 5. *cap.* 35. Arragon. & Bannez *locis citatis*, Couar. *lib.* 3. *var. reſolut. cap.* 3. *num.* 8. & alij. Tertiò, ſi res aliqua in ſpecie eſſet apud vſurarium per vſuram accepta, ea ad quemcumq; hæredem deuenerit, eſt reſtituenda, quia rea aliena, & ſi plurea ſint hæredea, non tenentur in ſolidum, nec alter pro altero, ſed ſinguli tantummodo pro ſua parte iuxtà vires hæreditatia. Ita Caiet. *tom.* 2. *opuſc.* 8. *quæſt.* 5. Silueſter *verbo vſur.* 6. *quæſt.* 10. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 4. Medina *quæſt.* 4. *de vſuris* §. *ad quintum*. Ratio eſt, quia in ſucceſſione hæreditatis, ſicut bona defuncti diuiduntur in hæredes, ita etiam eius obligationes perſonales, & debita; rationi enim conſentaneum eſt, vt qui tantummodo ex parte commodum percipit, onus quoque ex parte dumtaxat ſentiat. Quod intelligendum eſt de obligatione perſonali, quia ſi aliquid obligationi reali ſit obſtrictum, illud in totum conueniri poteſt.

Sciendum, quod ſi bona hæredibus titulo hæreditatia cum oneribus defuncti relicta non ſufficiunt, vt ipſi ſolutis debitis habeant ſuam legitimam, tunc legatarii, & donatarii, quibus aliquid cauſa mortis donatum eſt, tenentur contribuere, ſeruata proportione, vt ſolutis debitis legitimam ſibi debitam obtineant. Ita Molina *diſp.* 322. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 20.

An vxor, & filij vſurarij nihil habentes præter bona per vſuras acquiſita, poſſint ex huiuſmodi bonis ſibi victum capere?

BRACTEA LXXIV.

R. SI ſint conſtituti in extrema neceſſitate, ita vt non poſſint aliud habere, vnde viuant, poſſe de huiuſmodi bonia vſurarij, victum, & veſtitum capere. Ratiò eſt, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Nauar. *cap.* 17. *nu.* 268. Silueſt. *verbo vſura* 8. *quæſit.* 2. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 3. Secus verò dicendum ſi proprio labore, & induſtria poſſint ſibi victum, & veſtitū commodè acquirere. Ratio eſt, quia ſicut in iſto caſu Pater eos ſuſtentare non tenetur, ita nec ipſi poſſunt accipere de bonia acquiſitis per vſuram, vt ſibi ſubueniant. Ita Rodriquez *part.* 2. *ſum. cap.* 106. *num.* 8. Rebellus *loco cit.* Lopez *lib.* 2. *cap.* 81. Secundò, vxor, & filij vſurarij extra caſum extremæ neceſſitatis non poſſunt ex bonis, quorum vſurarius dominium non acquirit quidquam accipere. Ratio eſt, quia talia bona cum cenſeantur aliena, non poſſunt capi, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. Nauar. *cap.* 17. *num.* 268. Quod ſi vſurarius præter bona per vſuras acquiſita, habeat etiam alia bona iuſto aliquo titulo

acquiſita

acquiſita poſſunt vxor, & filii aliquid ſurripere ex illis, vt ſibi ſubueniant. Ratio eſt, quia vſurarius iure naturæ tenetur eos alere, cum commodè poteſt; ergo ex illis poſſunt vxor, & filii aliquid ſurripere, cum nulli fiat iniuria, cum propter huiuſmodi alimenta non reddatur impotens ad ſoluendum. Tertiò, quando bona per vſuram extorta ſunt incerta, ita vt facta diligenti inquiſitione eorū domini ignorantur, poſſunt vxor, & filii tanquam pauperes ex illis alii iuxta Lopez *lib. 2. cap.* 81. Salon. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Quartò, quando vxor attulit competentem dotem, ex bonis licitè acquiſitis ab vſurario, obnoxiis tamen reſtitutioni licitè poteſt pro ſe, & ſuis filiis, etiam ſi non extremè indigeant neceſſaria alimenta ſurripere ſine obligatione reſtituendi tempore opportuno. Ratio eſt, quia vſurarius ratione dotis acceptæ magis obligatur ad alendam vxorem, & filios ſub ſua poteſtate conſtitutos, quam ad perſoluendas vſuras. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 218.

An famuli, vel operarij accipientes ſtipendium ab vſurario, peccent, & obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA LXXV.

R. Famvlos vſurariorum, qui vſurario inſeruiunt ad celebrandum contractum nomine vſurariorum teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia concurrentes effectiuè ad contractum vſurarium agendo partes vſurarij, tenentur in ſolidum ad reſtitutionem; ergo famuli, qui inſeruiunt in celebrando contractu vſurariorum, obligantur ad reſtitutionem; famuli verò, qui ſolum ſeruant pecunias acceptas, vel ſolum pecunias referunt in libris rationum dati, & accepti, non obligantur ad reſtitutionem, quia non videntur cooperari in contractu vſurario, aut ſi cooperantur, parum cooperantur. Ita Arragonius, Bannez, Salon. *locis citatis*. Secundò, quod famuli, qui ſeruiendo vſurarijs, qui non habent alia bona, quam vſuraria, & nihil eis per ſuum famulatum afferunt vtilitati, quales ſunt, qui ſolum eis famulantur ad faſtum, & pompam, non poſſunt ab eis ſtipendium recipere, & ſi recipiunt, peccant mortaliter, & obligantur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia recipiunt alienum. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 270. Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 3. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 4. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Lopez *lib.* 2. *cap.* 81. Rodriquez *part.* 2. *ſum. cap.* 106 *num.* 10. Si verò famuli in miniſtrando vſurarijs alia bona non habentibus, ex quibus poſſint vſuras reſtituere per ſuā induſtriam tantum emolumenti afferant bonis vſurariorum, quantum pro victu, & veſtitu, & ſtipendijs inſumunt, non peccant, nec ad aliquam reſtitutionem obligantur. Ratio, quia ex eo vſurarii non fiunt impotentiores ad reſtituendas vſuras. Rodriquez *loco cit.* Sotus *loco cit.* & alij locis ſupra citatis. Tertiò, operarii, qui ſciunt vſurarium non habere alia bona, quam fœneratitia, non poſſunt illi locare ſuam operam, & ab eo pretium exigere. Ratio eſt, quia cum vſurarius nullum habeat illorum bonorum dominium, nulla ratione poteſt in aliquem illorum vſum, & dominium transferre, ac proinde, qui ex eis aliquod ab eo recipit, tenetur illud creditoribus in conſcientia reſtituere. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Molina *diſp.* 330. Quartò, qui vſurario non habenti alia bona præter vſuraria, nec valenti proprio labore, & induſtria parare ſibi ſuiſque neceſſaria vēdunt attinentia ad cibum, & veſtitum, & ad alios quotidianos vſus ab eo poſſunt iuſtum pretium recipere ſine reſtitutionis obligatione. Ratio eſt, quia quiuis in extrema, vel ferè extrema neceſſitate conſtitutus, poteſt ex domo diuitis neceſſaria ſibi accipere; ergo & vſurarius poterit ex his, quæ acquiſiuit per vſuram neceſſitatem extremam, quam ipſe, & eius familia patiuntur leuare. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 3. Molina *loco cit.* Rebellus *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 3. Siluester *verb. vſura* 8. *quæſt.* 9.

An Notarius, qui inſtrumentum vſurarium conficit, peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA LXXVI.

R. Notarivm, qui conficit inſtrumentum vſurarium inuito mutuatario, vt ex eo re ipſa cogatur ſoluere vſuras, ſicut accidit quando Notarius palliauit vſuram contractu mutui, vel venditionis, & ob id mutuatarius compellitur vſuras ſoluere, obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia cooperatur ad contractum vſurarium agendo partes vſurarij. Secus verò dicendum, ſi Notarius conficiat inſtrumentum ad petitionem mutuatarii, quia tunc non obligatur ad reſtitutionem, quamuis grauiter peccet. Ratio eſt, quia qui cooperatur ad vſuras agendo partes mutuatarii, non obligatur ad reſtitutionem. Secundo, quod Notarius, qui bona fide conficit inſtrumentum ignorans illud eſſe vſurarium, ſed reuera eſt iniquum, & vſurarium, nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur. Ratio, quia Notarius tenetur ex officio præſtare fidem ſuam inſtrumentis, ad quæ vocatur, niſi videat illa eſſe iniqua, & vſuraria; in hoc autem caſu cum bona fide conficiat inſtrumentum nullā intelligens iniquitatē pręſtat id, quod eſt ſui muneris, & ſine vlla fraude, vel dolo, ergo, &c. Ita Bannez 2. 2. *quæſt.* 78 *art.* 3. Salonius *ibidem*, Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 4. Si verò Notarius conficiens inſtrumentum ſuſpicetur ibi latere vſuram, vel aliam iniuſtitiam, tenetur illud indicare contrahētibus, & ſi ex narratione partium probabiliter colligat ibi nullam eſſe vſuram, poteſt deponere dubiū, & conficere inſtrumentum. Si verò ex qualitate contrahentium, & modo contractus prudenter dubitet, an inſtrumentum ſit vſurarium, & iniuſtum non conficiat tale inſtrumentum, quia in re adeò prudenter dubia, non tenetur Notarius fidem ſuam adhibere. Tertiò, quod Notarius, qui conficit inſtrumenta illicita, & vſuraria in fauorem vſurarii, aut etiam mutuatarii, peccat peccato ſacrilegii. Ratio eſt, quia cum Notarii creantur, iurant ſe non facturos inſtrumenta vſuraria, vel illicita. Et ita Nauarrus *cap.* 25. *num.* 52.

Quot nam ſint pœnæ ſtatutæ contra vſurarios notorios?

BRACTEA LXXVII.

R. Plvres eſſe: Prima pœna eſt infamia iuris. *leg. improbam* 20. *cod. ex quibus cauſis irrogatur infamia*: Secunda, quod non ſint admittendi ad communionem Altaris. *cap. quia in omnibus* 3. *de vſuris*: Tertia, nec ad oblationes offerendas. *cap. in omnibus, qui oblationes eorum acceperit*, eſt ipſo facto ſuſpenſus ab officio, donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfecerit: Quarta, nec ad confeſſionem peccatorum,

rum, niſi de facto reſtituat, vel det cautionem; Quinta, nec ad ſepulturam Eccleſiaſticam, *cap. quia in omnibus*, immò, qui eos ſcienter ſepelire præſumpſerit ipſo facto, eſt excommunicatus, nec eſt abſoluendus, donec arbitrio Epiſcopi ſatisfecerit *Clement. 1. de ſepulturis*: Sexta, teſtamenta ipſorum ſunt irrita, niſi ante mortem ſoluerint, vel cautionem legitimam dederint, *cap. quamquam*; Septima, Eccleſiaſtici non poſſunt vſurariis exteris locare domos, aut permittere in eis habitare: alioquin ipſo facto incurrunt pœnam ſuſpenſionis; manifeſti autem vſurarii dicuntur illi, qui facto, vel iure manifeſtè ſunt tales, facto, qui manifeſtè tales dicuntur; iure, qui iudicis ſententia eo crimine ſunt condemnati, vel ſunt confeſſi, vel per idoneos teſtes tales probantur.

MALLEATIO LVII.

De cenſibus, & de pactis in cenſu.

Quid ſit cenſus?

BRACTEA I.

R. Censvs eſt ius exigendi penſionem ex re aliena fructifera cenſui ſuppoſita. Ita communiter omnes *tract. de cenſibus.*

Sciendum, quod in definitione, primò, dicitur ius exigendi, ſeu percipiendi penſionem, quoniam cenſus non eſt res, quæ ſubiicitur cenſui, nec etiam ipſa penſio annua, quæ ſoluitur, ſed eſt ius, ſeu facultas exigendi penſionem ex re cenſui ſuppoſita. Secundò, dicitur *Annuam penſionem*, ſiue ſit pecuniaria, ſiue etiã fructuaria. Tertiò, dicitur ex re fructifera, quia in re infructifera, ſeu ſterili nõ poteſt conſtitui cenſus. Quartò, dicitur aliena, quia nemo ex re propria percipit cenſum, ſed fructum, vnde cenſus conſtituitur in fundo alieno.

Sciendum 2. Hoc nomen cenſus variè accipi, primò pro æſtimatione fortunarum cuiuſque, quæ fieri ſolet, vt ſciatur quantum quiſque Principi, tributi nomine ſoluere debeat, cenſere enim eſt æſtimare, idcircò cenſus dicitur æſtimatio. Secundò, pro ipſis fortunis, quæ cenſentur iuxta illud dat cenſus honores, cenſus amicitias, &c. Tertiò, pro ipſo tributo, ſiue capitatim, ſiue ratione fortunarum impoſito. Sic Math. 22. *Licet tributum dari Cæſari, an non.* Quartò, pro omni eo, quod annuatim alicui ſolui ſolet in ſignum ſubiectionis, vel dominii. Quintò, & magis propriè ſumitur pro iure quodam in re alterius, vt ex ea aliquid ſoluatur. Vnde cenſus, vt dictum fuit, non eſt ipſa penſio, ſed ius exigendi ipſam penſionem, vt v. g. ſi quis ſe obliget ad ſoluendã penſionẽ, aut quantitatem tritici ex ſuo agro ſingulis annis dicitur conſtituere cenſum in ſuo agro, & qui ſe obligat ad ſoluendam penſionem, dicitur Cenſuarius, qui verò acquirit ius exigendi penſionem, dicitur Cenſualiſta, vel Cenſitor. Ita Reginaldus *lib. 25. num.* 410. Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 380.* Arragonius 2. 2. *quæſt. 78. art.* 4. & communiter omnes.

Quotuplex ſit cenſus?

BRACTEA II.

R. Qvod cenſus primò diuiditur ex parte modi: Secundò, diuiditur ex parte rei: Tertiò, ex parte penſionis: Quartò, ex parte temporis, & ex parte modi primò diuiditur in reſeruatiuũ, & conſignatiuum. Ita communiter omnes, cenſus reſeruatiuus eſt, quo quis transfert rem ſuam in alterum, quoad dominium vtile reſeruata ſibi penſione annua ſuper eadem re, & licet iſte contractus emphiteuſi videatur ſimilis, tamen ab eo diſtinguitur, primò, quia in emphiteuſi non transfertur niſi dominium vtile, in iſto vtrumque transfertur, directum ſcilicet, & vtile. Secundò, diſtinguitur ratione obligationis, quia ſi emphiteuta non ſoluit penſionem infra biennium, ſi res ſit Eccleſiæ, ſi verò ſecularis intrà triennium, dominium vtile cadit in commiſſũ, & ipſo iure vnitur cum dominio directo, hoc autem non contingit in cenſu. Tertiò, emphiteuta non poteſt rem vendere, niſi admonito domino, alioquin res cadit in commiſſum, & tenetur vendendo ſoluere laudemium domino directo: Cenſuarius verò rem cenſitam diſtrahere priori domino inconſulto poteſt, neque tenetur ſoluere penſionem. Conſignatiuus eſt, quo quis ſuper bonis ſuis, quorum dominiũ directum, & vtile habet alteri ius penſionis annuæ conſignat, de quo erit ſermò in præſenti, & de quo præcipuè tractant Doctores. Secundò, cenſum conſignatiuum triplicem eſſe, realem, perſonalem, & mixtum: Realis eſt, qui fundatur in re ipſa, v.g. vineis, agro, domo, &c. perſonalis fundatur in perſona, quæ ſe ipſam obligat ad ſoluendam penſionem, non ratione perſonæ præciſè, ſed quatenus poteſt aliquid acquirere labore, & induſtria, &c. transferendo in alium ius percipiendi, quod ipſa labore, & induſtria poteſt acquirere. Conradus de *contract. quæſt.* 74. Medina *de vſuris quæſt. 1. & 2. de cenſibus.* Gomez *ſuper leg. 68. Taurinum.* 2. Gabriel. *in 4. diſt. 15. quæſt.* 2. Medina *Inſtruct. Confeſ.* §. 26. Leſſius *lib. 2. cap. 22. dub.* 4. Reginald. *lib. 25. num.* 431. Bannez 2. 2. *quæſt.* 78. Salas *de cenſib. dub. 3. num.* 2. Couar. *cap. 7. num.* 4. & alii. Cenſus mixtus fundatur ſuper re, & perſona, ita vt ſi res pereat, perſona maneat obſtricta, & obligata ad ſoluendam penſionem. Quæ diuiſio dicitur ex parte rei. Secundò, diuiditur cenſus ratione penſionis in fructuarium, & pecuniarium: Cenſus fructuarius ille eſt, quo quis ſe obligat ad ſoluendam quotam fructuum, v. g. quotam vini, frumenti, &c. pecuniarius, quo quis ſe obligat ad ſoluendam quantitatem pecuniæ, v. g. ſex, ſeptem, octo pro centum, iuxtà conſuetudinem loci receptam. Tertiò, diuiditur ex parte temporis cenſus conſignatiuus in perpetuum, & temporalem: ſiue in redimibilem, & irredimibilem; Cenſus perpetuus eſt ille, qui conſtituitur ad ſoluendam penſionem in perpetuum, qui dicitur etiam irredimibilis, ita vt redimi non poſſit contra quem eſt Bulla Pii Quinti, vt infra dicetur prohibens cenſus irredimibiles, & perpetuos. Temporalis eſt ille, qui non conſtituitur ad perpetuos redditus, ſed ad determinatum tempus, v. g. ad decem, viginti annos, &c. & redimi poteſt à Cenſuario oblato pretio accepto, quamuis ille repugnet. Diuiditur etiam cenſus in certum, & in incertum, certus eſt cum penſio determinata datur certa, v.g. ſeptem, vel octo pro centum, vel determinata menſura fructuum. Incertus, quando indeterminata pecuniæ quantitas, vel menſura fructuum relinquitur ſoluenda, vt v. g. tertia, aut quarta pars fructuum. Verum hæc diuiſio habet ſolum locum in cenſu reſeruatiuo.

Sciendum cenſum eſſe contractum nominatum, non ſolum quia habet nomen ſpecificum, ſed etiam formam contractus habet, non minus quam cæteri nominati. Tum quia eſt, quædam ſpecies emptionis, & venditionis; omnis autem emptio, aut venditio

intra

inter contractus nominatos nemine contradicente numeratur; ergo etiam cenſus inter contractus nominatos numerari debet.

An emptio cenſus ſit licita?

BRACTEA III.

R. Licitam eſſe emptionem, & venditionem cenſuum realium, ſiue de nouo conſtituantur, ſiue iam anteà ſint conſtituti, ſiue ſint irredimibiles, & perpetui, aut redimibiles, & temporales, ſiue fructuarij, ſiue pecuniarij ſint, dummodo emptio fiat ad formam Bullæ Pij quinti. Ita Couar. 3. *var. cap.* 7. *num.* 2. & expreſsè habetur in Bulla Martini quinti, & Caliſti tertii de emptione, & venditione cenſus, & in Bulla Pij quinti edita anno 1588. Ratio, quia contractus emptionis cenſus ex parte iuris non eſt illicitus, quia huiuſmodi emptio cadit ſupra debitam materiam, & obiectum, nempè ius percipiendi annuam penſionem, quæ eſt debita materia contractus venditionis cenſus. Tum etiam, quia ſicut emptio prædii cum pacto retrouendendi, eſt licita, ita etiam emptio iuris percipiendi fructus ex illo prædio erit iuſta, quia ſicut licita eſt emptio prędii quoad totum, ita etiam erit licita quoad partem: Ius autem exigendi penſionem, eſt pars prædii; & per conſequens eius venditio erit licita.

Sciendum ad iuſtitiam huius contractus duo principaliter requiri: Primò, intentio vera emendi, & vendendi, defectu cuius contractus eſſet inualidus: Secundò, requiritur iuſtum pretium, cum res debeat tanti vendi, quanti valet ſecundum pretium legitimum, ſeu vulgare, habita ratione circunſtantiarum. Molina *diſp.* 385. Em. Sa verbo *cenſus num.* 5. Rebellus *lib.* 10. *quæſt.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 14. Salas *dub.* 55. *de cenſibus*, Azorius *de cenſibus cap.* 4. *quæſit.* 4. Toletus *lib.* 5. *cap.* 47. Salonius 2. 2. *quæſt.* 78 *art.* 3. Bannez *ibidem*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *pun.* 5. & alij. Tertiò, quod cenſus conſtituatur in re libera, & de qua habeat facultatem diſponendi. Vnde in re aliena non poteſt conſtitui cenſus, niſi de conſenſu Domini. Et ratio eſt, quia qui non eſt dominus, non poteſt vendere ius percipiendi penſionem.

An emptio cenſus perſonalis ſit licita?

BRACTEA IV.

Sciendum Cenſum perſonalem illum dici, qui fundatur in perſona non ſimpliciter conſiderata, ſed quatenus poteſt aliquid acquirere, mediante labore, & induſtria, quia vt ſic dicitur fructifera. Quo poſito

R. Cenſum ſimpliciter perſonalem, ſeu conſtitutum in perſona Cenſuarii licitum eſſe, & validum. Ita Medina *de vſura quæſt.* 11. Conradus *quæſt.* 74. & 79. Maior *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 34. Gabriel. *ibid. quæſt.* 12. *art.* 1. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 7. *num* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 14. *num.* 18. Sotus 6. *de Iuſtit. quæſt.* 5 *art.* 1. Bannez 2. 2. *quæſt.* 28. *art.* 4. Bartholomæus Medina in ſua *Inſtruct. Confeſſ.* § 26. & alii. Ratio, quia quælibet perſona, etiamſi libera, & illuſtris cenſetur fructifera, aut ratione laboris obediendo, aut induſtriæ pręcipiendo, & cum vnaquæque poſſit colligere fructus ſui laboris, & induſtriæ, illud ius in alium poteſt transferre vendendo: in perſona autem præcisè conſiderata, cum non ſit fructifera, ſuper eam non poteſt conſtitui cenſus. Secundò, non modo ſuper perſonam fructiferam poteſt conſtitui cenſus, ſed etiam in emptione cenſus perſonalis, licet exigere hypothecam ſecuritatis cauſa. Ita Medina *loco cit. quæſt.* 11. & alii. Ratio, quia ſicut in cæteris contractibus ſecuritatis cauſa licitum eſt exigere cautionem, ita in contractu emptionis cenſus perſonalis.

Sciendum iuxtà conſtitutionem Pii quinti, emptionem talis cenſus non eſse licitam, quia cenſus ex conſtitutione Bullæ debet conſtitui ſuper rem immobilem certis finibus deſignatam: cum autem perſona non ſit res immobilis, & certis finibus deſignata ſequitur ex diſpoſitione Iuris Pii Quinti, cenſum non poſſe fundari ſuper perſonam, ſed ſuper rem certis finibus deſignatam. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 2. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 7. *num.* 5. Salonius *de cenſibus art.* 3. & alii.

An quando conſtituitur cenſus ſuper perſonam ſi ipſa ægrotaret v. g. per decennium, teneretur ſoluere penſionem?

BRACTEA V.

R. Si perſona, ſuper quam conſtitutus eſt cenſus ægrotaret per longum tempus, v. g. per decennium, non obligaretur ſoluere penſionem. Ratio eſt, quia ſublato fundamento, quo ius nitebatur neceſſe eſt, vt res ceſset. Tum etiam, quia tunc tempus perſona cenſetur ſterilis, & infructifera: Res autem, quæ caſu fortuito per longum tempus fuit ſterilis, non eſt amplius obligata ad penſionem, iuxtà Bullam Pii quinti; ergo nec etiam perſona. Ita Virginius *de cenſib.* 3. *part. num.* 71. Molina *diſp.* 383. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22 *num.* 88.

Sciendum, quod ſicut qui alteri vendit cenſum in agro, vinea, &c. tenetur ſoluere penſionem, licet aliquo accidenti fortuito per aliquod tempus res ſit ſterilis, vel domus non habitetur, aut locetur: Secus autem ſi per longum tempus res reddatur ſterilis, vel domus caſu fortuito non habitetur, aut non locetur, ita etiam in cenſu perſonali obligatur ſoluere penſionem, ſi per paruum tempus ipſa perſona aliquo fortuito accidenti, v. g. infirmitatis, &c. non ſit fructifera: Secus autem ſi per longum tempus, v. g. ad decennium vel etiam ad minus, non tenetur ſoluere penſionem.

An emptio cenſus mixti ſit licita?

BRACTEA VI.

R. Licitam eſse emptionem cenſus mixti, id eſt qui partim eſt realis, & partim perſonalis, ſeu qui fundatur ſimul in re, & in perſona. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 4. *num.* 23. Ratio eſt, quia emptio vtriuſque ſeorſim eſt licita; ergo etiam coniunctim erit licita. Vnde ſi quis emat cenſum ſuper agrum, vineam, &c. ea lege, vt etiamſi ager, vel vinea nullum fructum afferat, vel parum aliquid ferat, teneatur venditor totam penſionem emptori ſoluere, quo caſu ſi prædio vendatur tertio, poteris penſionem exigere, & à venditore cenſus ratione obligationis perſonalis, & à tertio ratione obligationis realis, quæ eſt in prædio. Item ſi emas prædium, cuius fructus non ſufficiant tali pacto, vt tota penſio ſoluatur, cenſus erit mixtus, realis quatenus ſe extendit ad fructus prædii, perſonalis quatenus ſe extendit ad aliquam partem. Quod ſi dicatur Martinus, & Calixtus Pontifices in ſuis extrauagantibus *titulo de vendit.* ſolum reales cenſus declaraſſe licitos.

Reſpondeo non eſſe locutos de perſonalibus eo, quod ſolum de realibus eſſent conſulti, & non de perſonalibus.

An cenſus vitalitius ſit licitus?

BRACTEA VII.

SCIANDVM cenſum vitalitium illum dici, qui emitur ad exigendam pẽſionem, quandiu vnus, vel alter contrahentium vixerit; & hic duplex eſt certus, & incertus: incertus eſt quando conſtituitur durante vita, vel quoaduſque hæreditas paterna poſſideatur, vel etiam quouſque matrimoniũ contrahatur: Certus eſt, quando conſtituitur ad certum numerum annorum, v. g. ad decem, vel viginti annos, &c. Quo poſito

R. Cenſum vitalitium, ſiue certum, ſiue incertum eſſe licitum, dummodo iuſtum precium ſoluatur attenta probabilitate longioris, & breuioris vitæ ſecundum communem æſtimationem, vel iuxtà conſuetudinem loci. Ita Rebell. *lib.* 10. *quæſt.* 4. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 4. Bannez *de cenſibus dub.* 1. Azorius 3. *part. lib.* 10. *cap.* 17. *quæſit.* 6. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 7. *nu.* 3. Salas *de cenſibus dub.* 5. Molina *diſp.* 388. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 434. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 26. *pun.* 4. & alii. Ratio, quia cenſetur contractus fortunæ, cum poſſit venditor cenſus citius, aut tardius mori.

Sciendum cenſum vitalitium reduci ad contractũ emptionis, & venditionis, in quo traditur pecunia tanquam pretium, & emitur ius percipiendi certam aliquam penſionem durante vita alicuius. Ita Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 2. Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 7. *num.* 2. Nauar. *de vſuris num.* 77. Silueſter *verb. vſura* 2. *quæſt.* 32. Conradus *de contractib. quæſt.* 81. & alii.

An cenſus vitalitius poſſit redimi à Cenſuario?

BRACTEA VIII.

R. AFFIRMATIVE cum Garzia *de contractib. par.* 2. *cap.* 29. *num.* 12. modo adſit mutuus contrahentium conſenſus, & iuſtum intercedat pretium. Ratio eſt, quia per quas cauſas naſcitur, per eadem diſſoluitur, & ſicut naſcitur ex mutuo cõtrahentium conſenſu, ita per mutuum conſenſum diſſolui poteſt.

Sciendum tamen, quo plures ſunt ſolutæ penſiones, eo minoris cenſum valere, & quo plus vitæ tranſactum eſt, eo minus temporis ſupereſt ad ſoluendas penſiones, & conſequenter non videtur contractus poſſe diſſolui tradito pretio accepto, niſi ex mutuo conſenſu contrahentium diſſoluatur computata proportione penſionum iam ſolutarum arbitrio prudentis viri, ſeu diminuto pretio, habita ratione temporis tranſacti iudicio prudentis. Molina *diſp.* 389.

An cenſus debeat conſtitui in re immobili?

BRACTEA IX.

R. CENSVS iuxtà Bullam Pij Quinti, non niſi in re immobili conſtitui poteſt de ſua natura fructifera, & certis finibus deſignata. Ratio colligitur ex Bulla, quæ eſt ad euitandas fraudes inter contrahentes; per rem immobilem intelligitur ager, domus, ſylua, &c. in rebus autem mobilibus, vt in vino, oleo, frumento, &c. Iure poſitiuo non poteſt conſtitui cenſus, cum Iure Pontificio Martini, Caliſti, Pij Quinti ſit prohibitum. Ratio, quia cum huiuſmodi res ipſo vſu cõſumantur, non ſunt vtiles, nec natura ſua fructiferæ, ſalua earum ſubſtantia. An in alijs rebus ſemouentibus, aut mobilibus, quę primo vſu conſumuntur, poſſit cõſtitui cenſus, ſũt multi, qui negant, vt in pecunijs expoſitis negotiationi, &c. Alij verò, vt Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 1. Conrad. *de contractib. quæſt.* 72. Gabriel. *in* 4. *diſt.* 5. *art.* 12. affirmant, quia huiuſmodi res primo vſu non pereunt, ſunt vtiles, & fructiferæ, & in ſtatu fructificandi, & verè quis habet ius percipiendi vtilitatem, & per conſequens illud poteſt vendere, & ſi vendit verè, & realiter aliquid vendit, dummodo tamen minoris vendatur, quã ſi eſſet ſupra rem immobilem, quia cũ mobile citius pereat, quàm immobile citius etiam extinguitur cenſus ſuper eum, quam ſi ſupra rem immobilem imponeretur; & hanc ſententiam tenet Nauarr. *de vſur. num.* 11. & alij. Secus ſi huiuſmodi res vſu conſumptibiles non eſſent in ſtatu fructificandi, tunc enim non eſſet verè ius aliquod recipiendi ex eis vtilitatem, quod poſſit vendi.

An licitum ſit conſtituere cenſum ſuper pluribus rebus certis, & determinatis?

BRACTEA X.

R. SI vna res, ſuper quam conſtituitur cenſus, eſt capax ſolutionis totius penſionis, non poteſt cenſus ſuper pluribus rebus conſtitui: Secus autem poteſt, vt infra dicetur. Ita Virgineus 2. *part. de cenſib. num.* 137. Duardus *de cenſibus*, & alii Doctores *tract. de cenſu*. Ratio, quia ſi in pluribus rebus capacibus ad ſoluendam penſionem cenſus conſtituerentur, re perempta non periret cenſus, ſed ius exigendi in aliam rem transferretur, quod immediatè eſt contra Bullam; ergo, &c. Quando autem vna res non eſt capax ad ſupportandum onus, & grauamen cenſus, tunc ſuper pluribus poteſt conſtitui, quæ ſimul ſumptæ capaces ſint ſolutionis penſionis. Ratio, quia illæ plures res cenſentur ſolum vna, & vnaquæque non cenſetur obligata in totum ad ſolutionem penſionis, ſed ſolum pro ſua rata parte. Vnde in domo, & in vinea non poteſt collocari cenſus, ſi vnaquæque ſeparatim ſumpta ſit capax ſolutionis penſionis, ita vt ſi res alienetur totum ius exigendi, tranſeat in aliam rem, cum ex alienatione partis fundi cenſus, cenſus etiam in parte alienetur, cum mens ſubiugantis domum, & vineam fuerit, vt ius exigendi penſionem, ſit in ipſis diuiſum, & licet ex impoſitione cenſus, duplex oriatur obligatio, vna perſonalis, quæ oritur ex ſtipulatione, & altera realis, quæ ex ipſo cenſu oritur, quæ ſequitur etiam rei cenſuatæ poſſeſſorem: vnde cum res alienatur in partem ius etiam exigendi cenſetur alienari, aut perire, licet ex ſtipulatu remaneat petitorium. Azor. 3. *part. lib.* 10. *de cenſib. cap.* 5. *quæſt.* 6. Valentia *diſp.* 5. *quæſt.* 22. *pun.* 2. Lopez *de contractib. lib.* 1. *cap.* 6. & alij; licet Nauar. in *comment. de vſuris num.* 112. Molina *tom* 2. *de contractib. diſp.* 389. Rebell. *part.* 2. *lib.* 10. *quæſt.* 6. & alij affirmatiuam ſententiam teneant. Ratio, quia ex extrauaganti Martini Quinti, & Caliſti Tertij de emptione, & venditione conceditur cenſum poſſe conſtitui ſuper pluribus; ergo etiam cenſetur conceſſum per extrauagantem Pij Quinti, quoniam non eſt

rece-

recedendum à iure antiquo, niſi per legem nouam contrarium fuerit diſpoſitum, ita vt ſi altera ex rebus ſubiugatis alienetur, tranſeat res ipſa cum onere cenſus, & ſi pereat ſuſtentetur cenſus in altera, dummodo ſit capax pro penſionis ſolutione, & ſi vna non ſit idonea ad ſuſtentandum cenſum, totus ſuſtẽtetur ſuper alteram idoneam, & cenſus capacem, & etiam ſi res coniugatæ ſint diſtinctarum perſonarũ, cum nullo iure prohibeatur.

An in re vendita cum pacto de retrouendendo, poſſit conſtitui cenſus?

BRACTEA XI.

R. Licita poſſe conſtitui cenſum temporaneum in re empta cum pacto de retrouendendo. Ita Centius *de cenſib. part.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 5. *num.* 2. & alij. Ratio, quia emptor cum pacto de retrouendendo cẽſetur verus dominus rei emptæ, & cum habeat iuſtè ius exigendi fructus, poteſt alteri illud vendere, & ad conſtituendum cenſum ſatis eſt, vt conſtituens habeat illius rei dominium. Secundò, emptorem fundi cum pacto de retrouendendo, non poſſe ſuper illud vendere cenſum perpetuum; Ita Fabianus *de emptione, & vendit in* 4. *quæſt.* 4. Tiraquel. *de retrouendit.* §. 3. *gloſſ.* 1. *num.* 10. & alij. Ratio, quia cum non habeat ius exigendi fructus perpetuum, ſed ſolum temporaneum, non poteſt illud in perpetuum vendere, ſed ad tempus ſolummodo, & ad conſtituendum cenſum perpetuũ non modo ſatis eſt habere dominiũ, ſed neceſſe ſit habere ius exigendi perpetuum, vt nõ ideò eſt in emptione cũ pacto de retrouendendo ſequitur, emẽtem cum pacto retrouendendi, non poſſe vendere cenſum perpetuum, ſed ſolummodo temporaneum.

An in domo creditò empta poſſit conſtitui cenſus?

BRACTEA XII.

R. Emptorem creditò alicuius domus pacto, vt dominium non cenſeatur translatum, niſi ſoluto integro pretio, non poſſe ante ſolutionem ipſius conſtituere cenſum. Ita Centius *de cenſib. part.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 4. Duardus *de cenſib. quæſt.* 17. *num.* 3. & alij. Ratio, quia cum dominus non cenſeatur habere perfectum dominium, niſi ſoluto pretio non poteſt emptor ſuper illam conſtituere cenſũ, quoniam ante ſolutionem pretij, dominium vi pacti non cenſetur perfectè translatum, ſed remanet apud venditorem. Secundò, rem alienam non poſſe ſubijci cenſui abſque conſenſu ſuorum dominorum. Nauar. *comment. de vſuris num.* 118. Vnde, qui emit cenſum ſciens, vel dubitans rem ſubiugatam alienam eſſe nõ poſſe cenſum exigere, cum non poſſit exigere ratione cõtractus, cum ſit inualidus, nec ratione intereſſe, quia ſciens, & volens hoc patitur, ſcienti autem, & volenti non fit iniuria, nec iniuſtitia. Verum tamen eſt, quod emptor poteſt pretium repetere à venditore. Nauar. *loco cit.* Azorius 3. *part. lib.* 10. *cap.* 7. *quæſit.* 7. Reginald. *lib.* 25. *num.* 442. & alij. Qui verò bona fide emit, poteſt percipere penſionem perſeuerãte bona fide. Molina *diſp.* 394 *nu.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. & alij.

An ſuper Monte pietatis cenſus imponi poteſt?

BRACTEA XIII.

Sciendum per Montem pietatis intelligi iuxtà Nauar. in *cap. ſi feneraueris num* 59. Medinam *de vſuris quæſt.* 10. Tolet. *lib.* 5 *ſuæ ſum. cap.* 38. Molinam *de contract. lib. diſp.* 325. Leſſium *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 23. Salonium 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *contr.* 27. *num* 2. Summam quandam pecuniæ, aut rerum pecunia æſtimabilium, & vſu conſumptibilium ad mutuandũ pauperibus cum aliquibus legibus obſeruandis, de quibus dictum eſt ſupra. Quo poſito

R. Super Monte pietatis cenſum imponi non poſſe. Ratio, quia bona illa ſint vſu conſumptibilia ex ſua natura non ſunt fructifera, nec immobilia, neque pro immobilibus habeantur; ergo cenſus ſuper his iuxtà Bullam Pij Quinti fundari non poteſt. Secũdò, cenſum conſtitui poſſe ſuper locis Montium, qui perpetui ſunt. Ita Bocat. *de cenſib. part.* 2. *num.* 140. dummodo non vacent per mortem obtinentis. Ratio, quia bona iſta inter bona immobilia connumerantur, cum tranſeant ad hæredes poſſunt donari, vendi, & de illis diſponi ad libitum domini locorum Montium, & cum cenſus poſſit fundari in rebus immobilibus, aut quaſi immobilibus ſequitur etiam poſſe fundari ſuper locis Montium, cum pro bonis immobilibus habeantur.

An ſuper publica tributa, ius paſcendi, & piſcandi poſſit conſtitui cenſus?

BRACTEA XIV.

R. Super tributa publica, ordinaria, & perpetua poteſt imponi cenſus. Ita Duardus *de cenſib. quæſt.* 3. *concl.* 1. Nauar *de vſuris num.* 87. Molina *diſp.* 389. Em. Sa *verbò cenſus num.* 11. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 22. *pun.* 2. Salas *dubit.* 7. & *dubit.* 44 Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 3. Ratio, quia pro rebus immobilibus habentur. Tum etiam, quia cum tale ius ſit fructiferum, poteſt alteri vendi; & per conſequens ſuper eo poteſt conſtitui cenſus. Secundò, ſuper ius piſcandi, venandi, & paſcendi poteſt etiam imponi cenſus. Ita Duardus, & alii *loc. citat.* Ratio, quia inter bona immobilia connumerantur, & cenſus poteſt imponi ſuper rebus immobilibus, vel quaſi immobilibus. Tertiò, ſuper officiis publicis habentibus Iuſtitiæ adminiſtrationem, cenſus conſtitui non poteſt. Ita Filiucius *tom* 1. *de cenſib. cap.* 3. *num.* 36. Ludouicus Miranda *de cenſib. cap.* 55. Follerius *in ſua praxi cenſus num.* 42. Ratio, quia huiuſmodi officia de iure naturali non poſſunt vendi, eo quod non poteſt vendi, nec etiam cenſui poteſt ſubiugari. Tertiò, ſuper officiis publicis, quæ nudum habent miniſteriũ, cenſus conſtitui poteſt. Follerius, & Filiucius *loc. citat.* Salas *de cenſib. dub.* 7. Auendanus *de cenſib. cap.* 55. Ratio, quia vendi, & alienari poſſunt, & per conſequens ſubiugari tam in cenſu conſignatiuo, quam reſeruatiuo.

An Maritus poſsit conſtituere cenſum in fundo dotali?

BRACTEA XV.

R. Nvllo modo poſſe Maritum in fundo dotali conſtituere cenſum perpetuum abſque vxoris conſenſu, pro ſua vita durante poſſe. Ita Virginius *de cenſib. part.* 2. *num.* 74. Azor. *de cenſib. cap.* 7. *quæſit.* 6. & alii. Ratio, quia ipſe non eſt dominus fundi, & per conſequens ipſum alienare non poteſt, & per conſequens inuita vxore ſuper ipſum cenſum conſtituere non poteſt: pro ſua vita durante poteſt. Et ita Follerius *de cenſib.* §. *cenſus num.* 3. Ratio eſt, quia cum Maritus habeat ius percipiendi fructus ex fundo dotali, alteri poteſt etiam illud vendere, cum quilibet poſſit in alium transferre ius, quod habet.

An in fideicommiſsis poſsit conſtitui cenſus?

BRACTEA XVI.

R. In bonis, quæ in fideicommiſſis relinquuntur, nullo modo poteſt fideicommiſſarius conſtituere cenſus perpetuus, ſed ſolum pro ſua vita durante. Ita Duardus *de cenſibus*, & alii. Ratio, quia cum fideicommiſſarius non poſſit eos alienare, cum à conſtituente ſint ſubſtituti Parentes, nec etiam ea grauare poteſt, ſuper his conſtituendo cenſus. Ratio, quia conſtitutio cenſus, cum ſit quædam venditio, & emptio, eſt etiam quædam alienatio, & bona fideicommiſſa non poſſunt alienari, cum à conſtituente fideicommiſſum prohibeatur. Secundò, pro ſua vita durante poſſe fideicommiſſarium inſtituere cenſum ſuper bonis fideicommiſſis. Ratio eſt, quia pro ſua vita durante eſt dominus fructuum; ergo etiã poteſt eos alteri vendere; ergo etiam poteſt vendere ius, quod habet percipiendi fructus, quod eſt inſtituere cenſum pro ſua vita durante, id eſt cenſum temporaneum.

An feudatarius, & emphiteota ſuper rem datam in feudum, & emphiteuſim, poſsint conſtituere cenſus?

BRACTEA XVII.

R. Fevdatarium, ſeu emphiteotam ad tempus poſſe ſuper rem ſibi traditam in feudum, & emphiteuſim conſtituere cenſum. Ita Follerius *de Cenſualiſtis contractibus* §. *cenſus*. Ratio, quia Feudatarius, & Emphiteota habent ius exigendi fructus; & per conſequens cum eorum habeant dominium ad tempus alteri vendere poſſunt, quod eſt conſtituere cenſum. Secundò, non poſſe Feudatariũ, & Emphiteotam in perpetuum, vel ad longum tempus conſtituere cenſum ſuper rem ſibi traditam in feudum, & emphiteuſim. Ita Virginius *de cenſib. part.* 2. *num.* 77. Azorius 3. *part. lib.* 10. *de cenſib. quæſit.* 3. & alii. Ratio, quia conſtituendo cenſum, poterit Cenſuario eſſe cauſa damni. Tum quia liberè res debet trãſire vocatis ad feudum, & emphiteuſim. Tum etiã, quia poterit eſſe, quod res tranſeat in commiſſum, & dominus fundi non obligetur ſoluere cenſum, cum res data liberè ad ipſum debeat redire, & per conſequens emptor pateretur damnum conſtituto cenſu ſuper rem ſubiectam cenſui, & emphiteuſi.

An Clericus poſsit conſtituere cenſus ſuper Beneficij fructus?

BRACTEA XVIII.

R. Svper Beneficij fructibus non poſſe Clericum ad longum tempus conſtituere cenſum, ſeu in perpetuum. Ratio, quia Clericus non eſt dominus Beneficij, ſed ſolum miniſtrator fructuum pro ſua vita durante; ergo Clericus ſuper Beneficio non poteſt conſtituere cenſum perpetuum, ſed ſolum pro ſua vita durante, & ad certum tẽpus. Ita Follerius *loco cit.* licet probabilior ſit ſententia, ipſum pro ſua vita durante non poſſe conſtituere cenſum ſuper Beneficio, cum prohibeatur locare fructus vltrà triennium, & per conſequens cum non poſſit eos locare ſupra triennium, nec etiam ſuper iis pro ſua vita durante poteſt conſtituere cẽſum. Tum etiam, quia in Conſtitutione Pij Quinti decernitur, nec cenſus conſtituatur niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur: ſed tales non ſunt fructus Beneficii; ergo, &c.

An Prælatus Monaſterij ſuper bonis pro menſa Religioſorum hypothecatis, poſsit conſtituere cenſus?

BRACTEA XIX.

R. Prælatvm Monaſterii nullo modo poſſe ſuper bonis pro menſa Religioſorum hypothecatis conſtituere cenſus. Nauarrus *cap. ſi feneraueris num.* 118. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 422. Salas *de cenſib. dub.* 18. Molfeſ. *part.* 2. *ſuæ ſum. tract.* 12. *cap.* 6. Centius *de cenſib. part.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 1. & alii. Ratio eſt, quia bona, quæ cenſui ſubiugantur, debent eſſe libera, & hæc non ſunt libera, cum iam ſint hypothecata, & obligata pro victu, & veſtitu Religioſorum: Vnde ſi bona, quæ ſubiiciuntur cenſui non ſint libera, emptor cenſus poteſt agere ad reciſionem contractus contra venditorem, ſi nolint conſentire habentes intereſſe; ergo etiam in tali caſu emptor poſſet agere ad reciſionem contractus. Secundò ſuper hæreditate Capellæ alicuius Eccleſiæ relictę, cum onere celebrandi, non poteſt Pręlatus conſtituere cenſus. Ratio eſt, quia Prælatus non cenſetur habere dominium illius hæreditatis, ſed ſolum adminiſtratio. Tum etiam, quia eorum alienatio prohibetur per decretum Vrbani Octaui, cum fructus iam ſint obligati, & hypothecati pro dicendis miſſis. Tertiò, ſuper bonis pro dote aſſignatis alicui Capellæ, non poteſt etiam Prælatus conſtituere cenſus. Ratio, quia ſicut vir non habet dominium dotis ſuæ vxoris, ſed ſolum adminiſtrationem, ita Prælatus, aut Monaſterium non habet dominium bonorum pro dote aſſignatorum alicui Capellæ, ſed ſolum adminiſtrationem. Ergo ſuper ipſa non poteſt fundari cenſus.

Sciendum hoc non modo intelligendum eſſe de hæreditate, ſeu de dote aſſignata mediocri, & proportionata oneri impoſitę celebrandi, verum etiam de hæreditate, & dote opulenta excedente onus impoſitum celebrandi, quia licet ſit mediocris, ſeu opulenta, dominium non ſpectat ad Monaſterium, aut Prælatum, ſed ſolum adminiſtratio; ergo cum ſit ſolum adminiſtrator, ſuper eius fructus non poteſt fundare cenſus, cum iam ſint hypothecati pro onere celebrandi miſſas. Quartò, ſuper armentum vaccarum non poſſe à Prælato imponi cenſus. Ratio, quia

non

non cenſetur res immobilis; nec quaſi immobilis, cum qualibet hora ſubiaceat accidentibus, & caſibus fortuitis capitale, & fructus.

An in re ſua poſſit mulier conſtituere cenſum?

BRACTEA XX.

R. Qvod mulieres vigeſimum quintum annum excedentes de iure communi, non prohibētur contrahere: vnde ad ſuum libitum poſſunt ſuper propriis bonis cenſum conſtituere, niſi prohibeantur ſtatutis municipalibus, quibus ſtādum eſt; quod debet intelligi etiam de muliere nupta. Secūdò, filium familias ſuper bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus poſſe conſtituere cenſum; cum earum rerum pleno iure ſit dominus. Ita Filliucius de cenſibus *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 21. Ludouicus Anenda *de cenſib. cap.* 80. *num.* 7. Centius *eodem tract. part.* 1. *cap.* 2. *quæſit.* 1. *art.* 4. *num.* 2. & alii. Secus autem in aduentitiis, & profectitiis, quia in his ſolus Pater poteſt conſtituere cenſum, cum vſusfructus eorum ſpectet ad Patrem.

An cenſus fundari poſſit in alio cenſu?

BRACTEA XXI.

R. Censvm fundari poſſe in alio cenſu ſiue redimibili, ſiue irredimibili. Ita Nauarrus in *cap. ſi fœneraueris num.* 87. Azorius *par.* 3. *lib.* 10. *quæſt.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 71. Molina *diſp.* 389. Valentia *tom.* 3. *diſp* 5. *quæſt.* 22. *pun.* 2. Medina *quæſt.* 1. *de vſuris*. Salas *de cenſib. dub.* 7. *& dub.* 44. Centius *de cenſib. part.* 1 *cap.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 3. Duard. *de cenſib.* & alii. Ratio eſt, quia cenſus inter bona immobilia connumeratur, & pro re quaſi immobili habetur. Tum etiam, quia cum cenſus ſit quoddam bonum fructiferum ex eo, quod parit annuam penſionem, poteſt alteri vendi ius exigendi talem penſionem, & per conſequens ſuper eo poteſt fundari alius cēſus.

Sciendum non modo in cenſu perpetuo, & irredimibili poſſe conſtitui cenſum, verum etiam in temporaneo, & redimibili, quia ſicut cenſus irredimibilis, & perpetuus non deſinit eſſe immobilis ex eo, quod poteſt extingui volente cenſualiſta eum redimere; ita non deſinit eſſe immobilis cenſus redimibilis, & temporaneus ex eo, quod à Cenſuario poteſt extingui; ſicut non deſinit eſſe immobilis domus ex eo, quod poteſt comburi, &c. ita etiam cenſus ex eo, quod eſt redimibilis, & temporaneus non deſinit eſſe quaſi immobilis. Secundò, pereunte cenſu, in quo alter eſt fundatus; etiam ſecundus cēſetur extinctus. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. Salas *dub.* 17. *num.* 17. Duard. *de cenſib.* & alii. Ratio, quia ſicut pereunte fundo, ſuper quo fundatur cenſus, perit etiā cenſus, ita etiam extincto, vel pereunte cēſu, perit etiam alter cenſus, qui in ipſo fundatur. Virginius *de cenſib. part.* 2. *num.* 49. negat poſſe conſtitui cenſum ſuper alio cenſu, cum non poſſit res certis finibus deſignari, quæ conditio eſt neceſſaria in conſtitutione cenſus. Verum, quod dicimus, tenendum eſt.

An cenſus poſſit conſtitui ſuper omnia bona alicuius præſentia, & futura?

BRACTEA XXII.

R. Ivre antiquo poterat conſtitui cenſum ſuper omnia bona præſentia, & futura; at verò iure nouo, & vbi fuit acceptata conſtitutio Pii Quinti nullo modo poteſt, cum ibi decernatur non poſſe aliter cenſum conſtitui, niſi in re immobili, vel quaſi immobili de ſua natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit. Vnde ſuper omnibus bonis præſentibus, & futuris non poteſt cōſtitui cenſus, etiamſi excedant valorem ipſius; vbi verò non fuit acceptata poteſt conſtitui, cum ſtandū ſit in iure antiquo, vbi ius nouum non eſt acceptatum.

An debeat cenſus conſtitui in re, quæ ſit ex natura ſua fructifera?

BRACTEA XXIII.

Sciendvm illam rem dici natura ſua fructiferam, quæ apta eſt ferre fructus naturales, vt ſunt, quos producunt vineæ, arbores, prædia, &c. aut etiam, quæ apta eſt ferre fructus induſtriales, in quibus plus præualet induſtria, quam natura, ſiue etiam ſint ciuiles, vt ſunt locationes domorum, &c. ita illę res dicuntur fructiferæ, quę licet non producunt fructus, tamen aptæ ſunt ad producendos eos, vt turres, palatia, domus, &c. quæ locari non ſolent ex Azor. *part.* 3. *lib.* 10. *de cenſib. cap.* 6. *quæſt.* 4. & aliis, & arbores, ſiue gemmæ, quæ producunt amenitatem, licet non fructum, dicuntur fructiferæ, cum talis amænitas æquiualeat fructibus. Quo poſito,

R. Cenſus debet conſtitui in re, quæ ſit fructifera, ideſt quæ ex ſua natura producat fructus, vel ſit apta eos producere. Ita Nauar. in *cap. ſi fœneraueris num.* 79. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 22. *pun* 2. Lopez *de contract. lib.* 1. *cap.* 60. Regionaldus *lib.* 25. *num.* 410. Mègala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *num.* 35. & alii. Secundò, cenſus poteſt conſtitui in re; quæ licet non ferat fructus naturales tamen arte, & induſtria hominis poteſt ferre fructus. Ita Em. Sà *verbo cenſus*, Molina *diſp.* 389. Rebellus *lib.* 10. *quæſt. vlt.* Salas *dub.* 7. *num.* 8. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 5. & alii. Ratio, quia cum cenſus ſit ius exigendi penſionem ſatis eſt, quod fundus, ſuper quem fundatur cenſus, ſit fructiferus, ſiue ſit ex natura ſua, ſiue ex induſtria hominis, vt domus, molendinum, &c. & ideò cenſus non modo poteſt conſtitui ſuper vineas, & prædia, &c. quæ producunt fructus naturales, ſed etiam in domibus, molendinis, &c. quæ non producunt fructus naturales, ſed ſolum arte, & induſtria hominis, nimirum ex locatione, & non eſt opus, vt res cenſita ſingulis annis ferat fructus, ſed ſatis eſt; quod ſit fructifera, & poſſit ferre fructus neceſſarios ad ſoluendam penſionem, nec eſt neceſſe, vt res cenſita ferat ſolum tot fructus, quanta eſt penſio, ſed cenſus poteſt conſtitui in re; quæ longè maiores ferat fructus, quam ſit penſio, quæ conſtituitur ſuper ipſum.

An cenſus poſsit conſtitui in fundo, qui licet actu fructus non ferat, tamen fructus ferre poteſt?

BRACTEA XXIV.

R. CENSVM conſtitui poſſe in re, quæ licet actu non fructificet, tamen fructificare poteſt labore, & induſtria hominis. Ita Nauarrus *in cap. ſi fœneraueris num.* 113. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 22. *pun.* 2. Azorius 3. *part. lib.* 10. *cap.* 7. *quæſt.* 4. Centius *de cenſibus part.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 2. *art.* 11. Duardus *de cenſib.* & alij. Ratio, quia ad conſtitutionem cenſus ſatis eſt, quod fundus ſit aptus producere fructus, ſiue natura, ſiue arte, & induſtria. Tum etiam, quia fundus, qui fructus ferre poteſt, dicitur natura ſua fructifer. Secundò, cenſus fundari non poteſt in re, quæ licet fructus ferre poſſit, tamen eos propter varia accidentia, & caſus fortuitos crebrò ferre non poteſt, ſed ſolum rarò, nimirum ad triennium. Ita Azorius 3 *part. lib.* 10. *de cenſibus cap.* 6. *quæſt.* 4. Virgineus *part.* 2. *de cenſibus num.* 87. Duard. *de cenſibus*, & alij. Ratio eſt, quia talis res habetur tanquam infructifera moraliter loquendo, & ideo cenſus non poteſt conſtitui ſuper domum, quæ non poteſt habitari ex eo, quod vexatur à Spiritibus, vel propter aeris intemperiem, vel propter hoſtium inuaſiones, aut propter bellum, &c. Si verò domus non habitetur, aut locetur ex iniuria, aut negligentia domini, tunc ſuper eam cenſus poteſt conſtitui, quia licet fructus actu non ferat, tamen eos ferre poteſt arte, & diligentia hominis.

An res dicatur infructifera, ſi duos, aut tres annos fructus non ferat?

BRACTEA XXV.

VIRGINIVS *de cenſib. part.* 2. *num.* 4. reſpondet cum diſtinctione, aut fructus non fert in modica, aut in magna quantitate, ſi fundus frugifer factus ſterilis adhuc producat fructus in modica quantitate, dicitur adhuc frugifer; Si verò totaliter deſinat producere fructus, dicitur ſterilis; Sed R. In fundo prius frugifero, qui poſteà caſu fortuito factus eſt ſterilis, ita vt non producat fructus, non poteſt conſtitui cenſus, ſi arte, & induſtria non poteſt fieri frugifer. Ita Virginius 3. *part. de cenſibus num.* 71. Molina *diſp.* 383. Azorius *loco cit. cap.* 6. *quæſt.* 7. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 411. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 88. Duardus *de cenſibus quæſt.* 44. *num.* 12. & alij. Ratio, quia fundamentum cenſus eſt, quod res ſit frugifera ſublato fundamento, quo ius nititur, corruit etiam ius ipſum. Vnde ſi quis aliquis fundus prius frugifer, qui poſteà inundatione alicuius fluminis factus eſt ſterilis, ſi ita factus ſit ſterilis, vt non amplius habeat potentiam ad producendos fructus naturales, non poteſt ſuper ipſum conſtitui cenſum; Si verò arte, & induſtria poteſt adiuuari, vt fructus producat, poteſt ſuper ipſum conſtitui cenſus cum fundamentum iuris non cenſeatur ſublatum. Secundò, res cenſui ſubiecta non cenſetur infructifera, ſi per duos, aut tres annos fructus non ferat. Ita Doctores citati. Ratio, quia poteſt adhuc ferre fructus arte, & induſtria, vnde ſi res cenſui ſubiugata non producat fructus conſuetos duobus, vel pluribus annis, vel propter grandinem, ſiccitatem & aliud ſimile accidens non dicitur infructifera, quia adhuc poteſt ferre fructus, & cenſus ſuper ipſam fundatur, perſeuerat, nec poteſt minui, & ſuper ipſum poſſe cõſtitui cenſum, ſi alius non ſit fundatus. Ita Auctores citati, Conradus *de contractibus quæſt.* 84. *concluſ.* 12. Medina *quæſt. vlt. de rebus per vſuram acquiſitis*. Tertiò, cenſum imponi poſſe ſuper rem frugiferã, quamuis actu fructus non afferat, qui ſufficiant ad ſoluendum cenſum, ſed tantum ſperetur fore, vt tot fructus ex ea percipiuntur, qui penſiones præteritas, & futuras exequent. Ita Valentia 2. 2. *diſp.* 5 *quæſt.* 22. Leſſius *loco cit. dub.* 12. *num.* 90. Molina *diſp.* 383. Salas *de vſuris dub.* 11. Em. Sà *verbo cenſus*, Nauar. *de vſur. num.* 117 & alij. Ratio, quia Cenſualiſta non emit fructus, ſed ius exigendi eos, qui aliquando ſolẽt eſſe vberiores, & aliquando pauciores; ergo non eſt opus, vt res cenſui ſubiecta ſingulis annis ferat fructus, aut fructus æquales, aut ſemper, quia ſequeretur non poſſe conſtitui cenſum, cum etiam fœcundiſſimæ res nullum aliquando fructuum ob iniuriam Cœli, vel incuriam Agricolarum, vel ob alium caſum fortuitũ.

An in conſtitutione cenſus habenda ſit ratio pretij, quo res ipſa æſtimatur, an fructuum, qui ſingulis annis percipiuntur?

BRACTEA XXVI.

R. IN conſtitutione cenſus non eſt habenda ratio pretij, quo res ipſa æſtimatur, ſed annuorum fructuum, quo res cenſui ſupponenda reddit, aut reddere poteſt. Ita Azorius 3. *part. lib.* 10 *cap.* 6. *quæſt.* 3. & alij. Ratio, quia in conſtitutione cenſus non emitur res cenſui ſubiecta, ſed ſolum ius exigendi penſionem ex fundo, & per conſequens habenda eſt ratio fructuum, & non valoris rei; & ideò cenſus conſtitui debet ad ratam fructuũ, non autem ad ratam valoris, quo res valet, quia ſi conſtitueretur ad ratam pretii, & non ad ratam fructuum, ſequeretur ſuper domum pretii aureorum duorum millium nummorum, ſi non reddat annuos redditus niſi ducentum, non poſſe ſuper eum conſtitui annuum cenſum nummorum 250. ita è conuerſo, ſi v. g. demus domum locari ſingulis centum nummos aureos, ſed eſſet pretii 2500. aureorum tantum, & ſuper eam conſtitueretur annus cenſus nummorũ aureorum centum, talis cenſus eſſet validus, quamuis domus vendita non tanti æſtimatur, quantum eſt pretium, quo venderetur dictus annuus cenſus aureorum centum, quia in conſtituendo cenſu habetur ratio fructuum, non autem æſtimationis valoris rei, vt v. g. ſi cenſus conſtitueretur in Palatio, quod æſtimatur decem mille aureis, ſed locari ſolum conſueuit ducentis nummis aureis, nam ſi haberetur ratio valoris Palatii, cenſus poteſt eſſe maior, quam ſint fructus, qui percipiuntur, hoc autem prohibetur fieri ex Bulla Pii Quinti, in qua decernitur cenſum conſtitui debere in re frugifera, res autem non cenſetur frugifera, quatenus reddit pauciores, aut minores fructus, quam ſit penſio. Azorius 3. *part. lib* 10 *cap.* 6. *quæſt.* 3. licet Conat. *lib.* 3. *var. cap.* 7. *num* 6. putet habendam eſſe rationem æſtimationis rei, non fructuum, qui ex ea percipi ſolent.

An

An cenſus poſsit conſtitui in alia re, quam in pecunia numerata?

BRACTEA XXVII.

R. Censvm non poſſe in alia re, quã in pecunia numerata conſtitui coram Notario, & Teſtibus iuxtà Bullam Pii Quinti. Ita Rebellus *part.2.lib.10.quæſt.1.num.21.* Molina *diſp.* 390. Salas *de cenſib.dub.*8. Centius *de cenſib. part. 2.cap.1.quæſt.1. art.* 5. Virginius 2. *part. de cenſib. num.*50. Duard. *de cenſibus*, & alii. Ratio, quia ex Bulla Pii Quinti prohibetur conſtitutio cenſus, niſi fiat in pecunia numerata coram Notario, & Teſtibus, aliæ res, ſeu merces non cenſentur pecunia numerata, & idcircò cenſus debet conſtitui in pecunia numerata, & non in aliis rebus.

Sciendum ad veram conſtitutionem cenſus non ſatis eſſe loco pecuniæ tradere argentum in maſſa, vel etiam vaſa argentea, & aurea, aut gemmæ, &c. quia non cenſentur pecunia numerata, licet pecunia æſtimentur, licet in aliis contractibus, v.g. in contractu emptionis, venditionis ſatis ſit, quod pretium ſit conſtitutum, & pecunia numerata conuentum, nec poſteà neceſſe eſt ſolui in pecunia, ſed ſolui poteſt in quacunque alia ſpecie dando merces totidem æſtimatas iuxtà pactum inter contrahentes factum, tamen in conſtitutione cenſus requiritur pecunia numerata ad euitandas fraudes, & ſimulationes, & alia commenta ficta, quæ aliquando fieri ſolent. Secũdò, ſi conſtitutio cenſus, non erit in pecunia numerata coram Notario, & Teſtibus, conſtitutio erit inualida, iuxtà conſtitutionem Pii Quinti. Ita Molina *diſp.* 390. Rebellus, & alii locis ſupra citatis. Ratio, quia talis conſtitutio cenſetur deficere in eſſentialibus; nimirum, quod non ſit in pecunia numerata coram Notario, & Teſtibus, quæ in extrauaganti Pii Quinti dantur pro forma ſubſtantiali, vnde contractus cẽſetur inualidus, niſi ipſa forma ſeruetur ad vnguem. An ſoluens pretium in pecunia numerata coram Notario, &c. & poſtea ex conuentione eam recipit, dicatur contrauenire extrauaganti Pii Quinti. Reſpondeo affirmatiuè iuxtà Bucae. *in ſuo tract. de cenſib. part.1.num.5. & 44. & part.3. num. 21. & 57.* Azorium 3. *part. lib.* 10. *cap.8. quæſt.1.* Centium *de cenſib. part.2. tom.1. quæſt. 1.art.7.* Filiucium *tom.2.part.2.tract.35. cap. 3. quæſt.2.* Ratio eſt, quia in contractu cenſus pro forma requiritur, vt numeratio pretii fiat coram Notario, &c. in ipſo actu celebrationis inſtrumenti, & quod pretium efficiatur venditoris. Centius *loc.cit.* quia ille contra legem facit, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem.

An cenſus poſsit conſtitui ex pecunia debita?

BRACTEA XXVIII.

R. Vbi conſtitutio Pii Quinti eſt recepta, non poteſt conſtitui ex pecunia debita, ſed debet conſtitui in pecunia numerata, &c. Ita Virgin. *part.2.de cenſib. num.5.* Rebell. *lib.* 10. *quæſt.* 6. *num.9.* Azorius *lib.* 10. *cap.8.* & alii. Secundò, in foro conſcientiæ in conſtitutione cenſus poſſunt includi debita vera, & realia. Ita Nauar. *de vſuris num.88. & 121.* Leſſius *lib.2.cap.22. dub.12.num.*80. Reginaldus *lib.25. num.*419. Lopez *lib. 1. de contractib.cap.* 59. Salon. *lib. 2. de contractib. diſput. de cenſib. artic.* 3. Tiraquel. *lib. 2. de retract.num.*137. Medina *in inſtruct. confeſſ.* §. 26, & alii. Ratio, quia diſpoſitio extrauagantis Pii Quinti fundatur in præſumptione iniuſtitiæ & fraudis, atque ideò præſumitur non conſtitui verè, ac integrè, & propterea ſi pecunia verè eſt debita, ceſſat omnis fraus, & iniuſtitia, idcirco validus erit contractus in foro conſcientiæ, etiam in terris, in quibus extrauagans eſt vſu recepta, quia lex fundata in præſumptione, non obligat in conſcientia, quando præſumptio veritati non eſt conformis, & contrarium eius, quod præſumitur, eſt coram Deo.

Sciendum duo requiri, vt in foro conſcientiæ debita poſſint includi in conſtitutione cenſus: Primò, vt ſint realia, & ex contractu iuſto: Secundò, vt non adſit dolus, aut fraus, quaſi ſi eſſent, contractus eſſet inualidus.

An qui mutuat alteri pecuniam numeratam coram Notario, &c. pacto, vt ſi ſibi non reddatur præfixo die, ex tunc cenſeatur ſibi venditus cenſus pro dicta pecunia ſuper tali fundo, ſit contractus validus?

BRACTEA XXIX.

R. Mvtvantem pecuniam numeratam coram Notario, & Teſtibus in ipſa celebratione inſtrumenti pacto, vt ſi ſibi non reſtituatur præfixo die ex tunc cenſeatur ſibi venditus cenſus pro dicta pecunia numerata ſuper tali fundo eſſe cõtractum validum etiam iuxta Bullam Pii Quinti. Ita Couar. *lib.3.var.reſolut.cap.4.num.* 6. Maſtril. *in addit. ad Petrum de Greger.* ſuprà Bullam Nicolai Quinti *de cenſib. quæſt. 5. num.* 176. Gomez *de cenſib. in 4. condit.* Gaſpar Rodriquez de annuo reditu *lib. 1. quæſt.* 13. *num.4.* & alii. Ratio, quia iſte contractus non deficit in conditionibus generalibus, nec etiam requiſitis per Bullam Pii Quinti, quia fuit facta numeratio pecuniæ coram Notario, & Teſtibus in celebratione inſtrumenti.

Sciendum, quod qui mutuat alteri pecuniam modo ſupradicto duos init contractus, contractum mutui, & etiam contractum cenſus, ſi non reddat præfixo die mutuum, qui contractus licitus eſt, & validus, licet numeratio pecuniæ primariò facta ſit in ordine ad mutuum, & ſecundariò in ordine ad emendum cenſum, licet Duardus *de cenſib. quæſt.* 7. & cum eo plures Auctores citati negatiuam teneant ſententiam innixi fundamento, cenſum debere conſtitui in pecunia numerata, &c. in actu celebrationis inſtrumenti, non autem in pecunia prius recepta, ideſt quod non fiat inſtrumentum de confeſſione per Notariorum de recepto integro, & iuſto pretio ex cauſa mutui, vel ex alio titulo ante confeſſionem inſtrumenti cenſus, ſed vt ſupra dictum fuit in iſto caſu, duo ineuntur contractus in pecunia numerata, vnus mutui, & alter cenſus, ſi non reddat mutuum præfixo die.

R. 2. Venditio cenſus facta ex pecunia debita contractu mutui ſimpliciter eſt inualida, & contra Bullã Pii Quinti. Ita Nauar. *in cap. ſi fœneraueris num.* 88. Leſſius *lib.22.cap.22.dub.12. num.* 80. Molina *diſp* 380. *num.* 2. Salonius *loco cit. contr.* 8. *num.*1. Em. Sà *verbo cenſus num.* 3. Pelinius *tom.3. de cenſib. lib.1.cap.*8. Bonſignanus *de cenſib. cap.5, num.5.* Conradus *in ſum.quæſt.* 239. & alii. Ratio, quia expreſsè contra Bullam eſt, & etiam contrà naturam contractus cenſualis, cum numeratio pecuniæ debeat eſſe in contractu celebrationis inſtrumenti, & non ante, vt patet ex verbis Bullæ Pii V, non autẽ prius recepto integro iuſtoque pretio.

pretio, & hoc ad euitandas fraudes, & ſimulatas ſolutiones inter contrahentes. Tum etiam, quia numeratio pecuniæ coram Notario, & Teſtibus requiritur in contractu cenſus tanquam forma ſubſtantialis ipſius contractus, qua deficiente inualidus eſt cõtractus, cenſus ex deciſione Rotæ Romanæ 103. & auctoritate Doctorum.

Sciendum 2. Numerationem pecuniæ ſufficienter probari ex fide Notarij atteſtãtis in inſtrumento vẽditionis cenſus numerationem pretij factam fuiſſe, quoniam probatio per inſtrumentum eſt euidens, at manifeſta, vt habetur ex Rota Romana *deciſ. 7. num. 1. & 2.* Multis autem modis probatur inſtrumento ſolutio pretij, &c. Primò, ſi Notarius in inſtrumento afferat venditorem cenſus habuiſſe tot ſcuta in pretium illius in præſentia ſua, & Teſtium. Secundò, ſi Notarius atteſtetur in inſtrumento, quod venditor cenſus recepit in contantis, & pecuniã ad ſe retraxit. Tertiò, ſi Notarius aſſeras emptorem dediſſe, & numeraſſe.

An conſtitutio cenſus dilata pretij ſolutione, ſit valida?

BRACTEA XXX.

R. Constitutionem cenſus dilata pretij ſolutionem iuxtà Bullam Pij Quinti eſſe inualidam. Ita Salon. *de cenſib. contr. 6. num. 1.* Felicius *tom. 1. de cenſib. lib. 2. cap. 8. num. 11. & 12.* Ratio ex Bulla Pij Quinti colligitur, quia cenſus debet conſtitui in pecunia numerata coram Notario, & Teſtibus in celebratione ipſius inſtrumenti, nec anteà, nec poſteà, & ſicut conſtitutio cenſus ex pecunia debita eſt inualida, ita ex pecunia credita, cum non ſeruetur forma ſubſtantialis, tum etiam, quia emptor nulla ratione habet ius percipiendi penſionẽ annuam, niſi ratione iuſti pretij collati, & per conſequens niſi pretium venditori conferat, iniuſtè ab eo penſionem exigeret.

Sciendum contractum cenſualem non eſſe obligationem in diem, ſed de præſenti, quia ab inſtanti celebrati contractus remanet obligatio conſtituentis cenſum ad ſoluendam penſionem annuam, & per cõſequens remanet etiam obligatus emptor cenſus, vt in actu celebrationis inſtrumenti, non autem poſteà pretium ſoluat. Secundò, in foro conſcientiæ conſtitutionem cenſus dilata ſolutione, ſeu credita pecunia eſſe inualidam. Ita Salonius *lib. 2. de contract. diſp. de cenſib. art. 3.* Nauar. *cap. ſi feneraueris num. 88.* Lopez *lib. 2. de contract. cap. 59.* Rebellus *lib. 10. quæſt. 1. num. 21.* Felicius *tom. 1. de cenſibus lib. 1. cap. 8. num. 1.* & alij. Ratio, quia vt ſupra dictum fuit emptor cenſus non habet alia ratione ius percipiendi penſionẽ annuam, niſi ratione iuſti pretii collati; ergo niſi pretium cenſus venditori conferat, iniquè ab eo penſiones annuas exigit, &c.

An confeſſio venditoris cenſus dicentis ſe recepiſſe pecuniam numeratam coram Notario, &c. ſufficiens ſit ad conſtituendum cenſum?

BRACTEA XXXI.

Scienum hoc tripliciter poſſe intelligi: primò de confeſſione iudiciali, qua venditor cenſus fatetur coram Iudice recepiſſe pretium ab emptore in pecunia numerata coram Notario, & teſtibus in actu celebrationis inſtrumenti, &c. Secundò, de confeſſione extraiudiciali, qua tractatur coram Teſtibus parte præſente de inſtrumento deperdito, aut de Notario, qui ex obliuione, & ignorantia non ſcripſit in inſtrumento realem pretii numerationem in pecunia numerata coram ſe; & Teſtibus in ipſo actu celebrationis inſtrumenti, &c. Tertiò, de confeſſione extraiudiciali coram Notario, & Teſtibus in ipſa celebratione inſtrumenti, ſeu conſtitutione cenſus. Quo poſito

R. Confeſſio venditoris cenſus, qua quolibet modo fatetur iudicialiter, aut extrà ſe recepiſſe pecuniã numeratam coram Notario, & Teſtibus non eſt ſufficiens ad conſtituendum cenſum iuxtà Bullam Pii V. Ita Centius *de cenſib. part. 2. cap. 1. quæſt. 2. art. 9. num. 27.* Felicius *tract. de cenſib. lib. 1. cap. 8. num. 15.* Rodriquez *de annuo redditu lib. 1. quæſt. 13. num. 4.* Bocatius *tract. de cenſib. part. 1. num. 46.* & alii. Ratio ex verbis Bullæ Pii Quinti conſtat, *non autem prius recepto integro iuſtoque pretio*; vnde non vult, quod cenſus conſtituatur ex confeſſione venditoris fatentis ſe recepiſſe pecuniam numeratam coram Notario, & Teſtibus ante celebrationem inſtrumenti, ſed vult ipſam numerari, & recipi in celebratione inſtrumenti; ergo, &c.

Sciendum 2. Per ſcripturam priuatam non poſſe probari conſtitutionem cenſus, etiamſi ſint libri Monaſteriorum, vel Collegiorum. Ita Couar. *practicar. quæſt. cap. 22.* Maſcard. *de probationib. concl. 543.* niſi in quibuſdam caſibus; primò, vbi ſcriptura ſit antiqua, & agatur de iure cenſus antiquo, quia tunc ſcriptura priuata ſemiplenè probaret. Secundò, vbi ſcriptura priuata cum autenticis ſcripturis in Archiuio publico fuerit reperta, & ab eo excepta; Tertiò, quando ſcriptura priuata coram Iudice fuerit recognita, & confeſſa; Quartò, quando tractatur de modico præiudicio; Quintò, ſi ſit conſuetudo in loco, vt priuatis Communitatum, aut Monaſteriorum ſcripturis fides adhibeatur. Duardus *de cenſib. quæſt. 18.*

In quo conſiſtat iuſtitia pretij cenſus?

BRACTEA XXXII.

R. Pretium iuſtum cenſus illud eſſe, quod vel lege Principis, ſiue Reipublicæ conſtitutum fuit, vel quod fuerit communi loci vſu receptum, dummodo non excedat decem pro centum. Ita Centius *de cenſib. part. 2. quæſt. 1. art. 5.* Rodriquez *lib. 1. de annuo redditu quæſt 6. num. 2.* Molſeſ. *part. 2. ſuæ ſum. tract. 12. cap. 6. num. 76.* Reginald. *lib. 25. num. 433.* Leſſius *lib. 2. cap. 22. dub. 12. num. 102.* & alii. Ratio, quia cum contractus cenſus ſit vera emptio, & venditio idem prorſus circa pretium determinandũ eſt, quod de pretiis aliarum rerum, quæ venduntur pretio naturali, aut legitimo, aut quando id non habent iuxtà communem vſum fori, qui in Prouincia obſeruatur, ita & de pretio cenſus ſeruandum eſſe legitimum, & naturale, & quando id non habent iuxtà communem vſum fori, qui in ea Prouincia ſeruatur in conſtitutione cenſus. Secundò, cenſus reſeruatiui pretium deducitur ex pretio rei datæ in cenſum, quod in rebus immobilibus deducitur ex cumulo fructuum annorum viginti. Vnde ſi fundus ſingulis annis, deductis expenſis, produceit fructus valoris decem aureorum, iuſtum pretium dicti fundi, erit ducentum aureorum. Ita Rodriquez in *ſuo tract. de annuo redditu quæſt. 16. num. 19.* Valaſc. *de iure emphiteutico quæſt. 11. num. 2.*

Sciendum omnes Doctores conuenire, penſiones

eſſe reſtituendas, ſi pretium cenſus lege Principis taxatum, vel vſu fori cum clauſula irritante contractum non ſeruetur. Ratio, quia contractus in ea parte eſt irritus; ergo nullus ſubeſt titulus, quo recipiatur ille exceſſus penſionum. Vnde, qui cenſum valentem centum, emit quinquaginta, debet reſtituere dimidiam penſionum partem: ſed eſt dubium quando lege, vel vſu fori nullum eſt pretium taxatum, vel cum clauſula irritante contractum; quidam putant pretium reſtituendum eſſe, alij verò negant, ſed teneri ſolum pretium ſuplere; & ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 15. & alij.

Quod nam ſit iuſtum pretium tam realis, quam perſonalis cenſus?

BRACTEA XXXIII.

Varias eſſe opiniones Doctorum, quidam dicunt poſſe taxari ad rationem vnius pro ſex, &c. alij aliter dicunt, nimirum iuſtum pretium cenſus realis irredimibilis illud eſſe, quod conſtituitur lege Principis, vel communi hominum æſtimatione, dummodo non excedat decem pro cẽtum. Ita Salas *dub.* 22. *de cenſib.* Bannez 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. Molina *diſp.* 387. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 4. & alij. Ratio, quia cenſetur iuſtum pretium cuiuſque contractus, quod lege, vel ſtatuto Principis, vel Reipublicæ taxatur, vel vbi lex illud non præſcribit, fuerit communi vſu fori receptum, ita etiam iuſtum pretium cenſus eſt, quod ſingulis Prouinciis lex Superiorum conſtituit, vel communi vſu in eo loco obſeruatur.

Quod ſit iuſtum pretium cenſus vitalitij.

BRACTEA XXXIV.

Covarvvias 3. *var. cap.* 7. *num.* 7. exiſtimat poſſe taxari ad rationem vnius pro ſex, Garzias *de cenſib. num.* 9. regulariter taxari ad vnum pro ſeptem, alij ad rationem vnius pro decem. Sed

R. cum Molina *diſp.* 388 pretium taxandum eſſe, attendendo ad vltimum terminum, ad quem poteſt peruenire moraliter vita eius, in qua fundatur cenſus, & ſumendo medietatem illorum annorum, ita vt pretium cenſus adæquet penſiones totius medietatis illorum annorum; ſic enim ſeruatur æqualitas, & vterque contrahens æqualem ſubit ſortem lucrandi, & perdendi, cum fieri poſſit, vt Cenſualiſta non perueniat ad illam medietatem, & quod illam excedat: quarę ſi tradens centum nummos aureos ad cõſtituendum cenſum ſit quadraginta annorum, & moraliter poſſit peruenire ad ſexaginta annos, poterit exigere decem pro ſingulis annis, nam attento vltimo termino, ad quem moraliter, & naturaliter poteſt peruenire, & ſumpta medietate illius temporis decem reſpondent ſingulis annis manente periculo, & ſpe apud vtrumque contrahentem, lucrandi, & perdendi; & ſic æqua eſt contrahentium conditio.

In cenſu conſignatiuo, vnde deſumatur iuſtitia pretij?

BRACTEA XXXV.

R. In cenſu conſignatiuo iuſtitia pretii deſumitur ex proportione rerum frugiferarum, vt tanti valeat cenſus, quanti valeat fundus ipſius, deductis expenſis, & conſideratis circunſtantiis neceſſariis, & conſuetudine Prouinciæ, quo conſtituitur, & hinc eſt, vt pretia cenſus pro varietate temporum, & Prouinciarum ſint varia.

Sciendum varias eſſe opiniones de iuſto pretio cenſus conſignatiui; Couaru. *loco cit.* docet iuſtum pretium eſſe ad rationem viginti pro vno *cap.* 9. *num.* 5. hoc fundamento nixus, quod iure communi iuſtum pretium fundi ſit, quantum deductis expenſis fructus illius viginti annorum exiſtimabuntur, iuxtà quæ habentur in *gloſſ. in autent. perpetua*, Angel. Fulgoſ. Paul. de Caſtro *Cod. de Sacroſanct. Eccleſijs*; & facit textus in autentica *de alien.* §. *ſi alicuius*, vbi res Eccleſiæ dantur in emphiteutim pro penſione, quæ ſpatio viginti annorum facit æſtimationem ipſius rei; alii verò iuſtum pretium dicti cenſus eſſe quantum aſcẽdit cumulus penſionum duodecim annorum per textum *et ſi quis argentum* §. *ſi autem donator, Cod. de donat.* Alii, ſi reddantur viginti quinque pro vno, alii etiam triginta ex Couar. *loco cit. cap.* 9. & ex aliis Doctoribus *tract. de cenſibus.*

R. Cenſum conſignatiuum perpetuum, & irredimibilem maiori pretio emi, quam temporaneus, & redimibilis. Ita Centius *de cenſibus part.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 4. *num.* 13. Salonius *de cenſib. contr.* 2. Molfeſ. *part.* 2. *ſum. tract.* 12. *cap.* 6. & alii. Ratio, quia cenſus perpetuus, & irredimibilis pluris æſtimatur, quam temporaneus, & redimibilis.

Sciendum 2. Pretium cenſus non debere æquare penſionem. Ratio eſt, quia non emuntur penſiones ſoluendæ certis temporibus, ſed ius ad exigendam penſionem, conſequenter pretium debet eſſe æquale iuri exigendæ certæ penſionis, non cum penſionibus ſoluendis. Tum, quia nunquam poſſet totum pretium aſſignari, cum non conſtet quot penſiones ſoluendæ ſint; tum etiam, quia nunquam poſſet emi cenſus perpetuus. Reginaldus *lib.* 25. *nu.* 492. Medina *de acquiſit. per vſuram quæſt.* 12. Valentia 2. 2. *quæſt.* 22. *pun.* 5.

An emptio cenſus irredimibilis minori pretio, quam ſint penſiones ſperatæ, ſit licita?

BRACTEA XXXVI.

Emptionem cenſus realis perpetui, & irredimibilis minore pretio, quam ſint penſiones ſperatæ, licitam eſſe, & iuſtam. Ita Ioannes Medina *quæſt.* 12. & 15. *de vſura*, Couar. *lib.* 3. *var. reſolut. cap.* 7. Sotus *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 2. & alii. Ratio, quia ſicut conſuetudine minoris poteſt emi, quam ſit pretiũ definitũ in cenſu, qui de nouo creatur; ergo idẽ dicendum eſt de pretio cenſus iam conſtituti, cum militet eadem ratio, quod conſuetudine mutui poſſit in cenſu, quod de nouo creatur pretium à lege taxatum probat Felicius *de cenſibus cap.* 1. *num.* 48. Secundò, quod ſi cenſus non habet pretium à lege præſcriptum, vel communi hominum æſtimatione, tum poteſt minoris emi, quam ab initio fuerit creatus. Ratio eſt, quia pretium naturale non conſiſtit in indiuiſibili,

diuiſibili, nam merces vltroneæ venditæ, vel cum exiſtit illarum, ac venditorum copia viteſcunt, ſicut redduntur etiam chariores, quando exiſtit illarum pecunia, & emptorum abundantia. Tertiò, quod contractus cenſus, qui cum hoc pacto fit, vt tanti redimatur, quanti valuerit tempore redemptionis, eſt licitus. Ratio, quia vtriuſque conditio incerta relinquitur. Quartò, cenſum litigioſum poſſe vilius emi, ac vendi, quia factus eſt litigioſus, ac difficilis, aut quia alicui periculo expoſitus eſt. Ratio, quia talis euentus per epicheiam videtur excipiendus, quia ſi Pontifex de hoc fuiſſet interrogatus, an eum compræhendere ea conſtitutione intenderet, negaret reſponderet. Ita Molina *diſp.* 392. Vltimò, non ſolum cenſum realem, ſed etiam irredimibilem, & perſonalem emptum minori pretio, quam ſit penſiones ſperatæ, licitum eſſe. Ratio eſt, quia cum id licitum ſit in cenſu reali, ita etiam erit licitum in cenſu perſonali. Licitum etiam eſſe minori pretio emere cenſum, quam alioquin valeat, quoties Cenſuarius aliqua onera imponit emptori; nam onera ſunt pretio æſtimabilia, conſequenter compenſari debent iuſta diminutione pretii, vel augmento penſionis.

An cenſus creatus minori pretio, quam à lege taxatum fuit, ſit nullus?

BRACTEA XXXVII.

R. CENSVM emptum minori pretio, quam ſit à lege taxatum, non eſſe inualidum quoad totum, ſed ſolum quoad exceſſum pretii à lege definiti, vel vſu fori accepti, & illius eſt obligatio reſtituendi. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 15. *num.* 105. Salas *de cenſibus dub* 23. *num.* 4. Rodriquez *de annuo redditu quæſt.* 7. *num.* 8. Gomez *de cenſib. concluſ.* 3. *num.* 10. Ludouic. Auenda de cenſib. Hyſpan. *cap.* 36. *num.* 14. & alii. Ratio, quia vtile per inutile non viciatur, quando ab inuicem ſeparari poſſunt, & per cõſequens cenſus emptus minori pretio, quam ſit à lege, vel vſu fori taxatum, non eſt inualidus, quoad totum, ſed ſolum quoad exceſſum, cum exceſſus poſſit ſeparari à pretio legali, vel vſu fori recepto.

Sciendum dubium huius aſſertionis in hoc conſiſtere, an valeat emptio cenſus valentis v. g. mille libras pro quingentis libris. Ad quod reſpondeo valere ob rationem allatam, & non in totum vitiari, ſed ſolum quoad exceſſum, & reducendum eſſe ad legitimam pretii quantitatem, & eſſe obligationem reſtituendi penſiones acceptas, quæ excedunt pretium, cum cenſus, quoad exceſſum cenſeatur irritus. Vnde, qui cenſum mille librarum emit quingentis, dimidiam partem penſionis tenetur reſtituere, cum contractus ſit irritus, quoad exceſſum, licet alteram dimidiam partem poſſit retinere, cum reſpectu dimidiæ partis cenſus pretium ſit iuſtum. Ita Mantica *de tacita, & ambigua conuentione lib.* 4. *tit.* 22. *num.* 8.

An venditio cenſus cum pacto retrouenditionis infra pretium à lege taxatum, ſit licita?

BRACTEA XXXVIII.

R. CENSVS venditionem cum pacto retrouenditionis, minori pretio debet vendi, quam ſi abſolutè venderetur, & quam ſit pretium lege taxatum. Ita Madius *tract. cenſuali* §. 23. & alii. Ratio, quia ſicut in contractu venditionis cum onere retrouenditionis diminuitur pretium, & poteſt res minori pretio emi tertia, aut quarta parte, quam valeret, ſi liberè, & abſolutè emeretur, ita habenda eſt ratio in contractu cenſus, qui emitur cum onere retrouenditionis; & ideò minoris valere, quam ſi abſolutè venderetur.

Sciendum dubium eſſe, an propter modicitatem iuſti pretii cum pacto de retrouendendo contractus, cenſus ſit vſurarius. Duard. *de cenſibus quæſt.* 26. §. 2. dicit, quod quando in contractu adeſt magnus defectus in pretio, in foro ſaltem exteriori eum præſumi vſurarium. Ratio, quia quando nimia excedit, tria adſunt, quæ illum vſurarium præſumi faciunt, nempè modicitas pretii, pactum de retrouendendo, & annui redditus, quæ ſuſpicionem maximam vſuræ inducunt, vt habetur per Couar. *lib.* 3. *var. cap.* 10. *num.* 2. Rodriquez *quæſt.* 7. *de annuo redditu num.* 12. Sed ego arbitror attendendum eſſe contrahentium animum, ſi verè fuit emendi, & vendendi. Quod ſi adſit talis animus, contractus quidem eſt iniuſtus, ſed non vſurarius; Si verò non ſit intentio emendi, & vendendi, ſed mutuandi, tunc cenſetur vſurarius.

An anticipata ſolutio penſionum poſſit deduci in pactum.

BRACTEA XXXIX.

R. ANTICIPATAM ſolutionem non poſſe deduci in pactum. Ratio eſt, quia ſi deduceretur, imponeretur Cenſuario grauamen. Tum etiam, quia cum illa obligatio anticipandæ ſolutionis ſit pretio æſtimabilis, venditor cenſus plus ſolueret, quam valeat cenſus, quia ſoluit penſionem, & obligationem illam anticipandi eam. Vnde emptor dum pretium ſoluit, non poteſt ex eo detrahere penſionem primi ſemeſtris, per modum anticipatæ ſolutionis, aut elapſa parte temporis exigere amplius, quam penſionem illi parti reſpondentem. Secundò, iure naturæ, Diuino, & humano non eſſe licitum percipere penſiones ex pacto anticipato. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 81. Salonius *de cenſib. art.* 3. *contr.* 12. Megala 2. 2. Cenrius *de cenſibus part.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 3. *art.* 2. *num.* 6. & alii. Ratio, quia ius naturale dictat non eſſe ſoluendum id, quod non eſt debitum, anticipatè nihil debetur, cum nondum adſit debitum; tum etiam, quia anticipatæ ſolutiones tendunt ad diminutionem capitalis pretii cenſus, quod eſt contra iuſtitiam, quia tantò minus pretii percipit creditor, quantò plus ante tempus ſoluit. Nam ſicut poſt præfinitum tempus ſoluens dicitur minus debito ſoluere, vt in *leg. ſolidum ff. de ſolut.* ita etiam plus dat, qui ante tempus dat. Tum etiam, quia in contractu cenſuali venditur ius percipiendi penſiones annuas ex rei ſuppoſitæ fructibus, & emolumentis annuis, & propterea ſicut cum natura pugnat colligere fructus, antequam à re ipſa producantur, ita quoque contra naturam erit percipere penſiones dictorum fructuum ante tempus ad illas reddendas neceſſarium. Tertiò, anticipatas ſolutiones, quæ ſpontaneè, & ex conſenſu liberè fiunt, non eſſe contra Bullam, & per conſequens licitè poſſe fieri. Ita Salas *tract. de cenſib. dub.* 9. Molina *diſp.* 390. Rebellus *lib.* 10. *quæſt.* 6. *num.* 9. Azorius *cap.* 7. *quæſt.* 2. Salonius *de cenſib. art.* 3. *contr.* 12. & alii. Ratio, quia in Bulla ſolum prohibentur ne anticipatæ ſolutiones deducantur in pactum.

Sciendum anticipatas ſolutiones tripliciter poſſe

fieri:

poſſe fieri: Primò, liberè: Secundò, fraude, & dolo: Tertiò, ex pacto; ſi liberè fiant eas, accipiens non peccat, nec obligatur ad reſtitutionem, nec ad aliquod intereſſe ratione anticipatæ ſolutionis; ſi fraude, & dolo, nimirum ex aliquo pacto paleato recipiens peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem; ſi tertio modo, recipiens peccat etiam mortaliter, & obligatur etiam ad reſtitutionem, & ad intereſſe, quod dans patitur ratione anticipatæ ſolutionis.

An poſſit apponi pactum ne venditor cenſus obligetur ad caſus fortuitos?

BRACTEA XL.

R. Nullo modo licitè in contractu cenſus poteſt apponi pactum, vt venditor cenſus obligetur ad caſus fortuitos, ſiue ad alia onera, ad quæ ex natura contractus non tenetur. Ita omnes Doctores. Ratio, quia expreſsè prohibetur in Bulla; tum quia imponeretur onus venditori.

Sciendum, quod venditor cenſus obligetur ad caſus fortuitos nullo modo poteſt apponi, etiamſi tale pactum compenſetur pecunia, cum tale pactum ſit contra naturam, & formam cenſus, vt percipiantur penſiones ſine fundo. Vnde ſi res cenſui ſubiugata pereat in totum, vel in partem, aut ſi ratione fructuū fiat ſterilis, ita etiam ius exigendi fructus perit in totum, vel in partem, nec ius exigendi ex illo fundo in alium transferri poſſe, cum diuerſum ſit habere hypothecam, & ius exigendi, quoniam pereunte re, in qua eſt hypotheca, adhuc remanet obligatio perſonalis, ſed re pereunte, vbi eſt ius exigendi, perit etiam ipſum ius, nec remanet obligatio perſonalis, niſi aliter fuerit conuentum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 5. *num.* 35. & alij. Tum etiam, quia contractus cenſus eſt venditio penſionis ſoluendæ ex fructibus certæ cuiuſdam rei, quapropter ſi non ſunt fructus, non erit penſio ſoluenda. Tum etiam, quia cenſus ſuper rem immobilem creatus habet ſe reſpectu illius, ſicut accidens reſpectu ſui ſubiecti: at accidens huiuſmodi eſt naturæ, vt corrupto ſuo ſubiecto totaliter, ipſum quoque totaliter corrumpatur, & corrupto pro parte, pro ea etiam parte corrumpatur; ergo pari ratione extincta totaliter re cenſui ſuppoſita totaliter debet extingui, & cenſus, & extincta pro parte, pro parte etiam cenſus debet perire.

21 Sciendum, quod ſi conſtituto cenſu ſuper aliqua re particulari adijciatur poſteà hypotheca generalis, vel obligatio perſonalis non ex hoc re perempta particulari ſaluatur cenſus, cum non poſſit ſubſiſtere ſuper rebus generaliter obligatis, ſed ſolum ſuper re particulari, & certis finibus deſignata. Vnde illa obligatio generalis, aut perſonalis ſeruit ſolum pro maiori ſecuritate penſionum annuarum. Verum re illa particulari extincta, ſuper quam fundatur cenſus, extinguitur etiam cenſus, & non remanet in perſona Cenſuarij, nec ſuper bonis generaliter hypothecatis obligatio ſoluendi penſionem. Azorius *lib.* 10. *de cenſibus cap.* 5. *quæſt.* 2. & alii. Secundò, non ſolum vi extrauagantis Pii Quinti, ſed etiam de ſubſtantia, & ratione cenſus conſignatiui eſt, vt res cenſui ſubiugata perempta, pereat etiam cenſus, etiam ſi rei cenſitæ adiiciatur obligatio perſonalis. Ratio primæ partis eſt, quia contractus cenſus eſt emptio iuris exigendi penſionem è fundo aliquo; cum autem res empta poſt contractum ſi pereat, vel deterior fiat non venditori, ſed emptori perit, aut deteriorem fiet, conſequens eſt etiam, quod ſi res cenſita pereat cenſus etiam emptori pereat, & per conſequens ius etiam exigendi penſionem. Ratio ſecundæ partis eſt, quia obligatio perſonalis adijcitur rei cenſitæ, dumtaxat pro ſoluendis annuis penſionibus, & vt ſic non ſubiicitur perſona cum ipſa re, aut ita adiicitur rei, vt ipſa perſona Cenſuarii remaneat obligata cū ipſa re, ita vt re perempta remaneat in perſona ipſa obligata: priori modo re extincta extinguitur etiam Cenſus, quia obligatio perſonalis fuit tantum addita in ſecuritatem penſionis annuæ debitæ pro cenſu. Secundo modo ſuppoſito, quod cenſus ſit ſolum realis, & non mixtus perempta re extinguitur etiam cenſus, cum obligatio perſonalis non ſit adiecta in ſecuritatem cenſus, ſed ſolum in ſecuritatem penſionis, ſicut etiam deſeruit pro maiori ſecuritate ſolutionis annuarum penſionum obligatio omnium bonorum generaliter adiecta.

An ſi res cenſita ſit pro parte perempta, ſed altera pars ſit ſufficiens ad ſolutionem totius cenſus totus debeatur?

BRACTEA XLI.

R. Perempta parte rei cenſitæ ſi altera pars, quę remanet ſit ſufficiens ad ſolutionem totius penſionis tota debet ſolui. Ita Gentius *de cenſibus part.* 3. *cap.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 2. *num.* 3. & alii. Ratio, quia cenſus cenſetur fundatus ſuper rem, & non ſuper partem ipſius rei, & prætereà donec ſuperſit tanta rei pars, cuius fructus ſint ſufficientes ad ſolutionem penſionis non poteſt dici res ipſa perempta, quoad cenſum in totum, vel in partem, cum pars, quæ remanet ſit ſufficiens ad ſolutionem integri cenſus.

An diruta domo cenſui ſubiugata, & poſteà reædificata cenſus debeatur?

BRACTEA XLII.

R. Quando domus in totum fuit deſtructa, & poſteà reædificata, cenſus non amplius debetur; ſecus autem ſi per partes ſolum fuit deſtructa, & poſteà per partes reædificata. Ita Nauar. *in cap. ſi feneraueris nu.* 118 Molina *diſp.* 398. Azorius *lib.* 10. *cap.* 16. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. Salas *dub.* 11. *num.* 3. *& dub.* 16. Ratio eſt, quia diuerſæ ſunt domus, & prior omninò perit, & cenſus non fuit fundatus in reædificata, ſed ſuper priorem, & per conſequens ea deſtructa, deſtruitur etiam cenſus.

Sciendum, quod licet domus deſtructa reædificetur, cenſus tamen non reuiuiſcit, cum ædificium nouum non aſſumat qualitates, & obligationes veteris ædificij, ſicuti Eccleſia in totum deſtructa, quæ licet ædificetur, tamen non habet priora priuilegia, quæ ante habebat, niſi denuò ei concedantur, ita domus etiamſi reædificetur ex materia prioris dirutæ non aſſumit qualitates, & obligationes veteris domus, quia ſemper cenſetur alia domus, etiamſi fuerit reædificata in ſolo, & in fundamentis prioris, quia formaliter ſemper deſtinguitur à priori, licet materialiter ſit eadem. Secundò nec etiam deberi cenſum ſi domus caſu fortuito, vel culpa, & opera ipſius domini deſtruatur, & denuò reædificetur, quoniam domus, quæ reædificatur non eſt illa domus ſuper quā impoſitus fuit cenſus, ſed altera, & cenſus non fuit

impoſitus

impoſitus in nona, ſed in priori. Ita Cenſius *de cenſibus part 3. cap. 1. quæſt. 1. art. 3.* & alii. Verum tamen eſt, quod ſi domus fuit diruta culpa, vel facto ipſius domini, tunc licet non debeatur cenſus, quia iam fuit extinctus, nihilominus emptori eius debetur Pretii reſtitutio cum intereſſe.

An ſi Molendinum ſuper quod eſt cenſus opera domini deſtruatur ex eo, quod aqua mutauit curſum, & in alio loco conſtruatur, cenſus etiam transfeatur?

BRACTEA XLIII.

RSi Molendinum deſtruatur ex eo, quod aqua mutauit curſum, vel ex alio accidenti cenſus ſuper eum fundatus non transfertur, ſed extinguitur. Ita auctores citati, Reginaldus *lib. 25. num. 420.* Madius *tract. de cenſibus* §. 21. & alii. Ratio eadem vt ſupra, quia cenſus non fuit fundatus ſupra nouum Molendinum, ſed ſupra id, quod ob mutationem curſus aquę fuit deſtructum. Vnde licet data opera dominus deſtruat Molendinum ſuper quod fundatus eſt cenſus, & ex eadem materia aliud ædificetur, & eò transferatur moles, arbores ligna fiſtula, & cętera materialia, non tamen transferri ius cenſus, ſed extingui, cum cenſus non ſit ſuper his fundatus, ſed ſupra Molendinum. Quod ſi dicatur ſubrogatum ſapit naturam eius in cuius locum ſubrogatur, *leg. quia tanto leg. aliud, §. fin. ff. de reg. iuris,* quoniam regula prędicta non vendicat ſibi locum in rebus diuerſæ qualitatis, nam in his non datur ſubrogatio: at domus cenſuata diruta, ſiue Molendinum deſtructum, & denuò reædificatum non ſunt eiuſdem qualitatis cum priori, quoniam primum habebat qualitatem cenſualem, quæ domo diruta fuit extincta, poſterius dictam qualitatem non habet: vnde in locum ipſius non ſubrogari. Verum quia non ex inopinato accidenti, ſed data opera domini deſtruitur, vt aliud meliori loco ædificetur, obligati ad reſtitutionem pretii, aut ius cenſus in illo, vel alio loco transferri. Ratio, quia cum ſit factum proprium non debet illi ſuffragari, nec tertiæ perſonæ afferre damnum.

An ſi res cenſui ſubiugata infrugifera reddatur cenſus extinguatur?

BRACTEA XLIV.

RCensvs extinguitur ſi res cenſui ſuppoſita reddatur infructifera ad multos annos caſu fortuito. Secus autem ſi per duos, vel tres annos, &c. Ratio colligitur ex extrauaganti Pii Quinti, tum etiam, quia cum non producat fructus, ius colligendi deſinit.

Sciendum cenſum extingui ad ratam extinctionis rei ſuper quam fundatus eſt: ita ſi in totum res pereat, vel ſterilis reddatur, etiam cenſus extinguitur in totum; ſi verò ex parte res pereat, aut ſterilis reddatur, ita ut non poſſit ferre ſufficientes fructus ad ſoluendam penſionem, ita etiam cenſus perit. Verum ſi pars, quæ remanet ſit ſufficiens ad ſoluendam totam penſionem cenſus, tunc debetur integer cenſus, iuxta id, quod dictum fuit ſupra. Secundò ſi culpa venditoris cenſus res ſit infrugifera non tenetur ſoluere penſionem, licet obligetur reddere pretium, & intereſſe, & reſarcire damnum, quod cenſuarius patitur, ſed ſi ſterilitas non erit perpetua, ſed temporanea ad paucos annos, v. g. ad duos, vel tres, &c. in illo caſu non extinguitur, ſiue contingat caſu fortuito ſiue culpa cenſuarii, quoniam res cenſetur fructifera, licet per paucos annos deſinat ferre fructus ſolitos; ſi verò erit perpetua, ita vt cenſeatur ablata ſpes ferendi fructus tunc non amplius tenetur ſoluere penſionem; verumtamen eſt, quod ſi res cenſuata reddita omninò infructuola, ſi reddatur deinde fructuoſa in totum, vel pro parte, non poteſt dici eadem res, non propterea cenſus ſemel extinctus reuiuiſcit. Vnde fundus qui per inundationem aquarum factus eſt ſterilis, ſi deinde per ſiccitatem temporis, vel ex noua terra mediātibus aquis eò allata reddatur fructifer, cenſus extinctus non reuiuiſcit, quia talis fundus non dicitur idem, ſed eſt nouus fundus, vt fuit reſolutum per Rotam Romanam in vna Rauennatenſi 24. Iulij 1621. coram R.P.D. Mancanedo.

An ſi res cenſui ſubiugata pluribus diuidatur, vel pluribus vendatur, poſſit emptor cenſus à ſingulis totam penſionem exigere?

BRACTEA XLV.

RSi res, quæ pluribus relinquitur diuiſionem non patitur poſſe emptorem a ſingulis ſucceſſiuè totam penſionem exigere. Ita Virginius *de cenſibus art. 3. num. 32. & 33.* & alij. Ratio, quia quilibet tunc cenſetur in ſolidum obligatus ſi verò res cenſui ſubiugata patitur diuiſionem ad ratam hæredum poſſe emptorem cenſus exigere penſionem. Ita Virginius *loco citato,* & alij. Ratio eſt, quia res tranſit ad hæredes cum ſuo onere, & per conſequens cum rata obligationis debitæ ad emptorem cenſus. Vnde ſi res ſuper quam fundatus eſt cenſus pluribus hæredibus relinquatur, vel pluribus etiam vendatur, ſi res ſit diuiſa non poteſt integram penſionem ab vno exigere, quia cum emptio cenſus ſit emptio iuris exigendi fructus ex re, cum res ſit diuiſa fructus ipſius rei cenſentur diuiſi per proportionem ad partes, & per conſequens emptio iuris etiam diuiſa. Ita Virginius *loco cit.* Quando verò res vendita, vel relicta hæredibus diuiſionem non patitur quilibet emptorum, vel hæredum creditori in ſolidum obligatur.

An pactum poſſit apponi in cenſu, quod ſi emptor cenſus non ſoluat penſionem res cadat in commiſſum?

BRACTEA XLVI.

RPactvm, quod in cenſu conſignatiuo apponitur, quod ſi emptor cenſus per biennium, aut triennium non ſoluerit penſionem res cenſui ſubiugata cadat in commiſſum licitè non poſſe apponi, quia repugnat conſtitutioni Pij Quinti, quæ prohibet fieri pacta, quibus venditor cenſus incidat in pęnam commiſſi ob moram ſolutionis. Tum etiam, quia quocunque iure pena debet eſſe moderata, & proportionata culpę: talis autem pęna cenſua non eſt ſic. Ita ſentire videtur Toletus *lib. 5. cap.* 48.

48. *num.1.* Nauar. *comment. de vſuris num.* 93. & 94. Azorius 3. *par. lib.3.cap.13.queſit* 6. Virginius 1. *part. de cenſib. num.* 60. & alij. In cenſu reſeruatiuo tale pactum poteſt apponi, cum poſſit apponi in alijs cõtractibus præcipuè in contractu emphyteuſis, tam Eccleſiaſtici, quam Laici.

Sciendum tum, vt dictum eſt ſupra, duplex ſit contractus cenſus vnus reſeruatiuus, quo quis alteri tradit rem, quoad dominium directum, & vtile reſeruata ſibi penſione annua, alter conſignatiuus, quo quis alteri vendit ius percipiendi annuam penſionem ſuper rebus ſuis, in cenſu reſeruatiuo poſſe apponi pactum, quod res cenſui ſubiugata cadat in commiſſum ſi emptor per biennium, aut triennium, &c. non ſoluerit penſionem, cum etiam apponatur in contractu emphyteuſis, in contractu cenſus conſignatiui non poteſt apponi, quoniam pęna eſſet nimis exceſſiua, & ſicut in pignoribus talis pęna eſt prohibita. *cap. ſignificante de pignoribus*, ita etiamſi apponeretur in cenſu conſignatiuo, iniuſtè apponeretur.

An pactum poſſit apponi in conſtitutione cenſus quod ſi debitor ſit in mora ſoluendi obligetur ad lucrum ceſſans, &c.

BRACTEA XLVII.

R. Attento iure naturali, & Diuino poſſe venditorem cum emptore paciſci, vt ſi fuerit in mora ad ſoluendum, obligetur ad damnum emergens, & lucrum ceſſans. Caiet. 1.2. *qu.78.art.2.* At ſecundum conſtitutionem Pii Quinti nullo modo poſſe apponi, licet poſſit in iudicio conueniri, & cogi non modo ad ſoluendam penſionem, verum etiã ad damnum emergens, ſeu lucrum ceſſans. Vnde Summus Pontifex prohibet tale pactum ob fraudem vſurariam, licet poſſit à Iudice peti tanquam debitum.

Sciendum, quod licet in conſtitutione Pii Quinti non fiat mentio, niſi lucri ceſſantis, tamen debitor tenetur tam iure Diuino, quam humano, quia eſt in mora ſoluendi non modo ad lucrum ceſſans, ſed etiã ad damnum emergens quantum prudentis iudicio taxaretur, cum Summus Pontifex non prohibeat exigere, quod licitè poteſt exigi, ſed ſolum quod illicitè, & cum pacto; & per conſequens cum labe vſuræ, Nauar. *loco cit. num.*83. Molina *diſp.*390. Em. Sà *verbo cenſus* Salas *dub.*11. & alij. Secundò, pactum quo venditor cenſus obligat debitorem moroſum ad aliquam pęnam eſſe illicitum, & iniuſtum, cum prohibeatur in conſtitutione Pij Quinti. Vnde ſi aliquid fuerit exactum vi talis pacti obligatur ad reſtitutionem, cum iniuſtè fuerit acceptum, licet iure naturæ, & iure communi ſcripti tale pactum non ſit illicitum, cum pacta, & conuentiones, quæ ex communi contrahentium conſenſu fiunt in contractibus iuri naturæ, & communi minimè repugnent; idcircò in conſcientia ſeruari debent, ſed Summus Pontifex non vult deduci in pactum in contractu cenſuario, vt tollatur occaſio damni, & iniurię, qua opprimebantur cenſuarij non ſoluentes termino pręfixo.

An ſi pactum apponatur in contractu cenſus, quod ſi cenſuarius per biennium non ſoluerit penſionem, contractus reſoluatur, & Cenſuarius reſtituat pretium ſit licitum?

BRACTEA XLVIII.

R. Illicitum eſſe iuxta conſtitutionem Pij V. in locis, vbi conſtitutio eiuſdem fuit acceptata: iuxta verò ius naturę, & ius commune ſcriptum non eſſe illicitum, cum per biennium debitor ſua culpa non ſoluerit penſionem, repetatur ex pacto ab eo pretium, quod ab initio accepit, & ad id ſe ſponte dominus cenſus obligauit. Leſſius *lib.2.de iuſtit.cap.22.dub.*11. Medina *quæſt.*15. *de vſuris*. Secundò, pactum in cenſu, vt ſi debitor rem cenſualem vendiderit, teneatur eo ipſo cenſum extinguere eſſe illicitum, cum manifeſtè repugnet conſtitutioni Pii Quinti, vbi decernitur, vt venditor cenſus liberam habeat facultatem vendendi, & alienandi rem cenſui ſubiunctam. Nauar. *comment. de vſuris nu.*115. Virginius *de cenſib. part.2.num.*54.

An pactum de non redimendo cenſum per partes ſit licitum?

BRACTEA XLIX.

R. In contractu cenſus licitè poteſt apponi pactum, vt cenſus non redimatur per partes, ſed in totum. Ita Rebellus *quæſt. vlt. de cenſib. num.*3. Leſſius *lib.2.cap.22.dub.11.num.*73. Toletus *lib 5.cap.45.num.*4. Em. Sà *verbo cenſus num.*2. Molina *diſp* 393. Azorius 3. *part. lib.10.cap.17.qu.*3. Salas *dub.*30. *num.*2. Garzias *de contract. lib. cap.*38. *num.*16. Rodriqu. 1. *part. cap.*45.4. & alij. Ratio eſt, quia cenſitor damnum pateretur, recuperando per partes, quod ſimul dedit. Tum etiam, quia contractus cenſus eſt vera emptio, & venditio; vt non repugnat naturę emptionis, & venditionis, vt res quę emitur cum pacto retrouendendi non poſſit aliter redimi, niſi in totum, & non per partes. Et ita Leſſius *loco cit.* Secundò poſſe apponi pactum, vt ſi venditor cenſus velit illum redimere, redimat pretio, quo tunc ęſtimabitur. Ratio, quia in cenſu emitur ius exigẽdi fructus ex ſolo alieno, quod aliquando poteſt pluris valere, aliquando minoris. Vnde, & ſi regulariter non ſuperueniente cauſa aliqua extrinſeca, quę ſit ratio augmenti pretii ſit redimendum eodem pretio, quo fuit venditum à principio tamen concurrentibus iuſtis cauſis poteſt aliquando maiori, vel minori pretio vendi, & per conſequens pactum appoſitum de redimendo ipſum pretio, quo tunc ęſtimabitur iudicio prudentis viri, erit licitum.

An pactum poſſit apponi, quod quando Cenſuarius voluerit redimere cenſum, non redimat, niſi eadem moneta?

BRACTEA L.

R. Tale pactum eſſe licitum. Ratio, quia non imponit grauamen, quod nequeat imponere; ſicut enim poteſt grauamen imponi in mutuo, ſi mutuator damnum patiatur, ita etiam

videtur poſſe apponi in cenſu, modo qui tradit pecuniam probabiliter non credat valorem ipſius eſſe augendum; nam ſi credat valorem monetæ eſſe augendum peccat obligando cenſuarium, vel mutuatarium, vt reſtituat eandem ſpecie monetam, cum imponat cenſuario, vel mutuatario onus pretio æſtimabile, ad quod non tenetur. Leſſius *lib.2.cap.12.nu.8.* Salas *dub 56.num.11.* & alii apud eundem Salas. Secundò, ſi apponatur pactum, vt ſi cenſuarius intra tantum temporis non redimat, cenſus remaneat irredimibilis, & perpetuus, pactum eſſe illicitum, & iniuſtum. Ita Salonius *contr.* 20. Salas *dub.* 24. Reginald. *lib.25.num.434.* cum ſit contra conſtitutionem Pii V. cum ſemper cenſuario liberum eſſe debeat redimere cenſum quoties voluerit reddito eodem pretio, quo ipſe emerat, non obſtante quauis præſcriptione, aut pacto. Reginaldus *loco cit.* Molina *diſp.* 384 Salas *dub.45.* Leſſius *lib 2. cap.22. dub.8. num.89.* & alii; licet in locis, vbi talis conſtitutio non eſt acceptata tale pactum poſſit apponi, modo compenſetur iuſto pretio arbitrio prudentis, cum ſit appretiabile pecunia. Gabriel *in 4.diſt.15 quaſt.13.art.2.* Conradus *de contract.lib.quaſt.83. concl.8.* Medina *C.de reſtit. & de cenſu redimibili* Sotus *lib.6.q.5.ar.3.* Leſſius *lib.2. cap.2.dub.9.* Molina *diſp.391.* & alii.

An pactum de non alienando rem cenſitam irritet contractum?

BARCTEA LI.

SCIANDVM pactum appoſitum in contractu cenſus dupliciter conſiderari. Primò ſimpliciter quatenus ſolum dicit negationem puram, & ſimplicem alienationis. Secundò conſideratur quatenus ſecum includit quandam qualitatem, & vt dicit negationem alienationis cenſua ſine ſolutione laudemii, aut quinquageſimæ, aut, &c. Quo poſito.

R. Pactum appoſitum in cenſu de non alienando ipſam eſt omninò irritum, ſiuè ſimpliciter, ſiue qualificatum apponatur. Ita Nauar. *in cap ſi fęnerauerit num* 115. Salas *de cenſib. dubit.27 num.1.* Salonius *art.9. de cenſibus contr.15.* Leſſius *lib.2 cap 22 dub 12. num* 83. Rodriquez *de annuo reddito lib 2 qu 9 num* 15. Bocat. *in tract. de cenſib. part.1 num.8:* Molfeſ. *part. 2. tract.12. cap.6 num.113.* & alii. Ratio, quia cum dominium rei cenſitæ permaneat apud venditorem cenſus, conſequens eſt etiam, vt ipſo defuncto poſſit liberè contrahere, & ipſum alienare ſi voluerit. Secundò contractus cenſus celebratus ſub pacto non alienandi rem cenſui ſubiugatam eſt validus, ſed pactum appoſitum eſſe nullum. Ita Centius *de cenſibus part.2. cap.1.q.3.ar.4.n.13* & alij. Ratio, quia in ſeparabilibus vtile per inutile non vitiatur. Tum etiam, quia pactum appoſitum non eſt contra formam, & naturam contractus, ſed præter, & per conſequens non deſtruit illius eſſentiam, ſed ſolum cenſetur nullum.

Sciendum 2. In contractu cenſus quędam eſſe de ſubſtantia ipſius cenſus quædam verò non: de ſubſtantia ſunt, quod cenſus creetur in re immobili certis finibus deſignata, aut quæ pro immobili habeatur de ſua natura fructifera in pecunia numerata coram Notario, & teſtibus in ipſo actu celebrationis inſtrumenti, pacta vero auferentia, aut reſtringentia facultatem alienandi rem cenſui ſubiugatam continentia moroſum debitorem cenſua teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, aut ad cambium, ſeu certas expenſas iuramento creditoris liquidandas, aut rem cenſui ſuppoſitam, vel aliquam eius partem amittere, aut ius ex eodem contractu, ſeu aliunde acquiſitum amittere, aut in aliquam pęnam cadere, cenſum augeri, aut nouum creari ſuper eandem rem, vel aliā ad fauorem eiuſdem, aut alterius perſonę per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis, vel præteriti, vel futuri, & pacta continentia ſolutionis onerum ad eum ſpectare, ad quem aliàs de iure, & ex natura contractus non ſpectant, quæ omnia pacta licet ſint contra Bullam Pii Quinti, & irritantur, non tamen ſunt contra formam contractus cenſus, ac proinde licet irritentur, non tamen irritant contractum cenſus.

An ſit licitum pactum, vt emptor cenſus poſſit repetere pretium à Venditore quando voluerit?

BRACTEA LII.

R. Non eſſe licitum, quia ex Bulla Pii V. cēſus ex parte emptoris eſt irredimibilis, niſi in caſu, quo venditor intimet emptori redēptionem: tunc enim poteſt illum cogere ad reddendum pretiū infra annum, & quando ignoranter cenſus fuit impoſitus ſuper re non libera: ſimiliter pactum, vt venditor cenſus intra decennium illum redimere non poſſit iuxta ius nouum conſtituendi cenſus Pij Quinti eſſe illicitum, quia venditor debet eſſe in libertate illum redimendi quotieſcunque illi libuerit; pactum verò de ſoluendis penſionibus ſi culpa debitoris cenſus, res cenſualis pereat, aut infructuoſa reddatur eſt irritum, quia contra formam contractus cenſualis realis, & contra eius naturam, vt ex eo penſiones percipiantur ſine fundo, ac re cenſui ſubiugata infructifera facta, etiamſi culpa debitoris res ſubiugata pereat, aut infructuoſa reddatur, quia ſine caſu, aut culpa debitoris, ſiue citra culpam contingeret rei cenſitæ, aut fructibus eius, ita ut in totum, vel pro parte pereat, vel infructuoſa reddatur ſemper cenſus pro rata ex ſui natura extinguitur ex toto, vel ex parte iuxta Bullam Pij V.

An venditor cenſus poſſit vendere rem cenſitam non admonito emptore?

BRACTEA LIII.

R. Non poſſe venditorem cenſus rem cenſitam vendere, niſi prius admoneat emptorem ſi illam emere, & ſi velit debet ipſum anteponere. Ita Molina *diſp.372.num 5.* Megala *2. 2. inſtit. Confeſſ. lib 2.cap.1.quaſt.2.num* 80. & alij communiter. Ratio colligitur ex Bulla Pij V. tum quia emptor cenſus habet priuilegium Prælationis, & per conſequens debet prius admoneri ſi velit rem cenſitam emere, & ipſum anteponere ſi velit emere.

Sciendum, Quod ſi dominus rei cenſitæ velit ipſam vendere, tenetur admonere emptorem cenſus de ipſa venditione, & an velit ipſam emere pretio eodem, eumque alijs debet præferre, & per menſem deliberationem debet expectare, quo elapſo eſt in eius libera poteſtate rem cenſitam vendere cuicunque voluerit tranſlato cenſus onere in emptores, quibus emptoribus non ſoluentibus penſionem non tenebitur cenſuarius, qui rem vendidit ſoluere penſionem, quia cum rem cenſitam iuſtè vendiderit onus annexum etiam iuſtè in alium tranſtulit, niſi aliter

pactum fit inter contrahentes; ſi verò Cenſuarius non admonito Cenſualiſta rem cenſitam vendiderit Cenſualiſta poteſt conuenire priorem Cenſuarium in iudicio, & ab eo annuum cenſum exigere. Ita Virgilius 1. *part. num.* 23. Azorius *lib.* 10. *de cenſib. cap.* 11. *quæſt.* 1. & alij, immò etiam poſſe cenſualiſtam rem cenſitā (poſt) nō admonito vē ſcriptam repetere, cū contractu fuerit nullus ob defectū ſolēnitatis requiſitæ à Pio V. Secundò poſſe dominum cenſus, facta venditione rei cenſitæ non admonitum, illam ab emptore retrahere, vel ſi eam detineat retinere. Ita Azorius 3. *part. lib.* 10. *de cenſib. cap.* 12. Ratio, quia ius dominio cenſus acquiſitum non poteſt tolli per priuatum hominem. Tum etiam, quia ſicut in extrauaganti Pij V. domino cenſus datur actio in Prælatione rei cenſuatæ vendiræ ita multò magis competit excepto *l. inuitus* 9. *videamus ff. de regulis iuris*; & eo magis, quia retentio eſt fauorabilior iure agendi. Quam ſententiam tenet etiam Gentius *de cenſib. part.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *tract.* 4.

An priuilegium Prælationis rei cenſitæ non modo competat emptori, ſed etiam tranſeat ad hæredes?

BRACTEA LIV.

RIus Prælationis in venditione rei cenſitæ non modo competere emptori cenſus, ſed etiam ipſius hæredibus. Ita Azorius *lib.* 6. *de cenſib. cap.* 12. *quæſt.* 1. & alii. Ratio, quia hæres reputatur vna, & eadem perſona cum defuncto. Secundò non modo hoc priuilegium tranſire ad hæredes, ſed etiā cui res fuit donata, vel vendita, vel alio titulo oneroſo data. Ita Duardus *de domino cenſus quæſt.* 12. *num.* 1. & alij. Ratio eſt, quia ſi res venditur, vel donatur cum ſuo priuilegio, & beneficio tranſit, cum priuilegium ſit reale, & non perſonale. Tum etiam quia dominus cenſus habet liberam facultatem vendendi, ergo ſi donet, vel vendat, cenſus cum ſuo priuilegio, & beneficio tranſit, & per conſequens priuilegium tranſit ad emptorem ipſius cenſus, vel ad eum, cui cenſus fuit donatus.

Sciendum dubium eſſe à quonam die menſis debeat numerari? Ad quod reſpondeo debere incipere à die, quo dominus cenſus fuit intimatus de venditione facienda, tamen dies intimationis non cōputari in menſe, quia ſicut dies termini non computatur in termino *leg. iuſtu*, etiam dies intimationis non computatur in menſe per quem debet expectare cenſus dominus ad deliberandum an velit profere rem cenſitam alteri vendendam, emere, & menſis debet eſſe triginta dierum.

An priuilegium, quo dominus cenſus in venditione rei cenſitæ alijs præfertur, tollatur per ius congrui, iure municipali conſanguineis, & vicinis debitum?

BRACTEA LV.

SCiendum ius retractus diuidi in ius congrui, & ius conſanguinitatis; ius congrui dicitur congruitate cum congruentibus, & conuenienti, vt pro eodem pretio vicinus præferatur extraneo in venditione prędij facta à vicino, vt in *leg. congruit. cod. locat. prędij vicini.* Ius conſanguinitatis appellatur id, quo conſanguinei, præferuntur extraneo emptori pro eodem pretio in venditione rerum ſtabilium ſ(ecundum) ea à conſanguineo, quod licet antiquitus vigeret, tamen de iure fuit ſublatum, & data facultas venditori diſtrahendi rem propriam non ſolum conſanguineis, & conſortibus, ſed etiam extraneis, *vt in leg. dudum cod. de contrahenda empt.* Tiraquel. *de vtroque retractu*, & alij tamen licet per legem municipalem, & conſuetudinem induci poteſt, ita in pluribus Prouinciis, & Regnis inductum eſt, quod à iure diuino traxit originem, quo licitum non erat poſſeſſionis tranſire de tribubus, & familia, nulliſque aliis poterant vendi, niſi iis, quos propinquitas ſanguinis tenebat, vt habetur Leuitici *cap.* 25. Quo poſito.

R. Priuilegium per Bullam Pij V. quo dominus cenſus in venditione præfertur nullum afferre præiudicium his, quibus ius Prælatio is competit iure congrui, & conſanguinitatis. Ita Ninar. *in cap. ſi ſeruaueris num.* 127. Molina *diſp.* 394. *num.* 8. Gentius *de cenſib. part.* 2. *cap.* 2. Megala 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæſt.* 2. *n.* 84. & alii. Ratio, quia Pontifex habentibus ius non intendit afferre præiudicium, cum diſpoſitio generalis non includat perſonas gaudentes ſpeciali priuilegio, & licet in Bulla dicatur, emptionem cenſus omnibus aliis præferri, illam particulam intelligi debere de omnibus aliis non habentibus priuilegium, & his Prælationis, & per conſequens ſine præiudicio tertii intelligenda eſt conſtitutio Pij V. Summi Pontificis. Secundò in conſtitutione cenſus licet apponere pactum, vt in alienatione rei cenſitæ, quod emptor cenſus non gaudeat priuilegio Prælationis. Ita Duardus *de domino cenſus quæſt.* 2. *num* 22. & alii. Ratio, quia priuilegium Prælationis fuit inductum in fauorem domini cenſus, & per conſequens poteſt priuilegio per pactum renunciare, & quilibet poſſe ſuo iuri cedere, præcipuè cum non pertineat ad ſubſtantiam cenſus, & eo maximè, quoniam hoc modi priuilegium inductum eſt in fauorem domini cenſus in recompenſationem prohibiti pacti de non alienando rem cenſui ſuppoſitam; ergo huic fauori poteſt ipſe dominus cenſus per pactum renunciare.

An cenſus creatus de nouo poteſt augeri?

BRACTEA LVI.

REx penſionibus præteritis, & non ſolutis non poteſt augeri cenſus. Ita communiter omnes. Ratio, quia penſiones non ſolutæ non cenſentur pecunia numerata coram Notario, & teſtibus. Tum etiam, quia id præcipuè prohibetur in Bulla Pij V. ad euitandas fraudes vſuræ. Tūc ne celiſtianus ſibus cenſus opprimatur, & ex penſionibus non ſolutis. Secundò ex penſionibus futuris non poteſt cenſus augeri. Ita etiam communiter omnes. Ratio eſt, quia augere, & creare cenſum ex huiuſmodi penſionibus nihil aliud eſſet, quam vſurarum fructus percipere, fructus fructuum, acceſſiones acceſſionum, quod quolibet iure eſt prohibitum. Tertiò ex penſionibus præteritis, & ſolutis poteſt augeri, & denuò creari cenſus. Ita Ninar. *de vſuris num* 34. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 15. *num.* 87. Azorius *lib.* 10. *de cenſib. cap.* 14. Salas *de cenſib. dub.* 30. Ratio, quia in pecunia numerata poteſt, & ſolui, & ſicut ex illis nouus cenſus poteſt creari, ita etiam vetus poteſt augeri. Quartò iure naturæ non eſſe licitum cenſum augeri ex penſionibus non ſolutis. Ita Molina *diſp.* 390. Azorius *loco citato quæſt. vnica* & alii. Ratio, quia

ſicut vſusfructus alluuione augetur, *vt in leg. item ſi fundi §. huic vicinus ff. de vſufructu*: ita etiam non repugnat, cenſum augeri acceſſione penſionum debitarum non ſolutarum. Vltimò non poteſt venditor cenſus augere penſionem ipſius à principio taxatam. Ita Siluester *in ſum. verbo Gabella*, Angelus *verbo pedagium*, & alii. Ratio, quia eſt immediatè contra Bullam Pii V. quia prohibentur augeri penſiones, vel minui ex aliqua circunſtantia ſuperueniente.

An pactum obligans venditorem cenſus ad renunciandum proprio foro ſit contra Bullam?

BRACTEA LVII.

R. Pactum, quo emptor cenſus obligat emptorem ad renunciandum proprio foro, & ſubijcere ſe alteri, eſt contra Bullam. Ita Nauarrus *cap ſi ſeneraueris num.*138. & alij. Ratio, quia eſt pactum continens grauamen, quod creditor cenſus ex natura ſua ſubire non tenetur: in Bulla Pij V. prohibentur omnes conuentiones grauantes venditorem cenſus vltra id, quod cenſus natura requirit. Secundò, pactum in conſtitutione cenſus appoſitum obligans debitorem moroſum ad aliquam pœnam, ſiuè ſpiritualem, ſiuè temporalem eſt illicitum, & irritum. Ita Rebellus *lib. 10. quæſt. 6. concluſ. 3.* & alij. Ratio, quia in extrauaganti id prohibetur ad vitandas fraudes, & vſuras, ſicut etiam in conſtitutione cenſus, vt ſupra dictum fuit, non poſſit paciſci de damno emergente, & lucro ceſſante. Ad quod melius.

Sciendum eſt, duplex eſſe intereſſe tàm damni emergentis, quàm lucri ceſſantis, vnum intrinſecum, & alterum extrinſecum: primum, dicitur in re, ſeu ad rem, vt ſi penſio ſoluenda erat in tritico tempore, quo vendebatur duobus aureis modium tritici, & Dominus cenſus erat illud non venditurus, & poſtea ſoluatur penſio tempore, quo valebat vno tantum aureo, Molina *diſput. 391. num. 10.* Secundùm dicitur ceſſatio, ſeu non aſſecutio lucri, quod veriſimiliter quis aſſequi poterat negotiando, ſed quia penſiones non fuerunt ſolutæ, cum dicto tempore ceſſauerit lucrũ, quod negotiando poterat aſſequi. Secundò, tàm intereſſe lucri ceſſantis, quàm damni emergentis dupliciter poſſe contingere. Primò, ob moram debitoris non ſoluentis debitum præfinito tempore. Secundò, antequam debitor conſtituatur in mora, vt v.g. ſi quis ad ſex menſes alteri mutuaret centum nummos aureos, quibus poſtea mutuans eguit ad reparandam domum, & quia mutuando reddidit ſe impotentem ad ipſam reparandam, minantem ruinam, quæ poſtea corruit damnum ſecutum, dicitur ante moram, ſicut etiam diceretur lucrum ceſſans ante moram, ſi quis alteri mutuaret pecuniam, qua poſtea indiguit ad negotiandum, ex qua poterat lucrifacere: lucrum ceſſans dicitur ante moram, & in conſtitutione cenſus nullo modo poteſt paciſci de lucro ceſſante tàm intrinſeco, quàm extrinſeco, licet de damno emergente poſſit paciſci. Ita Nauarrus *in cap ſi ſeneraueris num. 93.* Rebellus *lib. 10. quæſt. 6. num. 15.* Salas *de cenſibus dub. 10. num. 1.* Cenſius *de cenſibus par. 2. cap 1. quæſt. 3. art. 5.* Molina *diſput. 390.* Em. Sa *verbo cenſus num. 3.* Megala *lib. 2. cap. 7. quæſt. 2.* & alii.

Quid ſit cenſum eodem pretio extinguere?

BRACTEA LVIII.

R. Censvm eodem pretio extinguere eſt ipſum redimere pretio, quo fuit venditus. Ita Duardus *de redempt cenſus quæſt 6.*

Sciendum ad extinctionem, ſeu redemptionem cenſus quatuor copulatiuè concurrere. Primò, vt redemptionem cenſus ante bimeſtre emptori denunciet, vt poſſit ſecum deliberare de re inueſtiendo pretio ſibi reddendo. Secundò, requiritur conſenſus vtriuſque partis nimirum, quod velint cenſum extinguere per pretij reſtitutionem. Tertiò, requiritur eiuſdem cenſus reuenditio ad fauorem debitoris, quoniam ad diſſoluendum contractum non eſt ſatis nuda voluntas, nec ſolus, & ſimplex conſenſus contrahentium, ſed requiritur actus priori ſimilis. Quartò requiritur, vt pretium cum effectu reſtituatur, quia ad hoc vt cenſus dicatur extinctus requiritur realis, & actualis pretij reſtitutio, ita vt opus ſit pecunias ſolutas in cenſus extinctionem effici domini cenſus irreuocabiliter; ſecus autem ſi aliquo caſu cogeretur eas reſtituere; & inſuper debet apparere eaſdem fuiſſe ſolutas in cauſam pretii, & ſic ſortis principalis domino liberè recipienti, alias ſi ſolutio fiat, abſolutè in dubio cenſeretur facta potius ad computum fructuum, quam pro pretio, ac ſorte principali. Duardus *de cenſib. par. 2. qu. 5. n. 6.*

An redemptio cenſus poſſit fieri maiori, vel minori pretio, quàm à principio fuerit emptus?

BRACTEA LIX.

R. Redemptionem cenſus iuxta Bullam Pij V. non eſſe neceſſe, quod fiat eodem pretio, quo fuit emptus, ſed maiori, vel minori pretio poſſe fieri. Ita Duardus *de redempt. cenſus quæſt. 6.* & alii. Ratio colligitur ex eadem Bulla, quæ edicit his verbis poſſe extingui eodem pretio, quod verbũ liberam facultatem importat, & non neceſſitatem. Verùm ſi in conſtitutione cenſus apponatur pactum de redemptione illius maiori, vel minori pretio erit illicitum, & contra Bullam Pij V. Ita Cenſius *de cenſibus par. 3. cap. 10. quæſt. 3. art. 3.* Rodriquez *lib. 2. de annuis redditibus quæſt. 2. num. 20.* & alii. Tum quia tale pactum cenſeretur iniuſtum, cum ſit contra ius naturale, cum res tanti debeat vendi, quanti valeat, & ſic domus non poteſt emi cum obligatione retrouenditionis pacto, vt retrouendatur maiori, vel minori pretio, ita etiam cenſus non poteſt emi cum pacto de retrouendendo maiori, vel minori pretio, quo valebit tempore retrouenditionis conſideratis circunſtantiis, &c. Si verò pactum vendendi maiori pretio compẽſetur alio pacto æquè oneroſo licita erit cenſus redemptio tali pacto, ſicut etiam erit licita propter variam pecuniæ abundantiam, vel penuriam, ita vt æquale ſit periculum contrahentium, vt venditor valeat illud redimere pretio tempore redemptionis communi vſu recepto, ſiuè maius illud ſit, ſiuè minus, quam pretium, quo fuit conſtitutum, vt dictum ſupra, cum redemptio cenſus ſit quædam venditio, & res poſſit vendi maiori, vel minori pretio, quo valebit tempore venditionis, & pactum appoſitum non erit illicitum vendendi maiori, vel minori pretio, quo valebit propter abundantiam, vel penuriam pecuniæ, &c.

An

An redemptio cenſus debeat fieri in pecunia numerata?

BRACTEA LX.

R. Non eſſe neceſſe, quod redemptio cenſus fiat in pecunia numerata, ſed in alia re poſſe fieri. Ita Molina *diſput.* 394. Felinus *de cenſibus lib.* 1 *cap.* 8. *num.* 11. Nauarrus *de vſuris num.* 135. Salas *de cenſibus dub.* 19. Rebellus *lib.* 10. *quaeſt.* 6. *num.* 22. Centius *de cenſibus par.* 3. *cap.* 1. *quaeſt.* 3. *art.* 6. Ratio colligitur ex extrauaganti Pii V. quæ ſtatuit conſtitutionem cenſus debere fieri in pecunia numerata, quæ conſtitutio non eſt extendenda ad redemptionem cenſus, cum ſit exorbitans, & in exorbitantibus eſt facienda extenſio, ſed potius retractio, vt in *cap. qua à iure de regulis iuris in* 6. Secundò, ſi redemptio cenſus ſit in pecunia numerata deberet fieri pretio, quo valet tempore redemptionis, non autem quo valebat tempore conſtitutionis cenſus. Ratio, quia ſecundum communem Doctorum ſententiam commodum, & incommodum pecuniæ debitæ ad creditorem ſpectat, vt habetur per Bartolum *in cap. Paulus ff. ſolut.* & ita plures citati à Duardo *par.* 2. *de cenſibus quaeſt.* 7. etiamſi valor monetæ ſit mutatus propter eius bonitatem, vel malitiam extrinſecam, vel quia moneta, qua ſint celebratus contractus erat magis expendibilia, quam hodie, vel quia tempore contractus erat minor copia pecuniæ, quam ad præſens, vel quia tempore contractus à Principe erat conſtitutum determinatum pretium. Secus autem ſi valor monetæ fuit mutatus propter bonitatem, aut malitiam intrinſecam, vt quia tempore celebrari contractus moneta, qua fuit celebratus, erat ex argento puro, & ideò pluris æſtimabatur, hodie verò quia eius materia ſit contaminata, atque adeò argentum mixtum ære minoris æſtimatur, vel ſi moneta eſſet ex argento puro, eſſet tamen diminuta in pondere, tunc enim valor monetæ eſſet æſtimandus, prout valebat tempore contractus, vt habetur ex Scaccia *de commercio, & cambio* §. 2. *gloſ.* 5. *num.* 177. *&c.*

An poſſit conſtitui cenſus pacto, vt non redimatur, niſi poſt decennium?

BRACTEA LXI.

R. Non poſſe in conſtitutione cenſus apponi pactum, vt cenſus non redimatur, niſi poſt decennium, &c. Ita Duardus *de redempt. cenſus*, & communiter omnes Doctores ſupra Bullam. Ratio, quia tale pactum reſtringit libertatem ementis cenſum, quod ex Bulla Pii V. non licet apponi.

Sciendum, quod licet iure poſitiuo Pii V. non ſit licitum apponere tale pactum, tamen iure Diuino, & humano non eſt illicitum, dummodo fiat compenſatio oneris impoſiti. Silueſter *verbo vſura* 2. *quaeſt.* 15. Toletus *lib.* 5. *cap.* 48. & alij. Secundò, abſolutè in vigore Bullæ Pij V. non licere conſtituere cenſum pacto, vt ſi non redimatur intra certum tempus ſit irredimibilis. Ratio colligitur ex eadē Bulla, in qua prohibetur pactum, quo directè, vel indirectè venditor cenſus priuatur libera facultate redimendi illum quocunque tempore, alioquin contractum eſſe fœneratitium. Tertiò, iure naturæ, & Diuino poſſe conſtitui cenſum pacto, ſi non redimatur intra certum tempus, ſit irredimibilis. Ita Toletus *lib.* 5. *cap.* 48. Sotus *lib.* 6. *quaeſt.* 5. *art.* 3. Felinus *lib.* 1. *de cenſibus cap.* 7. *num.* 9. Conradus *quaeſt.* 83. *concluſ.* 8. Ratio colligitur ex Leuitico *cap.* 24. vbi dicitur: *Qui vendiderit domum intra vrbis muros, &c.* Tum quia licet emere cenſum perpetuum, & irredimibilem reddito iuſto pretio; ergo etiam licebit illum emere data libertate venditori redimendi illum intra certum aliquod tempus ſeruato iuſto pretio, quia iſta conditio eſt in fauorem venditoris. Ita Medina *cod. de reſtit. qu. de cenſu redimibili*, Duardus *de redempt. cenſus*, & alij.

An cenſu vendito minori pretio à primo emptore, ſi primus venditor velit illum redimere, teneatur reſtituere illudmet pretium, quod à primo emptore recepit?

BRACTEA LXII.

R. Affirmatiue, ſuppoſito, quod dominus cenſus poſſit illum maiori, vel minori pretio vendere, quam ipſe emerit. Ita Azorius 3. *par. lib.* 10. *cap.* 8. *quaeſt.* 5. Ludouicus de Auenda *de cenſibus Hiſpanis cap.* 21. *num.* 7. Centius *de cenſibus par.* 3. *cap.* 1. *quaeſt.* 3. *art.* 6. Ratio, quia Ceſſionarius ſuccedit in locum, & in vniuerſum ius cedentis. Surdus *conſil.* 26. *num.* 16. *vol.* 1. & *conſil.* 333. *num.* 15. *vol.* 3. quia vltimus cenſus emptor dicitur emere totum ius, quod primus emptor habebat aduerſus venditorem: hinc eſt, quod venditor cenſus in illius extinctione teneatur ad reſtitutionem illiuſmet pretij, quod à primo emptore tempore celebrati contractus fuit traditum, & venditor poteſt ſibi retinere citra præiudicium conſcientiæ, nec tenetur reſtituere illud plus illi, à quo ipſe viliori pretio emit. Duardus 2. *part. quaeſt.* 13. *pun.* 3.

An cenſus poſſit redimi per minutiſſimas partes?

BRACTEA LXIII.

R. Vt ſupra dictum fuit non poſſe deduci in pactum abſolutè, quod cenſus redimatur per partes, & non in totum. Ita Molina *diſp.* 393. Bannes 2. 2. *quaeſt.* 78. *dub. vlt.* Azorius 2. *par. lib.* 10. *cap.* 17. *quaeſt.* 3. Rebellus *quaeſt. vlt. de cenſibus num.* 3. Sotus *lib* 6. *de iuſtit. quaeſt.* 5. *art.* 3. *concluſ.* 4. Toletus *lib* 5. *cap.* 45. *num.* 4. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 5. Em. Sà *verbo cenſus num.* 2. Salas *dub.* 31. *num.* 2. Rodriquez 1. *par. cap.* 45. *num.* 4. *&* 5. & alij. Ratio, quia emptori cenſus eſſet nimis oneroſum recipere per partes pretium, quod ipſe ſimul, & in totum ſoluit. Tum etiam quia recipiendo per partes pretium, quod ſimul dedit, non ſeruaretur æqualitas in retrouenditione, & ideò tale pactum non poſſet apponi, cum ſit contra ius naturæ, cum valdè conſentaneum ſit rationi, & iuſtitiæ commutatiuæ, vt ſicut in conſtitutione cenſus ſoluitur totum pretium, ita etiam ſoluatur in redemptione illius. Secundò, cenſum nullo modo poſſe redimi per minutiſſimas partes. Ita Sotus *lib.* 6. *quaeſt.* 5. *art.* 3. & alij. Ratio, quia cederet in magnum detrimentum emptoris, ſi v. g. cenſus emptus mille aureis redimeretur à venditore minutim, v. g. quinquaginta aureis pro qualibet vice, & emptor cenſus paciſcendo, ne minutim redimatur, ſuæ indemnitati conſulit. Tertiò, ſi in contractu cenſus redimibilis nullum appoſitum fuit pactum de redimendo in totum, aut in partem, tunc ſtandum eſſe conſuetudine loci, & con-

tra illam redimendum. Ita Nauarrus *de vſuris num.* 95. & alii. Ratio, quia conſuetudo recepta in cunctis contractibus humanis pro lege habenda eſt.

An ſi plures fuerint cenſus emptores debitor cenſus poſſit redimere partem vnius tantum, reſtituto pro ea parte pretij?

BRACTEA LXIV.

R. Affirmativa cum Follerio *in ſua praxi cenſuum*, Boccat. *de cenſibus par.* 2. *num.* 113. & Centio *de cenſibus par.* 3. *cap.* 1. *queſt.* 3. *art.* 7. *num.* 40. Ratio eſt, quia cenſus eſt diuiſibilis, & ideò ſi reſpectu vnius perſonæ, quæ ſit domina cenſus, conceditur per partes cenſus redemptio, ſi talis fuerit conſuetudo, quanto magis concedendum, quando agitur de pluribus dominis, quorum tot ſunt obligationes ad redimendum, quot ſunt perſonæ, quamuis ſit vnicus cenſus, & vnicus contractus, licet extent contrariæ opiniones tenentes partem negatiuam. Ratio illorum eſt, quia cenſus cenſetur tantum vnicus contractus propter vnitatem perſonæ vendentis, ſed noſtra cenſetur verior. Secundò, cenſum poſſe redimi compenſatione debiti: vnde ſi Cenſuario tantum debeatur à Cenſitore, quanti valet cenſus, Cenſuarius poteſt compenſationem facere admonendo Cēſitorem, vt cēſum pro extincto habeat ratione æqualis ſummæ, quæ ſibi debetur, etiamſi dominus ſit inuitus, nam omnis cautio tollitur per compenſationem. Molina *diſput.* 394. *num.* 7. Nauarrus *de vſuris nu.* 135. Rebellus *lib.* 10. *qu.* 6. *nu.* 22. & alii.

An vendens cenſum creatum alteri, teneatur eodem pretio, quo prima vice fuit venditus, an poſſit pretium antiquum accreſcere, vel diminuere?

BRACTEA LXV.

R. Regulariter non poſſe cenſum conſignatiuum redimibilem ab alio minoris emi pretio à lege taxato. Ita Molina *diſput.* 393. Gutier. 2. *par. practicar. queſt. queſt.* 181. & 183. & alij, quos refert Salas *de cenſibus dub.* 12. Ratio, quia facerent contra mentem legiſlatoris, qui ſi interrogaretur, an liberum relinqueret poſtquam ſemel eo pretio eſt conſtitutus minori pretio illum emere, procul dubio negatiuè eſſet reſponſurus, cum cenſus non minorem valorem habeat cum ſecundo, & tertio venditore, quam quando venditur primo, & hoc intelligendum eſt de pretio à lege taxato, ſed etiam de eo, quod eſt definitum cōmuni alicuius loci cōſuetudine. Secundò, quod quamuis cenſus non poſſit minoris emi, poteſt tamen maiori pretio vendi. Ratio, quia lex taxans pretium cenſibus eſt inducta in fauorem venditorū, vt non poſſit minoris emi, ſicut lex taxans pretium frumento eſt inducta in fauorem emptorum, vt non poſſit pluris vendi. Vnde ſicut emens frumentum pretio à lege taxato poteſt illud vendere vilius, ita emens cenſum pretio à lege taxato poteſt illud vendere charius. Ita colligitur ex Salonio *de contractibus, & commercijs humanis art.* 3. *de cenſibus controu.* 10. nam licet in extrauaganti Pij V. decernatur nunquam poſſe ob temporum, vel contrahentium qualitates, vel circumſtantias pretium ſtatutum augeri, vel minui, intelligendum eſt, quod non poſſit augeri, vel minui inter primò contrahentes, vel eorum hæredes, & ſucceſſores, quando vltimò contrahunt redimendo cenſum. Ita Rebellus *par.* 2. *lib.* 10. *queſt.* 5. *num.* 7. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. & alij. Tertiò, & ſi per Pium V. prohibentur diminutio, vel augmētum pretii, ita vt cenſus iam conſtitutus non poſſit minori, vel maiori pretio emi, quam fuerit emptus tempore conſtitutionis, nihilominus ſi ſit effectus litigioſus, aut venditor cenſus non ſoluendo, vel res cenſui ſubiugata minus tuta, tunc cenſum huiuſmodi non obſtante diſpoſitione Pii V. probabiliter dici poteſt minoris emi. Ita Salas *de cenſibus dub.* 12. Ratio, quia iſte caſus videtur per Epicheiam exceptus, & ſi Pontifex fuiſſet interrogatus, an eum comprehendere ea conſtitutione intenderet, negatiuè fuiſſet reſponſurus. Molina *diſput.* 392. Quartò, quod ſi cenſus non habet pretium à lege præſcriptum, vel communi hominum æſtimatione tunc emi poteſt minoris, quam ab initio fuit creatus. Ita Salonius *de contractibus art.* 3. *de cenſibus contr.* 10. Salas *loco cit. dub.* 12.

An venditio cenſus iam creati debeat fieri in pecunia numerata?

BRACTEA LXVI.

R. Negativa, & ita Lopez *in ſum. tract. de contractib. lib.* 1. *cap.* 59. Felicius *tom.* 2. *de cenſib. lib.* 2. *cap.* 2. Centius *de cenſib. tract.* 2. *cap.* 2. *queſt.* 2. *art* 6. qui pro hac ſententia plures affert deciſiones declarantes numerationem pecuniæ coram Notario &c. in venditione cenſus iam creati non eſſe neceſſariam ſed ſolum in conſtitutione cenſus nouiter creandi, ideoque cenſus poteſt vendi, & alienari pecunia credita ſicut in aliarum rerum venditione conceditur, & poſſe vendi in mercibus æſtimatis, aut in auro, vel argento elaborato, dummodo ſit de conſenſu amborum contrahentium. Bocat. *de cenſib. par.* 5. *num.* 58. Contrariam ſententiam tenet in verbis Pii Quinti, hanc autem ſalutiferam ſanctionem ne dum in cenſu nouiter creando, verum etiam in creato, &c. Vnde infert formam præſcriptam, non modo ſeruandam eſſe in cenſu nouiter creando, ſed etiam in iam creato, & per conſequens debeat vendi in pecunia numerata coram, &c. His tamen obſtantibus noſtra ſententia eſt communior, & eſt in vſu.

An redempto cenſu, ſuper quo alius fundatus eſt ceſſet alter cenſus ſuper eo fundatus?

BRACTEA LXVII.

R. Extincto cenſu ſuper quo alter fundatus eſt, ceſſat etiam alter cenſus ſuper eo fundatus. Ita Centius *de cenſib pars.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. & alij. Ratio patet à ſimili, quia ſicut perempto fundo ſuper quo fundatus eſt cenſus extinguitur etiam cenſus, ita etiam redempto cenſu, ſub quo alter fundatus eſt, extinguitur etiam cenſus, qui in alio eſt fundatus ad ratam redemptionis cenſus, in quo fundatur, itaut ſi in totum redimatur cenſus in eo fundatus, etiam in totum extinguatur, ſi ſolum in parte redimatur etiam pro rata parte extinguatur, niſi pars, quæ remanet ſit ſufficiens ad ſoluendam totam penſionem, quia in eo caſu non extingueretur cenſus.

Sciendum non modo extingui cenſum in alio fundatum

datum

datum ſi prior redimatur, verum etiam ſi alio modo pereat, aut infrugifer fiat; Sicut etiam extinguitur cenſus peremptis inribus ſuper quibus fuit fundatus, vt ſunt iura gabellarum piſcandi, venandi, paſcendi, &c. quia cum habeantur pro rebus immobilibus ſuper ipſis cenſus fundari poteſt, & per conſequens illis peremptis extinguitur cenſus.

An valeat pactum, vt venditor cenſus poſsit illum redimere intrà certum tempus, & creditori tradat interim fructus certi fundi percipiendi loco redditunm, itaut ſi intrà id tempus non redemerit prædium ad creditorem ſpectet?

BRACTEA LXVIII.

R. Non valere. Ita Felicius *tom.2. de cenſib. lib.1. cap.10.* Ratio, quia huiuſmodi pactum aufert venditori cenſus liberam eiuſdem redimendi facultatem, cum cogat illum ad redimendum intra certum tempus, quod ex Bulla Pij Quinti prohibetur, cum damnetur pariter pactum commiſſi, in iſto pacto plures continentur contractus vnus ad alterum correſpectiui, quod quidem fraudis, ac vſuræ ſuſpicionem inducit ex Duardo *part.2. de cenſib. quæſt.41.* plures citante. An reſoluto cenſu Cenſuarius liber remaneat à ſolutione cenſus? Reſpendeo reſoluto cenſu cenſuarius liber remanet ab obligatione reali, & perſonali perſoluendi cenſum. Ita colligitur ex his, quæ dicit Bartolus *in leg. ſi ex duobus 5. ſed & Marcellus ff. de die in diem adiect.* & Ludouicus Auenda *de cenſibus Hiſpanis cap.54. num.6.* Centius *de cenſib. part.3. cap.2. num.7.* Ratio primę partis eſt, quia liberatur ab obligatione rei cenſui ſuppoſitæ, & ab onere ſoluendi penſionem cum deſinat cenſus, & res, quæ ſubiugata erat, libera manet ab hypotheca, & onere ſoluendi cenſus. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cum deſinat cenſus deſinit etiam motiuum compellendi debitorem ad perſoluendos cenſus.

Sciendum ob extinctionem cenſus non modo cenſuarium liberari ab obligatione reali, & perſonali ſoluendi penſionem, verum etiam fideiuſſorem liberari à fideiuſſione, quia fideiuſſor non obligatur, niſi in defectum principalis: cum autem principalis cenſeatur liber ab obligatione reali, & perſonali perſoluendi penſionem, ita etiam liber erit eius fideiuſſor. Secundò locum habere in quocunque cenſu conſignatiuo, ſiue ſit fructuarius, ſiue pecuniarius, redimibilis, vel irredimibilis, & etiam in cenſu reſeruatiuo reſeruato ſuper alio cenſu reſeruatiuo, aut conſignatiuo. Nam redempto priori cenſu, aut quocunque alio modo extincto, extinguitur nouus, cum cenſus ille nouus maneret ſine fundo, & ſi prior cenſus extinguitur in totum, etiam ſecundus & ſi ſolum in parte, etiam pro rata extinguitur alter quocunque modo prior cenſus extinguatur.

An valeat pactum, quo dominus cenſus retineat pignora pretioſa æquiualentia ſorti principali, donec cenſus redimatur?

BRACTEA LXIX.

R. In conſtitutione cenſus non licet accipere pignora, itaut pereunte re, in qua cenſus collocatur, vel facta inutili poſſit emptor retinere pignus pro pretio dato. Ita Molina *diſp.391.* & omnes communiter. Ratio, quia conſtitutio cenſus eſt vera emptio, repugnat autem naturæ contractus venditionis, vt venditor det pignus in ſecuritatem cenſus empti, cum res pereat, & deterior fiat emptori, cum ipſe ſit verè dominus ob translatum dominium, non autem venditori. Secundò ſi eſſet aliquod probabile periculum non recipiendi penſionem, vel ex culpa cenſuari perire cenſum, licet emptori in ſecuritatem exigere pignora. Ita Molina *loco cit.* & alij. Ratio, quia quiſque tenetur ſe ſeruare indemnem, & ſicut emptor pro venditione cenſus dat probatam pecuniam, ita poteſt accipere pignora in ſecuritatem ne decipiatur. Quando verò nullum adeſt periculum amittendæ penſionis, vel cenſus, illicitum eſt accipere pignora pro ſecuritate. Ratio, quia, quando nullum adeſt periculum prior obligatio ſufficiens eſt, & ſecunda cenſetur ſuperflua. Tum etiam, quia quando ſecuritas exigitur pro periculo, cum nullum adſit probabile, & imminens periculum fruſtrà, & illicitè petitur pignus in ſecuritatem cenſus.

Sciendum, Quod & ſi ratione contractus cenſus, quando nullum adeſt periculum præter obligationem primam non poſſit exigere pignus, vel fideiuſſorem pro ſecuritate, tamen ratione alterius contractus nimirum aſſicurationis poteſt pro ſecuritate, & fidei iuſſore pignus accipere, dato tamen pretio cõuenienti pro aſſicuratione, cum talis aſſicuratio ſit pecunia ęſtimabilis. Tertiò poſſe apponi in venditione cenſus pactum, quo venditor obligetur de euictione. Ratio, quia tale pactum non cenſetur contra naturam contractus cenſus, & Pius Quintus motu proprio ſolum intendit prohibere, ne aliquis contrahentium obligetur contra naturam cõtractus: at huiuſmodi pactum eſt venditioni, & emptioni intrinſecum, cum venditor obligetur ex natura contractus de euictione, cum teneatur emptorem ſeruare indemnem, ergo, &c.

An ſit licitum pactum, quod res cenſui ſubiugata intelligatur locata domino cenſus donec redimatur cenſus?

BRACTEA LXX.

R. In foro conſcientiæ, & de iure naturæ eſſe illicitum pactum, quo res cenſui ſubiugata intelligatur locata domino cenſus, donec redimatur, dummodo tale pactum pretio iuſto compenſetur, & non fiat in fraudem vſuræ. Ita habetur ex Deciano *conſil.2. num.47.* quem ſequitur Centius *de cenſib. part.2. cap. cap.1. quæſt.3. art.8. num.41.* Secundò reſpectu extrauagantis Pii Quinti tale pactum in conſtitutione cenſus eſt illicitum, & irritum. Ita Felicius *tom.2. de cenſib. lib.1. cap.10. num.1.* Centius *de cenſib. part.2. cap.1. quæſt.3. art.8. num.41.* & alii. Ratio, quia per tale pactum venditor cenſus indirectè cogitur

gitur ad redemptionem ipſius, quod eſt contra Bullam. Verum ſi tale pactum addatur in cenſu reſeruatiuo redimibili puto ſeruandum in terris, in quibus acceptata eſt Bulla Pij Quinti, cum ipſa loquatur ſolum de conſignatiuo cenſu, & non reſeruatiuo, & ex diuerſis non fit illatio. Tertiò non valere pactum, quod dominus cenſus non poſſit alienare rem cenſitam, niſi redempto cenſu. Ita Nauar. *in cap. ſi feneraueris num.*115. & alij. Ratio, quia tale pactum, contra extrauagantẽ Pij V. qua prohibetur tale pactum cum in caſu alienationis conſtringat venditorem ad reſtituendum pretium, licet iure communi, & in foro conſcientiæ pactum ſit licitum, dummodo compenſetur pretio iuſto. Ratio, quia cum compenſetur pretio nulla fit iniuſtitia.

An ius redimendi cenſus alteri cedi poſſit?

BRACTEA LXXI.

R. In Conſtitutione cenſus non poteſt paciſci, vt ius redimendi cenſus alteri cedatur. Ratio, quia per huiuſmodi pactum tolleretur facultas venditori redimendi cenſum, quæ in contractu cenſus requiritur. Tum etiam, quia venditor cenſus cedendo illud ius alteri redimendi poſſet ex illa ceſſione aliquid lucrum acquirere, ratione cuius vſuram ſolueret.

Sciendum, quod talis propoſitio locum ſolum habet abſolutè, vt quando ſimpliciter fit pactum, vt ius redimendi non poſſit alteri vendi, ſeu cedi; ſecus autem ſi fiat pactum, vt volente ipſo venditore dictum ius, ac facultatem cedere, & diſtrahere, quod teneatur cedere, ac vendere potius ipſi emptori, quã alteri; tunc enim valet pactum huiuſmodi etiam in cenſuali contractu, vt habetur ex Follerio *in ſua praxi cenſus*.

An denunciatio extinctionis cenſus ſit facienda ab eo, qui vult redimere cenſum?

BRACTEA LXXII.

R. Censvarivm, qui vult redimere cenſum, debere duos menſes, antequam redimat denunciare cenſitori ſe velle redimere cenſum, qua denunciatione facta cenſitor poteſt intra annum reperere pretium cenſus à cenſuatio, licet inuito; elapſo vero anno non poteſt pretium exigere, verum ſi cenſuarius poſt denunciationem non redimat intra bimeſtre, nec cenſitor exigat pecuniam intra annum cenſuarius adhuc poteſt redimere præmiſſa noua denunciatione, etiamſi plures denunciauerit, nec ſecuta fuerit redemptio cenſus. Ita Molina *diſp* 391. & alij. Secundò, etſi denunciatio facta fuerit ante bimeſtre, nõ erit valida, & non contra Bullam Pij V. Ita Centius *de cenſibus part.3. cap.1. q.3. art.1. num.*19. Federicus Marta *de iure cenſus cap.6. nu.* 38. & alij. Ratio, quia talis denunciatio nullum onus venditori infert, & prodeſt emptori, vt ſuæ indemnitati tempeſtiuè prouideri poſſit. Tum etiam, quia quod denunciatio ante bimeſtre debeat fieri non excludit denunciationem, quæ ante bimeſtre fit, cum hæc ſit magis in fauorem emptoris, cum magis poſſit ſibi conſulere.

An denunciatio de futura cenſus redemptione debeat eſſe iudicialis?

BRACTEA LXXIII.

R. Affirmativè, quia dominus cenſus debet citari ad recipiendum pretium illius, vna cum penſionibus decurſis, & non ſolutis, & ad faciendam retrouenditionem cenſus, & debet habere paratam pecuniam pro illius redemptione iuxta formam traditam à Centio *part. 3. de cenſib. cap.1. quæſt 3. art.1.* Vnde ſimplex oblatio extraiudicialis, etiam realis non impedit curſum annui redditus, nec ipſo iure, nec ope exceptionis, donec conſignatio, & depoſitio facta ſit, vt *in lege ſi creditrice, & leg. acceptam*. Debet igitur debitor cenſus denunciationem facere, non ex abrupto, aut propria auctoritate, ſed de mandato, & decreto Iudicis cõpetentis. Centius *loco cit.* Iudex autem competens ad quem adiri debet, erit debitoris, non autem creditoris, quia ipſe debitor comparet tanquam reus, vt liberet ſe, & bona ſua à nexu ſoluendi penſionem annuam. At Gaſpar Rodriquez *de annuis redditibus lib.1. quæſt.*18. exiſtimat Iudicem competentem eſſe Iudicem creditoris, & domini cenſus, atque adeò ad talem Iudicem eſſe adeundum pro obtinendo mandato, & decreto ad faciendam denunciationem ipſi domino de futura illius redemptione; & hanc ſententiam tanquam probabiliorem ſequitur Duardus *part.2. de forma redimendi cenſus quæſt.*3. licet opinionem Centij probabilem vocet conformem his, quæ poſt alios docet Felicius *tom.2. de cenſib. lib. 4. cap.1.* vbi inquit, quod debet coram Iudice ipſius debitoris redimentis, quam opinionem, tam quoad oblationem, quam quoad depoſitum tenet Ioannes Baptiſta Lupus *leg. 2. commen 2. part. 2. num.*113. & 114. *cod. de pactis inter emptorem, & venditorem*.

Cui facienda ſit denunciatio?

BRACTEA LXXIV.

R. Denvnciationem regulariter faciendam eſſe domino cenſus. Ita Centius *de cenſibus part.3 cap.1 quæſt.3. art.1. num.*22. & alij. Ratio, quia ad eum ſpectat cenſum reuendere.

Sciendum, quod licet regulariter denunciatio debeat fieri domino cenſus, tamen in ſubſidium eius Procuratori poteſt fieri, non Procuratori quoad lites, ſed Procuratori habenti facultatem vendendi, & reuendendi cenſum. Centius *loco cit.* Quod ſi dominus ſit abſens, nullo relicto Procuratore legitimo facienda eſt denunciatio pro futura cenſus redemptione vni ex domeſticis, citando dominum cenſus, proteſtando ſe cenſuarium paratum reſtituere cenſum, vna cum penſionibus non ſolutis. Verum ſi dominus cenſus erit abſens, itaut nec etiam domicilium habeat, nec ſciatur vbi ſit, tunc eſt illi dandus Curator, cui facienda ſit denunciatio extinctionis cenſus; & ſimiliter ſi dominus cenſus erit furioſus, quæ denunciatio ſufficiens erit ad impediendum curſum redditum. Centius *loco cit.* Similiter ſi dominus cenſus erit pupillus, vel minor habens tutorem, vel Curatorem non pupillo, aut minori, ſed Tutori, vel Curatori facienda denunciatio, cum pupillus, vel minor non habeat poteſtatem acceptandi, ſed ſolùm Tutor, vel Curator nomine eorum, qui ſi non habeant Tutorem, vel Curatorem, eorum conſanguinei citandi ſunt, vt illis conſtituant Curatorem.

rem, vel Tutorem, quibus facienda ſit denunciatio, alioquin non impediretur annuus curſus penſionum.

An facta denunciatione, & oblatione pretij domino cenſus, aut alijs, ad quos ſpectet, his non comparentibus, aut illud recipere recuſantibus, ad impediendum redditus curſus teneatur debitor pretium vna cum penſionibus deponere.

BRACTEA LXXV.

R. Qvod ad impediendum curſum vſurarum, & annui redditus cenſus ſatis non eſt oblatio realis pretij, ſeu ſortis, ac penſionum debitarum pro futura cenſus redemptione, ſed omninò requiritur earum conſignatio, ac depoſitum. Ita plures apud Duardum *de forma redimendi cenſum q. 6.* & probatur ex *leg. acceptum cod. de vſuris*, acceptam mutuo ſortem cum vſuris licitis creditoribus poſt conteſtationem offeras, & ſi non ſuſcipiant conſignatam in publico deponere, vt curſum legitimarum vſurarum inhibeatur. Quod etiam probatur ex textu in *leg ſi parte cod. eo*, in illis verbis, quia ſi etiam ſortem depoſuiſti exinde, ex quo id factum apparuerit in vſuras non conuenieris; ergo idem dicendum in annuo reddito, vt eiuſdem curſus non impediatur per realem oblationem ſortis, ac penſionum decurſarum, niſi earum fiat conſignatio, ac depoſitio, cum annui redditus ſucceſſerint in loco vſurarum. Contrariam ſententiam ſequuntur Gaſpar Rodriques *lib. 2. de annuis redditibus quæſt. 5. num. 54. & 62.* Federicus Marta *de iure cenſus cap 8. num. 39.* exiſtimantes ad purgandam moram, & ad impediendum curſum annui redditus ſatis eſſe oblationem realem pretii, & penſionum debitarum, nec requiratur depoſitum, ſeu conſignatio, quod probant ex pluribus legibus, & primò ex textu in *leg. 2 C. de pactis inter emptorem, & venditorem*, & ex textu in *leg. ſi venditrix. C de vſuris*, & ex textu in *lege quæ Romæ §. boria ff. de verborum oblig.* & ex textu in *leg. Tutor pro pupillo*, & ex *leg. qui decem ff. de ſolut.*

An non modo debeat deponere ſortem, & penſiones decurſas, ſed etiam decurrendas per bimeſtre poſt factam denunciationem pro extinctione cenſus?

BRACTEA LXXVI.

R. Cvm Centio *de cenſib. part. 3. 1. quæſt. 3. art. 4. nu. 40.* & alijs pluribus, quod debitor cenſus tenetur ad impediendũ annui redditus curſum deponere, non ſolum ſortem, & penſiones decurſas non ſolutas, verum etiam decurrendas per duos menſes poſt factam intimationem redemptionis. Ratio, quia durante tali termino cenſus adhuc durat non obſtante denunciatione, quia per ſolam denunciationem non cenſetur cenſus extinctus, ac redemptus; ergo ſi cenſus adhuc viuit durante tali tempore duorum menſium currit eius penſio intrà duos menſes, vt habetur ex Bocatio *de cenſibus part. 2. num. 116.* & ideò eſt deponenda vna cum ſorte. Quod colligitur ex pluribus deciſionibus Rotæ Romanæ, & ex *deciſ. 21.* Martij coram Cardinale Lanceloto, & ſi dominus cenſus realiter, & cum effectu ante finem duorum menſium recipiat pretium cenſus nõ poterit integros fructus duorum menſium percipere, ſed pro rata temporis decurſi. Duardus *part. 2. de forma redimendi cenſus quæſt. 8. num. 4.*

Cui pereat depoſitum ſi pereat?

BRACTEA LXXVII.

R. Doctores loqui cum diſtinctione, aut dominus cenſus iuſtam cauſam habuit recuſandi oblatum ſibi pretium, eundemque non reuendendi, aut iuſtam cauſam non habuit recuſandi oblatam, ac depoſitatam pecuniam, & cenſus reuenditionem: primo caſu ſi depoſitum pereat, vt quia mercator apud quem fuerat prædictum pretium depoſitum ipſum fuerit ſequeſtratum ad inſtãtiam creditorum ipſius domini cenſus, vel per Principem ſublatum, aut quocunque alio modo deperditum, tunc depoſitum ipſum perit debitori cenſus ſic deponenti, vt in *leg. accept.* & ibi Bartolus *in fine Cod. de vſuris*, Dec. *conſ. 543.* Cagnolus *in leg. 2. quæſt. 18. nu. 11.* Bocatius *de cenſibus part. 2. num. 116.* Follerius *in ſua praxi cenſus in verbo inſtrumento gratia num. 50.* Felicius *tom. 2. de cenſib. lib. 4. cap. vnico num. 6.* Secundò caſu periculum depoſiti pertinet ad dominum cenſus, qui iniuſtè oblatum ſi pretium, ac depoſitum recuſauit, atque adeò ſi pereat illi perit, vt in *leg. qui decem*, & *leg. creditor oblatum*, Folerius, & alij Doctores ſupra citati.

An ſi omittatur denunciatio ante bimeſtre pro futura cenſus redemptione redemptio ſit nulla?

BRACTEA LXXVIII.

R. Cvm Centio *de cenſib. part. 3. cap. 1. quæſt. 3. art. 1. nu. 20.* affirmatiuè: Ratio, quia denunciatio eſt ita neceſſaria, vt ea prætermiſſa cenſus ſemper remaneat viuus, & in ſuo robore, quod fuit reſolutum in pluribus deciſionibus Romanæ Curię, vt videre eſt apud Duardum *part. 2. de forma redimendi cenſuus quæſt. 11.* At in terris vbi non eſt vſu recepta extrauagans Pij V. ſi in redemptione cenſus omittatur denunciatio, non ob id ipſa redemptio redditur inualida, quia omiſſio prædictæ denunciationis non eſt contra ius diuinum, nec contra ius naturale, nec contra ius commune.

An facta denunciatione debitor cenſus denuncians inuitus teneatur cenſum dimittere?

BRACTEA LXXIX.

R. Debitorem cenſus facta denunciatione poſſe dominum cenſus intra annum repetere etiam inuitò. Ita colligitur ex verbis extrauagantis Pij V. poſt denunciam intra annum etiã ab inuito pretium repeti poſſet. Verùm ſi Cenſuarius poſt admonitionem non redimat intra bimeſtre, nec Cenſitor exigat pecuniam intra annum, Cenſuarius adhuc poteſt redimere præmiſſa vna denunciatione, etiamſi pluries denunciauerit, nec ſecuta fuerit redemptio cenſus. Ita Molina *diſp. 391.* immò etiam elapſo anno facta denunciatione poteſt aliquand compelli denuncians ad redimendum cenſum. Etenim

nim ſi venditor cenſus tranſacta duobus menſibus ab emptore intra annum interpellatus, vt cenſum redimat, ipſe illum redimere recuſet, & ſuper hoc lis vertatur citra intermiſſionem; ita vt labatur annus ante litis terminationem, poteſt venditor etiam elapſo anno ad huiuſmodi cenſus redemptionem compelli, cum nemini proprius dolus patrocinari debeat; & hanc ſententiam tenet Madius *tract. cenſuum*, & Centius *in addit. ad ſuum tract. de cenſibus par.3. cap.1. quæſt.3. art.4.* quamuis Molina *diſput.391.* dicat, Cenſuarium non teneri per duos menſes perſeuerare in cenſu poſt factam denunciationem, ſed poſſe quoties voluerit redimere; tamen cum Salas *in ſuo tract. de cenſibus dub.12. num.5.* reſpondeo teneri perſeuerare, ſi voluerit Cenſualiſta, quia hæc diſpoſitio fuit edita in fauorem emptoris, vt interim cogitet, quid facturus ſit de illa pecunia; quod etiam videtur ſentire Rebellus *de cenſibus quæſt.10. num.13.* & alii apud Salas *dub.11.*

An proteſtatio facta per contrahentes contrahendi iuxta conſtitutionem Pij V. validet contractum cenſus nullum ratione pacti adiecti?

BRACTEA LXXX.

R. IVXTA communiorem ſententiam, quam tenet Hieronymus Gabriel *conſil.47. num.7. & 8. lib. 2.* Surdus *conſil.318. num.24.* Centius *de cenſibus par.2. cap.1. quæſt.3. art.9.* affirmatiuè. Ratio, quia quod fit in ipſo contractu ad limitandam illius obligationem præſeruat ius proteſtantis, quando illi ambæ partes conſentiunt; vt habetur per Alexandrum *conſil.27.* Tum etiam quia pro hac opinione extant plures deciſiones Rotæ, vt videre eſt apud Centium *loco citato*. Si verò proteſtatio eſſet facta ſolùm verbis generalibus, & ſolùm ſimpliciter proteſtentur, quod volunt, & intendunt contrahere iuxta formam illius, & vlterius proteſtatio non progrediatur; eiuſmodi proteſtatio non eſſet ſatis ad conualidandum contractum aliàs nullum ratione pacti appoſiti, quia hæc proteſtatio eſt contraria facto, & nihil aliud efficit, niſi quod fingit contractum illius extrauaganti contrarium eſſe factum iuxta Bullam, ſi verò proteſtatio fuerit facta verbis ampliſſimis, ita vt ſi quid in dicto contractu deficiat ad implendam formam extrauagantis, volunt contrahentes haberi pro appoſito, & adiecto redigentes totum contractum, & ſingula in eo contenta ad verum cenſum, & tenorem dictæ extrauagantis, quoniam iuxta illius formam, velle contrahere declararunt. Secundò, ſi cenſus eſſet nullus ex defectu numerationis pretij in pecunia numerata coram Notario, & teſtibus in ipſo actu celebrationis inſtrumenti, talis contractus per proteſtationem huiuſmodi non validatur. Tertiò, tunc proteſtationem non validare contractum nullum ex pacto eidem adiecto contra ipſius ſubſtantiam, ſi dominus cenſus vſus fuerit contractu prædicto cum tali pacto: Vnde quando proteſtans vellet vti huiuſmodi pacto, proteſtatio non poſſet illi ſuffragari; nec contractum cenſus ſuſtinere, & à nullitate ſaluare. Ita Centius *loco cit.*

Quænam pacta vitiant contractum, & quænam vitiantur?

BRACTEA LXXXI.

R. PACTA, quæ in contractibus apponuntur, vt alibi dictum eſt, eſſe in duplici differentia quædam eſſe contra naturam contractus, quædam verò præter naturam ipſius contractus. De natura contractus eſt id, quod cum huiuſmodi contractu ab eiuſdem principio naſcitur, & cum eo ſemper ineſt, ſeu natura contractus eſt qualitas ſeu ius ſecundum proprios fines contractus ab his, quæ extrinſecus accidere poſſunt ſeparata. Vnde naturalia in contractu emptionis, & venditionis ſunt obligatio pro euictione rei, quæ venditur, & ſolutio pretij, aut quod habeatur pro ſoluto, & plura alia connumerantur inter actus naturales. Secundò cenſum tripliciter conſiderari poſſe: Primò vt contractus emptionis, & venditionis eſt; Secundò vt talis contractus inſpecta eiuſdem natura. Tertiò, vt talis contractus eſt inſpecta forma eidem præſcripta per bullas Pontificias, ſi cenſus priori modo conſideretur eius ſubſtãtialia, ſunt eadem, quæ ſunt emptionis, ac venditionis, nempè ius percipiendi annuum cenſum, eſt res, quæ venditur, & primum ſubſtantiale, ſecundum ſubſtantiale eſt pretium, & eſt pecunia illa, quam dat emptor venditori in pretium dicti iuris venditi; tertium ſubſtantiale eſt, vtriuſque conſenſus, & ſicut hæc tria copulatiuè requiruntur ad perficiendum contractum emptionis ac venditionis, ita hæc tria requiruntur ad conſtituendum Cenſum titulo emptionis conſtitutum: ſi verò Cenſus conſideretur, vt talis contractus nempè cum pacto de retrouendendo, & vt ſic redimibilis eſt; tunc præter illa tria ſubſtantialia quartum habet, nempe vt redimi poſſit ad libitum venditoris; quoniam pugnat dari Cenſum redimibilem, qui non poſſit redimi; ſicut è contrà pugnat dari Cenſum irredimibilem, qui ad libitum contrahentium poſſit redimi; ſi denique Cenſus conſideretur vt talis contractus inſpecta forma eidem præſcripta per Pontificias conſtitutiones ſunt ſubſtantialia, non ſolum illa quatuor, nempè res, pretium, conſenſus, & quod redimi poſſit ad libitum venditoris; ſunt etiam quæ adducuntur in Bulla Pij V. & conſequenter acta, ſeu conſtituti Cenſus contrà eius formam, cenſentur facta contrà naturam contractus.

R. 2. pacta facta contrà ea, quæ ſunt de ſubſtantia Contractus cenſualis vitiare totum contractum. Ita Felicius *tom. 1. de cenſib. lib.1. cap. 10. nu. 28.* Federicus Marr. in ſuo *tract. de Iure cenſus cap.6. n.190.* Gratian. *diſceptat. forenſ. tom. 1. cap. 141. num.20. & 21.* Scacia de *commercijs §.1. quæſt.7. part.2 ampl.20. nu. 14. & 15.* & alij, quos refert, & ſequitur Centius de *Cenſib. part.1. art.1.* Ratio eſt, quia ſicut in naturalibus non poteſt ſubſiſtere res ſine ſuis ſubſtantialibus, ex quibus componitur; ita etiam in moralibus non poteſt ſubſiſtere contractus, qui ex ſuis partibus ſubſtantialibus non ſit compoſitus, & ideò cenſus celebrati contra formam ſubſtantialem cenſetur irriti. Secundò, pacta appoſita, quæ non ſunt contra, ſed ſolùm præter naturam contractus cenſualis, ſeu eidem accidentalia non vitiant totum contractum, ſed ipſa tantum vitiantur, & habentur pro non appoſitis. Ita Auctores citati. Ratio, quia cum huiuſmodi pacta ſeparari poſſint à contractu, ſalua remanente ſubſtantia, ſeu eſſentia contractus, & ipſius contractus initium, & ortum non impediant, ſicut impediunt pa-

cta contra ſubſtantiam illius, hinc fit, vt vitientur pacta tantum, & non totus contractus, quia utile per inutile non vitiatur. *Cap. vtile de regulis iuris in 6.* Ex quibus infertur, quod cenſus conſtituti contra formam præſcriptam in extrauaganti Pij V. pacta, quæ non ſunt de ſubſtantia contractus, ſed ſolùm præter naturam, ſeu accidentalia non vitiare contractum, cum ab ipſo poſſint ſeparari, ſalua remanente ſubſtantia contractus, ſed tantum vitiari, & non cenſeri pro appoſitis; pacta verò, quæ ſunt contra ſubſtantiam contractus vitiare, & deſtruere ipſum contractum, cũ ab ipſo non poſſint ſeparari, ſalua remanente ſecundum ius poſitiuum Pij V. ſubſtantia contractus. De quibus videre eſt apud Duardum *de pactis, quæ vitiant, & non vitiant qu. 15.*

MALLEATIO LVIII.

De cambijs.

Quid ſit cambium?

BRACTEA I.

SCIENDVM cambium tribus modis ſumi poſſe: primò generaliter pro quacunque commutatione, quo pacto oẽs contractus onerosi, vt emptio, locatio, emphyteuſis, &c. in quibus aliquid dat in compenſationem pro alio dicuntur cõmutationes: ſecundò, magis propriè pro contractu innominato do, vt des, cum ſcilicet res pro re, vel pretium datur pro pretio, & ſic diſtinguitur à contractibus nominatis, vt emptione, in qua datur pretium pro re, locatione, & alijs nominatis; & comprehendit ſolum duas ſpecies dictas, commutationem ſcilicet rei pro re, vt equi pro boue, domus pro prædio, pecuniæ pro pecunia. Tertiò propriſſimè, & ex vſus accommodatione, pro permutatione pecuniæ cum pecunia, quo pacto cambium eſt ſpecies contra diſtincta à permutatione propriſſimè dicta, in qua res pro re commutatur. Quo poſito.

R. Cambium eſt permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia; primò, dicitur *permutatio*; hoc enim ſignificat cambire rem vnam pro alia permutare. Secundò, dicitur pecuniæ pro pecunia, quia in cambio traditur pecunia præſens pro alia pecunia diſſimili; dicitur etiam negotiatoria, quia non quæuis permutatio pecuniæ pro pecunia dicitur cambium, ſed quæ eſt cum ſpe alicuius lucri: ex qua definitione colligitur primò cambium non eſſe emptionem, & venditionem, quia in emptione, & venditione propriè loquendo oportet alterum extremum eſſe pecuniam, alterum verò mercem à pecunia differentem: in cambio autem vtrunque extremum eſt pecunia, quia non eſt maior ratio, cur vna ſit pretium alterius, quam altera. Secundò, colligitur cambium non eſſe locationem, quia in locatione non transfertur dominium rei locatæ, ſed tantum vſus: at in cambio transfertur dominium pecuniæ, quæ cambitur, & commutatur cum altera; vſus enim eius eſt conſumptio pecuniæ; præterea in locatione datur pretium pro vſu rei locatæ: at in cambio nihil datur pro vſu pecuniæ. Tertiò, colligitur cambium non eſſe accommodatum, quia in cambio dominium transfertur, quod non contingit in commodato. Quartò, colligitur cambium non eſſe mutuum. Ratio, quia habent contrarias conditiones, nam primò mutuum poteſt eſſe in materia conſumptibili, vt frumento, vino, &c. at cambium tantum in pecunia. Secundò, mutuum requirit ſpatium inter dationem, & redditionem, cambium non, niſi per accidens, quia commutatur cum pecunia valdè diſtante. Quartò, mutuum completur dando vnam pecuniam, cambium non completur, niſi duabus, in mutuo nihil poteſt accipi ratione mutui, at in cambio poteſt aliquid accipi ratione cambij. Quintò colligitur, quod diſtinguitur etiam à depoſito, quia in depoſito eadem res numero, quæ deponitur, reſtituitur in cambio vero alia diuerſa.

R. 2. Cambium eſſe innominatum contractum, & ſpeciem illius do, vt des, quo pecunia datur pro pecunia; eſt enim innominatus, quia non habet proprium nomen ſpecificum, & ſpecies illius do, vt des, quia datur pecunia pro pecunia, & quemadmodum in contractibus innominatis ante eorum impletionem ex vtraque parte licitum eſt ab eis reſilire, ſaltem in foro externo, ita in cambio, qui pecunias accipit, detrahit tanquam ſuas, nõ tanquam alienas donec ex parte ſua impleat, traditione enim transfertur dominium, in foro verò interno probabile eſt reſilutare obligationem naturalem.

Quotuplex ſit cambium?

BRACTEA II.

R. DVPLEX eſſe, vnum ſiccum, alterum verum, & reale. Cambium ſiccum non eſt verè cambium, ſed immaginarium, & fictitium, ſed eſt quoddam mutuum ſub imagine cambij realis, quod accidit, quando commutatur pecunia præſens per ea, quæ fingitur, ac ſimulatur abeſſe, cum in eodem loco, in quo recipitur reſtitui debeat, quod non eſt aliud, niſi quoddam mutuum cum lucro ob dilationem temporis, & expectatam ſolutionem, quod eſt vſura; & dicitur cambium ſiccum, quia caret humore, ſiuè iuſto titulo accipiendi lucrum, vt ait Nauarrus *cap. 17. num.* 283 & alij communiter. Cambium reale duplex eſt minutum, & locale, ſeu per litteras: Cambium minutum eſt contractus, quo minora numiſmata permutantur cum maioribus, aut maiora cum minoribus, vt cum quis dat pecuniam auream pro argentea, vel è contra cum ſpe lucri: Cambium locale, ſeu per litteras eſt illud, quo permutatur pecunia præſens pro alia verè, & realiter abſente, quæ eſt in alio loco; quod contingit quando Campſarius hic Taurini pecuniam prius tradit Campſori, ſiuè numulario, vt eam alibi recipiat, v. g. Romæ.

An cambium ſit licitum?

BRACTEA III.

R. Cambium eſſe contractum licitum, dummodo ſit etiam cum aliquo iuſto incremento. Ratio eſt, quia duplex titulus intercedit pretio æſtimabilis, primus eſt virtualis, & imminens tranſportatio pecuniæ in cõmodum Cãpſarij: ſi enim formaliter tranſportanda eſſet, per alium licitè is acciperet aliquod ſtipendium, eoque maius quo loca magis diſtant, & ſubijciuntur pluribus periculis: ergo Campſor poteſt pro tali tranſportatione aliquid accipere. Et ita Nauarrus *cap. 17. num.* 289. Rebellus *lib.* 11. *quæſt. 6. num. 6.* Leſſius *lib* 2. *cap.* 23 *dub.* 3. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 456. Valentia *tom.* 3 *diſput.* 5 *quæſt.* 23. *pun.* 4. Molina *diſput.* 444. Toletus *lib.* 5 *cap.* 53. *num.* 6. Em. Sà *verbo cambium num.* 4. & alij. Secundus titulus eſt aſſecuratio, Campſor enim accipiens pecuniam Taurini Romam traijciendam, vel Venetijs, &c. non ſolùm

ſuſcipit onus traijciendi, ſed etiam periculum, ita vt ſi pereat non Campſario, ſed ipſi Campſori pereat; ergo pro tali aſſecuratione poteſt aliquid accipere.

Sciendum in cambio hanc formulam ſeruandam eſſe: primò, vt ſtatim acceptis litteris pecunia ſoluatur: ſecundò, vt non ſtatim receptis litteris, ſed iuxta conſuetudinem loci expectatis nonnullis diebus à die, quo acceptantur litteræ, vt interim mercatores poſſint parare pecuniam ſoluendam. Solent autem communiter eſſe octo, vel quindecim dies, & aliquando amplius iuxta loci diſtantiam, & alias circunſtantias. Tertiò, ſolet fieri cambium per litteras præfixo termino ſolutioni, quod ſolet contingere, quando fit cambium ex loco, vbi ſiunt nundinæ, pro loco in quo non ſunt nundinæ, ſed tantum forum mercatorium: terminus autem præfixus poteſt eſſe vnius menſis, duorum, vel trium. Quartò, fit cambium per litteras ad terminum nundinarum, vt detur commodum tempus ſolutionibus faciendis.

An liceat pecuniam pluris vel minoris vendere, vel commutare, quam valeat intra legis præſcriptum?

BRACTEA IV.

SCIANDVM quod pecunia bifariam poteſt conſiderari: Primò ratione formæ, vt moneta eſt, hoc eſt quatenus rerum venalium pretium eſt. Secundò ratione materiæ, vt metallum quoddam eſt, nimirum aurum, argentum, vel æs: ſi pecunia primo modo conſideretur, duos ſortitur vſus, ad quos, vt pecunia eſt deſtinatur, vnus eſt per ſe, qui cõuenit pecuniæ formaliter, & quatenus pecunia eſt, ſcilicet in quantum eſt adinuenta ad negotiationes; qui etiam duplex eſt, vnus qui competit pecuniæ per ſe primò ſcilicet quatenus ſit pretium rerum venalium, alius qui competit per ſe; ſecundariò, vt commutatio pecuniæ pro pecunia, & dicitur per ſe, quia competit etiam hic vſus pecuniæ formaliter; dicitur autem ſecundarius, quia pecunia non fuit primò, & potiſſimùm inuenta, vt cum alia commutetur, ſed vt eſſet pretium aliarum rerum. Quo poſito.

R. Duplicem eſſe opinionem: Prima eſt Medinæ *Cod. de reſtitutione quæſt. 2. de cambijs* & Valentiæ *tom. 3. diſp. 5. qu. 23. pun. 2.* qui docent non licere pecuniam pluris, vel minoris vendere, vel commutare, quam valeat iuxta legis præſcriptum: Secunda eſt Caietani *de cambijs cap 6.* Nauarri *cap 17. num. 283.* Bannez *2. 2. quæſt 78 art. 4.* & aliorum, qui admittunt id eſſe licitum. Ratio huius eſt, quia licet pecunia ſecundũ vſum principalem, vt pretium venalium eſt, non poſſit commutari, aut vendi pluris, quam eius æſtimatio legalis valeat, conſiderata tamen ſecundum vſum minus principalem, & ſecundarium, v. g. vt metallum, quoddam eſt pluris, aut minoris vendi poteſt, quam ſit eius legalis taxa.

Sciendum 2. Plura eſſe capita, ex quibus pecunia poteſt eſſe maioris, vel minoris valoris: Primò ratione materiæ, quia vna conſtat materia pretioſiori, quam alia. Secundò ratione formæ, quia pecunia vno ſigno ſignata pluris valet, quam ſignata alio ſigno. Tertiò ex decreto Principis, vel Reipublicæ minuentis, vel augentis valorem pecuniæ. Quartò ratione loci, quia pecunia loco remota vilius valet, quam præſens. Quintò ratione temporis, quia pecuniæ valor temporis decurſu creſcit, & decreſcit. Sexto ratione copiæ, vel penuriæ pecuniæ. Septimò ratione eorum, qui pecunias permutant, quando enim ſunt plures, vel pauciores, qui petunt pecunias à Campſoribus, tunc ipſi negotiatores cambiorum pretia augent, vel diminuunt. Nauarrus *de cambijs num 43.*

An in cambio minuto liceat aliquid accipere ſupra æſtimationem pecuniæ?

BRACTEA V.

R. In cambio minuto poſſe aliquod pretium accipi. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia obſequia, quę campſor præſtat, vt congregare pecunias diuerſi generis, & eas habere paratas cuicunque volenti cambire, conducere officinam in qua per ſe, vel per ſuos famulos ei muneri deſtinatus incumbat, numerare pecuniam, & ſimilia ſunt pretio æſtimabilia, & digna iuſto pretio; poterit ergo aliquid accipi vltra pretium monetarum, quæ cambiuntur.

Sciendum multis de cauſis poſſe aliquem exigere pretium in cambio minuto; prima eſt ratione officij cambiendi, & obſequiorum, quæ neceſſariò præſtanda, quia ſicut in monte Pietatis poteſt aliquid ratione officij, exigere qui mutuo dat cum illud officium ſit pretio æſtimabile, ita etiam poteſt quis ratione officij cambiendi aliquid exigere ſupra ſortem. Leſſius *cap 20 dub. penult.* Valentia *diſp. 5. quæſt. 23 pun. 4.* Salas *dub. 3 num. 2.* & alij. Secunda cauſa eſt ratione paritatis materiæ, ſcutum enim auri puriſſimi habet eũdem valorem legalem cum ſcuto inferioris ligæ: eſt tamen maioris pretij vulgaris ratione materiæ pluris ęſtimabilis. Tertia cauſa eſt lucrum ceſſans, quod campſor alias recipiſſet, ſi pecuniam cambio dediſſet. Quarta cauſa eſt labor numerandi, quem conſtat eſſe pretio æſtimabilem. Quinta eſt antiquitas monetæ, quia monetæ antiquiores ſolent pluris æſtimari. Sexta ratione vſus, facillimè .n. expenditur, ſi enim commutetur talis pecunia cum alia, quæ non expendatur in eo loco in tanto valore. Vnde excuſantur à peccato, qui peccunias externas vendunt aurificibus maiori pretio, quam ſit earum taxa facta à Principe. Ratio eſt, quia non vendunt pecuniam, vt eſt pretium, & menſuram rerum venalium, ſed vt eſt mera, quædam, & quędam res pretioſior, purior, & vtilior cæteris metallis, quę vt ſic pluris æſtimatur. Ita Leſſius *lib 2. cap. 22. dub. 2. num 14.* Bannez *2 2 quæſt 78 art. 4 de cambijs dub. 2.* Salonius *quæſt. 3. de cambijs art. 1. num. 27.* & alij.

An Perſonæ priuatæ commutando pecuniam poſſint aliquid accipere ſupra ſortem?

BRACTEA VI.

R. QVOD licet regulariter non poſſit perſona priuata in cambio minuto aliquid accipere ſupra ſortem, tamen ſi aliquid accipit non obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia perſona priuata commutando pecuniam cum alia præſtat eadem obſequia, quæ præſtat campſor ex officio. Tum etiam, quia dando auream pecuniam, vel argenteam pro ærea, &c. præſtat commoditatem pretio æſtimabilem, & ita Molina *tom. 2. de contract. diſp. 399.* & alij. Verum tamen eſt non poſſe perſonam priuatam tantum accipere, quantum accipit publicus campſor, nam campſor publicus plures habet ti-

tulos

tulos accipiendi aliquid, quam habeat priuatus; ergo perſona priuata non poteſt tantum accipere, quantum campſor ex officio.

An poſſit Petrus retinere lucrum, quod accipit ex commutatione pecuniæ aureæ domini ſui datæ ad emendas res neceſſarias ſi illas commutet cum æreis?

BRACTEA VII.

R. Poſſe Petrum tuta conſcientia tale lucrum ſibi retinere, dummodo ex tali commutatione non ſit cauſa damni domino ſuo. Ratio, quia talis commutatio cenſetur lucrum ex induſtria, quod cedit in fauorem lucrantis. Ita Leſſius *lib.2.cap.23. dub.2.nu.18.* Molina *diſp.* 405 Salas *tract. de cambijs dub.7.* & alii. Ex quo patet, eum qui aliena pecunia vtitur ad negotia, vel ad cambia non teneri domino pecuniæ reſtituere lucrum inde perceptum. Ratio eſt, quia huiuſmodi lucrum appellatur lucrum ex induſtria. Tum etiam, quia ſicut vendens triticum alienum eo tempore, quo charius valet ſatisfacit emendo, & reſtituendo tantundem æqualis bonitatis eo tempore, quo minoris valet ſi dominus illud ſeruaturus erat ad illud vſque tempus, quo minoris valet, etiamſi retineat ſibi lucrum, quo triticum alienum charius vendidit: ita, &c. Et ita Rebellus *lib.10.quæſt.10.num.2.* & alii. Verum ſi dominus patiatur damnum ex tali commutatione, ſeu ob negotiationē ſuę pecunię obligatur ad reſtitutionem damni, quanti domino intereſt pecunias non fuiſſe expenſas in emendis rebus domini; dominus enim rationabiliter præſumitur noluiſſe ſuam pecuniam ea ratione expendi cum ſuo detrimento, tenetur etiam ad reſtitutionem ſi dominus volebat eas pecunias pretioſiores tradi creditoribus, quia tunc cenſetur damnum intuliſſe creditoribus priuando illos emolumento pretioſioris pecuniæ. Ita Leſſius *lib.2. cap.23 dub.2.num.*18. Reginaldus *lib.25.num.*450. Azorius 3.*part.lib.*10.*cap.*4.*qu.*11. Molina *tract.2. diſp.*402. & alii.

Quot modis Cambium per litteras fieri ſoleat?

BRACTEA VIII.

R. Dvobvs modis: Primo modo fit cum campſor in vno loco pecuniam alicuius recipit cum pacto ſoluendi eam per ſe, vel ſuum correſpondentem in alio loco, vt v.g. ſi recipiat pecuniam hic Taurini, vt eam correſpondeat Romæ, Venetiis, vel, &c. Secundus modus eſt cum campſor ipſe, vel alter ipſius nomine pecuniam campſario dat, vt eam cum incremento ſibi, vel alteri à ſe deſignato ſoluatur, vt v.g. ſi Petrus cāpſor Romæ prius tradat pecuniam Paulo, vt illam deinde recipiat cum incremento in alio loco, vt in Hiſpania, vel Gallia, vel alibi. Secundò cambium per litteras priori modo licitum eſſe etiam cum aliquo iuſto incremento. Ratio eſt, quia ſi campſor re ipſa pecunias campſarii de loco in locum transferret poſſet petere aliquam campſationem; ergo etiam poteſt, cum dat illi litteras, quibus mediātibus alibi tantundem accipiat. Poteſt etiam accipere aliquod incrementum ratione obſequii, quod alteri præſtat traiiciendo pecuniam de loco ad locum. Secundò, quia campſores pericula ſubeunt, & labores ſuſtineat, vt in alium locum pecuniam traiiciant. Ita Silueſter *verbo vſura* 4.*q.*8. Nauarr. *cap.nauigandi num.*21. & alii. Tertiò ratione publici officii, quod faciunt in gratiam, & vtilitatem multorum.

An ſi cambium fiat intra eandem Prouinciam poſſit campſor aliquid accipere ſupra ſortem?

BRACTEA IX.

R. Ivste accipi poſſe, & ita Nauarr. *loco cit.dub.* 290. Bonſignanus *de cambijs cap* 7. *num.* 27. Molina *diſp.* 405. & alij apud Salas *dubit.*10. Ratio, quia ſicut iuſtè ſumitur lucrum in cambio ab vna Prouincia in aliam ob virtualem illam tranſlationem, labores, & pericula, que interuenire poſſent, ita poſſunt eſſe pericula, & labores intra eandem Prouinciam, & Regnum; adeſt enim virtualis illa translatio, quæ pretio æſtimabilis eſt, ideoque digna ſtipendio, & lucro. Verum ſi aliqua lege municipali id eſſet prohibitum, vtique non liceret, non eſſet tamen obligatio reſtituendi, quando id lucrum ex natura rei eſſet iuſtum, quia non peccaret contrà iuſtitiam, ſed ſolum contra obedientiam, & idcitcò non obligaretur ad reſtitutionem, cum obligatio reſtitutionis oriatur ſolum ex violatione iuſtitiæ. Ita Molina *tom.2. diſp.396.* Leſſius *lib 2. de iuſtit. cap.23. dub.*2. & alij. Si verò pretium, quod accipit eſſet iniuſtum, & immoderatum obligaretur ad reſtitutionem exceſſus, quia in iſto caſu violaret iuſtitiam, & per conſequens obligaretur ad reſtitutionem.

Sciendum ex conſtitutione Pij V. multas requiri conditiones, vt cambium de loco ad locum ſit licitum. Prima eſt, vt Campſarius litteras ſcribat, quæ mittantur veræ, & reales; Secunda ne pactum fiat de certo, & determinato intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis ſoluendo à campſario, ſi non ſoluat tempore conſtituto, licet poſt moram poſſit à Campſario exigi intereſſe, quia Summus Pontifex ſolùm prohibet ne deducatur in pactum; Tertia ne Campſor protrahat terminum ſolutionis ob pactum recipiendi lucrum, vt ſi campſor det Petro pecuniam ſibi ſoluendam Romæ ad tres menſes, & poſteà proroget terminum, quia Paulus promittit maius lucrum ſi terminus ſolutionis extendatur, & prorogetur, hoc enim damnatur à Pio V, cum vſura ſit accipere lucrum ob dilationem temporis. Ex quo fit, vt ſi campſor in Nundinis, quæ tribus menſibus diſtant, tradendo pecuniam primo menſe plus exigat, quam ſi traderet ſecundò, vel tertio menſe committit vſuram, quia ob dilationem ſolutionis aliquid plus exigit. Quarta conditio ne detur ad cambia, niſi pro nundinis proximis, pro terminis proximis iuxta cōſuetudinem, & vſum locorum. Verum ſi campſor det campſatio pecuniam ſoluendam in ſecundis, vel tertiis nundinis non ob id plus exigat, quam exigeret ſi pecuniam daret ad proximas tantum nundinas non cōmittit vſuram, alioquin committeret, quia ob dilationem temporis aliquid plus exigeret. Nauar. *cap.*17. *num.*283. Toletus *lib.*5. *cap* 53. *num.*7. Quinta ne termini ad ſoluendum longiores ſtatuant, quam poſtulet diſtantia locorum, nam ſi longiores termini prorogerentur, daretur occaſio committendi vſuram.

An cambium, quod dirigitur ad locum vbi Campſarius, nec pecuniam, nec correſpondentem habet, qui per eum ſoluat ſit iuſtum?

BRACTEA X.

R. Qvod ſi Campſor cambium ad aliquem locum dedit ei, quem probabiliter, ac prudenter credebat ſoluturum in eo loco, deinde verò intelligat, illum nec pecuniam, nec correſpondentem habere, vel habiturum, qui pro eo ibi ſoluat, licitè poteſt illum compellere, vt contractum adimpleat ſuiſque ſumptibus ponat pecuniam illam pro eo incremento in loco conſtituto in contractu; quod ſi alter nolit, vel non poſſit illic ſoluere poterit campſor repetere pecuniam, quam dedit, & cambium, & intereſſe ex eo, quod loco conuento non ſoluit. Ratio eſt, quia cum campſor bona fide contractum ex parte ſua compleuerit, conſequens eſt, vt teneatur campſarius quantum ex parte ſua poteſt, vel ſoluere quantum campſori intereſſent eum compleuiſſe contractum in illo alio loco. Secundò ſi campſor ſciebat, vel ſuſpicabatur à principio eum, qui cambium accepit in eo loco, in quo facienda eſt ſolutio, neq; pecunias, neq; reſpondentem habere, vel habiturum nihil poteſt per illud cambium exigere, ſi exigit, tenetur illud computare in ſortem. Ratio eſt, quia tale cambium reuera non ſubſiſtit, eius autem, quod non ſubſiſtit non poteſt eſſe lucrum, ac proinde nec percipi iuſtè ab illo poteſt, qui conſcius erat illius impotentiæ. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 286. & 299. Silueſter *verbo vſura* 4. *quæſito* 9. Molina *diſp.* 404. Leſſius *dub.* 7.

Sciendum quod ad hoc, vt contractus ſit iuſtus, nō requiritur, vt campſarius ipſo tempore contractus habeat iam actu, & re ipſa pecuniam in loco vbi facienda eſt ſolutio, ſed ſatis eſt, vt Campſarius in eo loco, in quo eſt ſoluturus, probabiliter exiſtimet, ſe tunc temporis habiturum pecuniam, vel ratione mutui, vel alia ratione, quia licet illa pecunia realiter actu non ſubſiſtat, ſubſiſtit tamen ſpe, & potentia, quod ſatis eſt ad cambium. Ita Nauar. *cap.* 17. *num.* 301. Salon. *tom.* 2. *de contractibus q.* 4. *art.* 2.

An campſor, qui bona fide dedit pecuniam ad cambium ſoluendam Romæ, ſed poſteà comperit Campſarium non habere pecuniam actu vel poteſtate; vel correſpondentem in eo loco poſſit tantum exigere quantum lucri percepiſſe ſi cambium Romæ ſoluiſſet?

BRACTEA XI.

R. Non poſſe tantum exigere quantum perceptiſſe ſi Petrus, v. g. Romæ ſoluiſſet, ſecluſo tamen lucro ceſſante, vel damno emergente. Ratio eſt, quia ſi poteſt exigere, vel hoc eſt ratione contractus, vel ratione deceptionis: non ratione contractus, cum non ſit verus contractus, eo quod non adſit vera promiſſio ex parte Campſarii, & ex parte Campſoris non adſit cōmutatio pecuniæ vnius loci pro pecunia in alio, nec pecuniam abſentem faciat præſentem, neque poteſt exigere ratione deceptionis in pœnam delicti, cum pęnę nō ſit ſoluenda ante Iudicis ſententiam. Ita Salon. *quæſt.* 4. *de cambijs art.* 2. *contr.* 7. *num.* 3. Salas *tract. de camb. dub.* 5. *num.* 2. & alij, licet contrariam opinionem ſequuntur Molina *tract.* 2. *diſp.* 404. *num.* 7. & Leſſius *dub.* 7. *num.* 69. Ratio eſt, quia Campſarius tenetur ſeruare Campſorem indemnem, qui bona fide contractum celebrauit.

An quando Campſor dat prior, vt alibi recipiat, poſſit lucrari, & quo titulo?

BRACTEA XII.

R. Tale cambium eſſe licitum, & poſſe Campſorem lucrari. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 4. Sotus *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 10. *art.* 1. Nauarr. *cap.* 17 *num.* 289 Ratio patebit ex infrà dicendis.

Sciendum Campſorem, qui prior dat pecuniam, vt alibi eā recipiat poſſe lucrari primò titulo virtualis translationis, quia numerando pecuniam præſentem ei, qui habet abſentem tantum obſequij illi pręſtat, quantum ſi pecuniam abſentem huc transferret: atqui obſequium translationis eſt pretio æſtimabile; ergo etiam numeratio pecuniæ præſentis pro abſente eſt pretio æſtimabilis, quia ęquiualet translationi. Tum etiam, quia qui petit pecuniam præſentem pro abſente petit lucrari onere translationis ſuæ pecunię in hunc locum: atqui hoc onere leuat illum Campſor numerando pręſentem, & illud in ſe ſuſcipit: hoc autem eſt pretio æſtimabile; ergo, &c. Secundus titulus, quo in hoc cambio lucrum poteſt, eſt maior ęſtimationis pecunię in loco, vbi datur, quā vbi redditur, ſiue ea ęſtimatio ſit, intrinſeca ſiue extrinſeca.

Sciendum 2. Duplicem eſſe pecuniæ valorem, ſeu æſtimationem, vt alibi dictum eſt, altera prouenit à lege, vel communi conſuetudine, qua pecunia taxatur, altera eſt extrinſeca, & fortuita proueniens ab extrinſecis, & fortuitis: prouenit autem hæc æſtimatio ex quatuor cauſis: primò ratione copiæ, & inopiæ pecunię, quo enim in aliquo loco apud mercatores eſt maior copia pecunię eò ipſa eſt minoris valoris ad res venales pręſentes, & conſequenter pro mercibus plus pecunię dandum eſt, quam dum eſt inopia, copia enim pecunię facit pretia mercium creſcere, quia pecunia, quę pro illis datur minoris ęſtimatur: pari modo quò minor eſt copia pecuniæ; eò ipſa eſt maioris valoris reſpectu mercium, quia plus mercium eadem pecunia comparari poteſt: hinc pecunię inopia facit pretia mercium decreſcere, quia pecunia, quę datur pluris ęſtimatur. Secundò prouenit hęc ęſtimatio ratione maioris, vel minoris multitudinis petentium ad cambium, ſicut enim multitudo emptorum facit, vt creſcant pretia mercium, ita etiam multitudo petentium ad cambium facit, vt creſcat valor pecuniæ Campſoris ſiue ea ſit preſens, ſiue abſens. Tertiò prouenit ex multitudine, vel paucitate dantium ad cambium, quò enim ſunt pauciores, qui velint dare ad cambium, eò pecunia Campſoris pluris ęſtimatur. Quartò ex neceſſitate pecunię, vt ſi Principi ingentes ſummę pro bello, vel alia cauſa publica ſint dandæ, vel ingens copia mercium offeratur venalis, quo enim pecunia eſt magis neceſſaria ad quoſdam vſus magni momenti, eo pluris æſtimatur reſpectu aliarum rerum venaliū, & Campſor ratione vtriuſque ęſtimationis intrinſecè, & extrinſecè poteſt aliquid lucrari. Tertius titulus eſt ratione lucri ceſſantis, vt ſi pecunia pręſens, quæ tendit ad cambium erat negotiatione expoſita. Quartùs titulus eſt ratione carentię pecunię, & periculi, ne non reſtituatur, & priuationis commo-

ditatis ea pecunia negotiandi, quia mercatores, & Campſores magni ęſtimant, quod ad vnum, duos, vel tres menſes cogantur carere ſua pecunia, idque tum ob periculum cui exponitur; tum quia interim priuantur commoditate per illam aliter negotiandi,

An ſit licitum vni cambientium recipere mercedem cambij ab altero, quando vterque ex eo cambio reportat æquale commodum?

BRACTEA XIII.

R. Evm, qui præuenitur ab altero poſſe lucrũ recipere. Ratio, quia ſuſcipit onus pretio æſtimabile in gratiã alterius, quod non tenetur gratis ſubire. Tum etiam, quia qui præuenitur, liberat alterum periculo, & expenſis tranſmittendi pecuniã; quod non minus eſt pretio æſtimabile. Et ita Molina *tract.2. diſp.405. num.2.* Salas *dub.20.* Reginaldus *lib.25.num.455 & 458.* Toletus *lib 5 cap.53. nu.6.* & alij; licet Mercatus *cap.4. de cambys* Lopez *lib.2. de contract. cap.13.* Garzias *de contract. lib.6. cap.33 difficult.2.* Rebellus *part.2. lib.11 quæſt.7.* contrariam ſententiam ſequuntur, nimirum non poſſe aliquid lucri recipere: fundamentum eorum eſt, quia ad omnem permutationem ex natura contractus exigitur ęqualitas apud omnes; cum ergo in propoſito caſu non pręſtet minus vnus, quam alter, nec minus vni, quam alteri vtilis, vel oneroſa pecunię tranſmiſſio euadat, fit, vt omni ſemoto ſtipendio vtrinque ęqualitas cernatur, & ſtipendio adiecto inæqualitas. Ergo nullum ſtipendium vnus ab altero abſque nota iniuſtitiæ exigere poteſt.

An qui pecuniam adulterinam exigit ſcienter, vel ex inaduertentia poſſit illam expendere?

BRACTEA XIV

R. Non poſſe; ratio eſt, quia pecunia vitioſa eſt; res autem vitioſa ſaltem notabiliter non poteſt alteri tradi vitio non detecto, neque ex eo, quod quis fuit deceptus, poteſt alios decipere, quia ſibi debet imputare, ſi talem acceperit. Vnde qui mutuat alteri pecuniam, vel ad cambium, non poteſt talem pecuniam mutuare, vel ad cambium dare propter rationem allatam. Secundò, mutuans pecuniam quam ad cambiendum cum labore, & expenſis aggregatam habet, non poteſt eam mercedem exigere, quam ſi ad exhibendum daret, niſi propter eam mutuationem lucrum illi verè ceſſet, vel damnum emergens, illudque in initio in pactum ſit deductum. Rebellus *par.2 lib.11 quæſt.9.* Tertiò, Campſorem poſſe ſemper lucrum exigere, ſiuè pecuniam auream det, vt æream accipiat, ſiuè è contrario det æream, vt accipiat aliam, licet non eiſdem cauſis, nam quando dat pecuniam auream, vt recipiat ærea, plures cauſas habet lucrandi, quam cum dat æream auream accepturus; ſed nihilominus ſemper habet ius lucrandi ratione ſui officij, & obſequij, quod in alterum præſtat, nam qui dat auream pecuniam mercatori, vt æream accipiat, ærea indiget, non aurea ad merces minutas emendas.

An cambium ratione officij ſit licitum?

BRACTEA XV.

R. Esse licitum: ratio eſt, quia obligatio, qua ipſe ſe aſtringit, eſt appretiabilis pecunia, vtpotè quæ multis ſubiecta eſt curis, periculis, & laboribus, & per conſequens pro iſta obligatione ciuili poteſt compenſationem petere. Ita Lopez *lib. 2. de contractibus cap.2.* Secundò, non ſolùm qui dat ad cambium ratione officij, poteſt licitè lucrum recipere, ſed etiam priuata perſona. Ratio eſt, quia talis perſona dando ad cambium præſtat rem pretio æſtimabilem. Tum etiam ſuſcipit in ſe onus transferendi pecuniam, & periculum ipſius, quæ omnia ſunt appretiabilia pecunia. Ita Valentia *tom.3 diſput.5. quæſt. 23. pun.4.* Nauarrus *cap.17. num. 288* Leſſius *lib.2. cap. 23. dub.2.* Tertiò, cambium ratione ſolius temporis eſſe illicitum. Ratio eſt, quia nihil aliud eſt, quam mutuum propter lucrum, & nihil differt à cambio ſicco, niſi quod in cambio ſicco paleatur vſura fictione quadam: at in iſto cambio manifeſtè accipitur mutuum cum promiſſione lucri.

An cambium ratione diuerſitatis monetæ ſit licitum?

BBACTEA XVI.

R. Licitvm eſſe pecuniam, quæ in vno loco pluris æſtimatur recipere reddendam eandem alibi, vbi ex eo, quod eſt ex materia viliori, non tanti æſtimatur, dummodo taxatio pecuniæ in vtroque loco ſit eadem. Secundò, commutare pecuniam in vno loco, vt eadem, vel ſimilis reddatur in alio loco, vbi pluris æſtimatur in ratione formæ, & pecuniæ iniuſtum eſt, & iniquum. Ratio, quia in hoc caſu vnus recipit amplius, quam dat; ergo eſt iniquus: Nauarrus *comment. de cambys num.48.* Tertiò, cõmutare pecuniam ratione materiæ minus pretioſæ pro alia eiuſdem materiæ magis pretioſę eiuſdem verò ponderis iniquum eſt, & iniuſtum, niſi fiat compenſatio minoris valoris cum maiori. Ratio, quia cambium eſt cõtractus ad iuſtitiam commutatiuam pertinens: vnde oportet, vt ſeruetur in eo æqualitas; & vbi commutatur pecunia vilioris materiæ pro pecunia materiæ magis pretioſæ eiuſdem ſpeciei, & ponderis non ſeruatur æqualitas inter vtramque pecuniam, niſi fiat compenſatio illius defectus, quem habet in ſuo valore pecunia illa vilioris materiæ: debet ergo neceſſariò fieri, alioquin cambium eſſet iniuſtum, & iniquum. Quod tamen intelligendum eſt, modò exceſſus valoris ſit alicuius momenti, quia ſi exiguus ſit, & paruus non eſt cenſendus mutare valorem pecuniæ.

An Campſor, qui in nundinis ſuas occultat pecunias, vt cambiorum pretia augeantur, peccet contra iuſtitiam?

BRACTEA XVII.

R. Qvod quando mala fide vnus, vel plures Campſores colligunt, ac congregant apud ſe omnes pecunias aliorum mercatorum, quod illis apud ipſos tantum exiſtentibus poſſunt cambiorũ pretia pro ſuo libito augere peccant contra iuſtitiam commutatiuam cum onere reſtituendi

quidquid propter huiuſmodi monopolium in pretijs cambiorum auctum fuit cum illius augmenti, & exceſſus iniuſti ipſi ſint in cauſa iuxta illam regulam iuris, ſi tua cauſa damnum datum eſt, iure ſuper his te ſatisfacere oportet. Quod etiam dicendum eſt de Campſoribus, qui inter ſe conueniunt, ne quis eorum pecunias aliquas conferat, niſi certo arbitrio ſuo taxata, ex quo mercatores ob pecuniæ neceſſitatem tale pretium dare compellantur; ſi verò abſque vlla conuentione inter ipſos facta vnuſquiſque illorum abſcondit ſuas pecunias, vt illis ſic occultatis appareat illarum penuria, qua pretia cambiorum augētur nō peccare cōtra iuſtitiam commutatiuam, licet peccent contra iuſtitiam legalem, & communem. Ratio primæ partis eſt, quia non magis obligantur Campſores ad exponendas ſuas pecunias eis indigentibus, quam obligentur mercatores ad exponendas ſuas merces venditoribus, quia non habent magis ius Campſarij in pecunias Campſorum, quam habeant emptores in merces mercatorum, at occultātes ſuas merces vſque ad aliud tempus, in quo pluris venduntur, non peccant contra iuſtitiam commutatiuam, nec obligantur ad aliquam reſtitutionem; ergo neque Campſores peccant contra iuſtitiam commutatiuam, qui ſeruant ſuas pecunias ad tempus, in quo cambia pluris valebunt, ac proinde neque ad aliquam reſtitutionem obligantur. Ratio ſecundæ partis eſt, quia qui damnum bono communi inferūt, peccant contra iuſtitiam legalem: at qui in nundinis ſuas pecunias occultant, nocent bono communi, cum per illam occultationem pretia cambiorum augeantur; ergo peccant contra iuſtitiam legalem.

An Campſarius poſſit obligari ad aliquam pœnam, ſi in ſoluendo fuerit in mora?

BRACTEA XVIII.

R. Posse ſtantibus duabus conditionibus: prima, vt pœna illa ſit exigua, & moderata: ſecunda, ne ſi adueniente ſolutionis termino pecunia citò non ſoluatur, dicatur ſtatim eſſe in mora, ſed concedantur illi aliquot dies, v. g. decem, quindecim, aut viginti, non enim commercia humana ad eas anguſtias redigenda ſunt, vt niſi intra pauciſſimos dies ſolutio fiat, ſit ſtatim illius debitor cenſendus in pœnam moræ incidiſſe. Secundò, quod quando cambium ſecurum eſt, ita vt nulla laboret ſuſpicione in contrarium iniquum eſt vltra eius ſtipendium aliam ſeruitutem à Campſario exigere. Secundò Campſor non poteſt paciſci cum Campſario, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eandem ſummam accipere ad recambium, niſi certò conſtet tantum lucri illum ex illa mora amiſſurum, quantum ex cambio perciperet. Ratio, quia non poteſt plus exigere ratione moræ, quam æſtimationem lucri ceſſantis, & periculi ſortis. Vnde cum detrimenta recambiorum ſæpè ſint maiora non poteſt illum ad hæc obligare, ſi tamen Campſor moraliter certus eſſet, ſe eandem pecuniam ſi termino conſtituto ſoluta fuiſſet, ſtatim ad cambium æquè, vel magis lucroſum dare poſſe, poſſet ſtipulari, vt Campſarius teneatur tandiù pecuniam illam per cambia, & recambia ad ſingulos terminos accipere, donec tandem ſoluerit ſortem, quia hoc nihil aliud eſt, quam illum obligare ad intereſſe lucri ceſſantis.

An Campſor, cui Campſarius poſt multa cambia, & recambia tradit pecuniam, teneatur eam computare pro extinctione capitalis, an verò lucri ceſſantis?

BRACTEA XIX.

R. Posse illam pecuniam computare pro extinctione lucrorum, & intereſſe capitalis, vt patet *ex leg. ſi vſuras cod. de vſuris*. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 23. dub.* 10 Ratio, quia quando ex debito aliquo principali tamquam ex radice naſcūtur alia debita tanquam fructus, tunc ſi fiat ſolutio: primò, cenſetur fieri pro fructibus illis, deinde ſi quid ſuperſit, computantur in ſortem. *Leg. 1. cod. de ſolutionibus*. Idque conſentaneum eſt praxi in ſimilibus debitis, vt in debito cenſuum, & in debito ex contractu ſocietatis. Tum etiam quia ſic habetur per conſuetudinem Campſorum, vt non accipient ſolutionem ſortis, niſi ſimul ſoluantur cambiorum detrimenta, ſeu lucrum, & intereſſe; licet aliqui exiſtiment id eſſe iniquum, & iniuſtum, quia quando quis eſt debitor ex pluribus cauſis eidem creditori eſt in poteſtate ipſius ſoluere debitum, quod maluerit; tum etiam quia ſi aliquid ſoluat, id cēſetur ſolutum pro debito, quod magis grauat, niſi debitor contrarium exprimat. Sed reſpondeo hoc verum eſſe, quando debita naſcuntur ex diuerſis cauſis. hæc autem naſcuntur ex vna, & eadem radice, nam alterum ex altero tanquam fructus à re fructifera pendet.

MALLEATIO LIX.

De contractu ſocietatis, & pactis in ſocietate.

Quid ſit ſocietas?

BRACTEA I.

R. Societatem eſſe conuentionem duorum, vel plurium conferentium induſtriam, laborem, vel pecuniam ad negotiationem lucrum, vel damnum proportione diuidendum. Ita communiter omnes.

Sciendum, quod in definitione ſocietatis. Primò dicitur, quod ſit conuentio duorum, vel plurium, & ponitur loco generis, & quia ſocietas non eſt vnius, idcircò dicitur duorum, vel plurium, quia vnus ſolus ſocietatem non facit. Secundò, dicitur conferentium induſtriam, laborem, vel pecuniam, quæ ponuntur loco differentiæ, cum in ſocietate quiſque debeat aliquid conferre, vt ſit particeps negotiationis, &c. Tertiò, dicitur ad negotiationem lucrum, vel damnum, quia quod traditur in ſocietate, exponitur negotiationi; ita vt lucrum, ſeu damnum, quod ex illa ſequitur, ſit proportionaliter commune. Nomine lucri intelligitur id, quod ex ipſa negotiatione oritur immediatè, non autem mediatè, & occaſionaliter. Vnde ſi quis negotiatur pecuniam ab altero contrahentium in ſocietatem poſitam ob ſuā induſtriam donatus fuiſſet à tertia perſona aliquo munere, id non obligari communicare cum cæteris contrahentibus, cum non ſit effectus immediatus negotiationis, ſed ſuæ ſapientiæ, & induſtriæ, negotiationis verò ſolum per accidens, & occaſionaliter.

Secun-

Secundò, tres eſſe ſpecies ſocietatis: prima dicitur ſocietas negotiationis, vt quando plures conueniũt in aliquo genere negotij, & de iſta agimus in præſenti: ſecunda eſt officiorum, & fit, cum quis officio fungitur, & alios ſibi ſocios adiciſcit, quibus communicat fructus, quos ex officio percipit: tertia eſt animalium, de qua etiam agemus ſuo loco.

An ſocietas negotiationis ſit contractus iuſtus?

BRACTEA II.

R. Societatem negotiationis eſſe contractum iuſtum, & licitum; eſt concluſio definita *in cap. per veſtras de donat. inter virum, & vxorem,* vbi Innocentius Papa III. hunc contractum iuſtum, & licitum approbauit; tum etiam quia quod iuſtè poteſt fieri ſeorſim ab vno quoque, iuſtè quoque à pluribus poteſt fieri, vnuſquiſque in particulari ex re ſua particulari poteſt negotiari; ergo etiam coniunctim cum alijs poteſt. Secundò, qui operam ſuam obligauit in vna ſocietate non peccat, neque obligatur ad reſtitutionem ineundo alias ſocietates, ſuaſque operas in his impendendo, dummodo id faciat ſine præiudicio prioris ſocietatis; ſi verò ſocietas damnũ patiatur, peccat, & obligatur ad reſtitutionem, cum videatur facere contra ſocietatis contractum; & per conſequens cenſetur peccare contrà Iuſtitiam. Molina *diſp* 49. Rebellus *lib.* 10. *quæſt.* 8. *num.* 4. & alij communiter.

Quot modis ſocietas negotiationis contrahi poſsit?

BRACTEA III.

R. Societatem, qua plures conueniunt in aliquo genere negotij tripliciter poſſe contrahi: primò quando quilibet contrahentiũ conferunt induſtriam, laborem, & pecuniam æqualiter, vel ſecundum ratam, & proportionem contrahentium. Secundò, quando vnus ponit pecuniam, & alter induſtriam, tertius laborem ſolummodo: tertio modo quando vnus ponit pecuniam, & alter induſtriam, & laborem ſimul.

Sciendum ſocietatem aliquando iniri omnium bonorum, aliquando aliquorum tantum, vt v.g. medietatis bonorum, vel alio perſimili, tertio aliquando lucrorum tantum, vt quando bona hæredum manent indiuiſa, ſolum enim communia ſunt lucra, & damna abſque culpa ſociorum obuenientia: quando verò contrahitur ſocietas, abſolutè intelligi debet non omnium bonorum ſimpliciter, ſed omnium quæ acquiſierint titulo oneroſo.

Quot conditiones requiruntur ad validitatem huius contractus?

BRACTEA IV.

R. Contractum Societatis ex ſe eſſe iuſtum, & licitum concurrentibus conditionibus neceſſarijs ad iuſtitiam contractus. Ita Rebellus *lib.* 15. *quæſt.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 251. & alij communiter. Ratio quia concurrentibus conditionibus neceſſariis ad iuſtitiam huius contractus ſeruatur in eo æqualitas cum ſocietas fiat tam ad damnum, quam ad lucrum, vnde niſi aliunde vitietur iuſtus cenſetur. Secundò, ad ſocietatem licitam, & iuſtam tres conditiones requiruntur. Ita Rebellus *loco cit.* & alii communiter. Prima eſt vt ſuper licita, & honeſta negotiatione fundetur, cum ſocietas fundata in negotiatione illicita non ſit obligatoria, quia nullus ad opus illicitum obligatur. Secunda, vt ſi pecunia perierit in ſocietate abſque culpa ſocii, pereat ipſi conferenti, ſicut etiam induſtria, & labor apponentium, niſi aliter ſit conuentum. Ratio, quia res domino perit, idcircò pecunia cenſetur perire conferenti, cum, ipſe ſit dominus ſortis. verum ſi culpa ſocij perierit pecunia, tunc conferenti obligatur ad reſtitutionem de dolo culpa lata, & leui, quia cum contractus ſocietatis ſit in vtilitatẽ ſolũ de lata, & leui culpa tenetur, niſi aliter inter contrahentes ſit conuentum, quia ſi alter ſocius iuſto pretio receperit in ſe periculum ſortis, tunc ſors capitalis peribit in quem periculum fuit tranſlatum, cum contractui ſocietatis addatur contractus aſſicurationis; vnde non cenſetur ſocietas iuſta, ſed leonina, & vſuraria quando quis tradit pecuniam eo pacto, vt periculum pecunię ſtet mercatori, lucrum verò diuidatur. Ita Nauar. *cap.* 17 *num.* 251. Sotus 6. *de iuſtit. quæſt.* 6. *art.* 1. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 385. Azorius 3. *part. lib.* 9. *cap.* 2. Gomez *tom.* 2. *variar. de ſociet. cap.* 4. *num.* 5. Rebellus *lib.* 10. *quæſt.* 2. & alii. Tertia eſt, vt lucrum, & damnum ſit commune ſecundum proportionem ſortis à ſingulis collatę, itaut vnuſquiſque pro ratione laboris, induſtriæ, aut pecunię tantum lucri, aut damni recipiat, quantum ſuę portioni correſpondet ad ratam pecunię, laboris, & induſtrię iudicio prudentum. Aſſeruntur etiam à Doctoribus alię conditiones, quę quia communes cum aliis contractibus, idcircò non numerantur à nobis.

Sciendum dubium eſſe, an iſte contractus ſocietatis ſit licitus ſi quis habens animum participandi in damno, vt cautiorem reddat mercatorem in conſeruanda pecunia fictè illi dicit, volo vt periculum pecunię, quam tibi trado ſit tuum? Ad quod reſpondeo talem contractum nullo modò licitũ eſſe, & veram ſocietatem, ſed leoninam. Ita Rebellus *lib.* 15. *quæſt.* 2. & alij. Ratio, quia de eſſentia huius contractus requiritur conſenſus vtriuſque contrahentis expreſſus; at ſi mercator aſſentitur dictis, non ſocietatem, ſed contractum vſurarium inire intendit. Vnde ſicut non tenetur contrahentem lucri participem facere, ſi quid inde lucretur, ita nec conferens pecuniam poterit vltra ipſam aliquid exigere, cum re vera nulla ſocietas interuenerit, ſed potius alius cõtractus. Tum etiam, quia fieri poteſt, vt ipſius hæredes decipiantur credentes, hunc contractum iuſtè celebratum fuiſſe, & per conſequens facere, vt periculum pecunię ſit apud negotiantem.

Ex qua culpa vnus contrahentium alteri obligetur?

BRACTEA V.

Sciendum eſt quod alibi diximus culpam iuridicam triplicem eſſe, nempè leuiſſimam, leuem & latam, culpam leuiſſimam eſſe omiſſionem illius diligentię, quam prudentiſſimi illius profeſſionis ſolent adhibere in ſuis negotijs, culpam leuem eſſe ommiſſionem illius diligentię, quam prudentiores, & diligentiores illius artis ſolent adhibere in negotijs tractandis, culpam latam eſſe omiſſionem illius diligentię, quam prudentes illius profeſſionis ſolent vti in negotijs ſuis. Quo poſito

R. Quilibet contrahens in ſocietate alteri obligatur de dolo, & de culpa lata, & leui, non autem leuiſſima, aut caſu fortuito. Ratio eſt, quia cum contractus ſocietatis ſit in vtilitatem vtriuſque ſolum de dolo, & culpa lata, & leui obligat, non autem leuiſſima, vt dictum fuit cum de contractibus in genere. An in foro cõſciētię obligatur etiam de leui, vt alibi dictum eſt; ſicut etiam non obligatur de caſu fortuitò, dummodo non ſit coniunctus cum aliqua culpa ſocij.

Quinam poſsit contractum ſocietatis inire?

BRACTEA VI.

R. Eos poſſe contractum ſocietatis inire, qui de ſuis rebus habent liberam diſponendi facultatem à iure non impeditam: Ita communiter omnes. Ratio, quia ſicut cęteri contractus ab his celebrari poſſunt, vt contractus venditionis, emptionis, &c. ita, & etiam poſſunt inire contractum ſocietatis. Qui verò non habent liberam auctoritatem diſponendi de ſuis rebus non poſſunt contractũ ſocietatis inire, ſicut nec alios contractus. Ratio, quia à iure prohibentur, cum non habeant adminiſtrationem ſuorum bonorum.

Sciendum filium de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi poſſe cum Patre contractum ſocietatis inire, quia eorum habet liberam diſponendi facultatem, ita ut Pater ponat induſtriam, & laborem, de bonis autem profectitijs, aut aduentitijs non poteſt contractum ſocietatis inire, cum eorum non habeat facultatem, diſponendi. Similiter poſſe filium cum Patre contractum ſocietatis inire, ita vt Pater ponat pecuniam filius verò induſtriam, & laborem, dummodo filius proprio nomine, & periculo negotietur, qui ſi nomine Patris negotiaretur totum lucrum eſſet Patris, cum talis negotiatio non eſſet contractus ſocietatis; Pupillum, & minorem non poſſe contractum ſocietatis inire, niſi de Tutoris, vel Curatoris licentia in vtilibus valebit contractus cum aliquo factus, in quo ſit ditior factus; amentes, & carentes vſu rationis non poſſe, cum prohibeantur à iure, quia non poſſunt exercere actus humanos defectu conſenſus; Religioſus cum non ſit ſui iuris, non poteſt contrahere, cum non poſſit ciuiliter ſe obligare: Medicus durante infirmitate infirmi non poteſt cum ipſo contrahere, ſicut nec Curator, ſeu Tutor cum pupillo, ſeu minori, *leg. ſi minori §. fin. ff. de contrahenda emptione*, quia à iure prohibentur; ſicut etiam, qui detinentur in carcere, prohibentur alienare in ſui perniciem.

An Aduocatus poſſit inire contractum Societatis ponendo laborem pro quota ſententiæ?

BRACTEA VII.

R. In foro conſcientiæ affirmatiuè iuxta Nauarrum *in manuali cap. 25. num. 30.* vbi ſic aſſerit, qui iuſtam cauſam Aduocato probo defendendam cõmitteret ſine vllo periculo iniuſtitiæ alicuius actionis in eo, promiſſa tertia, aut quarta lucri parte, vt is diligentiori ſtudio in iuſtã iuſtę cauſæ defenſionẽ incumberet, & ſæpius illum adeundo ſtudioſius ſe ipſum liberaret, letale facinus in ea ſententia non patraret, nullam enim naturalem, aut Diuinum, aut Eccleſiaſticam legem violaret, ſed ſolis ciuilis legis verbis aduerſaretur. Ita etiam docet Ioannes Valer. *in differen. vtriuſque fori verbo Contract.* *differ. 3.* Homobonus *de bonis part. 2. cap. 4. num 5.* & hanc opinionem probabilem putat Zanardus *in directer. Confeſſor part. 1. cap. 34. quæſt. 8.* vbi contrariam ſententiam tutiorem vocat. At Diana, qui vtramque refert opinionem eos, ita concordat, opinionem negantem habere locum in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ, vbi Deus eſt qui videt veritatem, & non reſpicit pręſumptionem, ſuper quam fundantur leges prohibentes ſocietatem, ſeu pactum inter Aduocatum, & Clientem de quota lite; ergo quoties deficit præſumptio fraudis, & iniuſtitiæ leges iſtæ non obligabunt. Diana *tract. 16. & 2. Miſcel. reſolut. 47.*

An tota iactura pecuniæ ſit apponentis, ſi contingat eam in negotio perdi?

BRACTEA VIII.

R. Totam iacturam pecuniæ eſſe apponentis, ſiue ipſa pereat in principio, aut in medio, aut in fine negotiationis, niſi aliter ſit conuentum. Ita Silueſter *verbo Societas*, Nauar. *cap. 17. num. 252.* Ratio, quia cum apponens ſit dominus pecuniæ ſi perit ipſi cenſetur perire. Tum etiam, quia ſi in fine negotiationis tota pecunia ſalua remanet, tota ſpectat ad illum, qui eam contulit, niſi aliter ſit conuentum; ergo ſi perit, perit ipſi apponenti. Dixi niſi aliter ſit conuentum, quia intercedente pacto, & iuſto pretio pro grauamine impoſito, perit etiam ſocio, in quem periculum fuit tranſlatum. Ratio, quia non repugnat contractui Societatis addere contractum aſſecurationis capitalis, vel lucri; & ſicut iſti contractus poſſunt cum alio iniri, ita etiam poſſunt cum ſocio iniri, cum id non repugnet contractui Societatis. Tum etiam, quia ſicut qui ponunt induſtriam, & laborem, eum ſubijciunt periculo amittendi lucrum, ita etiam, qui apponit pecuniam, ſubijcit eam periculo amittendi. Nauar. *cap. 17. num. 251.* Sotus *lib. 6. qu. 6. art. 1.* Silueſter *verb. Societas*, & alij.

Quomodo ponens pecuniam in ſocietate poſſit ex illa percipere lucrum, cum pecunia ſit infructifera?

BRACTEA IX.

R. Apponens pecuniam in contractu ſocietatis ſimpliciter ratione pecuniæ non poteſt aliquid accipere, ſed ſolum ratione negotiationis. Ita Rebellus *lib. 15. qu. 2.* & alij communiter. Ratio, quia pecunia eſt ex ſe infructifera, & eſt ſolum fructifera mediante induſtria hominis. Secundò apponentem pecuniam in contractu ſocietatis poſſe ratione periculi, cui illam ſubijcit aliquid accipere ſupra ſortem. Ita Rebellus *loco cit.* & alij. Ratio, quia, vt ſic eſt fructifera, & lucroſa; cum ſit inſtrumentum negotiationis, ex qua percipiuntur fructus induſtriæ. Ita Silueſter *verbo ſocietas 1. quæſt. 1.* Nauar. *cap. 17. num. 251.* Rebellus *quæſt. 2. de ſociet. num. 2.* Reginald. *lib. 25. num. 373.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 24. pun. 1.* & alij communiter. Tertio quantitatem lucri non modo deſumendam eſſe ex quantitate periculi, ſed etiam ex quantitate pecuniæ appoſitę in ſocietate idest maioris, vel minoris quantitatis. Ita Nauar. & Rebell. *locis citatis*. Ratio, quia non ſeruaretur æqualitas ſi aliter fieret. Tum etiam, quia ſic receptum eſt conſuetudine; tum etiam, quia quò maior

eſt quantitas pecuniæ, eò maius eſt inſtrumentum lucrandi, & per conſequens maior debet eſſe effectus lucri, licet etiam ob maius periculum, cui exponitur pecunia maiorem lucri partem debeat habere exponens ipſam, alioquin ſequeretur magna inæqualitas in diuiſione lucri, & contribuens magnam quantitatem pecuniæ in negotiatione exigui periculo ex lucro ingenti, quod inde expectaretur, modicam partem haberet, & apponens operam, vel induſtriam parui momenti, totum ferè lucrum reciperet, quod præter rationem omnibus eſſe videtur, & per conſequens diuiſio lucri facienda eſt, tam ratione pecuniæ, quam ratione periculi.

An finita Societate ſaluo capitali integrè remaneat ad illum, qui eam contulit?

BRACTEA X.

SCIENDVM in contractu ſocietatis pluribus modis poſſe paciſci, primò vt ijs, qui eam præbet, habet aliquam partem lucri, cęterum autem, & capitale remaneat ad illum, qui ſortem contulit, licet iſte contractus potius dici poſſit cōductio, quam ſocietas. Secundò, vt is, qui operam confert admittatur, vt verus ſocius, & ſolum ſit particeps lucri ſecundum æſtimationem laboris; quaſi tantum pecuniæ in ſocietatem contuliſſet, quanti æſtimantur operæ, vt v. g. ſi conferens pecuniam conferat centum duplas, & operæ ſocii æſtimentur quinquaginta ſit particeps lucri quaſi in ſocietate contuliſſet duplas quinquaginta. Tertiò, vt is qui operam confert non ſolum efficiatur particeps lucri, ſed etiam ſortis ſecundum æſtimationem operarum, ita vt negotiis peractis ex tota ſumma, quæ ex ſorte, & lucro conflata erit, tantum extrahat, quantum ſi loco operarum pecuniam contuliſſet. Quartò vt ſocius qui operam confert, non ſit particeps ſortis, ſed tantum lucri, ita vt ſi peracta negotiatione nihil remaneat niſi capitale, ipſe nihil habeat, & ſub hac ratione quaſi omnes ſocietates fiunt. Quo poſito.

R. ſi contractus ſocietatis, primo, ſecundo, & quarto modo fiat, ipſa peracta ſaluo capitali pertinet ad ipſum, qui illum cōtulit. Ratio, quia ſi pecunia periret, periret illi qui eam contulit; ita ſi extat finita ſocietate tradenda eſt illi, qui eam contulit. Ratio patet ex conuentione; tum quia par eſt, vt qui ſentit commodum, ſentiat etiam incommodum. Secundò, ſi contractus ineatur tertio modo peracta ſocietate ſaluo capitali illud erit diuidendum inter contrahentes. Ita Rebellus *lib.* 15 *queſt.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 253. Ratio quia talis conuentio non cenſetur contraria ſubſtantiæ contractus ſocietatis, & per conſequens validè fit.

Sciendum 2. Quod ſi Petrus ineat ſocietatem cum Paulo, & Petrus conferat mille aureos, & Paulus operam, & induſtriam valentem quingentos, & lucrum ſit ducentum aureis, Paulus habebit tertiam partem tàm ex lucro, quàm ex capitali, reliquæ duæ partes erunt Petri. Quod ſi ante finitam ſocietatem ſors pereat, qui operam confert, obligatur ſoluere apponenti pecuniam partem æſtimationis operarū, quæ conferendæ reſtabant, quia ſicut ſalua ſorte, & opera exhibita, debetur ſocio conferenti operam certa pars ſortis, ita pereunte ſorte, & opera ſalua, ideſt nondum tota exhibita debetur ſocio, qui poſuit ſortem pars æſtimationis operæ reſtantis, vt ſeruetur æqualitas. Leſſius *loco citato*. Tertiò, ſocietas contrahi poteſt, vt pecunia capitalis ſit communis cum ſocijs, & finita ſocietate diuidatur, ſi integra remaneat. Ratio, quia talis obligatio non repugnat naturæ contractus ſocietatis, quia eſſe poteſt, vt induſtria, & opera vnius tanti valeat, quantum pecunia alterius, & quemadmodum opera, & induſtria communicatur, ſic etiam pecunia poteſt communicari. Et ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 253. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 2. Rebellus *par.* 2. *lib.* 15. *quæſt.* 2. & alii.

Quid faciendum cum vnus confert pecuniam, & alter operam, & finita ſocietate nihil eſt lucri?

BRACTEA XI.

R. EVM, qui confert operam, nihil habiturum ex capitali, niſi aliter ſit conuentū, quia ſicut quia contulit pecuniam, amittit lucrum ſperatum, ita qui poſuit operas, amiſit earum æſtimationem, & ſicut ille pecuniam periculo expoſuit, ita etiam hic operam ſuam, vel eius æſtimationē. Quod ſi dicatur non eſſe parem conditionem? Reſpondeo negatiuè, cum vterque aliquid amittat vnus æſtimationem lucri ſperati, & alter operam ſuam.

Sciendum tunc dominium capitalis appoſiti in negotiatione effici commune, quando ex capitali emptæ ſunt merces, aut comparata alia pecunia, aut capitale cum lucro miſcetur, & quia dominium mercium, aut alterius pecuniæ efficitur commune ſociorum, mixta eſt enim opera cum capitali, ideò dominium capitalis tunc fit commune, & ita omnes ſocij ſunt domini illius rei totalitate rei, & res illa eſt ſingulorum partialitate dominij. Molina *diſp.* 416. Filiucius *tract.* 38. *de contract. lib. cap.* 3. *num.* 51. Secundò vt ſupra dictum eſt lucrum poſſe diuidi. Primò vt cōferens operam ſolum habeat aliquotam particularem, v. g. dimidiam, vel tertiam, &c. quam ſcilicet meretur eius opera, reliquum ſpectet ad eum, qui contulit capitale. Secundò, vt qui confert operas ſolum ſit particeps lucri iuxtà ęſtimationem operarum, vt v. g. ſi opera æſtimetur centum, & alter contulit mille, qui contulit operam erit, ac ſi contuliſſet centum, hoc eſt pro vndecima parte. Tertiò, vt qui confert operas non ſit particeps ſortis, ſed tantum lucri, atque adeò ſi nihil ſuperſit ſupra ſortem nihil habeat.

Quid agendum quando opera ſocij pluris valet quam pecunia alterius, & peracta ſocietate ſola ſors remanet?

BRACTEA XII.

R. SI contractus initus fuit quarto ſupra dicto modo conferentem pecuniam nihil obligari ei dare, ſed tota ſors ipſius remanebit. Ratio, quia in contractu quarto modo celebrato dominium collatæ pecuniæ non fuit tranſlatum, & per conſequens eſt conferentis, & ſi perit, domino ſuo perit, & ſi conſeruatur domino ſuo conſeruatur: nec refert, quod ſocius amittat æſtimationem operarum, quia etiam apponens pecuniam, amittit lucrum ſperatum. Secundò, & ſi opera ſocij longè ſuperant ſortem, & peracto contractu ſola ſors remaneat, apponens pecuniam, non tenetur compenſare iacturam alterius. Ratio, quia ſicut quando ſors longè ſuperat operas, qui eas contulit, nihil compenſare tenetur apponenti ſortem; & peracta ſocietate ſola ſors ſuperſit, qui poſuit ſortem, non compenſare tenetur,

niſi

niſi aliter ſit conuentum. Tertiò, ſi contractus tertio modo fuit initus apponens ſortem peracta ſocietate ſocijs compenſare tenetur, etiamſi ſola ſors ſuperſit. Ratio, quia ob conuentionem dominium fuit factum commune, & per conſequens proportione diuidendum eſt inter ſocios.

An in contractu ſocietatis ſit licitum ſaluo capitali lucrum certum à ſocijs reportare per contractum aſſicurationis?

BRACTEA XIII.

R. Conferentem pecuniam non poſſe cum ſocio paciſci, vt ſaluo capitali aſſignet ſibi lucrum certum ſimpliciter, & abſolutè ratione contractus ſocietatis. Rstio, quia in contractu ſocietatis pecunia collata. & lucrum debet ſubiacere periculo negotij, & per conſequens talis conuentio eſſet contra naturam contractus ſocietatis. Secundò per contractum aſſicurationis capitalis, & lucri poteſt conferens pecuniam in alium transferre periculum, &c. media iuſta mercede, & pretio. Ita Nauar. *cap.17.num.*256. Leſſius *lib.2.cap.25. dub.*3. Valentia *tom.3. diſp.5.quæſt.14.pun.*2. Molina *tract.2.diſp.* 417. Reginaldus *lib.25.num.*397. & alij. Ratio, quia nulla fit iniuſtitia, cum onus ſubeundi periculum compenſetur mercede iuſta.

Sciendum in contractu ſocietatis quo quis media mercede in alium transfert periculum, & capitalis, & lucri tres eſſe contractus. Primus eſt contractus ſocietatis, quo quis ſperando lucrum ſuam pecuniam exponit periculo negotiationis. Secundus aſſicurationis capitalis, quo quis media mercede accipit in ſe periculum capitalis appoſiti in negotiatione. Tertius, aſſicurationis lucri, quo quis mercede lucrum incertum aſſicurat pretio certo, vt v. g. quinque, vel ſex pro centum ſoluendo ipſum eſſe curat. Tertiò non modo cum tertia perſona conferens pecuniam in contractu ſocietatis poteſt media mercede transferre periculum capitalis, & lucri, ſed etiam cum vno cotrahentium. Ratio, quia ſocius negotij non cenſetur peioris conditionis, quam alia perſona, & ſicut poteſt tertia perſona media mercede ſubire periculum, & capitalis, & lucri, ita & ſocius negotij poteſt tale periculum media mercede in ſe ſuſcipere. Quartò non modo iſti contractus ſucceſſiuè fieri poſſunt, ſed etiam ſimul, & eodem tempore; & cum eodem ſocio, & cum diuerſis perſonis. Ita Rebellus *lib.15.quæſt.*4. & alij communiter. Ratio, quia omnes iſti contractus aſſicurationis capitalis, & lucri per ſe, & diuiſim ſumpti ſeruatis conditionibus ſunt liciti, & iuſti, ſiue fiant cum ſocio contractus, ſiue cum diſtincta perſona, ſiue ſimul, & eodem tempore, ſiue ſucceſſiuè, & diſtinctis temporibus.

Sciendum 2. In contractu aſſicurationis capitalis, & lucri non eſſe neceſſe, quod iſti contractus expreſſè fiant, ſed ſatis eſſe quod contrahentes illos intendant per vnicum contractum. Vnde ſi quis cum mercatore tali modo contraheret, confero tibi mille nummos aureos ad ſocietatem, vt quot annis ſoluas quinque, aut ſex pro centum ſalua ſorte implicitè intelligitur velle inire cõtractum trium contractuum, nimirum contractum aſſicurationis capitalis, & lucri; quia cum experientia certum ſit lucrum pecuniæ in negotiatione eſſe aliquando duodecim, vel quindecim, & aliquando pluris, vt mercatores fatentur, apponens pecuniam cenſetur remittere quatuor, vel ita

quinque ex lucro incerto, pro aſſicuratione capitalis & ſimiliter tria, aut duo pro aſſicuratione lucri incerti. Secundò, quod vt contractus ſocietatis cum aſſicurationa capitalis, & lucri ſit licitus, & in conſcientia tutus plures requiruntur conditiones. Prima, vt non adſit fraus, ſed verè, & realiter tres contractus celebrentur, aut intendantur. Secunda, vt accipiens pecuniã in contractu ſocietatis non poſſit illa pro ſuo arbitratu vti, ſed obligetur ex illa negotiari negotio licito, & honeſto. Tertia, vt deponens pecuniam, tam pro aſſicuratione capitalis, quam pro redemptione lucri certi, iuſtum pretium ſoluat iudicio prudentis conſideratis periculis, &c. Quarta, vt contractus aſſicurationis, tam ſortis, quam lucri liberè, & ſpontè fiant.

An in contractu ſocietatis fas ſit accipere pignora pro ſecuritate pecuniæ?

BRACTEA XIV.

R. In contractu ſocietatis licitum eſſe paciſci ab apponente pecuniam, vt ea non negotietur, niſi cum deſignatis perſonis, aut non expendatur, niſi in tali genere mercis, aut tali loco, vel tempore, atque pro ſecuritate poſſe accipere pignora, ita vt ſi prædicta pacta non ſeruet, velit, nolit ſuo nomine negotiabitur, totaque iactura inde ſequens ad eum pertinebit, & obligabitur ad reſtitutionem, licet lucrum acquiſitum contra pacta ſocietatis ſibi aſſumere poſſit, obligatur tamen ad lucrum ceſſans, & damnum emergens, cum negotiatus non ſit pecuniam iuxta conuentionem contrahentium. Secundò non eſſe licitum contractum quo quis accipit pignus pro ſecuritate capitalis tempore negotiationis, ita vt ſi capitale pereat, poſſit retinere pignus pro ſecuritate ipſius traditum. Ratio, quia debet pecunia expoſita ſubiacere periculo, niſi mercede aſſicuretur, non ſubiaceret periculis ſi ipſam deponens ob ſecuritatem acciperet pignus, licet, vt ſupra dictum eſt poſſit accipere pignus, quod non negotietur pecuniam, niſi in tali merce, vel in tali loco, &c. Ita Nauar. *cap.17. num.*259. Rebellus *lib.15. quæſt.5.num.*1. Ratio, quia pecunia negotiationi tradita ſolum periculo negotiationis debet ſubiacere, non autem ſi pereat contra pactum, vel ex culpa negotiantis. Tertiò, non poſſe in contractu ſocietatis, qui ponit laborem, & induſtriam petere ſecuritatem iuſto ſtipendio. Ratio, quia ſi id faceret, talis contractus non eſſet ſocietatis, ſed locationis, quia tunc alter ſuum laborem, & induſtriam locaret certo ſtipendio ei dato quacunque ratione negotium illud ſuccedat proſperè, vel aduersè. Quartò, qui dat pecuniam ei, quem probabiliter ſcit non eſſe negotiaturum, licet petat ad negotiandum, obligatur ad reſtitutionem recepti, iuxta Rebellum *par.2. lib.15. quæſt.*5. cum non intersit ob probabilitatem, quam habebat, ipſam non eſſe negotiaturum vera ſocietas, ſed ſimulata, ac mutui palliati acceptio, ac proinde à peccato non liberatur, nec ab onere æſtimationis accepti ſupra ſortem.

An

An qui cum ignorantia inuincibili contrahit cum aliquo contractum ſocietatis vſurarium conſuetum, tamen in illa regione peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XV.

R. CONTRAHENTEM cum aliquo ignorantia inuincibili contractum ſocietatis vſurarium conſuetum in illa regione nõ peccare mortaliter. Ratio, quia prudenter agere cenſetur, qui iuxta conſuetudinem operatur. Tum etiam, quia ſicut auctoritas vnius viri eruditi excuſat à peccato tranſgreſſionis legis, multò magis conſuetudo acceptata, & quę eſt in vſu. Secundò, contrahentem poſſe retinere, quod contractu iuſto, & licito acquiſiuiſſet. Ita Nauarrus *de vſuris lib. 5. conſil.* 20. Ratio eſt, quia bona fides excuſat. Tum etiam quia celebrauit contractum iuxta conſuetudinem receptam in ſua Prouincia.

An qui pecuniam contulit, poſſit incrementum exigere finita ſocietate, ſi pecunia creuit?

BRACTEA XVI.

R. POSSE ponentem pecuniam exigere incrementũ, quod in fine ſocietatis habet. Ratio, quia cẽſetur dominus pecunię; ergo ſi creſcit, illi creſcit, & non socijs. Tum etiam quia augmentum eſt quid intrinſecum ad pecuniam, tum quia ſi decreuiſſent, apponenti decreuiſſent. Tum etiam quia ſi non exigeret incrementum, non reciperet totum ſuum capitale appoſitum in negotiatione, ſed ſolum partem ipſius.

Sciendum, quod & ſi finita ſocietate capitale, & augmentum ſit apponentis, & ſocij apponentes pro capitali laborem, & induſtriam lucrum nullum habeant, non tamen in contractu eſt iniuſtitia, ſed æqualitas, quia ſicut apponens pecuniam nullum lucrum habet, ita ſocij apponentes pro capitali laborem, & induſtriam nullum ex labore, & ind. fructum habent, augmentum capitalis non eſt lucrum, ſed pars ipſius, & cum ſit pars, pertinent ad ipſum, qui poſuit capitale, cum ipſius capitalis ſit ſemper dominus quoadusque illi reſtituatur.

An expenſæ, quæ fiunt ratione ſocietatis, ſint communes?

BRACTEA XVII.

R. EXPENSAS, quæ fiunt cauſa ſocietatis eſſe communes, dummodo aliter non ſit conuentum. Ita Leſſius *lib. 2. cap.* 25 *dub.* 4. Rebellus *lib* 15. *quæſt.* 8. Silueſter *verbo ſocietas quæſt.* 12. Nauarrus *cap.* 17. *num* 285. Molina *diſp* 418. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 295. & alij. Ratio, quia quæ fiunt ad commune bonum, debent eſſe communia.

Sciendum expenſas, quæ fiunt in ſocietate, aut eſſe ex cauſa proxima ſocietatis, aut remota: quæ fiunt cauſa proxima ſocietatis, ſunt v. g. quæ fiunt in aſportatione mercium de loco ad locum, vbi pluris venduntur, & quæ in cibo, & potu in itinere tàm pro ſe, quàm pro famulis neceſſarijs fiunt, modò non ſint ſuperfluæ, & ſimiles, vt ſunt etiam eleemoſynæ moderatæ, quæ fiunt intuitu fęlicis exitus ſocietatis. Rodriquez 1. *par. cap.* 47. *num.* 5. Mantica *tom.* 1. *tit.* 19 Petrus Nauarrus *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 467. & alij. Quæ fiunt cauſa remota, & occaſione ſocietatis ſunt, v. g. ludere, conuiuari, & eleemoſynam ad oſtentationem facere, & ſimilia, quæ non pertinent ad negotiationem immediatè: expenſæ, quæ fiunt priori modo, cum ſint ordinatę ad bonum commune, debent eſſe communes. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 283. Rebellus *par.* 2. *lib.* 15. *quæſt.* 7. Silueſter *verbo ſocietas*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25 *dub.* 4. Expenſæ verò, quæ fiunt ſecundo modo ex proprio marſupio debent fieri, cum non ſint ordinatę ad bonum commune ſocietatis. Quando verò ſocius in defendenda re ſocietatis vulneratus fuit à latronibus, curandus eſt pecunia ſocietatis, cũ patiatur damnum hoc, ex cauſa proxima ſocietatis, & ob id ſocietas tenetur ad omne damnum, quod patitur cauſa ipſius.

An ex ſumptibus itineris detrahendum ſit, quod ſocius domi conſumpſiſſet?

BRACTEA XVIII.

R. EX maſſa lucri ſocietatis poſſe detrahi ſumptus, quos ſocius in itinere fecit in cibo, & potu, non quoad quotam, aut quoad totum, ſed ſolùm pro rata parte, & detrahendo ſumptus, quos ſocius domi feciſſet. Ita Rebellus *lib.* 15. *quæſt.* 7. Silueſter *verbo ſocietas*, Angelus *eodem verbo num.* 11. & alij. Ratio, quia ſocietas tenetur ſolùm præſtare ſumptus, in quibus damnificatur cauſa ſocietatis, & cum non ſit damnificatus in ſumptibus, quod domi feciſſet, ſequitur eos poſſe detrahi. Vnde ſi in itinere ratione famulatus, & aliorum pro ſecuritate mercium adductorum conſumpſit, v. g. quinquaginta libras, & ipſe domi conſumpſiſſet viginti libras, debet has expenſas detrahere, licet plures teneant opinionem contrariam. Quod ſi dicatur *ex l. ſi fructus §. ſi quis ex ſocijs*, & *ex l. ſecundum Iulianum ff. pro ſocio*, expenſas itineris debere fieri ex bonis communibus ſocietatis? Reſpondeo intelligendas eſſe de exceſſu, qui cauſa ſocietatis ſit, non autem de his, quas domi feciſſet.

An quando opus eſt pro ſocietate facere ſumptus, qui de bonis communibus extrahi non poſſunt, teneatur ſocius ex proprijs facere?

BRACTEA XIX.

R. CVM Rebello *lib.* 15. *quæſt.* 7. non obligari ex iuſtitia ex ſuis proprijs pecuniis facere expẽſas, aut ab amicis mutuo petere, niſi aliter conſuetudine ſit receptum, quia quamuis teneatur adhibere tantam diligentiam pro rebus ſocietatis, quantam pro ſuis adhiberet, hoc tamen intelligendum eſt intra limites negotiandi per operas ſocietatis expreſsè, vel implicitè obligatas, inter quas mutuatio ex proprijs, vel aliunde numeranda non videtur, præcepto tamen charitatis obligatur ex proprijs, vel mutuatis ſocietati ſubuenire, quando ſumptus ſunt neceſſarii ad cauendum damnum emergens, & tunc dabitur actio negotiorum geſtorum ad

repetenda

repetenda appoſita contra alios ſocios, cum vtiliter geſſerit negotium ſociorum; licet Leſſius *lib. 2. cap. 25 dub. 4.* Salonius *lib. 2. de contractibus diſput. de societ.* Molina *tom. 2. diſput. 418.* & alii affirmant teneri ex iuſtitia, & per conſequens negligendo obligari ad reſtitutionem.

Quomodo ſit habenda ratio damnorum?

BRACTEA XX.

R. DAMNVM, quod ſequitur culpa lata, vel leui ſocii, non eſt commune ſocietati, ſed ſoli illi imputatur, qui eſt in culpa: quod autem ſequitur ex cauſa proxima ſocietatis, erit commune. Ita Rebellus *lib. 15. quæſt. 7. num. 4.* Silueſter *verbo ſocietas quæſit. 9.* Angelus *eodem verbo num. 15.* Reginaldus *lib. 25. num. 394.* Molina *diſput. 418. num. 7.* & alii. Ratio primę partis eſt, quia cum ſocietas ſit contractus in vtilitatem vtriuſque contrahentes, ſolùm tenentur de culpa lata, & leui. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſicut lucra, quæ proueniunt cauſa ſocietatis, ſunt communia, ita & damna debent eſſe communia.

Sciendum, quod ſi damna ſola occaſione ſocietatis euenerint tanquam à cauſa remota, tunc non debent eſſe communia ipſi ſocietati, vt v. g. ſi quis in itinere ob priuatam inimicitiam à ſuis inimicis vulneratus fuit; vnde fecit multas expenſas, damnū hoc à ſocietate non debet reſtitui, cum non fuerit ab ipſa tanquam à cauſa proxima, ſed ſolum tanquam à cauſa remota. Secus dicendum erit, ſi vulneratus fuiſſet ad defendendas merces ſocietatis, quia tunc damnum quod paſſus eſt vulneratus in expenſis deberet eſſe commune ſocietati. Similiter ſi quis ob ſuam abſentiam non fuit inſtitutus hæres, qui fuiſſet inſtitutus, ſi præſens fuiſſet, tale damnum non debet eſſe commune ſocietati, quia eius abſentia non cenſetur cauſa immediata, ſed occaſio, cur non fuit inſtitutus hæres; idcircò ſocietas non tenetur reſtituere damnum. Similiter ſi damnum ex culpa lata, vel leui ſocii euenetit, tunc non debere eſſe commune, cum par non ſit, vt ſocietas patiatur damnum ex culpa ſocii. Tum etiam quia ſic colligitur ex Inſtituta *de ſocietate §. vltimo, & leg. ſocius ff. pro ſocio.* Ita etiam Molina *diſput. 295. & diſp. 413.* & magis expreſsè *diſp. 418.* & alii.

Cuius ſit damnum, quando res ſocietatis fuerunt furto ſublatæ?

BRACTEA XXI

R. DAMNVM eſſe commune, dummodo alter ſocius non ſit in culpa. Ratio, quia ſicut ſocii ſtant in lucro, ita eſſe debent in damno, quod caſu fortuito, vel contingenti ſequitur. Tum etiam quia cum nullus particulariter ſit in culpa, par non eſt etiam, vt alicui particulariter damnum adſcribatur, ſed ſocietati. Secundò, ſi alter ſocius erit in culpa, ipſe particulariter obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti. Ratio, quia illi damnum eſt imputandum, cuius eſt culpa: vnde ſi res ſocietatis fuerint conſignatæ ſub cuſtodia alterius, & defectu debitæ diligentiæ fuerint furto ſublatę, ipſe obligatur ad reſtitutionem, cum illi ſit imputandum damnum. Similiter ſi in ipſis aduehendis non ſit vſus qualibet diligentia, vel quia ſuſcepit periculoſiorem viam, cum poſſet tutiorem ſuſcipere, vel, &c. ſi fuerint furto ſublatæ, obligatur ad reſtitutionem, modò non perèant culpa leuiſſima, cum talis reſtitutio non includatur in obligatione contractus, niſi expreſsè de culpa etiam leuiſſima pactum fuerit; licet ad aliqualem reſtitutionem obligaretur iuxta proportionem culpæ, ac detrimenti ſubſequuti. Rebellus *loco cit.*

Quid dicendum, quando ſocietas eſt inita cum pacto, vt tertius arbitretur, & hic moriatur?

BRACTEA XXII.

R. SI moriatur, antequam ſocietas executioni mandata ſit, contractus eſt ipſo iure nullus. Ratio eſt, quia rebus adhuc integris deficit conditio, ſub qua contractus celebratus fuit. *Leg. ſi ita ff. pro ſocio:* ſi fiat compromiſſio in aliquem tanquā in arbitrum ſtandum erit illius ſententię, ſi tanquam in arbitratorem ſtandum etiam erit illius arbitrio, niſi iniuſtitia in eo appareat; tunc enim niſi cōgruam ſui arbitrii rationem afferat, recurri poteſt ad Iudicem ordinarium, qui per ſe, vel per alium iterum arbitrari faciat. *Leg. ſocietas. cum quatuor ſequent. ff. pro ſocio;* in dubio autem an compromiſſum fuerit tāquam in arbitrum, vel arbitratorem, hoc ſecundum cenſendum eſt. *Leg. ſocius ff. eodem.*

An pactum vt capitale, quod ſocius in commune deducit, ſaluum ſit in quocunque caſu fortuito, illudque ſocius reficere debeat, ſit licitum?

BRACTEA XXIII.

R. NEGATIVE cum S. Thoma, Conrado, Angelo, Silueſtro, & aliis variis locis, quia reuera capitale non conferretur in commune, ſed mutuum daretur, & eſſet ſocietas leonina, in qua ſocii ita conueniunt, vt alter lucrum tātum, alter verò damnū ſentiat; licet alii aliter ſentiant, & fundamentū eorū eſt, quia tale pactū tñ eſt, præter naturā, nō aūt contra, ideòque ex conuentione poteſt vim, & legem accipere. Secundò pactum, vt ſocius præſtet ſecuram ſortem, & det aliquem fructum ſingulis annis, reliquum ſibi retinear pro periculo ſuſcepto licere, iuxta quam ſententiam hæc dicenda ſunt. Primò pecunia, quæ confertur in commune, etiamſi ſalua debeat permanere, non propterea dari mutuo quia non recipit ſocius eam, ita vt ea poſſit vti, in quem finem voluerit, ſed tantum in conuentam, & deſignatam negotiationem. Secundò, vt pactum huiuſmodi ſecluſo quolibet iure poſitiuo non videatur vſurariū, & iniuſtum, ſi fiat iuſta compenſatione oneris, cauendum tamen ab eo eſſe, vbi non eſt introductum ad euitandam vſuræ ſpeciem. Tertiò, conſuetudinem receptam eorum, qui ſuas pecunias dant mercatoribus cum pacto, vt capitale ſecurum ſit, & ſingulis annis fructum aliquem certum accipiant celebratis expreſsè, vel tacitè tribus contractibus ſocietatis, aſſecurationis, venditionis incerti lucri pro certo minori licitum eſſe. Nauarr. *cap. 17.*

An pactum, quod ſocietas tranſeat ad hæredes ſit validum?

BRACTEA XXIV.

R. Societatem regulariter non tranſire ad hæredes,& pactum adiectum vt ad eos tranſeat eſſe nullum *leg. nemo 1. leg. verum §. in hæredem ff pro ſocio*. Ratio, quia in ſocietate eligitur induſtria perſonæ,neſcitur autem,qualis futurus ſit hæres, ſi tamen defuncto ſocio hæres illius conueniat cum alijs ſocijs,vt continuet in ſocietate,cenſebitur de nouo inita, ideòq; valida *leg. planè ff. pro ſocio*: ſufficit etiam tacitus conſenſus,qualis cenſeretur adeſſe, ſi ſocietas continuaretur nemine contradicente. Ita apud Molinam *diſp. 412. num. 7.* At ſi ſocietas eſſet circà vectigalia,vel gabellas publicas, & eſſet appoſitum pactum vt tranſiret ad hæredem, vtique ad fauorem publicum haberet locum, ac ſi non eſſet appoſitum. Idem contingeret in hoc,quod in alijs,modo hæres iudicio prudentis cenſeatur idoneus, alioquin pactum nihil impediret diſſolutionem *leg. adeò, & leg. verum §. in hæredem ff pro ſocio*. Secundò,quando ſocietati contractæ,vt ad hæredes tranſeat, adderetur ab omnibus ſocijs iuramentum, tranſiret ad hæredes ſocietas, & tenerentur ſocij continuare ſocietatem cum hæredibus. Ratio,quia pactum illud non eſt contra bonos mores naturales, ſed tantum ciuiles:at iuramentum confirmat contractum,quod non eſt irritum iure naturæ,ſed potius validum, Molina *diſp.414.*

An pactum, vt qui v.g. ponit mille in ſocietatem, non poſſit amittere, niſi centum, ſicut nec lucrari, niſi centum, ſit validum?

BRACTEA XXV.

R. Non eſſe licitum,quia non cenſeretur exponere negotiationi niſi centum, nam reliqua reliquit mutuata, ſed moraliter loquendo centum negotiationi expoſita non ſunt apta ad lucranda alia centum. Vnde pactum erit illicitum, & vſurarium. Vnde qui deponit pecuniam ad negotiandum ea lege,vt non ſubeat periculum, niſi certæ partis non poterit recipere ex lucro, niſi tantum, quantum illi parti ſecundum proportionem reſpondet, vt ſi v.g. Petrus ſubeat periculum in quinque, Paulus verò in triginta quinque, eſt autem lucrum ſexdecim,tunc Petrus reportabit ex lucro duo, Paulus verò reliqua. Ita Sotus *lib. 6. qu. 6. art. 2.* Bannez 2.2. *qu. 77. art. 4.* & alij.

An qui extrahit pecuniam à negotiatione minis coactus, poſſit exigere lucrum ceſſans, etiamſi non ſit deductum in pactum?

BRACTEA XXVI.

R. Affirmatiuè: ratio,quia mutuatarius per iniuriam extorquendo pecuniam à negotiatione cenſetur cauſa iniuſta damni,cauſa autem iniuſta damni tenetur ad reſtitutionem etiam ſecluſo pacto. Ita Molina *diſput. 315.* Arragonius 2.2. *quæſt. 78. art. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 20 dub 11 num 79.* & alij. Secundò eum,qui ante contractum mutui ſuam pecuniam à negotiatione extrahit, & poſtea mutuo dat non poſſe ſine labe vſuræ lucrum exigere ratione mutui. Ratio,quia lucrũ nõ ceſſat ratione mutui,ſed ex ſola voluntate mutuantis, cum ante mutuum iam extraxerit pecuniam à negotio. Tertiò,in diuiſione mutui neceſſarium eſſe prius extrahi eleemoſynas, quæ fuerunt datæ,vt Deus dignaretur præbere negotio proſperum finem. Ratio eſt,quia qui ponit induſtriam,& laborem, ſtatim habet ius ad faciendas impenſas,quæ illi videbuntur neceſſariæ ad augmentum ſocietatis: dare autem eleemoſynam moderatam ad impetrandum Diuinum fauorem,certum eſt eſſe medium valdè ſalutiferum,& neceſſarium;ergo,&c.

MALLEATIO LX.

De officijs.

Quænam ſit origo, & inſtitutio ſocietatis officiorum?

BRACTEA I.

R. In Romana Curia eſſe multa officia fructifera ad miniſterium Curiæ, & iuſtè vendibilia eo pretio,quod determinatum eſt à Pontificibus,vt ſunt officia Notariatus, Secretariatus, Abbreuiatorum, Equitum S.Petri, & aliorum, quæ redditus quoſdam habet, & quæ auctoritate Papæ venduntur, & durant ad vitam eorum, qui emunt, & quoniam Pontifices voluerunt, vt Officiales eſſent honorabiles perſonæ, accidit autem ſæpè ſæpius, vt qui hæc officia eſt empturus, non poſſit per ſe ipſum totum officium emere,quibus Summus Pontifex cõceſſit,vt poſſint admittere ſocios, hac tamen lege vt officium vni tantum maneat,qui pro rata officij redditus ſocio, vel ſocijs diſtribuere teneatur, v.g. decem, aut duodecim pro centum ſecundum officiorum iuſtum redditum. Ipſum porrò officium temporale eſt, nam mortuo officiali remanet officium in manibus Papæ, niſi Officialis ante mortem per quadraginta dies renunciauerit alteri officium. Socij, qui admittuntur,dupliciter admitti ſolent:primò, in ipſa ſũptione officij,quia Officiale nõ põt totũ emere ſuis pecunijs:ſecũdo poſtquã emit quia.n.ſępè indiget pecunia,ideò admittit alios ſocios,qui licet plures ſint, vnus tamen eſt verè Officialis, quo viuente durat officium, & quo moriente ceſſat officium, niſi reſignet. Fundamentum ſocietatis eſt, vt qualis eſt proportio officialis erga proprium officium,talis ſit ſuo modo ſocij erga Officialem, atque ita ſicut mortuo Officiali officium, ac pro eo Papa lucratur id, quod Officialis dedit, ita mortuo ſocio officialis lucratur, quod illi ſocius dedit:è contra ſicut ſi officium extingueretur, viuente Officiali reddenda eſſet illi pecunia, quam impedit in emptione officii, ita ſi officialis moriatur, vel alia ratione deſinat eſſe talis, reddatur ſocio ſua pecunia:ſunt autem adhibitę duę cautelæ: prima, ne moriatur ſocius morte violenta: ſecunda, vt Officialis det fideiuſſionem pro pecunia ſocio; ſit autem hæc ſocietas communiter ſemeſtre, ſi plus duratura ſit,debet ratificari, ratificatur autem,ſi accipit fructus,quod ſi debeat reſcindi, ſocietas,opus eſt,vt admoneatur alter quindecim diebus ante?

Quas conditiones exigat iſta ſocietas?

BRACTEA II.

R. Plvres requiri conditiones, vt iſta ſocietas ſit licita: prima, quod fundetur ſuper officiũ, quod ſit in Romana Curia ex parte vtriuſque contrahentis: ſecunda, ne is, quod habet officium, & pecunias accepit in ſocietate, plures ſocios admittat, aut plus pecuniarum accipiat, quam officii æſtimatio poſtulet: tertia, vt ſocius, quem ſibi aſſiſcit is, qui habet officium, pecuniam numeratam coram Notario, & teſtibus ſoluat: quarta eſt, vt is, qui habet officium, & pecunias in ſocietatem accepit, eas reſtituere debeat in omnem euentum, ſi is, qui dedit, iunxerit ad ſex menſes: item debeat quoq; ſoluere certam lucri partem, videlicet ad ſemeſtre: quinta conditio eſt, vt qui habet officium, & centum accepit ad ſex menſes, ſoluat ſex tanquam lucrum, & fructum ex centum: ſexta, vt qui habet officium, & pecunias accepit in ſocietatem, lucrum ſoluat anticipatè, videlicet in principio ſemeſtris: ſeptima conditio eſt, vt is, qui habet officium, & centum recepit in ſocietatem, ſoluere debeat ſex ad ſemeſtre, tanquam lucrum ex centum in omnem euentum, etiam amittat, vel dimittat officium, immò poſt finitam quoque, aut ſolutam ſocietatem, donec qui accepit centum, re ipſa reſtituat: octaua eſt, vt ſocij non plus habeant redditus, quam ex officio obueniat, vnde ſi officia non fructificant, niſi octo per centum, non poſſunt ſocii exigere decem: nona conditio eſt, vt cum hæc officia induſtriam Officialis poſtulent ſingularem, non tantum lucri ex redditibus ſocii percipiant, quantum Officialis, qui plus lucrari de iuſtitia debet. Secus ſi officia induſtriam non exigant.

Quot modis huiuſmodi ſocietas diſſoluatur?

BRACTEA III.

R. Solvt ſex modis: primò, aduentu temporis, pro quo conſtituta eſt, niſi enim denuò in eam ſocii conſentiant, diſſoluitur, atque adeò cum ſemper ſoleat contrahi ad ſex menſes elapſo ſexto diſſoluetur, niſi denuò in eandem conſentiant, quod fit recepto fructu anticipatè, ſex pro centum. Secundò, ſoluitur morte ſocii naturali, idque per pactum additum; ſi verò ſocius moriatur morte violenta, v. g. ferro, veneno, &c. tunc ſocietas non ſoluitur. Tertiò, ſoluitur morte eius, quem ſocius nominaſſet loco ſuo, cum enim ſupra eius vitam fundata ſit ſocietas, vtique eo moriente intra ſemeſtre, & non ſoluta ſocietate ſoluitur, & tunc Officialis lucratur ſortem. Quartò, ſoluitur morte Officialis, in huius enim vita officium fundatum erat, & eius morte redit ad Principem omni onere liberum, hæredes tamen tenentur reſtituere ſortem ſocio. Quintò, ſoluitur morte eiuſdem ciuili, vt ſi bona ipſius ob delictum publicarentur, & fiſco adducerentur. An autem tunc cogeretur fiſcus reſtituere ſortem? Reſpondeo teneri, quia ſi fiſcus tenetur ſoluere debita defuncti ciuiliter, tenetur etiam ſoluere ſortem debitam ſocio, quia hæc etiam computatur inter debita; deinde hæredes non poſſunt teneri vltra vires hæreditatis, at ſi fiſcus omnia bona capit, nil remanebit hæredibus; fideiuſſores autem debent ſe reddere indemnes ex bonis principalis, & conſequenter tanquam creditores fiſci, qui cepit bona defuncti, ciuiliter eſſent ab eo releuanda, vel ſoluenda ſors ſocio, cuius cauſa fideiuſſores vrgentur. Vltimò, ſoluitur ſocietas venditione officii ab Officiali, qui illud in alterum transferat ex Principis facultate; neque enim emptor cogitur continuare ſocietatem, qui liberum officium accipit, ſed venditor tenetur reſtituere ſortem ſocio, vel eius hæredes, vt docet Azorius *tom. 3. lib. 9. cap. 16.* in quo duplex dubitatio ab eodem excitatur: prima, an mortuo Officiali teneantur hæredes ſoluere, non modo ſortem, vel etiam fructum reddendum ſocio ab Officiali ob tranſactum ſemeſtre, vel eius partem? Ad quod reſpondeo, cum ſoleat anticipatè ſolui non remanere onus hæredibus moriente Officiali intra ſemeſtre ad illum ſoluendum, dato tamen quod non fuiſſet ſolutus ab Officiali, tenerentur hæredes tanquam ad debitum defuncti teſtatoris. Secunda, an teneatur ad reddendum totum fructum, an verò tantum pro rata menſium tranſactorum. Azorius *loco citato*, reſpondet debere tantum reſtituere pro rata, ſi accepiſſet totum debitum ratione integri ſemeſtris, & conſequenter neque hæredes tenebuntur ſoluere huiuſmodi ratam, ſi Officialis non ſoluiſſet, ſed vereor ne conſuetudo ſit contraria.

MALLEATIO LXI.

De ſocietate animalium, & de pactis in ſocietate.

Quomodo contrahatur ſocietas animalium?

BRACTEA I.

Sciendvm multis modis animalia tradi poſſe alicui. Primò in venditum, vt pretium ſtatuto tempore ſoluatur, hoc eſt dilata ſolutione pretii animalium venditorum. Secundò, in locatum locando alteri animalia illa concedendo ad vſumfructum media mercede ſoluenda ex fructibus eorum animalium, vel etiam in pecunia vt conuentum fuerit. Tertiò, ad cuſtodiam tradendo alteri animalia conſtituta mercede, vt ea gubernet, & faciat omnia, quæ facienda ſunt. Quartò ad ſocietatem, ita vt animalia fiant communia, vel ſaltem lucrum ex eis proueniens ponendo altero contrahentium induſtriam, laborem, vel etiam expenſas. Quo poſito.

R. Contractus ſocietaris animalium conſiſtit in eo, quod alter dat animalia, v. g. viginti vaccas ponenti laborem, & expenſas, vt lucrum ex eis proueniens, & ipſa animalia fiant communia. Ita Silueſter *verbo ſocietas quæſito* 4. Angelus *eodem verbo*. Reginaldus *lib. 25. num.* 401. Molina *tract. 2. diſp.* 920. Rebellus *lib. 15. quæſt. 6.* Azorius 3 *par. cap.* 8. & alii; etſi animalia pereant, apponenti pereant, non autem aliis, niſi ſint in culpa, licet apponens animalia in accipientem transferre poſſit periculum, modò tale onus compenſetur. Secundò, tribus modis poſſe animalia dari in ſocietatem: primò, quando omnes ſocii contribuunt in capitali: ſecundò, quando vnus, vel plures ponunt capitale, & alii operam, &c. tertiò, quando vnus ponit capitale, & etiam operam, & alter ſocius ſolùm operam ponit.

An ſocietas ſit licita, quando ſit pactum, vt ſi animalia caſu fortuito pereant, alter ſocius teneatur de caſu fortuito?

BRACTEA II.

R. TALEM ſocietatem illicitam, & iniuſtam eſſe. Ita definitur à Sixto V. in ſua conſtitutione, quæ incipit *Deteſtabilis auaritia*, quia eſt ad caput ſaluum. Ita Nauarrus *cap.* 19. Tum etiam quia tale pactum eſt contra naturam, & ſubſtantiam contractus. Si verò tale pactum compenſetur iuſto pretio, vel diminutione penſionis, ſocietas erit licita. Ratio, quia nulli fit iniuria, cum fiat compenſatio oneris. An qui æſtimat animalia in ſocietate tradita dicatur inire contractum ſocietatis? Reſpondeo diſtinguendo cum Molina *diſput.* 420 *quæſit.* II. vel æſtimat ea ſimpliciter, vel eo pacto, vt ſi caſu, & abſque culpa ſocij pereant, ſocius teneatur reſtituere pretium, vel alia animalia: ſi primo modo contractum ſocietatis cenſetur inire, nam illa æſtimatio præmittitur, vt ſi animalia culpa, vel dolo ſocij pereant, ſocius teneatur ad illorum reſtitutionem; ſi verò tradit animalia æſtimata hoc pacto, vt ſi pereant abſque ſocij culpa, ſocius teneatur reſtituere pretium, vel alia animalia, præſumitur contractum venditionis inire, in quo dominium animalium tráſfertur in accipientem, quia æſtimatio in eo caſu facit venditionem. *leg. æſtimat. ff. ſol. matrim.*

De conditionibus requiſitis ad iſtum contractum?

BRACTEA III.

R. TALES conditiones requiri ad iſtum contractum: prima, vt vnuſquiſque cõtrahentium conferat aliquid in ſocietatem: ſecunda, vt ſeruetur æqualitas, ita vt damna, expenſæ, lucra prouenientia cauſa ſocietatis ſint communia iuxta proportionem: tertia, vt animalia ſtent periculo apponentis, vt ſi pereant, apponenti pereant, & non ſocijs. Et ita communiter omnes. Quod ſi animalia perierint dolo, vel culpa ſocij ipſum obligari ad reſtitutionem, cuius culpa perierint, cum ob ſuam culpam cenſeatur cauſa iniuſta damni; ſi verò caſu fortuito perierint, non obligatur ad reſtitutionem, cum ſocius non obligetur de caſu fortuito. Sed dubium eſt, an ſocius, cuius culpa animalia perierint, obligetur ad reſtitutionem animalium iuxta valorem, quẽ habuerunt tempore traditionis in ſocietatem, an verò iuxta valorem, quem habuerunt tempore amiſſionis? Ad quod reſpondeo obligari ad reſtitutionem iuxta valorem, quem habuerunt tempore amiſſionis, cum incrementum pertineat ad dominum. Ita Rebellus *quæſt.* 8. *num.* 3.

An licitus ſit iſte contractus, quo paſtori traduntur animalia hoc pacto, vt illa paſcat, & cuſtodiat, & ſi aliquod perierit, compleatur numerus ex fœtibus, & in fine ſocietatis paſtor accipiat dimidiam partem reliquorum fructuum?

BRACTEA IV.

R. INIQVVM, & illicitum eſſe contractum, quo quis tradit animalia ſupra dicto modo paſtori, id eſt ſi aliqua pereant, compleatur numerus ex fœtibus. Ita Silueſter *verbo ſocietas quæſito* 4. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 404. Azorius *loco citato cap.* 7. *quæſito* 12. & alij. Ratio, quia in iſto contractu non ſeruaretur æqualitas, ſi expenſæ, & induſtria paſtoris pluris æſtimentur, quam valeat numerus animalium ipſi conſtitutus, & aſſignatus. Quod ſi expenſæ, labor, & induſtria paſtoris non pluris æſtimentur, contractus eſſet licitus, & iuſtus, ſi modus ſupradictus deduceretur in pactum. Ita Silueſter *verbo ſocietas* 2. *quæſt* 4. Azorius *cap.* 7 *quæſito* 12. Secundò, ſocietas centum ouium ad biennium contracta, vt ex ea dentur annua ſcuto octo, vel decem eſt iniuſta. Ratio, quia centum pecudes, vix valent centum ſcuta, & conſequenter lucraretur ad rationem ferè decem, vel nouem pro centum. Tum etiam quia certificatio certi lucri promiſſi pro incerto diminuere debet lucrum ſoluendum compenſando periculum. Tum etiam quia non dicitur in contractu, quod diminuatur pretium, ſi aliquot pecudes moriantur intra biennium. Tum quia ſi reficiendus eſſet numerus pecudum, eſſet ex agnis naſcituris, ob quod etiam diminuendum eſt lucrum.

An contractus ſit licitus, quo animalia traduntur in ſocietatem hoc pacto, vt ſi pereant, damnum ſit commune, ſi verò non pereant, capitale ſit apponentis, & lucrum diuidatur?

BRACTEA V.

R. CONTRACTVM, quo animalia traduntur in ſocietatem pacto, quod dãnum ſit commune eſſe illicitum. Ita Azor. *lib.* 9 *cap.* 7 *quæſit.* 10. & alii. Ratio, quia non ſeruatur æqualitas, cum nimis grauentur ſocij, & nõ compenſetur grauamen: tum quia tale pactum eſt cõtra naturam contractus. Si verò alter ſocius ſuſceperit in ſe periculum animalium per contractum aſſecurationis, vel etiam alia tertia perſona, tunc ſi animalia peribunt, vel ſocio peribunt, qui per contractum aſſecurationis eorum ſuſcepit in ſe periculum, vel aliæ tertiæ perſonæ iuxta dicenda de contractu aſſecurationis. Secundò, ſocietas contrahi poteſt pacto, vt animalia, periculum, damnum vtrique ſocio æquè ſit commune. Ratio, quia tale pactum non eſt contra naturam ſocietatis, ſed ſolùm præter; poteſt enim eſſe ſocietas hoc pacto, vt capitale, quod vnus in ſocietate tradit, cum altero communicetur, cum non deſinat eſſe dominus eius, & alterum quoque fecerit ex æquo dominum eiuſdem capitalis.

Sciendum tunc committi iniuſtitiam in ſocietate animalium, ſi plus lucri accipiat vnus ſocius, quam mereatur eius capitale, vel opera appoſita: tunc autem intercedit vſura, quando intercedit mutuum pa-

leatum nomine ſocietatis, vel locationis, vt ſi animalia alteri tradita ad cuſtodiam, vel pabulum non maneant periculo tradentis illa; tunc enim perinde eſt, ac ſi animalia, vel eorum valor detur alteri mutuo, vt reddantur integra poſt ſocietatem, & pro huiuſmodi mutuo deinde recipiatur aliquod lucrũ, excuſarentur tamen huiuſmodi ſocietates ab vſura, quando his adiunctus eſſet contractus aſſecurationis, ita vt periculum, ſeu onus appoſitum pretio compenſetur.

Quando diſſoluatur ſocietas?

BRACTEA VI.

R. SOCIETATEM quatuor modis diſſolui: primò, ſi finitum ſit tempus pro duratione ſocietatis conſtitutum: ſecundò, per remiſſionem, ſeu per renunciationem, quo ſocij renunciant obligationi, ac iuri ſocietatis, quia ſicut contractus mutuo conſenſu celebratur, ita per remiſſionem contrahentium diſſoluitur, dummodo ſit libera: tertiò, finitur ſocietas egeſtate alterius ſocij, vt ſi bonis ceſſerit, vel eius bona publicentur, vel ob paupertatem promiſſa contribuere non poſſit, vel etiam ſi ob infirmitatem promiſſam operam exhibere non poſſit: quartò, morte naturali, vel etiam ciuili, vt v.g. per relegationem alicuius ſocij, vel etiam per ingreſſum Religionis, aut profeſſionem.

MALLEATIO LXII.

De contractu ludi.

Quid ſit ludus?

BRACTEA I.

R. LVDVS eſt contractus, quo ludentes res ſuas exponunt periculo propter ſpem acquirendi rem, ſeu pecuniam alterius. Et ita communiter omnes. Secundò ludum ex natura ſua non eſſe illicitum, ſed honeſtum, immò ſi conſentaneè ad rectam rationem, debitiſque ſeruatis circunſtantijs exerceatur eſt actus virtutis, cum ſit animi leuamen ad melius laborandum. Vnde Cicero *lib.1. officior.* ait loco, & ludo vti licere, ſicut ſomno, & quiete, & non fieri malum contractum ludi ex nimio ludendi appetitu, neque ex appetitu lucrandi, niſi cum extenditur ad violationem alicuius legis obligantis ad mortale.

Sciendum, quod licet ludus ex natura ſua non ſit illicitus, & malus, tamen ſit malus, & illicitus in varijs caſibus. Primò quando interuenit irreuerentia contra Deum, quamuis non ſit peccatum mortale ludere in loco ſacro, neque etiam ratione temporis feſtiui, niſi impediatur auditio Miſſæ, aut aliud Præceptum Diuinum ſub mortali obligans. Vnde ex nimio affectu cum tali impedimento ludere eſſet peccatum mortale. Secundò quando admiſcentur dicta, aut facta mortalia, vt blaſphemia, periuria, &c. Tertiò quando intercedunt fraudes notabiles. Quartò ſi adſit aliquod periculum in vita, fama, &c. vel ſcandalum. Quintò cum quis ludit cum aliquo dolo, vi metu ad ludendum attracto, vel etiam cum eo qui non habet poteſtatem exponendi pecuniam ludo; ludere cum perſona Religioſa non eſt peccatum mortale, modo in ludo ſeruetur mediocritas.

An habens votum non ludendi poſſit inuitatus ludere ludo honeſto?

BRACTEA II.

R. HABENS votum non ludendi poteſt inuitatus ab altero ludere ludo honeſto, & recreationis gratia. Ita Rodriquez *1. part. c.189. n.10.* & alij. Ratio, quia tale votum intelligitur de ludo illicito, & in ludo, in quo magna quantitas pecuniæ exponitur, non autem de ludo licito, qui fit animo ſe recreandi, & in quo exigua pecuniæ quantitas ludo exponitur, quia hic cenſetur per epicheiam à voto exceptus.

Sciendum ex Bonacina *diſp.3. quæſt.11. pun.1.* Votum non ludendi abſolutè emiſſum nõ extendi ad ludum honeſtum, niſi aliter conſtet de expreſſa, vel tacita intentione vouentis, aut niſi ſit periculum excedendi limites ludi honeſti, nam votum non excedit intentionem vouentium: intentio autem vouentium videtur eſſe, vt voluerint ſibi adimere facultatem ludendi ludo illicito, vel ludo, quo bona prodiguntur, & diſſipantur Nauar. *cap.12. num.21.* Lopez *par.2. inſtruct. Confeſ. cap.35.* Rodriquez *part.1. ſum. cap.39.* Secus videtur dicendum de eo, qui abſolutè vouit abſtinere à ludo ob periuria, vel blaſphemias, in quas expertus eſt ſe prorumpere, non ſolum in ludo illicito, verum etiam licito, quia tunc vouens abſolutè præſumitur habuiſſe voluntatem abſtinendi à quouis ludo illicito, & licito, & quod ſolum eſt vrbanitatis, & honeſtatis gratia.

Quæ conditiones requirantur ad iuſtitiam contractus ludi?

BRACTEA III.

R. TRES conditiones requiri ad iuſtitiam huius contractus, vt dicatur licitus, & honeſtus. Prima conditio eſt, vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum deponunt. Secunda, vt alterum per iniuriam ad ludum non pertraxerit, vt v.g. minis, fraude, cum vitijs, &c. quia cenſeretur cauſa iniuſta damni. Tertia, vt non vtantur fraudibus contra leges ludi; quia ſi ſic vtentes obligarentur ad reſtitutionem damni ſecuti: ſi quis verò vteretur fraudibus ordinarijs, quæ iuxta conſuetudinem adhiberi ſolent, vt v.g. ſi quis videret ſocium errantem in numerandis figuris, vel agnoſcẽs ſe victurum ipſum inuitaret ad ſponſionem; quamuis inuitando ſimularet timorem ex cultu, &c. non obligaretur ad reſtitutionem. Ratio, quia nulli ſit iniuria adhibendo fraudes, quas ſolent, & omnes norunt adhiberi. Ita Rebellus. *lib.12. quæſt.3.* Clauis Regia *lib.11. cap.12. num.21.* Azorius *3. part. lib.5. cap.24.* Leſſius *lib.2. cap.25. dub.2.*

An qui aliquid lucratur per fraudes, quæ non conſueuerunt adhiberi, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA IV.

R. Qui lucratur per fraudes non ſolitas obligatur non ſolum ad reſtitutionem acquiſiti, ſed etiam damni ſecuti ſocio ob fraudem adhibitam. Ita Reginaldus *lib.*10.*num.*385. Nauar.*cap.*19.*num.*17. Rodriquez *cap.*189.*num* 5. Bonacina *de ludo*, & alij. Ratio primæ primę partis eſt, quia acquiſita fraude ſunt reſtituenda tanquam iniuſtè acquiſita: Ratio ſecundę partis, quia fraude cenſetur cauſa efficax damni, & fraus, & dolus nemini patrocinatur.

Sciendum, quod qui aliquid lucratus eſt ludo, vel quia chartas ſuffurauit, vel quia eas ſigno notauit obligatur etiam ad reſtitutionem lucri probabiliter impediti, in colludente. Similiter obligatur ad reſtitutionem, qui vt ſocium decipiat, & pertrahat ad ludendum ſe fingit ignorantem, & minus idoneum, cum cenſeatur cauſa damni per fraudem, vel etiam, qui ſe permittit vinci in primo, vel ſecundo iactu, vt poſteà faciliùs vincat. An verò obligetur ad reſtitutionem, qui auctionem factam ab altero colluſore acceptauit ex eo, quod admonitus fuit à tertia perſona inſpiciente chartas vtriuſque colludentis, vt eam acceptaret? Reſpondeo ſi ante admonitionem decreuerat non acceptare, obligatur ad reſtitutionem, quia vtitur fraude, ſicut etiam peccauit contra iuſtitiam, qui admonuit, & in defectum ludentis obligari etiam ad reſtitutionem; ſi verò ante admonitionem decreuerat acceptare, ad nihil tenetur; ſi verò dubius erat, obligatur ſolum ad ratam dubij. Molina *diſp.* 517. Rodriquez *loco cit.* Lopez *tom.*2.*cap.*32. & alij.

An qui alium ad ludendum pertrahit, obligetur ad reſtitutionem lucri?

BRACTEA V.

R. Qui liberè pertrahit aliquem ad ludendum, vel etiam precibus importunis, vel etiam conciliis, aut aliquibus minis non obligatur ad reſtitutionem ſi pertractus animo non reluctante ludat. Ita Molina *diſp.*516. Garzias *part.cap.*19. Lopez 1 *part. cap.* 14. Em. Sà *verbo lud.* & alij. Ratio, quia ſi liberè non fit iniuria, cætera verò non tollunt abſolutè libertatem, ſed ſecundum quid, & per conſequens cenſetur liberè luſiſſe. Tum etiam, quia qui tali modo ludit, & vicit poteſt retinere id, quod vicit; ergo etiam pertrahens alium ad ludendum ſi vincat, poteſt retinere, & non obligatur ad reſtitutionem. Molina *loco cit.* & alij. Secundò, qui fraude, mendacio, & metu graui, aut etiam enormibus conſilijs, & minis pertrahit aliquem ad ludendum obligatur ad reſtitutionem damni. Ita Rebellus *lib.*12. *quaſt.*3.*num.*7. Reginaldus *lib* 10 *num.*287 Banuez 2.2. *art.*7. Azorius 3.*part. lib.*1.*cap.*24 *quaſit.*1. Rodriquez *loco cit.* *num* 7. Leſſius *lib.*25.*dub.*2.*num.*9 & alij. Ratio, quia contractus ludi, vt cæteri contractus debet eſſe liber: Fraus, mendacium, &c. tollunt voluntarium, & qui ludit cenſetur inuoluntariè ludere, & per conſequens trahens aliquem ad ludendum fraude, mendacio, &c. tenetur reſtituere, quod lucratus eſt. Tertiò coactus vi, &c. ad ludendum, qui poſteà ſpõte, & intentione lucrandi ludit, in alium transferre ius lucrandi. Ita Garzias *de contract. lib.*2.*cap* 19. Ratio, quia mutata voluntate liberè conſentit in ludum Tum etiam, quia ex eo, quod ſponte, & intentione lucrandi poſtea ludit, in alium transfert ius lucrandi.

An ludus, qui fit animo lucrandi ſit peccatum?

BRACTEA VI.

R. Ludum qui fit animo lucrandi non eſſe peccaminoſum mortaliter. Ratio eſt, quia animus lucrandi, non eſt ex ſe malus, niſi aliunde deprauetur; lucrum enim res eſt, ex ſe indifferens, etiamſi ludens ludat animo lucrandi in magna quantitate. Ita D. Thom. 2. 2. *quaſt* 23. *art.*7. Caiet. 2.2. *quaſt.*168 *art* 3. Medina *Cod. de reſtitut. quaſt.*12. Nauar. *cap.*20.*num.*3. Sotus *in* 4.*quaſt.*5.*art.*2 Rebellus *par* 2. *lib.*12 *quaſt.*1. Valentia *tom* 3 *diſp* 1.*quaſt.*6. *pun.*5. Molina *tom.*2. *de contract. diſp.*5 0. & alij. Ratio, quia animus lucrandi, etiam in materia notabili, non eſt ex ſe malus, ſed indifferens dum lucrum intendit nõ concupiſcendo damnum, ſiue malum alterius, vt malum eius eſt, ſed lucrum proprium intendit tanquam ſibi debitum iure iuſtitię per iuſtum ludi contractum non peccat, quia non concupiſcit rem alienam per media illicita, quod prohibetur in decimo Præcepto Decalogi, ſed per media licita, nimirum per contractum licitum ludi.

An Religioſus, vxor, & filius familias poſſint ludere?

BARCTEA VII.

R. Religioſus qui de licentia Pontificia extrà clauſtra manet cum penſione, aut beneficio poteſt ludo honeſto recreationis gratia ludere, & ſi perdit lucrans non obligatur ad reſtitutionem. Ita Molina *diſp.*250 & omnes communiter. Ratio, quia de fructibus beneficij, & de penſione habet ius diſponendi, & per conſequens poteſt ludere, ſicut etiam poteſt ludere Religioſus Clauſtralis, qui de licentia ſui ſuperioris manet ſtudendi cauſa in aliqua Academia ludo honeſto poteſt aliquid ludere de pecunia ſibi aſſignata. Ita Nauar. *cap.*20 *num.*12. & alij. Ratio, quia pecuniæ aſſignatæ habet dominium. Secundò vxorem poſſe ludere, & perdere ea, quæ fęminæ coniugatæ eiuſdem conditionis ſolent ludere recreationis gratia. Ita Molina *diſp* 520. Salon. 2. 2. *quaſt.*5 *art.*6. & alij. Ratio, quia non modo maritus obligatur eam alere, ſed etiam præbere ea, quæ mulieres illius conditionis ſolent habere ob recreationem, & ob alia ſimilia. Tertiò, filius, qui habet bona Caſtrenſia, ſeu quaſi, poteſt de ipſis ludere. Ita communiter omnes. Ratio, quia eorum habet dominium, vſumfructum, tam quoad proprietatem, quam quoad vſum. Similiter filius, cui aliquid datum eſt pro alimentis poſſe moderatè aliquid ludere. Ita Rebellus *loco cit. quaſt* 4 *ſect* 1. *n.* 3. Lopez 2 *part.cap* 23 Summa Coro..a *de reſtit* *nu.*17. Molina *diſp.*520. Nauar. *cap* 20. *num.*19. & alij. Ratio, quia eorum habet dominium, tum etiam, quia præſumitur Pater filio concedere, quæ ſpectant ad moderatam, & honeſtam recreationem, & per conſequens poteſt ea ludere.

Cuius ſit dominium eorum, quæ acquiruntur per ludum à Religioſo, vxore, & filiofamilias?

BRACTEA VIII.

R. Dominivm eorum, quæ lucrantur eſſe lucrantis, dummodo ludentes poſſint diſponere liberè de pecunia, quæ ludo exponunt. Ratio, quia ſi perdunt, amittunt ea quorum habent dominium per aſſignationem, ſeu per donationem factam, aut alia ratione; ſecus autem ſi de pecunia liberè non poſſit diſponere?

Sciendum non modo Religioſum; vxorem, & filium acquirere dominium eorum, quæ lucrantur, ſed etiam poſſe acquiſita denuo ludo exponere; & etiam acquirere dominium eorum, quæ denuò lucrantur. Nauar. *cap.* 17 *num.* 12. Molina *diſp.* 519. *num.* 2. Reginaldus *loco cit. num.* 389. & alij. Vnde qui hodierna die a filiofamilias lucratus eſt centum libras, quas nudius tertius ipſe acquiſierat, non obligatur ad reſtitutionem, cum filius familias earum acquiſierit dominium. Rebellus *lib.* 12. *q.* 4. *n.* 16. Nauar. *cap.* 20. *num.* 19 Em. Sa *verbo ludus* Angelus, & Silueſter *eodem verbo*, & alij.

An qui ob ſuam peritiam moraliter certus erat ſe lucraturum poſſit ſibi lucrum acquiſitum retinere, ſi nullam aliam fraudem adhibuit, quàm inducere alium ad ludendum?

BRACTEA IX.

R. Cvm communi Doctorum ſententia negatiue, ſi alter ſocius ignarus erat ipſius peritię longè maioris. Ratio, quia per errorem, ſine per dolum dedit cauſam contractui ludi, quem ſi alter ſciuiſſet nō celebraſſet, nā ſecus dicendū eſt ſi peritiam ipſius non ignorabat, nam ſcienti, & volenti non fit iniuria; ſi enim detur caſus, vt duo ludentes neſciant dexteritatem alicuius, & eam velint ambo mutuò per ludum experiri, tum teneniur ad reſtitutionem lucri hoc modo acquiſiti, cum vterque voluntarie hoc faciat, ſeque voluntariè exponant periculo perdendi, aut lucrandi. Ita Medina *Cod. de reſtit. Cod.* 22. Rebellus *lib.* 12. *quæſt* 3 *num.* 3. Rodriq. 1. *part. cap.* 189. *num.* 6. Em. Sà *verb. ludus* Summa Corona *de reſtit. num.* 17. Clauis Regia *lib.* 31. *cap.* 12. *nu.* 18. Molina *diſp.* 517. *num.* 4. & alij.

An quis poſſit plus lucrari, quam perdere?

BRACTEA X.

R. Regvlariter non poſſe quemquam plus lucrari qam perdere. Ita Molina *diſp* 519. *n.* 4. Rebellus *loco cit. quæſt.* 4. & alij. Ratio, quia qualis debet eſſe ludentium conditio.

Sciendum, quod licet regulariter, & per ſe non poſſit quiſquam plus lucrari, quam perdere, tamen poteſt aliquandò quis plus lucrari, quam perdere, vt quando lulor norit hanc diſparitatem, & tamen ludit, quoniam, vt ſic cenſetur cedere iuri paritatis conditionis, vt v. g. qui habet viginti libras ſcienter ludit cum eo, qui habet ſolum decem, tunc ſi iſte illi lucretur viginti non facit illi iniuriam, nec obligatur ad reſtitutionem, quoniam nulla fraus interceſſit, cum ſciret diſparitatem conditionis. Secundò, quod licet in ſingulas manus, & vno iactu non poſſit quiſquam plus lucrari, quam perdere, tamen in diſtinctis manibus, & diuerſis iactibus poteſt, vt v. g. qui habet decem nummos aureos poteſt vna manu ſiue vno iactu lucrari alios decem, & poſteà altera manu, ſiue altero iactu viginti, & ſic ſucceſſiuè alios lucrari vſque ad centum, &c.

An qui aliquid lucratur à fure, vel vſurario poſſit ipſum retinere?

BRACTEA XI.

R. Fvrem ſiue ludentem pecunia aliena poſſe lucrum ſibi retinere. Ita Molina *diſp.* 518. & alij. Ratio, quia cenſetur lucrum ex induſtria, quod poteſt retineri, nec vlla adeſt obligatio ipſum reſtituendi. Secundò, qui aliquid lucratur à fure, vel vſurario poſſe ſibi lucrum retinere, dummodo fur, vel vſurarius eius rei acquiſierit dominium. Ita Molina *loco cit.* & alij. Ratio, quia cū dominium ipſius rei, quæ luditur ad ipſum ſpectet, habet ius de ipſa diſponendi. Tum etiam, quia pecunia accipit functionem, & altera loco illius, quæ luditur, poteſt ſubſtitui.

Sciendum, quod qui ab vſurario, vel fure lucratur rem alienam extantem in ſpecie, obligatur ad reſtitutionem. Si verò vſurarius, vel fur alias pecunias negotiando ex pecunia. vſura, vel furto acquiſita lucratus erit, tunc ludens non obligatur ad reſtitutionem pecuniæ acquiſitæ, cum fur, & vſurarius illius pecunię ſint verè domini, & de ipſis habeant ius diſponendi. Similiter ſi eiuſdem pecunię per commixtionem cum proprijs acquiſierit dominium, tunc ludens non obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia per commixtionem acquiſierunt dominium, licet fur, & vſurarius ſint obligati ad reſtitutionem æquiualentis.

An ludus alearum ſit prohibitus?

BRACTEA XII.

R. Lvdvm alearum iure naturali non eſſe prohibitum, dummodo ludentes liberè ludant. Ita communiter omnes. Ratio, quia ſi iure naturæ eſſet prohibitus, eſſet, quia ſit intrinſecè malus; ſed hoc eſt falſum, cum recreationis gratia poſſit exerceri; ergo, &c. Secundò iure Canonico, & iure communi poſitiuo eſſe prohibitum. Ita Nauar. *cap.* 19. *num.* 6. Clauis Regia *lib.* 11. *cap* 12. *num* 4. & alij. Ratio colligitur *ff. de aleatorib. leg. ſolet, & cod. de Relig. leg. alearum vſus in cap. dilect. de Prælatorum exceſſu, & in cap. Cleric. de Clericor. vita, & honeſtate.* Vnde Clericus Ordinibus ſacris initiatus, qui crebrò aleis ludit, peccat mortaliter, licet non obligetur ad reſtitutionem, qui ei lucratur, cum pecuniæ, quam ludit habeat dominium. Nauar. *cap.* 20. *num.* 9. & 10. & alij; at ſi recreationis gratia per breue tempus abſque ſcandalo aleis ludunt, non peccant mortaliter. Molina *diſp.* 541. Rebellus *lib.* 12. *quæſt. vlt.* & alii. Laici non cenſentur peccare mortaliter, etiamſi in notabili quantitate ludant, & crebrò, ſicuti etiam excuſantur inſpectores ludi alearum: non tamen excuſantur Clerici, & Religioſi, ſi per multum tempus, & cum ſcandalo huiuſmodi ludum ſpectent. Secus

ſi paruo

ſi paruo tempore, & per modum tranſitus. Nauar. *loco cit. num.* 14.

An qui lucratur aliquid ludo prohibito obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XIII.

R. Acqviſita ludo prohibitio non eſſe reſtituenda ante Iudicis ſententiam, ſed ſolummodo poſt. Ita Em. Sà *verbo ludus num* 6. Molina *diſp.* 515. Rebellus *lib.* 12. *qu.* 2. Sotus *in* 4. *q* 5. *art* 2. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 24 Leſſius *lib* 2. *cap.* 25. *dub.* 3. *num.* 17. Ratio eſt, quia iure naturæ non eſt prohibitus. Tum etiam, quia non impeditur tranſlatio dominij pecuniæ; tum etiam, quia cum ſit lex generalis, & legalis non obligat, niſi poſt ſententiam Iudicis. Secundò, quod qui lucratur aliquid dicendo ſe habere plura puncta, quàm habebat regulariter tenetur ad reſtitutionem. Ratio, quia alium decipit contra legem ludi dicendo falſum, & efficiendo poſitiuè, vt colludens decipiatur, & perdat. Dixi regulariter, quia in caſu, quo ex abuſu communi, vel ex qualitate colludentium affirmationes einſdem non ſolent credi, ſed cenſeri induſtriæ colludentium, & quædam ſtratagemmata ad vincendum, & decipiendum alterum, ſi fortè leuior ſit in credendo, quam deberet, excuſari poſſet, & reuocari ad præmiſſas ſimulationes, & mendacia in ludo, quibus, vel leuiter aſſuetus ſcire debet non eſſe adhibendam fidem. Filiucius *tract.* 37. *cap.* 7. *num* 93 Tertiò, qui luſit ludo vetito intendens non ſoluere, aut intendens ſolutum repetere non poteſt retinere, quæ lucratus eſt eo ludo. Ratio eſt, quia dolus dat cauſam contractui, alter enim colluſor ſi ſciret ipſum nolle ſoluere, aut velle repetere ſolutum, non luderet conſequenter deceptus luditi decipiens autem non poteſt retinere, quòd per deceptionem obtinuit contractu in ludo. Ita Reginaldus *num.* 388. Leſſius *loco cit. num.* 3.

An poſſit vti compenſatione, qui non audet in iudicio pecuniam perditam repetere?

BRACTEA XIV

R. Non poſſe vti compenſatione, qui non audet vis iuridica repetere deperditum. Ita Sotus *loco cit.* Medina *de reſtitut. quæſt.* 22 Leſſius *loco cit. dub.* 5. Molina *diſp* 314 Rodriquez *part.* 1. *cap.* 189. Bannez 2. 2. *quæſt* 32. *art.* 7. Valentia *tom* 3. *diſp.* 5. *qu.* 6. *pun.* 7. & alij. Ratio, quia per huiuſmodi ludum fuit verè tranſlatum dominium, & ſi detur ius repetendi eſt ex lege Canonica, quæ non obligat, niſi poſt ſententiam Iudicis, & ſi autem fieret, compenſatio eſſet furtum, & per conſequens non poſſe vti compenſatione, cum iura hoc non concedant, quamuis, vt repetat auctoritate Iudicis. Quod qui perdit aliquid ludo vetito, non poteſt repetere, quod ſoluit, quando ludentes ceſſerunt iuri ſuo, & renunciauerunt beneficio legis concedentis repetitionem. Ita Azorius 3 *part. lib.* 5. *cap.* 14. *quæſit.* 7. Leſſius, & Sotus *locis citatis*. Ratio eſt, quia facultas repetendi conceſſa eſt proximè in fauorem perdentis, non verò Reipublicæ, cum parum interſit Reipublicæ pecuniam pertinere potius ad vnum, quam ad alterum; quilibet autem poteſt cum victore paciſci, vt aliquam partem ſibi reſtituat, vt deſiſtat ab accuſatione etiam iuſta. Ita Leſſius *loco cit.* & alij. Ratio, quia per leges habet ius repetendi totum, quod eſt pretio æſtimabile. & ſi paciſcitur pro dimidia parte iuſtè paciſcitur, cum pactum non ſit contra iuſtitiam.

An qui ludo prohibito perdidit teneatur ſoluere in foro conſcientiæ?

BRACTEA XV.

R. Qvi ludo vetito perdidit aliquid, non teneri in conſcientia illud ſoluere iure communi, niſi iurauerit illud ſoluere. Ita Molina *diſp.* 515. *num.* 5. Leſſius *lib.* 2 *cap.* 25. *dub.* 4. Sanchez *lib* 2. *cap.* 23 *num* 144. Nauar. *cap.* 20 *num.* 17. Reginaldus *num* 151. Rodriquez 1 *par. cap.* 184 & alii. Ratio, quia per leges Cæſareas victus habet ius repetendi in iudicio pecuniam, quam ſoluit victori; ergo conſequens eſt, quod ſi habet ius repetendi, ipſe non teneatur ſoluere illa in foro conſcientiæ.

Sciendum quod iure naturæ, qui ludo prohibito perdidit obligatur ſoluere. Ratio, quia quilibet tenetur promiſſa adimplere, & ſeruare fidem; ſimiliter etiam obligatur ſoluere ſi perdens iurauerit ſe id facturum, nam qui iurauit ſe ſoluturum, quod perderet ludo vetito, tenetur ad illud ſoluendum. Ratio, quia iuramentum omne de re licita ſecundum ius Canonicum, vt patet. *Cap. cum contingat de iureiurando*, ſeruandum eſt; ſicut qui iuramento ſe obſtrinxit ſoluere vſuras, tenetur eas ſoluere, vt habetur *in cap. debitores de iureiurando*, & idcircò tale iuramentum ſeruandum eſt, niſi eius teneatur relaxatio, & ſi iurauerit ſoluere, non repetere, nec etiam repetere poteſt. Secus ſi ſolum iurauerit ſoluere, quia tunc poteſt repetere id, quod fuit ſolutum victori; ſi verò vt dictum fuit ludentes renunciauerint iuri legis concedentis repetitionem, tunc perditum non poſſunt amplius repetere. Azorius 3. *part. lib.* 5. *cap.* 24 *quæſit.* 7. Leſſius *loco cit.* & alii.

An qui ludit cum prodigo poſſit retinere, quod ab eo lucratur?

BRACTEA XVI.

R. Poſſe. Ratio eſt, quia licet prodigus ludendo prodigè, peccet, non tamen committit iniuſtitiã, quia habet, vt ſuppono dominium, & adminiſtrationem bonorum. Secundò ludens aliena pecunia facit lucrum ſuum. Ratio eſt, quia contractus ludi in hoc caſu eſt validus; ſicut eſt valida venditio rei alienæ, quoad transferendum dominium pretii in venditionem; ergo ludens aliena pecunia facit lucrum ſuum. Tum etiam, quia videtur lucrum ex induſtria, ſicut eſt lucrum, quod acquiritur negotiando pecunia aliena. Si verò ludens nihil aliud haberet, quod poſſet ſubſtituere pecuniæ alienæ lucrum acquiſitum reſtituendum eſſe. Ratio eſt, quia in iſto caſu contractus ludi cenſetur inualidus, cum ludens non habeat aliam pecuniam, quam ſubſtituat loco alienæ ſi eam perdat.

An qui in domo ſua recipiunt aleatores peccent & obligentur ad reſtitutionem?

BRACTEA XVII.

R. Qvod qui aleatores ad ludum mortaliter illicitum aliter non futurum cooperatur adminiſtrando taxillos, menſas, candelas, aut

alia

alia in ludo neceſſaria peccant mortaliter. Ratio eſt, quia cooperantur in re mala; nec erunt immunes à reſtitutione rerum ibi perditarum, ſi perdantur ab illis, qui alienare non poſſunt, aut per fraudem, aut vim, quarum ipſi ſuſceptores ſunt conſcij. Ita Nauar. *cap.20.num.16.* Lopez 2.*part. cap.32.* & alij.

An aſpicientes ludere, & participantes peccent?

BRACTEA XVIII.

SCIENDVM participantes dici, qui ludentem docent. Baldus *in authent. interdicimus*, & ibi Salicetus, & Albericus *num.2.* vel qui cum ludente ſocietatem init de lucro, vel damno inter eos communicando. *authent. interdicimus.* Quibus poſitis.

R. Vbi ludus eſt licitus, inſpectio pariter eſt licita, & vbi ludus eſt illicitus, inſpectio pariter eſt illicita, ita colligitur ex *Authent. interdicimus de Sanctiſs. Epiſc. & Cler. in cap. penult. de vita, & honeſtate Clericor.* Gabr. *in 4. diſt.15. quæſt.13. art.3. dub.* 3. Nauarrus *in manuali cap.20. num.4.*

R. 2. Participantem in ludo illicito peccare, & ſubiacere pœnis contra ludentes factas. Ratio, quia in participe concurrunt omnia, quæ in ipſo luſore, & per conſequens particeps tenetur ad ea, quæ tenetur luſor. Pariſ. de Put *in tract. de lud. n.220.* & alij.

Iuramentum, ſeu votum non ludendi, an & quando valeat, & quid importet?

BRACTEA XIX.

R. SIMPLEX iuramentum de non ludendo intelligitur de ludo illicito. Ratio eſt, quia in dubio eſt credendum iurantem ſe voluiſſe conformare cum diſpoſitione iuris communis, quo prohibetur ludus illicitus. *leg.1.* & *leg.2. ff. de alea luſu, & aleat.* Tum etiam quia luſus honeſtus dicitur actus virtutis. D. Thomas 2. 2. *quæſt.168. art.* 2. & 4. a quo præſumptio eſt iurantem noluiſſe ſe priuare. Nauarrus *in manuali cap.12. n.11.* Manuel. *in ſum. tom.1. cap.189. num.11.* & alij.

R. 2. Iurans expreſsè ſe non luſurum, etiam ludo licito obligatur ad obſeruantiam, quia licet ludus licitus ſit actus virtutis, nihilominus de illis actibus, quorum priuatio tendit ad maiorem perfectionem, cuiuſmodi ſunt abſtinere ab amicorum conuiuiis, ludis honeſtis, &c. iuramentum de ſe ab illis abſtinendo valet, non ſecus ac valet iuramentum de non cõtrahendo matrimonio. Paludanus *in 4. diſt.38. quæſt. 1. num. 22.* Sanchez *de præceptis decalogi lib. 3. cap. 18. num.2.*

Sciendum, quod quando intentio virtualis non eſt expreſſa, tunc argui ex cauſa finali, qua ductus eſt ad iurandum, & ab ea regulatur. *leg. fideicommiſſa 9. interdum de legat.* atque ideò ſi intentio iurãtis fuit priuare ſe ludi delectatione ratione mortificationis, vel pro Diuinis aptius tractandis, tum quicunque ludus, ſiuè magnæ, ſiuè modicæ quantitatis, ac ſiuè magno, ſiuè modico tempore duret, cenſetur ſub iuramento comprehenſus, & contrauentio erit peccatum mortale, vel veniale, propenſa maiori, vel minori ludi recreatione, vt docet Sanchez *loco cit. n.3.*

R. 3. Iuramentum de non ludendo cum perſona determinata, vel in certa domo regulariter non obligat, quia dum remanet libertas ludendi cum aliis, in aliis locis tale iuramentum redditur indifferens. Ita colligitur ex Caietano 2. 2. *quæſt.88. art.* 2. & ibi Arragon. Nauarr. *in ſum. cap.12. num.28.* & alii.

Sciendum, quod ſi tale iuramentum niteretur aliqua ratione, vel quia perſona eſt iracunda, & cauſam præbet rixarum, vel conſuetus eſt in magna quantitate ludere, vel domus, ſiuè qui in ea conueniunt, præbent ſimilem occaſionem, tunc iuramentum valeret, cum teneatur factum iuſta cauſa. Ita Sanchez *loco cit. n.9. & 11.*

Trahens aliquem ad ludum ad quid teneatur?

BRACTEA XX.

SCIENDVM aliquem poſſe trahi ad ludum variis modis, nimirum vi precibus, blanditiis, &c. Quo poſito.

R. Pœnam compellentis aliquam ad ludum per vim eſſe pecuniariam, vel carcerationis. leg. 2. *ff. de alea luſu, & aleat.* Archid. *in cap.135. diſt.* Menochius *de arbitr. caſu 339.* & alii. Ratio eſt, quia in ludo requiritur libertas, adeò vt non valeat pactum initum inter ludentes de non diſcedendo à ludo, antequam alter amiſerit certã ſummam. Pariſ. de Put. *in tract. de lud. num.* 38. Verùm vt vim inferens poſſit puniri pœna pecuniaria, vel carceris requiritur, vt metus ſit talis, qui cadat in conſtantem virum. Farinac. *quæſt.109. n.77.* An trahens aliquem ad ludum obligetur etiam ad reſtitutionem pecuniæ acquiſitæ, dictum fuit ſupra.

Mutuum factum occaſione ludi an valeat?

BRACTEA XXI

R. CVM diſtinctione, vel mutuum ſit à colluſore, aut ab eo, qui domi ludum retinet, aut à tertia perſona. Mutuum factum colluſori nullius eſſe momenti, ex eoq; pecuniam repeti non poſſe. Et ita Gloſſ. *in l.1. §. quod autem ff. de alea luſu, & aleat.* Imola *in leg. ſi quis cum ſciret num.3.* Socin. *in cap. inter dilectos num. 67.* Caccialupus *tract. de ludo art. 6.* Capra *concl. 86.* Item ſi mutuum fiat ab eo, qui domi ludum retinet, etiãſi eſſet perſona nobilis, & nõ lucri cauſa retineret. Capra *concl. 86. num.67. & 71.* & multò magis ſi mutuum factum eſſet minori, vt ludat, vel à minore minori. Caccialupus *loco citato num.16. & 67.* vel factum eſſet ſub vſura. *Cap. inter dilectos*, vbi Gloſſ. *in verbo vſura de exceſſ. prælator.* & ibi Cardinalis *num. 2.* Vbi verò mutuum fit luſori à tertia perſona mutuans pecuniam ipſam repetere poteſt, etiamſi ſciat, quod is, qui pecunias mutuo recepit, erat luſurus. Imola *in l. ſi quis cum ſciret num.3. & 4. ff. pro part.* Claruſ *in §. ludus n.10.* & alii.

An contractus cauſã ludi facti ſint validi?

BRACTEA XXII.

R. QVOD ſicut mutuum occaſione ludi factum eſt nullum, ita & contractus facti in ludo prohibito, eiuſque occaſione ſunt nulli, & ita Doctores communiter, etiamſi contractus eſſet confirmatorius alterius contractus nulli facti ante ludum, nam ſi confirmatio fiat in ludo, eſt nulla. Caccialupus *loco citato num. 3.* etiamſi inſtrumentum fiat cauſa depoſiti, dummodo cõſtet eſſe factum occaſione ludi. Pariſ. de Puteo *loco citato*. Item ſi inſtrumen-

tum ſit obligatione camerali vallatũ. Rota *coram Ludouiſio deciſ* 47.*num*.2. aut inſtrumentum fiat ex cauſa tranſactionis pecuniarum in ludi amiſſarum. Hoſtienſis *in cap. clerici num*.8. Ex quibus ſequitur venditionem factam in ludo vni colluſori occaſione ludi eſſe nullam ipſo iure, nec vendens de euictione tenetur, quia ſimul delinquunt. *leg. ſi quis cum ſciret num*.2. *ff. de emptore*, Socinus *in cap. inter dilectos nu*.71. *de exceſſ. prælator*. & alij & hoc procedit, ſiuè venditio facta fuerit in ludo illicito, aut licito, quia ſufficit venditionem factam fuiſſe in ludo. Puteus *loco citato num*. 222: licet alij teneant opinionem contrariam. Verùm tamen eſt, quod ſi venditio occaſione ludi facta fuerit tertio, tunc valet, vendens tamen de euictione non tenetur. Bartolus *in leg. ſi quis cum ſciret ff pro emptore*.

Amiſſa in ludo, quando ſubiaceant reſtitutioni, vel repetitioni?

BRACTEA XXIII.

SCIENDVM obligationem reſtituendi pecunias naſci, quando lucrantur ab his, qui Domini non ſunt, vel ſi ſunt, non habent facultatem alienandi. Repetitio verò datur, vbi dominium rei eſt trãſlatum, quod fit, vbi is, qui eas amiſit, habet rerum ſuarum adminiſtrationem, nam licet ludendo faciat actum illicitum, nihilominus dominium transfertur. Quibus poſitis.

R. Amiſſa in ludo licito, nec ſubiacent reſtitutioni, nec repetuntur, immò victori datur actio ad pecuniam lucratam cõſequendam. *l. ſi rem* 19 *ff. de præſcrip. verb. leg ſolet*, & *l. quibus ff de alea luſu, & aleat*. an amiſſa à perſonis, qui rerum dominium, vel adminiſtrationem earum non habent, poſſint repeti, dictum eſt ſupra.

R. 2. Amiſſa in ludo illicito à perſonis, qui dominium non habent, vel ſunt alieno ſubiecti, cuiuſmodi ſunt filijfamilias minores, &c. datur repetitio illis, ſub quorum poteſtate ſunt, & eis non repetentibus victor tenetur pecunias lucratas illis reſtituere. D. Thomas 2.2 *quæſt*.32. *art* 7. & ibi Theologi communiter. An teneatur reſtituere totum acquiſitum, vel ſufficiat reſtituere illud, quod plus erat vltra ſummam, quam licitè ludere poterant. Vide Sanchez *lib*.1. *conſ. moral cap*.8 *dub*.6. *n* 7.

R. 3. Quando pecunia eſt amiſſa à perſonis habentibus facultatem transferendi dominium in ludo illicitò, ſi ſint ſolutæ, & lucratæ per falſitatem, dolum, fraudes, &c. in vtroque foro datur obligatio reſtituendi, & ita communiter omnes. Quod ſi nulla interuenit fraus, regulariter datur repetitio. *l*.1 *ff de alea luſu, & aleat*. Socinus *in cap inter dilectos num*.32. *de exceſſ. prælator*. Capra *concluſ* 86. *num* 3. Verùm is, à quo repeti poteſt pecunia, non tenetur illas repetenti reſtituere, niſi poſt iudicis ſententiam. Ita Sotus *de iuſtitia, & iure lib*. 4. *quæſt*.5. *art*.2. Arragonius 2.2. *quæſt*. 32. *art*.7. Sanchez *de matrim lib*.9. *quæſt*.38. *num*.34.

R. 4. Lucrata in ludo illicito ratione fraudis ſunt reſtituenda ei, à quo lucrata ſunt. Socinus *in cap. inter dilectos num*.34. *de exceſſ prælator*. Couarun. *in regula peccatum par*.2. §.4. Menochius *de arbitr. caſu* 539. *num*.10. & alij.

Luſor an ſit idoneus teſtis?

BRACTEA XXIV.

SCIENDVM non hic non loqui de quandoque ludente, etiamſi lucri cauſa ludat, ſed de eo, qui ludo eſt aſſuetus, hic enim propriè luſor dicitur ad effectum, vt ſubiaceat pœnis de luſoribus loquentibus. Menochius *de arbitr. caſu* 399. *num*.19. & 20. Decius *conſ*.163 *num*.19 Quo poſito.

R. Luſorem regulariter repelli à teſtimonio ferendo. Ita Alexander *conſil*.152. Decius *loco citato*, Crauetta *conſil*.169. *num*.5. Ratio, quia luſor præſumitur crimino ſus, blaſphemator, & dilapidator bonorum. Menochius *caſu* 399. Quod tamen intelligendum eſt, vt procedat quoad effectum condemnationis, & non procedat, vbi agitur de probanda re in ludo geſta, quia tunc admittuntur etiam luſores. Salicetus *in leg. ea quidem Cod. de accuſat*.

MALLEATIO LXIII.

De contractu fideiuſſionis.

Quid ſit fideiuſſio?

BRACTEA I.

R. FIDEIVSSIO eſt contractus, quo quis ſuſcipit obligationem alterius promittens ipſam adimplere in defectum principalis. Ita communiter omnes.

Sciendum ad iſtum contractum quatuor conditiones requiri. Prima, vt contractus fideiuſſionis alium contractum obligatorium ſupponat, cuius ipſe ſit acceſſorius, & in defectum ipſius ſatiſfactorius. Secunda conditio, vt fideiuſſor non poſſit in plus obligari quam principalis debitor, ſed ſolùm æqualiter. Tertia, ſi obligatio principalis ſit inualida, etiam fideiuſſoria ſit inualida, cum acceſſorium ſequatur principale. Quarta, vt fideiuſſor non poſſit conueniri, niſi excuſſione facta debitoris principalis, & conſtiterit ipſum non eſſe ſoluendum, cum ſit ſolùm obligatus in defectum ipſius principalis. Authẽtica *præſente Cod. de fideiuſſ*. &c.

Sciendum fideiuſſionem poſſe fieri duobus modis. Primò modo, tanquam principalis debitor, ita vt ex æquo ipſe, & principalis debitor ſint in ſolidum obligati, & tunc integrum eſt creditori, tum in foro fori, quam in foro conſcientiæ exigere debitum primo loco à fideiuſſore, principali debitore non requiſito. Secundò, poteſt ſe obligare in defectum principalis, ita vt ſolùm teneatur ſoluere debitum, ſi principalis debitor non ſoluerit.

Quis poſſit fideiubere?

BRACTEA II.

R. ILLE poteſt fideiubere, qui habet bona ad ſatisfaciendum in defectum principalis, modò liberam habeat adminiſtrationem bonorum, nec impediatur à iure. Ita Regnaldus *lib*. 25. *num*.220. Gomez 2. *var. cap*.13 *num* 13. & alij. Vnde ſequitur pupillos non poſſe fideiubere, quia non habẽt liberam adminiſtrationem bonorum, ſicut etiam pauperes cum nulla habeant bona ſufficientia ad ſatiſfaciendum. Similiter & Religioſus, qui quia rerum

domi-

dominium non habeat, non poteſt fideiubere, Officialis Monaſterij, aut etiam Prælatus de conſenſu maioris partis Capituli poteſt fideiubere ſine conſenſu Capituli non poteſt, niſi in re parui momenti, & de qua poſſit diſponere. Silueſter *verbo fideiuſſor num.4.* Leſſius *lib.2.cap.28. dub.1.* Lopez *lib.2.cap.19.* & alij. Filijfamilias quia non habent adminiſtrationem bonorum, niſi forſan habeant bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia, de quibus poſſint diſponere, nõ poſſunt fideiubere; amentes, & alij ſub cura alterius conſtituti non poſſunt eſſe fideiuſſores, cum non habeant liberam adminiſtrationem bonorum; ſed ſint ſub Curatore, vel Tutore; vnde ciuiliter non poſſunt ſe obligare. Vnde tria requiruntur, vt poſſint quis fideiubere. Primò, vt habeat bona ſufficientia, vnde ſoluat debitum, qui ſuam fidem aſtringit. Secundò, vt liberam ſuorum bonorum habeat adminiſtrationem. Tertio, vt principali non ſoluente facilè poſſit coram Iudice conueniri.

An mulieres poſſint eſſe fideiuſſores?

BRACTEA III.

R. Mulieres regulariter propter ſexus fragilitatem non poſſe eſſe fideiuſſores, ita vt neq; pro viro alio. Ita *leg.2 ff ad Senatuſconſultum,* neque pro aliquo alio. *leg.quamuis. ff. ad velleianum,* & ſi iubeant, inualidè fideiubẽt: ope exceptionis Senatuconſult. Velleian. ſi eo priuilegio vt exceptione mulier vti velit, vt poteſt non ſolum in foro fori, ſed etiam in foro conſcientię. Rebellus *part. 2. lib. 16. quæſt. vnica* Silueſter *verbo fideiuſſor. quæſt.2.* verùm ſi mulier pro aliquo fideiubendo id faciat publico inſtrumento, ſaltem coram tribus teſtibus cum ſua ſubſcriptione valida erit fideiuſſio, quamuis poſſit contrà ipſam agere, ſi voluerit vti priuilegio Senatuſconſulti Velleiani.

Sciendum eſſe aliquos caſus, in quibus mulier poteſt fideiubere, nec vti priuilegio Velleiani. Primus, ſi pro libertate alicuius ſerui ſe obligat ad aliquid ſoluendum *leg.penult. Cod.ad Velleian.* Secundus, ſi fideiuſſio ſit rei in dotem promiſſæ, vel in dotem alterius aliquid promittat. *leg.vlt. Cod.ad Velleian.* Tertius, ſi poſtquam fideiuſſionem fecit, elapſo biennio pignus dedit, vel innouauit fideiuſſionem, quia tunc maturo conſilio videtur id facere, rem ſuam agere. *leg.ſi mulier 2. Cod.ad Velleianum,* modò in principio primæ fideiuſſionis non fuerit pactum de dando pignore, vel innouanda obligatione elapſo biennio, quia tunc cenſetur executio primi contractus, & non confirmatio, ſeu renouatio fideiuſſionis iam factæ. Quartus, ſi recepit pretium ad fideiubendum pro altero *leg.antiquæ Cod.ad Velleianum.* Quintus, ſi fideiuſſit in fraudem, & vt alium deciperet: ita colligitur *ex leg.2.ff.ad Senatuſconſultum Velleianum.* Sextus, ſi fideiubeat pro ſuo creditore iuxta quantitatem illius, quod debet. *leg.ſi mulier, leg.ſi debitrix ff. ad Velleianum.* His caſibus exceptis, ſi mulier fideiubeat, non tenetur in vtroque foro aliquid perſoluere, etſi aliquid ſoluit, creditor tenetur illi reſtituere tanquam acceptum à non debitore, vt docet Leſſius *lib. 2. cap.28. dub. 1.* Ratio, quia contractus eſt nullus, cum prohibeatur à iure, & ex contractu nullo non oritur obligatio in vtroque foro.

An Clericus poſſit pro Laico fideiubere?

BRACTEA IV.

R. Extra caſum neceſſitatis non poſſe Clericum pro Laico fideiubere. Ita Silueſter, Armilla, Em. Sà *verbo fideiuſſio,* & alii. Ratio, quia illis eſt prohibitum. *Cap. ſi quidem 11. quæſt. 1* quatenus fideiuſſio teneat. *Cap. vlt. de fideiuſſoribus.* In caſu verò neceſſitatis, in quo ſicut debet ſubuenire indigenti, ita quoque poteſt in eo caſu fidem ſuam pro illo iubere, quia tunc cenſetur exercere opus pium. Secundò, pro Eccleſia, vel pro alio Clerico poteſt fideiubere, & ipſius obligationem ſuſcipere. Ita Silueſter *verb. fideiuſſor. quæſt.3.* Em. Sà. *verb. fideiuſſio num.7.*

Sciendum fideiuſſionem duplicem eſſe, vnam iudicialem, & alteram extraiudicialem. Iudicialis eſt, qua quis ſe obligat ſiſtere reum, aut debitorem in iudicio, quando opus fuerit, aut erit requiſitus, quæ etiam duplex eſt, vna qua tantum fideiuſſor obligat ſe ad ſiſtendum reum, aut debitorem in iudicio ad litis exercitationem, vel cauſæ. Vnde ſi reus comparuerit ſuis temporibus in iudicio, & condemnetur, finito iudicio liber eſt fideiuſſor, altera qua ſe obligat ad ſoluendum, quod fuerit iudicatum. Vnde etiamſi reus compareat ſuis temporibus in iudicio, & condemnetur, non manet liber fideiuſſor, ſed etiã debet ſoluere iudicatum in defectum rei, extraiudicialis eſt, cum quis fidem ſuam extra iudicium creditori, quod ipſe ſoluet, ſi principalis debitor non ſoluerit.

An quando fideiuſſor ſuam fideiuſſionem confirmat, iuramento conueniri poſſit nulla facta excuſsione debitoris principalis?

BRACTEA V.

R. Negatiue cum Molina *diſp.545.* quia iuramentum ſequitur naturam rei principalis, & licet iuramentum, quo fideiuſſio confirmatur, arctius obliget, quam ſola fideiuſſio, non tamen ad amplius ſe extendit, quam ipſa ſimplex natura contractus, quam confirmat ex intentione contrahentis, vel iuris diſpoſitione extenditur, vt de cęteris promiſſionibus validis iuramento confirmatis omnes Doctores affirmant: at fideiuſſio, ſi iuramento non eſſet confirmata, non obligaret ſolutionem, niſi prius facta excuſſione in bonis principalis debitoris: ergo iuramentum ſequitur naturam contractus. Hanc ſententiam ſequuntur Couarru. *cap. quamuis pactum par.2. §17. num.2.* Gomez *tom.2. cap.13.* & alij. Si verò intentio iurantis fuiſſet ſe obligare in euentum, quo principalis nollet ſoluere, tunc teneretur ſoluere, antequam conuentus fuiſſet principalis, ſi ſolutio non poſſit impetrari à debitore via amicabili. Filiucius *tract.38. cap 8. n.152.*

An fideiuſſor poſſit accipere pecuniam pro fideiuſſione?

BRACTEA VI.

R. Poſſe fideiuſſorem iuſtè exigere, & accipere pecuniam pro fideiuſſione facienda, & pro periculo ſoluendi pro principali. Ita Nauarrus *cap.17. num. 185.* Rebellus *lib.16. quæſt. vnica,* Em. Sà *verbo fideiuſſio num.21.* Azorius *3. par. lib.11 cap. 22. dub.*

12 *dub*. 5. Reginaldus *lib*. 25. *num*. 217. Angelus *verbo fideiuſſor*, Sotus 6. *de iuſtit. quæſt*. 1. *art*. 2. & alij. Ratio, quia fideiuſſio eſt obligatio pecunia æſtimabilis, nec fideiuſſor tenetur eam gratia præſtare; & per conſequens pro ea facienda poteſt aliquid accipere. Secundò, etiamſi fideiuſſor nullum ſubeat periculũ, poteſt pro ipſa accipere pecuniam. Ita Azorius, & Sotus *locis citatis*. Ratio, quia pecunia accipitur non modo pro periculo, & moleſtijs, ſed etiam pro obligatione ipſius fideiuſſionis. Vnde etiam ſi non adſit periculum moleſtiæ ſequitur, fideiuſſorem etiamſi non ſubeat periculum poſſe pro fideiuſſione paciſci pretium, & accipere.

An quando principalis ſolùm naturaliter obligatur, oriatur in fideiuſsore obligatio ciuilis?

BRACTEA VII.

R. Affirmativa, quia nihil deeſt, quò minus lex poſſit fideiuſſorem cogere ad ſoluẽdum. Et ita colligitur ex inſtitutis, & ita fideiuſſor pro ſeruo, vel pro minore, vel pro Religioſo contrahente ſine licentia Superioris, vel pro muliere contrahente ſine licẽtia viri obligatur ciuiliter, cum ſeruus, minor, Religioſus, & mulier tantum naturaliter obligationem contrahant.

Sciendum in tribus caſibus poſſe conueniri fideiuſſorem, antequam conueniatur principalis. Primus, ſi fideiuſſor renunciaſſet priuilegio. Secundus, quando conſtaret principalem non eſſe ſoluendum, aut procul abeſſe, & non habere bona in eodem territorio, ex quibus deſumi poſſit pretium ſolutionis. Tertius, ſi fideiuſſor conuentus negauit ſe fideiuſſorem, amittit enim per hoc beneficium, vt prius conueniri debeat principalis.

An creditor poſsit iuſtè aliquid accipere à fideiuſſore, vt ſe liberet à fideiuſsione?

BRACTEA VIII.

R. Poſſe creditorem à fideiuſſore accipere pecuniam, vt ſe liberet à fideiuſſione, etiamſi nullũ adſit periculum ipſius fideiuſſoris, ſed ſolùm vt ſe liberet ab obligatione facta. Ita Azorius, Em. Sà *locis citatis*, Rebellus *lib*. 16. *quæſt. vnica*, Molina *diſput*. 642. & alij. Ratio, quia talis obligatio etiamſi nullum adſit periculum, eſt pecunia æſtimabilis, ideò ſequitur pro redemptione ipſius poſſe creditorem accipere pecuniam, non modò vt ſe redimat à periculo, verùm etiam à ſola obligatione fideiuſſionis. Secundò, fideiuſſorem ante ſolutionem debiti poſſe agere contra principalem, vt eum liberet à fideiuſſione in quatuor caſibus. Primus, ſi fideiuſſor diù in fideiuſſione ſtetit. Secundus, ſi poſt fideiuſſionem debitor principalis bona diſſipare incipiat, ita vt periculum ſit tempore ſolutionis non fore ſoluendum. Tertius, ſi fideiuſſor ſit in iudicio condemnatus, vt ſoluat totum debitum, vel partem eius. Quartus, ſi ab initio inter eos fuit ſic conuentum. Ita Rebellus *lib*. 16. *quæſt. vnica*, Molina *diſput*. 546. & habetur *in cap. fin. de fideiuſſione*. Dixi in quatuor caſibus, quia regulariter non poteſt ante ſolutionem, vel determinatum tempus agere contra principalem, vt eum liberet ab obligatione fideiuſſionis.

An fideiuſsor liber remaneat ab obligatione, ſi creditor proroget terminum ſolutioni præfixum?

BRACTEA IX.

Sciendum obligationem fideiuſſoris non ſe extẽdere vltrà conuentionem partium, & tempus præfixum. Secundò, fideiuſſorem dupliciter ſe poſſe obligare. Primò abſolutè. Secundò cum limitatione temporis, v. g. ad annum, aut ad biennium. Quo poſito.

R. Fideiuſſor, qui ſe obligauit cum limitatione temporis, v. g. ad annum, aut biennium, &c. liber remanet ab obligatione, ſi creditor proroget terminum præfixum ſolutioni. Ita auctores citandi. Ratio, quia obligatio non ſe extendit vltra conuentionem partium, & cum ſe obligauerit cum limitatione temporis, eo prorogato non cenſetur amplius obligatus. Si verò ſimpliciter, & abſolutè ſe obligauit per prorogationem termini præfixi ad ſolutionem, liber non remanet ab obligatione fideiuſſionis. Ita Azorius 3. *part lib*. 11. *cap*. 22. *dub*. 12. Em. Sà *verbo fideiuſſio*, Angelus, & Silueſt. *eodem verbo*, Petrus Nauar. *lib*. 3. *de reſtitut. cap*. 4. *num*. 160. Reginald. *lib*. 25. *nu* 219. Rebellus *lib*. 16. *quæſt. vnica num*. 2. Mantica *lib* 16. *tit*. 21. Gomez 2. *variar. cap*. 13. *num*. 19. & alii. Ratio, quia obligatio indefinita non tollitur per prorogationem temporis, ſed perſeuerat, quoad vſque reuocetur ab obligato.

Sciendum, quod ſi prorogato termino ſolutionis debitor fiat impotens ad ſoluendum, tunc fideiuſſor non obligatur ad nouam reſtitutionem, ſi ſine eius conſenſu illa prorogatio fuerit facta cum culpa creditoris longiorem terminum debitori concedentem cauſa fuerit, cur ipſe per impotentiam non reſtituat, & cum creditor prorogando ſit cauſa, cur debitor non ſoluat; ſibi debet imputare malum. Secus autem ſi conſenſu fideiuſſoris terminus fuerit prorogatus, quia tunc non liberatur ab obligatione fideiuſſoris, ſed ipſa fideiuſſio cenſetur perſeuerare?

An quando ſunt plures fideiuſſores, ſinguli ſint obligati inſolidum?

BRACTEA X.

R. Quamlibet fideiuſſorem obligatum eſſe ad ratam partem, ſi pro rata parte fideiubeat & in ſolidum ſi in ſolido fideiubeat. Ita plures citati apud Bonacinam *diſp*. 3. *quæſt*. 9 *pun*. 1. *n*. 6. Ratio, quia obligatio non ſe extendit vltra conuentionem, & intentionem contrahentium.

Sciendum, quod quando plures fideiuſſores ſunt in ſolidum obligati, poteſt creditor à quocunque maluerit integram ſolutionem exigere. Ratio, quia ſuſceperunt obligationem in totum, ſed vnus integrè reſtituere poterit ille, qui ſoluit cogere creditorẽ, vt ſibi cedat actionẽ, quam in alios habebat fideiuſſores, vt v. g. ſi tres erant obligati ad ſolutionem trecentorum aureorum in ſolidum, poterit ille, qui ſoluit cogere creditorẽ, vt ſibi cedat actionem, quam habet in alios duos, & poterit à ſingulis centum exigere, & centum à debitore pro quo fideiuſſit, modo ſit ſoluendus. Molina *diſp*. 542. Rebellus *lib*. 16. *qu*. 2. *num* 18. Gomez 2. *variar. cap*. 13. *num*. 15. Reginaldus *lib*. 25. *num*. 221. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 28. *dub*. 3. & alii.

An

An debitor teneatur compenſare damna, quæ paſſus eſt fideiuſſor?

BRACTEA XI.

R. Debitor qui ex culpa non ſoluit præfixo tempore tenetur compenſare damna, quæ paſſus eſt fideiuſſor ob dilationem ſolutionis. Ita Azorius 3. *part. lib.11. cap.22. dub.*10. Em. Sà *verbo fideiuſſ. nu.*3. Silueſt. *verbo fideiuſſ.* Ratio, quia ob iniuſtam dilationem cenſetur cauſa efficax damni ipſius fideiuſſoris.

Sciendum, quod quando dilatio ſolutionis non prouenit ex culpa ipſius debitoris, ſed ſolum ex impotentia non obligatur ad damnum, & expenſas, quas paſſus eſt fideiuſſor, ſed ſolum ad reſtitutionem principalis, cum impotentia ſit cauſa iuſtâ prorogandæ ſolutionis.

Sciendum 2. dubium eſſe an debitor teneatur fideiuſſori vſuras reſtituere. ſi eas ſoluit creditori fideiuſſor? Ad quod reſpondeo ſi fideiuſſor ſponte ſine obligatione, & conſenſu debitoris eas ſoluit eas debitor non obligatur reſtituere, quia culpæ ſuæ imputare debet ſolutor ſi eas ſoluit; ſi verò pacto, aut de conſenſu debitoris eas ſoluit eas debitor reſtituere debet, cum debitor ſolutionis ſit cauſa.

An fideiuſſor poſſit ſe obligare ad amplius, quam debitor principalis?

BRACTEA XII.

R. Licet fideiuſſor poſſit ſe arctius obligare, quam debitor principalis, non tamen ad amplius poteſt ſe obligare ſed ſolum iuxtà quantitatem debiti principalis, pro quo fideiuber. Ita Rebellus *lib.16. quæſt. vnica num.*16. & alii communiter. Ratio, quia cum obligatio fideiuſſoria ſit acceſſoria ad obligationem debitoris principalis non poteſt ad amplius ſe extendere, ideſt ad maiorem, quantitatem, niſi ad eam, ad quam naturaliter, & ciuiliter, principalis obligatur. Secundò obligatio fideiuſſoria, quæ ſe extendit ad amplius, quam ſit debitum principalis inualida eſt, non modo quoad exceſſum, ſed etiam quoad totum. Ita Rebellus *loco citato*. Si tamen fideiuſſor ad amplius iureiurando ſe obligaſſet, ad totum teneretur. Ratio, quia licet ſecluſo iuramento obligatio ſit nulla, tamen iuramento firmata ſit valida, verum ad huiuſmodi exceſſum obligaretur tanquã debitor principalis; vnde exceſſus exigi poteſt ante diſcuſſionẽ bonorũ principalis debitoris factam, reliquum verò non niſi poſt factam huiuſmodi diſcuſſionem. Rebellus *loco cit.*

An fideiuſſor poſsit cogi ad ſoluendum antequam fiat excuſsio in bonis debitoris?

BRACTEA XIII.

R. Regulariter fideiuſſorem non poſſe cogi ad ſoluendum pro debitore principali antequam fiat excuſſio in bonis eiuſdem debitoris principalis. Ita Rebellus *lib.16. quæſt.1. n.20.* Leſſius *lib.2. cap 28. dub.2. num.*8. Ratio, quia non obligatur, niſi in defectum debitoris principalis, & per conſequens prius debet fieri excuſſio in bonis eiuſdem, an ſit ſoluendus: quod ſi erit fideiuſſor non poteſt cogi ad ſoluendum.

Sciendum quod licet regulariter non poſſit fideiuſſor cogi ad ſoluendum, antequam fiat excuſſio in bonis debitoris, tamen dantur aliqui caſus, in quibus poteſt cogi ad ſoluendum, antequam in bonis eiuſdem fiat excuſſio. Primus eſt, quando debitor eſt abſens, & commodè conueniri non poteſt, nec in eodem territorio habet bona. Secundus quando debitor non eſt ſoluendus, vel ita poſt fideiuſſionem factus rixoſus, vt difficiliter conueniatur. Tertius, quando fideiuſſor in principalem debitorem ſe conſtituit, & renunciauit omni beneficio, & iuri ſibi à lege conceſſo. Rebellus, & Leſſius *locis citatis*. An fideiuſſor, qui ſuam fideiuſſionem iuramento confirmauit poſſit conueniri ante diſcuſſionem principalis debitoris, dictum eſt ſupra negatiuè. Ratio eſt, quia iuramentum ſequitur naturam rei, cuius eſt actus; cum autem fideiuſſio obliget ſolũ poſt diſcuſſionem debitoris principalis, ita etiam licet iuramento confirmetur.

An fideiuſsor liberetur à fideiuſsione, ex eo quod debitor principalis bonis cedit?

BRACTEA XIV.

R. Fideiussorem non liberari ab obligatione fideiuſſoris, ex eo, quod principalis debitor cedat bonis actibus ignominioſis, vt moris eſt. Ita Rebellus *loco cit.* & alij. Et ita colligitur ex inſtitutis *de replicatione* §. *vlt leg. heres à debitore* §. *ſi ſtipulator ff. de ſolutione*. Secundò obligationem fideiuſſionis tranſire ad hæredes, cum omnibus iuribus, & defenſionibus, quę fideiuſſori competebant. Ita Rebellus *lib.16. qu.1. num.*20. Silueſter *verbo fideiuſſor*, Azorius 3. *part lib.*11 *cap.22. dub.*10. Angelus, & Silueſter *verbo fideiuſſor*. Ratio, quia obligatio ex contractu tranſmittitur ad hæredes: ſed fideiuſſio eſt obligatio ex contractu; ergo, &c.

MALLEATIO LIV.

De contractu aſſecurationis.

Quid ſit aſſecuratio?

BRACTEA I.

R. Assecurationem eſſe contractum quo quis periculum rei alienę in ſe ſuſcipit, vel quo rei periclitantis valor in tuto conſtituitur media mercede, ſeu iuſto pretio iudicio prudentis. Ita Rebellus *lib.16. quæſt. vnica num.*2 Leſſius *lib.2. cap.28. dub.4. num.*24. & alii communiter.

Sciendum dubium eſſe, ad quam ſpeciem contractus reducatur contractus aſſecurationis. Quidam reducunt ad contractum innominatum do, vt facias, ſiue facio, vt des. Ita Silueſter *verbo negotium quæſit.* 5. & alii, alii ad contractum emptionis, & venditionis. Ita Molina *diſp.*507 *num.*2. & Leſſius *loco cit.* alii ad contractum fideiuſſionis: ita Lopez *lib.2. cap.*33. & alii. Verum Molinę magis placet opinio, nam qui aſſecurat merces, videtur vendere pro certo pretio ſuſceptionem periculi, ac obligationem ſoluendi valorem illarum in euentum, quo perierit, & alter

hanc

hanc videtur emere, & emptio, iſta periculi propriè dicitur aſſecuratio.

Quod conditiones requirantur ad iuſtitiam huius contractus?

BRACTEA II.

R. Cvm communi Theologorum, & Canoniſtarum ſententia aſſecurationem eſſe contractum licitum ſeruatis debitis illius conditionibus. Ratio, quia vterque ſe exponit periculo perdendi, vel lucrandi, & contractus, in quo vterq; contrahentium exponitur periculo, & lucor eſt iuſtus. Tum etiam, quia concluſio eſt definita *in iure ciuili ff. de nautico fœnere leg. 1. & 4. & Cod. eodem titulo leg. 1. & 2.* & docet Sotus *lib. 7. quæſt. 7. art. vnico*, & Bannez 2. 2. *quæſt. 78. art. 4.* Salon. *tom. 2. de contract. lib. diſp. de aſſecur.* negat eſſe licitum; Conradus *quæſt. 71.* diſtinguit quando is, qui rei periculum ſuſcipit, recipit pro illo moderatum pretium adhibetque ſuam operam, & induſtriam in illius rei conſeruationem eſſe contractum licitum; quando verò, qui rei periculum ſuſcipit nullam operam circa illam eſt adhibiturus, illicitus eſt contractus.

Sciẽdũ quę cõditiones requiri ad iuſtitiã huius contractus; prima eſt æqualitas inter pretiũ, ꝙ aſſecurãti datur, & obligationẽ, quã in ſe ſuſcipit; ſecunda, quod aſſecurans ſponte ineat contractum aſſecurationis, & non coactè; tertia, quod aſſecurator admoneatur de periculis, quibus res aſſecuranda ſubiacet ne fraude inducatur ad aſſecurationem; quarta vt res, de qua contractus aſſecurationis initur exiſtat, quia ſi non eſſet aſſecuratio non teneret; quinta, quod non ſolum res exiſtat, ſed ſubiacet periculis, cum aſſecurator accipiat pretium pro periculis, quibus res ſubiacet, & non pro re abſolutè conſiderata.

Quodnam ſit iuſtum pretium in aſſecuratione?

BRACTEA III.

R. Ivstvm pretium aſſecurationis illud eſſe, quod à lege eſt taxatum, vel à communi hominum æſtimatione conſideratis periculis, quantitate, aut qualitate rei, &c. Ita communiter. Ratio, quia illud cenſetur pretium iuſtum aſſecurationis, quod correſpondet periculo, cui res eſt expoſita conſideratis circunſtantiis, &c. iudicio prudentis.

Sciendum communem vſum eſſe accipere quinque, aut ſex pro aſſecuratione centum. Azorius 3. *part. lib. 11. cap. 18. dub. 10.* & alii; & ſicut poſſunt dari aliqui caſus, in quibus pro minori periculo, cui res eſt expoſita minus debeat etiam accipi, v. g. tria, aut quatuor, aut etiam duo pro centum, ita etiam dari caſus, in quibus pro maiori periculo cui res eſt expoſita. aut pro maiori valore rei magis poſſit accipi pro aſſecuratione, v. g. octo, decem, vel etiam duodecim pro centum, quia quo periculum eſt maius, eo etiam pretium debet magis augeri, vt æqualitas ſeruetur, cum pretium aſſecurationis debeat correſpondere periculis, quibus aſſecurator exponitur aſſecurando, cum iuſtitia pretii conſiſtat in æqualitate ex vtraque parte, vt ſcilicet aſſecurans recipiat proportionatum rei, quam aſſecurat, & aſſecuratus illud ſoluat, habita ratione periculorum, quibus ſe exponit aſſecurando ſi non ſeruetur æqualitas æſtimato valore rei, & periculo ex vna parte, & ex alia pretii quantitate, quod habet latitudinem infimi, medii, & ſupremi erit contractus iniuſtus ob inæqualitatem pretii.

An poſſit accipere pretium aſſecurationis, qui non habet vnde perſoluat, ſi res aſſecuratæ perierint?

BRACTEA IV.

R. Qvi non habet vnde perſoluat ſi res aſſecuratę perierint, non poteſt accipere pretium ex aſſecuratione, & ſi accipit, obligatur ad reſtitutionem. Ratio, quia datur dolus dans cauſam cõtractui. Tum etiam, quia ſi aliquid accipit, cum ipſe nulli ſe exponat periculo, cum nihil habeat. Tum etiam, quia non cenſetur per contractum aſſecurationis præſtare ſecuritatem, cum nihil habeat vnde ſoluat ſi res aſſecuratę perierit; & ideò aſſecurator tenetur ad reſtitutionem damnorum inde prouenientium mercatori, cum illorum ſit iniuſta cauſa imò etiam tenetur ad reſtitutionem totius mercedis acceptæ pro aſſecuratione, ſi tamen alius cõſcius de aſſecuratoris inopia, antequam de ſucceſſu, v. g. nouis quidquam ſciret, vellet ſtare contractui, vt ſcilicet æſtimationem nauis ſoluat ſi pereat, ipſe quoque eidem ſtare debet, & mercedem aſſecurationis ſoluere. Sotus *lib. 6. quæſt. 7. art. vnico*, & alii.

Sciendum eſſe quatuor ſpecies contractus aſſecurationis iuxtà quatuor genera rerum, quæ aſſecurari poſſunt ex Silueſtro *verbo negotium quæſit. 4.* & Garzia *cap. 39. num. 11.* Primò ſunt merces, ſiue mari, ſiue terra transferantur: Secundò ſunt pecunia, ſiue quæ trãsfertur de loco ad locũ mari, vel terra, ſiue quę eſt debita, vt ſi Paulus mihi debeat centum, & Mercator eas aſſecuret pro quinque, v. g. tertio. Quartò eſt vita hominis, ſic multi beneficiati, vt ſoluant Bullas, accipiunt à mercatore ſummam pecuniæ, quam ſoluant tribus, vel quatuor annis, interim etiam curant vitam aſſecurari pro eo tempore, alioquin mercator non dediſſet eam pecunię ſummam. Filiucius *tract. 37. cap. 1. de aſſecuratione*.

An merces nulli periculo expoſitæ, poſſint aſſecurari?

BRACTEA V.

R. Res quæ nulli periculo ſubſunt nullo modo poſſunt aſſecurari. Ita plures apud Silueſtrũ *verbo negotium*, & apud alios *tract. de contractu aſſecurationis*. Ratio, quia aſſecuratio, vt dictum eſt, eſt contractus, quo quis ſuſcipit periculum rei alienę, cum autem res, vt ſupponitur nullo ſubiaceant periculo, non poſſunt per ſuſceptionem periculi aſſecurari iuſta mercede. Vnde ſi aliquid accipiatur pro aſſecuratione rei, quæ nulli periculo ſubſit, non poteſt ipſum retineri, ſed tenetur ad reſtitutionem, quia cum aſſecurator non ſuſcipiat onus periculi, non poteſt pro ficta ſuſceptione aliquid accipere, & ſi accipiat obligatur acceptum reſtituere. Secundò quælibet merces ſecundum ſe aſpectatę poſſunt aſſecurari: ita communiter omnes. Ratio, quia quælibet ſubſunt caſibus fortuitis, & per conſequens poſſunt aſſecurari dummodo ſubiaceant periculis.

Sciendum, quod ſi aſſecurans certus ſit rem peruenisse ad terminum, ad quem rem illam aſſecurat, non poteſt exigere pretium ob obligationem, quam

in ſe

in ſe ſuſcipit, quia conditio ſi res perierint eſt omninò impoſsibilis moraliter, cum certò ſciat rem perueniſſe ad terminum, conſequenter aſsecurator, tenebitur ad reſtitutionem pretij, & ad expenſas contractus, & ad damna ſequuta; quod ſi neſcitet rem illam eſſe in termino, etiamſi reuera iam fuiſſet, poteſt exigere pretium quantum æſtimatur periculum, cui ſe exponit ſuppoſita ignorantia, quod res illa ad terminum peruenerit. Vnde ſi nauis in termino conſtituta periculis adhuc ſit expoſita pro aſsecuratione, huiuſmodi iuſtè aſsecurator poteſt pretium exigere, quia talis ſuſceptio periculi eſt pecunia æſtimabilis, cum merces illæ adhuc ſint periculo expoſitæ, & ratione illius periculi poſsint aſsecurari.

An validus ſit contractus aſsecurationis mercium non realiter exiſtentium?

BRACTEA VI.

R. CONTRACTVS aſsecurationis mercium nulli modo exiſtentium realiter, ſed fictè eſſe inualidum, cum deficiat in conditione requiſita. Ita Salon. *de aſſecuratione art.2.* Azotius 3. *part. lib.11.cap.18.dub.9.* & alij. Ratio, quia cum res non exiſtant, non datur rei periclitantis periculum, & per conſequens cum deſinat materia aſſecurationis deſinit etiam aſſecuratio. Tum etiam, quia datur dolus dans cauſam contractui. Vnde quando quis nō habet merces, ſed fingit eas habere in aliqua naui ſi aſſecurator ſciebat nauem euacuam eſſe, & tamen ipſam aſsecurat, ac ſi non eſſet vacua validus eſt contractus, cum potius cenſeatur eſſe contractus ſponſionis, quam aſsecurationis, vt v. g. ſi nauis peruenerit ad portum lucretur centum: ſin autem non peruenerit, amittat mille. Leſsius *lib.2. cap. 28. dub.4.* Lopez *lib.2.cap.16.* Si verò putabat bona fide aſsecurator eſſe onuſtam, non obligatur ob iacturam ipſius nauis ſoluere pretium mercium, cum nulla detur aſſicuratio, cum contractus deficiat in materia, quæ contractui præſuponitur, & conſequentur conſenſus contrahentium eſt inualidus, quia reuera illum contractum non iniret, ſi ſciret reuera eſſe vacuam, eo, quod prudenter timeret periculum nauis, quia non adhiberetur tanta diligentia in ea ſeruanda, ac ſi eſſet mercibus ónuſta. Quod ſi talis aſsecurator ea animi diſpoſitione fecit contractum, vt etiam ſi ſciuiſſet nauim eſſe vacuam, nihilominus voluiſſet contrahere in hoc euentu tenetur eius iacturam ſoluere, quia tacita mens eius erat etiam in hoc euentu ſe obligare. Ita Bannez 2.2.*queſt.78.art.4.*

An validus ſit contractus aſsecurationis mercium, quæ eo tempore deperditæ fuerunt?

BRACTEA VII.

R. QVOD ſi dominus mercium ſciebat tempore cōtractus merces deperditas eſſe, vel furto ſublatas non poteſt cum alio conuenire, vt eas aſsecuret, nec petere æſtimationem earum, cum aſsecuratio duo ſupponat, rem adhuc eſſe, & periculis agitari, & quando ſcitur perijſſe ſcitur etiam non eſſe amplius ſub periculo, & per conſequens non poſſe aſsecurari, & ſi aſsecurator aliquid accepit, obligatur ad illius reſtitutionem. Verum ſi tempore contractus aſsecurationis non erat omninò certum, res perijſſe poterit earum petere aſsecurationem, & pro illis pretium ſoluere quantum iudicabitur iudicio expertorum. Ratio, quia vterque contrahens cenſetur eſſe in periculo. Tum etiam, quia iuſtitia huiuſmodi cōtractus poſtulat, vt vterque eorū lucro; & damno æqualiter ſit expoſitus. Vnde requiritur neceſſariò euentum rei, quæ aſsecuratur vtrumque latere, nam aliter ſi qui, certè ſciret, & cognoſceret merces fuiſſe deperditas, aut furto ſublatas, aut extra periculum perueniſſe, non poteſt de illis contractum aſsecurationis celebrare, cum non amplius ſubſint periculo, & euentus rei ex parte vtriuſque contrahentium non ſit incertus. Secundò mercatorem, qui certò ſcit ſuas merces eſſe deperditas, non poſſe illarum petere aſsecurationem. Ratio, quia petit aſsecurationem rei, quæ cum amplius non exiſtat nulli ſubiacet periculo, & aſsicuratio eſt exiſtentis, & ſub periculo.

An habens in bonis quingentis aureos poſsit aſsecurare mille?

BRACTEA VIII.

R. NON poſſe habentem in bonis quingentos aureos mille aſsecurare, & lucrum ex aſsecuratione mille recipere; ſed ſolum ad ratam quingentorum, quos habet. Ita Rebellus *lib.16. qu.vnica num.11.* & plures alii, *tract.de contractu aſſecurationis.* Ratio patet, quia contractus eſſet inualidus per dolum dantem cauſam contractui, quoad totum; tum quia mercator cenſetur inuitus, cum ipſe aſsecurator non mille, ſed ſolùm quingentorum aureorum ſuſcipiat periculum, & per conſequens ad ratam quingentorum poſſe recipere lucrum tantùm.

An qui aſsecurat merces deferendas in vnum locum, quæ poſtea in alium tranſportatæ à militibus ablatæ fuerunt, teneatur iacturam illarum ſoluere?

BRACTEA IX.

R. ASSECVRATOR non obligatur ad iacturam mercium, quæ à militibus fuerunt ablatæ ex eo, quod fuerunt in alium locum aſportatæ. Ita Sotus *lib.6.quaſt.7.art.vnico,* & alii. Ratio, quia ſecluſa mora, & pacto aſſecurator non tenetur de caſu fortuito, dummodo vi ventorum, aut tempeſtatis fuerint tranſportatæ in alium locum. Vnde qui aſſecurat merces vehendas in vnum portum, quæ poſtea in alium aſportatæ fuerunt, vbi nauis in portu naufragium ſubiit, non tenetur iacturam illarum ſoluere. Similiter qui aſſecurauit merces per mare tranſferendas hoc pacto, vt nauigatio fieret menſe Maii, ſed dominus nauis menſe Nouembris nauigauit, quo tempore ob tempeſtatem nauis periit, aſſecurans nō obligatur eas ſoluere, cū dominus nauis nauigauerit contra pactum menſe Nouembris, & nō menſe Maii, quo tempore mare ſolet eſſe pacificum, & quietum ad nauigandum; vnde quia eſt in culpa, ad ipſum ſpectat ſolutio mercium; & non ad aſſecuratorem, niſi aliqua iuſta cauſa diſtulerit nauigationem: ita qui cum alio paciſcitur de deferendis mercibus in vna naui magna, & firma, & tamen contra pactum eas detulit in alia naui, quæ quia minus firma periit, aſſecurans non tenetur ſoluere valorem mercium, cum nauta detulerit ipſas contra pactum in aliam.

An

nauim, ſed ipſe nauta obligatur ad damnum ſequentum.

An qui per fraudem adductus eſt à mercatore ad præſtandam ſecuritatem mercium non exiſtentium, poſsit retinere pretium?

BRACTEA X.

R. Aſſicuratorem poſſe retinere pretium ſibi traditum pro aſſicuratione mercium, quæ tempore contractus à mercatore ſciebantur eſſe deperditæ. Ratio, quia cum ſcienter, & liberè pretium ſit datum à mercatore ſciente merces eſſe deperditas, nulla adeſt radix reſtitutionis ipſius pretii. Tum quia nihil accepit, & retinet inuito domino; tum etiam quia ſicut per fraudem adductus ad ludendum poteſt lucrum retinere, ita etiam aſſicurator.

Sciendum ex parte aſſicuratoris has fraudes in contractu aſſicurationis poſſe interuenire. Prima, ſi non habeat ſufficientia bona, vnde poſſit ſoluere, ſi res aſſicurata periret. Secunda, ſi aſſicuret res, quas certò nouit eſſe ſaluas, & in tuto collocatas: ex parte aſſicurati, & domini rei, cui aſſicurantur duæ etiam fraudes interuenire poſſunt: prima, ſi quando ſcit rem ſuam certò periiſſe, & tamen conueniat cum alio, vt eam aſſicuret: ſecunda, ſi loco rei aſſicuratæ aliam ſubſtituat minoris valoris, vel nullam, tunc enim inualidus eſt contractus, cum vtroque modo deficiat conſenſus, vt v. g. ſi aſſicuratio erit frumenti, vel vini, cum tamen ligna ſint ſubſtituta. Azorius 3. *par. lib.* 11. *cap.* 1. *queſt.* 9.

An ſit licitus contractus, quo quis mutuat alteri pecuniam per loca periculoſa traijciendam hoc pacto, vt mutuatarius iuſto pretio eam aſsicuret?

BRACTEA XI.

R. Iniuſtum, & vſurarium eſſe contractum, quo quis mutuat alteri pecuniam tali pacto, vt eam iuſto pretio recepto aſſicuret. Ita Garzias *lib. 2. de contractibus cap.* 15. & alii. Ratio, quia imponit obligationem alienam à contractu mutui. Secundò mutuatarius, qui liberè, & ſponté aſſicurat pecuniam, quam mutuator non vult præſtare, niſi media aſſicuratione init contractum iuſtum, & licitum. Ratio, quia liberè volenti non fit iniuria. Secundò, quia mutuator licitè poteſt petere aſſicurationem pecuniæ mutuatæ, vt ſe ſeruet indemnem, cum prudenter agat ſic faciendo, & petendo aſſicurationem. Tertiò, quia mutuatarius non eſt peioris conditionis, quam alia perſona, & ſicut alia poteſt aſſicurare, ita & mutuatarius; tum etiam quia iſti contractus ſeorſim, & cum diuerſis perſonis effecti ſunt liciti: ergo etiam liciti erunt cum eadem perſona effecti, cum non ſit ratio, cur cum vna perſona poſſint fieri, & non cum alia.

An vita hominis poſsit aſsicurari?

BRACTEA XII.

R. Vitam hominis vſque ad certum tempus poſſe aſſicurari, nimirum vſque ad ſexaginta, vel ſeptuaginta annos. Ita Azorius 3. *par. lib.* 11. *cap.* 18. *dub.* 8 Reginaldus *lib* 25. *num.* 384. Molina *tom.* 2. *diſput.* 507 *num.* 7 Garzias *de contractibus par.* 2. *cap.* 15. & alii. Ratio, quia in aſſicuratione vitæ nulla eſt iniuſtitia, cum ex æquo contrahentes ſe exponant damno, & lucro.

Sciendum, quod licet vita hominis ſecundum ſe ſpectata non ſit appretiabilis pecunia, & per conſequens non poſſit aſſicurari, tum etiam ob eius incertitudinem, iuxta illud: *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*; tamen conſiderata reſpectiuè ad damna, quæ moriens poteſt quis cauſare, eſt appretiabilis pecunia; & licet ſit multis periculis expoſita, & incertitudini poteſt etiam aſſicurari vſque ad aliquod rationabile tempus, nimirum vſq; quinquaginta, ſexaginta, vel ſeptuaginta annos. Secundò, quod licet ex aſſicuratione vitæ alicuius poſſit alicui eſſe occaſio peccati, nimirũ deſiderium mortis, &c non tamen licet argumentari aſſicurationem vitæ eſſe contractum illicitum, cum hoc ſit per accidens, & ex malitia hominum; & ſicut ſi in donatione, vel in ſubſtitutione occaſio accipiatur à donatario, aut hærede deſiderandæ mortis, non tamen ex hoc licet argumentari illicitam eſſe donationem, aut ſubſtitutionem hęredis, cum occaſio non ſit data, ſed accepta ex malitia, ita in aſſicuratione vitæ, quæ ſi alicui affert aſſicurationem deſiderandæ mortis, hoc erit ex malitia ipſius, & non ratione contractus aſſicurationis.

MALLEATIO LXV.

De contractu pignoris, & de pacti.

Quid ſit pignus?

BRACTEA I.

R. Pignus eſt contractus, quo res mobilis traditur alicui ad ſecuritatẽ crediti; ſiuè eſt res ſubiecta, vel obligata pro debito, vt niſi impleatur, inde ſatisfiat. Ita communiter omnes.

Sciendum, quod contractus, quo res traditur in ſecuritatem crediti, dicitur pignus, quia res, quæ traditur in ſecuritatem pugno capitur, & in hoc diſtinguitur iſte contractus ab hypotheca, cum hæc ſit rerum immobilium, pignus verò mobilium; perficitur hic contractus, ſicut & cęteri ſolo conſenſu extenſus expreſſo immediatè, aut mediatè, ſiue res, quæ deſignantur in pignus, præſentes ſint, ſiuè abſentes. Secundò, pignus tribus modis accipi: primo, pro re ipſa, quæ pignori traditur, & ſic pignus dicitur res aliqua, quę creditori traditur in ſecuritatem debiti: ſecundò, pro contractu, & conuentione illa, qua pignus conſtituitur: tertiò, & vltimò pro obligatione, quæ ex contractu in re naſcitur.

Quæ res poſsint pignorari?

BRACTEA II.

R. Omnia, quæ vendi poſſunt, etiam pignorari ab eo, qui eorum liberam adminiſtrationem habet. Ita Em. Sa *verb pignus*, Molina *diſp* 529. Vaſquez *in opuſc. cap. de pignore*, Rodriq. 2. *par. cap.* 28. *n.* 1. Azor. 3. *par. lib.* 7 *cap.* 6. Silueſt. *verbo pignus qu.* 2. & alij. Ratio, quia cum minus ſit vẽdi, quã pignorari ſequitur, ea pignorari poſſe, quæ poſſunt vẽdi. Secũdò, quæ alienari prohibentur, non poſſunt pignorari ad

longum tempus, ideſt ad quadriennium, quinquennium, &c. Ita Molina *diſput.* 530. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 3. & alij communiter. Ratio, quia pignoratio eſt ſpecies alienationis, & per conſequens quæ alienari non poſſunt, nec poſſunt oppignorari.

Sciendum res ſacras nullo modo poſſe pignori obligari, ſaltem ſecluſa neceſſitate. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 205. Garziaa *cap.* 4. Leſſius *loco cit. num.* 39. Siluester *verbo pign. quæſt.* 3. Em. Sà *num.* 2. Rodriquez 2. *par. cap.* 24. Secundò, res aliena non poteſt oppignorari abſque conſenſu Domini, Vaſquez, Molina, Azorius *locis citatis*, & alij. Tertiò, homo liber non poteſt tradi in pignus. Molina *diſput.* 530. Leſſius *loco citato dub.* 7. *num.* 4. Azorius *cap.* 6. Rebellus *lib.* 16. *quæſt. vnica num.* 4. licet poſſit eſſe obſes cauſa belli, & ob bonum publicum, niſi in caſibus, quibus in ſeruitutem legitimè redigeretur. *Cap.* 2. *de pignore*, & *leg. qui filium C. quę res pignori obligantur*, & in multis Prouincijs non poſſunt inſtrumenta aratoria, aut boues, aut alia animalia ad arandum deſtinata, & neceſſaria, vel ſerui aratores, &c. pignori dari. *leg. executores, leg. agricultores Cod. quę res pignori obligantur*; quæ leges, vbi vigent, iuſtiſſimæ ſunt, & in conſcientia obligant.

Quot obligationes ex contractu pignoris oriantur?

BRACTEA III.

R. Ex contractu pignoris duas oriri obligationes ex parte debitoris, qui rem contulit in pignus, & ex parte creditoris, qui rem ſuſcepit in Pignus: ex parte debitoris prima obligatio eſt, ne rem, quam contulit, alteri quoque creditori ſimiliter offerat, quia eſſet in fraudem, & damnum poſterioris creditoris, cum in illo pignore anterior eſſet præferendus; quod ſi pignus eſſet valoris, vt vterque creditor poſſet ex illo vendito ſatisfactionem recipere ſuorum debitorum, poſſet illud vtrique offerri; ſecunda obligatio debitoris, vt ſoluat expenſas neceſſarias, quas creditor fecit in pignore conſeruando; & ratio, quia eius dominium pertinet ad debitorem, & vnaquæque res expenſis Domini ſui ſeruanda eſt. Quæ ſint obligationes ex parte creditoris infra dicemus.

An creditor poſsit vti pignore in ſecuritatem crediti accepto?

BRACTEA IV.

R. Creditorem non poſſe vti pignore in ſecuritatem crediti accepto citra conſenſum domini tacitum, vel expreſſum. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 293. Molina *diſput.* 535. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 589. Silueſter *verbo pignus quæſit.* 7. *num.* 7. Em. Sa *verbo pignus num* 1. & alij. Ratio, quia eſſet vti re aliena inuito domino.

Sciendum eſſe caſus, in quibus poteſt creditor vti pignore accepto; primus eſt, quando vtitur pignore in fauorem ipſius debitoris, v. g. vtitur equo, ne otio torpeſcat, & in parietibus ſuſpendit tapetes, ne tineæ eos corradat. Secundus, quando ex vſu pignoris nullum damnum infert domino ex eo, quod res vſu non conſumatur, vt ſunt vaſa argentea, gemmæ, &c. Tertius, quando vſus ſolet gratis concedi inter amicos, vt eſt vſus libri. Ita Salonius *tom.* 2. *de pignore*, Nauarrus *cap.* 17. *num.* 207. Secundò, creditorem vtentem pignore in ſecuritatem crediti accepto debere in ſortem computare valorem illius, niſi rationabiliter præſumat gratis dominum concedere. Ita Silueſter, Nauarrus, Rodriquez, Reginaldus *locis citatis*. Ratio, quia alioquin committeret vſuram, cum ob dilationem ad ſoluendum acciperet aliquid ſupra ſortem, cum vſus pignoris ſit pretio æſtimabilis; & per conſequens ſupra ſortem habeat vſum pignoris pretio æſtimabilem.

An dominus pignoris teneatur ſoluere expenſas, quibus pignus eſt effectum melius?

BRACTEA V.

R. Dominum pignoris obligari ſoluere expenſas, quas pignorator in conſeruatione ipſius fecit, dummodo non ſint exceſſiuæ. Ita Silueſter *verbo pignus num.* 13. *quæſit.* 13. Em. Sà *eodem verbo num.* 8. Rodriquez *cap.* 26. *num.* 1. Rebellus 2. *par. lib.* 16. *quæſt. vnica num.* 12. Molina *diſput.* 535. *num.* 11. Vaſquez *cap.* 5. *de pignore num.* 26. *in opuſc.* Nauarrus *cap.* 17. *num.* 216. Ratio, quia cenſentur factæ in fauorem debitoris, & per conſequens debet eas ſoluere, vt patet etiam in montibus pietatis, qui aliquid accipiunt pro cõſeruatione pignorum datorum pro ſecuritate crediti, ſeu mutui ſupra ſortem. Secundò, non modò dominum pignoris teneri ſoluere expenſas pro conſeruatione pignoris, verum etiam quibus pignus eſt effectum melius. Ita Rebellus *lib.* 16. *quæſt. vnica num.* 12. Angelus *verbo pignus*, Tabiena, & Silueſter *ibidem eodem verbo*. Ratio, quia pignus eo ipſo, quod eſt effectum melius, vtilius eſt debitori; tum etiam quia pignus eſt contractus in gratiam debitoris, & creditoris; ergo emolumenta pignoris non ſolùm fiunt gratia debitoris, ſed etiam creditoris. Ita Molina *diſputat.* 535. Lpez *lib.* 2 *de contractibus cap.* 19. Rebellus *loco citato*, Silueſter *verbo pignus quæſit.* 13. Vnde ſi quis alteri dedit in pignus par boum macrium, qui poſtea induſtria, & expenſis pignoratoris facti ſunt pingues, dominus obligatur ſoluere expenſas, quibus illi facti ſunt pingues, dummodo facti ſint pingues expẽſis extraordinarijs; quod ſi expenſis ordinarijs, ſat erat, vt ſoluat expenſas factas pro illis alendis.

An creditor poſsit pignus acceptum alteri oppignorari, vel vendere?

BRACTEA VI.

R. Creditorem poſſe alteri oppignorari pignus acceptum ob ſecuritatem crediti. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 205. Rebellus *par.* 2. *lib.* 16 *quæſt. vnica*. Lopez *lib.* 2. *de contractibus cap* 59. & alijs & ita colligitur *ex leg.* 1. & 2. *Cod. ſi pignore datum ſit.* Ratio, quia quilibet poteſt cedere ius, quod habet in pignus alterius; & per conſequens pignus alteri poteſt oppignorari.

Sciendum, quod licet creditor poſſit alteri oppignorari pignus traditum pro ſecuritate crediti, non tamen poteſt illud tradere pro maiori quantitate, cũ non poſſit in alium transferre, niſi illud ius, quod habet in pignore pro rata quantitatis debiti, & ſecunda oppignoratio deſinit ſtatim, ac à primo creditore fuerit ſatisfactum, cum per ſatisfactionem deſinat ius primi creditoris in pignus, & per conſequens tranſlatio iuris in alium. Vnde ſecunda oppignoratio

tio

tio non eſt amplius valida. Secundò, in foro conſcientiæ poteſt creditor alteri vendere pignus ſibi traditum poſt debitam admonitionem exiſtente debitore in mora expectato tempore conuenienti poſt admonitionem, modò aliter non ſit cõuentum. Molina *diſput.* 528. Silueſter *verbo pignus*, Tabiena *eodem verbo num.* 5. Vaſquez *cap.* 7. *de pignoribus*, Nauarrus *cap.* 17. *num.* 205. Salonius *de pignoribus*, & alii. Ratio, quia pignus traditur in ſecuritatem crediti, & vt creditor ſibi conſulat, ſeque ſeruet indemnem; ergo, &c. Tertiò, in foro externo non poſſe creditorem pignus vendere, niſi poſt biennium, & admonito prius debitore, & niſi à Iudice obtineat facultatem vendendi ipſum pignus traditum in ſecuritatem crediti. Ita auctores citati; & ita colligitur ex *leg. ſi conuenit ff. de pignoribus*: requiritur tamen, vt debitor ſit in mora ſoluendi, & poſt moram denunciatio; ſecus autem ſi promiſerit non vendıturum pignus. Verùm ſi creditor vendit pignus maiori pretio, quam ſit creditum, tenetur reſiduum reſtituere creditori; nullo enim titulo poteſt exceſſum ſibi retinere. *leg. vlt. Cod. de iure dotis*; ſicut ex oppoſito ſi vendidit minori pretio, poterit reſiduum repetere à debitore. *leg. vlt. citata* Ita Garzias *de contractibus cap.* 4. *num.* 8. Silueſter *verbo pignus num.* 8. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 604. Rodriquez *cap.* 24. *num.* 4. & alii. Ratio, quia perfectè debet à debitore ſatisfieri pro debito contractu iuxta quantitatem crediti.

Ex qua culpa teneatur pignoratarius?

BRACTEA VII.

R. Creditorem, qui pignus accepit ad ſecuritatem crediti non modò teneri de dolo, & culpa lata, verùm etiã de leui ſi res perit. Ita Auctores citati. Ratio, quia contractus in vtilitatem vtriuſque obligat non modo de dolo, & lata culpa, verùm etiam de leui, contractus verò pignoris eſt in vtilitatem vtriuſque. Secundò, creditorem debere computare in ſortem fructus, quos ex pignore percepit, & etiam quos percepiſſet, & tamen non percepit culpa lata, & leui ipſius creditoris. Ita Nauarrus *cap.* 13. *num.* 206. Molina *diſput.* 535. Azorius 3. *par. lib.* 7. *cap.* 18. Silueſter *verbo pignus quæſt.* 11. Angelus *eodem verbo num.* 12. Roſella *ibidem num* 5. Salonius *tom.* 2. *de contractibus diſput. de pignore*, Lopez *lib.* 2. *cap.* 53. & alij. Ratio, quia cum ſit contractus in vtilitatem, vtriuſque obligat de dolo, culpa lata, & leui; & per conſequens obligatur etiam computare in ſortem fructus, quos poterat percipere ex pignore, & ex culpa leui non percepit, quos tamen dominus percepiſſet.

Sciendum fructus naturales pignoris eſſe in duplici differentia quoldam merè naturales, qui ſuapte natura producuntur, vt ſunt fructus arborum, &c. alij verò, qui natura producuntur, ſed ſimul requirunt laborem, vel induſtriam, vt producantur, & ex hoc dicuntur mixti: creditorem, vt dictum eſt, non modo teneri computare in ſortem fructus merè naturales, ſed etiam naturales, qui induſtriam, vel laborem hominis requirunt, detracta tamẽ æſtimatione laboris, & induſtriæ, & quos ipſe non percepit ſua culpa, & dominus percepiſſet; licet Hoſtienſis *lib.* 3. *de pignore num.* 9. Rebellus *par.* 2. *lib.* 16. *quæſt. vnica*, negent obligari de leui culpa, ſed ſolùm concedunt de lata, ſed quod diximus, eſt communis opinio, nimirùm eos fructus deducendos eſſe in ſortem, quos non ſolùm ex dolo, & lata culpa non percepit, ſed etiam quos non percepit ex culpa leui.

An creditor computare debeat in ſortem fructus agri ſterilis ſibi dati in pignus?

BRACTEA VIII.

R. Creditorem debere computare in ſortem fructus, quos ex agro ſterili ſibi dato in pignus recepit arte, & induſtria propria. Ita Nauarrus *cap.* 17. *num.* 216. Azorius 3. *par. lib.* 7. *cap.* 8. Lopez *lib.* 2. *cap.* 20. Rodriquez *cap.* 26. Garzias *cap.* 4. Molina *diſput.* 535. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 594. Silueſter *verbo pignus*, Angelus, & Armilla *eodem verbo*. Ratio, quia cum fundus ſit debitoris, domino debet fructificare, tum etiam quia fructus naturales deductis expenſis ſunt domino reſtituendi: fructus autem è fundo ſterili recepti ſunt naturaliter; ergo, &c.

Sciendum, quod fructus naturales ex agro ſterili in pignus dati percepti poſſunt eſſe in duplici differentia, vel exigui, vel vberes, & copioſi: ſi exigui quoniam potius cenſentur fructus ex induſtria non eſſe reſtituendos, ipſa ratio dictat, & docet Sotus *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 2. Tum quia vt ſupponitur, non æquiualent induſtriæ, & laboribus; ſi verò fructus ſint vberes, & copioſi, computandi ſunt in ſortem. Sotus *lib.* 6. *de iuſtit.* cum diſtinctione loquitur, quando fundus datus in pignus non erat per ſe ſterilis, ſed negligentia domini, quia incultus tunc fructus ex eo percepti debent computari in ſortem, quia res illa non erat omninò ſterilis, ſed fructifera; ergo fructus cum ex re ipſa deſcendant domino, ſunt reſtituendi. Si verò ſecundum ſe, & natura ſterilis, arte autem, & induſtria creditoris excultus fructus edit, fructus illos eſſe creditoris, nec computandos in ſortem, quia ſoli induſtriæ, & arti tribuendi ſunt, præſertim quando non ſunt multi, & magni; ſecus verò ſi vberes, & copioſi ſunt.

An pignoratarius, qui habitat domum ſibi oppignoratam, debeat ſoluere penſionem?

BRACTEA IX.

R. Creditorem, qui habitat domum ſibi oppignoratam, quam nemo voluit conducere, cum ipſe habeat domum propriam ad habitandum, nihilominus oppignoratam habitat, ne ipſa, vel à militibus, vel ab alijs deformetur nullam teneri ſoluere penſionem. Ita Molina *diſput* 535. Ratio, quia habitando illam domum beneficium cenſetur præſtare domino, nec ipſe fit locupletior. Secundò, creditor, qui nullam habet domum ad habitandum, ſed habitat domum ſibi oppignoratam, eam tenetur ſoluere pẽſionem, quam ab alio accepiſſet, ſi domum locaſſet. Ita Molina *diſput* 535. Silueſter *verbo pignus quæſt.* 12. Angelus *eodem verbo num.* 13. & alij. Ratio, quia ex eo, quod eſt creditor, non cenſetur peioris conditionis, quam alius, vt maiorem teneatur ſoluere penſionem. Vnde ſolùm tenetur eam ſoluere, quam alter dediſſet.

An creditor teneatur reſtituere pignus debitori illo indigenti, & aliud idoneum offerenti?

BRACTEA X.

R. In foro conſcientiæ obligari reſtituere, niſi aliqua rationabilis cauſa excuſet. Ita Rebellus *par. 2. lib. 16. quæſt. vnica num. 7.* Ratio, quia quilibet tenetur ſuo proximo indigenti ſubuenire, dummodo poſſit abſque ſuo incommodo; vnde lege charitatis tenetur reſtituere pignus; in foro verò externo plures negant teneri. Et ita Em. Sá *verbo pignus*, & alij.

Sciendum in tribus caſibus illicitum eſſe accipere pignus: primò, ſi accipiatur ad lucrum, quod non computetur in ſortem, quia hoc eſt contra naturalem iuſtitiam: ſecundo, ſi accipiatur in pignus, quod oppignorari non poteſt: tertiò, ſi apponantur pacta prohibita à iure, vt ſi fiat pactum, quod ſi debitur certo die non ſoluat, pignus tranſeat in commiſſum.

De pactis in contractu pignoris?

BRACTEA XI.

R. Primo prohiberi omne pactum turpe, quod iure naturali, vel Diuino, vel humano damnatum ſit, inter quæ eſt pactum legis commiſſoriæ, quo creditor paciſcitur cum debitore, vt ſi ad conſtitutum tempus non ſoluerit pignus, cadat in ius, & dominium creditoris; & ratio cur id pactum liceat in emptione, & venditione, non autem in pignore eſt, quod venditor nullum damnum infert emptori, ſi rem ſuam ea lege vendat, vt ſi tempore definito pretium non ſoluerit, ſit inempta, & ad ſe redeat: at creditor inferret damnum, quia pignus ſoler eſſe maioris æſtimationis, quam ſit debitum; docet tamen Azorius ex Innocentio, Hoſtienſi, & alijs tale pactum licitum fore, ſi concipiatur hoc modo, do tibi fundum pignori eo pacto, vt ſi non ſolueris tempore debito habeas tanquam emptum, vel tanquam tuum iuſto pretio, ſiuè tanti quanti arbitrio boni viri æſtimabitur. Item ſi dicatur hoc modo, niſi tibi ſoluero ſuo tempore pecuniam me tibi pignus daturum in ſolutum, hoc eſt in partem ſolutionis. Denique vſurpari ſolet huiuſmodi pactum ea ratione, vt ſi debitor non ſoluerit præſtituto tempore pignus vendatur iuſto pretio, & ex eo ſatisfiat creditori; quod autem ſupereſt, reddatur domino pignoris. Secundò pactum, vt creditor propria auctoritate poſſit pignus occupare pro debito non ſoluto videri illicitum; verbum enim illud occupare ſignificat, vt creditor illud ſibi ſumat tanquam emptum iuſto videlicet pretio, hoc eſt tanti, quanti æſtimatur. Ita Azorius *cap. 10. quæſt. 5.* contra verò pactum ne liceat debitori pignus vendere, licitum non eſt ex *leg. ſi creditor* §. *vlt. ff. de pignorib.*

In quibus caſibus pignoratarius non tenetur in ſortem computare fructus pignoris?

BRACTEA XII.

R. Tres caſus aſſignari in iure Canonico. Primus eſt, quando gener pro dote promiſſa, & non ſoluta recipit pignus fructiferum, v. g. domum, vel capſinam, quorum fructus maritus facit ſuos, nec fructus receptos tenetur in ſortem computare, cum ex illis teneatur onera matrimonij ſuſtentare. Ita eſt definitum in *cap. ſalubriter de vſuris*. Secundus eſt, quando Petrus, v. g. dat Paulo fundum nomine, & iure feudi, quem deinde ipſe Petrus loco pignoris accepit à Paulo, qui in feudum ſuſceperat fundum, tunc fructus illius pignoris cenſentur Petri, nec tenetur in ſortem debiti computare, donec ei integrum debitum ſoluatur. Ratio eſt, quia cum Petrus ſit dominus directus eo ipſo, quo in pignus debiti recipit fundum feudalem, cenſendus eſt ipſo iure ſic interpretante reſtitutus in dominium vtile illius fundi, & per conſequens vt de re iam omninò effecta ſua illos iam percipere fructus non computando in ſortem. Ita vt definitũ in *cap. cum quæſtus de vſuris*. Tertius eſt, quãdo pignus cenſetur in bonis ei, cui datur, v. g. vi, vel furto fuit equus ſublatus, quem fur alteri vendidit, & ille poſtea dominus, cui furto fuit ſublatus, oppignoratus eſt pro pecunia, quam mutuo acccepit, non obligatur reſtituere fructus ex eo perceptos, quia ex re propria recepit. Ita eſt definitum in *cap. 1. de vſuris*.

MALLEATIO LXVI.

De hypotheca.

Quid ſit hypotheca?

BRACTEA I.

R. Hypothecam eſſe aſſignationem alicuius rei immobilis pro ſecuritate creditoris. Ita Em. Sá *verbo pign. num. 10.* Rodriquez 2. *part. cap. 24. num. 1.* Rebellus *lib. 16. quæſt. vnica de pignore* Molina *diſp. 538.* & alij communiter.

Sciendum quod licet aliquando pignus accipiatur pro hypotheca, & è conuerſo, tamen propriè hypotheca diſtinguitur à pignore, cum in pignore res traditur, in hypotheca res non traditur, ſed ſolùm aſſignatur: Vnde in pignore res traditur creditori, in hypotheca res aſſignata remanet apud debitorem, deinde pignus, vt plurimum, & propriè eſt mobilium hypotheca verò immobilium. Molina *diſp. 528.* Rodriquez 2. *part. cap. 28. num. 1.* Em. Sá *verbo pignus*, & alij communiter. Secundò nomen hypothecæ deductum eſſe à Græco, & ſignificat rem ſuppoſitam, & obligatam creditori pro debito; licet creditori tradita non ſit, quo pacto tam mobilia, quam immobilia ſubiecta poſſunt eſſe hypothecæ. Ita *Inſtituta de actionibus* §. *ita ſeruiana*, & *leg. ſi rem alienam* §. *propriè ff. de pignoribus*.

Quotuplex ſit hypotheca?

BRACTEA II.

R. Hypothecam duplicem eſſe generalem, & ſpecialem: generalis eſt, quæ extenditur ad omnia bona præſentia, & futura; *leg. qui nondum ff. de pignoribus*, quæ non impedit, vt res hypothecata vendatur, cum pretium ſuccedat in locum rei venditæ, & in locum rei, quæ hypothecatur; ſpecialis eſt, qua res certa obligatur, & remanet obligata apud quemcunque poſſeſſorem perueniat. Leſſius *lib. 2. cap. 58. dub. 6. num. 38.* Molina *diſp. 538. num. 14.* Reginaldus *lib. 29. num. 582.* Azorius 3. *part. lib. 7. de pignore*, & alij. Secundò hypotheca eſt etiam duplex tacita, & expreſſa, expreſſa eſt, quæ ex partium conuentione

uentione celebratur, & dicitur conuentionalis, aut decreto Iudicis,& dicitur Prętoriana,ad quam requiritur anctoritas Iudicis, vt mitatur in poſſeſſionem rei, quæ hypothecatur. Tertia eſt, quæ legis diſpoſitione ſine vlla conuentione contrahentium conſtituitur, & dicitur etiam legalis, quia conſtituitur à lege; tacita dicitur etiam illa, quæ implicitè continetur in alio contractu ex iuris diſpoſitione, & reperitur; primò in bonis mariti, quæ implicitè, tacitè ſunt oppignorata, & hypothecata pro dote. Ita iure diſponente *leg. vnica §. & vt plenius*. Secundò in bonis miniſtrorum Eccleſiæ, quæ ſunt hypothecata pro mala adminiſtratione, *cap. ex litteris de pignoribus*, in bonis Patris adminiſtrantis bona filij, *leg. cum opportet*, in bonis promittentis dotem, donec illam tradiderit, in bonis contrahentis cum fiſco, in bonis curatoris, & Tutoris pro adminiſtratione minoris, & pupilli. Ita apud Bonacinam *diſp. 3. de contractib. quæſt. 11. pun. 2.*

Quot modis contrahatur tacita hypotheca?

BRACTEA III.

R. Vt ſuprà dictum eſt multis modis contrahi tacitam hypothecam: primò, qui ratione contractus aliquid debet Principi, vel fiſco quando ratione criminis bona ſunt confiſcata, bona non remanent hypothecata, ſed debita poſt ſententiam Iudicis. Secundò bona omnia mariti ſunt tacitè hypothecata pro dote, & bona illius, qui pro dote fideiuſſit, aut dotem promiſit. Tertiò bona Tutoris, aut Curatoris ſunt hypothecata pro adminiſtratione pupilli, & minoris. Quartò bona Prælati, & adminiſtratoris Eccleſię remanent hypothecata pro adminiſtratione. Quintò bona eorum, qui adminiſtrant res Ciuitatum, bona Patris adminiſtrantis, bona aduentitia filij remanent hypothecata pro filio. Sextò bona defuncti ſunt hypothecata pro legatis. Septimò ſi aliquid vxori à marito, vel intuitu mariti donatum eſt mortuo ipſo pertinet ad liberos, & mulier ſi tranſeat ad ſecundas nuptias eius bona remanent hypothecata pro reſtitutione eorum, quæ à marito, vel eius intuitu donata fuerunt. Octauò res emptæ pecunia pupilli, minoris, vel militis manent hypothecata pro pretio in fauorem pupilli minoris, & militis. Nonò fructus rei conductæ remanent hypothecata pro penſione. Decimò inuenta in prędium conductum ſunt hypothecata pro penſione, & pro damnis rei conductæ illatis. Vndecimò ædificium, ad quod reparandum pecunia mutuata eſt, remanet hypothecata pro tali pecunia. Duodecimò pecunia data ad extruendam nauim, emendum, vel ornandam, nauis remanet obligata pro ea pecunia, quoadusque ſoluatur. Decimotertiò omnia res ad cuius conſeruationem pecunia mutuata eſt, manet obligata pro ea pecunia. Decimoquartò bona furis manent obligata pro reſtitutione rei furtiuę, & bona vſurarij obligata pro reſtitutione vſurarum.

Quo ordine ſatisfaciendum ſit creditoribus habentibus hypothecam dictum eſt cum de reſtitutione, &c. Is enim cui aliquid hypothecæ ſubiicitur potior eſt in iure, & ſolutione debiti, altero, cui poſterius eadem res ſit hypothecæ ſubiecta; modo contractus fuerit plenè celebratus, ſi enim, v. g. eadem res fuiſſet duobus hypothecata, priori ob mutuum promiſſum, deinde poſteriori ob mutuum datum, tunc potior in iure eſſet poſterior, quam prior, quia prior nón plené celebrauit contractum mutui, quod conſiſtit in traditione. Molina *diſp. 536. num. 27.*

MALLEATIO LXVI.

De Contractu promiſſionis.

Quid ſit promiſſio?

BRACTEA I.

R. Promissio eſt deliberata, & ſpontanea fidei obligatio de re licita, & poſſibili. Ita communiter omnes.

Sciendum promiſſionem aliquando ſumi pro quolibet contractu, propriè verò ſumitur pro contractu quo gratis aliquid promittitur ex gratitudine, ſeu libertate alicuius promittentis. Dicitur primò in eius definitione fidei obligatio, ſeu datio ad differentiam pollicitationis, cum per ipſam fides non dicatur data. Secundò dicitur deliberata, vt oſtendatur ad promiſſionem, requiri deliberationem, quantũ ſufficit ad peccatum mortale; vnde ſi deliberatio ſit tantummodo ſemiplena, non obligat ſub mortali, neque ſub veniali. Ita Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp.* 8. Valentia 2. 2. *quæſt. 6. pun.* 5 Molina *diſp.* 267. Reginaldus *lib.* 25. *num* 83. Nauar. *cap.* 18. *nu.* 7. & alii. Tertiò dicitur ſpontanea, vt excludantur promiſſiones metu, aut etiam vi extortę.

An promiſſio inualida firmata iuramento obliget?

BRACTEA II.

R. Si promiſſio ſit de re licita, & quæ ſine peccato promittentis ſeruari poſſit ſi rata iuramento obligat. Ratio eſt, quia honor, & reuerentia Diuini nominis, quod iureiurando in teſtem adduximus, petit vt efficiamus verum, quod promiſimus. Ita habetur *in cap debitores de iureiurando*, & tradit D. Thom. 2. 2 *quæſt.* 89 *art.* 7, poterit tamen promittens rem promiſſam repetere officio Iudicis Eccleſiaſtici, & promiſſarius iure naturali tenetur eam reſtituere, quoniam nullo titulo poteſt eam retinere. Quod ſi is, qui promiſit pecuniam eam nõ ſoluerit eius hæres vi iuramenti non cogitur promiſſum adimplere, quia iuramentum cum ſit vinculum perſonale ſolum iurantem obſtringit, nec etiam obligabitur ad promiſſionem, cum ſit inualida, & non obliget in vtroque foro.

An qui dubitat vtrum deliberatè promiſerit obligatus ſit adimplere promiſſionem?

BRACTEA III.

R. Dubitans an deliberatè promiſerit, obligatus eſt adimplere promiſſionem factam. Ita Reginaldus *lib.* 25. *num.* 94. Sanch *à lib.* 1. *de matrim diſp.* 8. & alii. Ratio, quia præſumitur deliberatè promiſiſſe, & per conſequens ſe obligaſſe, niſi aliter conſtet de voluntate promittentis.

Sciendum dubium, quod attinet ad præſens duplex eſſe vnum iuris, & aliud facti: dubium iuris illud eſſe, quod verſatur circa legem obligantem, an talis lex extet, an non, an aliquis ſe obligauerit per promiſſionem, aut votum aliquid facere, vel dare, an non: Similiter an ſit lata cenſura, vel talis caſus ſit reſeruatus, an non: & tale dicitur dubium iuris,

cum ſit circa legem, vel ius, an extet, an non. Dubium facti eſt, quod conſtat quidem eſſe, ſed dubitatur, an habuerit omnia requiſita, vt v. g. ſi votum factum, vel promiſſio habuerit omnes qualitates neceſſarias ad obligandum, vt v. g. an fuerit cum animo ſe obligandi, & adimplendi votum, & promiſſionem, &c. In dubio iuris pro libertate eſt iudicandum, v. g. in dubio, an quis vouerit, aut promiſerit iudicandum eſt non vouiſſe, aut promiſiſſe, quia in dubiis iudicandum eſt pro libertate; in dubio facti, quo quis dubitat, an habuerit perfectam deliberationem cum animo ſe obligandi, &c. in fauorem facti eſt iudicandum, nimirum habuiſſe talem animum, & per conſequens eſse obligatum. Ratio eſt, quia tale dubium cenſetur dubium facti, & in dubio facti pro facto eſt tenendũ. Vnde eum non teneri ad ſeruandum votum, qui æqualiter dubitat, an votum emiſerit, quia melior eſt conditio poſſidentis. Ita Rebellus *lib*. 2. *queſt*. 14. *ſect*. 2. *num*. 8. Qui verò non dubitat, ſed opinatur ſe votum emiſitse, tenetur adimplendum votum, nam poſseſſio fauet dubitanti, & non opinanti, niſi fortè habeat opinionem probabilem etiam pro ſe, quia quilibet poteſt ſequi opinionem probabilem. Similiter ille, qui adhibita diligentia dubitat, an promiſerit alteri matrimonium non tenetur promiſſionem adimplere. nam poſſeſſio ſtat pro libertate, & in dubio iuris melior eſt conditio poſſidentis. Verum ſi dubitet, an voluerit ſe obligare per promiſſionem factam ad matrimonium, vel votum, tenetur, quia poſseſſio ſtat pro matrimonio, & pro voto. Tum etiam, quia hoc eſt dubium facti, & in dubio facti pro facto tenendum.

An quælibet promiſſio obliget?

BRACTEA IV.

R. Qvamlibet promiſſionem veram de re licita, & poſſibili ſemper obligare in foro conſcientiæ. Ita Caietan. 2. 2. *qu*. 88. *art*. 1. Sanchez *lib*. 1. *diſp*. 9. Reginaldus *lib*. 25. *num*. 90. Garzias 1. *part*. *cap*. 33. *num* 4. Lopez 2. *part*. *cap*. 70. Rebellus *lib*. 2. *queſt*. 14 *num*. 10. Sotus 7. *de iuſtit*. *queſt*. 7. Ratio, quia ex promiſſione vera, & oritur obligatio naturalis, & per conſequens promittens in foro conſcientiæ ſemper obligatur.

Sciendũ promiſſionẽ duplicẽ eſſe vnã veram, & alteram fictam, promiſſio vera illa eſt, quę eſt animo promittendi, & ſe obligandi, promiſſio ficta eſt, quæ eſt non animo promittendi, & ſe obligandi. Vnde qui alteri promittit animo non ſe obligandi, ſed ſolum indicandi affectum erga ipſum, vel deſiderium, aut propoſitum benefaciendi, vel qui vrbanitatis gratia, profert quædam verba generalia, vt v. g. promitto me facturum, quidquid velis, vel omnia mea ſunt tua, vel in tuum commodum parata erunt, vel promitto me facturum quidquid dixeris, ex his verbis non oritur obligatio, cum non adſit vera promiſſio, ſed ſolum demonſtratio boni animi erga aliquẽ, ex qua non oritur obligatio. Nauarrus *cap*. 12. *n*. 26. Rebellus *lib*. 18. *queſt*. 4. *num*. 6. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 18. *dub*. 8. *num*. 58. Em. Sa *verbo promiſſio*, Armilla *verbo perfidia*, & alii. Similiter hęc verba non inducere obligationem faciam, pręſtabo, viſitabo, orabo, &c. quæ potius adhibentur ad ſignificandam memoriam beneficii accepti, vel ad exprimendum propoſitum, & intentionem, quam ad ſe obligandum, cum propoſitum non ſit promiſſio, & conſequenter neque obligationem promiſſionis inducit.

An promiſſio vera obliget etiam in foro externo?

BRACTEA V.

R. Promissionem veram, & acceptatã non modo obligare in foro conſcientiæ, ſed etiã in foro fori obligationẽ inducere. Ita communiter omnes. Ratio patet, quia qui non adimplet promiſſionem poteſt excommunicari, *cap*. 1. *de pactis*; ergo ſignum eſt, promiſſionem acceptatam obligare, etiam in foro fori. Tum etiam, quia ius naturę dictat non ſeruantem promiſſionem externam delinquere; ergo ſignum eſt obligare.

Sciendum promiſſionem aliam eſſe oneroſam, & aliam gratioſam: oneroſam illam eſſe, per quam imponitur onus: gratioſam illam, per quam onus non imponitur, & vtramque acceptatam obligare non modo in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro fori. Vnde non adimplens promiſſionem externam acceptatam in materia graui mortaliter peccat. Leſſius *dub*. 8. *num*. 55. Rodriquez 2. *part*. *cap*. 27. Silueſter *verbo pactum queſit*. 4. Nauar. *cap*. 18. *num*. 6. Lopez 1 *part*. *cap*. 30. Sotus 7. *de diſt*. *queſt*. 2. *art*. 1. Azorius *lib*. 11 *cap*. 14. *queſit*. 3. Arragonius 2. 2. *queſt*. 8. *art*. 3. Sanchez *lib*. 1. *diſp*. 5. *num*. 30. contra Armillam *verbo perfidia*, & alios aſſerentes venialiter tantum peccare, modo promiſſarius non incurrat damnum.

An promiſſio interna obliget coram Deo?

BRACTEA VI.

R. Promissionem internam factam Deo obligare in foro conſcientiæ, etiamſi ſit facta in gratiam hominis, quamuis ille, in cuius fauorem ſit facta, nullum ius acquiſierit. Ita communiter. Ratio, quia cum Deus ſit ſcrutator cordium, & cogitationum animi, cenſetur acceptare promiſſionem internam. Secundò, promiſſionem internam in fauorem hominis obligare, dummodo ſit de meliori bono. Ita Azorius 3 *part*. *lib*. 11. *cap*. 15. *queſt*. 1. Sanchez *lib*. 1. *de matrim*. *diſp*. 7 *num*. 25. Rebellus *queſt*. 1. *n*. 4. & alij communiter. Ratio, quia quando eſt indifferens, aut maioris boni impeditiua nulla adeſt obligatio adimplendi id, quod homini promittitur, licet ſit coram Deo facta.

Sciendum promiſſionem internam in gratiam hominis factã, aut eſſe de meliori bono, vt ſi quis Deo promittat facere eleemoſynam pauperi, aut etiam ducturum pauperem virginem in matrimoniũ, & ſimilia, aut non eſſe de re meliori, ſed indifferenti, aut maioris boni impeditiua: ſi promiſſio eſt de re meliori facta in gratiam hominis coram Deo, & in conſcientia obligat; ſi verò de re indifferenti, aut maioris boni impeditiua non obligat coram Deo, quia promiſſio facta Deo debet eſſe de re meliori; ſecus verò dicendum, ſi promiſſio non ſit facta Deo, ſed homini, quia tunc promiſſio obligat, etiamſi res promiſſa ſit impeditiua maioris boni, quia in promiſſione homini facta attenditur id, quod eſt homini gratius; res autem minus bona, ſeu impeditiua maioris boni magis aliquando placet homini, quam placeat magis bona. Vnde qui promiſit matrimoniũ fęminę, tenetur eam ducere ob rationem allatam; qui verò vouit matrimonium, non tenetur votum adimplere, quia votum debet eſſe de meliori bono, votũ autem ineundi matrimonium non cenſetur de meliori bono, immò eſt impeditiuum maioris boni, ideſt cęlibatus.

Simi-

Similiter qui interius promiſit Deo ductuꝛum ſe fœminam, quam defloꝛauit ſub promiſſione matrimonij, tenetur promiſſionem Deo factam adimplere, cū huiuſmodi promiſſio Deo placeat, & ſit de re meliorj, quam eius omiſſio, cum ſit de re, quam promiſſor tenetur facere, deflorator enim tenetur ducere fœminam, quam promiſſione matrimonij deflorauit. Item, qui promiſit Deo ſeducturum aliquam in vxorem ad vitandam fornicationem, vel alia peccata carnis cognoſcens ex frequenti lapſu ſe imbecillem ad ſuperandam carnis tentationem, tenetur ad matrimonium, quia in iſto caſu matrimonium cenſetur de meliori, quam eius omiſſio attentis circunſtantijs perſonę. Ita Nauar. *cap.* 12. *num* 43. Caiet. 2.2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *dub. vlt.* Sanchez *lib.* 1. *de matrim diſp.* 4 *num.* 7. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 5. Molina *tom.* 1. *diſp.* 149. & alij contra alios. Qui verò promiſit ſe ducturum meretricem, vt ſe recipiat ad meliorem frugem, non tenetur promiſſionem adimplere. Ita Sanchez *loco cit. num.* 12. Coninch. *de matrimon. diſp.* 22. *dub.* 9. *num.* 59. Ratio, quia huiuſmodi votum cenſetur inualidum, vtpotè impeditiuum maioris boni, nimirum ſtatus continentiæ, modo non promiſerit Deo ſub conditione, ſi nubam, ducam meretricem, quia tunc regulariter tenetur eam ducere, dummodo de ea, quam vult ducere, habeatur ſpes emendationis, quia ſecus non obligaretur, quia in iſto caſu votum non cenſetur de re meliori.

An promiſſio interna firmata iuramento obliget?

BRACTEA VII.

R. Promissionem internam non ſufficerere ad obligandum, non ſolùm iure poſitiuo, vt inquit Molina *diſput.* 263. *num.* 13. Couarru. *cap. quamuis pactum par.* 2. §. 4 *num.* 16. Sotus, & alii, ſed neque iure naturæ, vt inquit Sanchez *lib.* 1. *diſput* 3. Leſſius *lib* 2. *cap.* 18 *dub.* 5. *num* 30. Henriquez *loco citato*, & alij, nam promiſſio interna non eſt vera promiſſio, cum non ſit datio fidei, & non cenſeatur facta ſub conditione, ſi alter acceptat: non poteſt autem acceptari, niſi exprimatur. Secundò, promiſſionem internam firmatam iuramento non obligare, ſed poſſe reuocari ante acceptationem ad libitum promittentis. Ita Rebellus *lib.* 17. *quæſt* 2. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. Sanchez *lib* 1. *diſput.* 7. *num.* 24. & alij. Ratio, quia cum acceſſorium ſequatur ſuum principale naturam eius, cuius eſt actus, ſequitur quod cum promiſſio, quæ eſt actus principalis, & fundamentum iuramenti poſſit reuocari ante acceptationem; ita etiam firmata iuramento non obliget, ſed poſſit reuocari. Secus verò ſi ſit facta per modum voti, aut ſi promiſſio interna firmata iuramento erit de aliquo opere pio, quia tunc non poteſt reuocari, ſed obligat, cum cenſeatur facta per modum voti. Auctores citati. Tertiò, ſi quis indicet promiſſionem internam in fauorem alicuius factam, à quo ſit acceptata, obligat promittentem, vt ſatisfaciat. Ratio eſt, quia tunc promittit, non ſolùm animo, ſed etiam verbis; ſecus dicendum, ſi eam promiſſionem exterius non confirmat, ſed ſolùm promiſſionem internam ante factā indicat, quia tunc non cenſetur perſeuerare in promiſſione iam facta.

Quo modo promiſſio externa obliget?

BRACTEA VIII.

R. Promissionem externam ante acceptationem nullam parere obligationem naturalem, aut ciuilem, & per conſequens ad libitum poſſe reuocari. Ita Gomez *tom.* 2. *cap* 9. & communiter omnes. Ratio, quia promiſſio cenſetur facta ſub hac conditione, ſi acceptetur; vnde ſi non acceptatur, non obligat.

Sciendum excipi ab hac regula aliquos caſus, in quibus promiſſio externa obligat ante acceptationem, vt ſi promiſſio facta ſit Ciuitati in remunerationem honoris accepti à promittente, vel ad reparandas ruinas Ciuitatis, aut ſi promiſſio facta ſit infanti. *leg. iubemus Cod de emancipatione liberorum ff. de pollicitationibus*, Molina *tract.* 2. *diſput.* 263 Rebellus *loco citato quæſt* 3. *num.* 8 Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *num.* 36 Sanchez *lib.* 1 *diſput.* 6. *num.* 15. Em. Sà *verbo donatio num.* 16. Secundò, aliqui Doctores, vt Leſſius *loco citato*, Filiucius *tractat.* 33. *cap.* 2. *num* 27. & alij; hoc idem extendunt ad donationes, & promiſſiones factas cauſæ piæ, vt Eccleſiæ, & Hoſpitali, cum æquiparentur in priuilegio promiſſionibus factis Ciuitati. *leg. illud Cod. de ſacroſanctis Eccleſijs*; ſed contrarium docent Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 3. *num.* 2. Iulius Clarus §. *donatio quæſt.* 12. Couarru. 1. *variar. cap.* 14. *num.* 16. Rodriquez 1. *par. cap.* 95. & alij apud Molinam *diſput.* 263. *num.* 48. cum donatio cenſeatur facta ſub hac tacita conditione ſi acceptetur. Secondò, promiſſionem externam acceptatam obligare, niſi detur iuſta cauſa ipſam non adimplendi. Ita communiter omnes.

Sciendum 2. Iuſtam cauſam non adimplendi promiſſionem externam acceptatam eſſe notabilē mutationem rerum, quæ ſi menti occurriſſet, tempore promiſſionis non eſſet facta promiſſio, cum promiſſio non obliget vltra intentionem promittentis. S. Thomas 2.2. *quæſt.* 110. *art.* 3. Lopez 2 *par. cap.* 30. Em. Sà *verbo promiſſio*.

Quænam conditiones requirantur, vt promiſſio externa ſit valida?

BRACTEA IX.

R. Qvatvor conditiones requiri. Prima, vt ſiat animo promittendi, & ſe obligandi: cenſetur autem promiſiſſe animo ſe obligandi, quoties promittēs ſi interrogaretur, an habuerit talē animum, reſponderet affirmatiuè. Secunda, quod promiſſio ſit de re licita, & poſſibili, quia ſi erit de re illicita, & impoſſibili nullam inducit obligationem. Tertiò requiritur, quod promiſſio ſit acceptata, quia vt dictū eſt, ſi nō erit acceptata, non obligat. Quartò requiritur, vt res in eodem ſtatu permanſerint, & nō ſit notabiliter mutatus ſtatus rerum, & perſonarū, & ſi menti occurriſſet talis mutatio non eſſet facta promiſſio, niſi cum exceptione. Ratio, quia promiſſio cenſetur facta ſub hac tacita conditione, niſi ſit mutatus ſtatus rerum. Tum quia non obligat vltra intentionem promittentis. Ita S. Thomas 2.2. *quæſt.* 110. *art.* 3. Em. Sa *verbo promiſſio*, Lopez 2. *par. cap.* 30. & alij.

An

An promittens aliquid fictè, peccet mortaliter?

BRACTEA X.

R. PROMISSIONEM fictam nullam inducere obligationem. ita Nauarrus *cap* 18. Siluester *verbo pactum*, & alij. Ratio, quia obligatio in promiſſione oritur ex fide data in promiſſione ficta nulla datur fides; tum etiam quia in promiſſione ficta deeſt animus ſe obligandi, & per conſequens cum deficiat in eſſentialibus in vtroque foro tàm ciuili, quàm conſcientiæ non obligat; licet ex aliqua alia cauſa poſſit promiſſio ficta obligare, v.g. ratione damni, vel ſcandali vitandi, &c. Secundò, promittentem aliquid fictè alicui in materia graui, & magni momenti peccare mortaliter. Ratio, quia quod proximo, notabiliter iniurioſum eſt peccatum mortale: talis eſt promiſſio ficta grauis, & notabilis; & patet, quia illud eſt peccatum mortale: quo inter prudentes diſſoluitur amicitia: talis eſt promiſſio ficta; ergo, &c. Tum etiam quia qui decipit proximum in materia graui, peccat mortaliter; ergo fictè promittens, qui decipit proximum in materia graui, peccat mortaliter. Tertiò, ſi aliquod detrimentum proximo oriatur ob promiſſionẽ fictam, promittens obligatur reſtituere damnum. Ratio; quia qui alteri eſt iniuſta cauſa dãni obligatur ad reſtitutionẽ; qui fictè promiſit, eſt alteri iniuſta cauſa dãni; ergo, &c. Quartò, ſciẽs naturã promiſſionis, & habuit intentionẽ promittẽdi, tenetur ipſam adimplere, etiãſi non habuerit intentionem ſe obligandi. Ratio, quia eo ipſo, quod promiſit ſciens naturam promiſſionis, tacitè voluit ſe obligare, cum obligatio naturaliter ſequatur ex promiſſione, niſi poſitiuè reſpuatur. Ita communiter omnes.

An qui promittit animo ſe obligandi, ſed non adimplendi promittat fictè?

BRACTEA XI.

R. QVI animo ſe obligandi, ſed non adimplendi promiſſionem, verè, & realiter promittit, & non fictè, & ex tali promiſſione conſurgit obligatio adimplendi promiſſionem factam. Ita Reginaldus *lib.* 25. *num.* 89. & alij. Secus verò dicendum de eo, qui aliquid alteri promittit non animo promittendi, ſeu ſe obligandi, quia tunc cenſetur fictè promiſiſſe, cum promiſſio deficiat in eſſentialibus: qui autem aliquid promittit animo promittendi, & ſe obligandi, ſed non animo implendi promiſſionem verè, & realiter promittit, & nõ fictè, cũ talis ꝑmiſſio non deficiat in eſſentialibus; vnde obligatur implere promiſſionem, cum acceſſorium ſequatur ſuum principale. Secundò, qui ignorando naturam promiſſionis aliquid promittit, fictè cenſetur promittere, nec obligatur implere promiſſionem, cum non cenſeatur vera promiſſio, & deficiat in actibus eſſentialibus, nimirum in intentione. Ratio, quia promiſſio nõ obligat vltra intentionem ipſius promittentis; qui autem ignorat naturam promiſſionis, non cenſetur habere intentionem ſe obligandi; ergo, &c. Aliter dicendum eſſet, ſi promittens neſciens naturam promiſſionis tamen haberet intentionem ſe obligandi, vt alij faciunt, quia tunc obligaretur, quia cenſeretur habere ſufficientem intentionem ad ſe obligandum, vt patet in eo, qui aliquem baptizat iuxta intentionem Eccleſiæ, & de accedente ad Subdiaconatum habente intentionem ſe obligandi, vt cęteri ſe per Subdiaconatum obligant, quia tunc eſſet obligatus ad eaſdem obligationes, ad quas cęteri. Tertiò, qui ſciens naturam promiſſionis, & habuit animum promittendi dictum eſt ſupra obligari, licet non habuerit animum ſe obligandi. Ita Caietanus 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 1. Rebellus *lib.* 4. *quæſt.* 3. *num.* 10. Lopez *lib.* 2. *cap.* 30. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 93. Sanchez *lib.* 1. *diſput.* 5. Garzias 1. *par. de contractibus cap.* 3. *num.* 4. Sotus 7. *de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 2. & alij. Ratio conſtat ex ſupradictis.

In quibus caſibus promiſſio valida, & acceptata deſinat obligare?

BRACTEA XII.

R. IN quatuor caſibus. Primus, ſi res promiſſa fiat inutilis, illicita, vel impoſſibilis. Caietanus 2.2. *quæſt.* 113. & alij. Secundus, ſi ſtatus rerum, vel perſonarum ita mutetur, vt iudicio prudentis promiſſor non cenſeatur voluiſſe comprehendere illum euentum, quia poſſeſſio habet vim ex mẽte promittentis expreſſa, vel tacita, & vltra hanc non obligat. Tertius, ſi poſtquam duo ſibi inuicem promiſerunt, deinde alter non velit adimplere promiſſum, tunc nec alter tenebitur. Nauarrus *cap.* 18. *num.* 7. Quartus valet compenſatio in promiſſis, & quando aliquid promiſſum eſt ob cauſam, quæ deinde non ſubeſt, vt ſi quis promittat alter, quia putat accepiſſe ſe ab illo beneficium aliquod, & deinde comperit non accepiſſe, tunc non tenetur implere.

An promiſſio ob turpem cauſam, ſeu opus malum ſit valida?

BRACTEA XIII.

R. IVRA naturę omnis illa promiſſio eſt irrita, cuius executio illicita eſt. Ratio, quia nemo poteſt obligare ad peccatum. Secundò, promiſſionem ob turpem cauſam, ſeu opus malum eſſe inualidam, nec obligare ante patratum opus malum, & per conſequens nullam inducit obligationem. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub* 3. *num.* 17. & alij communiter. Ratio, quia nemo poteſt obligari ad opus malum, & ſicut promiſſor operis non tenetur ipſum exequi; ita & qui promittit pecuniam, non obligatur ſtare promiſſioni, cum illa promiſſio non fuerit obligatoria; patrato verò opere malo promiſſor ſimpliciter propter opus malum patratum non obligatur ſtare promiſſioni: obligatur tamen ratione alterius circunſtãtiæ concomitantia opus patratum, v. g. ob aliquod damnum, vel etiam ratione periculi, cui ſe expoſuit exequendo opus malum. Ratio, quia promiſsio rei ob turpem cauſam, ſeu ob opus prohibitum ex iuſtitia eſt contra iuſtitiam; & per conſequens ſicut non obligat ante factum, ita nec etiam poſt factum. Ratio ſecundę partis eſt, quia illæ circunſtantiæ ſunt appretiabiles pecunia.

Sciendum, quod ſicut vi promiſsionis faciens opus malum illud ex iuſtitia, & vi promiſsionis non exequitur, cum talis promiſsio ſit inualida, ita etiam patrato delicto vi promiſsionis non obligatur promittens ex iuſtitiã ſoluere promiſſum, cum contractus promiſsionis fuerit inualidus, nec per perpetrationem operis mali validetur, ſed obligatur ſoluere id, quod promiſit ratione damni dati ob talem executionem, vel rationem periculi, cui ſe expoſuit. Ita

plureſ apud Bonacinam *diſput.1.quæſt.3.pun.3.* Ratio, quia obligatur compenſare damna, quę mandatarius cauſa mandantis paſſus eſt. Vnde ſi quis alteri promiſerit centum nummos pro homicidio patrando ipſo pstrato ex iuſtitia non obligatur eos ſoluere, ex eo quod mandatarius vi promiſsionis contra iuſtitiam factæ patrauerit iniuſtè homicidium, & nullum ius ſimpliciter acquiſiuerit ad eos ratione homicidij, licet tamen ratione circunſtantiæ concomitantis homicidium poſsit effectum promiſsionis petere; exigere, & iuſtè retinere, vt v. g. ratione laboris, moleſtiæ, & timoris iuſtitiæ, & periculo, cui ſe expoſuit occidendo hominem contra iuſtitiam. Secundò, eas etiam promiſsiones eſſe irritas, quę præbent occaſionem peccandi, & quæ tollunt libertatem diſponendi de rebus ſuis: item eas, quæ ſunt contra leges, quas expedit implere in Republica benè conſtituta: ſi tamen accedat iuramentum, tenent in foro conſcientiæ, modò earum executio non ſit illicita, nec contra naturales, ſed ſolùm contra bonos mores ciuiles, & contra commodum Reipublicæ.

An violans promiſsionem acceptatam peccet mortaliter?

BRACTEA XIV.

R. NON modo ex diſpoſitione iuris ciuilis, ſed etiam ex iure naturali promiſsionem non habere vim obligandi ante acceptationem. Ita Leſsius *lib.2.cap.28.dub.6.num.* 39. & alij. Ratio, quia in contractibus onerosis ante acceptationem licitum eſt vbique gentium pœnitere, & reuocare promiſsionem, & per conſequens licitum etiam erit in contractibus gratuitis, & promiſsionibus; tum etiã quia ante acceptationem nulli datur ius acquiſitum. Secundò, violantem promiſsionem generaliter factam peccare tantum venialiter. Ita Molina *tom. 2. diſput.262.* & alij. Ratio, quia leuiter peccat contra contractum promiſsionis; tum quia verba generalia nullam inducunt obligationem, tum etiam quia non cenſetur violare iuſtitiam cum per promiſsionem generalem non intenderit ſe obligare, ſed ſolùm obligationem ex honeſtate morali procedentem demonſtrare. Tertiò, violans promiſsionem ſpecialem factam in materia leui peccat tantum venialiter Ratio eſt, quia in rebus, quæ habent extenſionem quantitatis, peccatum ſumit ſpecificationem ab ipſa quãtitate. Tum etiam quia ſicut in materia furti leuitas materiæ excuſat à peccato mortali, ita in materia promiſsionis leuitas materię promiſſæ excuſat à peccato mortali. Tertiò, quando in promiſsione res leuis fuit ſeriò promiſſa, & quæ eſt tota materia promiſsionis violans ipſam, peccat mortaliter. Ita Nauarrus *cap.18.num.6.* Sotus *lib.7.quæſt.2. art.1.* Leſsius *cap.15.num.55.* Ratio, quia obligat ex iuſtitia ſicut pactum nudum. Tum etiam quia talis promiſsio obligat in conſcientia; ergo ex iuſtitia inducit peccatum mortale, ſi ſit ſeriò promiſſa, & tota materia promiſſionis. Quartò, qui in materia notabili violat promiſſionem, peccat mortaliter. Ita auctores citati, & Sanchez *lib.1.diſput.5.num.20.* Thurianus 2.2. *tom.2.diſput.64.dub.16.num.5.* Vaſquez 1. *par. diſput.* 85. *cap.6.num.* 42. Filiuc. *tom.* 2. *tract.33.cap.2.num.28.* Malderus 2.2. *cap.9.dub.*8. Salonius 2.2. *quæſt.5.* D. Antoninus *par.* 2. *tit.10.cap.1.*§.4. & alij. Ratio, quia in materia graui peccat contra iuſtitiam. Tum etiam quia violando promiſſionem in materia notabili maximam iniuriam infert proximo.

Sciendũ in violatione promiſſionis in materia graui duplicẽ eſſe violationẽ, vnã contra iuſtitiam, quatenus frangitur debitum ex iuſtitia, & alteram contra virtutem fidelitatis, vel veracitatis, quatenus violatur ipſa virtus moralis non attendendo id, quod fuit promiſſum.

Sciendum 2. Rebellum *lib.18 quæſt.4.nu.4.* Leſſium *lib.2.cap.18.dub.8.num.56.* Sanchez *lib.1. de matrimon. diſput.5.num.24.* Reginaldum *lib.25.num.84.* Lopez *lib. 2. cap. 30.* affirmare maiorem quantitatem requiri in violatione promiſſionis, quam in furto; & per conſequens ad conſtituendum peccatum mortale in promiſſione quadruplum requiri. Vnde circa hoc ſtandum eſt iudicio prudentis.

Contrariam ſententiam ſequuntur Fumus *verbo perfidia* Caietanus 2.2. *qu 113.art.1. dub.* 4. Henriquez *lib.13.cap.17.num.6.* Petrus de Ledeſma *in ſumm.tom.1. tract.10.cap.3.* Fernandez *in ſuo examine Theolog. par 1.* §. 8. *num.* 11. nam frangere fidem in promiſſione non opponitur iuſtitię, ſed fidelitati. Vnde frangere fidem non eſt niſi mendacium, quod cum non ſit perniciosum, non poteſt eſſe mortale, ſed tantum veniale; quam opinionem probabilem vocat Leſſius *loco citato*. Secundò, quod aliquando per accidens, qui non præſtat promiſſum, poteſt peccare mortaliter, vt quando ſequitur notabile detrimentum propter promiſſionem non pręſtitam. Et ſic ait Rebellus *par.2.lib.18.quæſt.4 num.5.* & Maior. *in 4.diſt.38.quæſt.2.* peccat Medicus, ſi operam promiſſam periclitanti nõ præſtat, eaque de cauſa ægrotus graue damnum paſſus ſit, &c.

An promittens rem notabilem poſſit ſe ſolùm obligare ad culpam venialem, ſi promiſſionem violauerit?

BRACTEA XV.

R. PROMITTENTEM rem notabilem cum animo obligandi ſe ſolùm ſub veniali, ſi promiſſionem acceptatam violauerit, venialiter ſolùm peccare. Ita Rebellus *lib.* 18. *quæſt.1.num.5.* & *quæſt. 4. num. 2.* Suarez *lib. 3. de legibus cap.27.* Molina *diſput.262.num.8 & 12.* Sanchez *lib.1.de matrim. diſput. 9 num.6.* Henriquez *lib.5.de pœnit.cap 21.num.* 5. & alij. Ratio, quia cum promiſſio ſit quædam lex particularis, obligat iuxta voluntatem promittentis, & imponentis ſibi talem obligationem; vnde qui promittit alteri matrimonium, poteſt ſe ſolùm obligare ad culpam venialem, ſi fidem datam violauerit.

Quomodo promiſſio acceptetur?

BRACTEA XVI.

R. PROMISSIONEM factam præſenti moraliter, & intelligenti taciturnitate etiam acceptari. Ita Rebellus *lib 18.quæſt.2.num.2.* Molina *diſput.264.num.6.* Sanchez *lib.1.de matrim.diſput.6.num.11.* Azorius 3 *par.lib.11.cap.15.quæſt.2.* Em. Sà *verbo donatio num.16.* Lopez 2. *par.cap.27.* Reginaldus *lib.25.num.76.* Gomez 2. *variar.cap.9.num.* 2. & alij. Ratio, quia qui tacet, acceptare videtur in fauorabilibus iuxta regulam iuris, licet in alijs nec conſentire, nec diſſentire videatur. Secundò, ad acceptationem promiſſionis faciendę ab abſente plura requiri. Primò, vt promittens per epiſtolam, vel nuncium inſinuet illi promiſſionem, & voluntates amborum in vnum concurrant promittendo, & acceptando. Secundò, vt ab-

ſens

ſens coram Nuncio miſſo acceptet promiſſionem, cum non ſit ſufficiens ipſam acceptare coram alijs. Si verò per epiſtolam inſinuata fuerit promiſſio requiritur, vt ſtatim per epiſtolam reſpondeat, an promiſſionem acceptet, an non; licet in promiſſionibus gratuitis non ſit neceſſaria talis reſponſio, ſed ſolùm in promiſſione onerosa. Tertiò requiritur, vt promiſſio non ſit reuocata, & reuocatio innoteſcat nuncio miſſo ad admonendum de promiſſione, non poteſt amplius quidquam efficere, cum per reuocationem extinctum ſit mandatum; ſi verò ante executionem innotuit, tunc vel nuncius ſe habet ſolùm inſtar nuncij referentis alterius promiſſionem, vel habet mandatum faciendi promiſſionem: ſi priori modo facta reuocatione nihil nuncius poteſt amplius promittere, ſeu operari, cum ex parte promittentis non ſit amplius conſenſus: ſi ſecundo modo valet promiſſio, & is, cui facta eſt promiſſio, acquirit ius petendi rem ipſam.

Quid faciendum ſi donator moriatur antequam nuncius adimpleuerit donationis mandatum?

BRACTEA XVII.

R. Teneri reſtituere mandatum hæredibus donantis, quia cum donatio non ſit perfecta nec poſſit acceptari poſt mortem donatoris, mandatum non expirat morte donantis, ſequitur nũcium teneri ad reſtitutionem hæredibus donatoris, cum res tradita ipſorum ſit, quamuis Em. Sà *verbo donatio num*.21. non nihil dubitet eo, quod exiſtimet mandatum donandi eſſe tam fauorabilem, & quandam gratiam, quæ non expirat. Secundò, tenetur hæredibus ipſi donatario, cui non fuit intimata, & facta donatio tempore debito, cum enim teneretur ex iuſtitia officium ſuſcepti debiti tempore implere, illudque ſua culpa non impleuerit, peccauit contra iuſtitiam, & cenſetur cauſa iniuſta damni donatarij, per conſequens obligatur ad reſtitutionem. Molina *diſp*.263. Leſſius *lib*.2.*cap*.18. *dub*.6. *num*. 46. Sanchez *lib*.1.*de matrim*.*diſp*.5.*num*.8. qui hoc limitant dummodo non ſit mandatum ad pias cauſas, quod non expirat morte mandantis, quia præſumitur mandatorem voluiſſe mandatum adimpleri etiam poſt mortem, cum etiam illi proſint pia opera, Ita Couar.1. *variar*. *cap*.14. *num*.16. Molina *loco cit*. *num*.4. Em. Sà *num*.21. Leſſius *loco cit*. Secundò, inualidam eſſe promiſſionem factam abſenti ſigno externo manifeſtatam, ſed non delatam, per Nuncium, aut epiſtolam. Ratio, quia ad abſentes homo non ordinatur, niſi per ſcripturam, aut Nuncium ſpecialiter ad id à ſe deputatum. Ita Valentia *tom*.3 *diſp*.5.*quæſt*.10. *part*.1. Sotus *lib*.4. *quæſt*.5. *art*.1. & *lib*.7. *quæſt*.2. *art*.3. Corduba *de caſibus conſcientiæ quæſt*.133. Lopez *lib*.2.*de contractib*.*quæſt*.43. licet ſint multi, qui contrariam tuentur ſententiam, quam Sotus *loco cit*. probabilem vocat.

An poſt mortem donatoris poſſit promiſſio acceptari?

BRACTEA XVIII.

R. Qvando promiſſio ante mortem donatoris facta eſt, & miſſa epiſtola vel Nuncius, vt eam inſinuet, cui facta eſt, poteſt etiam poſt mortem donatoris promiſſarius illam acceptare. Ita Sanchez *lib*.1. *de matrim*.*diſp*.6.*num* 5. & alij. Ratio, quia promiſſio ex parte promittentis fuit valida, nec reuocata, ſed virtualiter perſeuerat impreſſa litteris, vel Nuncio, vt ad donatarium tranſeat. Secundò, quando promiſſio non fuit facta, ſed ſolum mandata fieri per Nuncium, ſi donator moriatur antequam mandatarius fungatur ſuo munere, promiſſio non poteſt validè acceptari poſt mortem donatoris. Ita Sanchez *loco cit*. Leſſius *lib*.2.*cap*.18.*dub*.6.*num*.46. & alij. Ratio, quia ante mortem promiſſoris non fuit facta promiſſio, ſed ſolum mandata fieri, & quia mandatũ expirat morte mandatoris hinc eſt, quod promiſſio poſt mortem promiſſoris non poſſit validè acceptari, cum non cenſeatur amplius perſeuerare talis promiſſio.

Quis poſſit pro abſenti acceptare promiſſionem?

BRACTEA XIX.

R. Illvm poſſe acceptare promiſſionem, cui ab altero generaliter, vel ſpecialiter eſt mandatum ad id faciendũ. Ita Leſſius *lib*.2.*cap*.18. *dub*.7. Bonacina, Filliucius, Layman *tract*.*de contractu promiſſionis*. Ratio, quia mandatarius repræſentatur perſonam mandantis, & cum eo facit vnam perſonam. Secundò qui alterius iuri ſubditi ſunt, poſſunt promiſſionem acceptare pro illis, quorum iuri ſubiecti ſunt. Ita Leſſius *loco cit*. Ratio, quia cenſentur vna perſona; & ideò poteſt filius promiſſionem acceptare pro Patre, Religioſus pro Prælato, ſeruus pro domino, licet in odioſis, & oneroſis non poſſint id facere. Tertiò, qui curam alterius gerit, poteſt promiſſionem acceptare pro eo, cuius curam gerit. Ita Leſſius *loco citato*, Rebellus *lib*.18.*quæſt*.2.*num*.4. & alij. Ratio, quia cenſetur reportare commodum ex promiſſione, quam acceptat, & ſub hac ratione poteſt Prælatus promiſſionem acceptare nomine ſuæ Eccleſiæ, Tutor nomine pupilli, Curator nomine minoris, Pater, & mater nomine ſui filij, & filiæ, Princeps pro ſuo ſubdito, quia cum alteri poſſit dare facultatem ſtipulandi pro eo poteſt etiã ipſe promiſſionem acceptare, & ſtipulare. Notarius etiã publicus conficiẽdo inſtrumentũ, vel aliã publicam ſcripturam nõ põt acceptare. Cum nõ ſit in vſu, quod tanquam priuatus acceptet. Ita Rebellus *loco cit*. Quartò, quemlibet priuatum poſſe promiſſionem factam locis piis acceptare. Ita Sanchez *de matrim*.*diſp*.7.*num*.10. Reginaldus *lib*.25.*num*.77. Tiraquell. *de priuileg*. *piæ cauſæ*. Leſſius *loco cit*.*num*.48. Gutier. *de matrim*.*cap*.6.*nu*.17. & ita colligitur *ex leg*.*Caius* §.*ſolut*.*matrim*. fauore dotis poſſe alterum ſtipulari, ergo poteſt etiam ſtipulari fauore piæ cauſæ, nam cauſa pia gaudet fauore dotis.

Sciẽdum præter hos caſus neminem poſſe pro alio promiſſionem acceptare, cum talem acceptationem iura irrita reddant. Leſſius *lib*.2. *dub*.7.*nu*.47.& 48. Verum vt promiſſio per abſentem acceptetur plura requi-

requiruntur, Primò, vt verba dirigantur ad præſentem pro abſente acceptantem, vt ſi dicat promitto tibi me daturum Petro vnam veſtem, quæ verba ſi ad præſentem dirigentur, non poteſt qui præſens eſt nomine abſentis acceptare. Vnde ſi quis dicat promitto me daturum Petro vnam veſtem, nemo præſentium poteſt talem promiſsionem acceptare nomine Petri, cum non concurrat conſenſus duorum, qui ad pactum requiritur. Secundò, vt ille qui ex diſpoſitione iuris pro abſente promiſſionem acceptauit, non poſſit amplius illam condonare, cum tertio ſit iam ius acquiſitum, quo ipſum priuare non poteſt, licet promiſſor non teneatur exequi promiſſionem quouſque ab abſente, in cuius fauorem acceptata fuit, ratificata ſit. Tertiò, hæc intelligenda eſſe de promiſsione gratuita facta abſenti, non autem oneroſa, quia ſi promiſsio ſit oneroſa, vt cum quis promittit ſe ducturum filiã alicuius ſi ipſa viciſsim promittat, vel venditurum domum alicui ſi velit dare mille nummos aureos non ſufficit, vt tertius pro abſente acceptet, ſed requiritur, vt abſens eam acceptet, & repromittat. Vnde ante eius repromiſsionem, quæ priori promittenti nota ſit ſemper reuocari poteſt. Sanchez *loco cit. num*.12. Molina *diſp*. 164. cum contractus oneroſus habeat hanc tacitam conditionem ſi aliter repromittat.

An pro ſimplici promiſsione acceptata, detur actio in foro iudiciali?

BRACTEA XX.

R. Ex promiſsione gratuita, & liberali non datur actio in foro iudiciali aduerſus promittentem, ita vt is, cui promiſſio facta eſt, poſſit in iudicio petere, quod fuit ſibi promiſſum. Ita colligitur ex *leg. iuris gentium* § *ſed cum nulla ff. de pactis*, idque factum eſt ad dirimendas lites, vt vult Conar. 2.*part. cap. quamuis* § 4. *num* 13. Ratio, quia leges præſumunt in ſimplici promiſſione, quia, quæ facta eſt ſine cauſa, indeliberatum animum interueniſſe. Secundò, ſecũdum ius Canonicum datur actio pro foro externo pro nuda, & ſimplici promiſſione, modo iuridicè cauſa ſubſit, etiamſi non exprimatur. Ita colligitur ex *cap*. 1. & *cap. qualiter*. Tum etiam, quia ex ſimplici promiſſione rite acceptata, promittens naturaliter obligatur ei, cui facta eſt promiſſio, & ideò peccat ſi fidem datam non ſeruat. Vnde quia ius Canonicũ curat ne peccata cõmittantur, dat actionem, vt promiſſarius poſſit, quod eſt ſibi promiſſum: at iuris Ciuilis non eſt, niſi ea potiſſimum peccata prohibere, & impedire, quæ pacem Reipublicæ perturbant, vnde ius Ciuile non dat actionem aduerſus promittentem, quam dat ius Canonicum.

An promiſsio rei impoſsibilis ſit valida?

BRACTEA XXI.

R. Promissionem rei impoſſibilis, ſeu ſub conditione impoſſibili eſſe inualidam, & irritam. Ita communiter omnes, Ratio, quia cum impoſſibilium nulla ſit actio poſſibilis nemo poteſt ad impoſſibile obligari, vt habetur ex *leg. impoſſibilium ff. de regulis iuris*. Secundò promiſſio rei partim poſſibilis, & partim impoſſibilis obligat ſolum ſub ea ratione, qua eſt poſſibilis. Ita communiter omnes. Ratio, quia vtile per inutile non vitiatur, quando res, ſeu materia non eſt indiuiſibilis, ſed diuiſibilis. Tertiò promiſſio rei impoſſibilis, etiam iuramento firmata eſt inualida, quia tale iuramentum cenſetur temerarium, vt conſtat ex *cap. ſicut de iureiurando*; tum etiam, quia iuramentum ſequitur naturam eius, cuius eſt actus: cum autem promiſſio ſit nulla, ſequitur iuramentum eſſe nullum.

Sciendum promiſſionem non obligare, non modo quando tempore promiſſionis materia erat impoſsibilis, ſed etiam quando ex aliquo accidenti, aut caſu fortuito facta eſt impoſsibilis, deſinit obligare, cum non obligat promiſsio vltra intentionem promittentis. Vnde, qui alteri promiſit aliquid, qui ex aliquo caſu factus eſt impotens ad exequendum, non amplius obligatur.

An promiſsio facta contra naturam rei promiſſæ ſit valida?

BARCTEA XXII.

R. Promissionem factam ſub conditione, quę ſit contra naturam rei promiſſæ eſſe irritam, inualidam. Ita definitur in *cap. vlt. de condit. appoſita*. Ratio, quia nulla res poteſt ſine ſua ſubſtãtia conſiſtere, & tales conditiones deſtruũt ſubſtantiam contractus. Vnde v. g. ſi Paulus promittat Catherinæ ſe eam ducturum in matrimonium, ſi ipſa victum ex adulterio quærat, vel ſi generationem impediat, promiſsiones eſſe inualidas, cum ſint contra ſubſtantiam promiſsionis rei, nimirum contra bonum matrimonij.

An promiſsio metu, vel dolo extorta ſit valida?

BRACTEA XXIII.

R. Promissionem metu, vi, vel dolo extortam eſſe inualidam. Ita Nauar. *cap*.17.*n*.30. Em. Sà *verbo promiſſio num*.1. Lopez 2. *part. cap*.30. Rebellus *lib*.18. *queſt*. 4. *num*.7. Leſsius *lib*.2. *cap*.18. *dub*.8.*num*.4 Garzias 1.*part de contractib*.*cap*.3. *num*.6. Silueſter *verbo reſtitutio*, Vaſquez *cap*.7.*dub*.41. & alij. Ratio, quia facit iniuriam promittenti extorquendo promiſsionem per dolum aut metum, &c. Tum quia deeſt liber conſenſus.

Sciendum, quod licet in foro conſcientię promiſſio metu, aut dolo extorta ſit inualida, & accepta ſint reſtituenda, tamen in foro externo accepta per promiſsionem metu leui, aut dolo factam non ſunt reſtituenda, cum pro metu leui non detur actio ne multiplicentur lites. Nauar. Silueſter, Vaſquez *locis citatis*, & alij. Secundò promiſsionem metu extortam, licet iuramento firmatam eſſe inualidam. Ratio, quia iuramentum ſequitur naturam rei, cuius eſt actus; cum autem promiſsio metu, &c. extorta ſit inualida, ſequitur etiam iuramentum eſſe inualidum. Secus autem dicendum eſt, quando iuramentum non cadit ſupra promiſsionem, ſed ſupra rem promiſſam, ſemper tamen iuramentum eſt ſeruandum, licet non validet promiſsionem inualidam, nec promiſſarius acquirat ius ſibi ratione promiſsionis. Ratio, quia tunc ob reuerentiam Diuini numinis eſt ſeruandum, ne Deum in teſtem falſi videatur adduxiſſe.

Sciendum 2. Iuramentum poſſe cadere ſupra promiſsionem metu, &c. extortam, vt v.g. ſi quis inci-

deret

deret in latrones, & metu vitæ promitteret centum nummos aureos, ſi illi vitam condonarent, & iuramento firmaret illam promiſsionem, nón obligatur ſoluere centum nummos, ratione promiſsionis, quia cum iuramentum cadat ſupra promiſsionem inualidam, & non obligantem, iuramentum illam non validat, tamen obligatur ratione iuramenti, ne Deus fruſtra adductos ſit in teſtem: ſi autem iuramentum caderet ſupra centum nummos aureos, vt v. g. ſi diceret iuro me tibi daturum centum nummos aureos tunc obligatur promittens ſeruare promiſſum ratione iuramenti, quod immediatè applicatur ad rem promiſſam, nimirum ad centum nummos aureos.

An promiſſio metu reuerentiali, aut blanditijs extorta ſit valida?

BRACTEA XXIV.

R. PROMISSIONAM metu reuerentiali extortam inualidam eſſe, & reſtituenda eſſe extorta per metum reuerentialem. Ita Menochius *de arbitrarijs lib.*2.*centur.*2.*caſ.*135. 136. *&* 137. Rodriquez 1.*part cap.*132. Molina *tract.*2.*diſp.*267. Lopez 2.*part.cap* 17. & alij.

Sciendum per metum reuerentialem nón intelligi verecundiam, quam naturaliter concipiunt filij coram Patre, vel alijs, quibus reuerentia præſtanda eſt, ſed intelligi eum metum, cui coniunctæ ſunt minæ, aut timor grauis offenſionis, & appræhenſionis alicuius mali, &c. quo quis repugnante voluntate, & quaſi coactus conſenſit, non audens præ timore, & reuerentia contradicere, iuxta *caput ex litteris de deſponſat. impuberum*. Secundò promiſsionem precibus importunis extortam inualidam eſſe, & accepta reſtituenda eſſe, ſi accepta ſunt ab eo, qui animo repugnante, & quaſi coactus tradidit, vt importunitatem repelleret, cum cenſeantur inuoluntariè mixtæ tradita, & inuoluntarium mixtum obligat ad reſtitutionem, cum non adſit liber conſenſus requiſitus ad liberalem traditionem. Verum ſi non ſint tradita animo repugnante non ſunt reſtituenda, quamuis præceſſerint preces importunæ, vt accidit quando quis rogat fœminam, vt ſui copiam præbeat, quæ licet initio repugnet, nihilominus fieri poteſt, vt poſtea cõſenſum liberè præſtet defloratori, & conſequẽter deflorator non obligetur ad reſtitutionem. Sanchez *lib.*4.*diſp.*10.*nu.*5. Silueſter *verbo reſtitutio*, Caiet. *eodem verbo* Lorca *de reſtit. quæſt.*35. Petrus Nauar. *lib.* 2.*de reſtitut.cap.*3.*num.*494. Rebellus *lib.*18.*quæſt.vnica num.*7. Leſsius *de promiſſione* & alij.

Cui tradenda eſt res, quæ pluribus fuit promiſſa?

BRACTEA XXV.

R. RES, quæ pluribus ſucceſsiuè fuit promiſſa primo eſt tradenda. Ita Azorius 3.*part. lib.* 11. *cap.*17. *quæſit.*17 Sanchez *lib.*1. *de matrim. diſp.*49 Reginaldus *lib.*25.*num.*95. Sotus *in* 4. *diſt.*27. *quæſt.*2. *art.*4. & alij. Ratio, quia cum ſecunda promiſsio ſit inualida, nullam parit obligationem, & ideò primo eſt tradenda, tanquam habenti ius. Secundò, & ſi ſecunda promiſsio fuerit iuramento firmata, adhuc erit inualida, & non obligatoria. Ita auctores citati. Ratio, quia iuramentum promiſsionem inualidam non validat.

Sciendum, quod & ſi res pluribus promiſſa primo promiſſario debeat dari, tamen ſi tradatur ſecundo, vel tertio promiſſario valida eſſet traditio, licet ſit illicita, cum per traditionem transferatur dominium Azorius *loco cit.* & alij communiter.

An ſint promiſſiones inualidæ?

BRACTEA XXVI.

R. PROMISSIONEM, & pactum de re illicita facienda eſſe inualida, & nullam inducere obligationem. Ita Bonacina *de contractibus diſp.*3.*quæſt.vnd.pun.*9.*num.*1. & alij ab eo citati. Ratio, quia nullus poteſt obligari ad illud faciendum, à quo tenetur abſtinere, cum quilibet teneatur abſtinere à re illicita. Secundò, promiſsionem, qua alteri præbetur occaſio peccandi eſſe inualidam. Azorius *loco cit. quæſt.*18. & alii. Ratio, quia ex charitate quiſque tenetur euitare damnum proximi, præcipuè ſpirituale. Vnde inualida eſt promiſsio vxoris, quæ viuente marito promittit ducere in matrimonium eum, cum quo adulteratur, cum talis promiſsio poſſit eſſe occaſio illum occidendi, *cap. ſi quis vxorem de eo, qui ducit in matrim.* Tertiò, promiſsio, qua adimitur poteſtas diſponendi de rebus ſuis eſt inualida. Ita Molina *diſp.*27. Leſſ. *lib.*2.*cap.*15. *dub.*4.*num* 24. & alii. Ratio, quia à iure irritantur, *leg.pacta, Cod.de pactis.* Vnde ſi quis alteri promiſerit ſe nõ reuocaturum teſtamentum in gratiam ipſius factum eſſe promiſſionem inualidam, quia adimitur poteſtas diſponendi de rebus ſuis, ſicut etiam, qui promittit velle ſe ipſum inſtituere in hæredem, & relinquere ei omnia ſua bona præſentia, & futura.

Quando promiſſio valida deſinat obligare?

BRACTEA XXVII.

R. PER ſolam promiſsionem, & acceptationem rei non transferri dominium, niſi res ipſa ei tradatur, cui fuit promiſſa. Ratio eſt, quia tunc transfertur dominium ab vno in alterum, quando deſinit eſſe ſub poteſtate prioris domini: ſed per ſolam promiſsionem, & acceptationem non deſinit eſſe ſub poteſtate prioris domini, cum poſsit etiam alteri dare, itaut illa datio ſit valida, licet peccet dando vni, quod alteri promiſit, vt habetur *in leg. quoties cod de rei vendit.* In tribus caſibus transfertur dominium ſine traditione; primus quando venditio, vel donatio ſit Eccleſiæ, hoſpitali, Ciuitati, &c. Secundò in vltimis voluntatibus. Tertiò in dote.

Secundò promiſsionem validam, & acceptatam deſinere obligare, quando ſuperuenit aliqua mutatio, quæ ſi tempore promiſsionis fuiſſet, vel ſaltem præcogitata, promiſsio non fuiſſet facta. Ita S.Tho. 2. 2. *quæſt.*110. *art.*3. Em. Sà *verbo promiſsio num.*1. Lopez 2.*part cap.*30. & alii. Ratio, quia promiſsio nõ obligat vltra intentionem expreſſam, vel interpretatiuam promittentis; promittens autem non cenſetur in tali caſu voluiſſe ſe obligare, & per conſequens ſi fiat notabilis mutatio, promiſsio deſinit obligare. Vnde mutatio ſtatus excuſat à promiſsione illum, qui tempore promiſsionis erat amicus, & poſtea factus eſt inimicus. Similiter excuſatur ab obligatione promiſsionis, qui contraxit ſponſalia cum aliqua, quæ poſtea fornicata eſt; ita etiam excuſatur ille qui cum diues erat promiſit ſummam pecuniæ alicui, qui poſteà in egeſtatem incidit, & ſic de aliis

caſibus

caſibus dicendum eſt. Tertiò quando viciſsim ſibi promiſerunt aliqua obſequia, & vnus non vult amplius ea præſtare, licitè etiam poteſt alter à promiſſione recedere, ſiue ſecunda promiſsio facta ſit intuitu prioris, ſiue non. Ita Leſsius *lib.2. cap.18. dub* 10. *num.75.* Molina *diſp* 272.*num.*103. Reginaldus *lib.25. num.82.* Em. Sà *verbo promiſſio num.1.* Ratio, quia ſicut vnus frangit fidem non ſtando promiſsis, ita nec alter obligatur ſtare, iuxta illud frangendi fidem fides frangatur eidem.

Quidam promiſit Calicem Eccleſiæ, ſed eſt dubius de qua materia: quæritur quid debeat facere, vt ſatisfaciat promiſſioni?

BRACTEA XXVIII.

R. Cum Diana *tract.3. de conſcientia dubia reſol* 48. ſatisfacere promittentem non dando Calicem aureum, ſed argenteum, immò non eſſe neceſſarium, vt totus Calix ſit argenteus, ſed ſatis eſt ſi ſola ſuperior cuppa ſit argentea, quia talis Calix eſt Diuino cultui aptus. Ita Merola *cap.1. diſp.3. nu.*109. Quod etiam dicendum eſt de promittente dare vinum ad vſum ſacrificii Miſſæ ſatisfacere non dando optimum, ſed decens pro tali vſu. Similiter ſi quis promitit dare triticum; vel pro ſacrificio, vel in eleemoſynam ſatis eſt quæcunque qualitas, quæ cenſeatur ſufficere ad veram operationem promiſsi executionem, etiamſi infima ſit. Diana *loco citato*.

An in promiſſione gratuita, & acceptata liceat apponere nouum onus?

BRACTEA XXIX.

R. Ante acceptationem promiſſionis gratuitæ licere apponere onus; ſecus autem poſt acceptationem. Ratio, quia ante acceptationem promiſſio non eſt vera, cum poſſit reuocari; tum etiam quia ante acceptationem nullum ius fuit acquiſitum promiſſario, ſed ſolùm poſt. Vnde ſi quis alteri promiſerit v.g. prædium, vineam, vel pecuniam ante acceptationem poſſe imponere onus, vt teneatur promiſſarius ſoluere penſionem, vel facere talem ſeruitutem, &c. poſt acceptationem verò promiſſionis nulla ratione poteſt imponere onus, ſeu ſeruitutem, quia alteri per acceptationem cenſetur ius acquiſitum, quod nulla ratione poteſt grauari.

An pœna poſſit apponi contra frangentem fidem promiſſionis?

BRACTEA XXX.

R. Licita in promiſſione poteſt apponi pœna contra frangentem fidem ipſius promiſſionis. Ita Rebellus *par.2. lib.*8 *quæſt.9.* Sotus *in 4. diſt.*15. *quæſt.*5. Maior. *quæſt.*31. Almaynus *quæſt.*2. Conradus *de contractibus quæſt.*31. Angelus *verbo vſura* 2.§.15. Siluester *eodem verbo quæſt.*28. Medina *de vſura quæſt.*3. Nauarrus *cap.17 num.*215. Ratio, quia quilibet poteſt ſibi rationabilem pœnam imponere in confirmationem contractus. Tum etiam quia ad bonum commune ſpectat, vt pacta, & contractus quoad fieri poteſt, confirmentur. Vnde ſicut iuramentum licitè adiungitur, ita & pœna. Secundò, frangens promiſſionem in conſcientia debet ſoluere pœnam conuentionalem ante Iudicis ſententiam, ſi ſit in culpa. Rebellus *lib.8. quæſt.9. num* 6. & alij, & tunc cenſetur eſſe in culpa, quando phyſicè, & moraliter potuit ſoluere promiſſionem, & non ſoluit. Si verò phyſicè, aut moraliter factus eſt impotens, non cenſetur eſſe in culpa. Tum etiam quia qui ſe ad pœnam obligauit, non tenetur in conſcientiam eam ſoluere, ſi inculpabiliter promiſſionem non ſeruauit, quia vbi non eſt culpa, ibi non debet eſſe pœna; ſi verò per pœnam intellexit recompenſationem, quæ debetur ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, tunc tenetur eam ſoluere, etiamſi ſine culpa promiſſa non ſeruauerit. Ratio, quia tenetur ad damnum emergens, & lucrum ceſſans etiam abſque culpa ſecutum, & promiſſarius indemnis, debet ſeruari, vt poſtulat iuſtitia. Tertiò huiuſmodi pœna non eſt ſoluenda, antequam a promiſſario petatur in iudicio, vel extra. Ita Molina *diſp.*97 Rebellus *loco cit.* Couar. *2. part. epit. om. cap.* 6. §.8. *num.* 11. Ratio quia ſic conſuetudo, & vſus obtinuit, vt non debeat offerre pœnam aduerſario, niſi eam petat. Tum quia promiſſarius non petendo videtur cedere iuri ſuo; tum etiam quia pœna conuentionalis non ſoluitur, niſi ab altero contrahente, ſeu promiſſario petatur, licet Azorius 3 *par. lib.*11. *cap.*17. teneat debere ſtatim, vt quis promiſſionem non ſeruauit ſoluere pœnam, ſed nimis durum videtur, vt quis ad pœnam teneatur, antequam exigatur.

MALLEATIO LXVII.

De contractu donationis.

Quid ſit donatio?

BRACTEA I.

R. Donatio eſt liberalis alicuius rei datio. Ita Molina *diſp.*273 Leſſius *lib.2. cap.*18 *dub.* 2. *nu.* 18. & alij communiter.

Sciendum nos hic loqui de donatione gratuita, quæ primò dicitur eſſe datio: per donationẽ intelligimus actionẽ donantis, quæ ex natura ſua ſufficiens eſt ad transferendũ dominiũ, quod vel fit traditione rei, vt quãdo res ipſa ſimul traditur, nulla præcedente promiſſione; & hæc eſt completa donatio transferens dominium. Alia verò eſt, quæ incipit à nudo pacto, ſeu à verbali promiſſione, vt cum quis dicit, dono tibi meum pallium, ſeu meam veſtẽ, quã tali loco habeo, & hæc donatio licet ſufficiens ſit ad transferendum dominium, tamen iure poſitiuo impeditur, ne transferat dominium, niſi ſeruata traditione. Vnde ſi quis rem ſic primò donatam vni, v. g. Petro, deinde alteri traderet, ſeu venderet v. g. Paulo, iſte acquireret dominium perfectum ipſius rei datæ, ſeu venditæ, cum per hunc contractum perfectè transferatur dominium, Petrus haberet ſolùm actionem perſonalem in donatorem, vt compenſet rei æſtimationem, cum per donationem ſibi factam non fuerit perfectè trãſlatum dominium. Secundò, dicitur in definitione *liberalis*, quia mera liberalitate fit, & nõ tanquã aliquid iure debitũ, neq; vt aliquid reddatur tanquã ex iuſtitia debitum, quia non eſſet donatio. Vnde donatio, quæ cauſa remunerationis fit, non cenſetur propriè donatio, cum ſit propriè debitum ex iuſtitia, & non ex liberalitate; quæ autem fit ob merita antecedentia nullo cogente iure, ſed ex mera liberalitate prouenit, cenſeri debet donatio, cum non repugnet liberalitatem,

ralitatem,& gratitudinem ſimul eſſe,quæ licet fiat ex gratitudine meritorum,tamen cenſetur liberalis donatio. Secundò, donationem eſſe contractum nominatum,quia habet nomen proprium, & parit actionem ciuilem, quæ dicitur actio ex pacto, vel donatione. Eſt communis ex Iulio Claro *lib. 4 ſententiarum §. donatio quæſt.* 1. Quamuis olim fuerit habita pro contractu innominato ex Gloſſ. *in adibus* §. 1. & *in leg. ex rebus ff. de donat.* eſſe etiam de iure gentium, quamuis multa iure ciuili ſancita ſint.

Quotuplex ſit donatio?

BRACTEA II.

R. DVPLICEM eſſe ſcilicet inter viuos, & cauſa mortis: donatio inter viuos eſt, quæ ſit ſine vlla cogitatione mortis, donatio verò cauſa mortis eſt,quæ ſit propter mortis ſuſpicionẽ, vt ſi quis dicat, relinquo tibi poſt mortem meam tale legatum, vel quando donator proximus morti, & ipſius, vel morbi, & periculi, in quo verſatur, mentionem facit, quamuis nullum de morte verbum proferat, præſertim ſi pro ratione donandi morbum ipſum, vel periculum reddat, iuxta *leg. 2. ff. mortis cauſa donat.* Vnde duo ſunt neceſſaria ad donationem cauſa mortis: primò, vt in ipſa donatione fiat mentio mortis, vel periculi: ſecundò, vt habeat effectum poſt mortem, de quibus infra dicetur.

Sciendum donationem inter viuos quadruplicem eſſe, abſolutam, conditionalem, modalem, & cauſalem: donatio abſoluta eſt, quando abſolutè aliquid datur, vt ſtatim fiat accipientis, vt ſi quis dicat, dono tibi hanc rem: conditionalis eſt, quando apponitur particula *Si*, vt dono tibi centum nummos, ſi filius meus ab infirmitate, qua tenetur, ſaluus erit: modalis eſt, quando adhibetur dictio, *Vt*, do tibi centum, vt ex his emas tibi libros: cauſalis eſt, in qua dictio *Quia* apponitur, vt do tibi centum nummos, quia feciſti talem rem, vel quia es meus cognatus, do tibi hanc rem.

An donatio remuneratoria ſit verè, & propriè donatio?

BRACTEA III.

R. NEGATIVE; ratio, quia donatio propriè eſt gratuita, & liberaliter fit: talis autem non eſt donatio remuneratoria, quæ vel fit ob aliquam cauſam præcedentem, vel ob merita. Vnde qui prohibetur aliquid dare donatione gratioſa, nõ prohibetur dare donatione remuneratoria, niſi à iure prohibeatur donare. Secundò, remiſſionem debiti eſſe propriè donationem, ſi ſit gratuita, & liberalis. Ita ex *leg. Modeſtinus ff. de donationibus*. Tertiò, remunerationem iuris eſſe etiam donationem, vt colligitur ex *leg. magis puto § fundum de rebus eorum, qui tutela ſunt*. Ratio, quia qui renunciat iuri eo ipſo a ſe abdicat illud, quod habet, vel habere poteſt, dummodo etiam liberaliter fiat.

Quiſnam poſſit donare?

BRACTEA IV.

R. ILLE poteſt donare, qui dominium, & adminiſtrationem bonorum cum facultate alienandi habet: Ita communiter omnes. Ratio, quia ſicuti alios contractus celebrare poteſt, ita & etiam contractum alienationis.

Sciendum, quod ad contractum donationis tria requiruntur: primò, dominium: ſecundò, adminiſtratio: tertiò, facultas alienandi. Vnde qui non habent dominium rei, non poſſunt donare; & ideò Eccleſiaſtici, ſeu beneficiati non poſſunt licitè de his, quæ ex fructibus beneficiorum ſuperſunt congruæ ſuſtentationi donare ad vſus prophanos; quod ſi faciunt, mortaliter peccant: tamen donatio erit valida, cum fructuum beneficiorum dominium habeant, & poſſint in alium transferre. Superiores Monaſteriorum non poſſunt donare, cum bonorum Monaſterij non habeant dominium, ſed ſolam adminiſtrationem, & qui ab his aliquid accipit, obligatur ad reſtitutionem; ad pias cauſas poſſunt aliquid dare Superiores iuxta id, quod præſcriptum eſt in qualibet Religione, ſeu in eorum conſtitutionibus. Iure antiquo Superiores regularium poterant dare ſine conſenſu Capituli ad cauſam piam decem nummos aureos, quod abrogatum fuit per conſtitutionem Clementis VIII. in qua ſtatutum fuit, quid Superiores poſſint dare. Subditi, ſeu Religioſi non poſſunt donare, ne ad cauſam quidem piam, niſi de conſenſu Prælati expreſſo, vel tacito, cum nullius rei habeant dominium, ſed ſolum vſum, & dominium ſit Capituli, &c. An verò qui de licentia Prælati, ſeu Religionis manent extra Monaſterium, v.g. ſtudendi cauſa poſſint in eleemoſynas, vel alias cauſas pias impendere aliquid ſuo loco dicetur. Secundò, non poſſe dare, qui non habet vſum rationis, ſeu qui non eſt ſuæ mentis compos, quia licet habeat dominium rei, non tamen cenſetur habere adminiſtrationem, cum à iure prohibeantur, cum pro tunc temporis non vtantur ratione, & libertate. Tertiò, prodigum non poſſe donare, ſicut nec contrahere, cum à iure impediatur, & poſitus ſit ſub Curatore. Vnde qui aliquid ab ipſo accipit, tenetur ad reſtitutionem, niſi id recipiat de conſenſu Curatoris. Quartò, impuberem etiam non poſſe donare ſine Tutoris facultate, quamuis ſine ipſo poſſit acquirere; ad cauſas autem pias poteſt aliquid donare, modò non ſit in magna quantitate. Quintò, filiusfamilias etiam pubes ſine expreſſa, aut tacita licentia patris non poteſt aliquid donare, niſi habeat bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia; quia aliarum rerum non cenſetur habere dominium viuente patre. Sextò, minor vigintiquinque annis abſque Curatoris licentia non poteſt aliquid dare, licet non prohibeatur dare, quæ homines illius conditionis ſolent dare iuxta ſplẽdorem natalium, vel patrimonium ſibi relictum. Septimò, vxor non poteſt donare abſque conſenſu mariti, niſi in caſibus alibi enaratis.

An Religioſus, qui volentem ſibi aliquid dare, rogat, vt illud det conſanguineo, vel amico, peccet?

BRACTEA V.

R. RELIGIOSVM non peccare, qui volentem ſibi aliquid dare, rogat, vt illud det cõſanguineo, vel amico, dũmodo illud non acceptauerit, ſi ſũt illud acceptauerit, & poſtea rogat, vt illud det cõſanguineo, vel amico, peccat, quia tũc per acceptationẽ cenſetur acquiſiuiſſe ius in rem promiſſam. Ita Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp. 4. num. 7.* & alij. Ratio, quia quando non acceptauit, non cenſetur alienare, nec aliquid dare de bonis Monaſterij, cum illius rei non acceptauerit dominium. Verùm ſi Religioſus

manus

munus oblatum acceptauit,non poteſt amplius offerenté rogare,vt illud alteri det, cum Religio acquiſierit ius. Similiter ſi offerenti gratias egerit,non poteſt amplius ipſum rogare,vt alteri det,nam per gratiarum actionem cenſetur acceptaſſe, & per conſequens illius rei acquiſiuiſſe dominium.

An qui habent ſolam adminiſtrationem bonorum, & non dominium, poſſint aliquid dare donatione remuneratoria?

BRACTEA VI.

R. Habentes ſolam adminiſtrationem bonorum poſſunt donatione remuneratoria aliquid dare. Ratio, quia talis datio non eſt ſimpliciter donatio,ſed tantum ſecundum quid,cum res, quæ datur, detur intuitu laboris facti, &c. Tum etiam quia hoc modo dantes cenſentur potius debito,& iuſtitiæ ſatisfacere,quam dare, & ideò non ſolùm poſſunt dare, quando merita pariunt actionem ex iuſtitia,ſed etiam quando eius ſunt naturæ, vt deceat hominem probum gratum eſſe, & ad antidora obliget,modò tamen vt donatio non excedat merita,& obſequia non ſint aliàs debita, quia ſi donatio excederet debita, obligaretur ad reſtitutionem exceſſus. Secundò, quod Concilium Tridentinum annullat quamcunque obligationem, ſeu renunciationem factam à nouitio, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque piæ cauſæ, ſi non obſeruetur forma ab ipſo ſtabilita *ſeſſ.25.cap.1.* licet faciat talem donationem ante ſuſceptionem habitus. Nauarrus *lib.3.conſil.de donat* 8. Tertiò,nullam eſſe donationem omnium bonorum, quæ fit ab aliquo occaſione ingrediendi Religionem,antequam recipiat habitum, licet fiat ea lege, vt non ſecuta profeſſione ob culpam nouitij non valeat dicta donatio. Nauarrus *loco citato conſil.7.* Vnde nouitius,qui poſt emiſſam profeſſioné inuenit eam nó valere,rehabebit bona ſua,ſiuè expreſsè donauerit Monaſterio,ſiuè non. Tum propter prædictum decretum Concilij: tum quia cenſetur donaſſe cauſa mortis ciuilis,quæ in hoc caſu verè non eſt ſecuta.

An Clericus beneficiatus poſſit donare?

BRACTEA VII.

S. Ciendum bona Clerici quędam eſſe patrimonialia, & quædam Eccleſiaſtica, vt ſunt beneficia,&c.priorum habet dominium, poſteriorum non.Quo poſito.

R. Clericum poſſe etiam in prophanos vſus bona ſua patrimonialia impendere, & etiam quaſi patrimonialia,vt ſunt acquiſita prædicando, confitendo, Sacramenta miniſtrando, &c. cum ſit eorum dominus, nec donando obligatur ad reſtitutionem, ſicut nec accipiens. Secundò,non poſſe Clericum de fructibus ſui beneficij, qui decenti ſuſtentationi ſuperſunt donare ad vſus prophanos, licet poſſit impendere beneficij fructus pauperibus etiam alienigenis, & pijs locis extra ſuam Parochiam, & Epiſcopatum, non ſolùm pro neceſſaria ſuſtentatione vitæ,ſed etiã pro decentia ſtatus,cum hæc donatio ſit opus charitatis. Tertiò,licitè de redditibus ſui beneficij donatione remuneratoria parentibus poteſt dare. Ratio, quia hæc donatio eſt debita ex iuſtitia:extra hos caſus de fructibus beneficij, ſi vanè,ac luxurioſè conſumit,peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem.Nauarrus *cap.17.num* 94.Caietanus *1.2.quæſt* 97. *art.1.*& *quæſt.*185 *art.7.* Lop. *2 lib.8.cap.*47.Quarto,nec Clericum,nec eius hęredes poſſe repetere,quod Clericus tradidit concubinæ. Ita Molina *diſput* 877.*num.* 11 Ratio,quia priuilegium repetendi fuit ſolùm conceſſum in fauorem militiæ ſecularis, non autem militiæ Chriſti: Clericus licet ſit miles Chriſti, non tamen eſt miles ſecularis. Vnde ſequitur Clericum nó poſſe repetere,quod fuit datum concubinæ.

Quænam res poſſint donari?

BRACTEA VIII.

R. Non ſolùm res corporales, vt ſunt domus, rus,equus,veſtis,&c. verùm etiam incorporales, vt ſunt iura, actiones donari poſſunt, & donatione remuneratoria,& gratioſa. Ita Nauarrus *cap.*4.Reginaldus *lib.*25.*num.*616.eLſſius *lib.2.cap.* 18 *dub.*13.& alij.Ratio,quia dominium horum transferri poteſt in accipientem. Secundò,res aliena non poteſt donari,ita vt noceat domino,apud quemcunque enim illam repererit,poteſt repetere;valet namque quoad præſcriptionem, quia donatarius poteſt eam præſcribere ſuppoſita bona fide, & cęteris, quæ ad præſcriptionem requiruntur.

An valida ſit donatio filij in parentes?

BRACTEA IX.

R. Donationem filii in patrem de bonis proſectitiis inualidam eſſe. Ita Auctores infra citandi. Ratiò, quia viuente patre non habet dominium eorum, & per conſequens illud in patrem non poteſt transferre, cum ſit ipſius patris. Secundò, inualidam eſſe donationem filii in fauorem patris de vſufructu bonorum adnentitiorum; Ita Bonacina *diſput.* 3. *quæſt.* 18. & alij infra citandi. Ratio,quia viuente patre ſunt etiam eiuſdem,& iure dominii non ſpectant ad filium, niſi poſt mortem patris.

Sciendum, quod ſi donatio bonorum adventitiorum fuerit facta à filio hoc pacto, vt non modò proprietas,ſed etiam vſusfructus ſpectet ad filium, tunc valida erit donatio filii in fauorem patris, non modò quoad proprietatem, ſed etiam quoad vſumfructum. Azorius *3.par.lib.*10.*quæſt.*3.Reginaldus *lib.*25. *num.*197.Nauarrus *cap.*17.*num* 145. Leſſius *lib.*2 *cap.*18. *num.*90.Gomez 2 *variar.cap.*4.*nu.*45. Secundò, donationem filii factam patentibus de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi,validam eſſe.*leg.cum oportet* § *excepto Cod de bonis qua liber* 2. itẽ ſi habet donatũ à Princ pe.*leg.cũ multa Cod.eodem.*Tertiò,quando filiusfamilias admittitur ad hæreditatem fratris, vel ſororis, ex qua tamen patri non acquiritur vſusfructus in portione ſilii.Authentica *de hæreditate ab inteſtato* § *ſi verò.* Quartò, quando filius adit hæreditatem renuente patrè. *leg.vlt.*§.*ſin autem Cod.de bonis quæ liber.* Sextò,quandò filio legatur ſeruus,vt eum manumittat. *leg vlt.Cod. eodem.* Sunt etiam plures alii caſus apud Filiucium *tract.*34.*de contractib.cap.*6.*num.*110.

An donatio patris facta filio ſit valida?

BRACTEA X.

R. Donationem patris factam filio nondum emancipato non eſſe validam. Ita *leg. cum de bonis Cod. de donationibus*, & *l. vlt. Cod. de impuberibus*. Et ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia quandiu filius eſt ſub poteſtate patris, cenſetur vna perſona cum ipſo, & ideò donatio facta filio nondum emancipato eſt inualida.

Sciendum, quod licet filius poſſit patri donare bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia, non tamen ex hoc ſequitur, quod pater filio nondum emancipato poſſit donare, quia filius cum habeat dominium Caſtrenſium bonorum, & quaſi Caſtrenſium non cenſetur cum patre eadem perſona, cum habeat dominiũ rerum independenter à patre. At verò pater cenſetur in omnibus vna perſona cum filio, & per conſequens non poteſt illi validè donare. Secundò, donationem patris factã filio nondũ emancipato valere, ſi mors donatoris præcedat mortẽ donatarii, & res aliquo modo fuerit tradita. Ita Mol. *diſp.* 291. Leſſ. *lib.* 2. *cap* 28. *dub.* 12. & alii. Ratio, quia tunc non cenſetur amplius eſſe ſub poteſtate patris. Tertiò, donationẽ patris in filium legitimũ nondũ emancipatũ validã eſſe, ſi firmetur iuramento. Ita Molina *diſp.* 291. *num.* Leſſius *loco citato*, & alii. Ratio, quia iuramentum confirmat contractum iure ciuili irritum: at contractus donationis patris in filium legitimum nondum emancipatum ſolùm iure ciuili eſt irritus; ergo, &c.

Sciendum, quod licet regulariter donatio patris facta filio nondum emancipato ſit inualida, tamen in aliquibus caſibus valida eſt. Primus eſt cauſa dotis, & nuptiarum. *leg. Pomponius Filadulfius ff familiæ erciſcundæ*. Secundus titulo remunerationis ob accepta obſequia, modò remuneratio non excedat merita. Molina *loco citato num.* 2. Azorius *loco citato quæſit.* 3. & alii. Tertius, quando pater remittit filio vſumfructum bonorum aduentitiorum. Molina *loco citato num.* 2. & alii. Quartus, quando donat bona mobilia filio eunti ad caſtra. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 185. Molina *loco citato*, Em. Sà *verbo donatio*, Reginaldus *lib.* 25. *num.* 157. & alii. Quintus, quando valet donatio inter coniuges, valet etiam inter liberos. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 28 *dub.* 12. *num.* 90. Lopez 2. *par. cap* 22. Silueſter *verbo donatio quæſit.* 7. Em. Sà *verbo donatio num.* 11. Molina, & Azorius *locis citatis*, Gomez 2. *variar. cap.* 4. *num.* 5. & alii.

An donatio mariti facta coniugi, & è contra ſit valida?

BRACTEA XI.

R. Regulariter donationem mariti factam in fauorem coniugis, aut è contra eſſe inualidam. Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſput.* 1. *num.* 2. Gomez 2. *variar. cap.* 4. *num.* 23. Molina *diſput.* 290. & alii. Ratio eſt, ne mutuo amore ſe ſpolient, & ideò prohibetur à iure talis donatio. Dixi regulariter, quia dantur caſus, in quibus validæ ſunt, & à iure non irritantur. Primus, quando Imperator aliquid donat Auguſtæ, aut Princeps ſuæ vxori. *leg.* 26. *Cod. de donat. inter virum, & vxorem*. Ratio, quia cùm iure naturæ valeat iure poſitiuo, non ſit irrita. Secundus, quando alter donat pecuniam ad inſtaurandas ædes ſuccenſas. *leg. quod ſi vir ff. de donat. inter virum, & vxorem*. Tertius, quando alter coniux donat cauſa remunerationis, & ob merita non debita, vt ſi ſenex duxit puellam, vel ignobilis nobilem, eique aliquid donet in remunerationem. Gomez 2. *variar. cap.* 4. *num.* 235. Molina *diſput.* 274. Lopez 2. *par. cap.* 22. Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſput.* 3. Ratio, quia donatio remuneratoria non eſt propriè donatio; ſed potius debiti ſolutio, iura autem ſolùm prohibent inter coniuges donationem veram, ac propriam. Verùm ſi donatio merita excedat, in exceſſu cenſetur donatio ſimpliciter. Quartus, quando donans donatione non ſit pauperior, & donatarius locupletior, vt ſi maritus repudiet hæreditatem, legatum, vel fideicommiſſum delatum ſibi, & non acceptatum, & perueniat ad vxorem ſtatim valet. Ex *leg. ſponſus* §. *ſi maritus ff de donat. inter virum, & vxorem*. Quintus, ſi donatarius non fiat ditior, vt quando maritus dat aliquid vxori ad emẽda ornamenta. Sextus, ſi alter det, vt aliquam dignitatem aſſequatur, v. g. vt fiat doctor, habeat officium Iudicis, &c. Septimus, quando maritus remittit in totum, vel in partem dotem, aut ſcienter fatetur ſe dotem accepiſſe, licet non acceperit. Nauarrus *cap.* 17. *nu.* 149. Sanchez *lib.* 6. *diſp.* 9. Molina *diſp.* 439. Lopez *loco cit.* & alii.

An donatio inter coniuges iuramento, aut morte donatoris firmata ſit valida?

BRACTEA XII.

Sciendum donationem poſſe dupliciter firmari. Primò, morte donatoris, vt quando præcedit mortem donatarij, ſicut legatũ, & donatũ cauſa mortis morte cõfirmaẽ. Verũ vt donatio inter coniuges confirmetur, morte requiritur, vt res ante mortem fuerit aliquo modo tradita, & donatarius inceperit eam poſſidere; ſecuta morte retrotrahitur vſque ad tempus traditionis, ita vt fructus ab eo tempore collecti cedant donatario, & non donanti. Secundò, confirmatur iuramento, vt ſi alter coniux iuret ſe non reuocaturum donationem. Quo poſito.

R. Donationem coniugis firmatam morte donatoris præcedentis mortem donatarij eſſe inualidam. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub* 12. *num.* 28. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſput.* 14. Molina *diſput* 288 *num.* 4. Gomez 2. *var. cap* 4 Ratio colligitur ex *l. cũ hic ſtatus ff. de donat.*

Sciendum donationem alterius coniugis non modò firmari morte naturali, ſed etiam ciuili, vt quando vir donans mittitur in exilium, aut profitetur Religionem, quæ non eſt capax poſſidendi bona in communi. Sanchez *diſput.* 17. Secundò, donationem inualidam inter coniuges firmatam iuramento obligare, ſi iuramentum cadat ſupra rem donatam; ac etiam ſupra donationem. Ratio, quia vt ſupra dictum eſt, contractus, qui non eſt contra bonos mores naturales, & contra bonum publicum confirmatur iuramento. Tum etiam ne Deum adducatur in teſtem falſi, idcircò iuramentum obſeruandum eſt, niſi illius impetretur relaxatio ab eo, qui habet facultatem.

An gemmæ, & veſtes, quæ à marito dantur vxori cenſeantur donatæ, an ſolum conceſſæ ad vſum?

BRACTEA XIII.

R. Gemmas, quæ poſt ſponſalia à parentibus ſponſæ ipſi traduntur, cenſeri ipſi ſponſæ datas; quæ verò à Parentibus ſponſi traduntur vſus ſpectat ad ſponſam, dominium verò ad ſponſum

ſum. Et ita communiter omnes. Ratio primæ partis eſt, quia in honorem, & fauorem ſponſę traduntur. Ratio ſecundæ partis eſt, quia à Parentibus ſponſi traduntur ſponſæ intuitu, & in gratiam ipſius ſponſi, & per conſequēs dominium ſpectat ad ipſum, cuius intuitu traduntur. Secundò arræ, quæ in actu ſponſaliom traduntur, ſunt ipſorum ſponſorum, niſi aliter fit de conſuetudine. Ita Sanchez *lib.6 diſp.22.* Gutierez *de matrim. cap.19. num* 44. Nata *conſil.315.* Riccius *verbo praxis matrimonij*, & alij. Ratio, quia liberè ſunt donatę in ſignum conſenſus. Tertiò donata ob nuptias ſi matrimonium fiat acquiri donatario, ſi vero matrimonium non fiat, vel id eſt ex culpa donantis, & tunc ſimiliter fiunt donatarij, vel ex culpa donatarij, & tunc reſtituenda ſunt donanti, *leg. cum veterum cod. de donat. ante nuptias*: vel ex neutrius culpa, vel quia alter moritur, vel ingreditur Religionem, & tunc ſi donatio facta ſponſæ à ſponſo, & non interuenit oſculum, nec copula, ſponſus, vel hæredes recuperant quidquid fuit donatum: ſi interuenit oſculum, vel copula dimidium interſponſum, & ſponſam: ſi verò donatio facta eſt ſponſo à ſponſis, ſiue oſculum interueniat, ſiue non totum donatum recuperat ſpōſa, vel eius hæredes, *leg. ſi à ſponſo C. de donat. ante nuptias*. Quartò gemmas, veſtes pretioſas, quę poſt contractum matrimonium à marito traduntur vxori, cenſeri ſolum conceſſa ad vſū, & non donata; quæ verò non ſunt prætioſæ cenſentur datæ ad quotidianum vſum. Ita plures apud Bonacinam *de contract. lib. diſp.3. quæſt.12. pun.4. num.2.* Ratio primæ partis eſt, quia dantur ſolum ob ornatum, & ob honorem ipſius viri, vt vxor aſpiciatur ornatior. Ratio ſecundę partis eſt, quia dantur ob quotidianum vſum, vnde cenſentur abſolutè data cum ſint neceſſaria ad quotidianoa vſus. Quæ verò ſponſus mittit ante contractum matrimonium cenſenda ſunt, ideò Miſſa, vt ſponſa ornatior accedat ad virum, & ad eum honorandam, & oſtendendum eidem animi affectum, ac proinde, nec dominium eorum ad eam tranſit, nec ſoluto matrimonio illa habet, nec per oſculum lucratur dimidium ſi ſponſalia diſſoluuntur ante matrimonium modo quo ſupra dictum fuit, eſt communis ex Iulio Claro *leg.4. §. donatio quæſt.11.* Molina *diſp.290.* Filiucius *tract.34. cap.6. num.115.* & alij.

An vt donatiò ſit valida, requiratur conſenſus, ſeu acceptatio donatarij?

BRACTEA XIV.

RAD donationem duo requiri, acceptatio eius in cuius fauorem fit, & ipſa donatio. Ita Rebellus *loco citando*, & alij. Ratio, quia donatio habet relationem ad donatarium, & per conſequens non cenſetur obligare quoadúſque ſit acceptata. Secundò, donationem poſſe à donante reuocari quoadúſque ſit acceptata à donatario. Ita Rebellus *2. part. lib.18. quæſt.2. num.1.* Leſſius *lib.2. cap.18. dub.6.* & alij. Ratio, quia obligatio naſcitur ex mutuo conſenſu partium ſe obligantium. Vnde alter poteſt reuocare ſuam donationem, priuſquam alterius conſenſus accedat: vnde mortuo donatario ante acceptationem inualida eſt donatio illi facta, quia eam acceptare nequit, & ideò ex defectu conſenſus eſt inualida, nec ab hæredibus in rigore iuris acceptari poteſt, cum ipſa in perſona viuentis directa fuerit, & non ad illos, ex quadam tamen æquitate poſſe acceptari, cum hæredes perſonam defuncti repræſentent, & præſumendum eſt, eam eſſe mentem Teſtatoris, vt ſi defunctus beneficio eius frui non poſſet, hæredibus illius prodeſſet, niſi de contrario conſtet, quod intelligendum eſt ſi illi hæredes ſint liberi. Secus ſi extranei, erſi ſiut hæredes voluntarij. Tertiò non modo ex iure ciuili, ſed etiam ex iure naturę deſumenda eſt ratio, cur donatio non obliget ante acceptationem factam ab eo, in cuius fauorem fuit facta. Ita Leſſius *lib.2. cap.18. dub.6. num.39.* & alij. Ratio, quia donatio cenſetur habere hanc tacitam conditionem ſi alter acceptet. Vnde ſequitur antequam alter acceptet non eſſe obligatum, & per conſequens poſſe illam reuocare ad libitum ipſius donantis. Tum etiam, quia ſicut in contractibus onerofis ante acceptationem licitum eſt vbique gentium pęnitere, vt patet in contractu emptionis, ſponſalium, &c. ita etiam in contractu gratuito donationis.

An ex interno propoſito aliquid donandi conſurgat obligatio?

BRACTEA XV.

RQVOD qui ſtatum internum, & deliberatum habet dicendo apud ſe tacitus do tibi centum, nullo iure ciuili, vel Eccleſiaſtico cogi poteſt ad talis actus interioris adimpletionem, quoadúſque ſignis, vel verbis exprimatur, quia lex humana, ciuilis, & Canonica non iudicat de actibus internis animæ. Secundò, quod poſito tali actu interiore nullum transfertur dominium, nec obligatio ex defectu acceptationis. Tertiò, quod donatio ſolo actu mentali facta nullam obligationem inducit in conſcientia; ſed poteſt, qui illū habuit, aut celare, aut reuocare cum voluerit. Ratio, quia donatio non habet vim transferendi dominium, niſi acceptetur, ſed non poteſt acceptari, niſi innoteſcat donatio facta per aliquod ſignum externum; ergo, &c. Tum etiam, quia donatio eſt contractus, ad quem requiritur conſenſus vtriuſque partis; ergo requiritur, quod donatio innoteſcat.

An donatio ad pias cauſas, etiamſi à nemine acceptetur valida?

BRACTEA XVI.

RQVAMLIBET priuatum acceptare poſſe donationem factam ad pias cauſas. Ita Rebellus *lib 18 quæſt3. num.1.* Couar. *1. var. reſol. cap.14 num.13.* & alij. Ratio prouenit ex prærogatiua iuris in fauorem præ cauſæ, quæ habet tale priuilegium, quod tertia perſona poſſit pro loco pio donationem acceptare. Secundò, donantem poſſe donationem factam ad pias cauſas antequam ipſa ſit acceptata. Ita Rebellus *loco cit.* & alij. Ratio, quia ſecluſo voto, aut iuramento nemo intendit ſe irreuocabiliter obligare ante acceptationem, ſed ſolum poſt ipſam. Ratio, quia obligatio non naſcitur, niſi mutuo duorum conſenſu, vt habetur ex *leg.1. ff. de pactis*: quare priuſquam alterius conſenſus accedat prior poteſt pęnitere, & ſuam externam donationem reuocare. Ita Couar. *cap. quamuis pactum part.2 § 4. num.15.* Molina *diſp 262.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub.6.* Rebellus *2. part. lib.18. quæſt.2.* & alij.

An donatio omnium bonorum cauſa mortis facta ſit valida?

BRACTEA XXI.

SCIENDVM donationem duplicem eſſe, vna quę dicitur cauſa mortis, & altera inter viuos. Donatio cauſa mortis illa dicitur, quæ fit ob mortis periculum, ſeu cogitationem, vt quando quis alteri donat hoc pacto, vt res donatario fiat poſt mortem donantis; ſi verò donator ſuperſtes maneat, ſit ipſius donatoris. Donatio inter viuos illa dicitur, quæ fit ſine vlla mortis cogitatione, ſed donator abſolutè donat, vultque rem alterius fieri. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 14. Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 12. Gomez 2. *var. cap.* 4. *num.* 19. & alii.

R. Donationem cauſa mortis factam omnium bonorum, tam præſentium, quam futurorum eſſe validam in vtroque foro. Ita Gomez 2. *var. cap.* 4. *n.* 22. Molina *diſp.* 280. *num.* 11. & *diſp.* 288. Iulius Clarus *quæſt.* 19. §. *donatio*, & alii. Ratio, quia cum donatio cauſa mortis poſſit reuocari donans, non aufert ſibi poteſtatem denuò teſtandi.

Sciendum 2. Quod licet regulariter donatio inter viuos omnium bonorum ſit inualida, tamen in aliquibus caſibus valida eſt. Primus eſt ſi donatio fiat Eccleſiæ, vel ob cauſã piam ob rationẽ ſupra allatã. Secundus caſus eſt, quando donatio confirmatur iuramento. Ratio, quia iuramentum additum contractui inualido robur addit, illumque confirmat modo non ſit contra bonos mores, &c. Molina, Azorius, Leſſius *locis cit.* Tertius caſus ſecundum Iulium Clarum *qu.* 20. Rebellum *loco cit. quæſt.* 8. Azorium *c.* 7. *quæſt.* 9. ſi donatio fiat inter fratres ratione conſeruandæ agnationis. Quartus caſus ex Molina *diſp.* 280. ſi fiat, ex cauſa onerosa, vt matrimonii filii, vel filiæ.

Quòd modis poſſit fieri donatio cauſa mortis?

BRACTEA XXII.

R. Tribus modis: primò cum quis donat ſola cogitatione mortis nullo metu p̃ ſentis periculo: ſecundò cum quis mortis periculo ita donat, vt res ſtatim fiat accipientis, & tunc donatarius comparat rei donatæ dominium, ſed reuocabile omnibus modis, quibus poteſt reuocari donatio cauſa mortis, *leg. ſi mortis cauſa* §. *ſi vero ff. de mor. cauſ. donat.* Gomez 2. *var. cap.* 4. *num.* 16. Tertiò, vt non fiat donatarij, niſi morte ſecuta, & tunc dominium rei traditæ perſeuerare apud donantem vſque ad ipſius mortem, *leg. ſi mortis cauſa vitiata*. In dubio autem an ſit donatio inter viuos cauſam mortis habenda eſt pro donatione inter viuos, neque enim eſt donatio cauſa mortis, niſi interuenerit mortis mentio. Gloſſ. *in leg. apud Celſum* §. *Iulianus*, & eſt communis ex Iulio Claro *lib.* 4. *ſententiar. quæſt.* 4. Vnde qui contendit donationem eſſe cauſa mortis probare debet mentionem eſſe factam mortis.

An donatio omnium bonorum, & exceſſus donationis poſſit à donatario retineri in conſcientia?

BRACTEA XXIII.

R. NON eſſe peccatum mortale donationem omnium bonorum facere, dummodo nulla concurrat vis, vel fraus, nec iniuria creditorum, aut alterius tertij ſit damnum. Ita Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 8. *num.* 10. & alij. Ratio, quia cum non adeſt præiudicium tertij quiſque de ſuis rebus poteſt quod ſibi magis placet facere. Secundò, acceptare, ac retinere donationem ſibi factam omnium bonorum non eſt peccatum, dummodo non fiat inuito donatore, vel eius hęrede, aut ſit cum præiudicio tertiæ perſonæ. Ita Rebellus *loco cit.* Ratio, quia volenti, & conſentienti nulla fit iniuria. Tertiò exceſſum donationis poſſe in conſcientia retineri quoadnſque repetatur à donatore, vel eius hærede generali, vel à Tutore, aut Curatore pupilli, & minoris. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 13. *num.* 99. Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 8. Molina *diſp.* 278. *num.* 31. & alij. Ratio, quia leges, non reddunt donatarium inhabilem ad retinendum, nec intendunt obligare donatarios, vt ſpontè reſtituant, ſed ſucepetatur. Tum etiam, quia excedens donatio de ſe, nec irrita, nec illicita eſt; ſed potius actus virtutis liberalitatis, & licet iure humano irrita decernatur propter præſumptionem vis, vel fraudis, nullo tamen modo fieri prohibetur, & licet pro foro externo ex pręſumptione vis, vel fraudis irritetur, ſecluſis igitur vi, vel fraude pro foro conſcientiæ intra terminos iuris naturalis remanebit perinde ac ſi nullum ius humanum ſancitum eſſet.

An donationes pluribus factæ, quæ diuiſim ſumptæ non excedunt quantitatem, ſed ſolum ſi ſimul ſumantur ſint validæ?

BRACTEA XXIV.

R. DONATIONES inualidas eſſe, quoad exceſſum ſi eodem tempore, motiuo, & impetu fiant; ita vt ſimul ſumptæ efficiant tantum vnam donationem. Ita Leſſius *lib* 2. *cap.* 18. *dub.* 13. *num.* 97. Clarus §. *donatio quæſt.* 15. Azorius 3. *part. lib.* 11. *cap.* 6. & alij.

Sciendum quod quando donationes pluribus fiunt eodem tempore, motiuo, & impetu excedentes ſummam taxatam, tunc ad ratam cuique detrahendum eſt, donec perueniatur ad eam quantitatem, ad quam non requiratur inſinuatio. Ita Auctores citati, etiam ſi donator in inſtrumento donationum dicat, ſe tot facere donationes, quot ſunt ſummæ non pertingentes ad ſummam taxatam, cum fiant in fraudem legis, quæ ſuo ſine fruſtraretur. Molin. *diſp.* 275. Gomez 2. *var. cap.* 4. *num.* 7. & alij. Similiter ſi donator dixerit ſe renunciare legi, & inſinuationi, cum non ſit liberum donatori omittere ſolemnitatem à iure præſcriptam tanquam formam. *leg. nemo poteſt ff. de legib.* Tum etiam quia nemo poteſt renunciare legi in bonum commune ordinatæ: inſinuatio eſt lex in bonum commune ordinata ne temerarijs donationibus ciues exhauriantur. Molina *diſp.* 278. *num.* 7. Rebel. *lib.* 18. *quæſt.* 6. *de donat. num.* 6. Gomez 2. *var. cap.* 4. *num.* 7. & alij. Secundò, quando

dona-

eſſe committendum, vt declaret quæ erit donatio grauis, quæ exigua ſpectatis circumſtantiis, &c. Secundò, eſſe differentiam in reuocatione quando donatio fuit facta extraneo, aut filio emancipato, quod quando fuit facta extraneo per ſuſceptionem prolis reuocari in totum, ſi verò fuerit facta filio emancipato reuocari tantum in partem poſſit, & quantum opus eſt ad ſuplendam legitimam portionem filiorũ, qui poſteà nati ſunt. *leg. ſi totus cod. de reuocanda donat.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub. 14. num.* 109 Rebellus *lib.* 28. *quæſt.* 10. *num.* 6. Molina *diſp.* 283 Azorius 3. *part. lib.* 11. *quæſit.* 7. Gomez *loco cit. num.* 11. Siluester *verbo donat. num.* 22. Couar. 1. *var. cap.* 19. & alii. Similiter donationem factam Monaſterio, Eccleſiæ, vel loco pio non poſſe reuocari in totum, ſed ſolum in partẽ, cũ loca pia, & Monaſteria habeantur loco filii, & nõ minus ſit fauendũ cauſæ piæ, quã filio. *Autẽt. ſi qua mulier cod. de ſacroſanct. Eccleſijs*, Molina, Azorius, Rebellus, Gomez, Leſſius *loc. cit.* & alii. Tertiò, donationem, ad quam donans tenebatur ex cauſa nõ reuocari in totum, ſed in partem ob ſuſceptionem prolis non præcogitatæ, cum non ſit propriè donatio, ſed potius debitum. Iulius Clarus *quæſt.* 13. *nu.* 3. Molina *diſp.* 282. *num.* 11. & alii.

An donatarius ſuperuenientibus filijs obligetur rem donatam reſtituere antequam repetatur?

BRACTEA XXIX.

R. Donatarium ob ſuſceptionem prolis à donatore factam non obligari reſtituere rem donatam, niſi ab ipſo donatore repetatur. Ita Leſſius *lib. 2. cap.* 18. *num.* 110 Gomez *deciſ.* 40. Rebellus *quæſt.* 10. & alii. Ratio, quia ſi non repetitur præſumi poteſt condonari.

Sciendum, quod ſi proles fuerit aliquo modo præcogitata, vt ſi donator filios iam genuerat ante donationem, & quando donauit adhuc erat potens ad generandum ſi de nouo alios ſuſcipit, non poteſt amplius donationem reuocare. Ratio, quia talis ſuſceptio erat præcogitata ante donationem. Molina *diſp.* 282. Clarus *quæſt.* 22. & alii. Secundò, non poſſe donatorem ob ſuſceptionem prolis reuocare donationem, ſi expreſsè renunciauit priuilegio. Ita Leſſius *lib. 2. cap* 18. *dub.* 14. *num* 111. Rebellus *lib.* 18 *quæſt.* 10. *num.* 2. Clarus *quæſt.* 22. & alii. Ratio, quia quiſque poteſt cedere priuilegio in ſui fauorem conceſſo. Et ita communiter omnes.

Sciendum 2. Quod & ſi donator, qui ceſſit priuilegio ob ſuſceptionem prolis nõ poſſit reuocare donationem, tamen filii poſt eius mortem poſſunt eam reuocare, quatenus fuit eis inofficioſa, & præiudicat legitimæ eorum, cum renunciatio Patris non poſſit tollere ius filiorum, quod poſt mortem Patris habent ad ſuas legitimas. Clarus *quæſt.* 23. *nu.* 1. Gomez *tom.* 2. *cap.* 4. *num.* 13. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 14. *num.* 111. & alii. Ratio, quia iuramentum cenſetur factum ſub hac tacita conditione niſi naſcantur filii.

Sciendum 3. Quod ſi donator ſcienter excluderet condicionem, ſi filij naſcantur, velletq; donationem valere, etiamſi filij naſcerentur non poteſt donationem reuocare, quando firmatur iuramento. Ratio, quia iuramentum cenſetur licitum, cum non eſt de re mala, & eſt ſeruandum, vt colligitur ex *leg. vlt. cod. de reuocanda donat.* & ex *cap. vlt. de donat.* at non reuocare donationem non eſt malum, & per conſequens iuramentum obligabit quando donator ſcienter excludit conditionem ſi filij naſcantur.

An ſicut per ſuperuenientem prolem poteſt reuocari donatio, ita imorientibus reuiuiſcat?

BRACTEA XXX.

R. Donationem reuocatam à donatore ob ſuſceptionem prolis non præcogitatæ nullo modo reuiuiſcere ob mortem filiorum. Ita Rebellus *lib* 18. *quæſt.* 10. *num.* 3. Siluester *verbo donatio num.* 13. Molina *diſp.* 282. & alij. Ratio, quia actio extincta nunquam reuiuiſcit; & per conſequens donatio reuocata ob ſuſceptionem prolis non præcogitatæ ipſius morientibus non reuiuiſcit: ex *leg. Medicus para. duobus ff. de legatis*.

Sciendum, quod ſi poſt mortem filiorum accedant coniecturæ, quod Pater, ſeu donator voluerit de nouo donare, vt v. g. ſi per longum tempus rem à donatario non expetijſſet, tunc præſumi poteſt in fauorẽ ipſius donatarij donatorem rem donatam cõdonaſſe. Secundo, non eſſe licitũ filijs, aut heredibus res donatas à patre, & viuẽte ipſo nõ reuocatas, à donatario exigere, quia ex eo, quod Pater permiſit eas poſſidere, & aliter ſuam voluntatem non declarauit cenſentur donata. Rebellus *loco cit.* At Gomez 2. *var. cap.* 4. *num.* 12. Clarus §. *donatio quæſt.* 22. affirmatiuam tenent ſententiam, quod ſi filii moriantur viuente Patre donatio prius facta reuiuiſcit: ſed ſententia ſupradicta videtur probabilior.

An donatio facta illegitimo reuocetur ſi filius legitimus naſcatur?

BRACTEA XXXI.

R. Talem donationem in totum reuocari ex ſuperuentu prolis legitimæ. *leg. ſi nunquam*: vnde reuocatur ac ſi extraneo eſſet facta.

Sciendum nomine filii, quibus reuocatur donatio non venire filios adoptiuos, nec ſpurios, quia multò minus eſt præſumptio ad hos, ſed ſolum ad legitimos iuxta Gregorium ad *leg. cit.* immò nec naturales illegitimi veniunt nomine filii: quare ſoli legitimi vtriuſq; ſexus hic nomine filiorum comprehenduntur, & non eſt facienda extenſio vltrà conceſſionem, & verba legis.

An ſi filius illegitimus naſcatur priuilegio Principis legitimatus, reuocetur donatio?

BRACTEA XXXII.

R. Si filius illegitimus naſcatur, donationem non reuocari, ſed validam eſſe. Ita Molina *diſp.* 282. *num.* 9. & alii apud Rebellum *lib.* 8. *quæſt.* 10. Ratio, quia in *leg. ſi vnquam* non fit mentio niſi legitimorum, & extenſio non eſt facienda vltrà conceſſionem, & verba legis. Et ita communiter omnes: quamuis Principis reſcripto legitimati ſint.

Sciendum per illegitimum intelligi filium naturalem, ſpurium, & nothum, filium naturalem illum eſſe, qui ex libero, & libera naſcitur, nothum, qui ex adultero, vel adultera naſcitur, ſpurium, qui ex coitu lege naturæ prohibito naſcitur, vt qui ex inceſtu naſcitur intra gradus iure naturæ prohibitos, qui omnes à feudis excluduntur, etiamſi vt ſupra dictum eſt per Principis reſcriptum legitimati ſint, niſi expreſſa mentio fiat, quod etiam feudi capaces

paces

paces eſſe debeant, legitimati tamen per ſubſequens marrimonium admittuntur. Ita Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.*24. *num.* 11. & alii.

Quomodo reuocetur donatio inoſficioſa?

BRACTEA XXXIII.

SCiendum illam dici donationem inofficioſam, quæ eſt contra pietatem, & quæ filios in legitima offendit non relinquendo illi legitimam, quam Pater relinquere obligatur. Quo poſito

R. Donationem inofficioſam, quæ eſt contra officium pietatis paternæ eſſe irritam, & inualidam: Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub* 14. *num.* 112. Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 10. & alii. Ratio eſt, quia ſic iura ſtatuunt, & Pater per donationem non poteſt offendere iura.

Sciendum illam donationem dici inofficioſam, qua tantum donatur, vt filii priuentur ſua legitima, aut hæres neceſſarius ſua portione, quod dupliciter contingit: Primò, ſi donatio fuerit facta vni ex liberis: Secundò, ſi extraneo animo fraudandi liberos: Si primo modo irritatur ſolum in partem, & in quantum ſpectat ad legitimam aliorum competentem: Si ſecundo modo irritatur in totum: Si verò facta ſit non animo fraudandi liberos irritatur ſolum ex parte, & filiis debetur legitima, & debita portio, qua ſine cauſa non poſſunt priuari à Patre. Similiter ſi donatio fuerit facta Eccleſiæ, vel loco pio ſolum reuocatur vſque ad legitimam filiorum. Iaſon, *conſ.* 141. Decius *conſil.* 247 quia Eccleſia eſt inſtar filij, & donatio eſt facta ob ſalutem animæ, immò ſecundum Nauarrum *cap.* 26. *num.* 39. poſſunt Parentes minuere legitimas filiorum tum per contractus oneroſos, tum per donationes remuneratorias ad cauſas pias, cum talis donatio non ſit vera donatio, ſed donatio ob cauſam, cum ſit ob ſalutem animæ, & pro gloria Dei.

Sciendum 3. Quod ad reuocandam donationem inofficioſam requiritur mors donatoris, ſeu donantis, quia tunc ſolum incipit eſſe in præiudicium filiorum, cum ſolum poſt mortem Patris debeatur filiis legitima. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 14. & alii.

Sciendum 4. Donationem cauſa mortis poſſe reuocari ante mortem donantis. Ratio, quia huiuſmodi donatio ex diſpoſitione iuris habet hanc tacitam conditionem niſi reuocetur. Vnde ad libitum donantis poteſt reuocari re tamen integra. Tribus modis poteſt ante mortem reuocari; Primò, ſi pœniteat donatorem, quia ſicut teſtamentum, & legatum pro arbitrio Teſtatoris reuocari poteſt, ita & donatio, quæ cauſa mortis ſit, nec refert quod expreſsè, vel tacitè pœniteat: Signum quod pœniteat eſt ſi rem alteri donet: Leſſius *loco cit.* etiam ſi donatio fuerit iuramento firmata; Ratio, quia iuramentum quando ſimpliciter ponitur in aliquo actu debet regulari cum natura talis actus, de natura autem donationis cauſa mortis factæ eſt, quod poſſit reuocari; ergo etiamſi illi addatur iuramentum. Secundo modo ſi donatio fuit facta intuitu alicuius imminentis periculi eo ſublato cenſetur tacitè reuocata donatio. Leſſius *loco cit. num.* 115. Molina *diſp.* 286. *num.* 1. Azorius *lib.* 12. *cap.* 11. Gomez 2. *var. cap.* 4. *num.* 106. Tertiò, ſi donatarius moriatur ante donatorem ipſo iure cenſetur reuocata donatio, quia ſicut mortuo legatario ante legantem nihil debetur, ita mortuo donatario ante donatorem, donatio cenſetur reuocata. Silueſt. *verbo legatum num.* 12. Em. Sà *verbo legatum num.* 8. Vltimò, reuocatur quando conditio, ſub qua facta eſt donatio, non impletur.

An donatio ſub conditione impoſſibili, vel turpi ſit valida?

BRACTEA XXXIV.

R. DONATIONES in teſtamento factas ſub conditione impoſſibili, ſiue de facto, ſiue de iure ante adimpletam conditionem firmitatem habere, & pro non adiectis habentur. Ita Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 4. *num.* 17. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 15. *num.* 121. Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 15. *num.* 1. Molina *diſp.* 285. Lopez 2. *part. cap.* 45. & alii. Ita ex Inſtitut. *de inutilib. ſtipulationib.* §. *ſi impoſſib.*

Sciendum impoſſibile dupliciter dici re ipſa, & iure: re ipſa impoſſibile eſt, quod ſuaptè natura fieri non poteſt, vt Cęlum digito tangere, vel ex impotentia, vt pauperem facere magnam eleemoſinam, & ſimilia: Iure, quod fieri nequit ſine peccato ſtante iure inuiolato, vt eſt omnis conditio turpis appoſita, vt v.g. ſi non facies eleemoſinam, vel ſi illius amicitiam deſerueris. Secundò, in foro conſcientiæ donationes, & diſpoſitiones factæ ſub conditione impoſſibili re ipſa, vel iure, ſunt irritæ ante adimpletam conditionem, ita vt nulla ex eis oriatur obligatio. Ita Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 15. & alii apud Sanchez *lib.* 5. *de matrim. diſp.* 3. Ratio, quia talis conditio eſt potius ſignum diſſenſus, quam conſenſus; & ideò donatio præſumitur irrita.

Sciendum, quod ſi ex conditione impoſſibili appoſita colligitur voluntatem donantis fuiſſe, vt conditio adimpleretur donationis, ſeu diſpoſitionis non obligat niſi poſt adimpletam conditionem. Ratio eſt, quia deficiente conditione deficit donantis conſenſus; quando verò eius voluntas ignoratur, tunc donatio ſecundum regulas iuris interpretanda eſt, quia ſic ſe voluiſſe iure confirmate in dubio præſumendum eſt. Secūdò, conditio turpis contra ſubſtantiam contractus, & diſpoſitionis irritat ipſum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 15. *num.* 122. & alii; conditio verò turpis, quæ non eſt contra ſubſtantiam non irritat contractum, ſeu diſpoſitionem, ſed habetur pro non adiecta. Ita Leſſius *loco cit.* & alii communiter. Ratio, quia ſic decernitur à iure; tum quia ſic non inducunt ad peccatum, ſed ſupponunt factum. Ita Adrianus in 4. *de ſponſal. dub.* 4 Lopez *part.* 2. *cap.* 22. Silueſt. *verb. matrimonium* 3. *quæſt.* 3. & alii.

An donatio facta ad certum vſum, vel finem illis non ſubſiſtentibus, ſit valida?

BRACTEA XXXV.

R. DONATIO, qua quis aliquid donat ob certum finem non intendens illum obligare, ſed ſolum allicere animum, vel præbere modum ad illum conſequendum, non eſt irrita donatio, etiamſi finis non ſequatur, Ita Leſſius *loco cit. num.* 124. Molina *diſp.* 208. & alii. Ratio, quia modus appoſitus non ſuſpendit diſpoſitionem. Vnde ſi quis v.g legauerit centum nummos puellę, vt nubat, nec aliud expreſſit, & puella ante nuptias mortua ſit, legatum non eſt reſtituendum, etiamſi ipſa manendo in ſęculo cęlibatum colat, aut ingrediatur Religionem, quia donans non cenſetur legato maius bonum voluiſſe impedire, niſi aliunde conſtet de mente Teſtatoris. Molina *diſp.* 208. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 16. & alii. Similiter valida erit donatio, qua quis collatori aliquid donat ad alliciendum ipſius animum, vt confe-

tat

tat beneficium, vel mercatori, vt ad mutuandum inclinetur, vel puellæ ad eam turpiter prouocandam, quamuis finis non ſequatur, cum non ſit donatio cōditionata, ſed abſoluta animi ſi oſtendi ſolum, & alliciendi liberum conſenſum. Vnde donatio eſt valida. Secundò, ſi donator intendat donatarium obligare ad certum vſum tanquam ad finem principalem fine non ſubſiſtente donatio erit irrita ſi finis eſt principalis; Si verò ſecundarius poterit donatio irritari, ſi donatarius eum nolit præſtare. Ita Leſſ. *loco cit.* Ratio, quia donans limitat ſuam donationem ad illum finem; vnde non ſubſiſtente fine valida non eſt donatio; quare ſi quis donet ſub certo onere Monaſterio, v. g. centum nummos aureos cum onere celebrandi miſſas, videndum eſt, an illud onus impoſitum celebrandi miſſas ſit cauſa principalior, an verò ſecundario, quod ſi eſt cauſa principalior, ea non ſubſiſtente donatio erit irrita, & inualida; Si verò cauſa, ſeu onus celebrandi miſſas non erit cauſa principalior, ſed ſecundaria, ea non ſubſiſtente donatio erit valida, licet irritari poſſit. Medina *cod. de reſtit. quæſt.* 24.

An non ſubſiſtente cauſa ob quam donatio eſt facta ſit valida?

BRACTEA XXXVI.

R. Non ſubſiſtente cauſa, ob quam fit donatio, inualida eſt donatio ſi donator tali mente affectus erat, vt non ſubſtente cauſa non ſolum non daret, ſed etiam donationem eſſe nullam vellet, quamuis id exterius non exprimat. Ita Nauarr. *cap.* 18 *num.* 6. Medina *de reſtitut. quæſt.* 24. Leſſius *lib* 2. *cap.* 18. *dub.* 7 *num* 129 Silueſter *verbo pactum qu.* 4. Rebellus *lib.* 18. *quæſt.* 17. *num.* 1. & alij. Ratio, quia talia donatio eſt inuoluntaria, cum præcedat ex errore, qui ſi non eſſet, donatio non fieret, & contractus eſt nullus, & quando error dat cauſam contractui, vt in præſenti caſu irritat contractum. Verum ſi donator ita affectus eſſet, vt ſi ſciret cauſam donationis eſſe falſam non daret, tamen quia dedit, non vult donationem eſſe irritam, vt ſi quis amico aliquid daret, quia putabat illum geſſiſſe aliquod negotium, quod reuera non geſſit, vt etiam de minutis eleemoſynis dicendum eſt, quas ob fictam ſanctitatem pauperes extorquent, donatarium non eſſe obligatum ad reſtitutionem, ſed poſſe receptum in cōſcientia retinere. Si verò putetur, donatorem velle per fraudem receptum eſſe reſtituendum; obligatur tunc ad reſtitutionem, cum quiſque teneatur reſtituere acceptum per fraudem, cui autem reſtituenda ſunt per ſimulationem, & fictam ſanctitatem acceptam: dicendū ſi res accepta ſit notabilis reſtituenda eſt donatori. Sotus *lib* 9. *de iuſt q.* 7. *ar.* 3. Si verò non ſit notabilis pauperibus. Nau. *c.* 17. *n.* 197. & alij.

An donatio modalis modo non exiſtente ſit valida?

BRACTEA XXXVII.

R. Eſſe validam quando talis modus non eſt cauſa principalis, vel finalis donationis, ſed impulſiua: Secus autem eſt ſi modus fuit cauſa finalis, vel principalis donationis, quia tunc modo non exiſtente donatio erit inualida etiam in foro conſcientiæ.

Sciendum dubium eſſe, an ſi quis alicui debitor erit, immemor tamen talis debiti aliquid creditori ſuo donat, an ſolutione talis debiti donare cenſeatur? Ad quod reſpondeo, quod ſtando in iure communi ciuili præſumitur potius in compenſationem debiti dediſſe, quam donaſſe. Verum in foro conſcientiæ ſi donator adhuc viuit, eius intentio eſt inualida, niſi ſe explicet, num compenſandi, an donandi animum habuerit. Hinc Titius qui in teſtamento relinquit centum Catherinę, quam dotare tenebatur videtur illa relinquere in ſolutionem dotis, quia cum ſit debitum quod de iure debetur, ita præſumitur in foro ciuili, ſcilicet animo ei compenſandi debitum relinquiſſe. Nauar. *cap.* 17. *num.* 150.

Quando donatio pura obliget?

BRACTEA XXXVIII.

SCIENDVM donationem puram illam dici, in qua nec dies, nec modus, nec conditio opponitur. Hoc poſito.

R. Quando promiſſio eſt pura, tunc res promiſſa ſtatim eſt ſoluenda, *leg. cum qui calendis* §. *quoties de verbor. oblig.* In obligatione tamen ex conſtituta pecunia conceditur ſpatium decem dierum, quando non eſt præfixus dies certus, *leg. promiſſor* §. 1. *de conſtit. pecunia* ſtatim debet intelligi moraliter, tum arbitrio prudentis, tum ex re ipſa: *leg. quod diximus ff. de ſolut.*

Secundò, quando aliquid promiſſum eſt in diem certum eo ipſo oritur obligatio, tranſitque ad hęredes eius, cui facta eſt promiſſio, & aduerſus hæredes promittentis, non oritur tamen obligatio, vt res promiſſa ſtatim ſoluatur, ſed vt ſoluatur in diem ſtatutum promiſſione. *Inſtit. de verbor. obligat.* §. *omnis ſtipulatio ff de rerum ſignificat.* Tertiò quando promiſſio eſt in diem incertum tunc habet vim conditionis pendentis, ac proinde efficitur propriè conditio conditionalis. Quartò, quando promiſſio fit ad diem certum, & ſunt multi tales dies, vt Calendis Ianuarij, intelligitur de die tali proximo futuro. Filiucius *tract.* 34. *cap.* 6. *num.* 11. *vſque ad num.* 125.

MALLEATIO LXVIII.

De contractu feudi.

Quid ſit feudum?

BRACTEA I.

R. Feudum eſſe contractum, quo quis tradit feudatario, ſeu vaſſallo rem ſuam immobilem quoad dominium vtile cum onere obſequij, & ſeruitij perſonalis. Dicitur primò res immobilis, vt Regnum, Prouincia, Vrbs, Pagus, Ager, Prędium. Secundò dicitur cum onere obſequij, & ſeruitii perſonalis, quia non datur pro penſione, vel ſeruitio reali, ſed datur pro ſeruitio perſonali. Vnde ad ſubſtantiam feudi duo pertinent: Primò, vt res in feudum data immobilis ſit, vel talis habeatur: Secundò, vt is, qui illud accipit, obſequium domino promittat; in feudo tamen, quod vocant francum, & liberum non videtur adeſſe obligatio alicuius obſequii.

Sciendum quinque eſſe diuiſiones feudi: Prima in feudum Regale, & non Regale: Regale eſt quod à

Principe

Principe conceditur ſuperiorem non agnoſcente. Non Regale eſt, quod nihil affert dignitatis, *cap. 1. tit. de his qui feudum dare poſſunt*. Secunda in feudum antiquum, paternum, & nouum: antiquum eſt, quod maiores habuerunt ſupra quartum gradum agnationis: paternum, quod parentes tenuerunt vſque ad quartum gradum, vt Auus, Proauus, Abauus, Atauus: nouum eſt, quod cœpit eſſe in perſona inueſtiri, nec peruenit ad ipſum ex ſucceſſione. *Cap. 1. de ſucceſ. tit. de ſucceſ. feudi* quibus addi poteſt feudum maternum, quod à fœmina deſcendit, tanquam à capite cognationis, *cap 1. tit. de feudis fœmineis*. Tertia, in feudum rectum dicitur, vel quia in eo ſunt determinata ſeruitia, quod etiam dicitur conditionatum, vel quia feudatarius adeptus eſt promiſſionem feudi præcedente licentia domini, & præſente Curia, vel quia ſit perpetuum, & non reuocabile, *cap. 1. de conceſ. recti feudi*: non rectum, quod oppoſitas habet conditiones. Quarta in feudum hæreditarium, & non hæreditarium: hæreditarium eſt quod conceditur accipienti pro ſe, & hæredibus: non hæreditarium, quod per ſe, & liberis conceditur. Quinta in ligium, & non ligium. ligium eſt cum quis iurat in feudo futurum fidelem contra quemcunque nullo excepto, non ligium eſt, quando in iuramento præſtando excipitur ſupremus dominus, vt ſi quis iuret ſe futurum duci fidelem exceptis his, quæ pertinent ad Regem, & Imperatorem. Curtius *queſt. 8 cum 22.* tria requirit ad feudum ligium: primum, vt Vaſſallus iuret fidelitatem nulla alterius fidelitate reſeruata; ſecundum, vt expreſſè dicatur in inueſtitura, quod feudum ſit ligium: tertium, quod Vaſſallus principaliter perſonam ſuam, & in conſequentiam bona etiam non feudalia ſubiiciat domini poteſtati.

Sciendum 2. feudum primò diſtingui ab emphiteuſi, quia in emphiteuſi obſequium eſt reale: penſio ſcilicet in pecunia, vel in fructibus, in feudo eſt perſonale, quamuis aliquando poſſit addi etiam ex pacto aliqua penſio in pecunia: diſtinguitur etiam à locatione, quod in locatione non transfertur dominium vtile in conductorem: in feudo verò transfertur dominium in feudatarium. Diſtinguitur etiam ab aliis contractibus, vt patet ex natura ipſorum contractuum.

Qui poſſint in feudum dare?

BRACTEA II.

R. GENERALITER poſſe dare in feudum omnes qui liberam habent adminiſtrationem ſuorum bonorum, & non ſunt aliquo iure prohibiti; & licet *lib. 1. feud. tit. 1.* dicatur non poſſe dare feudum, niſi, qui eſt aliqua dignitate præditus, tamen correctum videtur per aliud ius *eodem lib. tit. 7.* & ſaltem conſuetudo poterit id introduci in aliquo loco, licet de iure feudorum requireretur aliqua dignitas, qui enim dant in feudum hoc ipſo Vaſſallos habent, & conſequenter iuriſdictionem in eos exercere poſſunt. Secundò in particulari poſſunt dare in feudum: Papa res cuiuſcunque Eccleſiæ, eſt enim caput iure diuino omnium Eccleſiarum, *cap. contra qui 3.* Secundo Epiſcopi olim poterant ex *leg. 1. feudi tit. 6.* nunc autem non poſſunt, niſi res, quæ ſolitæ ſunt dari in feudum ab antiquo tempore, *cap. vlt. de feudis*. Tertiò, Abbates, Præpoſiti, & alii etiam inferiores Clerici poſſunt eodem modo, quo Epiſcopi, nempè res ſolitas dare in feudum, *cap. 2. de feudis*. Quartò domini temporales, vt Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, & alij huiuſmodi poſſunt in feudum dare, *lib 1. feud. tit. 1.* Quintò alij nobiles viri his inferiores, vt Barones etiã feudum dare poſſunt, vt colligitur ex *eod. loc.* Sextò, qui feudũ habent à Rege, Duce, Comite etiam feudum dare poſſunt. Septimò Paterfamilias habens prædium alodiale, hoc eſt liberũ ab omni feudo poteſt in feudũ etiamſi non ſit nobilis. Octauò, fœmina non poteſt dare in feudum rem ſuam. Nonò, minor viginti quinque annis ſi Curatorem habeat, poteſt dare antiquum feudum, non autem nouum.

Qui poſſint accipere feudum?

BRACTEA III.

R. OMNES eſſe capaces ad accipiendum feudum, ſed non ab omnibus dominis; ſi enim ſint domini principales, tunc hi poſſunt dare cuilibet perſonæ, cui voluerint, ſiue ſit liber, ſiue ſeruus, ſiue Clericus, ſiue Laicus, ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Prælatus, ſiue Ciuitas, ſiue Caſtrum, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue maſculus, ſiue fœmina; ſi vero Vaſſallus det in feudum, tunc aliqui prohibentur: Primò qui non poteſt ſeruitium facere. Secundò fœmina. Tertiò Eccleſia, Clericus, Monacus; ſunt enim inhabiles ad pugandum. Quartò, non ſeruus alienus. Quintò, non hæreticus, aut Iudæus, aut excommunicatus. Sextò, non is, qui eſt in banno ſui domini. Septimò, non is, qui eo ſit potentior, vt Comes, Marchio, &c. Octauo, non is, qui eſt de alio foro, quam dominus principalis. Nonò, non is, qui propter talem conceſſionem ſit vexaturus dominum.

Quænam res poſſint dari in feudum?

BBACTEA IV.

R. GENERALITER poſſunt dari omnes res immobiles, vel quę pro immobilibus habentur, modo ſint liberæ, propriæ, & non alteri obligatæ. Secundò, res prohibita alienari non poteſt in feudum dari nouum, quia ſi daretur in feudum nouum alienaretur, in feudum vetus dari poteſt, quia non cenſetur nouiter alienari, cum iam ſit alienata, ſed tantum confirmatur alienatio facta eſt, & renouatur; Vnde res Eccleſiæ, Prælati non poſſunt dari in feudum nouum. Ratio, quia ſi darent in feudum nouum iam alienarent, id autem eſt eis prohibitum: *autent. de non alienandis, aut permutandis rebus Eccleſiæ, & capit. nulli de rebus Eccleſiæ, &c.* Si verò ſolitę ſint in feudum dari, & redierint ad Eccleſiam liberæ, tunc poſſunt in feudum dare, modo ſit in euidentem vtilitatem Eccleſiæ, *cap. vlt de feudis*, abſque alia ſolemnitate: item ſi Eccleſia non poſſit feudum recuperare ob potentiam feudatarij poteſt alteri potentiori conferre, qui recuperet, vt tandem redire poſſit ad Eccleſiam, Abbas *cap vlt. de feudis*.

Quæ ſint conditiones feudi?

BRACTEA V.

R. NUMERARI poſſe ſeptem: Prima, vt ſit de re immobili, vel habeatur pro re immobili. Secunda, vt dominium directum, & poſſeſſio ciuilis remaneant apud dominum, vtile vero dominium transferatur in Vaſſallum, illudque Vaſſallus ciuiliter, & naturaliter poſſideat: Tertia, vt non teneatur feudatarius ad penſionem ſi eſt feudum purum, ſed tantum ad obſequium perſonale, quando

de

de hoc interpellabitur: Quarta, vt ſi obſequium debitum non præſtiterit amittat feudum, ſicut emphyteuta non ſeruans penſionem. Quinta, vt non poſſit illud alienare ſine voluntate domini, alioquin illud amittit. Sexta, vt à domino debeat inueſtiri, & mitti in poſſeſſionem, & tunc iurare domino fidelitatem. Septima, vt ſine domini voluntate non poſſit feudum donare, vel oppignorari, vel alteri concedere in feudum. Silueſter *verbo feudum num.* 2. & alij.

Quibus modis acquiratur feudum?

BRACTEA VI.

R. Tribus modis acquiri: inueſtitura, præſcriptione, & ſucceſſione; inueſtitura eſt apprehenſio poſſeſſionis feudi, & fit cum haſta, vel alio inſtrumento, vt gladio, vexillo, &c. vt autem ſunt varia feudorum genera, ita etiam variæ inueſtituræ ſunt, de quibus Curtius *part.* 2. *quæſt.* 4. Zazius *in epit. feud. cap.* 6. Secundò, adhibentur etiam teſtes, vel Vaſſalli eiuſdem domini, vel extranei; & requiruntur non ſolum ad probationem, verum etiã ad ſubſtantiam inueſtituræ. Ita apud Azorium *lib.* 10. *de feudis cap.* 6. *quæſt.* 2. licet Angelus, & Silueſter ſentiant tantum requiri ad probationem. Tertiò, effectus inueſtituræ eſt, vt valeat ad ſubſtantiam feudi, neque enim transfertur feudum in alium abſque inueſtitura, vt ex libro feudorum docet Azorius *quæſt.* 3. poſt eam autem cogitur dominus tradere poſſeſſionem, & id eſt ſingulare in feudo *lib.* 2. *feud. tit.* 4. fides autem de obſequio præſtando debet antecedere poſſeſſionem, atque ita primò fit inueſtitura, ſecundò ſequitur fidelitas, tertiò traditur poſſeſſio.

Quoad ſecundum de præſcriptione. Primò, ea debet eſſe in ſæculari feudo triginta annorum, tanto enim tempore permittuntur actiones, *leg. omnes C. de præſcriptione triginta annorum*, in Eccleſiaſtico autem autem requiruntur, quadraginta, *autent. excelſa C. de ſacroſanct. Eccleſiis*. In feudo contra Eccleſiam Romanam centum requiruntur. Secundò, vt poſſeſſio fuerit rei, tanquam feudi, præſtando videlicet poſſeſſor tanquam Vaſſallus obſequium domino. Tertiò, eodem ſpatio triginta annorum poteſt Vaſſallus præſcribere libertatem ab obſequio, & viciſſim dominus acquirere plenum dominium, & ius in feudo, ſi antea non habebat, vt ex communi ſententia docet Azorius *cap.* 7. *quæſt.* 4.

Quoad tertium de ſucceſſione pro reſponſione ſupponendum eſt olim feuda fuiſſe perſonalia, quippe obitu perſonæ, quæ acceperat finiebantur, deinde facta ſunt realia, itaut tranſmittantur ad hæredes. Quo poſito.

R. Captos aliquo membro, vt muti, cæci, &c. iure feudorum non eſſe habiles ad ſucceſſionem in feudo paterno, *leg.* 1. *tit.* 6. §. *quin etiam*; at vſu, & conſuetudine poſſunt ſuccedere, quia licet ipſi perſonaliter non poſſint obſequium domino præſtare, poſſunt tamen per alium. Ita Azorius *cap.* 8. *quæſt.* 1. Secundò, fœminas regulariter non admitti in feudo, *l.* 1. *tit.* 1. §. *hoc autem*. Ratio eſt, quia fœminæ non ſunt capaces ſeruitij perſonalis ob quod dantur feuda, vt videre eſt apud Gerzon. *de fœminis ad feudum recipiendis, vel non*: qui ponit aliquas ampliationes, & reſtrictiones. Ampliationes ſunt, vt etiam deficientibus maſculis ipſæ non ſuccedãt, ſecunda, vt etiamſi dictum ſit pro ſe, & hæredibus fœminæ excludantur, quia in feudis ſolum valeret pro filijs maſculis: *cap.* 1. §. *& ſi Clientulus de alienis feudis*: tertia, vt etiamſi feudum ſit maternum à matre, ſcilicet nouiter acquiſitum pro ſe, & deſcendentibus valeat tantum pro maſculis, his tamen deficientibus venirent fœminæ, quæ nunquam ſunt excluſæ; quarta, vt ſi in priore inueſtitura non ſint vocatæ, non veniant, etiamſi vocentur in poſteriori, quia debet referri ad priorem; quinta, vt etiã ſi expreſſe vocentur, maſculis debeant poſtponi; ſexta, vt concurrentibus maſculis repellantur fœminæ; ſeptima, vt fœminæ etiam nominatæ ſi ſemel excludantur à maſculis, nunquam amplius admittantur.

Reſtrictiones præcipuæ ſunt iſtæ: prima eſt, ſi in inueſtitura fœminæ etiam expreſſæ ſint: ſecunda, ſi feudum ſit fœmineum, hoc eſt originem habeat à fœminis; tunc enim deficientibus maſculis ſuccedunt fœminæ, *lib.* 2. *feud. tit.* 50. tertia ſi feudum ſit francum, omninò liberum ab omni ſeruitio, vel ſeruitium tale ſit, quod fœmina præſtare poſſit; quarta, ſi filia mortuo Patre ſit à domino inueſtita, vel quia redimit feudũ, vel quia ob merita Patris, dominus voluit eam inueſtire; quinta ſi conſuetudine ita receptum ſit in Prouincia, *lib.* 2. *feud. tit.* 1. tamen in omnibus his caſibus ſemper intelligendum eſt, fœminas ſuccedere deficientibus maſculis, nam ſi maſculus aliquis extet, ad eum primò deferendum eſt feudum.

Sciendum ſi quis accipiat feudum ſibi, & deſcendentibus maſculis, maſculos deſcendentes ex fœminis non admitti. Ratio eſt, quia illi erunt extrà agnationem, vt poté ex Patre geniti, qui alterius familiæ ſit. Secundò, ſi quis accepit feudum eo pacto, vt tranſeat ad fœminas, maſculus natus ex linea fœminea fœminam excludit, *lib.* 2. *feud. tit.* 17. eſt enim regula generalis ſemper maſculos excludere fœminas etiamſi deſcendant per lineam fœmininam. Tertiò, fœminam ſemel excluſam ſemper intelligi excluſam. Quartò, mulier feudum habens ſi relinquat filios ex duobus matrimonijs præferendi videntur filij prioris matrimonij, licet in hoc ſeruanda ſit conſuetudo Prouinciæ.

Sciendum 2. Maſculos ſuccedere in feudo cæteris excluſis, etiamſi deſcendant in infinitum, *leg.* 1. *feud. tit.* 1. §. *quoque*, quod etiam habet locum in feudo Eccleſiaſtico; item in filijs emancipatis, non tamen exhæredatis à Patre; iiſdem enim cauſis, ob quas iuſtè exhæredatur eſt à Patre, amittit etiam feudum ex Azorio *cap.* 9. *quæſt.* 3. Secundò iure ciuili nepotes ſuccedere cum filijs in ſtirpes, vt ſi Pater moriatur relicto filio, & duobus nepotibus ex altero filio mortuo, tunc enim nepotes habebunt vnam partem, quia ſuccedunt in locum Patris, & alteram filius. Tertiò ſi Pater acceperit feudum ſibi, & deſcendentibus, dato, quod aliquis ex deſcendẽtibus ſit mutus, cæcus, vel alio membro deſtitutus ſuccedere poteſt in feudo ex conſuetudine, cum per alium ſeruitium præſtare poſſint. Quartò, filios illegitimos non ſuccedere in feudo, *lib.* 2. *feud. tit.* 26. §. *naturales*. Niſi in inueſtitura id expreſſum fuerit, quia ſi expreſſum erit, ſuccedere poſſunt: naturales verò facti legitimi per ſubſequens matrimonium ſuccedunt in feudo, quia habentur pro legitimis in omnibus gratia, & fauore matrimonij.

Sciendum 3. Quod filij iure Longobardico *lib.* 1. *feud.* ſuccedunt æqualiter in feudis, at vſu receptum eſt, vt primogeniti nunc cæteris præferantur, præſertim ſi ſint feuda habentia dignitatem, vt Ducatum, Marchionatum, Comitatum, &c. Secundò, aſcendẽtes non ſuccedere in feudo, vbi deficiunt deſcendentes, niſi fuerit expreſſum in inueſtitura. Tertiò, propinqui laterales ſuccedunt deficientibus liberis, modo ſit feudum paternum, vel antiquum non autẽ ſit nouum. Vnde fratri in feudo paterno ſuccedit fra-

ter, non autem in nouo *lib. 1. feud. tit.* 8. 20. niſi contrarium expreſſum eſſet in inueſtitura. Quartò, vteriini fratres non ſuccedunt in feudo. Ratio eſt, quia collaterales non ſuccedunt niſi per agnationem, vterini autem, vtpotè diuerſo Patre nati non ſunt eiuſdem agnationis *lib. 1. feud. tit.* 12. Quintò, Clericum in Sacris ordinatum, vel beneficiatum poſſe retinere feudum paternum, ſi ad ipſum perueniat, poſtquam eſt in Sacris ordinatus, quia licet non poſſit perſonaliter ſeruire, poteſt tamen per alium; Si verò non erat in Sacris ordinatus, tunc eo ipſo videtur repudiare feudum ſi tranſit ad ſtatum, in quo non poteſt perſonaliter ſeruire, niſi feudum requireret tantum ſeruitium reale, quia tunc ipſum retinere poteſt. Quod etiam dicendum eſt, ſi feudum tranſeat ad Monacum profeſſum, Monaſterium poſſe ipſum retinere, ſi ſaltem per alium ſeruitium exhibere poſſit, quia reale ſeruitium eſt, tunc ſi Monaſterium eſt capax bonorum ſuccedit in feudo, in vtilitate feudi durante vita Monachi vocati; deinde tranſibit ad agnatos propinquiores, vel redibit ad dominum. Ita apud Azor. *cap. 10. quæſt.* 4. Secus verò dicendum eſt ſi Monaſterium non poſſit exhibere per ſe, vel per alium ſeruitium præſtitum in feudo.

Quibus cauſis finiatur feudum?

BRACTEA VII.

R. Triplici de cauſa finiri poſſe feudum: Primò, culpa Vaſſalli in dominum: Secundò, culpa Vaſſalli in alium à domino: Tertiò, abſque culpa Vaſſalli. Culpa Vaſſalli in dominum eſt ingratitudo, eaque adeò grauis, vt mereatur amiſſionem feudi; ſolet autem reduci ad decem crimina: Primum ſi hæres Vaſſalli non petat inueſtituram, idque intra annum: Secundum, ſi Vaſſallus periclitantem in acie dominum deſeruerit: Tertium ſi ſciẽs inſidias parari domino non faciat eum certiorem: Quartum, ſi vxori domini, filiæ, ſorori, nepti ex filio, vel nurui ſe miſcuerit, vel alicuius ex eis pudicitiam tentauerit: Quintum, ſi detulerit dominum apud Iudicem, vel accuſauerit etiam ſi ex iuſta cauſa, excepto crimine leſæ Maieſtatis Diuinæ, & humanæ: Sextum, ſi feudum alienauerit abſque conſenſu domini, & tradiderit: Septimum, ſi filium eius, vel domeſticus, vel vaſſallus dominum offenderit, & admonitus feudatarius non adducat reum ad veniam petendam: Octauum, ſi contumax ſit in eum, hoc eſt vocatus ad curiam venire detrectet: Nonum, ſi iure feudi abutatur: Decimum, ſi domino exigenti obſequia negauerit ſe Vaſſallum eſſe. Culpa Vaſſalli in alium amitti, poteſt feudum in duobus caſibus; Primò, ſi ſit fratricida præſertim ob ſpem hæreditatis: Secundò, ſi homicida proditoriè. Abſque culpa Vaſſalli amittitur feudum quatuor modis: Primò, morte eius ſine filijs legitimis, vel agnatis: Secundò, renunciatione: Tertiò, ſuſceptione Ordinis Sacri, vel profeſſione Religionis: Quartò, lapſu temporis, ad quod eſſet conceſſum; præſcriptione autem alterius per triginta annos etiam poteſt amitti.

MALLEATIO LXIX.

De contractu emphiteuſis.

Quid ſit emphiteuſis?

BRACTEA I.

R. Emphitevsis eſt contractus, quo quis tradit rem ſuam immobilem, quoad dominium vtile in perpetuum, aut in longum tempus ſub certa penſione reali ſoluendá pro cognitione dominij directi. Ita *leg. 1. cod. de iure emphiteutico*, & communiter omnes.

Sciendum emphiteuſim aliam eſſe perpetuam, aliam temporaneam, perpetua eſt, quæ conceditur abſque temporis determinatione: Temporanea eſt, quæ conceditur cum determinatione temporis, vt v. g. ad quindecim annos per vnam, aut plures generationes. Secundò, alia eſt Eccleſiaſtica, alia prophana; Eccleſiaſtica eſt, quæ ex bonis Eccleſiaſticis; nomine bonorum Eccleſiaſticorum veniunt bona Monaſterij, Collegij, Hoſpitalis, & aliorum locorũ piorum; prophana eſt, quæ de bonis ſæcularibus. Tertiò alia eſt vetus, & antiqua, quæ iam fuit conſtituta, alia verò, quæ de nouo inſtituitur. Quartò, alia eſt hæreditaria ſimpliciter, quæ concedi ſolet pro omnibus hæredibus, etiam extraneis, alia hæreditaria mixta, quæ ſolum conceditur pro aliquibus hæredibus: alia familiaris, quæ ſolum conceditur pro his, qui ſunt de tali familia.

Sciendum 2. Emphiteuſim diſtingui à cęteris contractibus; primò, a locatione, quia in hac nullum transfertur dominium, in emphiteuſi autem transfertur dominium vtile, locatio eſt rerum tam mobilium, quam immobilium: emphiteuſis ſolum immobilium. Molina *diſp* 445. Lopez 2. *part. de contractib. cap.* 27. Silueſter *verb. emphiteuſis num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub* 8. Similiter diſtinguitur a venditione, quia in hac transfertur dominium directum, & vtile: in emphiteuſi ſolum transfertur dominium vtile; diſtinguitur etiam à libello, quia contractus emphiteuſis eſt quando res alteri conceditur quoad dominium vtile, contractus libelli eſt quando quis rem iam in emphiteuſim acceptam alteri dat in emphiteuſim. Molina *diſputat.* 444. Silueſter, Angelus, Tabiena *verb. emphiteuſis*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 8 *num.* 56. Rebellus 2. *part. lib.* 13. *quæſt.* 1. *num* 9. Iulius Clarus *lib.* 4 *ſenten.* §. *emphiteuſ.* diſtinguitur etiam à cenſu, quia per contractum cenſualem transfertur dominium directum, & vtile; directum verò remanet apud concedentem, vt cum communi reſoluit Abbas *in cap. conſtitutus in verb. iuxtà ratam in fin. de religioſis domibus num.* 20. & tradit Salonius *tom.* 2. *de contractib. diſp. de cenſibus artic.* 2.

Quinam poſſint contractus emphiteuſis accipere?

BRACTEA II.

R. Qui in Iudicio conueniri poſſunt, vt penſionem ſoluant, vel vt rem ſibi datam in emphiteuſim meliorem faciant contractum emphiteuſis inire poſſunt. Ita communiter omnes. Ratio, quia emphiteota tenetur ſoluere penſionem, & ſi non ſoluit poteſt conueniri, & ideò mulieres non poſſe in emphiteuſim accipere, cum non poſſint

in

in iudicio conueniri, vt penſionem ſoluant, vel vt rem meliorem faciant: ita etiam Aulici, & milites non poſſunt contractum emphyteuſis inire cum non facilè poſſint conueniri. Verum ſi in emphyteuſim accipiant validus erit contractus. Similiter Ciuitatem, Collegium, Monaſterium, Eccleſiam non poſſe in emphyteuſim accipere; & ratio eſt, quia Eccleſia, & alia quæuis Communitas non moritur, ac proinde domini conditio deterior redderetur, quia nunquam res ad ipſum rediret obitu emphyteuræ.

R. 2. Eos poſſe in emphyteuſim dare, qui habent liberam adminiſtrationem in ſuis bonis. Ratio, quia dare in emphyteuſim eſt ſpecies alienationis, & per conſequens ille poteſt in emphyteuſim dare, qui poteſt alienare. Vnde pupillus, minor, furioſus, &c. nequeunt iure dare in emphiteuſim, cum bonorum ſuorum non habeant liberam adminiſtrationem.

Quot conditiones requirantur ad contractum emphyteuſis?

BRACTEA III.

R. Sex conditiones requiri: Prima, vt conſtituatur ſolum in rebus immobilibus, quia res mobiles non poſſunt dari in emphyteuſim, arbores verò ſolo hærentes, quia habentur pro immobilibus, poſſunt in emphyteuſim dari. Secunda, vt dominium directum, & ciuilis poſſeſſio maneat apud priorem dominum, vtile ſolum transferatur in emphyteutam. Tertia, vt teneatur ad penſionem quotannis ſoluenda; Quarta, vt ſi penſionem non ſoluerit per duos annos ſi res ſit Eccleſiaſtica, vel per tres, ſi ſit ſæcularis, amittat rem emphyteuticam cum omnibus melioramentis, eaque redeat ad dominum directum, licet quando eſt Eccleſiaſtica poſſit ſibi conſulere celeri ſatisfactione poſt tranſactum biennium. *Cap. potuit de locato*, vel purgauerit moram ſi breuiter ſatisfaciat ante iudicialem citationem, vel ſtatim poſt citationem abſque dilatione. Quando verò res eſt ſæcularis, non poteſt ſibi conſulere tranſacto triennio, nec poteſt purgare moram celeritate ſolutionis, ſtatim enim amittit rem, modo dominus directus declaret velle ſibi rem emphyteuticam applicari. Ita Reginaldus *lib.* 25. *num.* 547. Silueſt. *loco citato*. Quinta, vt ſi res pereat ſine culpa emphyteutæ, vel ab hoſte occupetur, vel, &c. liberetur emphyteuta ſolutione penſionis, quia perit proprietario, niſi ſit aliter conuentum, vt dicetur infra. Sexta, vt ſi rem emphyteuticam notabiliter deteriorem reddat, eam amittat, poſſitque ei auferri. Sic eſt notatum de Eccleſiaſtica *autent. qui rem de ſacroſanctis Eccleſijs*; & ex paritate rationis Doctores extendunt ad ſæcularem. Silueſter *verbo emphyteuſis num.* 1. Secundò, vt emphyteuta non vendat rem emphyteuticam, & melioramenta facta, niſi domino directo admonito, an ipſe velit emere: quod ſi contrà fecerit, cadit in commiſſum, & reddit ad dominum directum.

An emphyteuta, qui ſtatuto tempore non ſoluit penſionem cadat ab emphyteuſi.

BRACTEA IV.

R. In emphyteuſi Eccleſiaſtica ſi emphyteutica per biennium non ſoluit penſionem, cadit à iure ſuo, & amittit rem emphyteuticam, niſi purgauerit moram ante Iudicis ſententiam. Ita communiter omnes; ita colligitur *leg.* 2. *cod. de iure emphyt.* & *cap. potuit de locato, & conducto*. Verum ſi emphyteutica purgauerit moram factam ſoluendo ante iudicialem citationem, vel ſtatim poſt citationem abſque dilatione non cadit à iure ſuo, nec amittit rem emphyteuticam. Secundò, ſi emphyteuſis erit prophana, ſiue ſæcularis à ſuo iure cadit, ſi per triennium penſionem ſoluere deſiſtat, & celeritate ſolutionis non poteſt purgare moram, modo dominus directus declaret ſibi velle rem emphyteuticam applicare. Tertiò, etiamſi penſio ſoluenda ſit parua, v. g. vnius ſolidi, & eam emphyteuta per biennium ex emphyteuſi Eccleſiaſtica non ſoluit, cadit emphyteuta à iure ſuo, & res emphyteutica in commiſſum, & incorporatur domino directo. Ita Rebellus *lib.* 3. *de emphyteuſi quæſt.* 8. *num.* 8. & alij. Ratio, quia cum talis penſio ſit ſolum impoſita ob ſimplicem dominij recognitionem, & quod propter exiguitatem facilius ſolui potuit, eo in maiorem domini contemptum cedere videtur ea omiſſio propter periculum etiam amiſſionis recognitionis domini directi; quapropter talis omiſſio non leuis, ſed grauis habita ratione periculi cenſeri debet. Quartò, ſi per biennium, aut triennium aliqua pars penſionis, ſiue magnæ, ſiue etiam paruæ omittatur ſolui, ex hac omiſſione res emphyteutica non cadit in commiſſum, nec etiam pro rata penſionis non ſolutæ. Ratio, quia cum talis penſio, vt ſupponitur, detur in recognitionem dominij, etiamſi pro parte ſoluatur ſemper fit recognitio, & per conſequens ſubſiſtente recognitione non eſt ratio, cur res emphyteutica cadat in commiſſum.

Sciendum, quod pro re emphyteutica duplici ratione penſio ſoluitur; Primo ſolum pro ſimplici recognitione dominij. Secundò, non ſolù pro ſimplici recognitione dominii, verum etiam ad ratam fructuum, qui colliguntur, ita vt pro quolibet iugere ſoluatur vna emina frumenti, vel etiam duæ, quæ penſio non ſolum eſt ob recognitionem dominii, ſed etiam ad ratam fructuum, qui colliguntur. Vnde quando penſio ſoluitur ſolum pro ſimplici recognitionò, etiamſi non tota ſoluatur, res non cadit in commiſſum, quoniam fit ſemper recognitio ſoluendo partem penſionis. Si verò ſecundo modo ſoluatur penſio, nimirum ad ratam fructuum emphyteuta non ſoluendo totam penſionem ſolum ad ratam penſionis non ſolutæ, amittit rem emphyteuticam. Molina *diſp.* 453. Rebellus *lib.* 13. *quæſt.* 8. *num.* 8. & alij.

An quando ſunt multi emphyteutæ vnius rei, & omnes præter vnum ſoluunt penſionem, omnes cadant in commiſſum, an ſolus ille, qui non ſoluit penſionem?

BRACTEA V.

R. Qvando ſunt plures emphyteutæ, & omnes ſoluunt præfixo tempore penſionem debitam præter vnum non omnes incidere in commiſſum, ſed ſolum, qui non ſoluit penſionem debitam. Ita Armilla *verbo emphyteuſis*, & alii. Ratio, quia malitia vnius non poteſt alteri nocere, quia vbi non eſt culpa, ibi non eſt pœna. Tum etiam, quia cum omnes illi emphyteutæ ſint obligati pro ſua parte ad ſoluendam penſionem, & vnus pro altero non ſit obligatus, non poteſt ratio aſſignari, cur vno non ſoluente cæteri cadant in commiſſum, ſi actio ſit diuiſa, & non indiuiſa.

Sciendum actionem ſoluendæ penſionis aliquando eſſe diuiſam, vt quando eiuſdem rei plures à domino directo ſunt inueſtiti pro rata rei emphyteuticæ, & ſimiliter pro rata penſionis obligati: aliquando actio ſoluendæ penſionis eſt indiuiſa, vt quando plures ſunt hæredes alicuius rei emphyteuticæ: priori modo ſolum, qui non ſoluit penſionem, cadit in commiſſum, cœteri non, cum non ſint obligati niſi pro ſua rata parte: Secundo modo omnes incidunt in commiſſum, cum omnes ſint immediatè in ſolidũ obligati. Ratio eſt, quia res traditur in emphyteuſim ab ipſo proprietario ſub conditione, ſi penſio ſoluatur; ergo vt pœnam euadant, debent ſinguli totam penſionem ſoluere, & deindè agere contrà non ſoluentem.

An emphyteuta, qui obtulit penſionem cadat à ſuo iure, ſi Dominus noluit eam acceptare?

BRACTEA VI.

R. EMPHYTEVTAM, qui opportuno tempore obtulit penſionem nullo modo cadere à iure ſuo, etiamſi dominus directus noluerit eam acceptare. Ita Molina *diſp.* 453. Rebel. *part.* 2. *lib.* 13. *quæſt.* 10 & alii. Ratio, quia cum emphyteuta non ſit in mora, nec in culpa par non eſt, vt pœnam caducitatis patiatur.

Sciendum emphyteutam domino directo offerre penſionem aliquando pro futuro tempore, aliquando pro tempore præſenti, quo debetur penſio, ſi pro tempore futuro offertur, dominum directum non obligari eam recipere, nec excuſari emphyteutam quin cadat à ſuo iure, cum non debeat in ipſius damno retorqueri, quod in fauorem alterius eſt introductum, quia ſi cogeretur recipere penſionem futuris annis reſpondentem pateretur damnum, quia ſingulis annis non recognoſceretur ab emphyteuta, penſionem verò oblatam temporis futuri, ſed opportuno tempore obligatur eam recipere, niſi velit eam remittere, & emphyteuta illam offerendo domino non cadit à iure ſuo, ſi dominus directus eam non recipiat, quia ſicut emphyteuta obligatur in recognitione dominij directi ſoluere penſionem, ita dominus directus obligatur quando opportuno tempore offertur eam acceptare. Rebellus *quæſt.* 10. *num.* 3. Silueſter *verb. emphyteuſis num.* 14. *quæſit.* 8. Iulius Clarus *quæſt.* 6.

Sciendum 2. Quod quando emphyteuta ob ſuperueniens impedimentum, v.g. belli, peſtis, &c. non ſoluit penſionem, non cadit à iure ſuo, cum legitimè impedito non currat tempus; ſi verò ob ignorantiam non ſoluit penſionem, eo quod neſciret rem eſſe emphyteuticam, reſtituendus eſt in integrum, etiamſi ſit maior, cum par non ſit, vt qui culpam non commiſit, incidat in commiſſum. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 9. *num.* 48. Iulius Clarus *quæſt.* 8. *num.* 9. Rodriquez *cap.* 13 *num.* 6. Rebellus *loco cit. quæſt.* 8. Silueſt. *verb. emphyt. num.* 1. *quæſit.* 4. & alii. An verò dominus directus ſibi præiudicet acceptando penſionẽ ab emphyteuta poſt in incurſam caducitatem? Reſpondeo ſi ipſam pro præteritis penſionibus recipiat ab emphyteuta, poſt quam fuit expulſus ab emphyteuſi, non ſibi præiudicat, cum iam ſit iuridicè expulſus; ſi verò pro præteritis recipiat poſtquam emphyteuta fuit admonitus de caducitate ante ipſius expulſionem, non cenſetur ſibi præiudicare, quia in dubio non præſumitur quis renunciare ſuo iuri, niſi aliter colligatur ex circunſtantijs. Si verò dominus directus recipiat penſionem reſpondentem tempor futuro ſubſequenti caducitatem, tunc præſumitur ſibi præiudicare, etiamſi proteſtetur ſe nolle remittere caducitatem. Rebellus *quæſt.* 11. Iulius Clar. *quæſt.* 19. Silueſt. *loco cit. quæſit.* 9. & alij.

An emphyteuta teneantur rem emphyteuticam à ſe abdicare antequam fuerit expulſus auctoritate Iudicis?

BRACTEA VII.

R. NON teneri. Ita Angelus *verb. emphyteuſis n.* 42. Panormitanus *in cap. fin. de iure emphyteotico* Iulius Clarus §. *emphyteuſis quæſt.* 11. Rebellus *lib.* 13. *quæſt.* 12. *& quæſt.* 17. *num.* 12. & alij. Ratio eſt, quia nemo tenetur ſubire pęnam ante Iudicis ſententiam, quando pęna non poteſt mandari executioni abſque actione. Tum, quia ſic videtur vſu receptum. Quod tamen intelligendum eſt modo emphyteuſis non ſit finita ex iuſtitia, quia ſi finita eſt ex iuſtitia, vt quia finitum fuit tempus, in quod fuerat conceſſa, tenetur emphyteuta cedere ante Iudicis ſententiam, quia tenetur ſtare contractui, niſi fortè retineat in compenſationem melioramentorum, vel ob aliam iuſtam cauſam, vt ait Rebellus *loco cit. quæſt.* 17. *num.* 12.

Sciendum non eſſe præfixa determinata tempora, quibus ſpecialiter ſoluenda ſit penſio, ſed ſtandum eſſe conuentioni contrahentium, vel conſuetudini locorum ſi aliter non fuit expreſſum. Rebellus *loco cit. quæſt.* 7. *num.* 8. Iulius Clarus *quæſt.* 12. Secundo emphyteutam non poſſe cedere emphyteuſim quoties voluerit, quia ius expellendi emphyteutam introductum eſt in fauorem proprietarij, illique competit actio perſonalis contra emphyteutam, ex quo fit, vt emphyteuta ſi res facta ſit deterior, illique cedere velit, poſſit cogi ad ſoluendam penſionem. Ratio eſt, quia quod fauore alicuius introductum eſt non debet in ipſius damnum retorqueri, fauore autem domini directi introductum eſt, vt poſſit expellere emphyteutam, ergo, &c. Tum quia emphyteuta tenetur actione perſonali, actiones autem perſonales affixæ ſunt oſſibus noſtris, *leg. quis ergo ff. de pecul.* Ita Silueſter *verbo emphyteuſis quæſt.* 6. *num.* 12.

An emphyteuta teneatur ſoluere penſionem ſi res pereat?

BRACTEA VIII.

R. SI res emphyteutica tota pereat ſine culpa emphyteutæ, vel in hoſtium poteſtate redigatur, emphyteuta non obligatur ſoluere penſionem iuxta illud.

Si pereat tota non debet emphyteuta.

Ita Silueſter *verbo emphyteuſis quæſt.* 7. Molina *diſp.* 454. & alij. Ratio, quia fundamentum ſoluendæ penſionis perit cum re ipſa ea ratione, qua pereunte ſubiecto, pereunt etiam eiuſdem accidentia. Secundò, ſi pars aliqua notabilis rei emphyteuticæ remaneat emphyteuta obligatur ſoluere penſionem, quæ ſimpliciter ob recognitionem dominij datur; ſi verò penſio ſolueretur ad ratam fructuum, vel ad ratam rei emphyteuticæ, vt v. g. pro quolibet iugere tantum, tunc non obligatur ſoluere totam penſionem, ſed ſolum ad ratam rei, quæ permanet, iuxta illud,

Sed ſi pro parte nulla ſe liberat arte.

Molina *loco cit.* Leſſius *lib.2.cap.24. dub.9. num.49.* Reginaldus *lib.25. num* 548. Iulius Clarus *quaſt* 8. Rebellus *lib.13.quaſt.9.* & alij communiter. Tertiò, ſi res emphyteutica taliter pereat, vt non remaneat, niſi fundus non obligatur emphyteuta ſoluere penſionem, nec ipſam rem emphyteutam reædificare. Ita Molina *diſp*,454 & alii. Ratio, quia res emphyteutica cenſetur domino directo perire, & cum ceſſet contractus emphyteuticus ob ruinam rei, ceſſat etiam penſio, quia pereunte re ceſſat omnis obligatio, etiam ſi res emphytentica, v. g. ex eiuſdem lapidibus reædificetur, non obligatur emphyteuta ſoluere penſionem, niſi denuò celebretur contractus emphyteuticus. Ratio; quia obligatio extincta non reuiuiſcit, & domus denuò ędificata non eſt eadem numero, cũ quæ in emphyteuſim fuerat tradita, licet ſuper eiſdem fundamentis fabricata. Verum ſi domus, v.g. ſuper quam fundatus eſt emphyteuſis ea non deſtruatur tota ſimul, & reparetur, ſed per partes, itaut vno anno reparetur vna pars, quæ corruit, vel fuit deſtructa, alio verò anno altera pars non liberatur emphytenta ab onere ſoluendæ penſionis, cum non ſit mutata forma antiqua domus, & eadem numero, quæ prior erat remaneat. D. Thomas 3. *part. queſt.* 82. *art.*3. Lopez *lib.2.de contractibus cap.*36. Rodriquez 1. *parte cap.*112. & alii. Quod ſi emphyteuſis conſtituta ſit non in domo, ſed in ſolo domus debetur adhuc penſio domo exauſta, vel diruta, cum remaneat fundamentum emphyteuſis. Secus autem ſi conſtituta ſit in domo, cum non remaneat amplius eius forma.

An dominus directus teneatur reſarcire expenſas, quas emphyteuta fecit?

BRACTEA IX.

R. Finita emphyteuſi dominum directum non obligari ſoluere expenſas modicas, quas emphyteuta fecit in conſeruanda re, & colligendis fructibus vel reparandis pontibus, aut in ſoluendis tributis. Ratio primæ partis eſt, quia illæ expenſę cedunt in vtilitatem emphyteutæ, non autem domini directi. Ratio, ſecundæ partis, quia non modo ad emphyteutam ſpectat ſoluere tributa perſonalia, ſed etiam realia, cum imponantur pro dominio vtili, non autem pro directo. Leſſius *lib.2. cap.24. dub.*8. *num* 44. Rebellus *lib.13 quaſt.*2. & alij. Secundò, dominum directum obligari ſoluere expenſas ingentes & neceſſarias, quas emphytenta fecit in re conſeruãda modo ab emphyteuſi non cadat ob ſuam culpam, vel aliter conuentum. Molina *diſp.*463. & alij. Ratio, quia cenſentur factæ in vtilitatem domini directi. Tum etiam, quia non eſt ratio, quod dominus directus fiat locupletior, quam dominus emphyteutæ.

Sciendum expenſas, quæ ab emphytenta poſſunt fieri quaſdam eſſe neceſſarias, quaſdam eſſe ſuperfluas & ſolum delectationis gratia, alias, etſi non neceſſarias tamen vtiles, dominum directum obligari reſarcire expenſas ingentes, & neceſſarias, quas emphyteuta fecit, ſuperfluas non obligatur: Vtiles verò, quæ redundant in vtilitatem ipſius domini directi obligatur, quę autem ſunt in vtilitatem ſolius emphyteutę non domini directi, non obligatur. Dixi modo ab emphyteuſi non cadat ob ſuam culpam, quia dominus directus non obligatur ſoluere expenſas, quas emphytenta fecit, quando ex ſua culpa cadit ab emphyteuſi, etiamſi ſint neceſſariæ, & in vtilitatem domini directi. Rebellus *lib.*10. *queſt.*2. *n.* 12. Leſſius *lib.2.cap.24.dub.7.num.46.* & alii. Secundò, dominum directum non obligari ſoluere melioramenta caſu facta abſque expenſis emphyteutę, vt v.g. ſi fundo aliquid creuerit per alluuionem fluminis, cum incrementum cedat domino. Molina, & Rebellus *locis citatis*. Tertiò, melioramenta ſoluenda eſſe iuxta valorem, quo tunc temporis valent quando res emphyteutica redit ad dominum directum, quoniam tunc cedunt in vtilitatem domini directi.

An emphyteuta obligetur ſoluere penſionem pro tempore peſtis, & belli?

BRACTEA X.

R. Pro his temporibus, in quibus emphyteuta nihil de re collegit, obligatur ſoluere penſionem, quæ ſimpliciter datur ob recognitionem dominij. Ratio, quia cum recognitio ſemper domino debeatur per conſequens ſemper etiam debetur penſio, quæ pro recognitione traditur. Secundò penſionem, quæ ab emphyteuta debetur ad ratam fructuum tempore belli, & peſtis, in quibus emphyteuta nihil collegit non deberi quando emphytenta per plures annos fructus non collegit; ſi verò per paucos annos tenetur ſoluere penſionem cum cenſeatur fieri compenſatio in alijs temporibus, in quibus vberiores fructus collegit, & exiguã penſionẽ ſoluit ad ratam fructuum quos collegit, vt v.g. ſi ſolũ collegit dimidiam partem fructuũ, dimidiã partem pẽſionis debet ſoluere. Quod ſi ex culpa emphyteutę, & nõ ſimpliciter ratione belli, aut peſtis nihil, aut parum collegerit, non excuſatur à ſolutione penſionis, cum damnum debeat ſibi adſcribere, non autem bello, & peſti.

An emphyteuta poſſit vendere melioramenta, quæ ſuo labore, & induſtria in re emphyteutica fecit?

BRACTEA XI.

R. Absqve domini conſenſu non poſſe emphyteutam vendere melioramenta, quæ in re emphyteutica fecit. Ratio, quia dominus directus eſt ſemper præferendus ſi ea velit emere; ergo debet admoneri de venditione, & per conſequens non poſſunt vendi, niſi ipſo admonito, & conſentiente. Secundò, cum conſenſu domini directi poſſe emphyteutam alteri vendere melioramenta neceſſaria, & vtilia. Ratio, quia ſicut poteſt ea vendere domino directo, & hic tenetur ea ſoluere, poteſt etiam de ipſius conſenſu alteri vendere, cum emphytenta ſit dominus melioramentorum, & conſentienti nulla ſit iniuria. Quod etiam dicendum eſt de emphyteuſi Eccleſiaſtica.

An emphyteuta poſſit ius, quod habet in re emphyteutica alteri tradere, aut vendere?

BRACTEA XII.

R. In emphyteuſi prophana ſi emphyteuta donet cauſa mortis, vel in legatum relinquat irrequiſito domino nõ incurrit pęnam commiſſi, ſed donatio cenſentur valida. Ita Clarus *q.*15. Sarment. 3. *interpretation. num.* 150. & alij. Ratio, quia non cenſetur propriè alienatio, cum emphyteuta ſe ſuperſtite non alienet, ſicut neque cenſentur alienata alia bona, quæ per teſtamentum, aut legatum hæredibus relinquit poſt mortem. Secundò, poſſe emphyteutam alteri donare donatione abſoluta, & inter viuos rem ſibi traditam in emphyteuſim, dum [illegible] donatarius ſit capax illius emphyteuſis. [illegible] *lib.2.cap.24.dub.9.num.*54. Silueſter *verbo emphyteuſ.num.*23. & alii.

Sciendum, quod licet emphyteuta poſſit irrequiſito domino rem emphyteuticam donare, tamen neceſſe eſt, vt donatio fiat ſaluo iure domini directi, & vt dictum eſt fiat ei, in quem tranſire poſſit res emphyteutica, & ne donatarius appræhendat poſſeſſionem rei, niſi de conſenſu domini, & proinde ante traditionem procurandum eſt, vt nouo emphyteutæ dominus directus concedat inueſtituram, & duobus menſibus tenetur reſponſum expectare, alioquin caderet à ſuo iure, & hoc requiritur, quia dominus habet ius exigendi à donatario fidem, & promiſſionem de penſione ſoluenda debito tempore, itaut dominus directus habeat actionem perſonalem in nouum emphyteutam ad ſolutionem penſionis, ſicut in aliũ habebat; quod intelligendum eſt non modo de donatione, verum de venditione, & permutatione. Secundò emphyteutam rei Eccleſiaſticæ non poſſe de re ipſa contrahere, niſi de conſenſu domini directi, & ſaluo iure Eccleſiaſtico; ſecus autem res caderet in commiſſum. Ita communiter omnes. Ratio, quia res Eccleſiaſticæ non poſſunt, niſi de licentia Summi Pontificis, & cum cauſa alienari, & ſolemnitate debita.

An liceat emphyteutæ rem emphyteutam locare irrequiſito proprietario?

BRACTEA XIII.

R. Si locatio ſit ad breue tempus licere emphyteutę rem emphyteuticam locare irrequiſito proprietario. Ratio, quia locatio ad breue tempus non cenſetur propria, & perfecta alienatio; ad longum verò tempus non licet. quia talis locatio cenſetur propriè alienatio. Tum etiam, quia locatio ad longum tempus non differt ab emphyteuſi, transfertque dominium vtile: emphyteuta autem inconſulto proprietario rem emphyteuticam alteri in emphyteuſi concedere non poteſt, alioquin incidit in commiſſum, vt cum communi tradit Iulius Clarus *quæſt.*22.*§.emphyteuſis*, & Valaſcus *de iure emphyteut. quæſt.* 13. *num.* 1. vbi affirmat ita ſeruari in praxi, ad longum verò tempus ſatis eſſe decennium omnes Doctores affirmant; item longum tempus cenſetur ſi locatio fiat ad vitam locatoris, vel conductoris.

An res emphyteutica poſſit aſſignari in dotem?

BRACTEA XIV.

R. Pater, qui habet aliud, quod aſſignare poſſit puellæ ob dotem non poteſt illi tradere rem emphyteuticam in dote. Ita Rebellus *part.2 lib.13.quæſt.*5. & ita plures etiam Canoniſtæ, & Legiſtæ, Ratio, quia aſſignatio rei emphyteuticę eſt alienatio libera, quæ prohibetur abſque conſenſu domini, & cęteris requiſitis. Secundò, ſi Pater non habet vnde filiæ aſſignet dotem, poteſt illi rem emphyteuticam tradere in dotem. Et ita Silueſter *verb. emphyteuſis quæſt.*17. Azorius 3.*part.lib.*10.*cap.*8. & Molina *diſp.* 461. & alij. Ratio, quia talis aſſignatio non eſt alienatio voluntaria, ſed neceſſaria, cum Pater non habeat aliud, vnde dotem aſſignet: vnde quando Pater aliud non habet, quod aſſignet filię pro dote, poteſt illi rem emphyteuticam tradere, ſecluſa tamen fraude, & vt filia remaneat obligata ſoluere penſionem, ac ſi eſſet verus emphyteuta, non tenetur ſoluere laudemium, cum hæc alienatio nõ ſit voluntaria, ſed neceſſaria, & laudemium non ſoluitur, niſi pro alienatione libera, & voluntaria.

An pacta appoſita in emphyteuſi contra, vel præter naturam contractus ſint licita?

BRACTEA XV.

R. Pactum de non ſoluenda penſione eſſe illicitũ. Ratio, quia ſicut de ſubſtantia contractus venditionis eſt, vt pretium ſoluatur, ita de ſubſtantia emphyteuſis eſt, vt ſoluatur aliqua penſio, ſaltem modica. Ita Abbas *conſ* 72.*num.*2.*colum* 1. ex Azorio *cap.*15. Vnde cum tale pactum ſit contra ſubſtantiam contractus nullius erit momenti. Secundò, pacta, quæ apponuntur præter naturam emphyteuſis ex mutuo conſenſu, & conuentione partium valida eſſe, vt eſt pactum de ſoluenda penſione in quocunque caſu, etiamſi res emphyteutica pereat ſuppoſita compenſatione, vt ſit iuſtum. Secundò pactum, vt teneatur emphyteuta de leuiſſima culpa, & de caſu fortuito, vel de periculo rei emphyteuticæ eſſe licitum. Verum quia eſt valdè oneroſum emphyteutæ debet compenſari ſaltem diminutione penſionis, vt ſit iuſtum. Tertiò, vt emphyteuta non poſſit expelli, etiamſi quinquennio penſionem non ſoluat, vt docet Gloſſ. *in leg.*2 *Cod de iure emphyteutico*, & alij ex Azorio *cap.*15. *quæſt.*3. quin etiam conſuetudo legitimè præſcripta, vt non expellatur emphyteuta, etiamſi triennio penſionem non ſoluat valere poteſt, eſt enim potentius, quam pactum priuatorum, vt colligi poteſt ex *cap.vlt.de conſuetud.*

An laudemium ſit domino directo ſoluendum dum res emphyteutica ad alium tranſit per venditionem?

BRACTEA XVI.

R. Debere ſolui laudemium à ſecundo emphyteuta domino directo ꝓpter inueſtiturã, ſeu laborem, quem dominus directus ſubit, inueſtiendo, ſeu mittendo nouum emphyteutam in poſſeſſione. *leg.*3.*Cod.de iure emphyteutico*, niſi aliter ferat conſuetudo. Soluitur etiam laudemium pro conſenſu præſtito à domino emphyteuſis, vt alteri

poſſit

poſſit alienare,& dicitur laudemium à verbo laudo, eo, quod dominus directus videatur laudare, & approbare venditionem, &c. & emphyteuſim renouat.

Sciendum iure Cæſareo laudemium eſſe quinquageſimam partem pretii rei emphyteuticæ, *leg.fin.Cod. de iure emphyt.* tamen conſuetudine introductum eſt, vt trigeſima pars in laudemium ſoluatur. Et a Silueſter *verbo emphyt. quæſit.* 21. *num.*28. imò ex conſuetudine, vel pacto poteſt eſſe maior, vt ait Rebellus *quæſt.6.num.*1.

Sciendum 2. Plures eſſe caſus, in quibus non debetur laudemium. Primus eſt quando hæres neceſſarius, qui ſuus in iure nuncupatur, ſuccedit in rem emphyteuticam, cum enim hęres ſuus propria auctoritate adeat hæreditatem, *autent. de heredib.* par non eſt, vt aliquid ſoluat pro miſſione in poſſeſſionem. Secundus caſus eſt, quando res emphyteutica redit ad priorem emphyteutam, diſſoluto contractu celebrato, cum pacto retrouendendi, tunc enim diſſolutio contractus non cenſetur noua venditio, ſed reciſio prioris contractus, & ideò non videtur neceſſarius conſenſus domini directi, nec ei debetur laudemium. Tertius caſus eſt, quando Pater tradit rem emphyteuticam filiæ in dotem, non habens aliud, quod ei tradat, nam laudemium ſoluendum eſt pro alienatione voluntaria, & in iſto caſu alienatio videtur neceſſaria. Quartus caſus eſt, quando plures habentes rem emphyteuticam communem eam inter ſe diuidunt. Ita Silueſter *verbo emphyt.quæſit.*21. Molina *diſp.*460. Lopez 2. *part.cap.*22. Iulius Clarus *quæſt.*14. & alij communiter.

Sciendum 3. Laudemium ſoluendum eſſe, etiamſi non petatur, quia ſicut reliqua debita ſoluenda ſunt, etiam ſi non petantur, ita, & laudemium, niſi aliter conſtet de voluntate domini directi. Ita communiter omnes. Secundò caducitatem non incurri per ſolam venditionem, niſi ſecuta ſit traditio, vt colligitur, *ex leg.fin.cod.de iure emphyteutico*, vbi habetur verbum *Transferre*, quod importat traditionem. Ita Clarus *quæſt.*12. Couar. 2 *var. cap.16. num.*7. & alij. Tertiò non incurri per venditionem factam ſub conditione, quia contractus non cenſetur perfectus ante conditionis euentum, vt ſi quis dicat vendo ſi dominus conſenſerit, vel ſi dominus directus emere voluerit, tunc enim venditio non eſt perfecta ante conſenſum domini: ſi quis verò vendat, & tradat dicendo vendo ſaluo iure domini incidit in caducitatem, quia re ipſa vendit irrequiſito domino, & proteſtatio eſt contraria facto. Ita Rebellus *quæſt.4.n.*10. Clarus *quæſt.*13. & alij communiter. Quartò, non incurrere caducitatem emphyteutam, qui in fundo emphyteutico vendit ſeruitutem pro ſua vita durante; nam huiuſmodi ſeruitutis impoſitio non nocet domino directo, cum ſeruitus cenſeatur ſolummodo conceſſa quandiù res permanet apud emphyteutam, nam reſoluto iure dantis, reſoluitur etiam, & tollitur ius accipientis. Rebellus *loco cit.num.*11.

An bona Eccleſiæ poſſint in emphyteuſim dari?

BRACTEA XVII.

R. Bona Eccleſiæ, quæ non conſueuerunt dari in emphyteuſim, non poſſunt in emphyteuſim dari, niſi de conſenſu Summi Pontificis, & ſeruata ſolemnitate præſcripta. Ita communiter omnes. Ratio, quia emphyteuſis eſt ſpecies alienationis: Prælatus autem prohibetur alienare, aut ad longum tempus locare bona Eccleſiæ, niſi de licentia Summi Pontificis, & ſeruata forma præſcripta in extrauagante Pauli ſecundi. Secundò, Prælatum poſſe in emphyteuſi concedere res ſolitas concedi in emphyteuſim concurrentibus conditionibus infrà dicendis. Ita Iulius Clarus *§. emphyteuſis*, Molina *diſp.* 380. & alii. Ratio, quia per talem contractum non cenſetur fieri alienatio, cum iam res ſit alienata, ſed ſolum continuatio prioris alienationis.

Sciendum conditiones, quæ neceſſariò requiruntur, vt res Eccleſiaſticæ ſolitæ tradi in emphyteuſim iterum tradantur eſſe ſubſequentes. Prima eſt vtilitas euidens Eccleſiæ: Secunda, vt concedatur eo pacto, quo antea erat conceſſa in emphyteuſim, & non alteretur inueſtitura, ita vt ſi prior erat pro deſcendentibus tantum; ſecunda fiat tantum pro deſcendentibus, & non pro extraneis: vel ſi conceſſa erat ad tres vitas, in ſecunda non concedatur in perpetuum; tertia, vt fiat antequam res ſit corporata Eccleſiæ, vel Monaſterio, ideſt antequam dominium vtile ſit incorporatum cum directo, quod ſi dominium vtile corporatũ erit cũ dominio directo, non poterit amplius in emphyteuſim dari abſque licentia Papæ, & cæteris requiſitis infrà dicendis.

Sciendum 2. Res Eccleſiæ pertinentes ad menſam Epiſcopi, Abbatis, vel Monachorum non poſſe dari in emphyteuſim abſque conſenſu Papę, ſic enim Epiſcopus quilibet ſe facturum iurat: dicuntur autem ea bona pertinere ad menſam Epiſcopi, vel Abbatis, vel Monachorum, quæ ſunt deſtinata ad ſuſtentandũ Epiſcopum, Abbatem, vel Monachos eius Monaſterij: Ea verò bona, quæ ſunt ſolita in emphyteuſim concedi, regulariter non pertinent ad menſam, quia vtilitas ad alium pertinet; dicuntur autem pleno iure redire, quando denuò deputantur ad menſam, & Epiſcopus, &c. ſi apud ſe retineat vno anno; tunc enim non poteſt amplius dare in emphyteuſim, niſi in caſibus iure expreſſis Abbas ex Archidiacono *cap.*1.§32. *quæſt.* 8. Azorius *cap.* 3. *quæſt.* 2.

Quæ ſunt iuſtæ cauſæ concedendi rem Eccleſiaſticam in emphyteuſim, & quæ ſolemnitas ſeruanda?

BRACTEA XVIII.

Sciendum bona Eccleſiæ alia eſſe mobilia, & alia immobilia, mobilia dicuntur, quæ loco moueri poſſunt, immobilia, quæ loco moueri non poſſunt, vt domus, ager, &c. alia eſſe bona corporalia, vt ſunt bona mobilia, & immobilia, alia incorporalia, vt ſunt iura, actiones, & ſeruitutes; denique alia eſſe bona prætioſa, alia non prætioſa: bona prætioſa alia eſſe, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vt ſunt vaſa aurea, argentea, &c. quæ per triennium non corrumpuntur; alia eſſe prætioſa, quę ſeruando ſeruari non poſſunt, vt ſunt fructus, oleum, vinum, &c. Quibus poſitis.

R. Bona Eccleſiæ mobilia, & prætioſa, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, abſque alia ſolemnitate alienari poſſunt. Ita Molina *diſp.*468. & alii. Ratio eſt, quia in iure ſit mentio tantummodo bonorũ immobilium, & mobilium prætioſorum, quæ ſeruando ſeruari poſſunt. Secundò, bona Eccleſiæ immobilia, vel etiam mobilia prætioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, non poſſunt alienari, ſeu in emphyteuſim dari, niſi adſit iuſta cauſa, & ſolemnitas à iure præſcripta. Ita Couar. 2. *var. cap.* 17. *num.*2. Molin. *diſp.* 468. Silueſter *verb. alienatio quæſit.* 2. Angelus *eodem verb. num.*4. & alii.

Sciendum

Sciendum 2. Quod prima iuſta cauſa, & ſufficiens ad alienandum eſt neceſſitas vrgens, vt quando Eccleſia, vel Monaſterium grauarur debitis, ita vt non poſſit illis ſatisfacere, niſi alienando, immò vt teſtatur Quaranta *verb. alienatio num.* 42. poteſt dari talis neceſſitas, vt licita ſit alienatio etiam ſine ſolemnitate à iure præſcripta. Secunda eſt pietas, vt quando opus eſt alienatione ad ſuſtentandos pauperes, preſſos valdè graui neceſſitate, vel ad redimendos captiuos, &c. Tertia eſt vtilitas euidens, quæ conſideranda eſt tempore alienationis, ob id poteſt vendi ager ſterilis, vt alter fertilis ematur vtilior, &c. Quarta cauſa eſt incommoditas, vt quando res eſt maioris ſumptus, vel incommodi, quam fructus, & redditus.

Sciendum 3. Quod in alienatione, ſeu in conceſſione in emphyteuſim non ſolum requiritur vna ex cauſis ſupra narratis, ſed etiam copulatiuè requiritur ſolemnitas à iure præſcripta, id eſt quod poſt propoſitionem factam in Capitulo, vel, &c. fiat tractatus, & diſcuſſio an expediat huiuſmodi bona alienare, & in emphyteuſim concedere, & in diſcuſſione facienda ſeruanda eſt ſolemnitas præſcripta à ſtatutis, ſeu conſtitutionibus particularibus cuiuſcunq; Religionis. Secundò, requiritur conſenſus expreſſus maioris partis Capituli, eorum ſcilicet, qui ſunt præſentes in illo tractatu Capituli, nam conſenſus abſentium non requiritur, vota autem ſunt danda iuxtà ſtatuta propria cuiuſcumque Religionis, vel Eccleſiæ. Tertio, requiritur reſpectu regularium præter conſenſum maioris partis Capituli conſenſus illius Superioris, qui pleno iure fungitur officio Superioris, qui eſt generalis, reſpectu verò Clericorum, & Monaſteriorum exemptorum ſatis eſt conſenſus Epiſcopi, cum ſit illorum proprius Superior. Quartò, requiritur etiam beneplacitum, & licentia Papæ, an ſemper requiratur ante factum contractum, aut ſufficiat proteſtationem celebrari cõtractus ſub hac forma, ſaluo beneplacito Apoſtolico? Reſpondeo requiri ante contractum, cum ſit de illius eſſentia, & pertineat ad formam actus iuxtà communiorem ſententiam Doctorum in *cap. nulli de rebus Eccleſiæ non alienandis.* An verò Prælatus, ſiue Monaſterium poſſit res paruas alienare abſque prædicta ſolemnitate; Reſpondeo affirmatiuè; & ita colligitur ex *cap. Terrulas* 12. *queſt.* 2. Ad cognoſcendum quænam res ſit modica ſtandum eſt iudicio Prudentis, attenta qualitate loci, temporum, &c. vt docet Quaranta *verbo alienatio num.* 41. Praxis Neapolit. *cap.* 6. *num.* 3. Quod non fuiſſe derogatum à Paulo Secundo, neq; à Tridentino deciſum refert à Sacra Congregatione, Quaranta *loco citato num* 41. ſi tris concurrant, tei exiguitas, vtilitas Eccleſiæ, & neceſſitas alienationis explicatur *cap. Terrulas de valore ſcutorum* 25. *aureorum* à Sacra Congregatione Epiſcoporum 22. *May* 1621. Gauant. *manuali Epiſcoporum verb. alienatio* 24.

An Prælatus, ſiue beneficiatus poſſit remittere caducitatem abſque prædicta ſolemnitate?

BRACTEA XIX.

Cum Quaranta *loco citato num.* 44. Iulio Claro *verbo emphyteuſis. queſt.* 10. Sanchez *lib.* 6. *diſp.* 6. *num.* 17. Rebello *lib.* 13. *queſt.* 11. *num.* 7. Riccio *deciſ.* 135. & alijs poſſe remittere caducitatem abſque prædicta ſolemnitate. Ratio eſt, quia caducitas non habet locum, niſi volente domino; ergo liberum eſt beneficiato remittere caducitatem; Tum quia ius caducitatis inducit potius rationem iuris acquirendi, quam acquiſiti: Prælatus autem validè poteſt Eccleſiæ præiudicare, quoad iura acquirendum. Quod tamen intelligendum eſt modo beneficiatus non declarauerit velle incurſam eſſe caducitatem, quia tunc beneficiatus non videtur poſſe ipſam remittere, quia cenſetur acquiſitum ius Eccleſiæ, vel Monaſterio, eum emphyteuta incidat in caducitatem ab eo die, quo Proprietarius declarat velle caducitatem incurſam eſſe. An verò præſumatur caducitas remiſſa quando beneficiatus recipit penſionem pro tempore elapſo dictum fuit ſupra.

An res immobilis, &c. relicta loco pio ſub conditione, vt poſſit alienari abſque prædicta ſolemnitate, poſſit in emphyteuſim concedi abſque prædicta ſolemnitate.

BRACTEA XX.

Non poſſe in emphyteuſim concedi abſque prædicta ſolemnitate. Ratio, quia huiuſmodi conditio cenſetur pro non appoſita cum ſint contra iura, quæ præſcribunt res loci pij ſine ſolemnitate non alienari.

Sciendum, quod quando in emphyteuſim aliquod conceditur, quod relictum fuerat alicui Eccleſiæ, ſeu pio loco cum pacto, vt non alienaretur in obtinendo aſſenſu Summi Pontificis facienda eſt mentio huius pacti, alioquin aſſenſus cenſetur ſubreptitius, nam omiſſio eius, quod ſi fuiſſet expreſſum, non fuiſſet conceſſum vitiat reſcriptum. Ita Riccius *deciſ.* 45. Secundò, contractum alienationis bonorum Eccleſiæ celebratum ſine prædicta ſolemnitate inualidum eſſe in vtroque foro, etiamſi celebratus ſit in fauorem, & in vtilitatem Eccleſiæ alienantis. Ratio, quia ſine forma ſubſtantiali nihil ſubſiſtit in rerum natura, prædicta autem ſolemnitas iure præſcripta eſt tanquam forma ſubſtantialis contractus. Ita plures apud Vaſquez de *redditib. cap.* 2. §. 2. *dub.* 14. *num.* 49. apud Riccium *deciſ.* 7. & apud Molinam *diſput.* 468 licet plures exiſtiment validum eſſe in toto conſcientiæ, quando contractus celebratus fuit in fauorem Eccleſiæ, ſed noſtra ſententia videtur probabilior, quam etiam defendit. Fatinacius in *deciſ. Rotæ* in *deciſ.* 205 & 206. Verum tamen eſt nullitatem contractus in foro externo allegari non poſſe ab ipſa Eccleſia, & hoc pacto dici poteſt contractus eſſe laudicare in fauorem Eccleſiæ. Hinc ſequitur, beneficiatum, qui rem Eccleſiæ vendit inconſulto Papa etiam in vtilitatem Eccleſiæ, peccare mortaliter, & affici pœnis Eccleſiaſticis, cum faciat contrà prohibitionem Eccleſiæ in re graui, cum ad alienationem non modo requiratur cauſa, ſed etiam ſolemnitas in iure præſcripta copulatiuè.

Quibus pœnis afficiatur alienantes bona Eccleſiaſtica contrà prædictam ſolemnitatem?

BRACTEA XXI.

Alienantes bona Eccleſiæ, vel locorum piorum ſine prædicta ſolemnitate ſi fuerint Epiſcopi, vel Abbates incurrunt interdictũ ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi per ſex menſes permanſerint in interdicto his elapſis remanent ſuſpenſi à regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ, vel Monaſterii,

qui

qui præſunt in temporalibus,& ſpiritualibus. Si verò fuerint inferiores Epiſcopis, vel Abbatibus priuantur ipſo facto abſque alia declaratione beneficio vel officio, cuius bona præſumpſerint alienare, & ita colligitur ex extrauaganti *Ambitioſa* Pauli Secundi *de rebus Eccleſiæ non alienand.* & notat Sayrus *lib.4. de cenſuris cap.15.num.54.* & *lib.3.cap.33 num.25.*Suarez *de cenſuris tom.5. diſp.82. ſect.6.* & *diſp.23. ſect.6. num.3.* Nauarrus *cap.27.num.149.* & alii. Et ita colligitur etiam ex decreto Sacræ Congregationis Concilii Sanctiſſimi D. N. Vrbani Papæ Octaui *de rebus non alienandis ſub die 7. Septembris* 1624. extenſiuè etiam ad Generales, Prouinciales, &c. his verbis *ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocis actiuæ, & paſſiuæ, &c.*

MALLEATIO LXX.

De teſtamentis alijſque vltimis voluntatibus.

Quid ſit teſtamentum, & quotuplex?

BRACTEA I.

R. TESTAMENTVM eſt noſtræ voluntatis iuſta ſententia de eo, quod quis vult fieri poſt mortem cum directa inſtitutione hæredis. Ita communiter Doctores Theologi, & Iuriſperiti in *leg. 1. ff. de teſtamentis*: noſtræ voluntatis iuſta ſententia loco Generis ponitur, ideſt diſpoſitio legitima, ſiue iuri congrua voluntatis noſtræ interpres: quare additur loco differentiæ de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit, nam teſtamentum, & quæuis vltima voluntas refertur in tempus mortis, in quo vim, & robur ſuum accipit teſtante Apoſtolo ad Hæbreos 2. vbi teſtamentum eſt, mors intercedat Teſtatoris neceſſe eſt; teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt. Secundò, teſtamentum duplex eſt, vnum dicitur in ſcriptis, ſeu clauſum eo, quod Teſtator latere velit, quod in eo continetur, alterum dicitur nuncupatiuum eo, quod Teſtator ſine ſcriptura coram Teſtibus declaret, & ob id appellari ſolet teſtamentum apertum, vt notat Molina *diſp.126.* Em. Sà *verb. teſtamentum num. 6.* Ad teſtamentum in ſcriptis requiritur, quod Teſtator ſua ipſius, vel alterius cuiuſcunque manu conſcriptum ſeptem teſtibus maſculis puberibus liberis ad id rogatis, ſeu vocatis omnibus ſimul præſentibus ipſumque Teſtatorem videntibus offert, profitendo ſuum eſſe teſtamentum inſuper ipſemet ſi ſciat, ac poſſit ſua manu corã teſtibus teſtamenti ſubſcribi, vel alius pro eo octauus teſtis, ſiue ſubſcriptor adhibitus, cumpoſteà teſtes omnes ſeptem teſtamentum eodemque continuato tempore ſubſcribere, & proprio, vel alieno ſigillo conſignare debent, immò omnes vno ſigillo vti non prohibentur. Ita habetur in *leg. hac conſultis, cod. de teſtam. iuncto §. ſed cum paulatim.* Ad teſtamentum nuncupatiuum requiri ſeptem teſtes maſculos liberos, vel qui liberi reputentur, puberes, qui videlicet compleuerint decimumquartum annum rogatos, ſeu inuitatos, ideſt vocatos: præterea teſtes debent ſimul audire, & intelligere vocem, & voluntatem Teſtatoris ſcriptam, ſi teſtamentum condatur ſcriptura, vel viua voce expreſſam in teſtamentum ſine ſcriptura conficiatur, non tamen neceſſaria eſt ſubſcriptio, aut ſigillum *leg. hac conſultis §. per nuncupat. cod. de teſtam.* Ita Molina *diſp.126.* Vaſquez *cap. 1. de teſtam. §. 4. num. 22.* & alij. Tertiò, hanc eſſe differentiam inter codicillum, & teſtamentum, quod in teſtamento inſtituitur hæres, in codicillo verò neque inſtituitur, neque adimitur, niſi alicui conceſſum ſit priuilegium inſtituendi hæredem per codicillum, quale conceſſum eſt militi. *leg. milites ff. de militum teſtamentis.* Secundò, in teſtamento requiruntur ſeptem teſtes rogati maſculi, & puberes, in codicillo verò ſufficiunt quinque, ſiue rogati, ſiue non, ſiue ſint maſculi, ſiue fœminæ. Ita Silueſter *verb. teſtam. 1. num. 2.* Mantica *de coniecturis vltimarum voluntatum lib. 1. tit. 8.* & alij. Ex quo fit, vt ille, qui teſtamentum condidit non concurrentibus conditionibus requiſitis ad teſtamentum, ſed tantummodo requiſitis ad codicillum validè conficiat codicillum, & conſequenter valida ſint legata in eo contenta, ſi Teſtator expreſſerit ſe velle diſponere per viam teſtamenti, vel codicilli, vel omni meliori modo, quo poteſt. Ita Vaſquez *cap. 1. de teſtam. §. 8. dub. 2.* Silueſter *verb. teſtam. 1. dub. 11.* Mantica *lib. 3. tit. 14. num. 11.* & alii.

Quinam non poſſint teſtari?

BRACTEA II.

R. Eos non poſſe teſtari, qui vel ſufficienti rationis vſu carent, vel iuris diſpoſitione prohibentur. Primò eſt impubes, ideſt maſculus ante decimum quartum annum expletum, & fœmina ante duodecimum expletum. Secundò, filiusfamilias, qui ſi pubes ſit, poteſt teſtari de bonis Caſtrenſibus, & quaſi Caſtrenſibus, *leg. nemo 11. cod. qui teſtamenta*: de bonis aduentitijs, quæ ei ante Clericatum obuenerint, non poteſt teſtari ad cauſas prophanas, etiamſi Pater conſentiat, vt docet Clarus *quæſt. 18.* ex communi Doctorum ſententia; de bonis verò aduentitijs, quæ poſt Clericatum conſecutus eſt teſtari poſſunt abſolutè abſque Patris conſenſu, quia illa ſunt quaſi Caſtrenſia. Tertiò teſtari non poſſunt qui commiſerunt aliquod crimen, cui iure annexa eſt pœna, qua ipſo facto ſunt inteſtabiles *leg. ei cui 18.* & *leg. cum leg. 26.* vt ſunt illi, qui inſecuti ſunt hoſtiliter Cardinalem, vel eum ceperunt, aut percuſſerunt & qui ad hoc fuerunt cooperati, vt habetur *cap. fœlicis de pænit.* Item hæretici, & receptatores, defenſores, & fautores eorum ſi intra annum non ſatisfecerint, vt patet *autentica credentes.* Quartò. Religioſi teſtari non poſſunt, niſi ex conceſſione Summi Pontificis, qui ſicuti poteſt dare poteſtatem donandi ad pias cauſas inter viuos, ita etiam condendi teſtamẽti, ſed tantum ad pias cauſas, Clerici, qui non ſunt Religioſi poſſunt teſtari ad cauſas prophanas de Patrimonio, & de alijs, quæ ſuo labore, & induſtria congregarunt: de his verò, quę ex beneficiorum prouentibus congruenti ſuſtentationi ſuperſunt ſi ius ſcriptum ſpectemus teſtari nequeunt ne ad pias quidem cauſas, ex conſuetudine tamen multis locis recepta, poſſunt de his ad opera pia teſtari. Quintò, prodigus cui bonorum adminiſtratio interdicta eſt, teſtari non poteſt, quamuis teſtamentum ipſius conditum, antequam prodigus fieret validum ſit. Inſtituta *quibus hoc eſt permiſſum facere teſtamentum §. prodigus*; ita Molina *diſp. 137.* Angelus *verbo teſtam. num. 1.* & alii communiter. Sextò, ſurdus ſimul, & mutus à natura non poteſt teſtari ad cauſas prophanas; ſecus ſi ſit ſurdus, & mutus à caſu. *leg. diſcretus cod. eod. titulo* Molina *diſp. 136.* Leſſius *lib. 2. cap. 19. dub. 17. n. 83.* Reginaldus *lib. 25. num. 634.* & alij communiter. Vltimò prohibetur qui non poteſt articulatè loqui, ita

vt

vt nequeat hæredem exprimere; *l. iubemus cod. eod. tit.*

Quinam poſſint teſtamento inſtitui hæredes, vel legatarij?

BRACTEA III.

R. Omnes homines non tantum ſinguli, atque priuati, etiamſi amentes ſint, ſurdi, muti, prodigi, ſerui, ſed etiam Communitates, & Collegia in hæredes inſtitui poſſunt, niſi ſpecialiter prohibeantur, ſumitur ex *leg. 1. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Prohibentur autem inſtitui hæredes: Primò Ciuitates hoſtium. *leg. omnium ff. ad Senatuſconſult. Trebellianum*. Secundò Iudæorum Communitas: Tertiò, Collegium, quod publica auctoritate erectũ non eſt, *leg. Collegia §. in ſumma ff. de illicitis collegijs*. Quartò, hæres inſtitui non poteſt deportatus, vel ad metalla damnatus, *leg. 3. ff. de his, qui pro non ſcriptis habentur*. Quintò, hæreticus, & Apoſtata iure hæredes fieri nequeunt. Sextò, ſpurius, ſiue natus ex coitu damnato, & punibili, quia omnis ſucceſſionis in bonis, tam maternis, quam paternis incapax eſt; ſicuti conſtat ex autent. *licet in fine C. de naturalibus liberis* Septimò, occiſor Teſtatoris, ſaltem per Iudicis ſententiam hæreditate priuari debet, vt fiſco deferatur, ſicuti docet Clarus §. *homicidium num. 2l.* Octauò, qui perſequuntur Cardinales, eoſque percutiunt, vel capiunt. *Cap. felicis 5. de pœnis in 6.* Vltimò, fratres ſtrictioris obſeruantiæ S. Franciſci non poſſunt hæredes inſtitui, ita vt ipſi acquirant ius ad bona immobilia, & teneantur ad onera defuncti, vt hæredes, poteſt tamen in eorum fauore hæreditas relinqui, vt per executores vendantur, & detur eis pretium. Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 5. num* 54. & alii.

An filius naturalis hæres poſſit inſtitui?

BRACTEA IV.

R. Spurium, vt ſupra dictum eſt, non poſſe inſtitui hæredem. Ita Couar. *de matrim. part. 2. cap. 8. §. 2. num* 5. Clarus *queſt. 31. de teſtam.* & ideò à Patre non poſſe inſtitui, nec vulgari, nec fideicommiſſaria inſtitutione, poſſe tamen ſubſtitui ſubſtitutione pupillari, non quidem ita, vt bona paterna per pupillum ad ipſum perueniant, ſed vt in alia bona pupilli ſuccedat; hæc enim non habebit à Patre, ſed a fratre, cui ſuccedere poteſt. Ita Con. *loco cit. num. 6.* Secundò, ſpurium non poſſe ſuccedere matri, etiamſi nulla proles alia ſuperſit. Couar. §. 5. *num.* 20. Molina *diſp.* 167. Ratio, quia qui non poteſt ſuccedere Patri, nec poteſt ſuccedere matri, niſi aliquo iure ſit de hoc exceptio, vt colligitur ex autent. *licet*: atqui nulla de ſucceſſione ſpurii in bonis maternis exceptio ſicut de aliis illegitimis, ergo, &c. Tertiò, filium naturalem poſſe à Parentibus non habentibus prolem legitimam inſtitui hæredem, relicta tamen aſcendentibus legitima, *leg. licet C. de filijs naturalib.* Si verò filius non fuit inſtitutus hæres à Patre non habente filios legitimos non ſuccedit Patri ab inteſtato, præterquam in ſexta parte. Autentic. *de hæredibus ab inteſtato.* Molina *diſp.* 166. Silueſter *verbo hæreditas* 1. *num.* 2. Reginaldus *lib. 25. num.* 626. Em. Sà *verbo hæreditas num. 1. & 7.* & alij. Si verò Pater inteſtatus moriatur relictis filiis legitimis, filius naturalis non ſuccedit in ſexta parte, quamquam Pater habens filios legitimos, vel legitimatos potuiſſet filio naturali relinquere duodecimam partem. Couar. *2. part. de matrim. cap. 8. §. 4. num.* 9. Em. Sà *verbo hæreditas num. 6.* & *verb. teſtament. num* 29. & alij. Quartò, matri non habenti filios legitimos filium naturalem ſuccedere, quamuis non confecerit teſtamentum: matri verò habenti filios legitimos filius naturalis ſuccedit ex æquo cum legitimis; vt ex *leg. ſi qua illuſtris Cod. ad Senatuſconſult. Orficianum*, oſtendit Molina *diſp.* 166.

Sciendum, quod licet ſpurius non poſſit ſubſtitui, nec vulgari, nec fideicommiſſaria ſubſtitutione, tamen ei debentur alimenta, ſi non poſſit aliunde ſe ſuſtentare, ex *cap. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.* nec ius ciuile contrarium ſeruandum eſt, vtpotè minus conſentaneum pietati naturali: quare filiæ ſpuriæ debebitur dos, quæ eſt loco alimentorum, etiãſi Parens eſſet Sacerdos. ex Nauar. *cap. non liceat* §. 19. *num.* 11. & alij nec ſatiſfacit Pater ponendo filium in aliquo hoſpitali, niſi ſit ipſe pauper, quod ſi poneret teneretur ipſe compenſare ſumptus, ſi hoſpitale pro ſolis pauperibus inſtitutum eſt, ſi pro quibuſcunque non tenetur ex iuſtitia ſed ex æquitate.

An filius, vel filia poſſint à Patre priuari hæreditate?

BRACTEA V.

R. Filium abſque iuſta cauſa non poſſe à Patre priuari hæreditate, poſita iuſta cauſã poteſt priuari. Cauſæ autem ob quas filius poteſt priuari hæreditate ſunt. Prima ingratitudo, niſi filius in Patris gratiam redierit, ipſumque pœnituerit ante conditum teſtamentum. Vnde ſi filius Patrem affecit graui iniuria, aut ipſius vitæ inſidiatus eſt, aut manus in ipſum iniecit, &c. poteſt priuari hæreditate. Secunda, ſi delator contra Parentes extiterit, & ob ſuam delationem in cauſa fuerit, vt Parentes grauia damna ſuſtinuerint. Vnde filius, qui Patrem in iudicio accuſat excepto crimine hæreſis, & læſæ maieſtatis poteſt priuari hæreditate. Tertia eſt procuratio, ſeu attentatio mortis Patris, quamobrem filius qui parat, & emit venenum ad necandum Patrem poteſt priuari hæreditate, quamuis nullus alius ſequatur effectus, nam ipſamet attentatio mortis principaliter prohibetur. Quarta, ſi cum incantatoribus, ſeu cum maleficis hominibus, vt maleficus verſetur. Quinta, ſi copulã habet cum nouerca ſui Patris vxore, modo non ignoretur ignorantia facti neſciens illam quam cognoſcit eſſe nouercam, ſeu Patris ſui vxorem; ignorantia enim ſicut excuſat à culpa, ita etiam à pœna. Sexta, ſi filius non ſuccurrit Patri furioſo; aut ſi requiſitus noluit pro aliquo Parente in carcere detento fideiubere, cum alioquin eſſet idoneus. Septima, ſi filius ſit hæreticus exiſtente Patre Catholico. Octaua, ſi filius impedierit ne Pater conficiat teſtamentum. Nona, ſi filius dilapidauerit bona parentum cum graui diſpendio. Sunt etiam aliæ, de quibus videre eſt apud auctores. Secundò, filiam inuitis parentibus nubentem iuxta formam Concilii Tridentini iure Canonico non poſſe exhæredari, etiamſi nupſerit indigno. Ratio eſt, quia ius Canonicum requirit plenam libertatem ad contrahendum matrimonium; cum autem metus exhæredationis libertatem matrimonij minuat, per conſequens videtur iure Canonico non poſſe filiam inuitis parentibus nubentem exhæredari: attento etiam iure Cæſareo non poteſt etiam exhæredari, ſi nubat indigno, niſi filia ſit minor viginti quinque annis, vt colligitur, ex Authentica *vt cum de appellationib. cognoſcendis*.

ſcendis. Tertiò, poſſe filiam minorem viginti quinque annis completis luxurioſè viuentem exhæredari etiamſi Pater luxurioſè viuat. Ratio eſt, quia vita luxurioſa quoad honorem, & damnum, quæ inde ſequuntur non adeò vituperatur in viris, ſicut in fœminis: mater verò luxurioſè viuens non poteſt filiam exhæredare, quia pari turpitudinis nota afficitur, niſi mater correcta ſit tunc temporis, quo filiam exhæredat, quia tunc non dicitur laborare pari turpitudinis vitio.

Quibus modis poſſit aliquis hæres ſubſtitui?

BRACTEA VI.

R. Sex modis: Primò ſubſtitutione vulgari: Secundò pupillari: Tertiò, exemplari: Quartò fideicommiſſaria: Quintò, reciproca: Sextò compendioſa. Vulgaris eſt qua quilibet iure non prohibitus ſubſtitui poteſt à quouis, & ſemper ſubintelligitur conditio ſi hæres ex teſtamento, vel ab inteſtato noluit, aut non potuit eſſe hæres, vt quia moriatur ante teſtatorem, vel ob crimen fiat incapax. Vnde ſi teſtator dicat Titium inſtituo hæredem, & Caium ei ſubſtituo, ſubintelligitur hæc conditio ſi Titius non poſſit, aut nolit eſſe hæres, ſit Caius. Subſtitutio pupillaris eſt, quia quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit, cum enim nemo ante pubertatem poſſit condere teſtamentum iura conceſſerunt, vt Pater impuberis poſſit loco illius, quodammodo teſtari in ſuo teſtamento, directè ſubſtituendo ei hæredem, ſi ante pubertatem deceſſerit, vt hæc ſubſtitutio ſit valida, duo requiruntur. Primò, vt teſtator eum cui ſubſtituit habeat in ſua poteſtate, vnde mater non poteſt pupillariter ſubſtituere, quia filij non ſunt in poteſtate matris, nec Pater filio illegitimo ob eandem cauſam. Secondò, vt pupillus cui ſubſtitutio fit non recidat per mortem teſtatoris in alterius poteſtatem, vnde auus non poteſt nepotem pupillariter ſubſtituere ſi Pater viuit, quia nepos poſt mortem aui recidit in poteſtatem Patris: Ætas pupillaris in maſculo intelligitur vſque ad decimum quartum annum, in fœmina vſque ad duodecimum, vnde ſi filius ante pubertatem decedat ſubſtitutus ei ſuccedit non ſolum quoad relicta à Patre, verum etiam quoad omnia bona pupilli, ac ſi fuiſſet inſtitutus hæres ab ipſo met pupillo, *leg. cohæredi* § *fin.* Exemplaris eſt, qua filio amenti, vel ſurdo, muto, vel prodigo, cui interdicta eſt adminiſtratio fit ſubſtitutio, vt ſi teſtator habens talem filium, dicat inſtituo filium meum, & ei ſubſtituo Titium, & hæc ſubſtitutio non ſolum fieri poteſt à Patre, verum etiam à matre, ab auo, vel auia, &c. ſubſtitutio fideicommiſſaria eſt, qua hæres grauatur, vt totam hæreditatem, vel partem eius, vt dimidiam, tertiam, &c. alteri reſtituat, qui dicitur fideicommiſſarius. Ita Gom. *cap* 5. *num.* 1. Regionaldus *lib.* 25. *nu.* 629. Molina *diſp.* 182. & alij.

Sciendum hanc ſubſtitutionem non eſſe directam, ſed indirectam, ſeu obliquam, quia per eam defertur hæreditas miniſterio alterius; & proinde dicitur mediata; aliæ ſunt directæ, quia ijs à teſtatore defertur, & proinde dicitur immediata. Secundò, ſubſtitutionem fideicommiſſariam fieri poſſe per codicillum, quamuis per codicillum non poſſit aliquis directè inſtitui hæres, nihilominus poteſt hæredi directo iam inſtituto imponi onus reſtituendi alteri hæreditatem, vel eius partem. Tertiò, hæredem ſic inſtitutum, & grauatum reſtituere, poſſe detrahere quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt, ne vana ſit hæredis inſtitutio, tum vt alliciatur ad acceptandum, & præſtandum, quod teſtator cupit. Vnde ſi fuit inſtitutus hæres in tota hæreditate, cum onere, vt eam reſtituat alteri, poteſt ſibi retinere quartam partem hæreditatis, ſi fuit inſtitutus hæres in dimidiam cum ſimili onere detrahet quartam dimidiæ, & hæc quarta vocatur Trebellianica à Senatuſconſulto Trebellianico, per quod eſt conſtituta: hæc autem non detrahitur, cum ſubſtituta eſt cauſa pia, vel cui ſunt legata, quia ſicut in legatis pijs ceſſat falſidia, id eſt quarta pars, ita & etiam Trebellianica in fideicommiſſis ad cauſam piam, ſi ſi hæres grauatus ſit, etiam ipſe cauſa pia, quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium, ſicut etiam non poteſt detrahi quarta Trebellianica ſi teſtator id prohibeat, quia ſicut teſtator poteſt prohibere, ne hæres detrahat falſidiam à legatis, ita etiam poteſt prohibere, ne hæres detrahat quartam Trebellianicam ab hæreditate. Subſtitutio reciproca, quæ etiam breuiloqua dici ſolet, eſt qua inſtituti ſibi inuicem ſubſtituuntur, vt ſi teſtator dicat inſtituo tales hæredes, quos inuicem ſubſtituo.

Sciendum 2. hanc ſubſtitutionem poſſe comprehendere plures ſubſtitutiones, aliquando poteſt comprehendere pupillarem habita ratione perſonarum, quæ ſubſtituuntur, aliquando poteſt comprehendere duos fideicommiſſarios, vt ſi fiat in codicillo, vel ſi in teſtamento rogentur hæredes, vt qui prior moriatur reſtituat hæreditatem alteri. Gomez 1. *var. cap* 8. *num.* 2. Molina *diſp.* 191. & alij. Compendioſa ſubſtitutio eſt, quæ plures continet ſubſtitutiones, quoad diuerſa tempora, quia ſcilicet poteſt comprehendere omnes hæredes, & omnes ætates eorum, vt ſi dicat inſtituo filium meum hæredem, & quandocunque ex vita deceſſerit ſubſtituo ei Titium, hic enim ſi filius moriatur ante Patrem, vel alia de cauſa non fiat hæres, Titius ſuccedet ex vulgari ſi fiat hæres, & moriatur pupillus ſuccedet ex pupillari, ſi poſt pubertatem ſuccedet ex fideicommiſſaria detracta legitima, & Tribelianica; ſi tamen ſuccedet ex exemplari. Ita Gomez *cap.* 7. Molina *diſp.* 192. Couar. *cap. Raynutius* 50. Regionaldus *lib.* 25. *num.* 632.

An teſtamentum poſſit reuocari?

BRACTEA VII.

R. Testamentum regulariter ſemper poteſt reuocari, & mutari, vſque ad mortem; vt dicit Apoſtolus Hebreorum 9. *primum in mortuis confirmatur*; ſi verò teſtator iurauerit, ſe non reuocaturum teſtamentum peccat mortaliter ipſum reuocando, vt docet Couar. *de teſtam. part.* 2. Leſſius *dub.* 8, & alii. Ratio, quia iuramentum ſeruandum eſt quoties abſque peccato ſeruari poteſt; in hoc autem caſu ſeruari poteſt ſine peccato, cum teſtator poſſit non reuocare, etiamſi poſſit reuocare. Si tamé teſtator, poſtquam iurauit non reuocare, nihilominus reuocet, valida erit reuocatio, & validum ſecundum teſtamentum ex Couaruuia *de teſtam part.* 2. *num.* 46. licet hæredes defuncti teneantur ſatisfacere obligationi, quam contraxit teſtator ex priori ratione iuramenti facti, eo enim acquiſitum erat ius in priore hærede de ad bona teſtatoris, ſi modo hæres illam ſciuit, & acceptauit, atque adeò tranſiuit illa obligatio, vtpotè realis ad ſecundos hæredes, ſicut alia debita inito contracta.

Quænam requirantur ad validitatem teſtamenti?

BRACTEA VIII.

R. Ad validitatem teſtamenti primò requiri, vt aliquis inſtituatur hæres, & ille inſtituatur, qui de iure inſtituendus eſt. Vnde ſi Teſtator filium habeat, debet illum inſtituere, & ideò inualidum erit teſtamentum, ſi illum non inſtituat, quia filius de iure debet inſtitui hæres, aut nominatim iuſta de cauſa exhæredari. Secundò, requiritur, vt Teſtator habeat liberam adminiſtrationem bonorum à iure non impeditam. Tertiò, requiritur certus numerus teſtium, videlicet ſeptem, qui ſint legitimi rogati, ſeu vocati. Illi dicuntur teſtes legitimi, qui non reprobantur à iure, ob id mulier, aut Hermaphroditus, in quo fœmineus ſexus præualet non eſt idoneus teſtis regulariter loquendo, quia reprobatur à iure. *leg. qui teſtam. §. mulierum ff. iſto titulo, & leg. hac conſultiſ cod. de teſtam.* Couar. *cap. cum eſſes de teſtam.* Vaſquez *cap. de teſtam. parag. 3. num. 10.* Em. Sa *verb. teſtam. num. 20.*

Sciendum, quod dari poſſunt caſus, in quibus minor numerus teſtium ſufficiat; Primus quando in iure non poſſunt plures teſtes inueniri; Secundus quando Infirmus teſtatur coram Parocho, vel Principe, vel Iudice cum duobus, vel tribus teſtibus. Couar. *cap cum eſſes de teſtam. num. 13. & 15.* Silueſter *verbo teſtam. 1. quæſit. 5. num. 5.* & alij communiter. Nomine Parochi intelligitur etiam Sacerdos, cui commiſſa eſt cura generalis miniſtrandi Sacramenta. Secundò, teſtamentum inualidum firmatum iuramento obligare. Ratio eſt, quia iuramentum additum contractui inualido firmat contractum, eique robur præſtat Em. Sà *verbo teſtam. num. 1.* Vaſquez *in opuſc. parag. teſtam. cap. 3. dub. 1. & 2.*

An teſtamentum factum ad pias cauſas ſit validum, ſi ſit ſine ſolemnitatibus à iure requiſitis?

BRACTEA IX.

R. Testamentvm celebratum ad piam cauſam validum eſſe, etiamſi ſit ſine ſolemnitate à iure requiſita, vt v. g. ſi non adſint ſeptem teſtes, &c. dummodo adſit ſolemnitas, quæ de iure gentium requiritur, nempè vt duo teſtes adſint. Ita Couar. *cap. 11. de teſtam. num. 9. parag. teſtam. quæſt. 6.* & colligitur ex *Relatum 1. de teſtam.* & *cap. cum eſſes de teſtam.* Vnde in teſtamento ad cauſam piam fœmina poteſt eſſe teſtis, quia de iure gentium fœmina nõ repellitur. Secundò, non eſſe neceſſarium in foro cõſcientiæ, vt adſint duo teſtes, ſed ſufficit in his teſtamentis id, quod iure naturæ requiritur, nimirum poteſtas in diſponente, & libertas, & capacitas in eo, in cuius fauorem diſponitur, & ideò duo teſtes iure Canonico non requiruntur, vt diſpoſitio ſit valida in foro conſcientiæ, ſed vt poſſit probari in foro externo quantum ſatis eſt, vt Iudex pro ea ſententia ferat, vt colligitur ex *cap. relat.*

Sciendum illud teſtamentum dici ad piam cauſam, quod ſit pro honore Dei, vel Sanctorum, vel pro animæ ſalute, quale eſt illud, quo aliquid relinquitur miſerabilibus perſonis, viduis, pupillis, peregrinis, alijſque pauperibus, aut hoſpitalibus, aut Eccleſiæ, aut pro luminaribus, vel ornamentis Eccleſiæ, vel quando pia loca inſtituuntur hæredes, vt Monaſteria, &c. Similiter illud teſtamentum, ſeu legatum dici pium, quo ipſe aliquid relinquit conſanguineo pauperi, dummodo id relinquat amore Dei; Secus verò dicendum ſi relinquat ratione conſanguinitatis, &c. Secundò, inualida eſſe legata ad cauſas prophanas relicta in teſtamento confecto cauſa pietatis abſque ſolemnitate à iure requiſita. Ratio eſt, quia cum hæc legata ſubſint diſpoſitioni iuris ciuilis irritantur ab ipſo, cum irritet contractus ciuiles celebratos ſine tali ſolemnitate. Ita plures apud Bonacinam *de contract. diſp. 3. quæſt. 1. pun. 3. nu. 18.* Tertiò, valida eſſe legata pia contenta in teſtamento inualido ob defectum ſolemnitatis. Ita Couar. *cap. relatum 1. de teſtam. num. 3.* & alij. Ratio, quia nullo iure irritantur, non iure Canonico, cum non poſſit aſſignari, vbi irritentur, neque irritantur iure ciuili, cum ius ciuile non habeat poteſtatem circa cauſas pias. Tum quia *in cap. relat.* habetur relicta ad pias cauſas valida eſſe, quamuis non ſeruetur ius ciuile; ergo legata pia contenta in teſtamẽto prophano minus ſolemni valida ſunt.

De obligatione hæredis?

BRACTEA X.

R. Hæredem poſtquam adiuit hæreditatem, obligari ſoluere debita realia Teſtatoris. Ratio; quia hæres perſonam defuncti repræſentat *leg. hæres ff. de vſu capione*; ergo ſicut defunctus tenebatur ad debita realia, ita & etiam tenetur hæres, non tamen tenetur ad onera perſonalia, cum hæc ſe teneant ex parte perſonæ, & extinguantur ea extincta. Ita communiter Doctores.

Sciendum poſt mortem defuncti concedi tres menſes hæredi à die, qua nouit ſe inſtitutum hæredem ad deliberandum, num velit hæreditatem adire; nec ei poteſt intra dictum tempus moleſtia afferri à creditoribus, & legatariis. Ita Em. Sà *verb. hæreditas num. 34.* Reginaldus *lib. 25. num. 627.* & alii.

Secundò, hæredem non ſolum teneri ad debita realia defuncti; verum etiam ad ſoluenda legata ab ipſo relicta. Ratio, quia eo ipſo, quo hæres adit hæreditatem, cenſetur contractum inire cum defuncto, vt ſi velit frui commodo hæreditatis, ſentiat etiam incommodum legatorum, & debitorum.

Sciendum 2. Quod quando hæreditas non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum pro omnibus debitis, & legatis, debita ſunt perſoluenda ſecundum ordinem dictum cum de reſtitutione, nimirum prius eſſe ſatisfaciendum debitis certis, quam incertis; debitis contractis ex contractu, quam ex delicto, prius debitis onerosis, quam gratioſis, & prius ſatisfaciendum eſſe creditoribus realibus habentibus hypothecam, quam creditoribus perſonalibus hypothecam, vel pignus non habentibus; legatis vero ſatisfaciendum eſſe ad ratam, ſi hæreditas non ſufficiat ad ſatisfaciẽdum omnibus. Secundò, vota eſſe præferenda legatis etiam piis, detractis expenſis funeris neceſſariis. Ratio eſt, quia hæres ſuccedit in locum defuncti: cum autem defunctus non teneretur ad perſoluenda legata, quæ ipſe conſtituit, teneretur tamen ad vota, ſequitur etiam hæredem præferre vota legatis, Sanchez *in ſum. lib. 4. cap. 13. num. 39.* Tamen vota non eſſe præferenda debitis ex iuſtitia, nam bona perſoluenda ſunt ex bonis hæreditariis; bona autem hæreditatis dicuntur ea, quæ ſuperſunt, deducto ære alieno; *leg. mulier bona ff. de iure dotium*; ergo debita ex iuſtitia præferenda ſunt votis, non verò vota debitis ex iuſtitia. Quando hæreditas non ſufficit ad perſoluendum pro omnibus votis, tunc hæres ſi cognoſcit

quod

quod nam ſit votum de re meliori, debet illud exequi. Ratio, quia repræſentat perſonã defuncti, ſicut ergo defunctus tenebatur perſoluere votum de re meliori, ita etiam hæres; Si verò non cognoſcit quod ſit de re meliori, debet perſoluere votum, quod fuit prius emiſſũ, etiamſi alia vota fuerint acceptata ab his, in quorũ fauorẽ emiſſa ſunt, aut etiã ſi defunctus præceperit hæredi, vt ea perſolueret. Ratio, quia hæres adhuc maiori obligatione non tenetur, quam teneretur defunctus, qui non aliter præſumitur in hoc caſu hæredi præcepiſſe ſolutionem votorum, quam ipſe teneretur, defunctus autem tenebatur vota modo recenſito perſoluere. Ita Lopez *loco cit. num.* 68. Verum ſi hæres dubiter, quod nam melius ſit, & neſciat quod nam votum fuerit prius emiſſum, & conſtat omnia vota eſſe æquè bona, tunc dari electionẽ hæredi, vt quoduis illorum impleat. Ratio eſt, quia non eſt maior ratio cur vnum, potius quam alterum implere cogatur, cum æquè gratum Deo videatur alterum illorum exequi. Tum quia hæres ſuccedit in iura, & poteſtatẽ defuncti, ſi, & vt defunctus poterat electionem facere, ita etiam hæres. Quod tamen intelligẽdum eſt modo neſciat alterum votorum fuiſſe acceptatum, quia ſi id ſciret, illud deberet anteponere, quia per acceptationem cenſetur acceptans acquiſiuiſſe ius, vt hæres maiorem obligationem habere exequendi illud.

Sciendum 3. Quod ſi defunctus declarauit ſe nolle imponere onus hæredi exequendi vota, obligatio voti non tranſmittitur ad hæredes, quia votum non inducit obligationem vltrà intentionem vouentis. Si verò vouens vouit abſolutè, & ſimpliciter ſine reſtrictione, obligatio voti tranſmittitur ad hæredes, qui ſuccedunt in bona vouentis affecta generali obligatione. Ita Nauar. *cap.* 12. *num.* 56. Sanchez *lib* 4. *cap* 13. *num* 28. Clauis regia *lib.* 6. *cap.* 7. *dub* 6. Rodriquez *in ſum.* 2. *part. cap.* 99. *num.* 11. Ratio, quia ſicut vouens abſolutè non poteſt ſe eximere ab obligatione voti, ita neque poteſt eximere hæredem.

An filius familias, &c. ad pias cauſas teſtari poſſit?

BRACTEA XI.

R. Negativa ſine patris conſenſu etiam de bonis aduentitijs patre verò conſentiente teſtari ad pias cauſas non prohiberur, ita plures citati à Diana *part.* 7. *tract.* 6. *de teſtam. priuilegiatis*, Delugo *de teſtam. diſp.* 24 *ſect.* 4. *num.* 67. Similiter impubes etiam ſi doli ſit capax, non poteſt teſtari ratione defectus volũtatis, & intellectus, quem fauor piæ cauſæ non poteſt ſupplere, ita Iulius Clarus *quæſt.* 5. qui dicit hanc opinionem eſſe communem.

R. 2. Damnatum ad mortem de iure communi non poſſe teſtari ad pias cauſas, ita Iulius Clarus *lib.* 3. *recept. ſent. parag. fin. quæſt.* 5. Couar. *ad rubr. de teſtam. p.* 3. *num.* 27. Michael Graſſ. *tract. de ſucceſſ. parag. teſtam. quæſt.* 17. *num.* 8. & alii plures verum, vt notat Malderus *de iuſtitia tract.* 1. *cap.* 11. *dub.* 3. Conſuetudo eſt in contrarium, ita vt teſtari poſſint omnes, quorum bona non confiſcantur. Quod etiam dicendum eſt de damnatis ad mortem ciuilem, nimirum poſſe ad pias cauſas teſtari Graſſ. *de ſucceſſ. parag. teſtamentum*, & alii.

An vſurarij, & mancipia teſtari poſſint ad pias cauſas.

BRACTEA XII.

R. Primo Vſurarios non poſſe teſtari ex *cap. quamquam de vſuris lib.* 6. vbi vſurarii notorii teſtamẽtum nullum eſſe declaratur, quod dicunt DD. etiam de codicillo, & donatione cauſa mortis ne fraus legi fiat, & ita Vaſquez *cap.* 9. *parag.* 1. *dub* 8. *num.* 32. Molina *tom.* 2 *diſp.* 334. & 1. *tom. diſp.* 137. Quæ pœna non incurritur, ſi vſurarius ſatisfacere promiſerit, vel certè cautionem creditoribus, vel iis abſentibus Rectori Parochiæ, in qua habitat corã aliquibus fide dignis de eadem Parochia de licentia Ordinarii dederit, vt habetur *in cap. quamquam*.

R. 2. Teſtamentum ſerui, ſeu mancipii eſſe nullum, & ita Molina *de iuſtitia tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 137. Ratio, quia ad conficiendum teſtamentum requiritur, vt Teſtator ſit dominus eorum, de quibus diſponit, cum autem mancipium non habeat dominiũ rerum, ſequitur ipſum non poſſe de iis diſponere, ad pias tamen cauſas validum erit teſtamentum factum ab homine verè libero, & ſi liberum ſe eſſe ignoraret, vt de ea re dubitaret, vt Panorm. *ad finem rubr. de teſtam.* cum Bartol. affirmat, cum enim militi dubitanti de ſuo ſtatu conceſſum ſit *in leg. ex militari parag. ſi miles ff. de nul. teſt.* vt ſit validum ipſius teſtamentum longè cum maiori ratione cenſendum eſt eſſe conceſſum diſpoſitioni ad pias cauſas. Diana *loco cit. reſol.* 12.

An mutus, & ſurdus teſtari poſſint?

BRACTEA XIII.

R. Vt ſupra, eum, qui à natiuitate ſimul eſt ſurdus, & mutus teſtari non poſſe, aut codicillos facere, vel donationes cauſa mortis; Si verò non à natiuitate, ſed ex morbo ſit ſimul ſurdus, & mutus teſtari poteſt, legare, &c. ſi ſcribere ſciat, ſi autem ſit ſolum ſurdus, ſiue ex natiuitate, ſiue ex morbo poterit ea omnia facere, ſi denique mutus ſit, & non ſurdus, ſiue à natiuitate, ſiue ex morbo poſſe illa facere, ſi ſcribere ſciat, ita plures citati apud Dianam *reſol.* 14. & Cardinalis Delugo *de teſtam. diſp.* 24. *ſect.* 4. *num.* 68.

De teſtibus requiſitis in teſtamentis ad pias cauſas, & quid in foro conſcientiæ?

BRACTEA XIV.

R. In teſtamento ad pias cauſas ſufficere duo teſtes, ſiue ſint maſculi, ſiue fœminæ. Ratio deſumitur ex decreto Summi Pontificis, qui ſolum exigit in ijs diſpoſitionibus obſeruari ſolemnitates iuri gentium, & ita Vaſquez *tract. de ſucceſſ. parag* 12. *num* 17. Mantica *de coniecturis vltima voluntat. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 4 Molina *tom.* 1. *diſp.* 134. Sanchez *lib.* 4. *concil. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 4. & alij communiter, vt ſupra dictum fuit.

Sciendum, quod vt teſtamentum ſit validum in foro conſcientiæ, non eſſe neceſſarios præfatos teſtes, ita Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. *num.* 7. Molina *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 134. Layman. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *num* 5. & alij. Ratio, quia in his teſtamentis non requiritur ſolemnitas iuris ciuilis, aut iuris gentium, ſed eſt ſa-

tis id, quod iure naturali eſt ſufficiens, & quod ſigno aliquo externo ſciatur talem eſſe voluntatem Teſtatoris, vnde hæres, qui per ſchedulam, & ſcripturam indubitatam defuncti, vel quia eum audiuit, ſciat ipſum ſtatuiſſe, quod res aliquæ dentur in pios vſus, obligatur in conſcientia exequi, quamuis id non poſſit probari Ioannes de Imola *in leg. ſi quis cum teſtam. num.* 5. *& 6. ff. de teſtam.* Alexand. *concil* 4.*n*.10. Secundò, ſi Teſtator tibi aliquid occultè dedit, vt illud poſt eius mortem in pios vſus expendas, vel vt tibi tamquam pauperi aſſumas, poſſe te, & debere ita expendere, licet nulla interuenerit ſcriptura, ita Molina *loco cit.* & ſi lata fuerit excommunicatio contra talia tenentes non teneris reſpondere: Tertiò, ſi defunctus per ſigna declarauerit ſuam voluntatem circa pias cauſas validum id erit, vt teſtatur Molin. *loc. cit.* Layman. *lib.3.tract.5.cap.*2.*num.* 3. & plures citati apud Dianam *reſol.* 22.

An teſtamentum ad pias cauſas inceptum, ſed non finitum, ſit validum?

BRACTEA XV.

R. VALERE ad pias cauſas, dum modo teneat ſolum imperfectum ob ſolemnitates iuris non completas, quia ſecus dicendum erit, ſi imperfectum erit, quia animum, & voluntatem non ſufficienter expreſſit, vt docet Vaſquez *cap.* 2. *de teſtam. num.* 26. Sanchez *de teſtam. dub.* 7. *num.* 5. Molina *diſp.* 134. & alij.

Sciendum, quod duobus modis diſpoſitio ad pias cauſas dicitur imperfecta primo modo, quando Teſtator habebat animum diſponendi, & ad hunc finem fecerat fortaſſe ſibi inſtitutionem propria manu ſcriptam, vocauitque Tabellionem, preuentus tamen morte nihil re ipſa diſpoſuit. Secundo modo quando iam teſtari cœpiſſet, & prolatis aliquibus legatis mortuus eſt antequam teſtamentum perficeret. In primo caſu, cum huiuſmodi imperfecta diſpoſitio non ſit diſpoſitio vim non habet, quia animus ſolus diſponendi non ſufficit etiam ad cauſas pias. In ſecundo caſu valet, quod diſpoſitum iam ſufficienter fuerat ad pias cauſas, & hoc eſt, quod communiter intendunt Doctores citati.

R. 2. Quod in teſtamentis ad pias cauſas valet vltima voluntas, quæ pendet ex alieno arbitrio. Ita Bart. *leg.*1. *num.* 64. *cod. de ſacroſanctis Eccleſijs*, & eſt communis opinio, Abb. *conſil* 32 *num.* 3. *lib.* 2. Alex. *conſ.*14.*num.*7.*lib.*1. Decius *num.*18 Pariſ.*conſ* 83 *num.* 20.*lib.*1. Clar. *§. teſtam quæſt.*6.*num.*5. Leſſius *lib.*2.*cap.* 19. *dub.* 2. *num.* 10 Ratio, quia iure gentium talis diſpoſitio eſt valida, vt colligitur ex *cap. cum tibi de teſtam.* Vbi dicit Innocentius Tertius, *qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur recedere inteſtatus*; Quod nulli Doctores intelligunt in cauſis pijs, & exponitur in ſummario illius capitis, Leſſius *loco cit.*

An teſtamento confecto tempore peſtis ſint neceſſarij ſeptem teſtes?

BRACTEA XVI.

R. TEMPORE peſtis non eſſe neceſſarios ſeptem teſtes, ſed ſufficere quinque. Ita Em. Sâ *verb. teſtam. num.*12. Maſcard. *de probationib. concl.* 258.*num.*213. Clarus *parag. teſtam. quæſt.*56. Vaſquez *de ſucceſſ. creat. lib.*3.*parag.*22.*num.* 35. Imò in teſtamento confecto tempore peſtis ſufficere ſolemnitates iuris gentium, & ideò coram duobus, vel tribus teſtibus conditum valere. Ita plures citati à Diana *reſol.* 25. Dummodo tamen teſtes ſint idonei, ita Malder. *de iuſt. tract.* 1. *cap.* 11. *dub.* 6. An teſtamentum tempore peſtis conditum coram Parocho, & vno teſte ſit validum, vt dictum eſt ſupra.

Sciendum tempore peſtis fœminas poſſe eſſe teſtes ita Sotus *in tract. de teſtib. part.*1 *num.* 21. Theſau. *deciſ.*180. Peregrin. *deciſ* 80. Molina *de pijs teſtam. cap.* 83. qui aſſerit teſtamentum tunc tempore peſtis valere coram duabus mulieribus, quando videlicet viri reperiri non poſſint. Secundò, Notarium tempore peſtis inter teſtes computari poſſe, & ita Mollerius, & alii apud Dianam *reſol.*37.

Sciendum dubium eſſe an ſufficiat tempore peſtis, quod teſtes audiant vocem Teſtatoris, an ſit neceſſe quod non ſolum audiant, ſed ipſum videant, & agnoſcant. Ad quod reſpondeo duas eſſe ſententias; Prima eſt aſſerentium ſufficere, quod teſtes audiant vocem Teſtatoris, ſi vocem notam habeant; Secunda eſt dicentium, quod in teſtamentis, & vltimis voluntatibus neceſſe eſt, quod teſtes non ſolum audiát, ſed etiam illam videant, & cognoſcant, adeo, vt ſi eſſet inter Teſtatorem, & teſtes intermedia paries, quod teſtamentum non valeret, quia neceſſe eſt, vt teſtes in conſpectu Teſtatoris teſtimonij officio fungantur ad euitandas fraudes, & falſitates, quæ poſſent contrauenire. Ita Textus *apertum in lege ſi non ſpeciali*; Ibi Cyn. Bald. Angel. Caſtr. & Albertus, & communiter Doctores, & hæc ſolemnitas non ceſſat tempore peſtis, cum maximè ad euitandas fraudes, & falſitates requiratur eo tempore.

R. 2. Teſtamentum tempore peſtis conditum coram duobus, vel tribus teſtibus, ſi is, qui peſte decumbit, reconualeſcit eſſe validum. Ita Ripa *in tract. de peſte cap.*2.*de priuil. vltima voluntatis*, Maſcardus *de probationibus concl.* 14. 23. *num.* 18. & *concl.* 1358.*nu.*25. Boet. *deciſ.* 228. *num.*12. & alii.

An milites noſtri temporis in condendis teſtamentis gaudeant priuilegio militibus antiquis à iure conceſſo?

BRACTEA XVII.

R. AFFIRMATIVA. Ratio, quia eadem ratio conceſſionis priuilegij militat in militibus noſtri temporis, ac in antiquis, cum non minus ſignis ſuis iugiter inhæreant, & Rempublicam ab omni bellorum neceſſitate defendant, *leg. milites* 31. *cod. de locato.* Ita Virgilius *hic num.*11. Sichard. *in rubr. cod. de teſtam. mil. num.*9. Myſinger. *reſpon.* 46. *num* 9. Boer. *in tract. de bello, & duello lib.*1.*cap.*28.*num.* 8. Vaudus *lib.* 1. *var. quæſt. cap.* 55. & alii.

Sciendum, vt miles iure militari teſtari poſſit. Primò, vt actu ſit miles in numero militum relatus, & in caſtris, ſiue expeditione verſetur, vt tradit Boer. *tract. de bello lib.* 1. *ca.*16. *num.* 8. & alii. Quod ſi miles teſtamentum extra caſtra ſine ſolemnitatibus confectum ſecum in caſtra ſumit, ibidemque eidem aliquid addendo, vel diminuendo renouauit teſtamentum iure militari valebit, Hunnus *in encyclopedia iuris pars*.4.*lib*.5.*cap*.5.*num*. 7. & alii. Secundò, valere teſtamentum militis, qui in caſtris vulneratus, & ad domum delatus coram duobus teſtibus teſtatur Reuſn. *tract. de teſtam.p.*5.*cap.*4.*num.* 14. Tertiò, quando miles adhuc armis vacat, & paratus eſt pro viribus

ad

ad defenſionem Reipublicæ, & ſi actu in caſtris non ſit animum, tamen habeat mox ei reuertendi eius teſtamentum valet & ſi extra caſtra factum, Vuſſenbec. *conſil. 17. num. 40.* Quartò, conceſſione Ducis milites extra caſtra in loco propinquo comorantur valetudinis curandæ cauſa, habentes tamen animum reuertendi ad defendendam Rempublicam, tunc ex priuilegio teſtari poſſunt, *leg. 34. ff. ex quibus cauſis maior.* Ruolo. *tract. de teſtam. p. 5. cap. 6. num. 14.* Boer. *tract. de bello lib. 1. c. 20. n. 6.* Ratio eſt, quia qui ex iuſta cauſa abeſt, præſens eſſe dicitur, dummodo propoſitum habeat reuertendi, aut per eum non ſtet, quare non maneat, *leg. ſi quis ita 8. ff. de condit. & demonſt. leg. 4. §. ſtichus ff. de ſtatu liberorum lege ſeia 20. §. pamphileta.*

An miles mutus à natura teſtari poſſit?

BRACTEA XVIII.

R. Quod ſicut miles mutus, & ſurdus à natura miles eſſe non poſſit, nec etiam priuilegio militis frui poteſt. Ratio primæ partis eſt, quia imperium Ducis intelligere, neque tubæ claſſici ſignum audire, & proinde nec arma opportunè petere poteſt. Tum etiam, quia miles, cui talis morbus accidit in ipſa militia militari Sacramento ſoluitur, ergo à fortiori ſurdus, & mutus à natura miles eſſe non poteſt, Cardinalis Delugo abſolutè docet militem mutum iure militari teſtari poſſe, quia miles nō debet ore proprio hæredem nominare, ſed ſufficit ſi quocunque ſigno id demonſtret, *ita de teſtamentis diſp 24. ſect. 1. num. 12.*

An qui in caſtris reperiuntur, gaudeant priuilegio teſtandi iure militari?

BRACTEA XIX.

R. Gaudere tali priuilegio, licet milites non ſint modo in loco hoſtili ſint, Ita Cardinalis Delugo *loco citato*; Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 3. difficult. 3. num. 11.* Molina *de iuſtitia tom. 1. tract. 2. diſp. 129.* Secus autem h[...] ſint in loco hoſtili, ita habetur in *leg. 1. dig. de bon. poſſeſſor. ex teſtamentis milit.* Ita Molina *loco cit.* adeò hoc priuilegium extenditur ſequentibus caſtra, licet in matricula militum non ſint deſcripti, modò in loco hoſtili verſentur Diana *part. 7. tract. 6. de teſtam. reſol. 60.*

An teſtamentum tempore militiæ factum valeat poſt miſſionem?

BRACTEA XX.

R. Valere etiam poſt miſſionem, non tamen diutius anno, *leg. ſi cæterarum 17 parag. vltimo, leg. quod conſtitutum 41. leg. teſtamenta 26. & leg. quod dicitur, &c. dig. de teſtam. mil.* modo miſſio non fuerit ignominioſa.

Sciendum miſſionem militia triplicem eſſe honeſtam, cauſariam, & ignominioſam; Honeſta eſt, quę è meritis ſtipendiis, legitimoque militiæ expleto tẽpore datur. Cauſaria miſſio eſt, cum milites nondum impleto tempore militiæ, cauſa tamen aliqua ſuadente, v. g. ob ætatem prouectam, aut valetudinem aduerſam animi, vel corporis Sacramento ſoluuntur domumque dimittuntur, ignominioſa miſſio eſt cum milites ob aliquod delictum Sacramento militię ſoluuntur, & dimittuntur, *lib. 1. de bello cap. 18 num. 16.* Diana *loco cit. reſol. 62.* Horum itaque teſtamenta qui ignominiæ cauſa miſſi ſunt ſtatim iure militari valere deſinunt, Macer. *in leg. teſtamenta 26. ff. de teſtamentis.*

An filius familias miles teſtari poſſit?

BRACTEA XXI.

R. Filiumfamilias de bonis caſtrenſibus ſolum teſtari poſſe non autem de profectitiis. Ratio primę partis, quia eo ũ habet dominium, & per conſequens de iis pro libitu poteſt diſponere. Ratio ſecundę partis eſt, quia viuente Patre bonorum ipſius non habet dominium cum ad patrem ſpectet, & cum non poſſit alienum ius minuere, *leg. filiusfamilias 28,* idcircò de illis priuilegio militię diſponere non poteſt.

An miles deportatus, vel capite damnatus teſtari poſſit?

BRACTEA XXII.

R. Militem ex militari delicto damnatum, teſtari poſſe de bonis caſtrenſibus modo ſacramenti fides rupta non fit, *leg. ex milit 11 ff. de teſt. mil.* De aliis autem bonis teſtari nō poteſt, niſi in ſententia iis, qui condemnauit poteſtatem teſtandi illi permiſerit, *leg. ſi quis filio 6. §. ſed & ſi quis ff. de iniuſt. irrit. fact. teſtam.* & ita Bouer. *tract. de bello lib. 1. cap. 18. num. 21. & 22.*

Sciendum quod licet regulariter teſtamentum integris literis ſcribendum ſit, *leg. ſed cum 6 ff de bonis poſſeſſ* Vaſquez *tract. de ſucceſſ. lib. 2. de ſucceſſ. progreſſu §. 20. num. 6.* vbi plures textus, & auctoritates pro hac firmanda ſententia adducit, in militis autem teſtamento ea ſolemnitas remiſſa eſt. Vaſquez *loco citato,* Valerius *lib. 2 miſcel cap 12.* R[...]uiner. *tract. de teſtam. part. 5. cap. 7. num. 27.* & alii aſſerentes, teſtamentum militis pro parte teſtati validum eſſe, vt v. g. ſi pro vna parte hęredem particularem inſtituerit de certo fundo, & poſtea deceſſerit pro parte illa valere diſpoſitionem, licet pro ceteris inteſtatus diſcedat, *leg. ſi miles 6. ff. de teſtam. mil. leg. cogi poterit 16. §. ſed ſi miles.* Pars pro qua miles inteſtatus deceſſi, ad legitimos hęredes militis pertinet *1. & 3. Cod. de teſtam. milit.*

Teſtamenti quis poſſit eſſe executor?

BRACTEA XXIV.

R. Executores vltimarum voluntatum omnes poſſe conſtitui, qui de iure non prohibentur. Vnde Epiſcopi, & Clerici poſſunt eſſe executores vltimarum voluntatum cum hoc tẽpore non ſit eis interdictum, ſed permiſſum, vt patet e*x leg. hæreditas 53 ff de petit. heredit.* & ex Trident. *ſeſſ. 22. cap. 8. de reform.* Item fæmina poteſt conſtitui executrix teſtamenti, *leg. à filio ff. de alienat. legat.*

Sciendum quod licet nunc temporis Clerici poſſint conſtitui executores teſtamenti. Religioſus tamen Clauſtralis non poteſt conſtitui etiam ſi teſtamentum ſit ad pias cauſas, de licentia ſui Prælati poteſt, quod intelligendum eſt, niſi aliter per conſuetudinem, vel conſtitutiones ſit ſancitum. Superiores verò executores teſtamenti eſſe non prohibentur.

tur, niſi præcepto ſuperioris maioris, aut conſtitutionibus, vel conſuetudine Religionis aliud caueatur. Ita Rodriquez *tom. 3. quæſtionum regul. quæſt. 70. art. 1.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 15 num. 5.* Diana *part. 8. tract. 5. reſol. 7* & alij. Ratio, quia ſuperior poteſt vti facultate, quam alijs concedere poteſt, Fratres Minores de obſeruantia, & Capucini executores teſtamentarij eſſe non poſſunt, neque eorum Prælati licentiam dare poſſunt. Clementina *exiui §. proinde vir ſanctus de verborum ſignif.* Poſſunt tamen eligere pauperes in quos eleemoſyna ab executore diſtribuēda eſt, dummodo ipſi non diſtribuant. Poteſt etiam illis committi nominatio executoris teſtamentarii cum ſit diſcrimen intereſſe executorem, & nominare fratribus interdictum eſt eſſe executorem, non autem nominare cum odioſa ſint reſtringenda. Ita Rodriquez *loco cit. art. 2.* Couuar. *in cap. tua nos num. 1. de teſtam.* Sanchez *lib. 6. cap. 11. num. 32.* Diana *part. 8. tract. 5. reſol. 13.* & cum eo plures citati.

An ſit irritum quod Religioſus executor teſtamenti fecerit ſine ſuperioris licentia?

BRACTEA XXIII.

R. Peccare Religioſum exercendo munus executoris teſtamentarij ſine licentia ſuperioris, ſed acta eſſe valida. Ita Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap. 11. num. 44.* Lezana *quæſtionum. regul tom. 9. verſ. teſtam. num 4* Laiman *in Theolog. moral. lib. 3. tract. 5. cap. 11 5.* Caſtrus Paiaus *tom. 3. tract. 16. diſp. 4. num. 13. §. 1. num. 8.* Diana *part. 8. tract. 5. reſol. 2.* Ratio, quia acta contra legem ſolum prohibentem, & non irritantem ſunt valida, cum autem textus *in cap. Monachi 16 quæſt. 1.* & Clement. *Religioſus de procurat.* ſola prohibitione intenti ſint abſque addita irritatione ſequitur acta valida eſſe licet plures teneant opinionem contrariam, nimirum acta eſſe inualida.

Sciendum executores teneri. Primò ſecundum mentem teſtatoris omnia exequi, etſi opus eſt, poſſūt, & debent implorare officium iudicis, vt poſſint agere contra reſiſtentes. Tenentur ſecundò facere inuentarium, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet. Tertiò, ſi ſit executor vniuerſalis res hæreditatis vendere poteſt ad perficiendam teſtatoris voluntatē. Si verò ſit executor particularis vendere non valet, niſi facultas à teſtatore ſit ei conceſſa, an executor vniuerſalis poſſit emere res hæreditatis? Reſpondeo negatiuè, licet iure ſanguinis poſſit retrahere rem ſui patrimonij. Et ita Carpius *de execut. teſtam. lib 3. cap. 3.* ad plura etiam alia tenetur, vt videre eſt apud citatum auctorem, & Diana *loco cit. reſol. 32.*

An executores teneantur reddere rationem?

BRACTEA XXIV.

R. Affirmatiue, niſi de ijs, quæ teſtator iuſſit ſecreto executori, vt erogaret. Et ita Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 4. cap. 5. dub. 49.* & alij. Etiamſi teſtator eum liberet ab hoc onere. Ita Salicetus *in leg. nulli C. de Epiſcopis, & Cleric.* & plures alij. Ratio eſt, quoniam exigere huiuſmodi rationem eſt munus publicæ poteſtatis in Republica ad commune bonum introductum, quod teſtator non poteſt impedire præterquam cum eiuſmodi impedimentum præberet occaſionem peccatis. Ita plures apud Dianam *tract. 5. de executoribus teſtamenti reſol. 35.*

Sciendum Religioſos Clauſtrales teneri reddere rationem, ſi executores teſtamentarii fuerint locorum Ordinariis, à quibus etiam puniri poterunt. Si in executionis officio deliquerint. Ita habetur in Clement. 1. *de teſtamentis*. Et ita Lezana *in ſum. tom. 4. verſ. teſtamentum num. 4.* Quod intelligendum eſt de omnibus Religioſis Regularibus, etiamſi mendicantes ſint, vt docet Peyrinus *de Prælat. quæſt. 3. cap. 5. num. 23.* licet plures aliter ſentiant.

Sciendum 2. Clericos ſuſcipientes executionem teſtamentorum nō poſſe cogi coram Iudice Seculari ad reddendam rationem, ſed coram Iudice Eccleſiaſtico ſolummodo conueniendos eſſe, & colligitur ex *cap. Ioann. de teſtam.* & ex Clementina *eod. tit.* Et Ratio eſt, quia cum Clerici Eccleſiaſtico Iudici ſubſint, & non ſæcularibus, ideò ſolum Eccleſiaſticis rationem adminiſtrationis reddere debent, & ideò à Iudice Laico non poteſt citari ſuper confectione inuentarii. Ratio, quia non poteſt compelli ad comparendum coram Iudice Laico, cum Laicus non ſit Iudex ipſius competens, vt dictum eſt alibi.

An Religioſi executores teſtamentarij poſſint ſibi, conſanguineo, vel Monaſterio, aliqua erogare?

BRACTEA XXV.

R. Religioſos executores teſtamentorum ſi pauperes ſint poſſe ſibi applicare, ſicut alijs pauperibus diſtribuere. Ratio, quia ex eo quod eſt inſtitutus executor, non videtur eſſe peioris conditionis, quam ſint alii pauperes, ergo ſicut alijs poteſt diſtribuere, ita, & ſibi poteſt applicare, & non modo ſibi, ſed etiam cognatis pauperibus. Ita Ioannes Dilectus *de arte teſtandi cap. 10.* Redoanus *tract. de rebus Eccleſiæ non alienandis quæſt. 52. num. 28.* Dicaſtillus *de iuſtitia lib. 2. tract. 19. diſp. 3. dub. 12.* & alii. Quod etiam dicendum eſt de Monaſterio. Ratio, quia Monaſterium æquiparatur pauperi, & nomine pauperum venit. Etiam ſicut venis Eccleſia, & ideò relictum pauperibus poteſt etiam dari fabricæ Eccleſiæ, quæ indiget reparatione. Ita Parez *lib. 5. ord. tit. 2.* & alii. Quod tamen intelligendum eſt modo teſtator non expreſſerit certum genus pauperum, aut certum locum, quia tunc executor non poteſt mutare voluntatem teſtatoris, vt docet Bald. *in l. ſi quis ad declinandam, leg. omnes qui, C. de Epiſc.*

DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non falſum teſtimonium dices.

MALLEATIO LXXI.

De mendacio.

In Octauo Præcepto prohibetur omnis iniuſtitia, quæ proximo verbis iniuriam afferre poteſt: Quæ dupliciter contingere poſſunt, Primò, extra Iudicium, vt mendacio, Detractatione; Contumelia, Deriſione Suſurratione; Idcircò primò agam de iſtis, & de Iudicio temerario. Secundò, Iudicialiter, & ideò agam de Iudicio publico, de veritate, & ſcientia requiſita in Iudice, de modo procedendi in iudicio, de Accuſatore, Reo, Teſte, de officio Aduocati, Procuratoris, Notarij, &c. de hac tractant Theol. cum S. Thom. 2. 2 quæſt. 60. & 67. *Sumiſtæ* verb. mendacium, *Iudicium temerarium, &c.*

Quid, & quotuplex ſit mendacium?

BRACTEA I.

R. Mendacium eſt falſa ſignificatio nominis cum intentione fallendi. Ita S. Auguſt. *lib. 1. contra mendacium cap.* 42. ſiue mendacium eſt verbum falſum cum intentione fallendi. Dicitur primò, mendacium eſt falſa ſignificatio vocis, ſiue verbum falſum, quia propriè mendacium committi ſolet verbis, & ſub ratione verbi comprehenduntur etiam ſigna, nutus, cum etiam mendacium committatur ſignis, & nutibus. Secundò, dicitur cum intentione fallendi; quia mendacium, vt plurimum coniungitur cum intentione fallendi, vel ſaltem animo dicendi falſum.

Sciendum quod duplex eſt falſitas vna materialis cum res aliter ſe habet quam homo enunciat, alia verò eſt falſitas formalis per ſe, & ſecundum intentionem loquentis, quia credit falſum eſſe, quod loquitur. Atque hæc eſt propriè obiectum mendacii, ac periurii. Neque refert, & ſi id re ipſa verum ſit, quia in moralibus, ſiuè voluntatis actionibus, quæ ſpeciem ſuam accipiunt ab obiecto non prout eſt à parte rei, ſed prout eſt apprehenſum, & voluntati ab intellectu propoſitum magis ſpectandum eſt id, quod per ſe, & ſecundum intentionem, quam quod eſt per accidens, & præter intētionē, & ideò formale mendacii in hoc cōſiſtit, vt qui dicit mēdaciū putet eſſe mēdacium, ꝙ aſſerit, & quando aliquis aſſerit eſſe falſum, quod putat eſſe verum non committit mendacium formaliter, ſed ſolum materialiter; formaliter poteſt quis dicere mendacium quatuor modis. Primò, quando quis affirmat aliquid eſſe quod verè non eſt, & ipſe cognoſcit eſſe. Secundò, quando quis negat aliquid eſſe, quod verè eſt, & ipſe cognoſcit non eſſe. Tertiò; quando ſcienter dubium pro certo affirmat. Quartò, quando affirmat certum pro dubio. Secundò, non eſſe mendacium cum quis vtitur amphybologia, vel reſtrictione tacita, quia non intendit dicere falſum, nec loqui contra mentem, ſed, vel mentem ſuam aliter exprimere, quam alter intelligit, vt in amphybologia, vel non tota exprimere, ſed ſolum ex parte, altera parte orationis interius retenta.

R. 2. Mendacium dupliciter diuidi. Primò per ſe, & ſecundò, ratione vitii oppoſiti veritati; & ſic duplex eſt, ſicut cætera vitia, vnum quod tranſcendit veritatem in maius, & dicitur iactantia, alterum, quod deficit ab illa in minus, & dicitur ironia. Secundò, ratione finis, & ſic triplex eſt iocoſum, officioſum, & pernicioſum; iocoſum committitur quandò dicitur mendacium delectationis gratia abſque alterius damno, & ſi fiat ſola delectatione fallendi retinet nomen Generis ſui, ſi fiat gratia delectandi alios dicitur adulatorium. Officioſum dicitur illud, quo intenditur aliqua vtilitas, quod deinde ſubdiuiditur in illud, quod nulli nocet, & alicui prodeſt, & in id, quod nulli obeſt, & alicui prodeſt ad corpus. Tertiò in id quod nulli obeſt, & prodeſt ad integritatem corporis ſeruandam; mendacium pernicioſum illud eſt, quod eſt ex intentione, & ordinatum ad ruinam alterius. Ita S Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. Siluest. *verbo mendacium quæſit.* 1. Tolet, *de ſeptem peccatis cap.* 54. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 6. & alii.

An omne mendacium ſit peccatum?

BRACTEA II.

R. Mentiri per ſe, & intrinſecè eſſe malum, itaut nullo caſu, ſeu nulla neceſſitate cohoneſtari, ſeu licitum fieri poſſit. Ita S. Aug. *lib. de mendacio, & lib. contra mendacium* Magiſter *in* 3. *diſt* 38 Bonauentura *ibidem quæſt.* 2. S. Thom. 2. 2 *qu.* 110. *art.* 3 & alii, & probari ſolet ex pluribus locis ſcripturæ Leuitici 19 *non mentiemini, nec decipiat vnuſquiſque proximum ſuum*. Pſal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & ex pluribus aliis ſcripturis. Ratio eſt, quia nullum mendacium ex Deo eſt, cum Deus verax ſit, & auctor atque amator omnis veritatis, ſed omne mendacium a Diabolo eſt, cum ipſe ſit auctor, & inuentor mendacii iuxta verbum Chriſti apud Ioannem, *cap.* 8 *mendax eſt, & Pater mendacij*.

Sciendum malitiam huius peccati intrinſecam conſiſtere in abuſu ſignorum, quod illis vtamur con-

tra naturalem inſtitutionem, & finem, cum enim ſigna non ſint data niſi ad exprimendum iudiciũ mentis vtimur illis contra iudicium mentis, itaut ſit contradictio inter mentem, & linguã, quod enim lingua affirmat mens negat, & quod mẽs negat lingua affirmat, ideò per ſe turpe eſſet vituperabile, vt in vno, eodẽq; homine inter interiora, & exteriora ſit contradictio, cũ exteriore debeãt interioribus conformari. Itaq; omne mendaciũ malum eſt, quia in eo eſt voluntas falſi, & contradictionis, qua contradicit quis ſuæ conſcientiæ. Secundò, quia regulariter in eo eſt voluntas deceptionis proximi. Tertiò, quia in eo eſt falſitas, & repugnantia cũ propria cõſciẽtia. Quartò, quia eſt deceptiuũ proximi, & violatiuum amicitię.

R. 2. Mendaciũ iocoſum, & officioſum non eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale, ſecluſo graui ſcandalo; etiamſi proferatur à viro grauiſſimo. Ratio eſt, quia huiuſmodi mendacium nullam infert iniuriam grauem, modo non confirmetur iuramento, quia tunc eſſet peccatum mortale periurij, & per conſequens, nec etiam eſſe in ſtatu peccati mortalis, qui ex conſuetudine, & habitu profert multa mendacia venialia. Ratio, quia peccata venialia non inducunt ſtatum peccatj mortalis, & plura mendacia iocoſa, ſeu officioſa ſimpliciter, & abſolutè conſiderata, non conſtituere peccatum mortale præciſo ſcandalo, & iuramento, vt dictum eſt. Secundò, mendacium pernicioſum eſſe peccatum mortale ex genere ſuo. Ratio eſt, quia opponitur dilectioni Dei, & proximi, & quæ opponuntur dilectioni Dei, & proximi ſunt peccata mortalia, ergo, &c. poteſt tamen excuſari à peccato mortali ratione paruitatis materiæ, vel indeliberationis, &c.

An mendacium in confeſſione ſacramentali dictum ſit peccatum mortale?

BRACTEA III.

R. Non eſſe ſemper peccatum mortale, ſed aliquando veniale ratione paruitatis materiæ, aut quando non eſt ex plena aliqua deliberatione dictum in confeſſione ſacramentali, modo mendacium in materia leui non ſit coniunctum cum ſacramento, vel non ſit circa materiam neceſſariam, vel circa peccatum veniale, quod ſit tota materia Confeſſionis, quia in iſtis caſibus mentiri in confeſſione eſſet peccatum mortale. Secundò, ſi quis faciat Confeſſionem generalem omnium peccatorum, & neget in confeſſione aliquod veniale peccatum, quod verè commiſerit, aut neget aliquod mortale, quod alioquin alia confeſſione ſacramentali eſt verè, & legitimè confeſſum, non eſt peccatum mortale, quia vel eſt mendacium de re leui, nimirum de peccato veniali, vel de re ad eam confeſſionem non pertinẽti, vt eſt peccatum mortale, alias legitimè in confeſſione detectum, & per abſolutionem remiſſum. Ita Nauar. *de pœnit. diſt. 5 nu. 24.* ſicut etiam non peccat mortaliter, qui Sacerdoti facit confeſſionem generalem, & interrogatus de aliquo peccato veniali, vel de mortali iam legitimè confeſſo, & abſoluto illud negat, peccat ſolummodo venialiter, quia non decipit Sacerdotem in re graui, cum non teneatur ſingula venialia, nec mortalia aliàs legitimè in confeſſione detecta, & per abſolutionem remiſſa iterum confiteri. Item non peccare mortaliter ſi quis in confeſſione dicat peccata venialia non pertinentia ad confeſſionem, vt v. g. ſi dicat, ſe eſſe diuitem cum ſit pauper, vel nobilem cum ſit ignobilis, &c. Nauar. *loco cit. num. 23.*

An leue mendacium dictum in iudicio ſit peccatum mortale?

BRACTEA IV.

R. Mendacium in materia leui dictum in iudicio non eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale. Ita Couar. *lib. 1. var. reſol. cap. 1. n. 2.* Sotus *de ratione tegendi, vel detegendi ſecretum membr. 2. quæſt. 7. & lib. 9. de iuſtit. quæſt. 6. art. 1.* Ratio eſt, quia cum ſit mendacium in materia leui non ſit magna iniuria iudicio; vnde ſequitur, vt Iudex qui dum iudicat, miſcet mendacia leuia non pertinentia ad iudicium non peccet mortaliter, & idem dicendum eſt de teſte, aut parte litigante.

Sciendum licitum eſſe in pluris caſibus aliquando celare veritatem, vt v. g. ſi reus à Iudice interrogatus contra, vel præter ius vti poteſt ambiguis verbis contra ius, vt ſi Iudex non eſſet competens, vel ſi ſit competens, tamen non interroget iuridicè, & ſecundum formam iuris, quia vel habet indicia, vel non, ſufficientia præter ius, vt ſi interroget de rebus impertinentibus ad cauſam. Secundò, interrogatus tempore peſtis, an veniat ex loco infecto, poteſt vti æquiuocatione, ſuppoſito, quod locus, vnde venit nõ ſit infectus, vel ſaltem ipſemet ſit integer à malo. Ita Silueſter *verbo mendacium quæſt. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 4. dub. 5.* & alij.

An ſit peccatum mortale imponere ſibi falſum crimen?

BRACTEA V.

Sciendum hominem eſſe dominum ſuæ famæ, & ita S. Thom. 2. 2. *quæſt. 64. art. 5.* Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 2. art. 3.* & alij. Ratio, quia eam homo poteſt acquirere, & augere, ſicut res alias externas; ergo fiet eius dominus; item poteſt eam condonare, nemo autem condonat id, cuius non eſt dominus. Secundò, infamare ſeipſum, reuelando occultum crimen, ſi fiat cum cauſa nullum eſſe peccatum, ſi ſine cauſa eſſe peccatum contra charitatem, non autem contra iuſtitiam. Quo poſito.

R. Non eſſe mendacium pernicioſum ſiue peccatum mortale imponere ſibi falſum crimen. Ratio, quia nulli infert nocumentum notabile, non alteri, vt ſuppono, nec ſibi, cum ſit dominus ſuæ famæ; licet, vt infra dicetur, talis impoſitio poſſit eſſe peccatum mortale ſi ex ea ſequatur damnum alicui tertio.

In quibus caſibus mendacium leue ſit peccatum mortale?

BRACTEA VI.

R. In pluribus caſibus. Primò in materia, ſiue rebus fidei Catholicæ, vt v. g. ſi quis dicat aliquid contra ſcripturam ſacram, vel contra definitionem vniuerſalis Eccleſię, vel Concilii Generalis, &c. Secundò, in rebus pietatis, vt v. g. ſi quis fingat falſas reliquias, vel falſa miracula. S. Th. 2. 2. *q. 110. art. 4.* Caiet. *ibid.* Nauar. *de pœnit. diſt. 5. cap. fratres.* Hypocritam peccare mortaliter, qui vitæ ſanctitatem fingit, dum proximi ex tali fictione notabile damnum ſequitur, vt quando quis fingit vitæ ſanctitatem, vt facilius ſeminet errores, vel ſibi vberiores

riores

riores eleemoſynæ erogentur, vel vt beneficium aſſequatur, quo eſt indignus. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 4 Nauar. *cap.* 18. *num.* 8. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 4. *dub.* 1. & 2. Tertiò, in rebus doctrinę, vt v. g. ſi quis doceat, vel conſulat ſcienter aliquid bonis moribus repugnans: nimirum quod aduerſetur, vel legi naturali, vel Diuinæ, vel Eccleſiaſticæ, vel ciuili, vel conſuetudini vim legis habenti, aut ſi quis doceat ſententiam contra communem omnium Sanctorum auctoritatem, ſi eam temerè doceat abſque vlla ratione firma, & probabili. Quartò, quando quis ſcienter dicit mendacium cum graui damno proximi, nimirum vitæ, aut ſalutis ſpiritualis, vel corporalis famæ, honoris: vel bonorum temporalium, &c. Quintò, quando quis mendacium, etiamſi leuiſſimum iuramento aſſertorio confirmat. Et ita communiter omnes.

An Prædicator peccet mortaliter ſi ſcienter prædicando dicat mendacium in materia leui?

BRACTEA VII.

R. Mendacium Prædicatoris ex imperfecta animi deliberatione nó eſſe peccatum mortale, ſed ſolum veniale, ſicut etiam venialia ſunt mendacia leuia, & non pertinentia ad officium, licet in prædicatione dicantur. Secundò, ſi quis ſcienter prædicando diceret mendacium in materia graui, vt v. g. noua miracula, falſas indulgentias, fictas ſanctorum vitas, falſas doctrinas, &c. peccat mortaliter. Tertiò, ſi quis prædicando alleget aliquid ſcienter, vt dictum in vno capite ſcripturæ, quod tamen in alio capite continetur, vel dicat eſſe dictum vnis, S. Patris cum ſit dictum alterius, non eſſe, niſi peccatum veniale, dummodo teſtimonia, quæ citantur re vera ſint ex ſacra ſcriptura, vel ex S. Patribus, quia parui refert ad Populi inſtructionem ſint ex vno capite, vel ex alio, an teſtimonium ſit vnius Patris, aut alterius, nec multum refert ſi loco D. Auguſtini citetur D. Gregorius. Ita Caiet. 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 4. huiuſmodi mendaciis poteſt eſſe coniunctum peccatum mortale per accidens ratione contemptus, vel ſcandali in Populo.

An fœmina, quæ falſis artibus virginitatem tegit, peccet mortaliter?

BRACTEA VIII.

R. Fœminam, quæ bonis artibus, & medijs licitis defectum virginitatis tegit, & tamquā virgo matrimonium contrahit, non peccare mortaliter, cum non intendat alterum decipere, ſed ius ſuum tueri, & ad illud tuendum, vti poſſit verbis amphybologicis, aut medijs alijs licitis. Ita Sanchez *lib.* 6. *de matrim. diſp.* 27. & alij; nec etiam Parentes peccare mortaliter, qui conſcij huius defectus illam in matrimonio tanquam virginem coniungūt, dummodo periculum non ſit, vt vir veniat in cognitionem huius defectus, eoque cognito grauem concipiat mœrorem, & vxorem malè tractet. Ratio eſt, quia videtur vti iure ſuo, cum huiuſmodi vitia manifeſtari non ſoleant ab ipſis contrahentibus, vel ab ipſorum mediatoribus. Tum quia nullus tenetur ſe ipſum prodere. Si verò credat virum hoc ſciturum, & graue damnum eſſe paſſurum, & peſſimè ſecū acturum, peccat non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ſi vir graue damnum ob defectum non manifeſtatum patiatur, aut ſi vir in contractu matrimonij expreſſerit ſe nolle cum ea contrahere niſi virgo ſit, quia tunc dicitur illum decipere, illiq; iniuriam grauem afferre. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 2. *art.* 3. Sanchez *lib.* 6. *de matrimon. diſp.* 27. *num.* 8. & alij.

Secundò, non peccare mortaliter, qui habitu mentitur ſexum, vt ſi fœmina vtatur habitu virili, aut vir habitu fœmineo, modo non adſint leges hoc ſpecialiter prohibentes ſub peccato graui, & modo non adſit periculum grauis ſcandali. Ratio, quia hoc non eſt mendacium pernicioſum, & ideò qui ſine periculo ſcandali, & malo ſine, ſed ſolum ex leuitate mentitur ſexum, peccat tantummodo venialiter. Ita Silueſter *verb. fœmina num.* 2. Tabiena *eodem verbo num.* 4. & alij. Secus dicendum eſt de his, qui habitu obſcœno, & ad turpia inducente incedunt in baccanalibus; iſti enim peccant ratione ſcandali. Qui verò incedunt in baccanalibus ſimpliciter habitu fœmineo, peccant tantum venialiter, immò nullum faciunt peccatum, ſi hoc faciant cauſa relaxandi animum, nec adſit aliud periculum. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 4. *dub.* 6. & alij.

MALLEATIO LXXII.

De detractione.

Quid ſit fama, & honor?

BRACTEA I.

R. Fama eſt multorum exiſtimatio de laudabili vita, & moribus alterius, ſeu clara notitia de aliquo habita. Ita Bannez 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 10. Arragon. *ibidem*, D. Thom. & Caiet. *ibidem*, Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 1. Sotus *lib.* 4 *quæſt.* 6. *art.* 3. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 4. Molina *tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. Nauar. *cap.* 28. & Summiſtæ *verb. detractio*. Dixi multorum exiſtimatio, quia paucorum exiſtimatio, nec bonam, nec malam facit, ſed opus eſt, vt in maiori parte, aut ſaltem in multis reſideat. Secundò, dixi de laudabili vita, quia fama prout hic ſumitur, conſiſtit in opinione virtutis, & ſapientiæ, quæ ſunt propria hominis bona, ob quæ ſola eſt laude dignus.

Sciendum, quod cum fama verſetur circa vitam, & mores alterius, ſi vita, & mores erunt laudabiles fama eorum dicitur bona; ſi verò vituperatione digni, erit mala fama. Diſtinguuntur autem fama à rumore in hoc, quod omnis fama eſt rumor, non autem è contra: Rumor eſt quaſi parua fama, vt quando maior pars alicuius viciniæ aliquid atteſtatur de virtute alterius; fama quando maior pars populi, ciuitatis, vel viciniæ aliquid atteſtatur de virtute alterius. Secundò, honor eſt actus, quo quis verbis, vel factis, vel etiam ſignis manifeſtat opinionem, quam habet de excellentia alterius, ſeu honor eſt teſtificatio excellentiæ alterius, ſeu honor eſt cultus, & reuerentia exterius homini exhibita virtutis, & dignitatis cauſa. Ita Leſſius *loco cit. num.* 2. & alij.

Sciendum hanc eſſe differentiam inter famam, & honorem, quod fama eſt opinio virtutis, ſapientiæ, & rerum præclarè geſtarum, &c. honor autem eſt teſtimonium excellentiæ; fama conſiſtit in interna opinione, honor in externa demonſtratione noſtræ

exiſti-

exiſtimationis de excellentia alterius, hoc autem fit verbis, vel ſignis, verbis, vt cum quis alterum appellat ſanctum, prudentem, ſapientem, &c. ſignis autem, vt genuflexione, capitis inclinatione, ſeſſione in primo loco, &c. Secundò, honorem eſſe bonum excellentius, quam fama: Ratio eſt, quia honor includit famam, ſeu opinionem excellentiæ, & eius teſtificationem. Vnde Ariſtot. 4. *Æthicor.* docet honorem eſſe maximum inter bona externa, quia vt ipſe ait, Principatus, & diuitiæ propter honorem ſunt optabilia. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 1. & alij.

Quid ſit detractio?

BRACTEA II.

Rdetractio eſt alienæ famæ occulta, & iniuſta denigratio, & ablatio; ſeu detractio eſt violatio iniuſta, & occulta alienæ famæ. Vnde ad detractionem duo requiruntur; Primò, vt aliquid dicatur, vel eo modo dicatur, vt alicuius famam, & exiſtimationem, quam poſſidet in animo alterius extinguere, aut minuere valeat; Secundò, vt fiat occultè ſaltem iuxtà intentionem dicentis.

Sciendum detractionem dupliciter ſumi materialiter, & formaliter: detractio materialis eſt, quæ fit abſque intentione auferendi famam proximi: formalis eſt, quæ fit animo auferendi famam proximi, & vtraq; ſuppoſita grauitate materiæ, eſt peccatum mortale, licet materialis, ſi fiat ex iuſta cauſa excuſari poſſit à peccato mortali.

An detractio ſit ſemper peccatum mortale?

BRACTEA III.

Rdetractionem formalem ex genere ſuo ſemper eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia in re graui proximum lædit. Dixi ex genere ſuo, quia poteſt eſſe ſolum peccatum veniale ex defectu materiæ, qua quis intendit famam alterius lædere. Secundò, ratione intentionis detrahentis, quia ſcilicet detractor non intendit infamare proximum, nec ipſum lædere. Tertiò, ex defectu deliberationis, vt quando quis inaduertenter dicit aliquod verbum, quo alter infamatur, vt quando quis incautè, & ex animi leuitate dicit aliquid de proximo, quod attentis circumſtantijs tenera ipſum infamat, ſed tamen inaduertenter dicit tale verbum, & cum læſio alterius non ſit directè volita, hinc eſt, quod peccet ſolummodo venialiter. Verum ſi id, quod narratur grauiter proximi famam lædat, erit peccatum mortale. Ratio eſt, quia, & ſi expreſſè non intendat lædere, tamen intendit implicitè dum vult illud, vnde per ſe læſio ſequitur. Detractionem materialem in re graui eſſe etiam peccatum mortale. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 2. Ratio, quia licet materialis, poteſt inferre etiam damnum notabile. Secundò, narrare defectus veniales alicuius non eſt niſi peccatum veniale. Ita Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 7. *dub.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 14. Ratio, quia huiuſmodi narrationes non cenſentur magni momenti, nec grauiter læditur fama.

Sciendum, quod aliquando narrationes veniales cenſentur peccata mortalia, reſpectu perſonæ, vt quando quis de viro graui, & Religioſo, dicit eſſe mendacem, id eſt crebrò, & ex conſuetudine mentiri; ſi verò ſolum diceret ſemel, vel bis mentitum fuiſſe, non peccabit mortaliter, quia non amitteret famam. Tertiò, reuelare defectus naturales, ſiue animi, ſiue corporis regulariter, non eſt peccatum mortale. Ita Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 307. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 79. Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 7. *nu.* 4. & alii. Ratio, quia in manifeſtatione horum non grauiter læditur fama, nec ob tale dictum cenſetur quis infamis.

Sciendum 2. Quod ſi manifeſtatio defectuum naturalium notabile damnum inferat, vt quando aliquem impedit à conſecutione alicuius beneficij, vel magni boni, aut honoris, aut quando in facie manifeſtantur cum periculo contriſtationis eiuſdem perſonæ, vel alterius, tunc peccat mortaliter manifeſtãs contra charitatem, quia eſt alteri cauſa magnæ contriſtationis, damni, &c. Ita Nauar. *cap.* 16. *num.* 24. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. & alii. Quartò, defectus natalium manifeſtare eſt ex ſe peccatum mortale. Ita Azor. 5. *par. lib.* 13. *cap.* 7. *dub.* 2. Molina *tom.* 9. *diſp.* 16. *num.* 5. & alii. Ratio, quia manifeſtatione horum defectuum maximè offenditur perſona, vel fama.

Sciendum 3. Defectus natalium, vel eſſe manifeſtos, vel occultos: manifeſtare defectus natalium occultos ſemper eſt peccatum mortale, quia ex hac manifeſtatione maximè læditur fama, & perſona, vt ſi ex aliquo dicatur ſe ortum ex adulterio, ſacrilegio vel ex inceſtu, aut etiam ex Iudæis, Turcis, &c. ſi verò defectus natalium ſint publici, eos manifeſtans animo detrahendi, vel iniuriandi, peccat mortaliter contra charitatem; ſi verò eos manifeſtat ſimplici narratione, vel aliqua iuſta cauſa, non peccat mortaliter contra charitatem. Quartò, de aliquo aſſerere morbo gallico affectum eſſe regulariter, eſt peccatũ mortale. Ratio, quia talia manifeſtatio grauiter lædit famam, cum ſupponat peccatum mortale, nimirum fornicationem, &c.

Sciendum 4. Quod licet morbus gallicus procedat aliquando ex cauſis non peccaminoſis, vt potè ex frigiditate, &c. regulariter tamen prouenire ex effectu libidinis, & dicere aliquem eſſe affectum morbo gallico, perinde eſt, ac dicere ipſum non modo inclinatum eſſe ad libidinem, ſed etiam ex congreſſu fornicario, & meretricio affectum eſſe morbo gallico. Secus autem dicendum ſi dicatur de milite, quod ipſe ſit affectus morbo gallico, quia talis manifeſtatio non grauiter lædit famam militis, cum ſoliti ſint committere peccata, ex quibus oritur talis morbus. Quintò, peccat tantum venialiter, qui aliquem infamat generalibus nominibus peccatorum mortalium, vt ſi dicat aliquem eſſe ſuperbum, auarum, &c. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 18. Ratio, quia hæc nomina in generali accepta denotãt ſolum quandam inclinationem naturalem, vel defectus veniales, fieri tamen poteſt, vt ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda pro grauibus vitiis ſit in his peccatum mortale. Nauarrus *cap.* 18. *nu.* 24. & alii.

Quot modis fiat detractio?

BRACTEA IV.

Rdetractionem fieri octo modis, quatuor poſitiuè, & quatuor negatiuè. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 1. & cum eo alii Doctores: Ratio, quia quatuor ſunt modi, quibus directè detrahitur, & quatuor modi, quibus indirectè detrahitur.

Sciendum, quod quatuor modi, quibus directè, & po-

& poſitiuè detrahi poteſt alicui perſonæ ſunt iſti. Primus imponendo alteri crimen falſum, de quo dicitur Eccleſiaſtic.13. *Attende tibi à peſtifero, fabricat enim tibi malum*. Secundò, reuelando crimen occultum, licet verum, de quo dicitur Eccleſiaſt. *Qui denudat arcana amici perdit fidem*. Tertiò, augendo verum crimen, & amplificando, de quo dicitur Eccleſiaſt. 11. *Ab vna ſcintilla augetur ignis, & à doloſo augetur ſanguis*. Quartò, ſiniſtrè interpretando alterius factum, ſicuti dicitur Eccleſiaſt.11. *Bona in mala conuertens inſidiatur, & in electis imponet maculam*. Iſti quatuor modi detractionis hoc verſu continentur,

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.

Modi autem indirecti, ſeu negatiui ſunt etiam quatuor. Primus negando rectè facta, vel dicta alterius, quo modo peccarunt illi, qui negauerunt miraculum cęci nati factum à Chriſto. Secundò, ea extenuando, vel diminuendo. Tertiò, tacendo bona alterius eo loco, & tempore, quo ſilentium interpretabitur vituperatio. Quartò, quando ſimulatè, & frigidè laudando cenſeatur cedere in vituperium laudati. Iſti quatuor detractionis modi exprimuntur hoc carmine

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſè.

Sciendum omnes haſce detractiones eſſe eiuſdem ſpeciei: Ratio eſt, quia omnes habent idem obiectum materiale, & formale, nempè famam occultè læſam, licet ſint aliqui modi grauiores aliis, ideoque explicandi in confeſſione, cum diuerſa ratione reſtitutio famæ facienda ſit. Et ita Saytus *lib.* 12. *cap.* 6. & alij.

An peccet mortaliter peccato detractionis, qui dicit in tali oppido, vel in tali loco eſſe plures prauos homines?

BRACTEA V.

R. Non peccare mortaliter peccato detractionis: Ita Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 21. Azorius 3. *part. lib.* 17. *cap.* 7 *dub.* 6. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 81. & alij. Ratio, quia nullus in particulari infamatur, & nullus grauiter læditur. Si autem dicat omnes homines tali loci, vel ciuitatis eſſe improbos, vel prauos, tunc cenſetur peccare peccato detractionis, cum omnes infamet. Similiter peccare peccato detractionis, ſi manifeſtet delictum alicuius particularis, quod vertatur in infamiā aliorum, vt ſi dicit Religioſum talis Monaſterij, vel talis Religionis inuentum eſſe cum meretrice, vel eſſe deditum tali peccato; Secus autem ſi referat delictum, quod frequens ſit in tali Religione, ſeu Monaſterio. Item peccare peccato detractionis reuelantem delictum alicuius, de quo audientes poſſint facilè venire in cognitionem, vel ſaltem in ſuſpicionem quis nam ſit, vt ſi dicit in tali Collegio, vel Monaſterio eſt perſona dedita tali vitio, de qua perſona poſſint audientes venire in cognitionem.

An auditor detractoris peccet mortaliter?

BRACTEA VI.

R. Qui audit detractorem, & audiendo incitat ipſum ad detrahendum verbis, vel ſignis, peccat mortaliter contra iuſtitiam in materia graui, & obligatur ad reſtitutionem. Ita Reginaldus *lib.* 24. *num.* 95. Clauis reg. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 38. Nauar. *cap.* 18. *num.* 37. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 7. *dub.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 4. & alii. Ratio, quia verbis, aut ſignis incitando cenſetur cauſa efficax damni, immò magis peccat, quam detractor. Ratio, quia non ſolum ipſe in ſe peccat effectu detractionis ſicut detractor, ſed etiam alteri eſt cauſa detrahendi, detractor enim ſolum eſt auctor ſui peccati, ille verò, & ſui, & alterius. Vnde tenetur ad reſtitutionem, niſi detractor ipſe reſtituat, ſicut etiam peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem, qui oſtendit rem gratam ſibi fore aliorum detractionem, & ſimiliter eum peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem, qui alterum abſque iuſta cauſa interrogat de defectibus aliorum, & ſua interrogatione eſt cauſa, vt manifeſtentur defectus occulti. Ita Nauarr. *cap.* 23. *num.* 26. Secus autem ſi iuſta aliqua cauſa interroget, aut inuicibiliter ignoret detractionem grauē futuram, ſed detrahentes præter opinionem incitantia grauiter poſteà detraxit. Secundò, qui audiendo detrahentem delectatur de detractione, ſed ipsū non inducit ad detrahendum, peccat mortaliter contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam. Ratio cur peccet contra charitatem eſt, quia delectatur de malo proximi, quod eſt contra charitatem; Ratio cur non peccet contra iuſtitiam eſt, quia ipſe non eſt cauſa efficax damni, nec illi incumbit ex officio, vt ſuppono, impedire detractorem; quod ſi delectetur ſolum narratione alicuius defectus non complacens de malo proximi, neque excitans ad detrahendum, ſed ſolum delectatur de narratione rei nouæ, & de modo narrandi detractoris, nimirum de eius eloquētia, non peccat mortaliter contra charitatem. Nauar. *cap.* 23. *num.* 26. Reginaldus *loco citato nu.* 96 Tertiò, qui nec inducit, nec delectatur, tamen audit, nec reſiſtit, cum poſſit aliquando, peccat venialiter, & aliquando mortaliter: mortaliter peccat ſi infamia ſit grauis, & facilè poſſit eam impedire, nec putet eam graui ratione auertendam, ſed breui recuperandam. Ratio eſt, quia charitas obligat, vt graue damnum, quod ipſe inuitus patitur, impediamus ſi commodè poſſumus; peccat etiam mortaliter contra iuſtitiam, ſi ex officio obligatur impedire, & non impedit. Vnde ſuperior, qui ex officio tenebatur impedire proximi infamiam, peccat mortaliter non impediendo, & obligatur ad reſtitutionem: excuſari tamen poteſt à peccato mortali; primò, ſi detractio ſit de re leui: Secundò, ſi eſt quidem de re graui, ſolum ſit apud vnum, vel ad ſummum duos, qui rem omninò ſilebunt, quia tunc non cenſetur notabilis infamia: Tertiò, quando ſibi timet aliquod graue damnum corrigendo, vt ſi timeat ſibi iniurias, &c. Quartò, ſi nimia verecundia, vel animi puſillanimitate non audeat reſiſtere: Quintò, quando non ſperat correctionem profuturam: Sextò, ſi putet detractorem ſponté reuocaturum, vel emendaturum, quod dixit: Septimò, ſi putet auditores non cedere. In iſtis caſibus peccat ſolummodo venialiter prætermittendo correctionem, & aliquando nec etiam venialiter, vt ſi non putet monitionem profuturam, vel metuat aliquod magnum damnum, vel ſi rationabilis verecundia obſtet, vt ſi audiens ſit famulus, aut nullius auctoritatis; in his tamen caſibus, qui non poteſt aliter impedire detractionem, debet diſcedere, ſi commodè poſſit, vel ſermonem alio diuertere, vel faciem triſtiorem oſtendere, vel obſecrare, ne de ea re agatur. Vnde colligitur priuatas perſonas ſæpius excuſar à peccato mortali, non obſtantes detractioni; Secundò, eos, qui non corrigunt ſubditos detrahentes, quos ex officio tenentur corrigere, non modo peccare mortaliter contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, cum obligatione reſtituen-

di, ſi ſubditus non reſtituat. Ita Leſſius *loco cit. dub.* 4. Molina *diſp.* 34. Reginald. *lib.* 24. *num.* 95. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 396. & alii.

Quis obligetur ad reſtitutionem, qui ad detractionem inducit, an ipſe detractor?

BRACTEA VIII.

R. Si inducens ad detractionem, imperio, vel fraude fuit cauſa iniuſta detractionis ſolus inducens principaliter tenetur. Ratio, quia ipſe fuit cauſa principalior, & detrahens cauſa minus principalis, quę ſolum obligatur ad reſtitutionem in defectum cauſę principalioris; ſi verò ſolum Concilio, aut alia ratione ſine dolo, & fraude detrahentem ad infamandum inuitauit ipſe detractor principaliter tenetur reſtituere, & inducens ſolum obligatur in defectum illius, tanquam cauſa minus pricipalis, quę ſolum obligatur ad reſtitutionem in defectum cauſę principalis. Et ita Molina *diſp.* 34. & alij.

An referens audita abſque aſſeueratione peccet mortaliter peccato detractionis?

BRACTEA IX.

R. Referentem crimen occultum, quod quis audiuit non aſſerendo, neque affirmando tanquam certum, ſed hæſitanter, & dubitando ex loquacitate, & leuitate tantum venialiter peccare. Ita Nauar. *cap.* 18. *num* 50. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 6. Molina *tract.* 4. *diſp.* 30. Rebellus *lib.* 4. *de reſtit. quæſt.* 3. Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 16. Em. Sà *verb. infamare num.* 4. Arragon. 2.2. *quęſt.* 62. *art.* 2. *dub* 6. Ratio, quia non lęditur fama ex intentione referentis, ſed ſolum per accidens ex leuitate audientis.

Sciendum quod licet regulariter referens non peccet, tamen in aliquibus caſibus mortaliter peccat. Primus, ſi referat, quod audiuit illud amplificando, vel illi aliquid addendo. Secundùs ne referens ſit tantę auctoritatis, vt illi credatur. Tertiùs, ne ex modo dicendi maiorem certitudinē ingerat. Quartùs, ne referat animo lędendi famam, & dicat illud audiuiſſe à tali perſona. Quintùs ne referat coram his, qui poſteà rem eandem narratam ſint manifeſtaturi, aut exageraturi. Sextùs, crimina quę refert, ſint grauia, & enormia, vt hęreſis proditio, præpoſtera libido, cum veriſimile ſit, ex horum manifeſtatione malam ſuſpicionem ſuborituram, & per conſequens erit peccatum mortale talia narrare, cum ſuſpicionem ingerere in materia graui ſit peccatum mortale: Secundò, referentem audita eo modo, vt audientes induci poſſint ad opinandum malum de proximo eſſe verum detractorem formaliter, & peccare mortaliter. Ita Sotus *lib.* 4. *de iuſtit. qu.* 6. *art.* 3. Leſſius *loco citi cap.* 11. *dub.* 5. Ratio, quia talis dat ſufficientem cauſam malè opinandi. Tertiò, eum qui refert audita eo modo, vt audientes ex ſua leuitate ea credituri ſint non peccare contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. Ratio primę partis eſt, quia non cenſetur per ſe cauſa efficax damni, ſed ſolum per accidens: Ratio ſecundæ partis eſt, quia qui aduertit ex ſuis dictis, vel factis proximum grauiter lędendum, tenetur ex charitate ſi commodè poteſt abſtinere, quamuis alterius culpa videat id euenturum. Quartò, eum qui refert audita eo modo, vt probabiliter iudicet nullam infamiam inde orituram, quia ſcilicet alii non ſint credituri, non eſſe verè detractorem, nec peccare mortaliter. Nau. *cap.* 18. *num.* 59. Leſſius *loco cit. num.* 24. & alij. Ratio, quia cum non ſit probabile periculum proximi, non fit contra iuſtitiam, nec charitatem.

An liceat ſeipſum infamare?

BRACTEA X.

R. Seipsvm infamare ex cauſa iuſta, & honeſta, nō eſt peccatum mortale ex genere ſuo. Ita Nauar. *cap.* 18. *num.* 27. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 6. *num.* 1. Rebellus *lib* 4. *quæſt.* 5. & alii. Ratio eſt, quia non violat iuſtitiam cum ſit dominus ſuę famę, & ſicut quis cum ſit dominus ſuę pecunię, poteſt eas prodigere, ita cum ſit dominus ſuę famę, poteſt ipſā prodigere ſe infamando iuſta cauſa, ideò non violat etiam charitatem, quia Charitas non obligat hominem ad bona huius vitę, quæ extra nos ſunt comparanda, vel conſeruanda, niſi quatenus ſunt neceſſaria ad bona ſpiritualia, vel noſtra; vel proximiorum; ergo non obligat ad famam conſeruandam ſi ipſa ſecundum ſe conſideretur. Dixi ex iuſta cauſa, quia qui ſine aliqua cauſa iuſta famam ſibi adimit detegendo ſuum crimen, verum ſed occultum, peccat tanquam prodigus diſſipator, ac contemptor famæ ſuæ, agens contra illum Eccleſ. 31. *curam habe de bono nomine.* Ita Petrus Nauar. *lib.* 2. *de reſtit. num.* 120. Sot. *lib.* 5. *de iuſtit. quęſt.* 10 *art.* 2. & alii.

Sciendum quod licet ex genere ſuo ſeipſum infamando iuſta cauſa, non peccet mortaliter, tamen ratione alicuius circunſtantiæ aliquādo peccat mortaliter, vt quando infamando ſeipſum, infamia redundat in alios, v. g. in filios, in familiam, in Religionem, &c. Secundò ſi ex tali manifeſtatione oriatur ſcandalum notabile, vel detrahenti, vel proximo vt quando fama eſt homini neceſſaria ratione alicuius dignitatis, vt ſi eſt Prælatus, cui eſt neceſſariā fama, vt ſuo munere fungatur. Tertiò, quando homo reuelans ſua peccata de illis gloriatur, & ſibi cōplacet. Quartò, quando talis infamia redundat in damnum propriæ vitæ, aut membri, vt ſi detegat peccatum, vel ſibi imponat, ob quod ſua vel aliorum damnatio, aut membri mutilatio ſequeretur. Ita Rodriquez *part.* 1. *cap.* 253. *num.* 4. Nauar. *cap.* 18, *n.* 28. Molina *diſp.* 37. Couar. *lib.* 1. *var. cap.* 2. *num.* 8. & alij. Quintò, quando ex tali infamatione alij eiuſdem ſtatus ſimili vitio laborare crederentur, vt ſi Religioſus ſua flagitia Laicis reuelaret, ex quo Religio, vel Monaſterium infamaretur, quia talis infamia non ſolum eſſet contra charitatem, ſed contra iuſtitiam.

An qui metu mortis ſeipſum infamat peccet mortaliter?

BRACTEA XI.

R. Ad euitanda tormenta leuia, falſum imponere crimen, ob quod morte ſit plectendus eſt peccatum mortale. Ita Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. qu.* 10. *art.* 2. & alii communiter. Ratio, quia quiſque leui incommodo vitam ſuam cuſtodire tenetur. Tum etiam, quia quiſque tenetur ſub mortali conſeruare propriam vitam, etiam cum aliquo dolore, & incomodo, maximè quando mortem non eſſet commeritus. Tum etiam, quia in hoc caſu ſine cauſa dando occaſionem ſuæ mortis moraliter ſe occideret.

Molina

Molina *diſp.*37. Leſſius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*7. & alij. Secundò, non peccat mortaliter, qui ob tormenta leuia, verum ſuum crimen, ſed occultum manifeſtat, etiamſi ob id morte ſit plectendus. Ita Leſſius *lib.*2. *cap.*11.*dub.*7.*num.*36. Molina *tract.* 4.*diſp.*37. & alii. Ratio, quia cum ob ſua delicta promeritus ſit mortem abſque omni peccato poteſt ſe iudicio exhibere, & crimen occultum aperire, & per conſequens idem poterit facere ob leuia tormenta. Tertiò, quod qui vt mortem euadat falſum ſibi crimen imponit ſolum peccat venialiter quando ex ea criminis impoſitione non ſequitur notabile ſcandalum aliorum. Ratio, quia talis confeſſio non eſt ei cauſa mortis, ſed potius id efficiendo ſeipſum eripit à corporis morte. Quartò, non peccare mortaliter, qui ad euitanda tormenta grauia imponit ſibi falſa crimina, quamuis certus ſit ob id morte plectendus. Ita Silueſter *verbo donatio num.*6. Sotus *lib.*5.*de iuſtit.quæſt.*1 *art.*6. Leſſius *loco cit.num.*4. & alii. Ratio, quia non tenetur vitam defendere cum tanto cruciatu, ſicut non tenetur permittere ſibi tibiam abſcindi cum maximo dolore non enim tanto dolore digna eſt ſalus. Quintò, qui ad euitanda grauia tormenta manifeſtat crimen alterius occultum, de quo promiſerat ſecretum, non obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti, nec etiam peccat. Ita Nauar. *cap.*18. Leſſius *lib.cit.dub.*9. Reginald. *lib.*24.*num.*91. Sotus *lib.*5.*de iuſtit.quæſt.*10.*ar.*2. & alii. Ratio, quia ſecretum naturale non obligat cum periculo vitæ.

An qui metu mortis alicui crimen falſum imponit, peccet mortaliter, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XII.

R. Qui ad euitandam mortem, aut grauiſſima tormenta euadenda aliis crimen notabile imponit, ex quo illis ſequitur iactura vitæ, mortaliter peccat cõtra iuſtitiã. Ratio, quia imponẽdo alteri falſum crimen, violat iuſtitiam, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem. Secundò, qui ad tuendam vitam imponit alteri falſum crimen, ex quo non ſequitur periculum vitæ, ſed ſolum infamia, non peccat contra iuſtitiam. Ratio, quia tale dictum poteſt poſteà reuocari. Ita Silueſter *verbo donatio quæſt.*3. & alii. Tertiò ad euitanda grauia tormenta poteſt quis alienum crimen occultum, vel aliud ſecretum detegere, etiamſi alteri ſit periculum mortis, aut infamiæ. Ratio, quia nemo tenetur cum periculo ſuæ vitę alterius famam, aut vitam ſeruare occultando illius delictum commiſſum. Ratio, quia ſolum tenetur ex charitate illud ſeruare, aut etiam ex iuſtitia, quando id poteſt facere ſine graui ſuo incommodo. Si tamen ſine cauſa reuelaret peccaret, & obligaretur ad reſtitutionem, quia voluntariè eſſet cauſa damni. Ita Leſſius *lib.*5.*quæſt.*10.*art.*2. Nauar. *cap.*18.*nu.*54. Leſſius *lib.*2.*cap.*11. *dub.*8. & alij. Quartò ad euitandam mortem non poteſt quis reuelare ſecreta Reipublicæ, vel Principis. Ratio eſt, quia pro ſalute Reipublicæ, vel Principis quiuis priuatus tenetur exponere propriam vitam. Toletus *lib.*5.*cap.*66.

An qui ad euitanda tormenta impoſuit ſibi falſum crimen, ob quod eſt interficiendus teneatur ſe retractare, ut ſibi famam reſtituat?

BRACTEA XIII.

R. Non obligari ſe retractare, nec eo modo ſibi reſtituere famam ſi probabiliter metuit ſe iterum eadem, aut grauiora tormenta paſſurum ſi crimen deneget. Ratio eſt, quia non tenetur cum tantis tormentis ſeruare vitam, neque tenetur ſuum dictum reuocare, vt reſtituat famam familiæ, aut Reipublicæ, quia fama principaliter eſt propter ipſum, qui infamatur, & minus principaliter propter alios, principalis poteſt liberè vti iure ſuo, & cedere; nec tenetur cum tanto ſuo incommodo aliorum famę conſulere. Secundò, qui metu tormentorum ſeipſum infamauit, tenetur quando extremo ſupplicio eſt puniendus ſuum dictum reuocare, ſi retractando habet probabilitatem ſe à morte liberandi, vel ſi ſe infamauit delicto enormiſſimo, vt peccato hæreſis & peccato nefando. Ita Silueſter *verbo detractio q.*3. In alijs caſibus non tenetur, ſi retractatio non ſit illi profutura. Ita Petrus Nauar. *lib.*2.*de reſtit. num.*135. Leſſius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*7. Toletus *lib.*5.*cap.*66.

An filius peccet mortaliter, qui cum euidenti periculo ſibi crimen Patris impoſuit?

BRACTEA XIV.

R. Peccare mortaliter, quia per mendacium, & fraudem impediuit executionem dignæ mortis contra Patrem. Tum etiam, quia imponendo ſibi crimen Patris cooperatur ad propriam mortem prębendo cauſam efficacem per mendacium, vt Patrem à morte liberet, quod eſt omninò illicitum. Ita Molina *tom.*5. *diſp.*37. quando verò Iudex non iuridicè procedit, filius non peccat mortaliter, imponendo ſibi crimen falſum, cum periculo vitæ propriæ, vt eripiat Patrem, modo non adiungat falſum iuramentum. Ratio eſt, quia non modo pro Patre, ſed etiam pro amico licitum eſt vitam ponere; tum quia ille non peccat mortaliter, qui ſibi falſum crimen imponit ad euitandam mortem, vel grauia tormenta; ergo neque etiam peccat mortaliter filius, qui ſibi crimen falſum imponit ad tuendam vitam Patris.

An licitum ſit manifeſtare crimen alterius occultum ad euitandum damnum proximi?

BRACTEA XV.

R. Licitum eſſe manifeſtare crimen alterius occultum ad impediendum damnum alicuius momenti tam ſpirituale, quam temporale, modo illa manifeſtatio ſit neceſſaria ad illud impediendum. Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*9.*num.*1. Rebellus *lib.*4. *de reſtitut.quæſt.*2. Nauar. *cap.*18. *num.*31. Clauis Regia *cap.*6.*num.*18. & alij. Ratio, quia, quiſque tenetur conſulere bono publico, & bono innocentis.

Sciendum quod quando reuelatio criminis non eſt neceſſaria ad euitandum damnum proximi, ſeu damnum publicum non poteſt crimen occultum manifeſtare, & ſi manifeſtat peccat peccato detractionis, ſi autem neceſſaria eſt ad euitandum damnum, licitum eſt manifeſtare crimen alterius, vt v. g. poteſt manifeſtare impedimentum illius, aut defectum naturalem aut moralem illius, qui vult ingredi Religionem, vel matrimonium contrahere. Similiter quærenti informationem alicuius adoleſcentis, vt ad aliquod Collegium poſſit admitti poſſunt manifeſtari eius defectus, & manifeſtans non peccat peccato detractionis, cum talis manifeſtatio ſit ordinata ad bonum publicum: ita etiam ſi quis aliquem nouit eſſe furem, poteſt ſciens monere eos cum quibus habitat, aut vult habitare, vt ſibi caueant. Item ſi homicidium ab aliquo ſit commiſſum, quod alteri imputatur, ob quod morte plectendus eſt, poſſe manifeſtare auctorem homicidij, vt v.g. ſi à Paulo ſit commiſſum, & imputetur Petro, poſſe manifeſtare Paulum eſſe auctorem homicidij, monendo tamen ſi fieri poteſt Petrum, vt ſe in tuto ponat. Ita Nauar. *cap.* 18. *num.* 32. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 123. & alij. Imò in huiuſmodi caſibus ſæpè fit, vt non ſolum quis poſſit, ſed etiam obligetur ex charitate crimen alterius manifeſtare, nēpè ob graue damnū, quo ex eo aliis imminet, & damnū, quod ex manifeſtatione ſequitur, non ſit tantum, vt eius ratio præ altero haberi debeat: in dubio autem vtrum præponderet, inclinandum eſt in fauorem innocentis; huic enim in dubio eſt fauendum. Ratio horum eſt, quia nemo habet ius tuendæ famæ cum tanto damno, quod inde alteri iniuſtè obueniret: item quiſque habet ius ad proferendum in lucem id, quod in ſua cognitione abditum tenet ſi ex occultatione aliis damnum prouenitet.

Secundò, ſi ad euitandum illud damnum non eſſet neceſſe illud crimen patefacere, ſed ſupereſt alia via commodior ſeu minus noxia, nō poteſt quis illud manifeſtare, quia eſſet contra charitatē lædere proximum quando alia via quis poteſt auertere damnum. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſi reuelatio illa non videtur neceſſaria, fruſtrà fiet, in dubio tamen eſt licita.

An liceat manifeſtare ignorantiam illius, qui fictè ſibi famam acquiſiuit?

BRACTEA XVI.

RLicitum eſſe manifeſtare ignorantiam illius, qui fictè ſimulat ſe doctum, ſi talis manifeſtatio vertatur in bonum publicum, aut etiam priuatum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 10. & alii. Ratio, quia quiſque ex charitate tenetur conſulere bono proximi publico, aut priuato. Vnde quādo ſimulatio alicuius vertitur in damnum publicum, aut priuatum, licet manifeſtare illam ſimulationem, ne perſonæ decipiantur, vt v.g ſi aliquod oppidum, vel ciuitas aliquem accipere velit in Medicum, Aduocatum, vel etiam Procuratorem ad lites, qui ſe fictè ſimulat alicuius artis doctum, cum ſit ignorans, licet eius ignorantiam aperire ad quos pertinet, vt ſibi melius conſulant & prouideant. Secundò, ſi ſimulatio virtutis nemini noceat, non eſt manifeſtanda. Ita Leſſius *loco citato.* Ratio, quia ſine cauſa non eſt aliquid agendum contra charitatem proximi. Tum etiam, quia eſſet priuare fama, & inferre malum infamiæ, quod abſque cauſa non eſt faciendum. Ita Leſſius *loco cit.* Tertiò, licere defectus hypocritæ manifeſtare, qui per hypocriſiam famam in populo acquiſiuit, ſi talis ſimulatio ſit alteri pernicioſa. Ratio eſt, quia ille ius non habet ad illam famam, cum falſis, & fictis virtutibus per hypocriſim illam acquiſierit; Si verò talis hypocriſis non ſit alteri pernicioſa non licet eam manifeſtare, vt v. g. ſi mulier receta pauper ſimulet pietatem, vt eleemoſynam acquirat, non poteſt quis eius occultos defectus manifeſtare, niſi ex illa hypocriſi damnum alicui proueniat; eſſet enim id non modo eam priuare fama, ad quam habet ius, ſed etiam illi inferre malum infamiæ detegendo duo crimina, ſimul peccatum, quo eſt infecta, & hypocriſim, quod eſſet contra charitatem. Quod etiam dicendum eſt de his, qui ſimulant nobilitatem, eruditionem, & quamuis peritam ſine periculo alicuius damni; & ideò non licet manifeſtare defectus hypocritæ quando non ſunt contra bonum publicum, vel priuatum.

An is, qui crimen alterius vni ſoli, vel duobus reuelat qui ſecretò retinebunt, peccet mortaliter?

BRACTEA XVII.

RQui abſque iuſta cauſa crimen occultum alicuius reuelat vni, vel duobus amicis prudentibus, & taciturnis peccat mortaliter. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 2. Bannez *ibidem,* Molina *tract.* 4. *diſp.* 29. *num.* 7. Sotus *in* 4 *quæſt.* 6. *artic.* 3. & alii citati à Bonacina *diſp.* 2. *de reſtitut quæſt.* 4. *pun.* 3. *num.* 2. Ratio, quia talis manifeſtatio grauiter lædit famam; tum etiam, quia, qui commiſit delictum magis lęditur, & inuitus cenſetur, quod eius delictum ſciatur ab vno, vel duobus prudentibus, &c. quam à pluribus alijs. Tertiò, qui iuſta cauſa reuelat crimen alicuius prudenti, & taciturno, non peccat mortaliter, vt v. g. ſi ipſum reuelet ob bonum Reipublicæ, vel etiam propter eius vtilitatem, cuius crimen aperitur, vel propter bonum, & vtilitatem aliorum. Ita Bannez 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 1. Salon. *ibid. art.* 3. Molina *diſp.* 29. & alij. Vnde qui alteri amico narrat iuſta, & honeſta aliqua cauſa delictum alicuius, non animo detrahendi, ſed ſimplici narratione, non peccat, vt v. g. vir, qui ſuæ vxori, vel Pater filio taciturno, vel amicus amico narrat delictum occultum, non intentione detrahendi, ſed ſolum ſimplici narratione, vel etiam per modum exempli, ne incurrat in tale delictum, non peccat, quia ſicut Hiſtoricus abſque peccato poteſt manifeſtare delicta occulta defunctorum, vt ſiunt alijs in exemplum, ita ob talem finem licitum prudenti, & taciturno narrare delictum occultum, non eſt peccatum.

An qui refert iniuriam ſibi ab aliquo factam, peccet?

BRACTEA XVIII.

RReferentem amico iniuriam ſibi ab aliquo factam in materiam graui animo detrahendi, peccat mortaliter. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 12. Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 10. Sanchez *in ſelect. diſp.* 2. *num.* 10. Ratio eſt, quia hæc eſt detractio formalis, quæ ſemper in materia graui eſt peccatum mortale. Secundò ſi amico referat iniuriam non animo detrahendi, ſed vt conſolationem accipiat, vel conſilium recipiat, vel vt dolorem mitiget,

tiget, non peccat mortaliter. Ita Leſſius *loco cit.* Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 345. Molina *diſp.* 29. *num.* 5. Clauis reg. *loco cit. num.* 10. Ratio, quia vtitur iure ſuo, cum naturaliter quiſque quærat conſolationem, & conſilium: quod ſi ex manifeſtatione iniuriæ amico facta, aliqua infamia auctori proueniat, debet eam ſibi imputare, & referenti, cum nimis durum eſſet iniuriam intrà ſe concoquere, & amico non communicare ne auctori iniuria proueniat.

An crimen proximi, quod eſt publicum in aliqua ciuitate, liceat alibi patefacere?

BRACTEA XIX.

SCIENDVM publicum tripliciter dici iure, facto, & famoſum: publicum iure illud eſſe, de quo conſtat per iuridicam ſententiam, vel per confeſſionem ipſius rei, vel per legitimam depoſitionem teſtium: notorium facto illud eſſe, quod in præſentia multorum eſt perpetratum, vt in aliquo conuentu in platea eo tempore, quo plures ſolent conuenire, &c. quis numerus hominum ſufficiat, vt delictum dicatur notorium notorietate facti, reſpondeo cum Siluestro decem hominum numerum ſufficientem eſſe, vt peccatum ab his cognitum notorium dicatur; & communiter omnes docent talem numerum ſufficere ad effectum, vt poſſit quis ſine iniuſtitia de peccatis proximi loqui, ita vt quando aliquod peccatum eſt notum decem non peccet qui de illo loquitur, cum talis numerus cenſeatur egregius, ſicut etiã dicitur notorium facti, qui in publico loco, v.g. in foro, vel celebri platea eo tempore, quo multis innoteſcere potuit, vel quod maioris partis viciniæ ob oculos verſatur, vt ſi quis in publica platea pugnet, vel iurgia cum clamore miſceat, & ſi quis publicè concubinam habeat, & domi filios alat. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 13. *num.* 3. Silueſter *verb. notorium quæſt.* 4. Famoſum illud eſſe, cuius fama ex ſufficientibus indicijs orta innotuit maiori parti viciniæ, vel oppidi: Secundò, illud etiam dici notorium, quod euidenter notum eſt maiori parti alicuius Collegij, vel Congregationis, &c. vt v.g. ſi in aliquo Collegio ſint decem, ſi ſex, vel ſeptem ſciant aliquod factum, dicitur notorium facto reſpectu illius Collegij, vel Congregationis, licet non abſolutè, reſpectu ciuitatis, vel etiam Parochiæ. Quo poſito.

R. Reuelare crimen alicuius notorium iure, ſiue per ſententiam Iudicis, vbi ignoratur, non eſt peccatum contra iuſtitiam: Ita Rebellus *lib.* 4. *quæſt.* 4. Clauis reg. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 22. Ratio, quia infamatus per ſententiam Iudicis cenſetur amiſiſſe ius ad famam, ſicut etiam non eſt contra iuſtitiam reuelare crimen alterius, quod publicum factum eſt per depoſitionem Rei in iudicio, vel per depoſitionem teſtium. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11 *dub.* 13. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 85. Em. Sà *verbo infamare*, & alii. Ratio, quia confitendo peccatum in iudicio videtur ſponte ceſſiſſe iuri, quod ad famam habebat. Secundò, manifeſtare delictum occultum, quod per ſententiam Iudicis certò manifeſtandum erat, vel per confeſſionem ipſius rei, vel per depoſitionem teſtium, non eſt peccatum contra iuſtitiam. Ita Rebellus *loco citato*. Ratio eſt, quia non violat iuſtitiam, nec cenſetur notabile damnum inferre, cum certò priuandus ſit fama per ſententiam Iudicis, vel, &c. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. & alii. Tertiò, in vno loco reuelare crimen occultum, quod in alio loco eſt ſolum notorium facto, & famoſum eſt peccatum contra iuſtitiam, ſi in tali loco ob loci diſtantiam talis infamia non ſit diuulganda. Ratio, quia cum iure non ſit priuatus fama poteſt in vno loco eſſe infamis, & in alio retinere illæſam famam, & exiſtimationem ſi ipſe cenſeatur emendatus de tali delicto. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. Molina *diſp.* 33. Sotus *lib.* 5. *quæſt.* 10. *art.* 2. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 1. quia cum ibi illæſam habeat famam, vlis non eſt facultas eum infamandi. Secus verò dicendum erit ſi ob propinquitatẽ loci, & commercium infamia ſtatim ſit diuulganda. Ratio eſt, quia in moralibus, quod parum diſtat, quaſi nihil diſtare cenſetur, & quod eſt in proxima potentia iam ferè in actu iudicatur. Vnde peccatum in vno loco publicum, non eſt peccatum mortale in alio detegere, quando probabiliter eſt citò diuulgandum; Si verò probabiliter non exiſtimetur diuulgandum, peccat mortaliter ipſum manifeſtans, & obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti, niſi manifeſtatio delicti iuſta, & honeſta cauſa fiat. Ratio eſt, quia lædit proximum in re magni momenti, nimirũ in fama, cum in tali loco non ſit priuatus, nec probabiliter priuandus; quod etiam dicendum eſt de infamato in aliquo Collegio, vel Religione, vel Communitate, quod non licet eum infamare extrà. Ita Rebellus *lib. cit. num.* 10. Ratio, quia in illis locis cenſetur habere ius ad famam.

An ſit licitum referre delicta alicuius, ob quæ aliàs fuit infamatus?

BRACTEA XX.

R. NON eſſe peccatum contra iuſtitiam referre delicta, ob quæ aliàs fuit infamatus, licet nunc famam bonis actibus acquiſierit, modo referens nunc non oſtendat ipſum eſſe infamem. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 12. *num.* 82. Ratio, quia non fit illi iniuria, quia & ſi famam acquiſierit, non tamen acquirit ius, vt dicatur de eo illo tempore, quod fuerit probus, quo ſua crimina publica fecit, conſequenter referens delicta alterius aliàs publica, non peccat contra iuſtitiam, modo non oſtendat illum eſſe nunc infamem, & improbum. Leſſius *loco cit.* Secundò, eſſe peccatum contra charitatem referre delicta alicuius, ob quę fuit infamatus. Leſſius *loco cit.* Ratio, quia peccat contra charitatem qui abſq; cauſa refert delicta præterita alicuius.

Sciendum eſſe peccatum mortale referre delicta alicuius, ob quæ fuit infamatus, ſi referat malo animo, & ex odio, vt oſtendat ipſum fuiſſe improbum, & infamem: non eſſe tamen peccatum mortale referre delicta præterita ſimpliciter, & emendationem vitæ. Hiſtorici vero, qui delicta occulta mortuorum narrant, & nõ reſipiſcentiam, peccant mortaliter: qui autem narrat delictum, quod publicum eſt in alia Ciuitate, occultum verò hic v. g. Taurini, & cauſa eſt ne conſequatur beneficium, vel dignitatem, non obligatur ad reſtitutionem, ſi in illa Ciuitate notorium erat iure, quod ſi notorium facto, vel famoſum, obligatur ad reſtitutionem, quia manifeſtando delictum cenſetur cauſa iniuſta damni, cum habeat ius ad famam hic Taurini, niſi probabiliter crediſſet ob propinquitatem, & commercium locorum infamiam de delicto hic eſſe diuulgandam, aut alia iuſta cauſa, & honeſta id feciſſet.

Sciendum 2. obligari ad reſtitutionem famæ, qui bona fide narrauit vitium alicuius credens illud eſſe publicum, cum reuera non eſſet publicum non ratione iniuſtæ damnificationis, cum bona fide narrauerit

rit

tit credens eſſe publicum, ſed tenetur ratione famæ ablatæ, ſicut qui bona fide accepit alienum, tenetur ad reſtitutionem ſtatim, ac cognoſcit eſſe alienum; quod ſi inuincibiliter ignorauerit ſe nocere famę proximi, & tenera ipſum denigrauit, ob quam ſecutum eſt aliquod malum proximo, non obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia non cenſetur cauſa per ſe mali ſecuti, cum non fuerit voluntaria, ſed ſolum per accidens eſt caſualis, quæ non obligat ad reſtitutionem damni per ipſam ſecuti.

An detrahere defuncto ſit peccatum mortale?

BRACTEA XXI.

R. QVI detrahit defuncto imponendo falſum crimen, aut occultum detegendo, licet infamia defuncti non tranſeat ad hęredes, peccat mortaliter cum onere reſtituendi famam. Ratio eſt, quia facit contra iuſtitiam, & tenetur ad ſatisfaciendum damno illato in fama, & tantò magis obligaretur, ſi infamia redundaret in hæredes. Tū etiam, quia mortuus viuit in opinione, & exiſtimatione hominum: vnde homines naturaliter inclinantur ad gloriam, & memoriam ſui honorabilem, etiam apud poſteros, & cum multum valeat huiuſmodi bona opinio eam auferre, malum erit, & peccatum. Neque obſtat, quod fama bonum quoddam temporale ſit, mortuo autem nullum bonum temporale prodeſt, aut damnum ſimile obeſt: reſpondeo enim illi prodeſſe bonam famam, & infamiam obeſſe, vt potè viuenti poſt mortem in opinione hominum. Secundò, quod qui peccatum defuncti in confeſſione ſacramentali auditum reuelat, peccat mortaliter: Ratio eſt, quia ſigillum ſacramentale, cum naſcatur ex præcepto negatiuo, obligat ſemper, & ad ſemper. Ita D. Thom. 2. 2. *queſt.* 63. *art.* 2. Nauar. *cap.*8.*nu.*7. & alii.

An ſit peccatum mortale detractionis infamatum in vno vitio in alio infamare?

BRACTEA XXII.

R. NON eſſe peccatum contra iuſtitiam infamatum in vno peccato infamare in alio, quod cum priori habeat connexionem. Ita Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 14. Nauar. *cap.* 18. *n.* 19. Clauis reg. *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 28. Ratio, quia non cenſetur noua infamia, nec grauiter læditur fama, licet ſit magna circumſpectione opus, an crimen ita ſit adnexum alteri, vt non cenſeatur notabiliter infamiam augere.

Sciendum peccata quædam habere inter ſe connexionem, & quędam non, vt v. g. de adultero dicare, quod ſcripſerit litteras amatorias, de ludente, quod dixerit mendacia, & periuria, de hæretico publico, quod fregerit imagines Chriſti, de ebrio, quod rixetur, &c. ſunt peccata, quæ habent inter ſe connexioné, & infamatum in vno peccato, non erit peccatum infamare in alio peccato, quod cum priori habeat cónexionem, dummodo crimen, quo de nouo infamatur, notabiliter non lędat famam, vt ſi de latrone dicatur ſurripuiſſe mille nummos aureos, quem ſolum cóſtat ſurripuiſſe viginti. Quod ſi crimen, quo de nouo infamatur non habeat connexionem cum priori, infamás peccat mortaliter contra iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutioné, vt ſi de adultero dicatur, quod ſit latro, quia licet in crimine adulterii diffamatus ſit, nihilominus retinet bonam opinioné, & famam in aliis rebus, & cum fama ex diuiſibilibus conſtet, poteſt in vna materia amitti, & in alia ſeruari. Leſſ. *lib.* 2. *c.* 11. *dub.* 14. Clau. reg. *lib.* 11. *cap.* 6. Nauar. *cap.* 18. *n.* 92. Vnde quis poteſt haberi ebrioſus, & tamen iuſtus in contractibus, & fidelis ſuę vxori. Secundò, qui infamatum multis criminibus detegit aliud occultum alterius ſpeciei, peccat mortaliter contra iuſtitiá: Ratio eſt, quia cum fama conſtet ex diuiſibilibus, poteſt quis in vno eſſe infamis, & in altero non, Arragon. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. Nauar. *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 231. Molin. *diſp.* 32. Tertiò, non videtur peccare grauiter qui infamat proximum minori delicto, vbi maiori eſt iam infamatus, vt ſi quis ſimplici fornicatione proximum infamaret, qui præpoſtera de libidine iam eſt infamatus. Ratio eſt, quia parum famam proximi læderet. Ita Rebell. *part.* 1. *lib.* 4. *queſt.* 4. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 14.

An qui virtutes alicuius non manifeſtat, peccet peccato detractionis?

BRACTEA XXIII.

R. QVI extrà articulum neceſſitatis virtutem alicuius non manifeſtat, non peccat peccato detractionis. Ratio, quia nullus tenetur ſemper viros probos laudare. Ita Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 393. Secundò, qui ſeriò laudat aliquem ſupra modū, cum ſciat ei talem laudem non competere, peccat mortaliter peccato detractionis. Ratio, quia in tali caſu proinde eſt, ac ironicè, & bonis verbis ipſum vituperare. Nauar. *loco cit.* Tertiò, qui ſimulatè, & frigidè aliquem commendat tempore, quo tenebatur illum laudare, peccat mortaliter, cum onere reſtituēdi. Ita Molina *tom.* 5. *diſp.* 27. Quartò, qui in aliqua occaſione laudes alicuius contegit, peccat peccato detractionis, & in re graui, peccat mortaliter. Ratio, quia præcepto charitatis tenemur loco, & tempore merita, & laudes proximi manifeſtare. Ita Nau. *loco ſup. cit.*

An quando quis crimen alicuius occultum deferi ad ſuperiorem non præmiſſa correctione peccet?

BRACTEA XXIV.

R. QVANDO peccatum eſt occultum, & contra bonum publicum, & adhuc eſt in fieri, tunc non requiritur, vt procedat ſecreta admonitio, ſed ſtatim denunciandus eſt ſuo Superiori. Ratio, quia periculum eſt in mora ne alii inficiantur. Tum etiam, quia in iſtis caſibus ſecreta monitio regulariter non ſolet prodeſſe. Secus autem dicendū ſi credat nullum eſſe periculum in mora, & per ſecretam correctionem emendandum eſſe. Secundò ſi peccatum ſit contra priuatum bonum tertii, vt homicidium, furtum, &c. tunc ſtatim denunciari poteſt Superiori non præmiſſa correctione fraterna. Ratio, quia tunc eſt melior conditio innocentis quam nocentis, & illius bonum magis eſt procurandum. Tertiò, quod ſi delictum eſt contra bonum peccantis, vt fornicatio, gula, &c. tunc ante denunciationem prætermittenda eſt correctio, & contra faciens peccat in iuſtitiam, quia iniuſtè lædit famam proximi.

An liceat manifeſtare complicem in confeſſione?

BRACTEA XXV.

R. Regvlariter complicem in confeſſione non eſſe manifeſtandum, etiamſi non adſit periculum alicuius damni, dummodo in determinato tempore poſſit eſſe copia alterius Confeſſarii. Ita Nauar. *cap.7.num.1.* & alii. Ratio, quia confeſſio nemini debet eſſe odioſa; eſſet autem ſi manifeſtaretur complex in confeſſione. Vnde ſi quis pœnitens commiſiſſet aliquod peccatum inhoneſtum v.g. adulterium, ſtuprum cum muliere nota proprio Confeſſario, non obligatur in confeſſione manifeſtare circunſtantiam huius peccati, ne reuelando complicem ipſum infamet, ſed ſatis erit illi confiteri peccatum in genere cum propoſito confitendi circunſtantiam, ſeu ſpeciem peccati quando aderit copia alterius Confeſſarii, cui talis mulier non ſit nota. Verum ſi circunſtantia peccati in qua complex participat non grauiter lædat famam, tunc in confeſſione eſt manifeſtanda, & ſi dicatur confeſſionem non eſſe integram ſi ſpecies, aut circumſtantia peccati taceantur, reſpondeo iuxtà alibi dicta, quod quando iuſta cauſa omittitur, & ſi non ſit integra materialiter, eſt tamen integra formaliter. Dixi dummodo in determinato tempore poſſit eſſe copia alterius Confeſſarii, quia ſi probabiliter putat non habere ſe commoditatem adeundi alium Confeſſarium non peccat peccato detractionis manifeſtando cõplicẽ peccati. Ratio eſt, quia integritas confeſſionis eſt de iure Diuino; quando igitur non habet probabilitatem adeũdi alium Confeſſarium, cui non ſit notus complex pœnitens tenetur manifeſtare peccatum etiam cum probabili ſuſpicione cognitionis complicis. Ita Petrus Nauar. *lib.2.cap.4.part.2.num.*271. Rebellus *lib.*4. *quæſt.*13. & alii; Si verò ex manifeſtatione complicis probabiliter timeri poſſit graue damnum in vita, vel in fama extra confeſſionem confitenti, aut etiam tertiæ perſonæ, ſi pœnitens non poſſit habere Confeſſarium, cui non ſit notus complex; tunc poteſt tacere circunſtantiam, confitendo peccatum in genere, ne confeſſarius veniat in cognitionem perſonæ. Ratio, quia lex confeſſionis non obligat ad explicandas circunſtantias cum tanto detrimento, etiamſi ſit in articulo mortis.

An qui peccatum alicuius detexit, ſatisfaciat retractando ſe apud eos, quibus illud patefecit, aut verò teneatur etiam retractare apud eos, quibus ipſe non dixit?

BRACTEA XXVI.

R. Si Detractor detegendo peccatum alicuius probabiliter credebat, quibus crimen occultum propalauit futuros eſſe tacitos, non tenetur retractare, niſi apud eos quibus ipſe retulit. Ratio, quia infamia per illos irrogata cenſetur cauſalis reſpectu ipſius detrahentis. Secus verò dicendum ſi aduertit, vel debuit aduertere probabile periculum alterius infamiæ, tunc ſi illi nolint reſtituere, tenetur ipſe. Ratio, quia ſubſequentis diuulgationis cenſetur cauſa moralis. Ita Leſſius *lib.2.cap.*11. *dub.*20. Petrus Nauar. *lib.2. cap.4. num.*493. Rebell. *part.1.lib.4.quæſt.*12. & alii. Secundò reſtitutionem ſolum debere fieri pro damno illato, & pro iniuria illata non deberi aliquid reſtitui, dummodo ex ea non ſit ſecutum aliquod damnum. Ratio patet à ſimili, quia ſi quis alterum vulnerauit ad nullam reſtitutionem tenetur pro tempore, pro quo percuſſus in lecto decubuit, ſed ſatis eſt, vt reſtituat expenſas factas, & lucrum ceſſans: Ita etiam qui proximo detraxit nihil tenetur reſtituere pro eo tempore quo læſus infamiæ ſubiacuit ante recuperatam famam. Ita molina *tom.5.de iuſtit.diſp.*42.

An conficiens libellos peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXVII.

R. Conficientem libellos, vel concurrentem ad ipſos faciendos peccare mortaliter contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. Ita communiter omnes. Quod peccet mortaliter pater, quia grauiſſimè lædit famam, & honorem; quod etiam obligetur ad reſtitutionem, patet etiam quia offendit iuſtitiam commutatiuam, & offendentes iuſtitiam commutatiuam obligantur ad reſtitutionem. Ita Molina *tract.4.diſp.35.num.6.* Angelus, Silueſter *verbo libellus diſp.35. num. 6.* Finellus *caſ.*12. *num.*12. Dicitur primò ſcriptura publica, quia ſcripturæ priuatæ, vel etiam priuatæ litteræ, quæ ad aliquem mittuntur, etiamſi contineant occultum peccatum alicuius non habent rationem libelli infamatorii etiamſi illud peccatum, quod continet fiat publicũ quia huiuſmodi ſcriptura non eſt facta, vt fiat publica. Dicitur ille conficere libellum infamatorium, qui breuem aliquam ſcripturam, ſeu ſchedulam conficit continentem alicuius infamiam occultam, vt publica fiat, & in notitiam aliorum veniat ſtatim, ac paulatim, ſiue poſteà publica fiat, ſiue non; eo quod ab aliquo comburatur, ſiue laceretur, vel alia ratione impediatur. Ita auctores citati, ſimiliter, qui tacito nomine defert ſchedulam ad Superiorem continentem delictum occultum reponendo eam ſupra menſam, vel in alio loco cenſetur libellum famoſum ſi id faciat intentione, vt ſuperior inquirat de crimine, illudque notum, ac publicum efficiat notorietate iuris, etiamſi in ipſa exprimantur, quinam conſcii ſint, & qui de crimine teſtari poſſint, cum Superior per huiuſmodi ſcripturam inquirere non poſſit cum non ſit illi ſcripturæ præſtanda fides, ſequitur illam libelli nomine nuncupari. Secundò, apponentes aliquod ſignum in loco publico, quo alter infamatur, peccant mortaliter contra iuſtitiam, & ſubiacent pœnis conficientis libellum infamatorium, vt ſi cornua ad ianuam quis exponat, &c. Ita Molina, Finellus *locis citatis*. Ratio primæ partis eſt, quia in ſignis grauiter læditur fama. Ratio ſecundæ partis, quod eiſdem pœnis ſubiaceat, colligitur ex Canone, *qui in alterius*.

Sciendum non modo peccare mortaliter conficientes libellos, aut apponentes ſigna, quibus alter infamatur, ſed etiam obligari ad reſtitutionem infamiæ ſecutæ iudicio docti, & prudentis Confeſſarii, ita vt ſi publicè per libellos, & ſigna fuerit ablata publicè reſtituatur iudicio prudentis, &c. Ita Em. Sà *verbo infamare num.*8. Sayrus *lib.12.cap.4.num.9.* Molina *tract.4.diſp.35.n.6.* Quartò, conficientes libellum infamatorium ſunt iure communi excommunicandi, vt patet ex Canone citato, *qui in alterius*, præſertim ſi ſit contra perſonam Eccleſiaſticam: non ſunt tamen iure communi ipſo facto excommunicati, quia nullibi habetur talis excommunicatio, vt teſtatur

Sayrus *cap.4.num*.10. Nauat. *cap*.18.*num*.35. & Summiſtæ *verbo libellus art*. 2. Quod ſi libellus conficiatur contra Summum Pontificem, vel Cardinales, conficiens eſt ipſo facto excommunicatus, vt docet Salonius 2. 2. *queſt*.72. Quod probat ex extrauaganti Pij Quinti; ſi verò contra ſtatum Ordinis Prædicatorum, vel S.Franciſci conficiens cenſetur ipſo facto excommunicatus ex decreto Alexãdri Quarti, quod extenditur ad alias Religiones; ſi autem contra Religioſum particularem non incurrit excommunicationem ſupradictam ipſo facto, cum priuilegium conceſſum ſit Religioni, & non particularibus, etiamſi libellus contra particularem Religioſum vertatur in dedecus Religionis. Ita plures apud Bonacinam *diſp.2.de reſtitut.queſt.4.pun.9.num.9.*

Sciendum ad incurrendam pœnam non requiri, vt aliquis libellum famoſum compoſuerit, & ſimul diuulgauerit, ſed tantummodo diuulgauerit, aut compoſuerit, quia excommunicatio fertur per verbum disiunctiuum, *vel*. Secundò, non incurri ab eo, qui ſcripturam infamatoriam facit alio fine, quam vt publica fiat, nam ad incurrendam excommunicationem requiritur, vt ſcriptura fiat eo fine, vt publica fiat. Tertio incurri ab eo qui ſcripturam affigit, vel dimittit eam in terram cadere in loco publico, quia hic dicitur diuulgare. Quartò, non incurri ab eo, qui libellum famoſum inuenit, & ſolus legit, aut ſecreto retinuit, ſed non diuulgauit, hic enim non exprimitur in verbis excommunicationis, quamuis in foro externo puniatur eadem pæna, qua punitur auctor ſi libellum famoſum inuentum non occultat, vel lacerat. Quintò, non incurri ab eo, qui manifeſtauit libellum alicui zelo correctionis, hic enim ſicut non peccat, ita nec afficitur pœna Cenſuræ, quæ fertur ob peccatum. Sextò, non incurri ab eo, qui manifeſtat libellum famoſum, in quo continetur delictum alicuius iam publicum. Ratio eſt, quia non dicitur propriè cauſa infamiæ, cũ alter amiſerit ius ad famã per publicitatem criminis. Septimò, nõ incurri ab eo, qui verba contumelioſa cantat, quia hic non dicitur libellum famoſum ſcribere, vel diuulgare; cui autem non conueniunt verba legis, neque conuenit illius diſpoſitio. Octauò, non incurri ab eo, qui aliquid in alterius ignominiam facit, vt affigengendo cornua ad ianuam; hic enim quamuis dici poſſit libellum famoſum facere, nihilominus non dicitur facere libellum, quo prohibetur ſub excommunicatione, quia ſub excommunicatione, prohibetur ſolum confectio, & diuulgatio libelli ſcripti, & cum verſemur in materia Cenſurarum, quæ odioſa eſt, non eſt facienda extenſio. Graff. *lib.1.cap.19.concluſ.* 8. *num*.21. & alij. Nonò, non incurri ab eo, qui libellum conficit continentem tantummodo leuia ludicra, & non grauia; nam excommunicatio ſupponit peccatum mortale. Gambaropta *de caſibus reſeruatis cap.14.queſit.6.* & alij.

An infamator obligetur ad reſtitutionem famæ, quando infamatus eam bonis actibus recuperauit?

BRACTEA XXVIII.

R. INFAMATOREM non teneri ad nouam reſtitutionem famæ, quando infamatus eam vel bonis actibus, vel alia ratione acquiſiuit. Ita Leſſius *lib.2.cap.11 dub.17. num.72.* Reginald. *lib.17.num.337.* & alij. Ratio, quia infamatus cum recuperauerit famam nullum amplius patitur damnũ. Tum quia quando dominus recuperauit rem ſibi furto ablatam non amplius, qui eam furto abſtulit obligatur ad reſtitutionem, ita, & etiam in reſtitutione famæ.

Sciendum, quod quamuis infamator non obligetur ad nouam reſtitutionem quando infamatus eam acquiſierit, obligatur tamen ad reſtitutionem damni, ſi quod ſecutum eſt propter ablationem famæ, vt v.g. ſi impeditus fuiſſet à conſecutione alicuius beneficij, officij, vel dignitatis, doris, vel etiam legati, tunc obligatur infamator ad reſtitutionem damnorum, quæ ſecuta ſunt ex iniuſta ablatione famæ. An verò aliquid dandum ſit pro infamia, quam vſque ad recuperationem infamatus ſubiit? Reſpondeo ſi infamatus eam poſtulet iudicio prudentis viri aliquid dandum eſt: Secus autem non. Secundò, detractionem debere eſſe, quoad materiam de re graui vt inducat obligationem reſtituendi. Ratio eſt, quia ſi eſſet de re leui, quia non auferet famam nulla eſſet obligatio reſtituendi. Ita Silueſter *verbo detractio*, in aliquo tamen caſu ratione conditionis perſonæ poteſt contingere, vt etiam defectus veniales cenſeantur magni momenti, vt ſi de Prælato, aut Religioſo graui dicatur, quod ſit ambitioſus, mendax ex habitu, &c. Petrus Nauar. *lib.2.cap.4.num.313.* Secundò detractionem debere eſſe de defectibus moralibus, ſeu vitijs voluntarijs. Ratio, quia hæc ſuaptè natura lædunt famam notabiliter; quoniam ſi quis detrahat manifeſtando defectus naturales, ſiuè natalium non erit obligatio reſtituendi. Tertiò, debere eſſe de peccatis ſpecialibus, & non generaliter dictis. Quartò, non debere eſſe publicum modo recenſito, quia ſi eſſet publicum non eſſet obligatio reſtituendi. Vnde qui refert crimen in alio loco publicum notorietate iuris non habet obligationem reſtituendi, quia iuſtè expoliatus fuit fama; ſecus verò dicendum ſi in alio loco eſſet ſolummodo notorium facto. Ratio, quia, etſi in vno loco ſit ſpoliatus fama, tamen in alio iuridicè eam conſeruat.

An detractor obligetur ad reſtitutionem, quando infamia eſt tradita obliuioni?

BRACTEA XXIX.

R. NON obligari ad aliam reſtitutionem, quando infamia eſt totaliter tradita obliuioni. Ita Rebellus *lib.4. queſt.13.num* 7. Leſſius *lib.2.cap.11.dub*.18. Clauis Regia *lib.12.cap.7.num.29.* Ratio, quia infamatus nullum amplius patitur damnum cum fama iam cenſeatur reſtituta per obliuionem.

Sciendum, quod ad hoc, vt infamia cenſeatur totaliter obliuioni tradita, & infamator non amplius obligetur ad reſtitutionem famę, requiritur ſpatium temporis, quo iudicio prudentis Confeſſarij, cenſeatur infamia totaliter abolita. Tum quia de ea nulla amplius ſit facta mentio, & ex hac iudicat audientes oblitos eſſe criminis, nec eſſe aliquod periculum, vt reuiuiſcat. Vnde adoleſcens, qui ſe iactauit habuiſſe copulam cum virgine ſi poſt ſpatium temporis credit narrati delicti oblitos eſſe audientes, quia de crimine non amplius fuit facta mentio, non amplius obligatur ad reſtitutionem famæ. Secus dicendum eſt ſi probabiliter credat è memoria crimen non excidiſſe, vel eſſe periculum, vt reuiuiſcat, quia tunc obligaretur ad reſtitutionem, nec infamator tenetur eos interrogare, quibus multo ante tempore narrauit crimen, an recordentur illius ſed ſufficere ſi probabiliter

biliter credat ipſum ex diuturnitate temporis deletum eſſe. Ratio eſt, quia ex huiuſmodi interrogatione fieri poteſt, vt renouetur memoria criminis obliri. Petrus Nauar. & Clauis Regia *locis cit.*

An qui falsò aliquem infamauit, teneatur iureiurando confirmare, ſe fuiſſe mentitum?

BRACTEA XXX.

R. Qvod qui alterum infamauit imponendo alteri falſum crimen tenetur iureiurando confirmare, ſe fuiſſe mentitum ſi aliter non poteſt perſuadere contrarium, & reſtituere famam ablatam. Ratio eſt, quia tenetur omnibus medijs ſibi licitis reſtituere famam, & reſarcire damnum illatum, & quando non creditur ſimplici retractationi tenetur adhibere iuramentum, vt facilius credatur retractationi. Nauar. *cap.*18 *num.*45. Valent. *tom.* 3. *diſp.*5. *quæſt.*6 *pun.*5. Petrus Nauar. *lib.*2. *cap.*4. *nu.*378. Molina *tom.*5. *diſp.*41. & alij. Secundò non obligari adhibere teſtes, ſed ſatis eſſe, vt ipſe ſimpliciter retractet dictum, confirmando ipſum iuramento. Nau. *cap.*18, *num.*45. Rodriquez *part.*1. *cap.*254. Petrus Nauar. *lib.*2. *cap.*4. *num.*378. & alij. Ratio eſt, quia multò maioris momenti, & ponderis eſt iuſiurandum, quam ſimplex dictum, & communiter maior fides adhibetur his quæ iuramento aſſeuerantur, quam his quæ ſimpliciter dicuntur. Quod ſi alii ſua malitia volunt adhuc ſiniſtrè iudicare, imputetur ipſis non detractori. Vnde ſufficiet ſolum cum iuramento ſe retractare, nec opus erit afferre teſtes, cum tale genus reſtitutionis nunquam in vſu fuerit. Tertiò, poſſe infamantem abſolui, antequam actualiter reſtituat famam, dummodo promittat ſeipſam reſtituturum, & Confeſſarius certitudinē moralem habeat, detractorem ſtatim, ac commodè poterit famam fore reſtiruturum. Ratio patet à ſimili, quia ſicut poteſt abſolui habens rem alienam, dummodo promittat ipſam reſtituere, ita, & etiam detractor poteſt abſolui, dummodo proponat, & promittat ſe reſtiturnrum ſamam quam primum commode poterit.

An infamator obligetur ad reſtitutionem totius damni ſecuti per ablationem famæ?

BRACTEA XXXI.

R. Infamator tenetur ad reſtitutionem totius damni ſecuti ex infamia falſa. Ita communiter omnes. Ratio, quia talis infamia cenſetur totaliter contra iuſtitiam, cum contineat iniuriam, & infamiam, & ſit cauſa efficax damni ſecuti, qui verò cauſa damni dat, damnum dediſſe cenſetur. Secundò, qui alterum infamauit, & fuit illi cauſa damni aperiendo verum crimen, ſed occultum tenetur etiam ad integram reſtitutionem damni ſecuti. Ita Nauar *cap.*18. *nu.*41. Leſſius *lib.*2. *cap.*11. *dub.* 19. Reginaldus *lib.*10. *num.*335. Molina *tract.*4. *diſp.*42. Ratio, quia cenſetur cauſa efficax damni ſecuti, ſicut is, qui ignem occultum cineribus detegit, & combuſtibilibus applicat, & poſteà flante vento domus conflagratur, quæ alioquin non fuiſſet conflagrata.

Sciendum differentiam eſſe inter crimen publicum & occultum, quod crimen publicum ex ſe eſt cauſa damni, crimen verò occultum non eſt ex ſe cauſa damni, cum res, quæ neſcitur ſit tanquam non eſſet, ſed debet cognoſci, & manifeſtari, vt ſit cauſa damni; hinc eſt quod manifeſtans delictum verum, ſed occultum obligetur ad integram ſatisfactionem dāni ſecuti; cū talis manifeſtatio cenſeatur cauſa damni. Tum etiam, quia obligatio reſtituendi non oritur ex magnitudine ſceleris, ſed nocumenti, quod infert contra iuſtitiam. Vnde licet grauius peccet, qui falſum crimen imponit, quam qui verum occultum reuelat, vterque tamen æqualiter nocet, vterq; enim tollit bonam opinionem; ergo vterque tenebitur ad reficienda damna illa in integrum. Vnde qui impediuit aliquem à beneficio, vel aliquo officio aperiendo verum crimen ſed occultum obligatur ad ad reſtitutionem totius damni ſecuti. Ita Nauarr. *cap.*18. *num.*45. & alij. Ratio, quia eſt cauſa moralis principalis illius damni, & ſicut dictum fuit crimen non poteſt eſſe cauſa damni, niſi accedente cognitione. Vnde quandiù crimen manet occultum, non poteſt inferre damnum; ergo qui illud manifeſtat, tribuit illi vim nocendi; ergo cenſetur cauſa principalis damni ſecuti; licet Sotus 1. *de iuſtit. quæſt.*6. *art.*3. & alij exiſtiment detractorem, qui alterum infamauit, detegendo verum crimen, ſed occultum non teneri ad totam reſtitutionem, ſed ſolummodo ad partem. Ratio eſt, quia ſi ille priuetur officio, vel impediatur ab eo conſequendo, id non tam prouenit ob criminis manifeſtationem, quam ob ipſum crimen quod verè commiſſum eſt, & per conſequens nō obligatur ad totam reſtitutionem, ſed ad partialem. Sed noſtra ſententia cenſetur probabilior ob rationes allatas.

An qui in confeſſione ſacramentali ſine cauſa delictum tertij manifeſtat, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXXII.

R. Si poterat inuenire alium Confeſſarium, qui non cognoſceret complicem, vel Confeſſionem differre, peccare quidem, ſed non obligatur ad reſtitutionem, modo inde non ſequatur, niſi mala Confeſſarij opinio de tertiò. Ratio, quia ea criminis detectio nō eſt infamia, aut detractio formalis ſed eſt imprudentia, & inconſideratio. Ita Azor. *p.* 3. *lib.*5. *quæſt.*3. Secundò, qui inuenit ſchedulam peccatorum, & cū alijs legit, peccat mortaliter contra iuſtitiā pro qualitate eorū, quæ in ſchedula cōtinentur, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem. Ita Molina *tom.*5. *diſp.*36. Rebell. *part.*1. *lib.*4. *quæſt.*7. & alij.

An hæredes infamatoris teneantur ad reſtitutionem, ſi detractor viuens non reſtituit?

BRACTEA XXXIII.

R. Qvod hæredes infamatoris non tenentur ad famæ reſtitutionē. Ratio, quia obligatio eſt merè perſonalis debita autē perſonalia non tranſeunt ad hæredes. Ita Petr. Nau. *lib.*2. *c.*4. *nu.*426. Leſſ. *lib.*2. *c.*11 *dub.*21. *n.*12. Secundo hæredes tenentur ad reparationē dānorū, quę ex infamia illa ſubſecuta ſunt. Ita Nau. *c.*18. *n.*45. Adrian. *quodlib.*11. Ratio, quia hæc obligatio eſt realis, & obligatio realis tranſit ad hæredes. Tertiò, ſi is qui paſſus eſt damnum defunctus ſit reſtitutio facienda eſt hęredibus ipſius. Ratio eſt, quia hi ſuccedunt in iura defuncti, ſunt enim veluti partes hæreditatis. Salonius 2.2. *quæſt.*62. *art.*2.

An qui bona fide denigrauit famam proximi factus malæ fidei obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXXIV.

R. QVI bona fide aliquem infamauit factus malæ fidei tenetur ad reſtitutionem non ſolum ex charitate, ſed ex iuſtitia. Ita Molina *tom.* 5. *diſp.* 40. Ratio patet à ſimili, quia ſicut qui bona fide detinet rem alienam obligatur ad reſtitutionem factus malæ fidei, ita etiam qui alterum infamauit bona fide tenetur famam reſtituere ſimul, ac cognouit proximum infamaſſe; verum non obligatur ad reſtitutionem cum graui ſuo incommodo, & propria infamia, vel cum magno damno bonorum temporalium. Ratio eſt, quia cum abſtulerit famam bona fide, non tenetur cum graui ſuo incommodo eam reſarcire. Ita Leſſius *loco cit. dub.* 20. *num.* 110. Rebellus *par.* 1. *lib.* 4 *quæſt.* 8. nec tenetur infamator damnum reſtituere, etiamſi aliquod ſit ſecutum, vt v.g. ſi priuatus ſit aliquo officio, vel beneficio, &c. Ratio eſt, quia non cenſetur eſſe cauſa moralis damni ſubſecuti ex tali infamia. Molina *tom.* 5. *diſp.* 40.

Sciendum differentiam eſſe inter eum, qui infamauit proximum mala fide, & eum, qui bona fide proximum infamauit, quod qui mala fide proximum infamauit, obligatur famam reſtituere, etiam cum detrimento propriæ famæ, ſaltem æquali; qui verò bona fide proximum infamauit, non tenetur cum maximo damno famam reſtituere, ſed ſolum cum modico iudicio prudentis. Tertiò, quod ſi qui aliquem infamauit bona fide factus malæ fidei ſit in mora reſtituendi famam, quam abſtulit, & intereà infamatus damnum patiatur, tenetur in conſcientia illud reſarcire. Ratio eſt, quia illa mora cenſetur cauſa moralis damni ſubſecuti. Ita Leſſius *lib.* 2. *dub.* 22.

An Prælatus non impediens detractorem, obligetur ad reſtitutionem famæ?

BRACTEA XXXV.

R. PRÆLATVM non impedientem ſubditum, ſi commodè poteſt ne detrahat, obligari ad reſtitutionem famæ, & peccare contra iuſtitiã: Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 23 Ratio, quia ex officio tenetur ſubditum corrigere, & non corrigendo peccat contra proprium officium, & iuſtitiam, & per cõſequens obligatur ad reſtitutionem; ſecus verò dicendum eſt ſi Prælatus, ſeu Superior non impediat externum ne detrahat de ſuo ſubdito, quia non tenetur ratione famæ ſuo ſubdito ad reſtitutionem. Ita Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 10. *art.* 4. Ratio, quia ex officio non obligatur defendere famam ſui ſubditi contra detractorem non ſubditum, Dixi ratione famæ, &c. quia videtur aliquando teneri ratione bonę vitæ, ſalutiſque ſpiritualis ſubditi. Ratio, quia Superior ex officio tenetur impedire ea, quæ ſubditorum ſaluti aduerſantur, & ſi neglexerit, facit contra proprium officium; & per conſequens obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum, quod ſi ſubditus in abſentia ſui Superioris alicui detraxerit, Superior nõ obligatur ad reſtitutionem famæ, quia cum ſit abſens, non cenſetur cauſa efficax damni, cum detractorem non potuerit impedire, at ſi admonitus de detractione, detrahentem non correxerit, cenſetur cauſa efficax damni, & per conſequens peccare contra iuſtitiam, & obligari ad reſtitutionem, cum non impedierit, cum poſſet per admonitionem impedire. Secundò, nomine Prælati intelligi eos omnes, ad quos ex officio ſpectat defendere, vel alicuius curam habere, vt ſunt parentes liberorum, quamdiù ſub eorum regimine ſunt, Domini reſpectu ſeruorum, Superiores Regularium, Principes etiam, & Magiſtratus, quia ſicut tenentur contumelias impedire, ita & detractiones non tamen tenentur eos cogere ad reſtitutionem famæ, niſi parte petente, cum præſumi poſſit condonatio non petente parte.

An qui negat in iudicio crimen, quod verè commiſit, peccet, & teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA XXXVI.

R. PECCARE, & obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia cum iuridicè interrogetur negando veritatem agit contra iuſtitiam in materia graui: ergo peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. Quod intelligendum eſt, quando ex tali negatione accuſatur, infamiam incurrit, quia ſi reus ex plena probatione de crimine conuictus, nihil reſtituere tenetur, quia nihil fama læditur ex negatione ipſius accuſati. Ita Nauar. *cap.* 18 *num.* 49. Secundò, ſi iudicium durat, tenetur accuſatus paratus eſſe ad confitendum crimen ſeruato iuris ordine obiectum, ſi iterum à Iudice legitimè interrogetur: ſecus, non eſt ſacramẽtaliter abſoluendus, quia eſt in ſtatu peccati mortalis, faciendo iniuriam Iudici legitimè, & ſecundum iuris ordinem interroganti. At verò ſi iudicium fuerit finitum, & accuſatus liber euaſerit eo, quod negauerit crimen obiectum, tunc tenetur extrà iudicium confiteri accuſatorem non fuiſſe calumniatorem, ſi accuſator probabile periculum incurrat, vt tanquam calumniator habeatur, vel compenſare dãnum, quod poteſt incurrere. Ita Molina *tom.* 5. *de iuſtit. cap.* 43. & alii. Secundò, non peccare peccato detractionis, qui de detento in carcere vult ſcire cauſam cur ſit detentus. Ratio eſt, quia id publicum eſt; ſed velle ſcire omnes, & ſingulas partes delicti, ob quas in carcere detinetur videtur illicitum. Ita Nauar. *cap.* 19. *num.* 41. Dubium eſt de eo, qui non eſt auctoritate Iudicis infamia notatus, ſed in carcerem captus ſuſpicione alicuius delicti, an liceat in aliquo loco dicere vbi hoc ignorant, illum eſſe detentum in carcere, & accuſatum homicidii, &c. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 4. *num.* 402. putat non eſſe peccatum, quia id, quod dicitur de ſe non eſt infamatorium, quia multi innocentes capiuntur, & per ſententiam liberi euadunt. Sed reſpondeo contrarium: nam iſte licet mereatur famam perdere per publicam ſententiam, ſed de facto non amiſit, nec alicui facta eſt facultas euulgandi delictum; ergo peccat mortaliter.

An compenſatio excuſet à reſtitutione?

BRACTEA XXXVII.

R. Non poteſt fieri compenſatio, itant per iniuriam infamatus eodem tempore infamet, vt v. g. ſi Titius infamauerit Caium, Caius viciſſim poſſit illum infamare. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 25. Molina *diſp.* 49. Rodriquez *part.* 1. *ſum. cap.* 254. & alii. Ratio, quia eſſet manifeſta vindicta, quam nemo priuata auctoritate exercere debet, quia eſſet reddere malum pro malo.

Sciendum, quod licet non liceat aliquem eodem tempore, quo ipſe eſt infamatus infamare ſi non poſſit alia ratione ſe defendere ab infamia, poteſt, vt ſe defendat manifeſtare defectus aliquos illius occultos, ne detrahenti fides adhibeatur, cum quiſque nõ modo habeat ius tuendæ vitæ, verum etiam famæ, dummodo illos defectus manifeſtet, qui neceſſarii erunt ad defenſionem propriæ famæ. Ita Sotus *lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 3. & alii; Si verò criminis detectio non ſit vtilis ad famæ defenſionem, talis manifeſtatio erit iniqua, quia non eſt defenſio, ſed vindicta. Secundò, ſi quis alium infamet, à quo ipſe iam fuerat infamatus, non obligatur ad reſtitutionem famæ, dũmodo in iniuriis ſit æqualitas. Ita Leſſius *loco cit.* Sotus *lib.* 4. *quæſt.* 6. *art.* 3. Toletus *lib.* 5. *cap.* 70. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *pun.* 5. & alii. Ratio, quia ſicut in reſtitutione temporalium licita eſt compenſatio; ita in reſtitutione famæ poteſt fieri compenſatio.

Sciendum 2. Quod vt licita ſit compenſatio, debet in ipſa compenſatione ſeruari æqualitas, ita vt nõ magis lædatur fama, quam fuerit læſa, vt v. g. ſi Paulus de vno delicto fuerit infamatus, & poſtea de eodem, aut certè de æquiualenti delicto detractorem difamet, non obligatur ad reſtitutionem, quia in iſto caſu ſeruatur æqualitas, & tantum nocumenti intulit vnus, quantum alius; at verò ſi Paulus de vno delicto infamatus plura, aut etiam grauiora de detractore manifeſtauerit, obligatur ad reſtitutiònem exceſſus ablationis famæ, cum compenſatio in iſto caſu ſit iniuſta ob inæqualitatem iniuriarum. Vnde vt compenſatio poſſit fieri in reſtitutione famæ caſu ablatæ, debet eſſe æqualitas in iniuriis. Tertiò, quando duo viciſſim ſe infamarunt, & vnus eorum petit ſibi famam reſtitui, tunc non eſſe locum compenſationi, ſed alter tenetur in conſcientia famam reſtituere. Ratio, quia ſicut qui iniuſtè detinet rem alienam, quam reſtituere poteſt, ipſam obligatur reſtituere, & non valorem, ſi dominus non conſenſerit; ita & etiam de compenſatione dicendum eſt. Molina *tom.* 5. *diſp.* 49.

An reſtitutio famæ poſſit pecunia compenſari?

BRACTEA XXXVIII.

R. Detractorem non obligari ex iuſtitia infamiam, pecuniam compenſare, ſi nullum damnum ex ipſa ſit illatum. Ita Petrus Nau. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 274. Silueſter *verbo detract. quæſt.* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 16. *num.* 92. Em. Sà *verb. reſtitutio num.* 55. Azorius 3 *part. lib.* 5. *cap.* 9. *quæſit.* 13. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 342. & alii. Ratio, quia fama non habet æquiualens, cum ſuperet omne pretiũ, & licet pecunia ſit menſura rerum venalium, tamen famæ, & honoris non poteſt eſſe menſura. Secundò, ex charitate, & quadam ęquitate poteſt detractor reſtitutionem famæ pecunia compenſare. Ita Leſſius *loco cit.* Ratio, quia hoc videtur conſentaneum regulæ rationis.

Sciendum, quod ſi infamatus ſit pauper, poteſt illi reſtitutio famæ pecunia compenſari, quia licet regulariter fama non habeat æquiualens, tamen reſpectu alicuius qualitatis perſonæ, v. g. paupertatis, vel, &c. poteſt pecunia cum fama ablata habere aliquam proportionem, & per conſequens ſecundum aliquã ęquitatem pecunia poteſt compenſari. Quartò, condemnatus per ſententiam Iudicis infamiam pecunia compenſare ex iuſtitia, obligatur pecunia infamato ſatisfacere. Ratio, quia ſuppoſita infamia, poteſt Iudex in pecuniam commutare pœnam ipſius infamiæ.

Quomodo fama ſit reſtituenda?

BRACTEA XXXIX.

R. Qui alterum infamauit falſum crimen imponendo, debet omni vti diligentia, vt illa opinio falſa eximatur dicendo ſe erraſſe, & & fuiſſe deceptum: immò tenetur etiam iuramentum addere, ſi iudicabitur neceſſarium ad reſtituendam famam, ſi ita rei grauitas poſtulet. Ratio, quia tenetur aſſumere media neceſſaria ad reſtitutionem famæ, & cum iſte modus ſit commodiſſimus, idcircò tenetur ipſum adhibere. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *pun.* 5. Nauar. *cap.* 18. *num.* 45. Salon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *contr.* 13. Clauis reg. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 27. Petr. Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 375. Molina *tom.* 5. *diſput.* 41. Reginaldus *lib.* 10 *num.* 341. & alii; at ſi reſtituens eſſet perſona magnæ auctoritatis, vt ſi eſſet Pręlatus, aut in aliqua dignitate poſitus, non tenetur iurare, ſed ſatis erit dicere ſe fuiſſe deceptum; non obligatur tamen detractor in reſtitutione famæ dicere ſe eſſe mentitum, cum non debeat ſe ipſum infamare, vt alteri reſtituat famam. Ita Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. & alii, præcipuè ſi perſona, quæ debet reſtituere famam ſit magnæ auctoritatis, aut conditionis. Secundò, qui alterum infamauit verum crimen aperiendo; ſed occultum, non obligatur dicere, vt reſtituat famam, ſe falſum dixiſſe. Ita Molina *diſp.* 41. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 34. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 82. *art.* 1. Nauar. *cap.* 18. *num.* 57. & alii; ſed ſatis erit infamatum laudare apud eos, apud quos detraxit. Ratio, quia diceret mendacium dicendo, ſe falſum dixiſſe, & mentiri eſt intrinſecè malum, quod non eſt faciendum, vt eueniant bona. Tertiò, detractor, qui publicè infamauit, publicè debet famam reſtituere, ſi priuatè, ſatisfacit priuatim reſtituendo. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia in reſtitutione famæ debet ſeruari æqualitas: in iſto autem caſu ſeruatur æqualitas.

An condonatio iniuriæ illatæ excuſet à reſtitutione?

BRACTEA XL.

R. Condonatio obligationis reſtituendi famam excuſat à reſtitutione, modo non ſit contra iuſtitiam, & præiudicium alicuius. Ita Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 6. Em. Sà *verbo infamare*, & alii. Ratio, quia cum homo ſit dominus ſuæ famæ, poteſt abſque iniuſtitia illam prodigere. Dixi modo non ſit contra iuſtitiam, & præiudicium alicuius, quia infamatus non poteſt cedere iuri, quod

vergit

vergit in præiudicium alterius. Vnde vt condonatio ſit licita, debet eſſe ſecundum iuſtitiam, nam contra iuſtitiam non eſt valida, vt ſi redundet in alium, v. g. in filium, Religioſum, maritum, vel, &c. quia in his caſibus non cenſetur valida, cum cedat in damnum tertij; ſi verò non redundat in damnum alterius, tunc condonatio famæ cenſetur valida, quia cum infamatus ſit dominus propriæ famæ, poteſt eam condonare, & cum non ſit dominus famæ aliorum, non poteſt eam remittere, & condonare cum præiudicio tertij. Vnde Pater cum præiudicio famę filij non poteſt condonare reſtitutionem famæ, cum non ſit dominus famæ eiuſdem, ſicut etiam maritus cum præiudicio famæ vxoris non poteſt ipſam condonare, ſicut nec Religioſus poteſt ipſam remittere, quando condonatio redundat in præiudicium alterius Religioſi, vel Monaſterij, aut Religionis. Secundò, perſonæ publicæ, ſeu Prælati non poſſunt ſibi inuicem famæ reſtitutionem condonare, & ſi remittant non erit valida remiſſio. Ratio, quia licet iſti poſſint cedere iuri ſuo, non tamen iuri aliorum, quorum eſt etiam ipſa fama ipſorum. Salonius 2. 2. *quæſt. 62. art. 2.*

An fama ſit reſtituenda cum periculo vitæ?

BRACTEA XLI.

SCIENDVM bona eſſe in triplici differentia, aliqua vitæ, famæ, & fortunarum: in ſupremo loco collocatur vita, In ſecundo fama, & in tertio bona temporalia. Secundò, res inferioris ordinis regulariter non debere reſtitui, cum præiudicio rerum Superioris Ordinis. Caiet. 2. 2. *quæſt. 62. art. 1.* Nauar. *cap. 17. num. 56.* & alij. Quo poſito

R. Cum periculo propriæ vitæ non tenetur quis famam reſtituere. Ita communiter omnes. Ratio, quia res inferioris ordinis non ſunt reſtituendæ cum præiudicio rerum ſuperioris ordinis: vita autem cenſetur ſuperior ad famam: ergo, &c. Quod non modo intelligendum eſt de reſtitutione famæ viri ordinarij, verum etiam cuiuſcunque illuſtriſſimi viri quocunque modo fuerit ablata, non eſſe reſtituendam cū periculo vitæ, quia vniuſcuiuſque hominis vita præſtat qualicunque famæ. Ratio eſt, quia iuſtitia commutatiua poſtulat, vt reſtitutio fiat ad æqualitatem, & qui reſtitueret famam cum periculo vitæ plus reſtitueret, quam iuſtitia poſtulet. Secundò, quando ex infamia impoſita, mors infamati timetur, tunc infamator etiam cum periculo vitæ, obligatur ad reſtitutionem, vt v. g. ſi quis alteri falſum crimen impoſuit, propter quod vltimo ſupplicio eſt afficiendus, tenetur etiam cum vitæ ſuæ periculo ablatam famam reſtituere. Ratio eſt, quia tenetur nocens ſubire quantum intulit damnum, cum iure naturæ potior ſit conditio innocentis, & patientis. Ita Nauar. *lib. 2. cap. 403* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 11. dub. 15.* Toletus *lib. 5. ſum. cap. 70.* Tertiò ſi ex infamia vni, vel pluribus vitæ periculum immineat, vel aliquod graue malum Reipublicæ, v. g. bellum, vel inter Ciues graue diſſidium, tenetur detractor etiam cum periculo vitæ famam reſtituere. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 15. num. 91.* & alii. Ratio, quia bonum Principis præferendum eſt priuato, & ad euitandum damnum publicum vita priuati, debet poſtponi. Tum etiam, quia ſalus, & tranquillitas Reipublicæ eſt bonum præſtantius, quam ſalus, & vita alicuius particularis.

An cum iactura propriæ famæ ſit fama reſtituenda?

BRACTEA XLII.

R. EXCVSARI à reſtitutione famæ, notabilem iacturam propriæ famæ. Ita Leſſius *lib 2. cap. 11. dub. 26.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6 pun. 5.* Ratio, quia iuſtitia non obligat ad reſtitutionem cum damno notabiliter maiori, quam ſit damnum illatum. Vnde Prælatus, vir illuſtris, qui virum plebeum infamauit dicendo eſſe mendacem, non tenetur reuocare dictum cum notabili iactura ſui nominis, ſed ſatis eſt ſi ipſum laudet in eo genere virtutis, in quo fuit infamatus, vel etiam ipſum in alio genere virtutis laudare, vel ſi tali modo non poteſt reſtituere ablatam famam, poterit ipſam pecunia compenſare ex æquitate, ſi infamatus ſit pauper, & cupiat compenſationem pecuniariam, eamque infamator poſſit exhibere abſque ſuo graui incommodo; hoc enim recta ratio dictat, & poſtulat.

De cauſis excuſantibus à reſtitutione famæ?

BRACTEA XLIII.

R. PLVRES eſſe cauſas: Prima eſt compenſatio, vt ſi ab eo, quem infamaſti, pari modo ſis infamatus: Secunda eſt condonatio obligationis reſtituendi famam in ſpecie facta m Tertia ſi fama alia ratione iam ſit recuperata: Quinta, quando iu infamia iam adijt in obliuionem, quia tunc nulla eſt amplius obligatio reſtituendi famam: Quinta, quando quis reuelauit crimen occultum, quod poſtea alia ratione factum eſt publicum; Sexta ſi reſtitutio famæ facta ſit impoſſibilis, nam ad impoſſibile nemo tenetur; Septima, quando infamator non poteſt famam ſine periculo vitæ reſtituere, quia vt ſupra dictum eſt, non eſt obligatio reſtituendi res inferioris ordinis cum præiudicio rerum ſuperioris ordinis: Octaua, ſi non poſſit fieri reſtitutio ſine amiſſione propriæ famæ, quod ſit longè maioris momenti, vt ſi Prælatus, vel vir illuſtris infamauit plebeum, non tenetur cum iactura ſui nominis reuocare, ſed ſolum ipſum laudare, vt ſupra dictum fuit; Nona, ſi bona fide perſuaſus verum, & publicum quis narrauit defectum alicuius, nec poſſit ſine damno ſuæ famæ reſtituere: Decima ſi reuera nulla fuit infamia ſecuta, vt quando audientes non crediderunt, vel quando audientes iam antea nouerant, & ob id apud ipſos non eſt aucta infamia, vel quando alia ſimilis ratio intercedit, nam iuſtitia commutatiua obligat ad reſtitutionem, quando damnum eſt illatum; quando autem detractio eſt ineficax, nullum damnum cenſetur illatum. Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. qu. 5.* Petrus Nauarr. *cap. 18. num. 44.* & alij.

MALLEATIO LXXIII.

De contumelia.

Quid ſit contumelia?

BRACTEA I.

R. Contumaliam eſſe iniuriam, qua alteri obijcitur crimen, vel defectus in præſentia. Ita Nauar. *cap.* 18. *num.* 111. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 2. Molina *tract.* 4. *diſp.* 18. & alii. Siue contumelia eſt iniuſta ablatio honoris alieni facta in præſentia patientis illam. Ita colligitur ex S. Thoma 2. 2. *quaſt.* 72. *art.* 1. Silueſter *verbo contumelia qu.* 1. Toleto *lib.* 5. *cap.* 9. & aliis, vt ſi quis aliquem in facie furem, vel hæreticum appellet, & dicitur contumelia à contemnendo, quia qui alterum contemnit tanquam ſuperbus in contumelia prorumpit.

Sciendum ad contumeliam requiri ſcientiam, & dolum, cum ſit vilipenſio quædam, ſicut colligitur *ex leg. ff. Aquiliam*; rectè tamen monet Molina *tract.* 4. *diſp.* 18. non requiri ad contumeliam directum honoris lædendi propoſitum, ſed ſufficere etiam virtuale, cum quis ſcienter talem actionem exercet, ex qua alterius honor ſuapte natura diminuitur: ſin verò aliquis abſque dolo cauſam culpabiliter præbeat, vt honor alterius apud alios minuatur, vt ſi quis ſciat ſe in ebrietate verba contumelioſa effundere ſolitũ, per quæ alter riſui, aut ludibrio exponatur, atque voluntariè ſe inebriet contumeliam propriè non infert, peccat nihilominus contra iuſtitiam commutatiuam, quemadmodum & ille, qui culpabiliter ſe inebriando cauſam præbet, vt alter in bonis corporis iniuſtè lædatur. Secundò, contumeliam tribus modis accidere, verbo, ſcripto, facto. Contumelia, quæ verbo fit, dicitur Conuicium, improperium maledictum; Contumelia, quæ ſcripto fit animo infamandi libellus famoſus in iure appellatur; Contumelia, quæ facto fit veluti ſi quis verberatus, loco concluſus; Item ſi alicuius pudicitia tentata, ſi cuipiam repræſentatum, quod pudorem, vel honorem alicuius lædatur. Tertiò, conuicium eſt iniuria, qua verba obijcitur alteri malum, ſiue culpæ, ſiue pœnæ, ſiue defectus naturæ in præſentia. Improperium eſt iniuria, qua verbis, aut ſignis alteri obijcitur malum indigentiæ minuentia eius excellentiam. Maledictum eſt imprecatio, qua quis alteri imprecatur malum culpæ, vel pœnæ, vel naturæ. Quartò, inter detractionem, & contumeliam hanc eſſe differentiam, quia detractio lædit famam, contumeliam verò honorem. Secundò, detractio fit occultè, contumelia verò in præſentia.

An contumelia ſit ex genere ſuo peccatum mortale?

BRACTEA II.

R. Contumaliam ex genere ſuo eſſe peccatum mortale. Ita Reginaldus *lib.* 24. *n.* 100. Rebellus *lib.* 4. *de reſtit. quaſt.* 1 *num.* 8. & alij. Ratio, quia in materia graui lædit famam.

Sciendum excuſari aliquando à peccato mortali ſuperiores, qui reprehendendo ſuos ſubditos vtuntur verbis iniurioſis, cum non habeant intentionem violandi famam, ſed potius eos redigendi ad ſuum munus. Clauis Regia *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 5. Excuſantur etiam Patres, qui cum ſuos filios reprehendunt, vtuntur verbis contumelioſis, & mulieres, & homines infimæ conditionis, qui ſe altercando ex habitu ſolent dicere quidquid venit in os, cum eorum verbis non ſoleat fides adhiberi ab audientibus. Secundò, quod licet contumelia principaliter conſiſtat in verbis. Et ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 72. *art.* 1. & 2. quia ſunt iniuriæ, quibus manifeſtamus aliquem defectum fratris, & in aliorum notitiam dicimus, vt contemnatur, aliquando tamen conſiſtunt in nutibus, & ſignis, ſed minus principaliter. Ratio, quia nutus, & ſigna vim habent ſignificandi, & talia erat apud Romanos Naſum, policem intra duos digitos demonſtrare, aut linguam inter dentes. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 16. *pun.* 5.

Tertiò, qualitatem contumeliæ, ſiue circunſtantiam aliquando eſſe manifeſtandum in confeſſione, vel ob magnitudinem mali, quod alteri obijcitur, vt ſi quis alterum hæreticum, vel ſodomitam appellet, vel ob excellentiam perſonæ cui contumelia fit, vt ſi quis conuicia iactet in Regem, vel Prælatum. Ratio, quia præter violationem iuſtitiæ generalis violatur etiam iuſtitia ſpecialis, quæ particulariter ſuperioribus debetur, quæ circunſtantia eſt in confeſſione exprimenda aliquando verò in confeſſione non eſt manifeſtanda, vt quando violatur ſolummodo iuſtitia generalis.

An contumelia ſit peccatum contra iuſtitiam?

BRACTEA III.

R. Esse peccatum contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia omne peccatum quo infertur alteri damnum eſt contra iuſtitiam: & talia eſt contumelia, cum per ipſam inferatur dedecus, & deſpectus. Secundò contumeliam eſſe grauius peccatum, quam detractio. Et ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 2. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 6. *dub.* 3. & alii. Ratio, quia honor, & fama ſunt obiecta materialia contumeliæ, & detractionis obiecta verò formalia ſunt rationes inuoluntarii; vnde ſumitur iniuſtitia, & cum in contumelia ſit maior ratio inuoluntarii, quam in detractione, ſequitur contumeliam eſſe grauius peccatum, quam detractio. Maior patet, quia contumelia fit in præſentia, & læſus magis inuoluntariè patitur iniuriam, quæ ſibi in præſentia obijcitur, quam in abſentia: Detractio verò lenior eſt ratione minoris inuoluntarij, cum fiat in abſentia, & læſus non ita inuoluntariè patitur iniuriam, quæ illi obijcitur in abſentia, quam in præſentia. Tertiò, omnes contumelias eſſe eiuſdem ſpeciei. Ita Molina *tract.* 4. *diſp.* 19. *num.* 3. Caiet. 2. 2. *quaſt.* 72. *art.* 1. Reginald. *lib.* 24. *num.* 102. & alij. Ratio, quia omnes contumeliæ conueniunt in eadem ratione formali auferendi honorem: honor autem proximi non diſtinguitur in ſpecie. Et ita Caiet. 2. 2. *quaſt.* 72. *art.* 1. & 4. Sotus *lib.* 5. *quæſt.* 9. *art.* 1. Salonius 2. 2. *quæſt.* 72. *art.* 1. & alij.

An qui verba contumelioſa, aut conuicia iactat in alium peccet mortaliter?

BRACTEA IV.

R. Qvi per iocum, & non animo detrahendi honorem proximi contumelias, & conuicia in alterum profert regulariter non peccat mortaliter. Ratio, quia his contumelijs, & conuicijs ioco dictis non læditur fama. Dixi regulariter, quia in aliquibus caſibus proferens ioco contumelias, & conuicia peccat mortaliter, vt ſi quis de Sacerdote diceret frangere ſigillum, vel fœminam honeſtam notaret adulterio, vel alapa percuteret, &c. quia limites ioci ordinarij tranſgrederetur. Secundò, qui animo, & intentione lædendi hominem proximi verba contumelioſa profert, etiamſi ioco id faciat, peccat mortaliter iuxta illud Matthæi 5. *Si quis dixerit fratri ſuo fatuè reus erit gehennæ ignis:* pæna enim inferni non debetur, niſi ob peccatum mortale. Qui verò verbum contumelioſum profert animo parum lædendi proximum ſolum peccat venialiter. Ratio patet à ſimili, quia ſicut, qui parũ furatur intentione parum lædẽdi proximum, peccat ſolũmodo venialiter, ita etiã qui verba cõtumelioſa, & cõuicia profert animo parum lędendi honorem alterius peccat ſolũmodo venialiter. Tertiò, qui proferendo verbum contumelioſum, etiam animo parum lædendi honorem alterius infert damnum notabile peccat mortaliter, dũmodo damnum ſequatur ex culpa lata proferentis contumeliam, & obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia iſte notabiliter ſuo dicto lædit proximũ, licet habuerit animum parum lędendi; ergo peccat mortaliter. Ita Valentia *tom.3. diſp.5. quæſt.16. pun.2.* & alij, ſi verbo proferendo verbum contumelioſum vtatur qualibet diligentia ne ſequatur aliquod damnum, tunc non peccat mortaliter, nec eſt obligatus ad reſtitutionem. Ratio, quia illud damnum, quod ſequitur reſpectu illius erit cauſale, ac proinde involũtarium. Ita Arragonius 2.2. *quæſt.72. art.2.* Quartò, qui ex ſola intentione corripiendi proximum cautè, & diſcretè verbis contumelioſis vtitur, non peccat. Ratio eſt, quia Prælati, & Superiores poſſunt vti honore, & fama ſuorum ſubditorum ad corripiendos eos; & ita Chriſtus *Lucæ 24.* Apoſtolos ſtultos, & tardos ad credendum appellauit, & Apoſtolus *Galat.3.* Galatas inſenſatos vocauit, dummodo non detur exceſſus in verbis, quia ſi ſuperior repræhendendo proximum verbis contumelioſis excedat, peccat venialiter ſi leuiter excedat, ſi verò grauiter peccat mortaliter, quia tunc notabiliter vituperatur, & contriſtatur ſubditus.

An liceat in iniurijs vti compenſatione?

BRACTEA V.

R. Qvod qui ex liuore vindictæ prior intulit contumeliam, ſeu conuicium in alium peccat mortaliter ſi contumeliæ, & conuicia fuerint enormia; & grauia. Ratio eſt, quia nullo eſt licitum priuata auctoritate ſe vindicare. Tum etiã, quia nulli licitum eſt alteri contumeliam, & conuicium objicere. Secundò, peccat etiam mortaliter, qui ſecundo profert iniuriam contumelianti. Ita Arragon. 2.2. *quæſt.71. ar.3.* Ratio eſt, quia talis obiectio habet rationem vindictæ, & non defenſionis. Secus verò ſi haberet rationem defenſionis. Vnde quando contumelioſus imponit falſum crimen licitum eſt illi obiicere verum crimen occultum ad ſe defendendum, & ad debilitandum eius dictum. Ratio, quia talis obiectio habet rationem defenſionis, dummodo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Valentia *tom.3. diſp.5. quæſt.16. pun.3.* Arragonius, & Bannez 2. 2. *quæſt. 72. art.2.* Tertiò, quod quando contumelioſus imponit crimen verum, ſed occultũ licitum eſt etiam ei objicere vera crimina occulta, & in in iſto caſu licita eſt compenſatio, vt v. g. Petrus appellauit Paulum verè, ſed contra ordinem iuris furem, licitè Paulus poteſt illi dicere eum eſſe mentitum, eumque in aliis ſolere eſſe mendacem, dummodo reuera ſit talis, licet occultè, quia tale dictum pertinet potius ad defenſionem, quam vindictam, in honore, iure naturæ licitam eſſe omnes teſtantur. Verum ſi ad recuperationem honoris vnius tantum criminis obiectio eſt ſufficiẽs contrà charitatem erit duo, aut plura manifeſtare. Ita Arragonius, & Bannez *loco cit. art.3.*

An qui obijcit crimen falſum contumelianti ad debilitandam eius fidem peccet mortaliter?

BRACTEA VI.

R. Qvod qui obiicit alicui crimen falſum ad repellendum crimen ſemper peccat. Ratio eſt, quia mendacium eſt intrinſecè malum; ergo, &c. Secundò peccare mortaliter contra iuſtitiam. Ratio, quia obiectio criminis falſi cenſetur mendacium pernicioſum, quod ſemper eſt peccatum mortale, quia notabiliter læditur famam proximi, & non ſunt facienda mala, vt veniant bona. Tum quia, qui ad reparandum ſuum honorem obiicit crimen falſum non ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ; ergo peccat mortaliter, cum aſſumat mendacium, vt medium proportionatum ad tuendum ſuum honorem, cum aliter poſſit ipſum defendere detegendo, v. g. crimen verum, ſed occultum; ſi verò nulla alia ratione poſſit ſe defendere à contumelia obiecta, quam imponendo crimen falſum in tali caſu eſſe ſolum peccatum veniale, & mendacium ſolum officioſum. Ratio, quia ſicuti non peccat, qui occidit inuaſorem, quando non poteſt aliter ſe defendere, ergo neque imponendo falſum crimen contumelianti.

An qui per contumeliam alterius honorem violauit, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VII.

R. Qvi per contumeliam alterius honorem violauit, obligatur ad reſtitutionem. Ita communiter omnes. Ratio, quia qui alterius honorem lædit, peccat contra iuſtitiam commutatiuam; ergo obligatur ad reſtitutionem, cum ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ oriatur obligatio reſtituendi. Secundò, omiſſio honoris Superioribus debiti non eſt contra iuſtitiam commutatiuam. Ita Leſſius *lib.2. dub.27.* Ratio, quia talis omiſſiò opponitur ſolum virtuti obſeruantiæ, non autem iuſtitiæ commutatiuæ; ergo, &c. licet aliquando per accidens ex omiſſione honoris Superioribus debiti oriatur obligatio reſtituendi honorem, vt quando talis omiſſio interpretatiuè continet cõtumeliam, vt v.g.

ſi

ſi tranſeunte Prælato aliis aperientibus caput, & ipſum honorantibus aliquis eum ſine vllo honoris ſigno imprudenter aſpiciat, quia tunc interpretatiuè cenſetur illum afficere contumelia, & per conſequens obligari ad reſtitutionem. An poſſit abſolui a Confeſſario, qui, vel quæ diſſoluta cum aliquo, vel aliqua amicitia non amplius vult ipſum, vel ipſam ſalutare, vel alloqui? Reſpondeo poſſe abſolui, ſi depoſito odio, vel rancore ex iuſta cauſa nolit ſalutare, vel alloqui, cum mortaliter non peccet, non alloquendo, vel ſalutando; ſecus autem ſi ex odio faciat, vel non alloquendo, aut ſalutando adſit ſcandalum. Tertiò, non modo obligatur ad reſtitutionem, qui protulit contumeliam, vel conuicium, ſed etiam, qui aliquo modo fuit concauſa, vel cooperatus eſt ad contumeliam, & conuicium. Ratio, quia qui cauſam damni dat damnum dediſſe videtur. Verum reſtituente cauſa principaliori, cæteræ ſunt liberè ab obligatione reſtituendi. Quartò, quod hæredes eius, qui paſſus eſt contumeliam, vel conuicium iniuriæ illatæ defuncto ſatisfactionem petere non poſſunt. Ratio eſt, quia obligatio perſonalis non tranſit ad hæredem; & talis obligatio reſtituendi honorem eſt perſonalis; ergo, &c. Vltimò, qui contumeliam protulit, non modo eſt obligatus ad reſtitutionem honoris ablati, ſed etiam ad reſtitutionem damnorum ſecutorum per ablationem honoris vt ſi propterea aliquo beneficio, vel officio priuatus ſit. Ratio eſt, quia per contumeliam, &c. non modo eſt cauſa amiſſionis, honoris, ſed etiam damnorum ſecutorum; ergo, &c.

Quotnam modis ſit honor reſtituendus?

BRACTEA VIII.

R. Varios eſſe modos reſtituendi honorem, ex quibus is tantummodo eſt neceſſariò adhibendus, qui iudicio prudentis ſatis ſit honori violato. Ratio eſt, quia ex iniuria illata ſolum conſurgit obligatio reſtituendi per medium efficax, non vero per quodcunque læſus voluerit.

Sciendum honorem 1. Primò poſſe reſtitui amica, & honorifica ſalutatione, aut compellatione, & hic ferè ſufficit Prælatis, & Superioribus erga inferiores, & viris nobilibus erga plebeos. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt* 72. *art*. 3. Leſſius *lib*. 2. *cap*. 11. *dub*. 27. non enim cogendi ſunt ij veniam petere, aut genuflectere, aut ſimilia ſubiectionis ſigna oſtendere. Secundò poteſt reſtitui adhibendo ad menſam, dando locum honorificum, propinando, &c. qui modus etiam ſufficit inter eos, qui ſunt paris conditionis. Tertiò, petendo veniam, qui modus eſt efficaciſſimus, & decentiſſimus, quo debent vti inferiores erga ſuperiores, & ſæpè etiam æquales inter ſe; nam ſi læſus hanc ſatisfactionem iuſtè exigat, vt ſi graui iniuria fuerit affectus, nec aliam velit admittere, tenebitur alter veniam petere ſi ſit inferior, vel æqualis. Verum ſi iniuria ſit ita enormis, viro nobili illata, tunc enim exigi poteſt maior humiliatio, v.g. vt flexis genibus veniam petat; non tenetur tamen maiorem humiliationem præſtare ante ſententiam Iudicis, quia de more introductum eſt, vt pro egregiis iniuriis non teneatur quiſquam ſpontè maiorem ſatisfactionem exhibere, quam humilem veniæ petitionem cum ſignis doloris. Quartò, ſi iniuria illata fuit publicè, publicè facienda eſt ſatisfactio, ſi priuatim, priuatò facienda eſt, ſi facta eſt ignorantia tunc ſufficit confiteri ignorantiam, & exhibere illi honorem debitum; ſi autem iniuria illata eſt ex odio, & liuore vindictæ, & læſus in honore non eſt ſubditus, tunc pœnitendū eſt de peccato, & venia petenda de iniuria illata humiliando ſe illi, quem inhonorauit, qua humiliatione ſatisfit iuſtitiæ. Quintò, quod ſi irrogando alteri conuicium, vel contumeliam, falſum dixit, non ſufficit dumtaxat petere veniam, ſed mentitum fuiſſe, tenetur aſſerere.

MALLEATIO LXXIV.

De deriſione, & ſuſuratione.

Quid ſit deriſio?

BRACTEA I.

R. Derisio eſt actus quo alterius honor verbis, aut factis violatur cum intentione confūdendi ipſum, & inducendi ad erubeſcentiam. Ita communiter omnes.

Sciendum deriſionem differre à contumelia, quia deriſio fit ioco intentione inducendi erubeſcentiam, contumelia fit ſeriò, & quia deriſio maiorem continet contemptum, quam contumelia, hinc eſt quod ſit maius peccatum, & concurrentibus ſubſequentibus circunſtantijs deriſio ſemper eſt peccatum mortale. Prima, quando deriſus grauiter de deriſione contriſtatur. Secunda, quando adeſt intentio grauiter confundendi proximum. Tertia, quando deridens manifeſtat graue vitium.

Sciendum 2. irriſionis eſſe quatuor gradus. Primus eſt irriſio proximi facta promiſſiuè. Secundus, eſt deriſio proximi, tanquam viri iuſti, qua videlicet quis opera eius iuſta deridet. Tertius, eſt irriſio parentum. Quartus, irriſio Dei. Secundò, deriſionem aliquando poſſe excuſari à peccato mortali, primò, ſi non adſit contemptus perſonæ, quia tunc deriſio ponitur in riſum, & ludum; ſecundò, quando fit cauſa corrigendi proximum, vel cauſa recreationis honeſtæ modo non intendatur confuſio, & erubeſcentia proximi. S. Thom. 2. 2 *quæſt* 75. *art*. 2. Valentia *tom*. 3 *diſp* 5. *quæſt*. 18. *pun*. 2. Azorius 3 *part*. *lib*. 13. *cap* 9. Molina *tract*. 4. *diſp*. 21. *num*. 4. & alij. Tertiò, qui per deriſionem alterius honorem abſtulit debet reſtituere. Ita Leſſius *lib*. 2. *dub*. 27 & alij communiter. Ratio, quia deridendo violauit iuſtitiam commutatiuam; ergo, &c. & non modo honor ablatus reſtituendus eſt apud ipſum dehonoratum, verum etiam apud eos apud quos illius honor diminutus eſt, alioquin honor iniuſtè ablatus non reſtitueretur ad æqualitatem.

Quid ſit ſuſuratio?

BRACTEA II.

R. Susvratio eſt peccatum linguæ quo quis manifeſtat alterius defectum ad ſeminandas diſcordias inter amicos. Ita Nauar *cap*. 18. *num* 13. Clauis Regia *lib*. 12. *cap*. 5. Azorius 3. *part*. *lib*. 13. *cap*. 8. Molina *tract*. 4. *diſp*. 25. & alii. In quo diſtinguitur ſuſuratio à contumelia, quia contumelia eſt læſio honoris, & ſuſuratio eſt ſeminatio diſcordiarum, & diſſolutio amicitiæ.

Sciendum ſuſurationem eſſe maius peccatum detractione, & contumelia, cum maius damnum afferat diſſoluendo amicitiam, quæ præſtantior eſt bono

famæ, & honoris. *Eccleſ. 6.* Amico fideli nulla eſt comparatio. Secundò, ſuſurationem formalem ſemper ex genere ſuo eſſe peccatum mortale contra iuſtitiam. Ratio, quia grauia damnum iniuſtè affert, tum etiam, quia formalis detractio tunc eſt quando fit ex intentione ſeminandi diſcordias, & diſſoluendi amicitiam, & tunc graue damnum proximo infertur, vtpotè tollendo bonum amicitiæ, quo inter temporalia nullum eſt maius, quod damnum eſt contra iuſtitiam, ſaltem quando infertur dolo, fraudè, mendaciis, quiſque enim habet ius, vt ſibi non inferatur malum ea ratione. Secundò duplicem eſſe ſuſurationem, materialem, & formalem: formalem illam eſſe, quæ fit ex intentione ſeminandi diſcordias, & dirimendi amicitias, & hęc regulariter ſemper eſt peccatum mortale. Dixi regulariter, quia aliquando excuſatur à peccato mortali; primò ratione indeliberationis, & inaduertentiæ; ſecundò, quando quis manifeſtat aliquem defectum non ad ſeminandas diſcordias inter amicos, ſed ad diſſoluendam perniciosam amicitiam nullo tamen intercedente mendacio. Rebellus *lib.4.de reſtit.queſt.*1. *num.*12. Azorius, Clauis Regia *locis citatis:* imò ſecluſo mendacio opus charitatis erit dirimere perniciosam amicitiam, v.g. Concubinatorum, latronum, &c. materialem illam eſſe quando dicitur malum non eo fine, vt ſeminētur diſcordiæ, ſed ex loquacitate, vel affectu quodam ſuſurandi quę iuxta qualitatem materiæ, aliquando eſt mortalis, aliquando venialis.

An qui ſuſuratione impedit alium quòminus aliquid acquirat, quod licitè poterat acquirere, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA III.

R. Qui ſolis præcibus, perſuaſionibus, vel blanditijs impedit aliquem, quòminus aſſequatur bonum, in quo, vel ad quod nullum habet ius præter liberalem voluntatem eius, qui donare conſtituit ad nullam reſtitutionem tenetur. Ita Rebellus *lib.3.de reſtit.queſt.*1. Salon. 2. 2. *queſt.62.ar.*2. Bannes *ibidem*; vaſquez *de benef.cap.*2.§. 4. *dub.* 19. Em. Sà *verbo reſtitut.nu.*21. & alij. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ: in hoc autem caſu nulla datur violatio iuſtitiæ; ergo, &c. Tum etiam, quia ordo charitatis efflagitat, vt vnuſquiſque potius ſibi velit bonum, quam alijs; ergo ſi volenti dare, perſuadeat, vt meliori modo diſponat, vel etiam, vt ſibi, vel ſuis potius relinquat hæreditatem, aut legatum, quam extraneis, quibus id conferre volebat, nullum peccatum committit; ergo neque obligatur ad reſtitutionem, etiamſi faciat ex odio, aut mala intentione nocendi proximo, nō naſci obligationem reſtituēdi, ſi tamen vis, & dolus abſit, licet intercedat peccatum mortale. Ratio eſt, quia malus animus in his rebus, in quibus poteſt quis alioquin nocere abſque iniuſtitia, licet charitatem offendat, non tamen iuſtitiam, & per conſequens non cenſetur obligari ad reſtitutionem. Ita Nau. *cap.*17.*num.*70. Sotus *lib.4.queſt.6.art.*3. Molina *tom.*3. *diſp.*727. Rebellus *part.* 2. *lib.3.queſt.*1. Caietan. 2. 2. *queſt.62.art.*2. & alij. Secundò, qui impedit alium à conſecutione alicuius boni, in quo habet ius acquiſitū in re, vel ad rem tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi vi, vel fraude non impediat. Ratio eſt, quia qui talem impedit, facit contra iuſtitiam, & eſt cauſa efficax reuocandi bonum iam conſecutum, & auferendi ab eo, quod ſuum erat; ergo, obligatur ad reſtitutionem quantum eſt ius, quod in eadem re alter habebat; quod ſi alter habebat ius perfectū ad ęſtimationem illius obligatur; ſi autem ius ad rem, ſeu imperfectum quantum arbitrio boni viri æſtimatur illud ius ad rem. Ita Molina *tom.3. diſp.*727. Valentia *tom.3.diſp.5.queſt.6.pun.*5. Nauar. *lib.3.cap.5. num.*2. Tertiò qui alium per vim, dolum, fraudem, ſiue mendacium impedit à conſecutione alicuius boni, quod erat habiturus ex mera liberalitate alterius obligatur in conſcientia ad reſtitutionem. Ita Nauar *in manuali cap.17.num.69.* Sotus *lib.4.queſt.6.art.3.* Molina *tom.3. de iuſtit. diſp.*727. & alij. Ratio, quia ſic impediens peccat contra iuſtitiam; ergo tenetur ad reſtitutionem.

An qui impediat dignum à conſecutione alicuius beneficij obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA IV.

R. In conſecutione alicuius beneficij dignum anteponere digniori abſque legitima cauſa eſſe peccatum mortale. Ita D. Thom. 2. 2. *queſt.63.art.*2. Sotus *lib.4.queſt.6.art.*1. Nauar. *cap.*17. *num* 72. Caietan. Bann. Arragon. 2. 2. *queſt.63. art.*3. & alij. Ratio eſt, quia peccatum contra iuſtitiam eſt ſemper peccatum mortale, & qui anteponit dignum digniori facit contra iuſtitiam diſtributiuam; ergo peccat mortaliter, ſi id abſque iuſta cauſa faciat. Dixi abſque iuſta cauſa, quia ea poſita poteſt id fieri. Quæ autem ſint iuſtæ cauſæ relinquuntur conſiderandæ iudicio Ordinarij. Secundò, peccare mortaliter, & obligari ad reſtitutionem, qui prętermiſſo digno, vel digniori beneficium confert indigno. Quod peccet mortaliter, patet, quia peccat contra iuſtitiam, ob id enim fideles decimas, & tributa ſoluunt, vt ſibi idoneus miniſter præficiatur, qui ſacramenta conferat, prædicet, &c. Ita D. Thomas 2.2.*queſt.63.art.*2. Petrus Nauar. *lib.2. cap.2. num.*120. Tertiò, qui prætermiſſo digno beneficia confert indigno, tenetur reſtituere Eccleſiæ damnum, quod intulit. Ratio eſt, quia qui præficit indignum eſt cauſa futuri damni; ergo ad reſtitutionem illius tenetur.

An ſuſurando qui reuelat crimen occultum, ob quod illi non confertur beneficium peccet, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA V.

S. Ciendvm impedientem alium per vim, vel fraudem ne conſequatur beneficium quo dignus erat teneri ad reſtitutionem quanti iudicio prudentis ſpes illa valebat; ſecus ſi eum impediuit, qui non erat dignus, cum enim indignus nullum ius haberet impediēs non cenſetur ius illius violaſſe. Secundò, qui per vim, aut fraudem impediuit dignum ne conſequeretur beneficium, ad quod nullam ſpem habebat, non teneri ad reſtitutionem, quia non cenſetur illi damnum intuliſſe, niſi fortè impedierit detrahendo, quia tunc teneretur ratione famæ iniuſtè ablatæ. Tertiò, qui per vim, vel fraudem impediuit dignum à conſecutione alicuius beneficij, vt daretur digniori, non tenetur ad reſtitutionem, quia non violauit ius digni, cum dignus non habeat ius

ius, vt præferatur digniori. Quartò, qui fraude impediuit multos competitores, ne aliquod beneficium aſſequerentur, tenetur ſingulis reſtituere quanti iudicio prudentis eorum ſpes valebat. Molina *tom.* 1. *diſp.*135.*num* 7. Leſſius *lib.*2.*cap.*12. *dub.*18. *num.*126. & alij. Quo poſito.

R. Quod ſi manifeſtatio criminis ſit criminis occulti, & ſit cauſa ob quam collator non confert beneficium alias collaturus, tunc manifeſtans obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia per iniuriam eſt cauſa damni.

An obligetur ad reſtitutionem, qui aliquem inducit ad peccandum peccato adulterij?

BRACTEA VI.

R. Qui aliquem vi, & fraude inducit ad peccatum ex iuſtitia curare debet, vt à peccato conuertatur, & fraudem aperire. Ita Silueſter *de reſtitut.*3.*queſt.*1. Petrus Nauar. *lib.*2. *cap.*2. *nu.* 79. & alij. Ratio, quia ſicut peccat contra iuſtitiam, vtendo fraudibus, &c. ita ex iuſtitia tenetur eas auferre. Secundo, qui ſine fraude, &c. aliquem inducit ad peccatum, obligatur ſolum ex charitate curare, vt conuertatur. Ita auctores citati.

Sciendum decipientem aliquem, malè ipſum conſulendo circa ſidem, aut circa bonos mores, peccatum ipſius imputari conſultori, & ideò obligatum eſſe curare, vt cui dedit conſilium à peccato conuertatur illi manifeſtando conſilium fuiſſe malum, & falſum: at ſi conſultus aliunde cognouit conſilium datum fuiſſe prauum non amplius, qui illud dedit ex iuſtitia tenetur, ſed ſolum ex charitate cum ablatus ſit error intellectus, ratione cuius deceptor cenſebatur cauſa operis mali. Ita Leſſius *lib.*2. *cap.*8. *dub.*2. *num.*6. & ideò qui puellam ad libidinem adducit dicendo non eſſe peccatum ex iuſtitia tenetur deceptionem auferre. Quod etiam dicendum eſt de Medico, qui noxium medicamentum docuit, & de eo, qui docuit falſam doctrinam, qui tenebatur ex officio docere veritatem, teneri ex iuſtitia retractare; ſi verò ſolum materialiter docuit doctrinam falſam abſque culpa putans docere verum, tunc ex præcepto charitatis cognita veritate tenetur ſe retractare. Ita Molina *tom.*3.*diſp.*50. Rebellus *part.*2. *lib.*4. *queſt.* 14. Arragon. 2. 2. *queſt.*62.*art.*2. Sotus *lib.* 4. *queſt.*6. *art.*3.

An qui inducit alium ad peccatum grauius peccet, quam homicida?

BRACTEA VII.

R. Quod qui ex odio, & malitia in Deum inducit aliquem ad peccandum grauius peccat, quam qui homicidium committit, ſicut etiam qui inducit ad peccandum, vt proximus gratiam amittat. Ratio eſt, quia talis actus elicitus procedit ex odio Dei, quod eſt peccatum grauiſſimum. Secundò, qui alium inducit ad peccandum non ex odio, ſed ex alio motiuo leuius peccat, quam qui committit homicidium. Ratio eſt, quia qui inducit ad peccandum tantum intendit voluptatem, & qui alium occidit, intendit eius nocumentum in vitam, quod eſt irreparabile damnum. Ita Salonius 2.2.*queſt.*62.*art.*2. Tertiò, qui inducit ad peccandum meretricem leuius peccat, quam qui aliena rapit. Ratio, quia cum ſit parata ad peccandum exiguam iniuriam illi infert; qui verò inducit ad peccandum alium non paratum grauius peccat, quam is, qui bona aliena rapit. Ratio eſt, quia qui maius nocumentum infert grauius peccat: ſed qui virum non paratum ad peccandum, mulierem, & maximè virginem ad malum inducit grauiſſimum nocumentum ei infert; ergo grauius peccat. Ita Salon *loco cit.* Sotus *lib.*4.*queſt.*7.*art.*3. & alij.

Ad quid obligetur qui aliquem à Religione auertit, vel ingreſſum extrahit?

BRACTEA VIII.

R. Qui vi, vel fraude adducit nouitium à Religione obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti, & tollere fraudem ex iuſtitia aperiendo ei veritatem, vel dignitatem Religionis, & procurare, vt iterum animum Religioſum concipiat. Ita Molina *tract.*14 *diſp.*51. Azorius 3.*part.lib.*5. *cap.*2. Arragon. & Salon. 2.2.*queſt.*62.*art.*2. Ratio, quia magnam iniuriam fecit Monaſterio, ſeu Religioni, & ideò obligatur ad reſtitutionem damni tanti, quanti valebat ſpes illa commodi, quæ ex ipſius donatione, virtute, & induſtria expectabitur eo modo, quo obligatur, qui vi vel fraude, aut minis impediuit ne alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio relinqueretur aliquod legatum: at ſi antequam è Religione egrediatur, aperiatur illi fraus, non amplius obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti per egreſſum, quia tunc non amplius cenſetur cauſa damni Monaſterio, &c. Leſſius *lib.*2.*cap.*8.*dub* 3.*num.*15. Quod etiam extenditur ſi nouitius aliquo modo fraudē aduertit, quia egreſſio eius cenſetur tunc potius voluntaria, quam inuoluntaria. Secundò, qui nouitium ſine vi, & fraude extraxit à Religione, ſed ſolum precibus non tenetur ex iuſtitia aliquid reſtituere Religioni, etiam ſi malo animo eum extraxerit. Ita Sotus *lib.*4. *de iuſt.* *queſt.*6.*art.*3. Petrus Nauar. *lib.*2. *de reſtit.cap.*2. *nu.*15. Ratio, quia Religioni non cenſetur facta iniuria, cum nōdū Religio in ipſum habuerit ius. Tertiò, qui bona fide, & intentione ob ſuam vtilitatem ſine vi, & fraude volentem ingredi Religionem impedit, vel ingreſſum ante profeſſionem extraxit, non peccat, neque ad aliquam reſtitutionem obligatur. Ratio primæ partis eſt, quia fieri poteſt, vt ſit opus charitatis auertere aliquem à Religione, vt quando parentes eſſent in magna aliqua neceſſitate, vel ob aliam ſimilem cauſam. Ratio ſecundæ partis eſt, quia reſtitutio fieri debet, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniuſtæ acceptionis; ſed neutrum hic locum habet, ergo, &c. Ita Arragon. 2. 2. *queſt.*62.*art.*2. Petrus Nauar. *lib.*2.*de reſtit. cap.*2. *num.*12. Quartò, qui profeſſum vi, vel fraude è Monaſterio, ſeu è Religione abduxit, compenſare debet damnum, quod Monaſterium patitur, & fraudem tollerere. Ita plures citati apud Leſſium *lib.*2.*cap.*8. *num.*16. Ratio, quia abducendo cenſetur cauſa damni, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti. Qui verò abſque vi, & fraude profeſſum è Religione abduxit, ſed ſolum precibus, & ſuaſionibus non tenetur compenſare damnum illatum. Ita Leſſius *lib*,2.*cap.*8.*dub.* 2. Clauis Regia *lib.*13.*cap.*1. & alij. Ratio, quia abducens non magis obligatur, quam ipſe Religioſus, qui ex iuſtitia non obligatur procurare emolumenta Religionis, ſed ſolum virtute obedientiæ; neque obli-

obligaretur ad reſtitutionem, non faciendò, ſeu procurando ea, ergo abducens, neque obligatur. Tum etiam, quia ſi ipſe Religioſus ſua ſponte apoſtataſceret ad nullam reſtitutionem Religioni teneretur; ergo neque ſuaſor, qui eſt cauſa minus principalis tenebitur. Tum etiam, quia ſi Religioſus, præfectus Cathedræ, omitteret legere lectiones debitę propter quod Monaſterium damnum pateretur non peccaret contra iuſtitiā, ſed contra virtutem Religionis; ergo neque conſultor, qui eſt cauſa ſecundaria, obligatur ad reſtitutionem; ſicut neque obligatur poſtquam ipſe Religioſus fraude abductus cognouit fraudem, vel vim ipſius abducentis, quia poſt cognitionem, non cenſetur amplius cauſa damni, obligatur ſolum ad reſtitutionem damnorum, quæ fuerunt durante vi, vel fraude.

An qui abduxit aliquem à Religione teneatur alium loco extracti ſubſtituere?

BRACTEA IX.

R. EVM qui alium abduxit à Religione ſi nolit non tenetur ingredi Religionem. Ratio, quia vota Religionis debent eſſe ſpontanea, quia ſtatus Religionis eſt ſtatus perfectionis, ad quē nullus, niſi voluntarius admittitur. Ita Nauar. *cap.* 17. *num* 45. & alij apud Bonacinam *de reſtitut. diſp.* 2 *quæſt.* 2. *pun. unico num* 17. Secundò, abducentem teneri ex æquitate quadam alium inducere, ſi cōmodè poteſt, non tamen ex iuſtitia, nolente Religioſo egreſſo iterum redire. Ratio, quia ſicut nec Religioſus tenetur ex iuſtitia redire, ita nec, qui eum abduxit; debet tamen ex æquitate compenſare damnum eo meliore modo quo poteſt. Ita Paludanus *in* 3. *diſt.* 15. *quæſt* 2. *art.* 2. Tertiò abducens fraude aliquem à Religione, detecta fraude Religioſo, ſi adhuc remaneat extra Religionem non obligatur amplius ad reſtitutionem damnorum, quę paſſa eſt Religio. Ratio, quia ipſe in poſterum non cēſetur cauſa damni, cum ipſe fraudem detexerit, ſed ipſe Religioſus extractus nolens obedire. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 7.

Sciendum, quod duo requiruntur, vt abducens fraude aliquem à Religione obligetur ad reſtitutionem. Primò, quod reuera damnum ſit illatum, quia ſi erat inutilis Religioni nulla facienda erit reſtitutio, cum nullum ſit damnum illatum. Secundò, teneri ſolum ad reſtitutionem pro tempore, quo extra Religionem manſit fraude deceptus.

An qui ſubſtulit ſeruum à Domino, diſcipulum à Magiſtro, & reuelationem, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA X.

R. QVI ſeruo emptitio ſuadet fugam ſecuto effectu, obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſ. *lib.* 2. *cap* 8. *num.* 20. & alij. Ratio, quia ſuadendo fugam cenſetur cauſa damni. Tum etiam, quia contra ius domini agit, cum ſeruus ſit propter commoditatem domini. Secundò, qui ſolum ſuaſionibus, & blanditijs abducit ſeruum à domino ſuo, non obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti per abductionem ſerui. Ratio, quia non cenſetur cauſa efficax damni, cum perſuaſiones, & blanditiæ non cogant, nec tollant libertatem. Tertiò, qui fraude, & mendacio eſt cauſa fugæ ſerui conducti à domino ſuo, obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti. Ratio, quia vtendo fraudibus, & mendacijs agit contra iuſtitiam; ergo, &c. Quartò, ſuadens ſeruo otium in his, quæ ratione officij facere non obligatur, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio, quia non cenſetur ſuadere aliquid contra iuſtitiam, cum actiones ſerui non ſunt debitæ ratione iuſtitiæ; ſicut mercenarius, qui pretium pro illis accipit, ſed ſolum contra virtutem obedientiæ; perſuadens verò otium ſeruo in id, quod ratione officii, obligatur facere, tenetur ad reſtitutionem, quia perſuadet aliquid contra id, quod ſeruus ex iuſtitia tenetur facere, & ſicut ſeruus faciens aliquid contra officium, peccat contra iuſtitiam, ita etiam qui perſuadet.

Sciendum, quod ea, quæ dicimus de ſuadente fugam ſerui à domino, intelligi etiam deberi de extrahente diſcipulum à ſuo magiſtro, & puerum ab Artiſta, quod ſi fraude ipſos extrahant, ſeu abducant, obligantur ad reſtitutionem damnorum, quia cenſentur violare ius tertii; ſi verò ſolum ſuaſionibus, & blanditiis non tenentur, quia non faciunt contra iuſtitiam abducendo, niſi forſan pacto obligaretur, quia tunc perſuadendo facerent contra iuſtitiam. Quintò, violantem ſecretum, cuius violatio redundat in alterius graue detrimentum, peccat mortaliter, & obligatur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ita Nauar. *cap.* 18. *num.* 58. Em. Sà *verbo ſecretum*, Silueſt. *eodem verbo*, Molina *tom.* 4. *tract.* 4. *diſp.* 4. & alii. Ratio, quia de iure naturæ ſeruanda eſt fides; violans ſecretum facit contra ius naturæ; ergo, &c. Sextò, non peccare mortaliter, nec obligari ad reſtitutionem qui reuelat ſecretum duobus, vel tribus promittentibus ipſum celare. Ita Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 31. *dub.* 3. Ratio, quia talis reuelatio non cenſetur nimis iniurioſa.

Sciendum reuelantem ſecretum amico, fratri, vel vxori non peccare mortaliter, dummodo quod reuelatur non ſit aliquid peccatum, quod vertat in infamiam, vel etiam quod talis reuelatio non cenſeatur maximè diſplicere illi, qui ſecretum commiſit, quia maxima iniuria illi fieret. Aperientes litteras alicuius aliquando peccare mortaliter, & aliquando non, tunc peccare mortaliter, ſi præuideat aliquod damnum oriturum, vel ſciat domino, cui ſunt directæ maximè diſplicere. Nauar. *cap.* 18. *nu.* 53. Molina *tract.* 4. *diſp* 36. *num.* 2. Em. Sà *verbo litteræ*, & alii. Tunc ſolum peccare venialiter, quando eas legit ſolum ob curioſitatem, vel ſine periculo grauis damni. Nauar. *loco cit.* Rodriquez *in ſum. tom.* 2. *cap.* 53. *num.* 2. quando verò eas legit, vel aperit ad præcauendum proprium periculum, vel amici, aut patriæ, tunc non peccarę mortaliter, nec venialiter. Nauar. Molina *locis cit.*

Sciendum, quod ille, cui ſecretum commiſſum eſt ratione alicuius officii publici, obligatur etiam cum periculo vitæ reticere illud ſecretum, ſi ex eius reuelatione timeatur aliquod damnum Reipublicę oriturum; quod ſi ſecretum erit leuis momenti, non tenetur cum tanto ſuo periculo illud reticere. Similiter non tenetur quis reticere ſecretum, quando in tormentorum, & mortis compellitur ad illud manifeſtandum, niſi quando reuelatio ſecreti redundat in damnum publicum, quia ad euitandum damnum publicum quilibet tenetur mortem ſubire. Item nulla eſt obligatio reticendi ſecretum, quoties eius manifeſtatio poteſt eſſe cauſa damni Communitatis, vel innocentis. Ita Nauar. *cap.* 18. *num.* 54. Molina *loco cit. diſp.* 3. & alij. Ratio, quia hæc obligatio erit contra charitatem, contra quam nemo poteſt obligari,

gati, etiamſi promiſſio fuerit firmata iuramento, quia cum iuramentum ſequatur naturam eius, cuius eſt actus, in tali caſu non obligat, cum promiſſio reticendi ſecretum in damnum Communitatis, & innocentis non poſſit obligare, etiamſi qui aperuit ſecretum dicat ſe ſub ſigillo confeſſionis manifeſtare, quia cum extrà Sacramentum Pœnitentiæ ſit manifeſtatum, non poteſt gaudere effectu ipſius, nimirum ſigillo. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 122.

An ad propriam vtilitatem liceat per ſuſurrationem aliquem excludere ab amicitia?

BRACTEA XI.

R. Id non licere modis illicitis, vt fraude, dolo, &c. infamando proximum, diſſoluendo amicitiam, ſeminando odia, aut expoliando proximum re aliqua, in quam habeat ius, quia tunc eſſet peccatum mortale contra iuſtitiam. Sotus *lib.* 5. *quæſt.* 11. *art.* 1. Salon. 2. 2. *quæſt.* 74. *artic.* 1. & alii. Secundò, ſi id agatur ſolum narrando aliquos defectus naturales, aut alios veros, & non occultos, ex quibus non ſequitur infamia, nec diſſolutio amicitiæ, ſed tantum familiaritatis illius ordinariæ, v. g. cum Rege, Principe, &c. quam habebat, non eſt peccatum mortale. Ita Arragon. 2. 2. *quæſt.* 74. *art.* 2. Sotus *de iuſtitia quæſt.* 11. *art.* 1 & alii. Ratio, quia mediis licitis vtitur iure ſuo; tum quia amicitia eſt bonum pendens à libera volontate amici, & quod vnus ſine vi, & fraude eam procuret, excludendo alium ab amicitia, non eſt illicitum, licet aliqui dicant eſſe peccatum veniale aliquem per ſuſurrationem ab amicitia excludere, vt eam ſibi procuret. Tertiò, ex ſuſurratione conſurgere obligationem reſtituendi; ita Molina, Nauar. Clauis regia, Azorius *locis citatis*. Ratio, quia eſt peccatum contra iuſtitiam, & ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi. Quod ſuſurratio ſit peccatum contra iuſtitiam patet; quia per ipſam malum proximo falsò imponitur, aut verum malum quidem, ſed occultum refertur, vt proximus erubeſcat. Si verò malum proximi verum referatur ea intentione, vt proximus pudefiat, tunc peccatum ſolum eſt contra charitatē. Ex quibus infertur, ſuſurrationem propriè eſſe quando diſſoluuntur honeſtę amicitiæ, nam ſi per aliquē ſermonem diſſoluantur amicitiæ turpes, non erit propriè ſuſurratio, nec peccatum, non licet tamen eas diſſoluere infamando amicos, niſi fortè ob maius aliquod bonum, quod meritò poſſit anteponi famæ alicuius: ſed manifeſtando vitia naturalia, vel alia publica, vt de concubina dicendo eam eſſe deformem, publicam meretricem, &c. à mendaciis autem abſtinendum eſt, & à reuelatione peccati occulti. Sotus *loco cit. art.* 1. Valentia *quæſt.* 18. & alii.

MALLEATIO LXXV.

De iudicio temerario.

Quid ſit iudicium temerarium?

BRACTEA I.

SCIENDVM hanc differentiam inter iudicium verum, & temerarium, quod iudicium verum illud eſt, quod procedit ex indiciis, & coniecturis certis, & probabilibus, & ſufficientibus. Iudicium temerarium illud eſt, quo quis ex leuibus iudiciis mouetur ad firmiter aſſentiendum alicui rei; & in hoc diſtinguitur iudicium temerarium à ſuſpicione, quod ſuſpicio ſit quædam opinio mali orta ex leuibus fundamentis, ſed cum formidine oppoſiti: Iudicium temerarium non ſit cum formidine oppoſiti, ſed firmiter rei aſſentiat, vt v. g. ſi ex leuibus indiciis quis cum formidine oppoſiti opinetur Paulum commiſiſſe furtum, cenſetur de furto Pauli habere ſuſpicionem: at ſi firmiter aſſentiat ex leuibus indiciis erit iudicium temerarium. Quo poſito

R. Iudicium temerarium eſſe cum opus alterius, quod bonum, aut malum eſſe poteſt leuibus, & non ſufficientibus rationibus in malam partem determinatè accipimus. Dicitur autem temerarium iudicium, quia eſt ſententia, quam certò ſtatuimus de facto alterius temerè, id eſt ſine ſufficienti ratione, & cauſa. Secundò, iudicium temerarium in materia graui eſt peccatum mortale. Ita Reginaldus *lib.* 24. *num.* 20. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 446. & alii. Ratiò, quia eſt peccatum contra iuſtitiam, cum quiſque habeat ius, vt de ipſo non malè opinemur abſque ſufficientibus indiciis. Vade Mathæi 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Sciendum, quod licet in materia graui quando firmiter aliquid iudicatur abſque ſufficientibus indiciis ſit ſemper peccatum mortale; tamen quando aliquid ſolum ſuſpicatur regulariter loquendo, etiam in materia graui, non committitur peccatum mortale, ſed ſolum veniale; cum non grauiter lædatur fama proximi per ſuſpicionem. Dixi regulariter, quia quando per ſuſpicionem grauiter læditur fama, vt quando de viro mortaliter bono ſuſpicatur hæreſis, aut adulterium, tunc eſt peccatum mortale. Azorius 3. *part. lib.* 3. *cap.* 11. *dub.* 3. Em. Sà *verbo iudicium temerar.* Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *pun.* 3.

An ex indiciis dubiis poſſimus dubitare, & opinari rem ita eſſe?

BRACTEA II.

R. AFFIRMATIVE: Ratio, quia indicia ſufficientia ad iudicandum excuſant iudicantem firmiter à peccato, ita etiam indicia dubia videntur excuſare dubitantem, & opinantem. Tum quia per huiuſmodi dubium non infertur proximo graue damnum. Ita Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 448. Molina *tract.* 4. *diſp.* 16. *num.* 7. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *pun.* 3. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 11. *dub.* 3. Secundò, qui de aliis ſuſpicatur cum fundamento ſufficienti, non poteſt ſuſpicionem aliis manifeſtare. Ratio, quia opinionem proximi auferret; & læderet illius famam, quod eſt peccatum detractionis, ſicut eſt illud, quo quis delictum alicuius verum, ſed occultum manifeſtat. Quod tamen intelligendum eſt, dummodo res non ſit publica, aut non fiat ad honeſtum finem. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 3. *num.* 30. Em. Sà *verbo iudicium temerarium*, & alii. Tertiò, eſſe peccatum mortale, quando aliquis ſine fundamento probabili iudicat de defectibus naturalibus alicuius, nimirum eſſe natum ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilegio, &c. Secus verò ſi cum fundamento probabili id iudicet: Ratio, quia magna probabilitas non diſtat à morali certitudine. Ita Medina *cap.* 14. *parag.* 17. ſicut etiam non peccat mortaliter, qui temerè de aliquo iudicat indeterminatè de re graui nullum concipiendo in particulari, aut de aliquo de-

terminato in ſingulari, ſed illum non cognoſcit, nec vnquam agniturus eſt, vt ſi de homine noctu inuento iudicet latrocinium, vel homicidium. Ita Molina *tract.* 4. *diſp.* 16. *num.* 5. Reginaldus *lib.* 24. *nu.* 22. & alij. Ratio, quia iudicio prudentis nulli cenſetur in hoc caſu grauis iniuria irrogari, nec vllus ægrè ferre talem haberi opinionem.

An iudicium temerarium ſit peccatum contra iuſtitiam, & obliget ad reſtitutionem?

BRACTEA III.

R. Iudicium temerarium eſſe peccatum contrà iuſtitiam. Ratio, quia temerariè iudicando offenditur ius tertij, quod quiſque habet ad ſuam famam, & ad bonam ſui opinionem, & æſtimationem: qui autem violat ius, peccat contra iuſtitiam; ergo, &c. Secundò, ex iudicio temerario præciſè non oritur obligatio reſtituendi, licet ſit peccatum contra iuſtitiam. Ita Rebellus *lib.* 2. *de reſtitut. quæſt.* 10. *ſect.* 10. *num.* 4. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 11. & alij. Ratio, quia ex actu merè interno non oritur obligatio reſtituendi, niſi ſit coniunctus cum actu externo, & iniurioſo. Dixi præciſè, quia addita circumſtantia fieri poteſt, vt adſit obligatio reſtituendi, vt quando iudicium temerarium alteri manifeſtatur, non manifeſtatis leuibus indiciis, quia tunc committitur peccatum mortale detractionis, obligans ad reſtitutionem ſub mortali in materia graui. Molina *diſp.* 16. Rebellus, & Azorius *locis cit.*

Quomodo dubia ſint explicanda?

BRACTEA IV.

SCIENDVM dubia dupliciter poſſe explicari in meliorem partem poſitiuè, & negatiuè; explicantur poſitiuè, quando quis iudicat, quod melius eſt, vt ſi quis oblato dubio criminis, v. g. Petri; iudicat ipſum non commiſiſſe tale delictum, negatiuè verò explicantur in meliorem partem, quando quis nec benè, nec malè iudicat, vt ſi iudicet Petrum neque commiſiſſe crimen, neque non commiſiſſe. Quo poſito

R. dubia in meliorem partem regulariter negatiuè ſunt explicanda. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *pun.* 4. Molina *tract.* 4. *diſp.* 17. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 30. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 11. *dub.* 5. Ratio, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, & per conſequens dubia in meliorem partem negatiuè ſunt explicanda. Secundò, dubia poſitiuè ſunt in meliorem partem explicanda. Ratio, quia quilibet habet ius ad bonam famam, & niſi adſint ſigna ſufficientia ad malam opinionem concipiendam dubia in meliorem partem ſunt explicanda, quia quando res eſt dubia, tenemur non concipere malam opinionem, ſed bonam, ex ſuppoſitione, quod velimus iudicare ſine ſufficientibus indiciis. Tertiò, quando agitur de damno vitando, aut de remedio ad præcauendum malum licitum eſt dubia in peiorem partem explicare non determinatè, ſed indeterminatè ſibi cauendo propter incertitudinem probitatis, & improbitatis illius. Ita plures apud Bonacinam *diſp.* 1. *de reſtitut. quæſt.* 7. *pun.* 4. *propoſ.* 2. *num.* 3. Ratio, quia quilibet poteſt adhibere media efficacia ad præcauendum malum, vt v. g. ſi viderim aliquem domum ingredientem, & feneſtras conſiderantem, licet non poſſim determinatè, & definitiuè poſitiuè iudicare illum eſſe furem, poſſum tamen ita rebus propriis cauere, ac iudicare, ac ſi eſſet fur. Quod eſt dubia explicare in peiorem partem. Similiter Pater videns adoleſcentem deambulare ante ianuam ſuæ domus, quamuis poſitiuè non poſſit iudicare hoc ab ipſo fieri, vt alliciat vxorem ad adulterandum, vel arripiat occaſionem fornicandi cum filia, poteſt tamen remouere vxorem, & filiam ab eius colloquio, ac ſi eſſet fornicarius, & adulter. Item Superior ob indicia dubia poteſt arguere ſubditos tanquam malos, illiſque pœnitentias iniungere ad cautelam, & emendationem ipſorum, ac ſi aliquid mali commiſſuri fuiſſent, aut commiſiſſent. Ita Molina *tract.* 4. *diſp.* 14. & alii.

MALLEATIO LXXVI.

De iudicio publico.

De poteſtate, & iuriſdictione?

BRACTEA I.

SCIENDVM in iudicio publico aliquas perſonas quaſi ſubſtantialiter interuenire; Iudicium enim non conſtat ſine Iudice, actore, & reo: aliæ verò perſonæ interueniunt non ſubſtantialiter, ordinariæ tamen, vt teſtis; aliæ verò interueniunt contingenter, & ordinariæ, vt v. g. Aſſeſſor, Aduocatus, Procurator, Tabellio, ſeu Notarius, &c. de quibus ſigillatim in præſenti erit ſermo. Secundò, Iudicem eſſe multiplicem; alius enim eſt ordinarius, qui ex dignitate, & officio ſuo habet iuriſdictionem, & hic duplex eſt alius ſæcularis, & alius Eccleſiaſticus; ſæculares Iudices conſtituuntur, vel ab Imperatore, vel à Rege, vel à Principe, &c. Eccleſiaſtici Iudices ordinarij conſtituuntur vel à Papa, vel ab Epiſcopis, aut ab aliis iuriſdictionem Epiſcopalem habentibus; alius eſt Iudex Delegatus, ſiue Commiſſarius, qui ex commiſſione alicuius ſuperioris Iudicis iuriſdictionem habet, & eam poteſt habere, vel generaliter ſibi commiſſam ad omnes cauſas, lites, ſeu negotia, & ſpecialiter ſolum ad certam cauſam, & litem cognoſcendam, & dirimendam; Tertiò, in Iudice tria requiri; auctoritatem, & poteſtatem iudicandi; Secundò, certitudinem in cognitione cauſæ, defectu cuius iudicium dicetur temerarium. Tertiò, requiritur iuſtitia in ipſo actu iudicij, vt ſeruetur æqualitas in ius ſuum cuique reddendo, vt videlicet iudicetur ſecundum leges, & ſeruetur ordo iuris. Quartò, iudicare omnes Iudices tenentur cum cognitione publica cauſæ, quæ cognitio non poteſt fieri per ſimplicem libelli oblationem, ſed requirit litis conteſtationem, & vlteriorem proceſſum cauſæ, nec recurritur ad ſuperiorem Iudicem per ſimplicem querelam, ſed per appellationem, quæ appellatio locum non habet, niſi poſt ſententiam. Quintò, in cauſæ cognitione Iudices ſeruare tenentur iudicialem proceſſum, & omnem ordinem iuris in cognitione cauſarum diſpoſitum. *Cap. ex parte* 13. *de offic. & de legat.* Sextò, proceſſum iudicialem in ſcriptis debent Iudices redigere, niſi in cauſis minimis. Septimò, debet Iudex iudicare non ſecundum priuatam ſcientiã, ſed ſecundum allegata, & probata, quia non iudicat nomine proprio, & vt priuata perſona, ſed nomine Reipublicæ, & vt Miniſter eius, per quam iuſtitia adminiſtratur. Quo poſito

R. Poteſtatem quadruplicem eſſe ordinariam, de-

legatam, arbitrariam, & acceſſoriam. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 1. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 13. Reginaldus *lib.* 25 *num.* 641. Toletus *lib.* 7. *cap.* 56. *num.* 4. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 6. & alii: iuriſdictionem ordinariam eſſe, quæ competit alicui ex officio, vel ex dignitate, qualem Summo Pontifex habet ſuper omnes fideles in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, qualem etiam habet Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum: ille verò, qui officium, & dignitatem habet, cui ex iure, vel conſuetudine, vel præſcriptione conuenit poteſtas, vel iuriſdictio, dicitur habere iuriſdictionem ordinariam. Couar. 3. *var. cap.* 20. *num.* 6. Azorius *loco cit.* & alii: Poteſtatem delegatam eſſe illam, quæ competit alicui non ex officio, ſed ex conceſſione, vel commiſſione illius, qui habet poteſtatem ordinariam: arbitraria eſt illa, quæ communi partium litigantium conſenſu obtinetur; & hæc duplex eſt, primò dum eligitur Iudex, ſeu arbiter ex conuentione partium, vt cauſam amicabiliter dirimat, & iſte non tenetur ferre ſententiam, ſeruato iuris ordine, ſed pro arbitrio ſeruata æquitate iuris naturalis. Secundò, dum eligitur in Iudicem, & in hoc caſu Index ſententiam ferre debet iuxta ordinem iuris, & partes tenentur ſub mortali ſententiæ ipſius obedire. Acceſſoria eſt illa, quæ alicui aliunde accedit, ex g. ratione delicti commiſſi, propterea quando quis in altero territorio delinquit, Superior acquirit in ipſum iuriſdictionem, & delinquens ratione delicti fit ſubditus illius Iudicis, in cuius territorio deliquit, ab eoq; puniri poteſt. *leg. vlt. ff. de accuſationib. & cap. poſtul. de foro compet.* Vnde qui mandauit aliquod delictum in alieno territorio committi puniendus eſt in loco, in quo delictum commiſſum eſt, vt tradit Iulius Clarus *lib.* 7. *quæſt.* 38. *num.* 9. Sanchez *in ſum. lib.* 1. *cap.* 12. *nu.* 38. Toletus *lib.* 5. *cap.* 56. *nu.* 6. & alij.

De diuiſione iuriſdictionis.

BRACTEA II.

R. Iuriſdictionem primò diuidi in contentioſam, & voluntariam ſumitur hæc diuiſio ex *leg.* 2. *ff. de off. proconſ.* Contentioſa eſt, quæ inter contendentes exercetur; redditurque in inuitos, voluntaria eſt, quæ inter volentes, & conſentientes exercetur.

Sciendum iuriſdictionem voluntariam aliquando aſſumere naturam contentioſæ, & reduci ad contentioſam quando ſcilicet non niſi cauſæ cognitione exerceri poteſt aliquando iuriſdictionem contentioſam aſſumere naturam voluntariæ, & reduci ad voluntariam, vt quando illi, qui non ſunt ſubditi alicui Iudici conſentiunt in Iudicem, & coram eo contendunt, ac litigant, & vocatur etiam prorogata.

Sciendum has iuriſdictiones differre inter ſe, quia contentioſa requirit diſtinctionem perſonarum. Voluntaria verò hoc non requirit, ſed poteſt cum ſe ipſo aliquando exerceri. Secundò, contentioſa competit ſolum Magiſtratibus locorum, at iuriſdictio voluntaria non tantum illis competit, ſed etiam alijs; Tertiò, contentioſa non poteſt exerceri a Iudice extra territorium proprium: Voluntaria verò iuriſdictio poteſt vbique exerceri, & ita communiter Doctores.

R. Iuriſdictionem ſecundò diuidi in ordinariam, & delegatam: ordinaria eſt quæ competit alicui ex proprio munere, & officio; Delegata verò eſt, quæ non ex proprio munere, vel officio habetur, ſed ex commiſſione media alterius, qui illam ex proprio munere exercere poteſt.

R. 3. Diuidi in eam, quæ conceditur in officium, & illam, quæ conceditur in dominium, ita Vincent. *de franch. deciſ.* 370. *num.* 5. Camillus *de inſt. part.* 1. *diuerſ. var. feud.* Maltril. *de magiſtrat. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 37. Prima quando conceditur iuriſdictio in adminiſtrationem Secunda eſt quando conceditur alicui caſtrum, cui eſt annexa iuriſdictio.

An Delegatus nullo modo habeat iuriſdictionis proprietatem, ſed tantum merum vſum, ſeu exercitium.

BRACTEA III.

R. Delegatum non habere proprietatem iuriſdictionis, ſed tantum vſum, ſeu exercitium iuriſdictionis, ſiue habere tantum iuriſdictionem in actu. Secundò, non autem in actu primo. Ita Angel. *leg. more maiorum num.* 1. *ff. de iuriſdict. om. iud.* & ibi Paulus de Caſtro *num* 1. Alexan. *num.* 2. Iaſon *num.* 1. Curt. *num.* 6. Decius *cap. cum cauſam* & alii.

An iuriſdictio conceſſa præſumatur ordinaria aut delegata.

BRACTEA IV.

R. Iuriſdictionem à lege conceſſam, v. g. quando conſtituit aliquem Iudicem præſumi conceſſam ordinariam; ſic Gloſſ. *in leg. & quia ff. de iuriſd. omnium Iud.* Specul. *tit. de Inquiſitore* §. *impugnatorum num.* 25. Paulus de Caſtro *in leg. a Iudice*, Alciatus *in tract. de præſump. reg.* 3. *præſump.* 36. *num.* 2. & alij, quos refert Menoch. *de præſump lib.* 2. *præſump.* 16. *num.* 18. Ratio, quia in dubio diſpoſitio intelligi, & interpretari debet de actu alteri minus præiudiciali, & quo vtrique parti ſit magis conſultum, ita Menoch. *de arbitr. caſu* 199. *num.* 13 *ex leg. adoptiuę* §. 1. *de ritu nuptiar.* & cum ordinaria iuriſdictio ſit minus præiudicialis ſequitur de ipſa intelligendum eſſe. Tum etiam, quia conceſſio debet intelligi in potentiori ſignificatu; *leg.* 1. §. *qui in perpetuum ff. ſi ager vectig.* Ordinaria iuriſdictio eſt firmior, & potentior; ergo in dubio præſumitur conceſſa ordinaria.

R. 2. Iuriſdictionem datam ab inferiori Prælato, qui recognoſcit ſuperiorem eſſe delegatam. Ratio, quia iuriſdictio ordinaria non poteſt dari niſi à lege, Principe, aut Republica non recognoſcente Superiorem; ergo iuriſdictio data ab inferiori non poteſt eſſe ordinaria, ac proinde delegata.

An iuriſdictio ordinaria conceſſa in officium cenſeatur in dubio cumulatiuè, an priuatiuè ad concedentem?

BRACTEA V.

R. Cenſeri datam cumulatiuè, nempè, vt ipſe concedens non minus, quam conceſſionarius etiam in prima inſtantia ea vti poſſit, ita colligitur ex *cap. dudum* §. *nos igitur de prab. lib.* 6. Ratio, quia Princeps dicitur concurrere cum quouis alio in iuriſdictione, & ita Bald. *in cap.* 1. *quis dicatur Dux Marchio, vel Comes*, Gram. *dec.* 30. Vinc. *de franch. deciſ.* 370. & alij. Quod tamen intelligendum eſt exiſtente

iuſta cauſa, quia abſque iuſta cauſa non poteſt Princeps iuriſdictionem conceſſam ex contractu, vel mediante pecunia auferre, quamuis conceſſa fuerit ad beneplacitum; & ita Maſtrill. *lib.1. de Magiſtratu cap. 27.* & alii.

In quibus differat iuriſdictio ordinaria à delegata?

BRACTEA VI.

R. Vt ſupra dictum eſt differre; Primò, quia iuriſdictio ordinaria poteſt dari tantum à Principe non recognoſcente Superiorem, aut à Republica libera, vel à lege, aut conſuetudine, Delegata non ſolum ab ipſis, ſed etiam à quolibet Ordinario poteſt dari; Secundò, differunt, quia habens iuriſdictionem ordinariam iure proprio illã exercet, *leg. more maior. ff. de iuriſd. om. iud.* Delegatus verò habet iuriſdictionem, non iure proprio, ſed ex commiſſione alterius; Tertiò, Iuriſdictio delegata expirat morte concedentis re integra, at iuriſdictio ordinaria non expirat morte concedentis, re integra, etiamſi ſit conceſſa ad beneplacitum concedentis; Quartò, quia iuriſdictio ordinaria, eſt fauorabilis, Delegata verò eſt odioſa; Quintò, quia à Iudice ordinario ſubſtituto non appellatur ad ſubſtituentem eum, ſed appellatur ad eum, ad quem appellatur, ſi ſubſtituens ſententiam dediſſet, *leg. 1.* & *ibi* Bartol. *ff. quis, & à quo appell.* & *cap. Roman.* & *ibi Gloſſ. & Doctor. de appell. lib. 6.* ſunt etiam plures aliæ differentiæ, de quibus ſuo loco.

An valeant geſta per Iudicem ordinarium non habentem verum titulum, ſed tantum putatiuum?

BRACTEA VII.

SCIENDVM tripliciter contingere poſſe, vt aliquis legitimo titulo deſtitutus ſit; Primò, modo, ita vt nunquam habuerit verum titulum, ſed tantum coloratum, vel præſumptum; Secundo modo, quando à principio officii habuit titulum verum, ia tamen ceſſauit ob delictum, &c. Tertio modo, itaut nunquam habuerit titulum etiam præſumptum. Quo poſito

R. Geſta per Iudicem ordinarium valida eſſe in vtroque foro, ſi ia Iudex habeat titulum communi errore exiſtimatum legitimum; habetur expreſsè pro foro externo in *leg. Barbarius ff. de officio Prætor.* & pro foro conſcientiæ tenent Innoc. *cap. dudum*, Angel. *verb. confeſſ. num. 4.* Siluest. *ibid. 1. quæſt. 19.* Armill. *verb. abſolutio num. 30.* Nauar. *cap. placuit de pœnit.* Medina *lib. 1. ſum. cap. 11. §.* Arragon. *2. 2. quæſt. 60. artic. 6.* Henriquez *lib. 6 de pœnit. cap. 6. num. 2.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 29. dub. 9. nu. 67.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 222. num. 13.*

R. Geſta per habentem impedimentum iuris diuini, vel naturalis inualida eſſe, quamuis concurrat titulus putatiuus, & communis error, ſic Abb. *cap. 2. de presbit. non baptiſ.* Palud. *in 4. diſt. 16. quæſt. 6. art. 1. num. 6.* Caiet. *in ſum. verb. confeſſionis iteratio.* Angelus *verb. confeſſio 4. num. 12.* Vgolinus *de cenſuris tab. 2. cap. 13. § 4.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. nu. 27.* & alii.

R. 3. Geſta per Iudicem excommunicatum occultum, vel habentem aliud impedimentum valida eſſe, etiam reſpectu ſcientium impedimentum; Sic Anton. *cap. ad probandam num. 11. de ſenten. & re iudic.* & ibi Abb. *num. 15.* Alexand. de Neuo *num. 27.* Imola *num. 6.* Felin. *num. 8.* & alii. Ratio, quia lex Barbarius ad valorem ſic geſtorum nõ attendit errorem vnius, vel alterius, ſed communem, ergo ſicut error particularis non ſufficit, vt geſta per hunc Iudicem valeant, reſpectu inuincibiliter ignorantium impedimentum, ita nec ſcientia alicuius particularis impedit quin geſta, reſpectu ipſius valeant.

R. 4. Geſta à Iudice ordinario putatiuo, vt valida ſint, non ſatis eſſe communem errorem, ſed neceſſarium eſſe titulum coloratum à Superiore, quamuis inualidus ſit ob aliquod vitium occultum; Ita Specul. *tit. de inſtrum.* Innoc. *cap. qualiter de elect.* Bart. *leg. Barbarius,* Siluest. *verb. confeſſ. 1. quæſt. 9.* Sanchez *de matrim. diſp. 22. num. 52.* & aliis.

Qualiter geſta à Iudice ordinario reddantur irrita ex defectu iuriſdictionis?

BRACTEA VIII.

R. Ex multis capitibus reddi irritam; Primò, ſi non conſtet de poteſtate Iudicis; Secundò ſi non erit Iudex competens; Tertiò, quod licet Iudex habeat iuriſdictionem, & ſit competens, tamen quia ſuam poteſtatem ignorat, tunc enim irritum eſt, quod agit, *leg. quæro de eo, qui pro tut.* Idem dicendum eſt ſi de ſua poteſtate dubitaſſet, per *text. in leg. ſi de ſua ff. de acquir. hæred.* Nam dubitans, quæ paratur ignoranti; quartum caput nullitaris ſententiæ ex defectu iuriſdictionis eſt quando fuiſſet lata ab vnò ſolo Iudice, abſque conſenſu aliorum ſuorum Coniudicum.

An valeant geſta à Prælato, qui ob aliquod crimen ipſo facto priuatus eſt Prælatura, & communiter ignoratur, illa Prælaturæ ceſſatio?

BRACTEA IX.

R. VALIDA eſſe geſta per Prælatum, qui ob delictum, vel aliam cauſam ipſo iure amiſit officium, ſeu prælaturam, dum amiſſio occulta eſt. Ratio, quia adhuc retinet poſſeſſionem, quia, priuari non poteſt, niſi cauſa cognita, *cap. licet Epiſcop. de præbend. lib. 6.* Ita Iaſon. *leg. Barbarius num. 52. ff. de off. præf.* Panorm. *in cap. nihil num. 11.* Roſell. *verba confeſſio ſacrament. 3. num. 41.* Tabien. *verb. abſolutio in vltimo.* Siluest. *verb. confeſſor. 1. quæſt. 1.* Nauar. *in ſum. cap. 9. num. 12.* Vgolin. *de cenſur. tab. 1. cap. 2. §. 22. nu. 22* Henriquez *lib. 13. de excom. cap. 7. n. 6.* Sanchez *lib. 3. de matrim. n. 56. & cum plures citat.* Etiamſi priuatio officii, ſeu prælaturæ eſſet per ſententiam, vel reuocationem hominis, quia adhuc valida eſſent geſta per eum Prælatum, dum priuatio, vel reuocatio eſt occulta, & communiter ignorantur, quia adeſt error communis ortus à iuſto titulo collato à principio à legitimo Superiore, & per conſequens procedit etiã in hoc caſu, Bald. *in leg. Barbarius num. 30.* Maſcard. *de probat. concluſ. 649. num. 67.* Henriquez *lib. 7. de pœnit. cap. 6. num. 1.* Rodriquez *1. part. ſum. cap. 60. nu. 3.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. num. 98.*

An

Quis dicatur Iudex?

BRACTEA X.

R. NOMEN Iudicis latiſſimè ſumi pro quacunque poteſtate, etiam ſuprema, tam Laica, quam Eccleſiaſtica, Rex quidem, ac Summus Pontifex ſunt Iudices Supremi, à quibus iuriſdictio tota in alios deriuatur. Secundò, Iudicem latiſſimè ſumptum alium eſſe Ordinarium, alium delegatum, & alium arbitrarium: Iudicem Ordinarium illum eſſe, qui ex ſuo munere, & officio iuriſdictionem exercet; ſiue exerceat officium ſupremum, ſiue non, modo tamen ex proprio munere ad id creato, ac conſtituto iuriſdictionem exerceat, & non quaſi nudas alterius vices abſque munere proprio gerat: Iudicem ordinarium illum etiam dici, qui inter aliquos alicuius profeſſionis, aut officii ab his, qui eius profeſſionis, aut officii ſunt, vel à maiori illorum parte, vel ab his quibus electio ab ipſa communitate commiſſa eſt, eligitur, vt de his rebus præcisè iudicet, quę ad eam profeſſionem, aut officium ſpectant, vt ſunt Iudices mercatorum aliquibus in locis à communitate mercatorum electi, & aliarum artium, licet diuerſo nomine nuncupentur. Tertiò, Iudicem delegatum illum eſſe, qui non ex proprio munere, ſed ex commiſſione mediata, vel immediata alterius quam habet ex proprio munere iuriſdictionem exercere poteſt, quo fit, vt delegatus iuriſdictione aliena vtatur nihil ea in parte habens propriæ iuriſdictionis: Iudex autem arbiter non accipit poteſtatem iudicandi ab eo qui ex proprio munere iuriſdictionem habeat, ſed à partibus, quę ſibi illum in iudice delegerunt non refragante, ſed annuente lege; quando autem Iudici alicui Ordinario cauſa aliqua committitur, quæ ad eum ex proprio munere non ſpectabat, tunc in ea procedit, non vt Ordinarius, ſed vt delegatus, eo quod illam non exerceat ex ſua propria iuriſdictione, ſed ex iuriſdictione ab alio ſibi commiſſa vicem illius gerendo. Ita habetur, *leg. & ſi Prætor. &c.* Quando autem Iudici Ordinario committitur à ſuperiore cauſa aliqua, quæ ſecluſa ea commiſſione ad eum ſpectabat; tunc exiſtimandus non eſt per eam commiſſionem conſtitui Iudex delegatus, ſed ſolum excitari, vt id faciat tanquam Ordinarius, quod ex ſuo munere facere tenetur.

Quis poſſit delegare, & ſubdelegare?

BRACTEA XI.

R. REGVLARITER Ordinarij Iudices delegare poſſunt, vt patet *leg. more ff. de iuriſdict. omnium Iudicum l. 17 tit. 4. part. 2.* Delegati verò, etiam ſi morbo, aut alia iuſta cauſa impediti ſunt ſubdelegare non poſſunt, vt *leg. more citata, & leg. à Iudice, C. de iudicijs* habetur; excipitur Delegatus Principis, vt Papæ, Regis, aut alterius ſupremæ poteſtatis, qui ſubdelegare poteſt, vt habetur *leg. Iudice, cap. Quoniam Apoſtolica de officio Delegati l. 19. tit. 4. part. 3.* & ex alijs iuribus. Quando aliquis eſt Delegatus à Principe, vt per ſuam perſonam aliquid exequeretur, tūc ſubdelegare alium non poteſt, clauſula, quæ ſignificaret, vt per ipſum id exequeretur, niſi negotium eſſet in vtilitatem priuatam ordinatum, & non in bonum commune, atque de conſenſu earundem partium ſubdelegare; ſine conſenſu earundem partium inualidè ſubdelegaret. Ita habetur *cap. quoniam Apoſtolic. §. is autem.* Quando aliquis à ſupremo delegatur, vt inquiſitionem faciat circà rem aliquam, talis Delegatus non poteſt ſubdelegare, quia tunc fidem, & induſtriam perſonæ eligere videtur, niſi ex parte ſit ei conceſſum, vt per alium id exequi poſſit. Ita *cap. quoniam Apoſtolic. §. is autem.* Delegatus non à Supremo, ſed ab alio Ordinario ſi delegatus ſit ad vniuerſitatem aliquam cauſarum, quamuis ſubdelegare non poſſit ipſam vniuerſitatem cauſarum, ſubdelegare tamen poteſt hanc, vel illam cauſam, aut cauſas in particulari. Ita Gloſſ. *cap. cum cauſ. de appellat. verbo Deleg.* apud Molinam *de iuriſd. tract. 5. diſp. 25. num. 4.*

An Delegatus poſſit ſubdelegare?

BRACTEA XII.

R. DELEGATVM non poſſe ſubdelegare. Ratio, quia delegatus nihil proprium habet, ſed tantum alienę iuriſdictionis exercitium *leg. 1. §. qui mandatam ff. de officio eius*; ideòque non poteſt iuriſdictionem ſibi delegatam alteri ſubdelegare, niſi à delegante concedatur.

Sciendum excipi plures caſus, in quibus delegatus poteſt ſubdelegare. Primus, de delegato à Principe, quia ſic poteſt ſubdelegare cauſam ſibi delegatam. Et ita *leg. ad aud. C. de iudic. cap. cum cauſam de appell.* recenſentur etiam à Doctoribus plures alij caſus, vt de delegato proconſulis, ad vniuerſitatem cauſarum, &c. qui poſſunt ſubdelegare.

Sciendum 2. Multa requiri, vt delegans cauſam delegare poſſit. Primum eſt, vt cauſa ſit talis, de qua delegatus ipſe cognoſcere poſſet. Secundum, vt eam cauſam non deleget, vt expediatur in loco, in quo delegatus ipſe eam expedire non poſſit. Tertium, vt cauſa ſit delegabilis ad eo, qui illam delegat.

An Delegatus poſt factam delegationem poſſit amplius in ea cauſa ſe intromittere?

BRACTEA XIII.

SCIENDVM duobus modis poſſe delegantem ſubdelegare vno modo ſubdelegando totam cauſam, vt nihil illius ſibi reſeruet. Alterò ſubdelegando ſolum partem cauſæ, ac reſeruando ſibi partem illius, vt ſententiam, &c. Quo poſito.

R. Quando priori modo fit ſubdelegatio, tunc ſi res adhuc ſit integra poterit delegatus reaſſumere ſibi cauſam reuocando ſubdelegationem, & à fortiori poterit facere ſi ſubdelegatus re adhuc integrâ moriatur. Et ita habetur *cap. quamuis de offic. deleg. lib. 6.* Si verò res non eſſet integra, eo quod delegatus iam vti cęperat iuriſdictione ſibi delegata, tunc eo ipſo expirat iuriſdictio in delegato ſub delegante, & conſequenter non poteſt amplius cauſam illam ad ſe reuocare, vel alio modo ſe intromittere. Ita *in cap. ſuper. quæſtionum, & cap. venerabili de officio Delegati.*

R. 2. Quando delegatus poſteriori modo cauſam ſubdelegauit, tunc per eam ſubdelegationem non expirat in eo iuriſdictio, etiam re non integra. Et ita habetur *in cap. ſuper quæſtionum de offic. deleg. & cap. ſi delegatus eod. tit. lib. 6.*

Qualitates Delegati?

BRACTEA XIV.

R. Vt quis poſſit eſſe Index Delegatus debet habere vigeſimum ſuæ ætatis annum completum. Qui verò nondum eſt viginti annorum ſi tamen excedat decimum octauum annum de conſenſu partium, quę id ſcirent, poteſt eſſe delegatus, & non aliter. A Principe verò minor decem, & octo annis conſtitui poteſt Iudex Delegatus.

R. 2. Delegatum Summi Pontificis, aut legati illius eſſe non poſſe, niſi conſtitutum in dignitate, vel perſonatu, aut Canonicum Eccleſię Cathedralis; vt habetur in *cap. ſtatutum de reſcriptis lib. 6.* & Clem. 2. *eod. tit.* Vicarium generalem Epiſcopi, & Priorem Conuentualem Religionis conſtitui poſſe delegatos Sedi Apoſtolicæ, & Legatorum illius, non autem Vicarios foraneos Epiſcoporum, nec priores Clauſtrales. Quod diximus de Vicario generali Epiſcopi dicendum eſt de Vicario generali capituli Sede vacante, ac de Vicarijs Generalibus Prælatorum exemptorum habentium propriam Diœceſim, & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quoniam in omnibus æquiparantur Epiſcopis excepta conſecratione.

R. 3. Delegati Ordinariorum poſſunt eſſe quicũque Clerici ſunt ſaltẽ primæ tõſuræ. Subdelegatus verò à Delegato Summi Pontificis debet habere eaſdem qualitates, quæ requiruntur in Delegato Pontificis quoniam eſt mediatus delegatus eiuſdem Pontificis, vt habetur in *cap. ſtatutum §. in nullo.*

Vtrum Delegatus poſſit mandare executioni ſententiam à ſe latam?

BRACTEA XV.

R. Delegatum Supremi Pontificis poſſe mandare executioni ſententiam à ſe latam. Ita ex *cap. ſignificaſti cap. in literis cap. quærenti, & cap. paſtoralis §. quia verbo de offic. deleg.* Quod etiam dicendum eſt, de Delegato Principis non recognoſcentis Superiorem. Et ita Panorm. *in cap. ſi quis contra Clericum num. 38. de foro compet.* Mol. *tract. 5. diſp. 26. num. 4.* & alij ab ipſo relati.

R. 2. Delegatum inferioris Principis de iure Canonico exequi poſſe ſententiam à ſe latam, niſi delegans expreſsè executionem ſententię ſibi reſeruaſſet. Ratio eſt, quia executio ſententiæ ad merum, & mixtum Imperium ſpectat hæc autem de Iure Canonico delegari poſſunt etiam ab inferioribus Prælatis & per conſequens eo ipſo, quod cauſa aliqua delegatur ea omnia delegata cenſentur, quæ delegens delegare poteſt. De iure verò ciuili delegatus inferioris Principe non poteſt exequi ſententiam à ſe latam ſed executio illius ad Iudicem Ordinarium delegantem ſpectat. Ratio eſt, quoniam executio ſententiæ ad merum, vel mixtum imperium ſpectat, at ea, quæ ſunt meri, vel mixti imperii de iure ciuili delegari non poſſunt, & ergo, &c.

An iuriſdictio poſſit delegari non habenti vſum rationis, vt infanti, furioſo?

BRACTEA XVI.

R. Dvas eſſe ſententias. Prima aſſerentium non poſſe delegari. Ratio, quia iuriſdictio non acquiritur ignoranti, ergo multo minus non habenti vſum rationis.

Sciendum quod hic non quærimus de exercitio iuriſdictionis, quia certum eſt carentem vſu rationis eſſe iure naturæ inhabilẽ ad iuriſdictionem exercendam, ſed de facultate iuriſdictionis, an ſcilicet poſſit delegari non habenti vſum rationis. Secunda ſententia eſt aſſerentium non habentem vſum rationis non eſſe iure naturę incapacem iuriſdictionis, & per conſequens poſſe, & ſaltem à Principe iuriſdictionem delegari. Sic Paulus de Caſtro *in leg. cum furioſus ff. de iudic.* & alii Iuriſtæ ibidem. Ratio, vt ſupra dictum eſt iure naturæ non eſt incapax iuriſdictionis. Tum etiam, quia furioſus eſt incapax iuriſdictionis in facto eſſe, ergo, & in fieri. Ratio antecedentis patet; nam ſi Iudex incidat in amentiam non amittit iuriſdictionem, quam antea habebat. Ratio conſequentis deducitur ex ſupra dictis.

Vtrum geſta per habentem iuriſdictionem delegatum non veram, ſed putatiuam valida ſint?

BRACTEA XVII.

R. Valere geſta per habentem iuriſdictionem delegatam putatiuam cum communi errore. Ita Anton. *cap. cum dilect. de reſcript. n. 15.* & ibi Abbas dicens eſſe communem, *num.* 10. Imola *num.* 11. Maſcard. *de probat. concl. 649. num. 58.* Palud. *in 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 2. num. 11* Vgolin. *de cenſur. tab. 1. cap. 2. §. 22. num. 3.* Henriquez *lib. de pœnit. cap. 24. lib. 6. cap. 6. num. 2.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 29. dub. 8.* & alii. Et ita colligitur ex *can. infamis, & ex leg. Cod. de ſent. interlocutoria.* Illum etiam, quia ſi ſeruus, qui teſtis eſſe nequit communi errore putatus liber adhibeatur in vno teſtamento, valet teſtamentum, quãuis vertatur cauſa vnius, *l. 1. C. de teſtam.* ergo etiam in noſtro caſu, quamuis ex valore ſententiæ Iudicis delegati agatur de vtilitate priuata vnius, vel alterius, valida tamen erit ob communem errorem.

Qualiter geſta à Iudice delegato poſſint reddi irrita ex defectu iuriſdictionis?

BRACTEA XVIII.

R. Ex multis capitibus poſſe reddi irrita. Primum caput, eſt ſi non legitimè conſtet de delegatione facta, nam cum hæc ſit quid facti non præſumitur, niſi probetur *leg. in bello §. facti ff. de capt. & poſtl.* Niſi delegatus eſſet in alta dignitate conſtitutus, v. g. Cardinalis, quia tunc ob præminentiam dignitatis circa iuriſdictionem ſuam crederetur in his tamen, quæ non vergunt in præiudicium alterius. Secus verò in præiudicialibus; tunc enim etiam Cardinali non crederetur, vt ait Gloſſ. *in cap. ſi. eod. de ſent. excom.* Panorm. Felinus *in c. ad audientiam.* Licet aliqui aliter ſentiant, nimirum Cardinali aſſerenti habere iuriſdictionem credendum eſſe, etiam

in

in tertij præiudicium. Io. Andr. *in cap. de offic. deleg.* Specul. *in tit. de teſt. § teſtes* Felin. *in cap. cum in tur.* Secundum caput, quod licet conſtet de delegatione facta, nihilominus geſta à tali delegato poſſe eſſe irrita ex defectu ipſius delegantis, quia ſcilicet delegans non habebat poteſtatem delegandi, vel ſi habebat, tempore delegationis erat impeditum exercitiũ ipſius, vt v. g. ſi erat excommunicatus, ſuſpenſus, &c. Tertium caput eſt ex defectu perſonæ ipſius delegati, vt quia non erat capax delegationis, cum non haberet requiſita. Quartum caput eſt, vt ſi cauſa, quæ delegatur tempore delegationis ad forum ipſius non pertineat. Quintum caput eſt, quando cauſa pluribus fuit delegata, & vnus ſine alio in ea procederet, tum enim acta eſſent nulla, *leg. duo ex tribus ff. de re iudic. & cap. cauſam 2. & cap. cum cauſam de offic. deleg.* Sextum caput eſt ratione perſonæ contra quẽ fuit facta delegatio, vt ſi tunc temporis non erat in rerum natura, ſed erat mortuus, quia tunc non valeret delegatio, & per conſequens irrita eſſent geſta per delegatum, ita communiter Doctores. Septimum caput, ex quo poteſt prouenire, vt geſta à Iudice delegato nulla ſint, eſt quando delegatus non obſeruauit formam delegationis. *cap. cum dilecta, & ibi canoniſtæ de reſcript. cap. cum de preb. in 6. cap. piſanis de reſt. ſpol.* Octauum caput eſt, ex defectu formæ delegationis. Nonum eſt, ſi reſcriptum impetratum fuiſſe per ſubreptionem, vel obreptionem, &c. Ita communiter Doctores.

Quando Iuriſdictio ordinaria, vel delegata expiraret?

BRACTEA XIX.

R. IVRISDICTIONEM ordinariam non expirare morte concedentis, aut alitèr expirantem iuriſdictione in eo, qui illam conceſſit, etiãſi res ſit integra, iſque cui collata fuit nihil illius exercuerit, neque acceſſerit ad locum, ad quem ad illam exercendam deſtinabatur. Ratio eſt, quia iuriſdictio ordinaria habet rationem gratiæ tanquam dignitas ei conceſſa, iuxta Clement. 2. *de reſcript.* gratia autem non expirat morte concedentis, aut expirante aliter in illo iuriſdictione. Tum etiam, quoniam ad efficaciam priuilegij, ac gratiæ ſatis eſt, vt ad noticiam priuilegiati perueniat, quia gratia, & priuilegium vim habent, etiamſi ſolo verbo fiat conceſſa, vt conſtat Clementina *Dudum de ſepulturis.* Excipitur tamen iſte caſus, quando iuriſdictio ordinaria eſt Vicarij generalis conſtituti ab eo cuius eſt Vicarius, & qui præcipuè habet iuriſdictionem illam ordinariam; quouis enim modo ceſſante iuriſdictione in principali ceſſat continuò iuriſdictio in tali Vicario, etiam quoad negotia cœpta. Secundò, iuriſdictionem delegatam cum non radicetur in Delegato, neque illam delegatus exerceat, vt aliquid ſuũ proprium, expirare in Delegato, ſi delegans re adhuc integra moriatur, aut alia quauis ratione amittat iuriſdictionem. Ita habetur, *leg. & quia ff. de iuriſdic. omnium Iudicum, cap. relatum, cap. gratum, &c.*

Sciendum dubium eſſe quando res delegata dicatur eſſe non integra ad effectum, vt perpetuata ſit iuriſdictio in delegato: quidam dixerunt de iure ciuili pro litis conteſtatione coram Delegato, & non antea dici rem non integram ad eum effectum. Alij verò per ſolam citationem factam à Delegato dici rem non integram ad eum effectum, & perpetuatam eſſe Delegati iuriſdictionem. Ita apud Molinam *loco cit. diſp. 19. num. 3.*

Gratia quando expiret, & quando non, expirante in concedente iuriſdictionem?

BRACTEA XX.

SCIENDVM gratiam aliam eſſe factam, & aliam faciendam. Gratia facta, eſt quando ipſimet petenti conceditur. Gratia verò facienda eſt, quando nondum à Superiore obtenta fuit, aut quando data fuit facultas Commiſſario, ſeu Delegato ad aliquid faciendum, ſed Delegatus nondum illud cõceſſit, nec aliquid illius fecit. Quo poſ.

R. Gratiam iam factam non expirare morte concedentis, modo abſolutè ſit conceſſa, & ſine aliqua conditione, ſeu particula reſtringente vſque ad mortem concedentis. Ita Nauar. *cap. 27. num. 153.* Suarez *lib. 8. cap. 31.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 28. num. 64.* & alii. Ratio eſt, quia illa gratia cenſetur quædam donatio, quæ morte concedentis non expirat. Secundò, gratiam faciendam expirare morte concedentis re integra; & per conſequens iuriſdictio legatis executorum ad illam conceſſorum etiam expirat. Ita *cap. ſi cui de preb. lib. 6.* Tertiò, iuriſdictionem contentioſam delegatam morte concedentis expirare re integra, aut per remotionem eius ab officio modo res ſit adhuc integra, id eſt modo nondum ſit incohatus illius vſus ante mortem concedentis, vt ſi ante mortem concedentis pars legitimè minimè fuerit citata, vt patet ex *cap. gratum, cap. relatum, & cap. quamuis, & cap. licet vndique de officio Delegati.*

Quis dicatur Iudex competens?

BRACTEA XXI.

R. Ex iure Ciuili, & Canonico Iudicem aliquem eſſe competentem multis modis: Primò, ratione cauſæ, de qua in iudicio agitur, vt v. g. ſi cauſa ſit ſpiritualis, vel annexa ſpirituali, tunc ſolum coram iudice Eccleſiaſtico agi poteſt. Secundò, ſortitur quis forum ratione criminis, vt ſi crimen ſit merè Eccleſiaſticum de eo ſolum iudicat Eccleſia, ſi eſt Sæculare merò, ſolum contra illud procedit Iudex Sæcularis. Si eſt communis fori poteſt Laicus conueniri tam coram Eccleſiaſtico, quam coram Sæculari Iudice. Tertiò ſortitur quis forum ratione loci, & hoc tripliciter, vel ratione originis, vel domicilij, vel delicti, quod quis alicubi patrauit: ratione originis in *leg. ſi vt propoſ. cod. de municipib. & origin. lib. 10.* & filios ſequi originem Patris, non matris: id eſt ex ea patria cēſeri oriundos, in qua ortus eſt Pater, non autem in qua ſolùm eſt orta mater *leg. filios cod. de municipib. & originar. lib. 10 & leg. aſſumptio §. 1. ff. ad municipalem.* Secundò, cenſetur quis oriundus ex Ciuitate ſi natus fuerit ipſe, vel Pater eius in vico, Caſtello, vel Villa intra territorium illius Ciuitatis *leg. qui ex vico, ff. de municipal.* ratione domicilij ſortitur quis forum, *cap. licet de foro competente.* Domicilium dicitur vbi quis habet rerum ſuarum ſummam, id eſt magnam partem, vel vbi familiam conſtituit *leg. Ciues cod. de incolis lib. 10.*

Sciendum ad domicilium ſatis eſſe alterum iſtorum, vt quis familiam ſuam alibi conſtituat animo habitandi ibi perpetuò, vel aſſiduè, non autem ſi conſtituat iterum inde diſceſſurus, hoc enim non facit

cit

cit incolam ſed peregrinum, vt ait Gloſſ. *in leg. Ciues,* vel ſatis eſt ad domicilium, vt quis rerum ſuarum ſummam, ideſt maiorem partem alicubi habeat, non enim requiritur, vt habeat maiorem partem ſuorum bonorum, ſatis namque eſt, vt non habeat alibi plus rerum ſuarum, Gloſſ. *in leg. Ciues, &c.* Quod ſi quis nihil habeat, ſatis eſt, vt alicubi perpetuò, vel aſſiduè commoretur, *leg. Senatores cod. vbi Senatores, vel clariſsimi conueniantur*: ſola domus poſſeſſio non conſtituit domicilium, *leg. libertus §. ſola, ff. ad municipalem.* Secundò, poteſt quis habere domicilium in pluribus locis, *leg. aſſumptio §. viris prudentibus ff. ad municipalem, & cap. ex parte de foro competenti,* vt v.g. ſi quis in duobus locis æqualiter, quæ ſunt ad rem domeſticam neceſſaria collocauerit, alioqui ſi in vno maiorem partem rerum ſuarum habuerit ibi cenſetur domicilium habere, *leg. Senatores.* Domicilium Patris non cenſetur domicilium filij, maximè ſi filius habeat alibi domicilium, *leg. libertus §. Patris ff. ad municipalem.* Ratione loci, in quo quis delictum commiſit ſortitur forum, *cap. licet, & cap. poſtulaſti,* & gloſſ. communiter recepta *in leg. ſolent ff. de cuſtodia Reorum, & in leg. à D. Pio §. ſententiam ff. de re iudicata.*

An qui titulo colorato putatur Iudex, & communi errore, habeat ſufficientem poteſtatem, & iuriſdictionem ad iudicandum?

BRACTEA XXII.

R. Evm qui non eſt verus Iudex, ſed titulo colorato, & communi errore putatur Iudex habere ſufficientem poteſtatem, & iuriſdictionem ad iudicandum modo non adſit impedimentum iuris diuini, aut naturæ, quod ab Eccleſia, vel humana poteſtate ſuppleri non poteſt. Vnde ſententia lata ab excommunicato, vel ſuſpenſo in loco vbi communi errore habetur, vt legitimus Iudex valida eſt, & matrimonium cui aſſiſtit Parochus habens iniuſtum titulum beneficii, ſed communi errore habetur, vt Parochus legitimus, vel quia commiſit delictum, quo ipſo iure priuatus eſt beneficio, tamen non fuit ſpoliatus, validum eſſe; ſimiliter Confeſſio facta excommunicato vitando, qui communi errore habetur, vt legitimus Confeſſarius valida eſt. Ita Bonacina *diſp. 10. quæſt. 2. pun. num. 2.*

An peccet Iudex, qui vſurpando iudicium iudicat eum, qui non eſt illi ſubditus?

BRACTEA XXIII.

R. Peccare mortaliter Iudicem, qui vſurpatione iudicii iudicat eum, qui non eſt abſolutè illi ſubditus. Ratio, quia iudicando in materia graui facit iniuriam Superiori, cuius auctoritatem aſſumit, & partibus, in quas non habet auctoritatem. Ratio, quia in tali caſu deeſt poteſtas in eum, qui iudicatur, quæ ante omnia requiritur, quia Iudex debet habere auctoritatem, & obligandi conſcientiam, & cogendi ad executionem eius, ad quod obligauit: alioquin ſententia eſſet inefficax. Quinque autem modis poteſt quis Iudici ſubijci; Primò, ratione poteſtatis ordinariæ: Secundò, ratione poteſtatis delegatæ: Tertiò, de conſenſu partium: Quartò, ratione delicti commiſſi in alieno territorio, vel ratione contractus, aut domicilij, aut rei, de quo mouetur cauſa circa poſſeſſorium: Quintò, ratione iniuriæ illatæ ſubdito alterius Principis, nam ſi ſuperior eius, qui intulit iniuriam interpellatus nolit exercere iuſtitiam, poterit id facere Princeps eius, qui iniuriam paſſus eſt. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 29. dub. 6. num. 50.* Filiucius *tract. 40. cap. 6. num. 155.*

An Iudex excommunicatus peccet, ſi iudicia exerceat?

BRACTEA XXIV.

R. Si excommunicatio ſit occulta, Iudex non peccat exercitatione iudicij, & ſententiis, & cœtera eius acta ſunt valida. Ita Gloſſ. *in cap. ad probandam;* Ricardus *in 4. diſt. 18.* Paludanus *eadem diſt. quæſt. 4. & diſt. 17. quæſt. 6. art. 2.* Silueſter *verb. excomm. 3.* & plures citati à Leſſio *loco citato dub. 7. num. 54.* Ratio, quia non eſt priuatus, nec ſuſpenſus ab officio, cum ſolum publici excommunicati ſuſpendantur; & hoc intelligendum eſt non ſolum in actibus fori externi, ſed etiam interni fori, ac ſacramentalis. Secundò, ſi excommunicatio Iudicis ſit publica, ſeu notoria poſt Concilium Conſtantienſe non peccare Iudicem, neque acta eſſe irrita, niſi ſit nominatim denunciatus, aut publicus percuſſor Clerici, licet ante tale Concilium acta eſſet irrita. Ita Nauar. *cap. 27. num. 7.* vbi docet acta excommunicati poſt Concilium Conſtantienſe eſſe valida, quamdiu toleratur ab Eccleſia. Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 1.* Henriquez *de excommunic. cap.* Ratio, quia Concilium Conſtantinienſe prohibet ſolum excommunicatos, qui nominati ſunt, & notorios percuſſores Clericorum, & conceſſit, vt fideles poſſint in omnibus alijs rebus tam diuinis, quam humanis, tam publicis, quam priuatis habere communicationem, vt refert D. Antoninus *3. par. tit. 25. cap. 2.* Sotus *diſt. 22. quæſt. 1. art. 4.* & alij.

Sciendum, quod licet acta per excommunicatum toleratum valida ſint in vtroque foro, nemo tamen tenetur recipere Iudicem excommunicatum, ſed poteſt contra illum excipere, quod ſit excommunicatus, vt patet *cap. exceptionem de exceptionib.* licet in tali loco non ſit manifeſta, dummodo alicubi ſit publica. Ratio, quia licet Concilium Conſtantienſe concedat, vt poſſit cum Iudice excommunicato habere communionem, & ius ab illo petere, non tamen cogit. Itaque ſicut olim poterat recuſari, ita & nunc, ſi tamen partes in illum conſenſerint, & ſententia debito modo lata fuerit, non poteſt propter excommunicationem reſcindi, quia legitima poteſtate, cui ſe partes ſubmiſerunt, lata eſt. Tertiò, Iudicem nominatim denunciatum, & manifeſtum Clerici percuſſorem peccare vſurpatione iudicii contra iuſtitiam, & omnia eius acta eſſe irrita. Ita communiter omnes, & apertè colligitur *ex cap. ad probandam cap. audiuimus; & cap. miramur.* & hoc non ſolum habet locum in iudicibus Eccleſiaſticis, ſed etiam ſæcularibus. Ratio, quia omnes ſunt priuati vſu iuriſdictionis in ſuos ſubditos, vt colligitur *cap. nos ſanctior. 89. quæſt. 9. cap. decernimus 8. de ſenten. excommunicat.*

Sciendum, quod ſi aliquis excommunicatus ſe conferret in aliam Vrbem, vel Prouinciam, vbi eius excommunicatio ſit ignota, fieretque Iudex, vel ſi in loco ſuæ iuriſdictionis non haberetur pro denunciato, vel publico Clerici percuſſore acta eius forent valida.

lids. Ratio, quia eo loco verè eſt excommunicatus occultus, & toleratus ab Eccleſia.

An Iudex laicus ex conſuetudine poſſit iudicare Clericos in minoribus conſtitutos?

BRACTEA XXV.

R. Negative; & ita Bonacina *diſp. 5. quæſt. 20. pun. 3. nu. 10.* Caſtrus Palaus *in opere mor. tom. 2. diſp. vnicâ pun. 12.* Ratio, quia nunquam conſuetudo poteſt præſcribere contra Clericos, etiã ſi eorum exemptio non eſſet de iure diuino, ſed tantum de iure humano. Ita Bezantius in 2. 2. D. Thom. *quæſt. 62. art. 2. diſp. 6.* Petrus Binsfelius *de iniurijs, & damno dato cap. 7. concluſ. 12. dub. 3.* Tum etiam, quia falsò dicitur, Pontificẽ conſentire in tales conſuetudines eo, quod non declarat eos eſſe excõmunicatos, & per conſequens tacitè videtur conſentire, & iſte tacitus conſenſus ſufficiens ſit ad excuſandos eos à peccatis, & cenſuris, quia licet non excommunicentur nominatim, & excommunicatione particulari, excommunicantur tamen in Bulla Cœnæ, ex qua præſumitur non eſſe tacitum conſenſum Papæ, cum quotannis in eadem Bulla abroget omnes contrarias conſuetudines immunitati derogantes, & licet vt ait Pater Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 32. num. 11.* Pontifices non ignorent multa per conſuetudinem fieri contra libertatem Eccleſiæ, quæ non punit, ſed quodammodo tolerat, non ideò eſt, quod conſentiant, ſed quia ſine periculo maioris mali non poſſunt efficaciùs reſiſtere, & ideò non conſentiunt, ſed permittunt. Secundò, Iudicem ſæcularem de conſenſu Pontificis poſſe iudicare, & punire Clericum. Ratio, quia hæc poteſtas delegabilis eſt: vnde Iudici ſæculari à Sede Apoſtolica poſſunt delegari cauſæ Clericorum. Ita Salas *de legib. diſp. 4. ſect. 9.* Vaſquez 2. 2. *diſp. 167.* Leſſius *lib. 2. cap. 33. dub. 5. num. 39.* Ambroſinus *de immunit. cap. 18. num. 8.* Iulius Clarus *lib. 5. ſententiar.* & alij. Tertiò, Clericum non poſſe de conſenſu Epiſcopi à Iudice ſæculari iudicari; licet contrariam ſententiam doceant Clauis reg. *lib. 12. cap. 7.* Farinac. *de inquiſit. quæſt. 8. num. 4.* Dec. *in tract. criminali lib. 4. cap. 9. num. 60.* & alij. Ratio, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in iure poſitiuo.

An Iudex ſæcularis poſſit extrahere reum ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi, ſi notoriè conſtat eum non gaudere immunitate?

BRACTEA XXVI.

R. Post Bullam Gregorij decimiquarti nullo modo licere abſque incurſu cenſuræ; & ità docent Filiucius *tom. 1. tract. 15. cap. 6. nu. 194.* & Duardus in bulla Cœnæ *lib. 1. cap. 15. quæſt. 16. num. 31.* & alij, & ſi hoc facerent incurrerent in excommunicationem, & contra immunitatem facerent; cum in extrahendo aliquem ab Eccleſia ſit ſeruanda forma tradita à Gregorio citato, quod aſſerunt plures Doctores citati à Diana *tract. 1. de immunitate Eccleſiar. reſolut. 14.* Secundò, Iudicem ſæcularem iuxtà Bullam Gregorij decimiquarti non poſſe cognoſcere, an reus poſſit gaudere immunitate, ſed ſolum ſpectare ad Iudicem Eccleſiaſticum, quia ſolus Iudex Eccleſiaſticus eſt Iudex competens. Et ita Loterius *de benefic. tom. 2. lib. 2. quæſt. 13. num. 96.* & alij. Ratio eſt, quia cauſa immunitatis, cum ſit Eccleſiaſtica à Iudicibus Eccleſiaſticis videri debet, & examinari, neque in fauorem valet aliqua conſuetudo in contrarium, cum per dictam Conſtitutionem Gregorij decimiquarti omnes fuerint ablatæ. Vnde non ſunt audiendi Doctores dicentes, quod licet aſſiſtat ius Canonicũ pro immunitate, contrariũ de conſuetudine ſeruari, quia nunc in caſibus contingentibus non ad conſuetudinem, ſed ad Bullam Gregorij recurrere debent, alioquin cenſuras minimè fugient. Tertiò, cognitionem loci an ſit ſacer, an prophanus ſpectare etiam ad Iudicem Eccleſiaſticum, & non ad laicum. Marta *de iuriſdict. part. 2. cap. 50. nu. 4.* Marius Giurba *conſ. 10. num. 7.* & alij.

An Iudex laicus poſſit iudicare cauſas Clericorum, qui hæredes ſunt alicuius ſæcularis?

BRACTEA XXVII.

R. Non poſſe Clericum, qui tanquam hæres in bona laici ſucceſſit ratione illorum bonorum à Iudice ſæculari iudicari, etiamſi lis inchoata fuiſſet contra laicum coram Iudice laico. Ratio; quia Clericus eſt exemptus. Tum etiam, quia ſententia prolata à Iudice laico eſſet fruſtra, quia nõ poſſet executioni demandari. Ita Felinus, Abbas, Imola citati ab Ambroſino *de immunitate Eccleſiaſtica cap. 20. num. 45.* contra Reginaldum *lib. 9. cap. 13.* Farinac. *de inquiſit. quæſt. 8. num. 45.* & alios afferentes Clericum ſubiici foro laico, quoad lites incohatas contra hæredem, cui ſuccedit, ſed à priori ſententia non eſt recedendum. Secundò, Clericum, qui in iudicio ſæculari depoſitum recepit, non poſſe pro reſtitutione depoſiti coram Iudice laico conueniri, vel cogi ad reſtituendum depoſitum. Ita Surd. *lib. 3. conſ. 396. num. 3.* Ambroſin. *de immunit. Eccleſ. cap. 20. num. 53.* Duardus in bulla Cœnæ *lib. 2. can. 15. quæſt. 11. num. 36.* Ratio, quia Clericus exemptus eſt à laica poteſtate.

An Iudex ſæcularis poſſit cogere Clericos, vt triticum vendant tempore neceſſitatis?

BRACTEA XXVIII.

R. Negative; & in caſu neceſſitatis, ſiue in obſidione alicuius Ciuitatis recurrendum eſſe ad Iudices Eccleſiaſticos, niſi talis ſit neceſſitas, vt periculum ſit in mora, & caſus per Epicheiam cenſeatur exceptus, quia in tali caſu Iudex laicus poterit granum ſequeſtrare, & ab horreis Clericorum extrahere, & vendere, non vi iuriſdictionis, ſed ob inſtans periculum, & de facto iuris, quia Iudices ſæculares non habent auctoritatem in Clericos, neque publica neceſſitas, aut vtilitas dat illius iuriſdictionem. Ita Duardus in bulla Cœnæ *lib. 2. can. 15. quæſt. 17. nu. 45.* Belletus *diſquiſ. Clerical. part. 1. tit. 5. §. 2. num. 9.* & alii.

An Iudex laicus poſſit capere Clericum in flagranti crimine, & ipſum ducere ad Superiorem?

BRACTEA XXIX.

R. Affirmativa: Ita Nauar. *in manuali cap.* 17. *num.* 83. Graſ. *in deciſion. part.* 1. *lib* 4. *cap.* 19. *num.* 112. Duard. in aulla Cænæ *lib.* 2. *canon.* 19. *queſt.* 7. *num.* 2. Orthis *in ſum. cap.* 4. *num.* 9. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 4. *num.* 3. acllerus *diſquiſ. Clerical. part.* 1. *lib.* 3. *parag* 11. *num.* 1 Bonacina *de legib. diſp.* 10c *quæſt.* 2. *pun.* 1. *parag.* 1. *num.* 22. Ratio hujus exceptionis eſt, quia nihil videtur fieri contra rationabilem Eccleſiæ voluntatem. Ita Menochius *de arbitrarys caſ.* 180. Iulius Clarus *lib.* 5. *quæſt* 28. *num.* 6. Ambroſin. *cap.* 18. *num.* 31. Reginald. *lib* 29. *num.* 70. licet Megala *in* 1. *partem lib* 3 *cap.* 11. *nu.* 7 Marta *de iuriſdict. par.* 4. *centur.* 1. *caſ* 421. *num.* 17. & alii talem doctrinam non amittant ſequendo contrariam ſententiam. Secundò, Iudicem laicum non poſſe punire Apoſtatas. Ita Bannez 2. 2. *queſt.* 12. *art.* 1. Caſtrus *lib.* 1. *de iuſta hæretic. punit. cap.* 7. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *queſt.* 11. *pun.* 1. Caiet. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. Becan. *ibidem diſp.* 17. *dub.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap* 21. *quæſt.* 3. *queſit.* 3. Pegna *in directur. inquiſit. par.* 2. *comment.* 27. Ratio, quia Apoſthaſis non eſt peccatum diſtinctum ſpecie ab hæreſi, vt docent ſupra citati; & Iudex laicus non poteſt ſe ingerere ad cognoſcendum de hæreſi, etiamſi agatur de quæſtione facti, ergo neque de quæſtione facti Apoſthaſiæ Apoſthatam.

An Iudex laicus poſsit compellere Clericum ad reparationem Eccleſiarum?

BRACTEA XXX.

R. Negativè, & ita nouiſſimè tenet Lotetius *tom.* 1. *de beneficys lib.* 1. *quæſt.* 11. *num.* 81. quia licet Clerici teneantur reparare ſuas Eccleſias, tamen ad id faciendum non poſſunt compelli per Iudices laicos. Ratio, quia compellere eſt exercere actum iuriſdictionis, Clericus autem eſt exemptus à laica poteſtate, & iuriſdictione. Quod ſi dicatur Reges eſſe executores Concilii Tridentini. Reſpondeo ex hoc nec habere, nec poſſe exercere actum iuriſdictionis in Clericos. Secundò, Iudex laicus non poteſt punire eum, qui deliquit, dum habebat beneficium Eccleſiaſticum, qui poſtea matrimonium contraxit. Ratio, quia ad cognoſcendum cui foro quis ſubiciatur inſpiciendum eſt delicti tempus, & ſtatus, in quo tempore delicti reperiebatur ex Baldo *in leg. affinitas cod. eorum de ſucceſſ.* ſed hic tempore delicti erat Clericus, & conſequenter immunis à laica poteſtate, ſicut Nouitius, qui tempore nouitiatus delictum commiſit, non poteſt relicto habitu à laico puniri. Et ita docet Baiardus *in addit. ad Iulium Clarum quæſt.* 36. *num.* 46. nec ſequitur delictum remanere impunitum, quia poteſt à Prælato, vel à Summo Pontifice, qui omnium Religioſorum caput eſt puniri.

Quid agere debeat Iudex ſæcularis, qui reum comprehendit, qui dicit ſe eſſe Clericum?

BRACTEA XXXI.

R. Iudicem, qui reum comprehendit, qui dicit ſe eſſe Eccleſiaſticum; & de numero eorum, qui priuilegio fori gaudent ſi notorium ſint, eum talem eſſe, vt aſſerit, aut fama publica ſit talem eſſe, vel talis communiter reputetur, debere tradere eum Iudici Eccleſiaſtico ſtatim antequam vlterius in examine, & cognitione cauſæ procedatur. Idem & ſi ille anteà non ſe gerebat, vt laicus, & comprehenſus deprehenſus fuit cum tonſura, & veſtibus Clericalibus, aut cum habitu Religionis, ſi Religioſum alicuius Ordinis ſe eſſe dicat, quoniam in his omnibus euentibus reputandus, ac habendus eſt, vt perſona eccleſiaſtica, & manutenendus in poſſeſſione perſonæ eccleſiaſticæ gaudentis priuilegio fori, ac proinde conſeruandus eſt in ea poſſeſſione, ac tradendus Iudici eccleſiaſtico, & probare ipſum non eſſe eccleſiaſticum, qui priuilegio fori gaudeat, ſpectat ad Iudicem ſæcularem, aut ad alium, cuius intereſt eum non gaudere eo priuilegio. Ita definit Bonifacius octauus *cap. ſi Iudex*: Quando verò nihil prædictorum interuenit, tradi non debet Iudici eccleſiaſtico, donec comperiatur diſcuſſione cauſæ eccleſiaſticum eſſe, ad tribunal Eccleſiæ pertinere. Reo ipſo oſtendente titulum, vnde conſtat eccleſiaſticum eſſe, vt loco citato definit Bonifacius octauus, aut legitimis teſtibus id comprobando. Couar. *cap.* 33. *num.* 3. dicit conſuetudine eſſe receptum, vt Iudex ſæcularis non remittat reum ad Iudicem eccleſiaſticum, quouſque lata ſit ſententia, eum eccleſiaſticum eſſe, & ad ſuum forum pertinere. Interim verò dum hæc cauſa pendet, neque eſt integrè examinata, & definita, Iudex ſæcularis procedere non poteſt in cauſa principali, ſed debet ab ea proceſſuque illius ſuperſedere, cenſuriſq; inhibendus ne procedat, vt Bonifacius octauus *cap. ſi Iudex definit*.

An Iudex Sæcularis poſſit punire Clericum qui ſine habitu, & tonſura immiſcet ſe in delictis grauiſſimis?

BRACTEA XXXII.

R. Vt Clericus ſe in enormitatibus immiſcens à Iudice ſæculari puniri poſſit, plura requiruntur. Primùm, vt proceſſerit trina monitio. *Cap. fin. de vita, & honeſt. Clericor.* quod principaliter requiritur in Clerico in maioribus ſolum cõſtituto, quia de Clerico in minoribus conſtituto non deſunt auctores; qui teneant, talem Clericum enormitatibus ſe immiſcentem abſque alio, & non præuia trina admonitione poſſe puniri à Iudice ſæculari. Secundum requiſitum eſt, quod ad priuandum Clericum beneficio, & priuilegio fori ad hoc, vt dicatur ſe in enormitatibus immiſcuiſſe, non ſufficit vnum delictum enorme, ſed plura requiruntur, quia requiritur, quod ſit inueteratus, & perſeueret. Tertiùm, quod incedat ſine habitu, & tonſura. Quartùm, vt prius degradetur, ſi ſit in ſacris ordinibus conſtitutus. Couaruuias *cap.* 32. *num.* 2. & alii. Quintum, quod in illis enormitatibus deprehedatur. *Cap.* 1. *de Apoſtatis cap. ex parte* 3. *Cap. cum*

cum non ab homine, cap. perpendimus : depræhenſus autem dicetur ſi in flagranti fuerit captus. *leg. palam* §. *quæ in adulterio ff. de ritu nuptiar* Enormia autem delicta de iure Ciuili dicuntur ea quæ cum dolo in magnum damnum, & iniuriam alterius perpetrantur. *leg. auxilijs* §. *in delictis ff de minorib.* De iure tamen Canonico dicuntur enormia illa in quibus poſt peractam pœnitentiam non conſueuit diſpenſari. *Cap. At ſi Clerici de iudicijs*. Secundò, non ſpectare ad Iudicem Laicum cognoſcere de Clericatu, & habitu, ſed ad Iudicem Eccleſiaſticum, quando vertitur cõtrouerſia ſuper veſtes, & habitum Clericalem. Ratio, quia habitus eſt quid acceſſorium ad ſpirituale. Ita Belletus *diſquiſit Clerical. part. 1. tit. de fauore Clericor. perſonali* § .14 *num*.4. & alii plures ab eo citati. Tertiò, Iudicem Laicum non poſſe cognoſcere, an Clericus ſit veſtitus veſte Clericali, ſed ſpectare ad Iudicem Eccleſiaſticum. Ita Belletus *loco cit.* licet Pereyra *de manu regia part* 2. *cap*.44. *num*.3. putet per *cap. ſi Iudex de ſentent. excommunicat.* non eſſe licitum Laicis cognoſcere quæſtionem iuris circa Clericos; ſecus quoad quæſtionem facti, vt eſt cognitio de habitu Clericali, ſed vt dictum ſupra contrarium eſt tenendum. Quam ſententiam cum Diana plures ab ipſo citati defendunt *tract. 1. de immunit. Eccleſiaſt. reſolut.*1. nimirum ſpectare ad Iudicem Eccleſiaſticum decidere de habitu Clericali, quæ ſententia fuit determinata à Sacra Cardinalium Congregatione die 31. Iulii 1595.

An Iudex Laicus poſſit punire Clericum delinquentem in officio Sæculari?

BRACTEA XXXIII.

R. Negative contra Pereyram *de manu regia part*.3.*cap*.48. vbi aſſerit, quod Clericus poſſit puniri a Principe ſi in officio dato delinquat. Ratio noſtra eſt, quia Bulla vniuerſaliter loquitur, & ſolum excipit caſus in iure expreſſos: exceptio autem firmat regulam in caſibus non exceptis; & licet Clericus exerceat officia ſæcularia, v. g. officium Tutoris, vel Curatoris, vel Adminiſtratoris bonorum, nihilominus priuilegium Clericale retinet, & ideò non poteſt in iudicium à Laico ad reddendam rationem vocari. Ita Bonacina in Bulla Cœnæ *diſp*. 1. *quæſt* 16 *pun*.5. *num*.18. Paulus Squilante *de priuileg. Clericor. cap*.7. *dub*.3. *num* 87. Ambroſin. *cap*.20. *nu*.54. Nec Clericus qui tanquam hæres in bona Laici ſucceſſit, non poteſt ratione illorum bonorum ad Laicale forum trahi, quamuis Laicus, in cuius bona Clericus ſucceſſit à laica poteſtate iudicari potuiſſet. Ita Fellinus, Abbas, Imola citati ab Ambroſin. *de immunit. cap*.20. *num* 45. Secundò, Iudicem Laicum non poſſe cogere Clericum ad reſtituendam pecuniam illi liberatam cum cautione de reſtituendo, dum creditor anterior apparuerit. Ratio, quia in tali caſu Laicus non poteſt eſſe Iudex competens, cum Clericus ſit exemptus à Laica poteſtate, & iuriſdictione, & cogere ſit exercere actum iuriſdictionis, ſed adeundum eſſe Iudicem Eccleſiaſticum, qui ad id cogat. Tertiò Iudicem Laicum non poſſe Clericum qui in iudicio Sæculari depoſitum recepit cogere ipſum ad reſtitutionem ipſius. Ita Surdus *lib*.3. *conſil*. 396. *num*.83. Ambroſin. *loco cit. num*.52. & alii.

An Iudex Laicus poſſit cogere Clericum, qui ſpoliauit Laicum ſua poſſeſſione ad illam reſtituendam?

BRACTEA XXXIV.

R. Non poſſe, quia Clericus, qui ſpoliauit Laicum à poſſeſſione eſt eiiciendus auctoritate Iudicis Eccleſiaſtici, qui eſt competens Clerici, & non per Iudicem Laicum. Ita Paulus Squilante *de priuileg. Clericor. cap*, 7. *dub*.1. *nu*.73. Matthæus de Aſſlictis *deciſ* 85. Carolus de Gratiis *de effectibus Clericor. eff* 1. *num*.103. Secundò, Clericum qui à Laico Iudice citatus comparuit non teneri illius ſententiæ, & iudicio ſtare, etiamſi putauerit ſua intereſſe, & ob id declinatoriam non oppoſuerit. Ratio eſt, quia Clericus tanquam reus non poteſt à Laico citari, nec poteſt priuilegio fori cedere. Ita Decius *cap. cum inter de excep. num* 15. & alii. Tertiò, Iudicem Laicũ non poſſe capere animalia Clericorum inferentia damnum, & damnum exigere. Ratio, quia Iudex Sæcularis, neque poteſt procedere contra perſonam Clerici, neque contra res ipſis, quia bona acceſſoria ſunt perſonæ, & per conſequens per ſuum Iudicem Eccleſiaſticum ſunt damnandi, quando eorum animalia damnificant. Ita Sanchez *in opuſc. tom*.2. *lib*.3. *cap. vnico dub*.31. & alii.

An Iudex Laicus poſſit in aliquibus caſibus caſibus capere Clericum, & detinere in carcere intra viginti horas?

BRACTEA XXXV.

R. Non poſſe Iudicem Laicum in caſibus permiſſis capiendi Clericum detinere ipſum in ſuis carceribus vltrà viginti horas. Ita Caſtrus Pallaus *in opere morali tom*.2. *diſp. vnica quaſt*.6. *n*. 14. Belletus *diſquiſit Clerical part*.1. *tit*.3. §. 11. *num*.2. Naldus *in ſum. verbo Bulla Cœnæ num* 58. Guarinus *de defenſionibus reorum tom*.1 *lib* 1. *defen*.1. *cap* 2 *num*.5. Vnde Carolus de Gratiis *de effectu Clericor. effect*.1. *nu*.557. & Scacia *tom*.1. *lib*.1. *cap*.39 *num*.14. docent quod in caſibus conceſſis ſi Laicus officialis capiens Clericũ, nõ præſentet ſtatim ſuo Iudici, ac cõmodè poteſt, incidit in excommunicationem; quod etiam aſſerunt Campanilius *in diuerſ. iur. Can rubr*.4. *num*.26. & Barboſa *in collectan. tom*.2. *lib*.7. *tit*.39. *cap* 35. *num*.5. Vnde à Miniſtris Laicis cum maxima prouidentia id agendum eſt, cum ſit maximè periculoſum. Secundò, primus caſus, in quo Iudex Laicus poteſt capere Clericum, eſt quando capitur propter delictum commiſſum ad effectum illum remittendi ad Iudicem Eccleſiaſticum; quia tali caſu ſi de fuga ſuſpectus ſit licitè capi poteſt, & carcerari. Gloſſ. *in cap cum non ab homine verb. deprahenſus*. Secundus, quando agitur de delicto committendo, & tunc, vt obuietur delicto futuro, poteſt Clericus per Laicum capi, & carcerari. Abbas *in cap. cum ab homine num* 12. & alij. Tertius, quando Clericus reperitur in flagranti crimine, vt illum præſentet ſuo Iudici Eccleſiaſtico. *Leg. raptor. Cod. de Epiſcop. & Clericis*. Quartus, quando capitur per familiam Sæcularem de mandato Iudicis Eccleſiaſtici. Quintus, poteſt capere Clericum debitorem, ſi de fuga ſit ſuſpectus; Felinus *in cap. cum non ab homine num*.1. Sextus, poteſt etiam capere Clericum incedentem diu, ſeu noctu cum armis prohibi-

tis, & illum ducere ad Iudicem ipſius Clerici, vt puniatur. Abbas *in cum non ab homine num.15.* & alij.

An Iudex Laicus poſſit priuare bonis temporalibus Clericos vſurpantes iuriſdictionem ſæcularem?

BRACTEA XXXVI.

R. IVDICEM ſæcularem non ſolum non poſſe procedere contra perſonam Clerici, ſed nec contra res quidem Clerici, quia eorum bona ſunt illi acceſſoria, & cum Laici non habeant auctoritatem in perſonas Clericorum, neque illam in eorum bonis habere poſſunt. Vnde Iudices Laici, qui fructus, vel alia bona Clericorum ſequeſtrant ſine legitima facultate excommunicationem incurrunt, etiamſi faciant, vt Eccleſiaſtici deſiſtant ab vſurpatione rei ſæcularis vſurpatæ. Ratio eſt, quia Summus Pontifex bona Eccleſiaſticorum quauis occaſione, vel cauſa ſine debita licentia ſequeſtrari prohibet; neque iuriſdictio ſæcularis ab Eccleſiaſticis vſurpata confert ius Laicis vſurpandi bona Eccleſiaſticorum ad ſeruandam æqualitatem in iudicijs, quia ſæculares incapaces ſunt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Marta *de iuriſd. part.4. caſu 11. num.25.* & alij apud ipſum.

An Iudex Laicus poſſit punire Clericum in defectum iuſtitiæ Eccleſiaſticæ?

BRACTEA XXXVII.

R. NEGATIVE; & nunquam poſſe Iudicem Laicum ſupplere defectum Iudicis Eccleſiaſtici; cum Eccleſiaſticus ſit Superior Laico, & conſequenter Laicus non poteſt ſupplere eius defectum cum ius ciuile nõ det auctoritatem Laico ſupra Clericum, cum ſint exempti à Laica poteſtate, & in *cap. qualiter, & quando de iudicijs, cap. ſi quis Clericum, cap. placuit, cap. Chriſtiani, cap. licet ex ſuſcepto, & cap. Clericum 11. quæſt.10.* decernitur, & prohibetur, ne defectu iuſtitiæ trahantur ad iudicium ſæculare. Secundò, poſſe Iudicem Eccleſiaſticum ſupplere defectum ſæcularis, & procedere contra Laicos. Ratio, quia Iudex Eccleſiaſticus habet ſaltem indirectè poteſtatem exercendi iudicia politica per ordinem ad ſalutem animarum. Tum etiam, quia Iudex Eccleſiaſticus eſt ſuperior Laico, & conſequenter ipſius negligentia ſuppleri poteſt per Iudicem Eccleſiaſticum: imò Iudex Eccleſiaſticus poterit per cenſuras compellere Iudicem ſæcularem, vt ſuo munere fungatur, nam ad commune bonum ſpectat, & ad pacem fidelium, vt ad Iudicem Eccleſiaſticum poſſit haberi recurſus, ſaltem eo titulo, vt peccata publica corrigenti. Neque obſtat *caput 16. quæſt.7.* vbi dicitur, quod ſi Prælatus ſit negligens implorari poſſit Rex, quod ſolum ibi ſtatuitur, vt Epiſcopo negligente, vel renuente adiri poſſit ad Regem, non tanquam ad Iudicem, ſed tanquam ad defenſorem, & protectorem, & vt moneat Prælatum ad faciendam iuſtitiam, & interim bona tueatur, donec Summus Pontifex conſuli poſſit. Suarez *lib.4. de immunit. cap.14. nu.21.* Bonacina *in Bulla Cœnæ diſp.1.15. pun.4. §.4. num.10.* & citati ab ipſo.

An Iudex Laicus poſſit eijcere Clericum turbantem Rempublicam?

BRACTEA XXXVIII.

AFFIRMATIVAM ſententiam tenent aliqui citati à Caliſto Ramirez *tract. de leg. reg. §.27. nu. 15. in gloſſ.* Marius Giurba *conſil. crimin. 48. nu. 16.* Antonius de Ballis *tract. var. lib.5. pragmat.1. tit.10. num.44.* Sed

R. Negatiuè. Ratio, quia Clerici ſunt exẽpti à Laica poteſtate. Vnde ſi aliquid accidat recurrendũ eſt ad Iudices Eccleſiaſticos, & ab illis ſunt eijciendi, non quidem ſimpliciter, ſed cauſa cognita, quia alias iniuſtitiam committerent condemnando aliqua pœna reum non auditum. Vnde excuſandi non ſunt illi Prælati, qui ad inſtantiam Principum ſæcularium ore tenus, & cauſa non cognita præciperent alicui Eccleſiaſtico, aut illum cogerent, vt è finibus ſuæ Diœceſis diſcederet, quia talis eſt Principis voluntas; nam cum huiuſmodi preces, ſeu Præceptum fiat ad inſtantiam Principis ſunt quodammodo executores, maximè, quia tunc hoc non faciunt tanquam Prælati, ſed vt priuati, vnde & ipſi excommunicationem incurrerent, vt tenet Marta *de iuriſd. part.4. cent.2. caſ.140.* & Megal *in 3 part. lib.3. cap.11.* & ſi hoc aliquando iuſta cauſa contingat prudenter agendum eſt.

An Iudex ſæcularis teneatur reſtituere reum Eccleſiæ cum licentia Epiſcopi extracti, ſi conſtet illum non commiſiſſe delictum in Bulla Gregorij XIV. exceptum?

BRACTEA XXXIX.

R. AFFIRMATIVE. Ratio, quia tali delinquenti verè debebatur immunitas, & per errorem ab ea excluſus fuit, & traditus Curiæ ſæculari, & ex altera parte conſtat iniuſtam à parte rei fuiſſe Epiſcopi ſententiam, & re integra immunitas illi ſeruari debet. Ita Diana *tract.1. de immunit. Eccleſiaſt. reſolut.97.* Antonius de Maximis *reſol. tom.1. cap.175.* vbi multas adducit rationes pro hac ſententia. Vnde talis reſtituendus eſt Eccleſiæ, & idem dicendum eſt, quando extractio fieret cum licentia Epiſcopi exiſtimantis reum ob qualitatem delicti extrahendum eſſe, nam ſi poſteà apparuerit qualitatem illam non eſſe veram reſtituendus eſt reus Eccleſiæ. Secundò, Iudicem Laicum violare immunitatem ſi carceret aliquem à perſonis priuatis per vim extractum ab Eccleſia. Ratio, quia illa extractio eſt irrita, & nulla, & per conſequens illicitè, nec iuridicè potuit à Iudice Laico carcerari, quandiu per extractum non ſtetit ne in loco ſacro reponeretur. Tum etiam, quia Gregorius XIV. in ſua conſtitutione interdixit illas actiones per particulam, *vel*, quæ eſt alternatiua, ibi capere, extrahere, vel carcerare. Et ita Bonacina *diſp.3. quæſt.7. pun.9. nu.10.* Valentia *tom. 3. diſp.7. quæſt.15. pun.1.* Gennenſis *in praxi cap.17. nu.6.* Tertiò, Iudex qui non mandauit reum ab Eccleſia extrahi, ſed ab alijs dolo, & perſuaſionibus fuit extractus, non tenetur eum reſtituere Eccleſiæ, ſed poteſt contra illum agere. Ratio eſt, quia non fuit extractus, ſed propria ſponte exiuit, licet dolo, & perſuaſio-

ſuaſio-

ſuaſionibus, & vt gaudeat priuilegio immunitatis non ſatis eſt, vt perſuaſionibus extrahatur, ſed requiritur quod actio iniurioſa fiat in Eccleſia, nimirum quod vi extrahatur, aut in ipſa carceretur, aut capiatur; cum autem perſuaſionibus extractus propria ſponte exierit, & non fuerit captus, & carceratus in loco immuni nulla erit obligatio ipſum reſtituendi in Eccleſia, nec pœnas violatæ immunitatis incurrere debet contra ipſum agendo. Ita Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 3. num. 17.* & alii.

An Iudex Laicus poſſit cognoſcere crimen vſuræ, ſiue de iure, ſiue de facto quæratur?

BRACTEA XL.

Rvarias eſſe opiniones Doctorum. Tannerus 2. 2. *diſp. 4. quæſt. 4. dub. 1. nu. 35.* Salas *tract. de empt. dub. 45.* Em. Sà *verbo vſura*, & alii apud Bonacinam *de contract. diſp. 3. pun. vlt.* tenent ſpectare ad Iudicem Laicum, & conſequenter eſſe mixti fori; alii verò negant: & ita Salonius 2. 2. *tom. 2. qu. 78. art. 3.* Layman *in Theolog. moral. lib. 4. cap. 2. num. 8.* Azorius *part. part. 2 lib. 3. quæſt. 73. quæſit. 8.* Reginaldus *tom. 2. lib. 23. cap. 9. ſect. 1. n. 93.* Marta *de iuriſd. part. 2. cap. 7. num. 11.* his verbis. Alia cauſa eſt cur viura dicatur crimen Eccleſiaſticum, nempè quod licet dum de punitione agitur, & quæſtio eſt facti pertinet tam ad Laicum, quam ad Eccleſiaſticum Iudicem, quando tamen quæſtio eſt iuris, hoc eſt quando inquiritur, num contractus ſit vſurarius propriè pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum de ea cognoſcere. Ita ille; & hanc ſententiam docuit etiam Siluester *verbo vſura 9.* in principio. Secundò, Iudicem Laicum poſſe punire eum, qui crimen ſortilegii commiſit: Ratio eſt, quia ſortilegium cenſetur mixti fori; ita vt æquè principaliter de eo Iudex Eccleſiaſticus, ac ſæcularis poſſit cognoſcere, atque inter eos locus ſit præuentioni iuxta *caput de foro compet.*

An Iudex Laicus poſſit iudicare in cauſa decimarum?

BRACTEA XLI.

Rquæſtionem iuris circa decimas, vt v. g. ſi ad quandam Eccleſiam pertineat ius decimarum, & ſit ne aliquis priuilegiatus, quo titulo percipiatur; item de modo decimandi, de tempore, &c. pertinere ſolum ad Iudicem Eccleſiaſticum, ſi autem quæſtio ſit facti Iudex Laicus competens erit, & eſt mixti fori, vt v. g. ſi talis percepit, vel ſoluit, ſeu etiam percipiat, vel ſoluat decimas ad effectum quoque, vt in de quo non dubitat, an iure ſoluere debeat decimas, eas ſoluere Eccleſiæ, eiuſque factori cogatur, vel quia agatur contra tertium detentorem fructuum decimandorum: item ſi agatur de reſtitutione illarum, quando furto auferuntur, aut venduntur, aut in alios vſus temporales conuertuntur. Et ita Facundez *precep. 5. lib. 3. cap. 5. num. 1. & 2.* & alii apud ipſum; licet contrariæ opinionis ſit Homobonus *de exam. Eccleſiaſt part. 2. tract. 8. cap. 7. quæſt. 24.* Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 36. quæſt. 5.* vbi docent etiam quando quæſtio eſt facti ſolum Eccleſiaſticum eſſe Iudicem competentem circa decimas. Ratio, quia cauſa decimarum eſt Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, & Eccleſiaſtica coram Iudice Eccleſiaſtico agenda eſt *ca p. Parochiam de decimis*. Tum quia ſic decernitur, *cap. ad hæc de decimis*; ſed vt ſupra dictum eſt, ſpectat etiam ad Iudicem Laicum, cum ſit mixti fori, & locum dari præuentioni. Ita Germon. *de ſacra immun. lib. 3. cap. 19. num 97.* Couar. *practicar. quæſt. cap. 35.* & Gutier. etiam *practicar. quæſtion. lib. 3. quæſt. 26.* Secundò, Iudicem Laicum in quæſtione iuris *titulo componimus ſi cum Iudice Eccleſiaſtico*, non poſſe cauſam decimarum cognoſcere. Ita Bonacina *de legibus diſp. vlt. quæſt. 5. pun. 6.* & alii apud ipſum; quamuis Summus Pontifex poſſit Principi dare facultatem cognoſcendi cauſas decimarum, ſicut etiam poteſt illi priuilegium exigendi decimas concedere, vel eas dare in feudum ob benemerita erga Eccleſiam. Ita Bonacina *loco cit.*

An Iudex ſæcularis poſſit cogere laicos ad condonandam obligationem iuramenti metu, aut iniuria extorti?

BRACTEA XLII.

Affirmatiuè reſpondet Molina *de iuſtit. tom. 2. tract. 2. diſp. 149.* Azorius *tom 1. lib. 11. cap. 9 quæſt. 6.* Afflictus *deciſ. Neapol. 263.* Gutier. *authentica ſacram. puberum num. 160. cod. ſi aduerſus vendit.* Auendanus *in cap. Prætor. part. 2. cap. 27. num. 15.* Verum hæc opinio limitatur à Diana *tract. 2. de immunit. reſol. 106.* Primò, quando conſtat de recipientis turpitudine, tenetur ipſum relaxare; Si verò dubium adeſt, ſolus Iudex Eccleſiaſticus erit competens, non autem laicus. Ita Tabiena *verbo iurare quæſt. 20. nu. 21.* Abbas *in cap. 25. de iureiurando num. 3.* & ibidem Alexander de Neuo *num. 3.* cum alijs, & quando res, circa quam præſtitum eſt iuramentum, ſpectat ad forū ſæculare; ſecus autem non poteſt Iudex laicus de tali iuramento cognoſcere. Secundò, non poſſe Iudicem laicum Clericos tranſgreſſores punire pœna pecuniaria à lege conſtituta contra Camillum Borell, *in ſum. deciſ. tit. 43. de foro compet. num. 44.* & alios. Ratio eſt, quia infligere talem pœnam, eſt exercere actum iuriſdictionis, quem laici in Clericum exercere nullo modo poſſunt, cum ſint exempti. Et ita Tannerus *in 1. 2. diſp. 3. quæſt. 6. dub. 2. num. 22.* Malderus *ibidem quæſt. 96. art. 5. §. de Eccleſiaſt.* a ecan. *in ſum. Theol. tom. 1. tract. 3. cap. 6. quæſt. 11. num. 2.* Vnde ſi Clericus aſportaret frumentum, & Miniſter laicus illi auferret, incurreret in excommunicationem, & frangeret libertatem eccleſiaſticam, quia talis ablatio eſt pœna, cui non ſubiiciuntur Clerici, cum ſint exempti à laica poteſtate. Ita Couar. *practicar. 37. num. 7.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 163. cap. 4. num. 30.* Salas *de legib. d ſp. 14. ſect. 10.* Secundò, Iudicem laicum non poſſe ſpoliare Clericum armis prohibitis, etiamſi armorum vſus tanquam Reipublicæ perniciosus ita prohibitus ſit, vt neque domi illa retineri poſſint. Ratio, quia expoliatio armorum infert aliquam violentiam, quam Iudex laicus propria auctoritate in Clericos exercere non poteſt. Ita Suar. *in defenſ. fidei lib. 4 quæſt. 34. num. 14* Idcò non poſſe Iudicem laicum expoliare Clericum exercentem venationem, aut piſcationem auibus, vel canibus, vel aliis inſtrumentis, cum ſit inferre vim, quod Clerici prohibetur fieri. Tum etiam, quia habet rationem pœnæ, cui Clerici non ſubiiciuntur.

An Iudex laicus auocans ad ſe cauſas eccleſiaſticas excuſetur ab excommunicatione ex tolerantia Summi Pontificis?

BRACTEA XLIII.

R. Negatiue: Ratio, quia ſimplex tolerantia ſaltem, dum Superior commodè obſtare non poteſt, priuilegium non inducit. *Cap. cum iam dudum de præbend.* Tum quia nulla adeſt tolerantia, cum Summi Pontificis excludant omnes prætentus. Ita Carolus de Gratijs *effect. 1 num.* 383. Caiet. *verb. excommun. cap.* 30. Duardus in bulla Cœnæ *can.* 15. *quæſt.* 13. *num* 18. Alterius *lib.* 5. *diſp.* 15. *cap.* 2. Vgolinus in bulla Cœnæ *verbo, vel executionem*, Filiucius *tract.* 26. *cap.* 10. *quæſit.* 4. *nu.* 256. & alii apud præcitatos contra Coriolanum in explicatione bullæ, Gregorium, Lopez, Auendanum.

Sciendum dubium eſſe, an Iudex laicus conſuetudinem inducens, vel ea introducta vtens contra libertatem Eccleſiaſticam, incidat in excommunicationem bullæ Cœnæ. Suar. *de cenſuris diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 86. Duardus in bulla Cœnæ *canon.* 15. *quæſt.* 13. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 363. Filiucius *tom.* 1. *tract.* 16. *cap.* 10. *num.* 268. & alii negatiuè reſpondent. Ratio, quia bulla loquitur de decretis, & ſtatutis, non autem de conſuetudinibus; ſed in cenſuram latam *in cap. nouerit. de ſentent. excommunic.* Iuxta verò opinionem Sayri *de cenſuris lib* 3. *cap.* 19. *n.* 10. Souſæ *cap.* 16. *diſp.* 80. *num.* 6. incidere in excommunicationem bullæ; vnde videant Miniſtri laicalis iuriſdictionis, quid faciant. An verò incurratur etiam cenſura ab eis, qui ſciunt ſeruari ſtatutum contra libertatem eccleſiaſticam, & non impediunt, opiniones ſunt diuerſæ; Aliqui affirmant non incurri; Ratio, quia cenſura lata ob poſitiuam actionem non incurritur ob omiſſionem.

An Iudex, qui inuenit chartam, in qua erant peccata, poſſit contra illum inquirere?

BRACTEA XLIV.

R. Non poſſe contra illum inquirere, quia de illis tenetur ſaltem ad ſecretum naturale. Ita Nauarr. *cap.* 18. *num.* 34. Henriquez *cap.* 20. *num.* 3. Coninch. *de Sacram. diſp.* 9. *dub.* 4. *nu.* 50. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 4. *num.* 450. Nugnus *quæſt.* 11. *art.* 1. Sayrus *de pænit. cap.* 16. Onufrius *de ſigillo ſect* 8. *quæſt. vnica dub.* 6. Layman. *in Theol. moral. lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 19. Megala *in proœm. part. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 17. non obligari tamen ea reticere ex ſigillo Confeſſionis. Ratio, quia ſigillum Confeſſionis propriè ſolum dependet ex incohata Confeſſione, & ex his, quæ pœnitens aperit Confeſſario in ordine ad Confeſſionem animo ſe accuſandi. Illa charta, in qua continentur peccata, ſe habet ſolum extrinſecè, & remotè ad Confeſſionem, ergo, &c. Secundò, quod ſi in illa charta aliquid contineatur contra bonum publicum, vel innocentis, obligaretur eam reuelare, cum ſecretum naturale non obliget cum damno publico, vel innocentis. Ita Layman. *loco cit.* & Bonacina *de Sacramento pænit. diſp.* 5. *quæſt* 6. *ſect.* 2. *pun.* 3. *num.* 8. Contrariam ſententiam plures cum Diana ſequuntur *de Sacram tract.* 4. *reſol.* 118. nimirum teneri ſigillo Confeſſionis, cum illa charta deſcripta ſit aliquod principium Confeſſionis, & quid ſpectans ad Confeſſionem: ſed vt dictum fuit, remotè, & extrinſecè ſpectat ad ipſum.

An Iudex laicus poſſit cognoſcere cauſam Clerici ſuper recuperatione poſſeſſionis Eccleſiæ, à qua eſt eiectus per vim, vel ſuper retentionem poſſeſſionis, in qua ab alio turbatur?

BRACTEA XLV.

Prima ſententia eſt multorum apud Couar. *practicar. quæſt. cap.* 15. *num.* 1. qui tuentur partem affirmatiuam: Sed

R. negatiuè: Ratio deſumitur ex auctor. *Clementina prima* de cauſa poſſeſſionis, & *Clement. prim. de ſequeſtr. poſſeſſ.* vbi cauſa de beneficio, ſiue iure petitorio, ſiue poſſeſſorio ſpiritualis cenſetur; neque per conſuetudinem ad Iudices laicos poteſt pertinere, cum Iudex laicus non poſſit ſibi vendicare ea, quæ ſunt eccleſiaſtici iuris. Ita apud Dianam *tract.* 3. *de immunit. Eccleſ. reſol.* 67. Secundò, Iudicem laicum poſſe dirimere controuerſias ortas inter Confraternitates, ſi agatur de poſſeſſorio iudicio; ſecus autem non; ad Iudicem eccleſiaſticum pertinere controuerſias inter ipſos ortas, vt v. g. ſi ſint circa modum procedendi in proceſſionibus, vel circa habitum, vel aliud ſimile. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 78. *num.* 92.

An in iure extent aliqui caſus, in quibus Clerici foro ſæculari, & laico ſubijciantur?

BRACTEA XLVI.

R. Plures eſſe caſus: Primus eſt, cum Clericus fuerit degradatus, & depoſitus realiter; tunc enim traditur brachio ſæculari iudicandus, & puniendus. *Cap. degradatio de pænis in 6.* & per degradationem omnia priuilegia Clericorum amittit. Secundus quando Clericus eſt bigamus, Clericus enim bigamus bigamia vera, vel interpretatiua omnium Clericorum priuilegia amittit, *Cap. vnico de bigamis in 6.* Tertius cum Clericus Clericalem habitum ſuſcepit in fraudem, vt ſæculare iudicium effugeret. Quartus caſus eſt in cauſa feudi, nam Vaſſallus quamuis Clericus in his, quæ pertinent ad feudum, ſubijcitur domino feudi, quamuis ſæculari. *Cap. verum de foro compet. & cap. cæterum de iudic.* Quintus caſus eſt in cauſa reconuentionis, nam ſi Clericus in ciuilibus conueniat laicum coram Iudice laico, poterit laicus conuentus reconuenire Clericum in materia ciuili coram eodem Iudice, dũ arbitratur ſe aliquam actionem contra Clericum in cauſa ciuili habere. *Cap.* 1. *&* 2. *de mutuis petitionib. & cap. Accuſator.* Sextus caſus, cum Clericus enormitatibus ſe immiſcet, iuxtà ſuprāſcripta. Septimus caſus, dum Clericus effectus eſt incorrigibilis. Vltimus caſus, in quo Clericus fori priuilegium amittat, habetur in Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.* vbi decernitur Clericum prima tonſura, aut etiam minoribus ordinibus initiatum priuilegio fori non gaudere, niſi Beneficium eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi ſeruiat, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſetur.

An Clericus tonſura initiatus priuilegio fori gaudeat ſi bis, vel ter tantummodò inſeruierit Eccleſiæ, & poſteà deſtiterit.

BRACTEA XLVII.

R. Non gaudere; Ratio, quia Concilium Tridentinum requirit perſeuerantiam, & frequentiam ſeruitij; Tridentinum enim hic verbis vtitur, *niſi Clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat*: hoc verbum *inſeruiat* videtur importare moralem perſeuerantiam ſaltem pro maiori parte. Ita Cenado *lib. 1. practicar. quæſt. num.* 25. Menochius *conſil.* 912. *num.* 21. Ricius *in praxi deciſ.* 388. Similiter Clericum, qui habitum, vel tonſuram aliquoties dimittit, non amittere priuilegium fori, niſi conſuetudinem habeat nõ vtendi habitu, vel tonſura, ita vt publicè laicus exiſtimetur. Ratio eſt, quia Tridentinum non requirit continuum omninò habitus, & tonſuræ delationem, nec is habitum, vel tonſuram dimiſiſſe dicitur, qui aliquoties tonſuram, vel habitum exuit, non animo ſimpliciter dimittendi, ſed reaſumendi. Secundò, Clericum prima tonſura, & minoribus ordinibus initiatum non gaudere priuilegio fori, quãuis non admoneatur de delatione habitus, & tonſuræ. Ratio eſt, quia licet iure antiquo, *cap. in audientia, & cap. cum contingat de ſententia excommunicationis*, neceſſaria eſſet triplex admonitio ad amittendum priuilegium; tamen iure nouo Concilij Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. aliter ſancitum fuit, & iuri antiquo fuit derogatum. Quamobrem Clericus in minoribus conſtitutus, qui cum habitu Clericali incedere non conſueuit, ſubditur foro laicali abſque alia admonitione. Quod etiam dicendum eſt de Clerico, qui cum habitu Clericali incedit, ſed nulli Eccleſiæ inſeruit, vel non degit in aliqua ſchola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi iuxtà Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. Clerico verò habenti beneficium, vel in ſacris conſtituto neceſſariam eſſe ſentio trinam admonitionem, vt ſupra dictum eſt à Iudice eccleſiaſtico factam antequam Clericus fori priuilegium amittat. Ratio eſt, quia non receditur à iure communi Sacrorum Canonum, niſi quatenus contrarium iure exprimitur: Iure autem Sacrorum Canonum *cap. in audientia*, & *cap. cum contingat*, præſcribitur trina monitio ſpecialis, & nominatim facta, nec iure nouo in Tridentino citato aliter decernitur circa Clericum habentem beneficium, aut in ſacris conſtitutum, ergo, &c.

An Sindici Communitatis conſulentes, vt mittantur milites ad hoſpitium in capſinas Eccleſiaſticorum incurrant aliquas pœnas.

BRACTEA XLVIII.

Sciendum officium Sindici Communitatis eſſe curam ipſius habere, bonorum ipſius, viduarum, pauperum, &c. & in ſuis actionibus ſeruare iuſtitiam diſtributiuam non magis aggrauando oneribus, hoſpitija, &c. quam importet regiſtrum, & ſi aggrauant, peccare iuxtà quantitatem grauaminis. Ratio, quia grauando violant iuſtitiam diſtributiuam, & per conſequens obligatos eſſe ad reſtitutionem damni ſubſequuti ob illud grauamen. Ratio, quia cenſentur cauſa iniuſta damni, & obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ. Quo poſito

R. Sindicos peccare mortaliter; quia conſulunt rem iure prohibitam; tum etiam, quia onus, quod conſulunt, vel imponitur ratione perſonæ, vel ratione bonorum: ſi primo modo Eccleſiaſtici ſunt exempti à laica poteſtate tam iure ciuili, quam Canonico, vt conſtat ex pluribus iuribus imperialibus, Concilijs, & textibus; vt docet Bonacina *de legibus diſp.* 10 *quæſt.* 2. *pun.* 1. §. 1. *num.* 1. & *de cenſuris diſp.* 1. *quæſt.* 16. *pun.* 2. Quod etiam eorum bona ſint immunia, patet etiam ex pluribus iuribus, Doctoribus citatis à Belleto *disquiſ. Clerical. tit. de exemptio Clericorum, & eorum bonorum ab oneribus publicis* §. 5. *num.* 1. & idem docet Bonacina de cenſuris in bulla Cœnæ *diſp.* 2. *quæſt.* 19. *pun.* 3. *parag.* 1. *num.* 4. & alij communiter. Secundò, præter peccatum mortale incurrere excommunicationem latam à diuerſis Pontificibus ab Alexandro tertio *in cap. non minus de immunit. Eccleſiaſt.* in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio *in cap. aduerſus*, vbi etiam fuit innouata diſpoſitio *cap. non minus* à Bonifacio octauo *in cap. Clericis de immunit.* in Concilio Lateranenſi ſub Leone decimo *ſeſſ.* 9. *in cap. quamquam de cenſibus, &c.* incurrunt etiam excommunicationem bullæ Cœnæ Domini contra imponentes taleas, onera, &c. perſonis eccleſiaſticis, vel rebus Eccleſiaſticorum, à qua non poſſunt abſolui, niſi à Summo Pontifice, vel de mandato ipſius; excepto tamen articulo mortis, in quo Confeſſarius, vel Sacerdos poteſt excommunicatum abſoluere cum obligatione tamen ſe præſentandi poſtquam conualuerit. Quod ſi ſe non præſentet, denuò incidit in excommunicationem Papæ reſeruatam. Tertiò, Sindicos, Conſiliarios, qui dederunt conſilium, ſuffragium, vel aliquo modo conſenſerunt, vel non obſtiterunt alijs conſulentibus, & ſuffragantibus, cum ex iuſtitia tenerentur obſtare obligati ad reſtitutionem damnorum ſequutorum Clericis. Ratio eſt, quia cenſentur cauſa damni ſequuti per iniuſtum conſilium, ſeu ſuffragium, & cũ ſuffragia omnium conſulentium ſint neceſſaria, omnes eſſe obligatos in ſolidum ad reſtitutionem totius damni. Ratio, quia quilibet illorum cenſetur cauſa totius damni; ergo, &c. Quando verò ſuffragia maioris partis ſufficiunt, poſteriores non tenentur ad reſtitutionem, poſtquam præſtitus eſt ab alijs numerus ſuffragiorum ſufficiens ad inferendum damnum. Ratio eſt, quia damnum cenſetur ſufficienter latum abſque ſuffragio poſteriorum, & poſteriores perinde ſunt, ac ſi non eſſent, & quia non cenſentur cauſa efficax damni, non obligantur ad reſtitutionem conſentiendo, licet peccent. Si verò probabiliter ſperarent primos retractaturos ſuffragia poſterioribus negantibus, ipſis conſentientibus, obligantur ad reſtitutionem, quia tunc cenſentur cauſa efficax damni, cum quilibet ſuffragator teneatur ex officio damnum impedire. Ita Salonius 2.2 *quæſt.* 62. *art.* 7. *concl. prim.* Molina *diſp.* 732. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 13. *num.* 23. Azorius *lib.* 4 *cap.* 12 *quæſt.* 2. Rebellus *lib.* 2. *quæſt.* 14. *ſect.* 5 *num* 30. Petrus Nauar. *lib* 3. *cap.* 4. *num.* 33. Nauar. *cap.* 17. *num.* 21. & alij. Quartò, imponentes collectas, & onera bonis Eccleſiaſticorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & impoſita exigentes, incurrere in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini contra imponentes decimas, taleas, &c.

Sciendum nomine collectarum, decimarum, ta-

learum, &c. intelligi quælibet onera ſuper bona, aut perſonas eccleſiaſticas impoſitas, ſiue nũcupentur decimæ, ſiue taleæ, ſiue pſtãtiæ, ſiue quouis alio nomine nuncupentur. Ratio eſt, quia Eccleſiaſtici ſunt immunes ab oneribus, quæ à ſubditis ſoluũtur Principibus.

An Clericis pro bonis Patrimonialibus poſſint imponere taleas, & alia onera?

BRACTEA XLIX.

R. Pro bonis Patrimonialibus non poſſe imponi taleas, & alia onera. Ratio eſt, quia in Bulla dicitur *Ac eorum, & Eccleſiaſticorum bonis*, vbi notanda eſt particula *Eorum*, quæ refertur ad bona patrimonialia Eccleſiſticorum, quia de bonis Eccleſiaſticis ſermo eſt in ſubſequentibus verbis. Tum quia Bullæ diſpoſitio conformis videtur iuri antiquo: iure autem antiquo, *in cap. quamquam*, de cenſibus bona Eccleſiaſticorum Patrimonialia exempta ſunt; Tum quia onus tributorum immediatè, & proximè imponitur perſonis pro rebus, & conſequenter perſonę principaliter grauantur; ſecundariò bona, *leg. reſcripto, & leg. fin. de munerib. &c.* ſed perſonæ Eccleſiaſticæ gaudent immunitate, nec poteſtati laicæ ſubijciuntur; ergo non poſſunt onera ipſis imponi pro bonis Eccleſiarum, & patrimonialibus. Ita Couar. *practicar. quæſt. cap. 31. num* 9. Salas *de legib. diſp.* 14. *ſect.* 11. *num.* 114. Medina *cod, de reſtitut. quæſt.* 15. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 377. Molina *de iuſtit. diſp.* 670. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 3. Toletus *lib.* 1. *c.* 29. Azorius 1. *part. lib.* 5. *cap.* 26. Sayrus *lib.* 3. *de cenſur. cap* 22. *num.* 9. Alterius *diſp.* 19 *cap.* 2. Filiucius *tract.* 16. *cap.* 11. *quæſit.* 3. *num.* 298. Marta *de iuriſd. part.* 4. *caſ.* 49. *num.* 9. Suarez *de immunit. lib.* 4. *cap.* 24 *nu.* 24. *& cap.* 25. Bèllet. *diſquiſ. Clerical part.* 1. *tit. de exempt. Clericor.* §. 5. & plures ab eo citati. Ratio eſt, quia res Clericorum eodem priuilegio gaudent, quo res Eccleſiarum. Gloſſ. *in cap. S. Mariæ verb. Eccleſiaſt. in cap. Epiſcop. verbo ſubſidium de præbend. in cap. fin. verb. ſuis de vita, & honeſtate Cleric. in c. ex litteris verb. oblig. de pignor. & cap. ſimiliter verb. Eccleſia.* Secundò pro bonis acquiſitis quocũq; titulo, ſeu aduentitijs tenentur Clerici ſoluere illud tributũ, quod vulgò in Pedemontio dicitur *Taſ.* Ratio, quia ex cõi DD. ſentẽtia tenentur ſoluere onera certa, & inuariabilia, cũ onus rei tranſeat cum ſua cauſa, & tale tributum connumeratur inter tributa certa, & inuariabilia: ergo ipſum tenentur ſoluere, cum ſit onus certum, & inuariabile, quia habet cauſam certam, & inuariabilem, quæ non augetur, niſi per accidens, & ſubditi contrahunt obligationem inuariabilem ad ipſum ſoluendum.

Sciendum, quod licet hoc tributum à primæua ſua conſtitutione fuerit perſonale, tamen ſucceſſu temporis factum eſt reale, ita vt non amplius imponatur reſpectu perſonarum, ſed rerum immobilium ad ratam regiſtri, & cum habeat cauſam permanentem, & neceſſariam, quæ eſt ſuſtentatio Coronæ, & domus Regiæ, idcircò computatur inter onera certa, & inuariabilia, quæ Clericus tenetur ſoluere, ſicut etiam tenetur ſoluere collectas ordinarias. Ratio eſt, quia onus rei annexum tranſit cum ſua cauſa: huiuſmodi autem onus ordinariũ cẽſetur eſſe annexũ rei; ergo, &c. Secus autem dicendum eſt, ſi onus non eſſet ordinarium, neque rei annexum, nec perpetuũ, ſed variabile, quia hoc non tenentur ſoluere Clerici, ſed corruit huiuſmodi onus, vbi bona perueniunt ad Eccleſiaſticos. Ita apud Belletum *diſquiſ. Clerical. part.* 2. *tit. de exempt. Clericor. & eorum bonorum à muneribus publicis* §. 3. *num.* 2. *&* 3. Quod ſi Clericus ſuccedat Patri, non tenetur ſoluere collectas impoſitas pro rebus in quibus ſucceſſit, licet Pater teneretur, & bona ſint cataſtrata. Ratio, quia bona ſunt acceſſoria ad perſonam. Autent. *ingreſſi cod. de ſacroſ. Eccleſ. leg.* 1. *&* 2. *ff. de peculio* Felinus *in cap. Eccleſ. S. Mariæ num.* 8. Si ergo perſona eſt exempta, bona etiam exẽpta dicuntur, quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis *Cod. acceſſor. de regul. iuris in* 6. Tum etiam, quia in collectis imponendis mutata perſona, mutatur ſtatus rei, & conſideratur qualitas noui poſſeſſoris *leg.* 1. *C. de imponendis*, Alexander *conſil.* 25. *num.* 16. *volum.* 4. Purpurat. *conſil* 572. *num.* 8. *volum.* 2. Oſaſc. *deciſ.* 156. *num.* 1. & alij. Tum etiam, quia collecta eſt munus, quod imponitur perſonæ pro rebus, & cum Clericus ſit perſona priuilegiata, & exempta, erunt etiam res ipſius exemptæ, quia eius perſona inſpicitur.

An Coloni, & conductores rerum Eccleſiaſticorum poſſint grauari oneribus?

BRACTEA L.

Sciendum eſſe quadruplicem ſententiam: prima affirmat teneri, quia Coloni ſunt ſubditi Principibus laicis; ergo ſicut alij grauari poſſunt, Ita Oſaſc. *in deciſ. Pedemontan. deciſ.* 83. *&* 116. & alij. Secunda negat teneri, quia huiuſmodi Coloni immunes ſunt à ſolutione gabellarum, collectarum, &c. tam realium, quam perſonalium. Ita plures citati apud Belletum *diſquiſ. Clerical. tit. de exempt. Clerical.* §. 7. *num.* 1. Federicus de Senis *conſil.* 3. *num.* 10. Filiucius *tract.* 126 *cap.* 1. *quæſit.* 4. *num* 302. Tertia ſententia diſtinguit, aut onus imponitur Colonis ſimpliciter pro fructibus, qui ex fundo Eccleſiaſtico percipiuntur, aut ſolum pro parte Colonica: ſi primo modo Coloni non tenentur ad onera impoſita, quia gaudent immunitate, & huiuſmodi impoſitio onerum vergit in damnum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum; & ideò, &c. ſi ſecundo modo tenentur onus impoſitum ſoluere. Ratio, quia fructus à ſolo ſeparati non ſunt amplius ſub dominio Eccleſiæ, ſed ad Colonos pro ſua colonica portione ſpectant, & conſequenter laicæ poteſtati ſubijciuntur. Ita apud Bonacinam *diſp.* 1. *de cenſuris in Bulla Cęnæ Domini quæſt.* 19. *pun.* 3. §. 1. *nu.* 7. Quarta ſententia aſſerit onera imponi poſſe pro parte Colonica, modo ex huiuſmodi impoſitione nullum Eccleſiaſticis damnum ſequatur, alioquin Eccleſiaſtici grauarentur contra Bullam Cęnæ Domini, & ſacrorum Canonum diſpoſitionem. Quo poſito.

R. Colonos Eccleſiaſticorum pro re Eccleſiaſtica, quam colunt immunes eſſe à ſolutione gabellarum, collectarum, atque aliorum onerum, tam realium, quam perſonalium. Ita plures citati apud Belletum *diſquiſ. Clerical. part.* 1. *tit. de exempt. Clericor.* §. 7. *num.* 1. ſicut etiam non tenetur ad onera mixta, quæ imponuntur perſonis pro rebus, qualia ſunt hoſpitatio, & alimonia militum, &c. Abbas *conſ* 9 *part.* 1. Antonin. *var. reſol. lib.* 1. *reſol.* 111. *num* 17. Theſaurus *deciſ.* 116. *nu.* 4. quia indirectè grauarentur Eccleſiaſtici, cum retraherentur homines à colendis bonis Eccleſiæ. Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ num.* 99. Federicus de Senis *conſ.* 111. Baldus *conſ.* 31. *volum.* 1. Tum etiam, quia exemptio competens bonis Eccleſiæ eſt realis, & ideò comprehendit Colonos. Belletus *loco cit.* Secundo, ſi vltra bona Eccleſiaſtica, quæ colunt habeant etiam bona propria proprio nomine alibi ſita,

tunc

tunc non excuſantur ab onerum ſolutione ratione dictorum bonorum. Rebuff. *in leg.3.nu.2.& 3.* Tertiò, pro rebus, & portionibus fructuum ad eos ſpectantibus ratione bonorum Eccleſiaſticorum, quæ colunt, quamuis ſint Coloni Clericorum tenentur ſoluere onera impoſita. Ita plures apud Belletum *loco cit.num.4.* Ratio, quia fructus à ſolo ſeparati non dicuntur amplius Eccleſiæ, neque in eius dominio; & ideò pro ipſis poſſe exigi tributum Ancbat. *in cap. quamquam*, Barbat. *conſ 28.volum.4.* quia ſeparatorum eſt ſeparata ratio. Gloſſ. *in Clement. verbo excolendus.*

R. 2. Conductores rerum Eccleſiaſticorum poſſe grauari oneribus, &c. ſi collecta, & onus imponatur pro fructibus perceptis ex dictis bonis. Ita plures citati à Belleto *loco cit.* § 8.*num.*1. Ratio eſt, quia vectigal, ſeu onus imponitur ratione fructuum, fructus autem ipſi percepti ſunt proprij conductorum, *leg.1.* vbi Bartolus *C.de Agricolis lib.11.* Aliamque ſumunt naturam, ac ſi eſſent cum ſolo coniuncti Baldus *conſ.* 31. Si verò onus imponatur non ratione fructuum, ſed ratione prædiorum, & bonorum Eccleſiæ non tenentur ſoluere, nam bona Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticorum immunia ſunt, & conſequenter tributum ipſis imponi non poteſt; ſicut neque imponi poteſt ſi Eccleſiaſtici ex huiuſmodi impoſitione oneris incommodum, & damnum patiantur, & cum magna difficultate Clerici inuenirent conductores, & cogerentur minoris locare, quam mos ſit, quia tunc indirectè Eccleſiaſtici grauare cenſentur. Ita Portius *conſil.184 num.9.* Nata *lib.1 conſil.51.num.4* Fęlericus de Senis *conſil 111.nu.3.* Menochius *de arbitrarys conſ. 562.num.54.* Belletus *loco cit.* §. 8.*num.*1. Quod etiam dicendum eſt, ſi onus ita eſſet exceſſiuum, vt indirectè vergeret in damnum Eccleſiaſticorum, quia cum magna difficultate inuenirent Conductores, aut minori pretio cogerentur locare. Belletus *loco cit.* Secundò, ſi onus imponatur pro dominio directo, & pro prædijs non poſſe emphyteutam grauari, ita nec emphyteuta; tum etiam, quia poſſidet rem immunẽ à collectis, & tributis, ex eo, quod ſit Eccleſiaſtica; ergo non tenetur ad collectas. Bellettus *loco cit.n.5.* Tertiò, ſi onus imponatur non pro recto dominio, & pro prędijs, ſed pro fructibus, & vtili dominio emphyteutam poſſe grauari. Ratio, quia priuilegium immunitaris conceſſum eſt Eccleſiaſticis, & eorum bonis, bona emphyteutica quoad dominium vtile non ſunt Eccleſiaſtica, quia per contractum emphyteoticum ſeparatum fuit dominium vtile à directo, & vtile dominiũ tranſlatũ fuit in laicum emphyteutã & conſequenter ad ipſum pertinent fructus, & tã fruquam dominium vtile ſubijciũtur iuriſdictioni Principis, & emphyteutæ ſunt perſonæ laicæ Principibus ſubiectæ; & per conſequens poſſunt grauari oneribus, & qui eos aggrauant non incurrunt excommunicationem bullæ Cœnę Domini. Quod tamen intelligendum, modo id fiat ſine damno Domini directi, qui bona in emphyteuſim conceſſit, alioquin ipſe dominus directus indirectè granaretur, vt ſi prędia propter huiuſmodi onus minori pretio in emphyteuſim concedere cogeretur. Ita Oddo *conſil 70. nu 6. & 35.* Dec. *co ſ.48.* aerous *conſ.120.& 131 lib.1.* Nata *conſ.114.* apud aonacin. *diſp.1.de cenſur.in Bulla Cœnæ quæſt.19.pun.3.§.1.num.9.*

An Iudex Eccleſiaſticus debeat Clericis violantibus leges Ciuiles eandem pœnam infligere, quæ Laicis ſtatuta eſt?

BRACTEA LI.

R. NEGATIVA. Ratio quia licet Clerici teneantur ſeruare leges Ciuiles, quæ libertati Eccleſiaſticæ non repugnant, vt ſunt leges circa pretium, &c. non coactiuè, ſed vi directiua, tamen nõ ſubijciuntur pœnis legum, & per conſequens Iudex Eccleſiaſticus non debet, quamuis poſſet Clericis violantibus leges Ciuiles, eandem pęnam infligere, quæ laicis ſtatuta eſt, etiamſi illorum ſtatu pœna illa non repugnet. Ita Salas *de leg. diſp.14. ſect.8. n.104.* Ratio eſt, quia cũ decet Clericis mitius agere ob conſeruationem ſtatus Eccleſiaſtici, & ita vſu ſeruari videmus etiam in pęnis ſtatutis pro violatione legum naturalium. Secundò, Iudicem Eccleſiaſticum poſſe punire laicum delinquentem in Eccleſia, quia ratione delicti acquirit in laicum iuriſdictionẽ, & per conſequens poteſt procedere contra ipſum, & delictum ſortitur naturam mixti fori, & datur locus præuentioni. Vnde is, delinquentem puniri poteſt, qui in captura præuenit.

An Iudex Eccleſiaſticus poſsit punire laicum, qui cum Clerico deliquit?

BRACTEA LII.

AFFIRMATIVAM ſententiam ſequuntur Farinacius *de inquiſit quæſt.8.* Marta *de iuriſd. part. 4. centur.2.caſ 119.* Dec. *tract.crimin.lib.4.* aonatius *de foro competenti num 116.* Menochius *de arbitrar. caſ.131.* Ambroſinus *cap.20.* & alij. Ratio eſt, ne continentia cauſæ diuidatur, & de eadem re contrariæ, & diuerſę ſententiæ ferantur, ita vt Eccleſiaſticus puniret Clericum, Iudex verò laicus laicum abſolueret: ſed negatiua magis videtur in praxi; & hanc tuentur Iulius Clarus *lib.5 ſententiar.num.41.* Couar. *quæſt.34. num.1.* Gomez *var.cap.10 nu.6.* Molina *tract 3 diſp.49. num 23.* aonacina *de leg.diſp.1 in quæſt 2.pun.1. §.1.n.30.* Gutier. *practicar.quæſt.lib.1.quæſt.6.* Ratio, quia videtur in praxi, vt laicus à laico, & Clericus ab Eccleſiaſtico iudicetur. Tum etiam, quia cauſa diuidenda eſt, & ritè ſubijci vtrique foro ſeruato modo procedendi in vtroque foro, & ſecundum proprias regulas.

An Iudex Eccleſiaſticus poſsit punire adulteros?

BRACTEA LIII.

R. AFFIRMATIVE. Ratio, quia crimen adulterii eſt mixti fori; tum etiã, quia ob adulterium peccatur contra matrimonium, quod eſt vnum de Sacramentis Eccleſiæ, & ſic aliquo modo peccatur contra Eccleſiam. Et ita ſentiunt omnes Canoniſtæ *in cap gaudemus de diuortijs* Conar. *par. 2.cap.7. §.7.* Abbas *in cap tua num.6. de Procurat. & in cap.cum ſit de foro compet.num.24.* Layman *in Theolog. moral.lib.4. tract.9.cap.2.num.5.* Belletus *diſquiſ. Clerical. part.1.tit.de fauore Clericorum reali parag.5.num.63,*

qui

qui plures Canoniſtas citat. Negatiuam ſententiam tenent Pereyra *de manu regia part. 2. cap. 87. num. 11.* docens crimen adulterij eſſe ſæculare ratione materiæ, & perſonæ, & per conſequens ſpectare ſolum ad Iudicem laicum eum punire: ſed hæc opinio cenſetur contra communem opinionem omnium Doctorum, vt ſupra dictum eſt.

An Iudex eccleſiaſticus ſolus poſſit cognoſcere in cauſa matrimonij contracti?

BRACTEA LIV.

R. Qvod ſi quæſtio ſit facti, ideſt an matrimonium ſit contractum nec ne, ſiue agatur de cauſa matrimonij in poſſeſſorio, vt ſi maritus peteret vxorem, quæ ab eo diuertit, tunc poteſt Iudex ſæcularis cognoſcere incidenter, ſi quæſtio eſt iuris, ideſt an matrimonium potuerit contrahi nec ne, tunc ſpectat ad Iudicem eccleſiaſticum, in neutro tamen caſu Iudex ſæcularis principaliter poteſt cognoſcere. Conar. *in 4. decret. part. 2. cap. 8. parag. 12. num. 3.* Bartolus *in leg. Titia*, Theſaurus *deciſ. 107.* Capitius *deciſ. 87. num. 2.* & alij; & idem dicitur in alijs cauſis ſpiritualibus; quando quæſtio eſt facti, Iudex ſæcularis cognoſcere poteſt; ſecus autem ſi quæſtio eſt iuris. Ita Bartolus *leg. Titia*, Belletus *diſquiſit. Clerical. part. 1. tit. de fauore reali parag. 2. num. 60.* Secundò, ſpectare ſolum ad Iudicem eccleſiaſticum pendente lite ſuper matrimonium ſequeſtrare puellam cauſa explorandi voluntatem ipſius. Ratio, quia ad ſolum Epiſcopum ſpectat iudicare de libertate conſenſus puellæ, & ſi neceſſe ſit longè ducere puellam ad tollendam ſuſpicionem coactionis, auctoritate Iudicis eccleſiaſtici poterit fieri. Ita tradunt communiter omnes *ex cap. cum locum de ſponſal.* Genuenſis *in praxi cap. 14.* Raguſius *in lucerna Parochor. de matrim. quæſt. 96.* Gutier. *de matrim. cap 37.*

An Iudex eccleſiaſticus poſſit decernere alimenta eſſe præſtanda, & litis expenſas vxori lite pendente ſuper matrimonio?

BRACTEA LV.

R. Affirmative. Ita Afflictus *deciſ. 152. num. 3.* & quæ debentur per virum eadem lite pendente, Afflictus *loco cit.* & maximè ſi vxor eſt in poſſeſſione vxorationis; & quamuis mulier non dederit dotem, Ferretus *conſ. 34. volum. 1.* etiamſi penderit lis ſuper adulterium, ſiue ſuper ſeparationem vxori; nam maritus in iſtis caſibus alimenta vxori præſtare debet. Ita *cap. ex parte*, vbi Abbas, & Felinus, Federicus *conſil. 176.* Seraph. *deciſ. 328. nu. 1. part. 1.* Theſaurus *fori eccleſiaſtici cap. 24. num. 121.* nam maritus vxorem etiam indotatam alere tenetur, dummodo vxor nullam dotem promiſerit, quia ſibi imputat, quod eam duxerit, Innocentius *in cap. per litteras de donat. inter virum, & vxorem*; ſecus verò ſi dos promiſſa fuerit, & non ſoluta, quia tunc vxorem alere non teneretur. Baldus *in leg. fin. Cod. ad Velleian.* Expenſæ autem debent præſtari ſecundum dignitatem illius, cui ſunt præſtandæ, *leg. ſed & quidem parag. 1.* vbi Bald. *ff. de vſufructu.*

An Iudex eccleſiaſticus principaliter, & non incidenter poſſit cognoſcere inter laicos de cauſa dotis?

BRACTEA LVI.

R. Qvod quando dos in teſtamento relicta eſt puellæ pauperi, tunc non Iudex ſæcularis, ſed Iudex eccleſiaſticus erit competens contra laicum etiam principaliter, & ad inſtantiam partis. Et ita Bobadila *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 17 num. 10.* Gutier. *practicar. quæſt. lib. 1. quæſt. 44. num. 10. & lib. 3. quæſt. 29. num. 30.* Cenado *in canonic. quæſtionib. quæſt. 37. num. 9.* Seualos *tract. de cognit. per viam violentiæ part. 2. quæſt. 13. num. 4.* Secundò, Iudicem eccleſiaſticum eſſe competentem in cauſis ſponſalium & ita Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 31. cap. 36. num. 268.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 1. diſp. 69. nu. 19. & diſp. 29. num. 9* docet, Iudicem vtriuſque fori competentem eſſe ad ſponſalium coactionem, dummodo de ipſorum valore nihil agatur, in quo caſu ſolus Iudex eccleſiaſticus eſt competens; ſed dum ſponſalia certa ſunt, poteſt Iudex ſæcularis ad eam compellere, licet iuramento firmata ſint. Ita Roſella *verb. ſponſal. num. 3.* Brunellus *de ſponſalib. concluſ. 17.* & alij. Tertiò, Iudex eccleſiaſticus poteſt cognoſcere inter laicos de alimentis filio ſpurio debitis. Ita Sanctarellus *var. reſolut. part. 1. quæſt. 34. num. 2.* & alij apud Dianam *tract. 2. de immunit. Eccleſiar. reſol. 86.* Ratio, quia cognitio huius cauſæ cenſetur mixti fori, & ideò in electione filij ſpurij erit petere alimenta coram Iudice eccleſiaſtico, vel laico, licet ſint plures, qui contrariam ſententiam ſequuntur, vt videre eſt apud Dianam *loco cit.*

An Iudex laicus poſſit punire laicos concubinarios?

BRACTEA LVII.

R. Affirmativs, vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 8.* tamen ſi Epiſcopus contra eos vult ferre ſententiam excommunicationis neceſſe eſt, vt præcedant tres monitiones inter concubinarios, non verò ſi pœnis pecuniariis, vel alijs punire velit, quia in tali caſu non requiritur ſolemnitas, de qua loquitur Concilium *in cap. 8.* & ita Pereyra *tract. de manu regia part. 1. cap. 8. num. 29.* & alij; & concubinatum eſſe delictum mixti fori. Ita Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 53. quæſt. 2.* & alij.

An Iudex eccleſiaſticus in criminibus mixti fori poſſit laicos ſine auxilio brachij ſæcularis in carcerem detrudere?

BRACTEA LVIII.

R. Posse Epiſcopum, qui habet familiam armatam, & territorium, in quo poteſt vti iuriſdictione contentioſa, delinquentes punire, & iudicare, & in carcerem detrudere; contra plures apud Barboſam *de poteſt. Epiſcopi part. 3. alleg. 107.* qui aſſerunt Epiſcopos non poſſe procedere contra laicos aliis pœnis, quam cenſuris eccleſiaſticis; ſed hæc opinio optimè refellitur à Barboſa *loco cit.* & ab Azorio *part. 2. lib. 3. cap. 53. quæſt. 13.* Secundò, Epiſcopum, qui non habet familiam armatam, non debere

bere neceſſariò præmittere cenſuras antequam imploret brachium ſæculare. Ratio eſt, quia omnia iura cum de inuocatione brachii ſæcularis agūt, loquuntur his verbis, *ſi neceſſe fuerit, ſi opus fuerit*, & non dicunt Iudicem debere præmittere cenſuras, & ſi non proficiant, cum non habeant amplius inuocent poſteà brachium ſæculare, *& cap. cum non ab homine* fuiſſe correctum per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 5. de regularib. ſeſſ. 25. cap. 3. de reformat.* Quod ſi Iudex ſæcularis non vult brachium ſuum præſtare Eccleſiaſtico, poteſt ad id cogi pœna excommunicationis. Ita Barboſa *in collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 26. cap. 2. num.* 8. Sanctarel. *tract. de hæreſi cap. 6. dub. 4. num.* 23.

An Iudex eccleſiaſticus in cauſis eccleſiaſticis, aut mixti fori, teneatur præbere proceſſum, à quo auxilium petit?

BRACTEA LIX.

R. Negative; & ita Moneta *de iudic. conſer. cap. 8. num.* 261. Segura *in director. Iudic. Eccleſiaſt. part. 2. cap. 13. num.* 33. Anguianus *in tract. de legib. lib. 3. contr. 31. num.* 7. vbi probat ſæcularem Iudicem requiſitum per Ordinarium, vel Delegatum eccleſiaſticum petere non poſſe, ſe velle inſtrui ex actis coram tali eccleſiaſtico num ritè, & rectè proceſſum fuerit, ſed ſtatim teneri impertire brachium ſuum, etiamſi proceſſus ſibi non oſtendatur, cuius copiam petere non poteſt, nec differre executionem brachii petiti, neque indirectè, aut directè ſe intromittere, vt potè ad quem nuda, & pura, dumtaxat ſpectat executio; & hæc opinio tenenda eſt non ſolum quando Iudex eccleſiaſticus procedit in cauſis eccleſiaſticis, ſed etiam mixti fori. Ita Doctores citati.

An Iudex Eccleſiaſticus poſsit acquirere iuriſdictionem in laicos ex conſuetudine, vel præſcriptione, aut Laicus in Eccleſiaſticum?

BRACTEA LX.

R. Affirmative: & ita communiter Doctores *in cap. cum contingat de foro competenti. Cap. licet ex ſuſcepto eodem titulo, & leg. 3. Cod. de mancipat.* Tuſcus *tom. 5. concluſ.* 545. Miſingerus *concl.* 17. aſſerentes Iudicem eccleſiaſticum iuriſdictionem ſæcularem facilè præſcribere poſſe, licet non è conuerſo ex *cap. ſignificauerunt*. Vnde Ioannes Cochier *in Vindicijs libertatis Eccleſiaſt. part. 1. cap. 30. num. 7. & cap. 26. num. 1. & 2.* docet valere conſuetudinem, vt Laicus poſſit indiſtinctè coram Eccleſiaſtico conueniri; & ita *cap. ſi Cleric. laicum, cap. licet ex ſuſcepto de foro compet.* Secundò, laici Iudices de rebus eccleſiaſticis omninò prohibentur cognoſcere, & ſuper eas neque principaliter, neque incidenter poſſunt iudicare. Ita Anguianus *tract. de legib. tom. 1. lib. 21. contr. 22. num. 21. & 25.* Tertiò, Iudices eccleſiaſtici licet non magis poſſint cognoſcere de cauſis prophanis inter ſæculares, quam laici reſpectu cauſarum non eccleſiaſticarum, nihilominus quia ſolummodo incōpetentes ſunt, & non incapaces erga tales cauſas, ſi eas contingat incidenter cognoſcere rectè poterunt per incidentiam ſæcularem iuriſdictionem in laicos exercere. Ita Anguianus *loco cit.* Ratio huius eſt, quia Iudex laicus circa Eccleſiaſtica non ſolum eſt Iudex incompetens, ſed etiam incapax; Eccleſiaſticus verò circa ſæcularia eſt ſolum Iudex incompetens, non autem incapax. Quartò, Iudices laicos non poſſe cognoſcere cauſam eccleſiaſticam non ſolum ordinariam iuriſdictionem exercendo, ſed neque etiam ſummariè; & ratio eſt, quia quotieſcunq; aliquis Iudex prohibitus eſt, vel incompetens in negotio ordinario, ſeu plenario pariter etiam cenſetur prohibitus in ſummaria cognitione. Ita Anguianus *loco cit.*

An ſolus Iudex eccleſiaſticus poſsit cognoſcere de excommunicatione?

BRACTEA LXI.

R. Affirmative; ita *cap. ſi quis laicus 11. quæſt. 3.* Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 3.* Caietanus 2. 2. *quæſt. 70. art.* 4. Theſaurus *fori eccleſiaſtici cap. 38. num.* 27. Ratio, quia cenſuræ ſolum ſpectant ad Eccleſiam, non autem ad Iudicem ſæcularem, & ſolus Iudex eccleſiaſticus excommunicandi habet poteſtatem. Hoſtienſis *in ſum. tit. de ſent. excommunicat. parag. ſi quis poſſit*, Couar. *in cap. Alma mater part. prim. parag. 11. num. 1. de ſententia excommunicationis.*

An Iudex eccleſiaſticus poſsit cauſam licitè in Eccleſia tractare?

BRACTEA LXII.

R. Affirmative; ita *ex cap. cum Eccleſia*, & ibi Gloſſ. & Panormitanus, & alii probant, & ex *cap. Præcept. 2. & cap. qua fronte de appellat.* Ratio, quia nunquam tale iudicium prohibitum inuenitur in iure Canonico. Secundo, Iudicem ſæcularem non poſſe in Eccleſia, nec in domo Eccleſiæ ius dicere ſi illa domus ſit propriè eccleſiaſtica, & Eccleſiaſticus eam propria auctoritate poſſideat quaſi ex iure publico ad habitandum. Ita Panormitanus *in cap. 1. de immunitate*. Secus verò eſſet ſi eam conductam haberet, vel ab Eccleſiâ gratis, & liberaliter ſit conceſſum, valere tamen acta in domo Eccleſiæ à Iudice ſæculari. Ita Abbas *in cap. cit.* Tertiò, Iudicium ciuile ſæculare non poſſe in domo eccleſiaſtica fieri, neque in Eccleſia, vt patet *ex cap. Decet de immunitate Eccleſiæ in 6.* & ſi fiat iudicium in Eccleſia minimè valebit, quia in *cap. Decet* ſtatuitur, vt omni robore firmitatis careat iudicium, ſi in Eccleſia fiat.

An quando Iudex delegatus ſubdelegauit cauſam, poſsit ipſam reaſumere?

BRACTEA LXIII.

R. Iudicem à ſupremo Iudice datum, ſeu delegatum poſſe ex legitima cauſa ſuſpectum recuſari. Ita *cap. Iudex ab Apoſtol.* apud Barboſam *Collectan. Doctor. in lib. 1. 6. decretal.* Secundò, Iudex delegatus, qui ſubdelegauit cauſam in totum re integra, ideſt ſi Subdelegatus non cœpit vti auctoritate ſaltem per citationem decretam, vel re integra mortuus eſt, commiſſionem à Delegato reuocare

uocare poteſt; at verò ſi res integra non ſit Delegatus cauſam reaſumere non valet. Ita Franciſcus Viuianus *lib.* 5. & alij citati a Barboſa *loco citato*, & *cap. quamuis num.* 1. & 2. Tertiò, quod quando ſunt plures Delegati inſolidum à Papa, quilibet poteſt per ſe ſolum procedere, & ſi vnus horum cauſam inceperit, alter ſe immiſcere non poteſt in eadem, niſi primus ſit impeditus iuſta cauſa, vel nolit, vel malitiosè recuſet procedere. Item ſi Papa mandans, & Delegatus, qui incepit moriatur, poteſt vnus ex aliis proſequi, quia cauſa perpetuatur, licet res videatur integra. Ita apud Barboſ. *loco cit. cap. cum plures num.* 1.

MALLEATIO LXXVII.

De veritate, & ſcientia Iudicis.

An Iudex poſsit condemnare eum, quem priuata ſcientia nouit innocentem, qui tamen per teſtes probatus eſt criminoſus?

BRACTEA I.

SCIENDVM in Iudice non ſolum requiri poteſtatem, & iuriſdictionem, ſed etiam requiri veritatem. Ratio, quia Iudex conſtituitur, vt vnicuique ſuum tribuat, non tribueret autem vnicuiq; ſuum, niſi veritati adhæreret; tunc autem veritati adhærere dicitur per ſe loquendo, dum ſecundum allegata, & probata iudicat; quamuis aliquando fieri poſſit, vt res à parte rei aliter ſe habeat, quam in iudicio probatum ſit.

Prima ſententia eſt, teneri Iudicem in hoc caſu omnes vias, & rationes inire, quibus poſſit reum liberare, & ſi non poteſt eum liberare, cauſam remittere ad Superiorem, & depoſita Iudicis perſona aſſumere officium teſtis apud Superiorem, ſi putet eum poſſe hac ratione liberare; & ita Caietan. *quæſt.* 67. *art.* 2. & indicat D. Thom. *quæſt.* 64. *art.* 6. & ſi non poteſt tali ratione eum liberare, & pars aduerſa vrgeat condemnationem, multi Doctores docent tunc Iudicem poſſe illum condemnare ſecundum allegata, & probata. Ita D. Thom. *quæſt.* 67. & eius diſcipuli, Couar. 1. *var. cap.* 1. *num.* 6. Reginaldus *lib.* 21. *num.* 3. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 13. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 11. *pun.* 2. & alij plures. Secunda eſt aſſerentium Iudicem nullo modo poſſe talem innocentem ad mortem condemnare, & potius obligati officium dimittere, quam ipſum condemnare. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 10. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 161. Em. Sà *verb. Iudex*, & alij. Ratio eſt, quia repugnat iuri naturæ, & diuino occidere innocentem, cum ſit intrinſecè malum. Tum etiam, quia ipſum condemnando faceret contra conſcientiam, quod in re graui eſt peccatum mortale. Tum etiam, quia *Exod.* 22. dicitur *Innocentem, & iuſtum non occidas*: in hoc autem caſu directè occideretur innocens, & eius mors intenderetur ad ſeruandum iuris poſitiui ordinem. His poſitis

R. In ciuilibus, & in criminalibus minoribus, qui non puniuntur morte, vel mutilationi primam ſententiam ſequendam eſſe. Ratio, quia Republica habet auctoritatem diſponendi de fortunis ſuorum Ciuium ob bonum publicum, ad quod ſpectat iudicare reum ſecundum allegata, & probata, cum hæc ſit forma iudiciorum: Secundò, in cauſis criminalibus maioribus, quæ puniuntur mutilatione, vel morte ſecundam ſententiam eſſe ſeruandam ob rationes allatas. Tertiò, in praxi, ſi Iudici magno damno, & incommodo ſit officio eſſe priuatum, ſequendo primam ſententiam condemnare poteſt reum ex publica notitia talem repertum, modo antea Superiorem Iudicem, vel Principem adeat, & proteſtetur innocentiam eius, quam ad ipſos pertinet defendere, &c.

An Iudex poſsit aliquam ex priuata ſcientia, aut certè non citatum, & auditum condemnare?

BRACTEA II.

SCIANDVM ad ſolemnitatem Iudicij, duo pertinere; primò, vt nemo condemnetur inauditus. Secundò, vt nemo condemnetur ſine teſtibus, iuxta illud Deuteronomij *in ore duorum, vel trium teſtium peribit, qui interficietur*. His poſitis.

R. Principem certum de crimine regulariter non poſſe non citatum, & inauditum condemnare. Ratio, quia defenſio Rei, & legitima probatio delicti per teſtes eſt de iure gentium, & prouenit à iure naturali, & contra facere eſſet auferre arma Reo, quibus iure ſe poteſt defendere, negando crimen ſi eſt occultum, vel certè ſe excuſando eo modo, quo poterit. Dixi regulariter, quia dantur aliqui caſus, in quibus id non poteſt ſeruari, vt ſi non agatur de puniendo delicto, ſed de impediendo malo, quod Reipublicæ imminet, quia tunc iure defenſionis potius agit Princeps, quam punitionis. Secundò, ſi delictum publicum ſit notorium eſt enim publicitas loco accuſatoris, & teſtium. Tertiò, ſi ſit periculum rebellionis, vel grauis perturbationis ſi iuridicè procederetur. Quartò, ſi delictum probabile ſit, quia ſcitur à Principe, & à duobus, vel tribus alijs. Leſſ. *lib. cap.* 29. *dub.* 11. *num* 40.

Secundò, Inferior Iudex, neque ex priuata ſcientia, nec eum, qui citatus non eſt, & inauditus condemnare poteſt. Ratio, quia inferior Iudex debet ſeruare formam iudicij, nec in ea diſpenſare poteſt. Superior verò Iudex eſſe priuata ſcientia neminem condemnare poteſt. Ita Caietan. *verbo homicidium*, Sotus *lib.* 5. *de iuſtitia quæſt.* 1. *art.* 3. Nauar. *cap.* 25 *nu.* 9. Ratio, quia ſicut Iudex ex poteſtate publica, ita etiã ex publica ſcientia iudicare debet, actus enim publicus debet à poteſtate, & notitia publica, tanquam à cauſa ſibi commenſurata procedere. Ita Caietan. *loco cit.* Tum etiam, quia Iudex, & ſi ſuperior debet procedere in iudicando iuxta formam à iure traditam, ſed quod ſententia feratur ex publicis probationibus, non ſolum eſt iuris poſitiui, ſed etiam iuris gentium, quod apud omnes eſt receptum, ſub cuius onere, & obligatione cenſetur Reſpublica ſuam poteſtatem tranſtuliſſe.

Tertiò, Reſpublica poteſt Principi dare poteſtatem, vt ex priuata ſcientia condemnare poſſit. Ratio, quia poteſt cedere iuri ſuo, quod habet, quod de occultis non poſſit puniri, & hoc totum ius poteſt conferre Principi, & tunc Princeps abſque vlla iniuria poterit de occultis, de quibus ipſi certò conſtiterit punire.

An

An Iudex condemnare poſsit Reum, quem ſecretò nouit nocentem, ſed in iudicio probatur innocens?

BRACTEA III.

R. Negativa, loquendo de Iudice inferiore. Ratio, quia Iudex non habet auctoritatem derogandi legibus Superioris, ſed formam iuris ſeruare tenetur, quæ eſt, vt non condemnetur niſi ſecundum allegata, & probata, & iudicem non priuata, ſed publica auctoritate fungi dum iudicat, & teneri ſequitur ſcientiam vniuerſalem iuris, & non propriam. Secundò Iudicem ſupremum ordinariè, & per ſe loquendo huiuſmodi Reum condemnare non poſſe, quoties crimen omninò occultum eſt, vel probari non poteſt. Ita Arragonius 2.2. *quæſt.*62.*art.* 2. Petrus Nauar. *lib.*11.*cap.*3.*nu.*122. & alij apud Clauem Regiam *lib.*12.*cap.*8.*num.*22. apud Leſſium *lib.*2. *cap.*27 *dub.*11.*num.*44. Ratio, quia ius defenſionis Rei, & probatio teſtium competit Reo ex iure naturæ; cum ergo Princeps non poſſit diſpenſare in iure naturæ dicendum eſt, non poſſe occidere nocentem probatum per teſtes innocentem, & illum occidendo mortaliter peccaret, & obligaretur ad reſtitutionem.

An Iudex cogere poſsit ad reſtituendum, quem priuatim nouit eſſe debitorem, quamuis in iudicio debitor probari nequeat?

BRACTEA IV.

R. Affirmativè; quia ſic faciendo fungitur officio ſuo, ex quo tenetur iniurias, & ſubditorum damna impedire, nec ad illa impedienda iuris ordinem ſeruare debet, ſicut enim creditor poſſet contra debitorem vti occulta compenſatione, & tertius aliquis conatum, & operam ſuam præſtare poſſit, vt creditori debita ſatisfactio exhibeatur, ita à fortiori videtur Iudex poſſe ſuam interponere auctoritatem, vt creditori debita ſatisfactio exhibeatur, etiamſi debitum in iudicio probari non poſſit, modo illud notum ſit, & compertum Iudici. Ita Clauis Regia *lib.*12. *cap.*8. *num.*26. Petrus Nauar. *lib.*2.*cap.*3.*num.*20.

An Iudex poſſit iudicare ſecundum probabilem opinionem probabiliore relicta?

BRACTEA V.

R. Iudicem inferenda ſententia ſequi poſſe opinionem probabilem relicta probabiliori. Ratio eſt, quia videtur prudenter agere ſequendo opinionem probabilem relicta probabiliori, dummodo probabilitas ſit circa ius, non autem circa factum, quia circa factum, tenetur ſequi, quod probabilius eſt. Secundò, quando adſunt opiniones æquè probabiles ex parte iuris, quia ſcilicet ius, ſeu lex illa, iuxta quam lis definienda eſt aliter ab aliquibus, aut aliis explicatur, itaut Iudex vtramque opinionem eſſe probabilem putet, tunc liberum eſſe Iudici ſequi opinionem, quam voluerit. Tertiò, ceſſante ſcandalo poſſe modo iuxta vnam, & modo iuxta aliam opinionem iudicare, etiamſi contraria ſententia eſſet probabilior, etſi cũ ſcandalo iudicaret adhærendo nunc vni, & nunc alteri opinioni peccaret quidem, ſed non obligaretur ad reſtitutionem, quia non dicitur violare ius gentium, ſequendo opinionem æque probabilem. Ita Reginaldus *lib.*23.*n.* 41. Sanchez *lib* 1.*cap.*9.*num.*41. & alii citati à Bonacina *de legib.diſp.*2.*quæſt* 4 *pun.*9.*num.*13 Quartò, quando opiniones ſunt æquè probabiles ex parte facti probabilius videtur dicendum, Iudicem debere rem æqualiter vtrinque adiudicare, componendo partes inter ſe, vel rem diuidendo inter partes, ſi res ſit diuiſibilis, aut diuidendo fructus, aut pretium ſi res ipſa non ſit diuiſibilis, quia hoc lumen ipſum naturæ dictare videtur, cum partes videantur habere æqualia iura, & merita nec in hac parte arbitraria Iudici concedantur. Ita Bannez 2.2.*quæſt.*63.*art.*4.*dub.*1.

An Iudex in cauſis criminalibus poſsit iudicare ſecundum opinionem probabilem relicta probabiliori?

BRACTEA VI.

Sciendum opiniones dici æquè probabiles ex parte facti, quando vtraque pars probat cauſam ſuam teſtimoniis æquè idoneis, vel ſcripturis æqualis auctoritatis; quando verò opiniones ex parte facti non ſunt æquè probabiles, ſed vna eſt probabilior altera, quia ſcilicet pars probauit cauſam ſuam teſtimoniis melioribus, & probabilioribus, Iudex tenetur iudicare iuxta opinionem probabiliorẽ, quia ex parte illius, pro quo ſtat opinio probabilior adſunt maiora merita, Iudex autem debet vnicuique iura tribuere iuxta merita, ne videatur acceptor perſonarum. Ita Clauis Regia *lib.*1. *cap.*11. *num.*13. Valentia 2.2.*diſp.*5 *quæſt.*7.*pun.*3. Salonius 2.2.*quæſt.*63. *contr.*2.*concl.*4. Sanchez *lib.*1.*cap.*9. Reginaldus *lib.*23. *num.*41. His poſitis.

R. Quando opiniones ſunt æquè probabiles iudicandum eſſe in fauorem Rei iuxta illud, in pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis, & iuxta regulam, cum ſunt partium iura obſcura Reo potius fauendum, quam actori. Ita Clauis Regia *lib.*1.*cap.*11.*num.*12. Arragon. 2.2.*quæſt.*63.*art.*4. & alii. Tum etiam, quia maximè Iudex debet cauere ne iniuſtè aliquid contra Reum ſtatuat, & quando ſunt opiniones æquè probabiles non potius faueret Reo, quam actori, & exponeret ſe periculo iniuſtè faciendi aliquid contra Reum, cum opinio probabilis ſit ſemper cum formidine oppoſiti, & principaliter, quãdo pœna criminalis eſſet grauis, vt mortis, vel mutilationis, &c. vt patet in adminiſtrandis ſacramentis quoties diuerſæ ſunt opiniones probabiles circa validitatem Sacramenti, miniſtrum debere amplecti opinionem probabiliorem, & magis tutam, ne ſubeat periculum faciendi Sacramentum irritum, quod cenſetur magis conforme dictamini rationis. Tum etiam, quia exponeret ſuſcipientem, Sacramentum periculo ſuſcipiendi Sacramentum irritum, cui poteſt conſulere electa opinione magis tuta, & certa, aut ſaltem ſubiret periculum priuandi ſuſcipientem fructu gratiæ.

An ſi Iudex ſtante varietate opinionum aliquid ab vna parte accipiat, vt in eius fauorem iudicet, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VII.

R. QVOD quando datur varietas opinionum, ita vt liberum ſit Iudici vtramlibet in iudicando ſequi eſſe contra iuſtitiam ſi aliquid ab vna parte accipiat, vt hanc ſequatur potius, & in fauorem eius poſtea iudicet. Vnde in tali caſu tenetur ad reſtitutionem. Ita Tannerus 2.2. *diſp*.4. *quaſt*. 6.*dub*.10.*num*.291. Verum ſi ius naturæ ſolum ſpectetur, non tenetur ad reſtitutionem, cum liberum ſit Iudici ſequi opinionem, quam maluerit, & ſi aliquid accipiat, vt potius vnam, quam aliam opinionem ſequatur, nullam facit iniuſtitiam. Tum etiam, quia non accipitur pro ferenda ſententia iuſta, ſed vt vna opinio alteri præferatur, ſolum ideò obligatur ad reſtitutionem iure poſitiuo. Ita Leſſius *lib*.2. *cap*.14. *dub*.9.*nu*.69. Secundò, in ſententia Iudicis duo conſiderari. Primò, quod ſit actio valde vtilis, & neceſſaria Reipublicæ egens multo labore, & examine actorum, & probationum, & magna auctoritate perſonæ, alterum quod ſit iuſta, ratione prioris aliquid à partibus accipi poteſt, ſi aliàs ſtipendium iuſtum Iudici non ſit aſſignatum; ſic enim debita eſt ei merces, *leg. iuſtitia*: ratione alterius nullum ei debetur ſtipendium, ſed ſuppoſito officio Iudicis gratis hanc actionem in ſua actione procurare debet, licet ſi inſtar muneris liberalis aliquid datum ſit, vt maiorem quam ſolet, quamque tenetur, diligentiam in cauſa adhibeat poteſt acceptum retinere. Ita Leſſius *lib*.2. *cap*.14 *dub*.9.*num*.64. & alii.

Quænam ſcientia requiratur in Iudice?

BRACTEA VIII.

R. REQVIRI illam ſcientiam, qua rectè ſciat ſuo munere fungi. Ita communiter Doctores. Ratio, quia quilibet ſcire tenetur, quæ pertinent ad proprium officium, ſine quorum cognitione ſuum munus, & officium exercere non poteſt. Vnde obligatur Iudex ex imperitia malè iudicando ad intereſſe parti læſæ & ad expenſas litis. Secundò Iudicem non poſſe mutare conſilium, ſeu ſententiam in alterius detrimentum, vel quando alteri datur ius quæſitum ex ſententia, ſeu conſilio dato, quia cum ius alteri quæſitum ſit, alteri inuito nemo poteſt auferre. Ita colligitur, *ex leg. nemo poteſt mutare*, & ita tradunt Thomas de Thom. *in floribus leg. regula* 186: Surdus *de alim. tit*.5.*quaſt*.3 *num*.39. & alii. Secundò, circumſcripto damno iuris tertio quæſiti mutare cōſilium in melius ſapientis eſt *leg. nonnūquam* vbi Gloſſ. *ff. de collatione bonorum* Rebuffus *in tract. nominat. qu*.17. *num*.4. Cardinalis Tuſcus *quart. concl. litt. M, conſ*.435. Surdus *conſil*.167.*n*.10. Sigiſmundus Acat. *de appellat. quaſt*.17.*limit*.47.*membr*.2. *num*.43. Tertiò, Confeſſarium, qui ſcit iudicem non habere ſcientiam requiſitam, vt officio ſuo rectè fungi poſſit debere illum admonere, vt ſe remoueat à tali officio, cum ſine peccato non poſſit officium Iudicis exercere, & obligari ad reſtitutionem damnorum, nec poſſe illum abſoluere, niſi promittat quamprimum officio ſuo renunciare, vel ſi non poteſt, ſaltem promittat accipere acceſſorem peritum, cuius conſilio vtatur ad ſententiam ferendam iuxta diſpoſitionem legum.

MALLEATIO LXXVIII.

De modo procedendi in iudicio.

De forma iuris, quam Iudex ſeruare debet?

BRACTEA I.

R. FORMAM iuris, quam Iudex ſeruare debet in ferenda ſententia in hoc conſiſtere, vt ſententia feratur iuxta diſpoſitionem legis, & iuris. *Cap*. 1. *de ſententia, & re iudicata*. Ratio eſt, quia ſententia eſt declaratio legis, & iuris in caſibus particularibus, & per conſequens ferri debet iuxta diſpoſitionem legis, & iuris, quia aliter non eſſet declaratio legis, & iuris, & per conſequens grauiter peccaret Iudex non iudicando iuxta diſpoſitionem legis, & obligaretur ad reſtitutionem damni ſecuti, quod alii hac de cauſa patiuntur. Vnde Iudex qui leges ignorat debet ſibi adiutorem eruditum quærere, cuius conſilio vtatur. Secundò, regulariter iudicem inferiorem debere iudicare iuxta verba legis. Ita auctores infra citandi. Ratio eſt, quia inferior in lege ſuperioris non poteſt diſpenſare. Tertiò, Iudicem ſuperiorem per ſe loquendo debere iudicare iuxta verba legis, quoties ſeruatis verbis legis nulla ſequitur iniuſtitia. Ita S. Thomas 2.2. *qu*.60. *art*.5. Arragon. Salonius *ibidem*, Valentia 2. 2. *tom*.3. *diſp*.5.*quæſt*.4.*pun*.2. Clauis regia *lib*.12. *cap* 9. *num*.3. Reginald. *lib*.25.*cap*.64.*num*.643. Ratio, quia licet Princeps non ſit ſubiectus legibus ſuis, nec ſuorum prædeceſſorum quoad vim coactiuam, & coerciuā, cum par in parem non habeat auctoritatem, tamen ex vi directiua legis naturalis, & ex quadam æquitate ad eas ſeruandas obligatur. Quartò, Iudicem aliquando poſſe iudicare non ſeruata verborum proprietate, vt ſi ita poſtularet Epicheia, aut ſi intentio Iudicis contraria ſit verbis legis, nam in his in legem peccat, qui verba legis amplexus contra legiſlatoris nititur voluntatem ex Iuriſconſulto *in leg. contraria, ff. de legib*. Vnde quando ſeruatis verbis legis, ſequitur alia iniquitas habita ratione loci, temporis, vel perſonæ non eſt iudicandum ſecundum verba legis, quia talis caſus cenſetur per epicheiam exceptus, & Iudicis intentio contraria eſt. Ita auctores citati. Verum inferior Iudex non debet à verbis legis recedere inconſulto Superiore, niſi periculum ſit in mora.

An ſententia lata à Iudice contra leges, ſeu non ſeruato iuris ordine obliget in conſcientia?

BRACTEA II.

SCIENDVM ſententiam tripliciter dici iniuſtam; Primò, quando procedit ex odio, & mala intentione; Secundò, quando eſt contra veritatem facti, & fundatur in mala præſumptione; Tertiò, quando fertur non ſeruato iuris ordine. His poſitis.

R. Sententiam primo modo iniuſtam validam eſſe, & obligare in vtroque foro. Ratio, quia nihil illi

eſſen-

eſſentialiter deeſt, nec aufertur ius alterius, nec vlli præterquam ſoli Iudici damnum infertur. Tum quia fertur à legitimo Iudice habente poteſtatem iudicandi, & ſeruata forma iuris. Secundò, ſententiam ſecundo modo iniuſtam non obligare in conſcientia etiamſi ſeruatus ſit ordo iuris, & lata ſit ſecundum allegata, & probata. Ratio eſt, quia ſententia eſt actus iuſtitiæ, & contra finem ipſius non obligat; cum autem finis iuſtitiæ ſit tribuere vnicuique ſuum ſequitur, ſententiam contra veritatem facti non obligare, cum per huiuſmodi ſententiam vnicuique ius ſuum non tribuatur, & quamuis non obliget in foro conſcientiæ, tamen obligat in foro externo, quia in foro externo non tam attenditur veritas facti, quam probatio iuridica, & ordo iuris. Ita plures citati apud Bonacinam *diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 4. *num.* 6. Tertiò, ſententiam tertio modo iniuſtam inualidam eſſe, nec obligare in conſcientia. Ratio eſt, quia ſententia in tantum valet, in quantum eſt conformis iuri, quia debet eſſe declaratiua iuris, & iuſti, & vnicuique tribuere ius ſuum; ſententia autem iniuſta tertio modo non eſt conformis iuri, nec tribuit vnicuique ius ſuum; ergo, &c.

Quibus modis Iudex poteſt procedere contra delicta?

BRACTEA III.

R. Conuenire interomnes Iudicem tribus modis poſſe procedere, per denunciationem, accuſationem, & inquiſitionem; tunc procedere via denunciationis, quando crimen tantum Iudici defertur, ſed qui defert non vult habere onus probandi, & hæc duplex eſt, vna extraiudicialis, vt ſi delictum aperiatur Superiori tanquam Patri, ne delictum committatur, quæ dicitur Euangelica, quæ tendit ſolum ad emendationem denunciati; altera verò eſt Iudicialis, quæ fit coram Superiore, & reſpicit ad punitionem delicti, vt pœna publica iniungatur delinquenti, vel ſatisfactio debita parti exhibeatur. Ita Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 21. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 25 *c.* 54. Ad quæ duo genera denunciationum omnes aliæ reuocari poſſunt. Via Inquiſitionis proceditur quando Iudex ſuperior ex officio procedit ad purgandam Prouinciam, vel ad inueſtigandum criminis commiſſi auctorem; & hæc triplex eſt, vna generalis, vt quando de perſona in communi quæritur; Secunda ſpecialis, vt quando de perſona particulari quæritur crimen aliquod particulare; Tertia mixta, quæ conſtat ex generali, & ſpeciali. Via accuſationis proceditur quando eſt aliquis actor, qui ſpondet ſe obiecta probaturum; in hoc enim differunt accuſator, & ſimplex denunciator, quod accuſatori incumbat onus probandi, denunciatori minimè.

Sciendum commodius poni tantum duos modos procedendi contra criminoſos: alterum ex officio, quando Iudex præcedente aliqua infamia, vel denunciatione capit informationem, & capit inquiſitionē contra auctorem, vt ſic ad plenam probationem, & ſententiam perueniat: alterum ad inſtantiam partis, quando pars offenſa, vel alius, ad quem id iure ſpectare poteſt, accuſationem porrigit, & Iudex ea admiſſa ſecundum eius probationes procedit: quando igitur Iudex agit ex officio, procedit per inquiſitionem, dum ad inſtantiam partis per accuſationem.

An quando Iudex procedit via inquiſitionis generalis debeat præcedere infamia perſonæ, vel delicti?

BRACTEA IV.

Sciendum infamiam iuxta Sotum *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 6. *art.* 2. Caietanum 2. 2. *quæſt.* 69. Clauis regiam *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 12. Reginaldum *lib.* 24. *num.* 40. & alios eſſe frequentem exiſtimationem, & vocem bonorum, & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine rationabiliter ſuſpectum reddunt, prudentis arbitrio relinquitur iudicare, qui numerus perſonarum ſufficiens ſit, & quæ exiſtimatio frequens dicenda, habita ratione perſonarum, loci, & temporis; non requiritur, vt teſtes oculati ſint, ſed ſatis eſt audiuiſſe à bonis viris, & fide dignis, vel habuiſſe ſufficientia indicia. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 152. & alii putant ad infamiam requiri maiorem partem populi, Parochiæ, vel viciniæ. At Salonius 2. 2. *quæſt.* 60. *art. controu.* 1. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 13. & alii putant relinquendum eſſe iudicio prudentis viri; Ratio, quia nihil de tali numero expreſſum eſt in iure; tum quia decem in magnis populis pauci videntur; multi verò in modicis; infamia autem eſt vox multorum. His poſitis

R. Quando Iudex procedit inquiſitione generali non eſt neceſſe, quod præcedat infamia perſonæ, vel delicti. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 13 Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 47. Nauar. *cap.* 18. *num.* 38. Clauis regia *lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 16. Reginaldus *lib.* 25. *nu.* 647. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 14. *pun.* 1. & eſt communis. Ratio, quia inquirendo inquiſitione generali ſine præuia infamia nulli fit iniuria, cum de nullo in particulari fiat inquiſitio; Tum quia ſic expedit bono Reipublicæ in communi, vt ſic procedatur, vt extirpentur peccata, & puniantur delinquentes, & licet hac inquiſitione generali detegantur occulti peccatores, quia id per accidens, & præter intentionem inquirentis fit, & bonum publicum præferendum eſt tali incommodo, in hoc caſu interrogati nō tenentur reuelare criminoſos occultos, de quibus infamia non præceſſit, & ſi hoc faciunt, agunt contra iuſtitiam ſi crimen ita eſt occultum, vt in iudicio probari non poſſit. Et communis opinio, vt colligitur ex Leſſio *loco cit. num.* 109. Ratio eſt, quia id, de quo nulla adhuc eſt fama, cenſetur occultum, & Iudicis poteſtas non ſe extendit ad elicienda occulta, quia ex hoc maxima incommoda Reipublicę ſequeretur, etiamſi Iudex ſub pœna excommunicationis perciperet, vel ſub iuramento, non obligatur interrogatus reuelare crimina occulta, quæ in iudicio probari non poſſunt, ſed poteſt vti reſtrictione mentali, & dicere ſe neſcire, intelligendo tacitè, vt teneatur patefacere. Secundò, quando cenſetur neceſſaria manifeſtatio ad emendationem perſonæ, vel ad impediendum crimen perpetrandum, tunc crimē licet occultum poteſt aperiri Superiori, non vt Iudici, ſed tanquam Patri, vt ſua prudentia, & auctoritate illum emendet. Tum etiam quando impendet aliquod malum ſpirituale, vel temporale, quod commodè auerti non poteſt, niſi Superioris opera, tunc enim non eſt habenda ratio famæ.

An quando crimen eſt publicum, & auctor ignoratur Iudex poſſit inquirere?

BRACTEA V.

NEGATIVAM ſententiam tenent Caiet. *quæſt.* 67 *art.* 1. & 2. Sotus *de ſecreto memb.* 2. *quæſt.* 6. *dub.* 4. & alij, niſi præcedat infamia, vel aliqua indicia. Ratio, quia Canones prohibent nè procedatur per inquiſitionem, niſi præcedat fama, aut indicia. *Cap. cum oporteat* 19. *de accuſat. & cap. inquiſit. & cap. qualiter, & quando.*

R. Cum Silueſtro *verbo correctio quæſt* 8. Nauarrus *cap.* 18. *num.* 40. Azorio *lib.* 13. *cap.* 16. Leſſio *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 14. & alijs, quod quando manifeſtum eſt crimen, poteſt Iudex generaliter de ipſo inquirere, quis illud fecerit, non autem in ſpecie particulariter, niſi de eo ſit aliqua fama, vel indicia. Ratio deducitur ex communi praxi Iudicum, tam eccleſiaſticorum, quam ſæcularium; Tum etiam, quia nulli fit iniuria, & niſi fieret populus grauiter offenderetur videns, Iudicem non inquirere auctorem aperti criminis; rationibus contrarijs reſpondetur in illis Canonibus agi de inquiſitione ſpeciali, non autem de generali. Secundò & ſi Iudex inquiſitione generali procedat, vt officio ſuo ſatisfaciat, interrogati, non tenentur reuelare reum, nec complicem, niſi præcedat infamia, vel indicia. Ita auctores citati. Ratio, quia Iudex non poteſt obligare, vt reuelent occultos peccatores, ſed ſolum eos, qui infamia aliqua laborant; Tum etiam, quia dum reus occultus eſt, habet ius ne coram alijs manifeſtetur, & ſic puniatur. Quod ſi crimen adhuc eſſet perpetrandum, vel continuandum, vel ſi ex eo graue damnum alicui impenderet, quod alia ratione non poſſet commodè auerti, interrogatus poſſet, & etiam deberet auctorem patefacere, & ſi omninò occultum, & nulla infamia laborantem; & Iudex poſſet opportuna remedia adhibere. Tertiò, compulſum à Iudice per cenſuras non teneri in generali inquiſitione delictum occultum manifeſtare, ſed teneri ea tantum manifeſtare, quorum auctores laborant infamia de tali delicto. Ratio eſt, quia interrogatus ſolum reſpondere debet circa ea, quorum Superior eſt legitimus Iudex: Superior autem non eſt legitimus Iudex eorum, quæ ſunt occulta, & nondum diffamata.

Quando Iudex procedit inquiſitione ſpeciali, quæ debeant præcedere?

BRACTEA VI.

R. IVDICEM non poſſe procedere per ſpecialem inquiſitionem tendentem ad punitionem criminum, niſi præcedat Infamia, vel clamoroſa inſinuatio. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 67 *art.* 3. & alij; & ita colligitur in *cap. inquiſit. parag.* 3. *de accuſat. & ex cap. qualiter, & quando.* Ratio eſt, quia Iudex quando ad punitionem nimirum procedit accuſatore opus habet, aut ſaltem confeſſione rei in iudicio, aut infamia, aut facti euidentia in conſpectu Iudicis, & aliorum, quæ quidem cenſentur ſubire loco accuſationis virtualis. Secundò, ad cauſandam infamiam non ſufficere duos, vel tres teſtes etiam iuratos, qui affirment ſe vidiſſe illud crimen, vt expreſsè habetur *cap. inquiſit.* ſed requiritur, vt rumor ſparſus ſit per maiorem partem viciniæ, vel Collegij, vel Vniuerſitatis, in qua commoratur. Ita Sotus *de ſecreto memb.* 2. Caietan. *quæſt.* 2. *art.* 2. Tertiò, ab hac doctrina excipi plures caſus: Primus ſi quis confeſſus ſit crimen in iudicio, etiam coram paucis, vt coram ſolo Iudice, & Notario, vt colligitur *ex cap. de accuſat. in* 6. nam talis confeſſio inducit notorium iuris. Secundus caſus quando Iudici per generalem inquiſitionem procedenti patefactus eſt auctor; Tunc enim poteſt contra eum procedere, & eſt communis ſententia iuris peritorum. Tertius caſus quando delictum commiſſum eſt coram Iudice, vt ſi teſtis deponat falſum in iudicio, ſi accuſator calumnietur, aut præuaricaretur, aut tergiuerſaretur. Ita Nauar. *num.* 88. Ratio, quia hæc crimina cenſentur valdè noxia bono publico eo, quod iuſtitiam iudiciorum publicorum euertant, aut impediant. Vnde meritò ex indicijs, & vehementi ſuſpicione contra procedi poteſt. Quartus caſus in crimine hæreſis, & Apoſtaſiæ, in his enim ſine accuſatore vero, vel ficto, & ſine præuia infamia inquiri poteſt. Nauar. *num.* 93. & colligitur ex *cap. excommunicamus* §. *adijcimus de hæreticis*. Quintus, & in crimine læſæ maieſtatis humanæ, vt conſtat per extrauagantem Federici Imperatoris, quæ incipit *Ad exprimendum*. Sextus quando inquiritur de morte domini contra ſeruum, vt ſi dominus inueniatur occiſus, & neſciatur auctor. Quartò, clamoroſam inſinuationem eſſe vocem totius populi, vel publicum rumorem inter multos de tali crimine extrà iudicium. Ita Nauar. *cap. inter verba quæſt.* 3. *concluſ.* 6. *num.* 697. Salonius 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 2. *contr.* 1. & alij. Tertiò, indicia ſunt ſigna, & circumſtantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiliter inquiramus de actibus aliorum: Sunt autem indicia in triplici differentia, alia ſunt leuia, quæ ſufficiunt ad capiendum reũ ne fugiat, quamuis non ſufficiant ad examinandum: alia ſunt indicia grauis, & hæc ſufficiunt ad citandũ, & examinandum: alia ſunt indubitata, & hæc non ſolum ſufficiunt ad examinandum, verum etiam ad torquendum reum, vel ad deferendum illi iuramentum, nam delatio iuramenti eſt veluti quædam tortura. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 26. & 27. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 13. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 42. Iulius Clarus *lib.* 5. *quæſt.* 21. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. & alij. Sextò, ſemiplenam probationem eſſe dictum vnius teſtis oculati, vel alius fide digniſſimi legitimè deponentis cum iuramento; & hic teſtis dicitur omni exceptione maior. Ita Tuſcus *tom.* 8 *concluſ.* 282. Teſtis omni exceptione maior dicitur, qui cum iuramento deponit ſe vidiſſe crimen, quoties criminis perpetratio cadit ſub viſum, vel qui deponit ſe crimen audiuiſſe, quoties teſtificatio criminis non cadit ſub viſum, ſed ſub auditum, vt eſt crimen hæreſis, vel blaſphemiæ, licet etiam ſub alia ratione poſſit quis appellari teſtis exceptione maior, vt oſtendit Cardinalis Tuſcus *loco cit. concluſ.* 253.

An quando Iudex procedit inquiſitione mixta debeat præcedere infamia, aut indicia?

BRACTEA VII.

R. QVANDO Iudex procedit per inquiſitionem mixtam, quia inquiritur ſpecialiter de perſona, & generaliter de crimine debere præcedere infamiam, vel ſemiplenam probationem, aut accuſationem, vel ſaltem manifeſta indicia iuxtà receptam loci conſuetudinem. Ita Bonacina *diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 5. *propoſ.* 3. & alij. Ratio, quia aliter faciendo eſſet periculum infamandi perſonam, & ob id ratio naturalis dictat, ne ſecreta, & occulta pu-

blicè

blicè indicentur, & per conſequens non poteſt ſpecialiter requiri contra aliquem, niſi præceſſerit infamia, vel ſemiplena probatio, & accuſatio, vel ſaltem manifeſta indicia. Secundò, quando quæritur per inquiſitionem mixtam de auctore criminis in communi non requirit infamiam delinquentis, aut ſemiplenam probationem, aut accuſationem. Ratio, quia per huiuſmodi inquiſitionem nulli fit iniuria; & hæc eſt praxis tam Eccleſiaſtici, quam Sæcularis fori. Ita Molina *tom. 3. diſp.* 47. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 10. Salonius 2. 2. *quæſt.* 69. Arragonius, & Bannez *ibidem quæſt.* 70. Reginald. *lib.* 29. *num.* 652.

De modo procedendi per accuſationem, & denunciationem.

BRACTEA VIII.

R. IVDICAM procedere via accuſationis iuridicè quoties delata accuſatione interrogat teſtes, & poſteà habita ſaltem ſemiplena probatione procedit poſteà ad interrogandum reũ. Ratio, quia pauciores teſtes requiruntur ad interrogandum, quam ad condemnandum, & ad condemnandum ſufficit plena probatio, quæ fit per duos, vel tres teſtes omni exceptione maiores, iuxtà illud Matthæi, *In ore duorum, vel trium ſtet omne verbum*; ergo ad interrogandum reum ſufficit ſemiplena probatio. Ita Em. Sà *verbo Iudex num.* 1. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 27. & alij. Secundò, Iudex via denunciationis iuridicè procedit, quoties crimine de aliquo ad ſe delato ex officio procedit ad capiendas informationes, & examinandos teſtes nominatos à denunciatore, vel alios, quos ipſe Iudex inquirendo ex officio comperit informatos. Quibus poſitis legitimè procedit ad examinandum delinquentem: hic eſt communis vſus, & praxis. Azorius *cap.* 21. *&* 25. *dub.* 3 Iulius Clarus *lib.* 5. *quæſt.* 7.

Quibus modis Iudex inquirere poſſit?

BRACTEA IX.

R. MVLTIS modis Iudicem poſſe inquirere: Primus modus, ſi delictum ſit notorium, & auctor ſi occultus: Secundus, ſi notorius ſit auctor; dicitur autem notorius ſi per duos teſtes probetur ex Gloſſ. *in cap. Deus omnipotens*: Tertius ſi fama de auctore ſit, in hoc, & præcedenti caſu debet Iudex primò informationem capere, an auctor ſit notorius, & an fama ſit de illo, ad quam probandam ſufficiunt duo teſtes, qui teſtentur ſe publicè audiuiſſe, vel ita paſſim dici nominando à quibus audiuerint, vt appareat habere ortum à probis viris, & teſtes non fingere. Vnde ſi non nominarent eos, non probarent famam in criminalibus; deinde ea habita ſi infamatus eſt præſens, debet Iudex informationẽ capere de veritate criminis, & ſi fateatur, procedat ad punitionem; ſin minus, inſtitutionem ſpecialem contra ipſum formet, & ſi abſens, debet illum citare, & ſignificare illi de inquiſitione facienda contra eum de tali crimine, de quo eſt infamatus.

Sciendum, quod proceſſus factus per inquiſitionem ſpecialem abſque præuia informatione de infamia valet, ſi reus non exceperit, & ſi excipiat, Iudex proſequatur, ſi is appellet, non valebit proceſſus, quia per appellationem Iudicis poteſtas ſuſpenditur. Quartus, ſi ſit communis ſuſpicio de auctore, quia hæc ſupplet vicem infamiæ. Quintus, ſi ſint indicia probata in iudicio, quia hæc poſſunt pro infamia, & accuſatore haberi. Sextus, quando eſt ſemiplena probatio, vt ſi crimen ipſum ſit notorium, & ſit vnus teſtis exceptione maior, de auctore, quia hic ſupplet vicem infamiæ. Septimus, ſi pars offenſa quærelam inſtituat, & indicia, & teſtes; tunc enim Iudex poteſt ab illis informationem de plano, & abſque ſtrepitu accipere, & citare criminoſum, & contra eum inquiſitionem ſpecialem facere. Octauus, ſi publicus Officialis, vel alius denunciet iudicialiter ſignificando indicia, & teſtes. Nonus, ſi pars obijciat crimen teſti, vt excipiat contra illum, & id ſaltem ſemiplenè probet, tunc Iudex poteſt inquirere contra eum, ſi ad eius iuriſdictionem pertineat, & illa probatio efficit illum ſuſpectum, & eſt ad inſtar infamię. Decimus, ſi quis ciuilem actionem intentans, vt ſibi damnum reſarciatur ex delicto, vt ex incendio, furto, &c. tunc Iudex poteſt contra eum inquirere veluti notorium. Vndecimus, ſi delictum ſit commiſſum in iudicijs, vt ſi teſtis falſum deponat, accuſator calumnietur, & quia hæc delicta ſunt valdè noxia bono publico, & ex vehementi ſuſpicione contra ea procedi poteſt. Duodecimus, ſi reus, vel teſtis incidenter confeſſus ſit in iudicio; duo tamen notanda ex Leſſio *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 16. Iudicem quotieſcunque procedere poteſt in officio, poſſe etiam conſtituere Fiſcalem loco accuſatoris, qui partes accuſatoris accipiat, ſi ordinarius Fiſcalis non ſit conſtitutus. Secundo, non poteſt formare libellum inquiſitionis contra reum, niſi præcedant indicia ſufficientia ad ipſum interrogandum, ſi præſens eſſet, & è conuerſo ſi præſens eſt, non eſt iuridicè interrogandus, niſi adſint indicia ſufficientia ad inquiſitionem contra abſentem.

An Iudex poſſit relaxare pœnam à lege taxatam?

BRACTEA X.

R. IVDICEM Inferiorem ordinariè loquendo; non poſſe relaxare pœnam à lege taxatam. Ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 4. Arragon. Bannez, & Salonius *ibidem*, Molina *tom* 5. *tractat.* 3. *diſp.* 48. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 11. *pun.* 4. Toletus *lib.* 5. *cap.* 50. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 655. & alij. Ratio, quia Iudex inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris, etiamſi pars conſentiat.

Sciendum pœnam duplicem eſſe, vnam certam; & alteram arbitrariam. Prima, nullo modo relaxari poteſt, præſertim cum pars læſa vel accuſator non remittit, alioquin fieri in parte habente ius petendi ſatisfactionem, *leg. taxatam iniuria.* Ita Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 23. *dub.* 3. *&* 4 Clauis regia *cap.* 12. *num.* 8. & alij citati à Bonacina *diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 7. Secunda minui poteſt, vel augeri intra terminos æquitatis pro varietate temporum, locorum, & perſonarum arbitrio Iudicis, *leg. quid ergo ff. de his, qui notantur infamia*: Rurſus alia eſt pœna, quæ iniungitur ob bonum publicum, alia, quæ iniungitur in ſatisfactionem partis læſæ; Prima non poteſt remitti, alioquin fieret iniuria Reipublicæ; Secunda poteſt remitti conſentiente parte læſa, quia volenti, & conſentienti nõ fit iniuria. Ita Menoch. *lib.* 1. *de arbit. quæſt.* 86. Farinac. *de inquiſit. quæſt.* 17 *num.* 91. Sotus *lib* 5. *de iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 4. Azorius *loco cit.* Secundò, quando lex non determinat pœnam delinquenti infligendam, ſed eam arbitrio Iudicum relinquit, poteſt eam Iudex iuxtà ſuum prudens iudicium imponere, quam

maluerit, quamquam ad miſericordiam magis, quam ad ſeueritatem inclinare debeat.

An Iudex, qui non condemnauit reum pœna taxata, teneatur ipſam reſtituere cui eſſet applicanda?

BRACTEA XI.

R. NEGATIVE; Ratio eſt, quia pœna non debetur ante Iudicis condemnationem. Et ita tenet Granado *part.* 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *part* 1. 1. *diſp.* 13. *ſect.* 2. *num.* 8. Vaſquez *in* 1. 2. *tom.* 2 *diſput.* 168. *cap.* 4. *num.* 30. Salas *de legib. diſp.* 13. *ſect.* 8. *num.* 105. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. *num.* 72. Em. Sà *verbo reſtitutio num.* 46. *verb. pœna num.* 14. & alii. Vnde cum reus non fuerit condemnatus in aliquam pœnam, ſed abſolutus, nec Iudex etiam tenetur ad reſtitutionem, cum non cenſeatur intuliſſe damnum, cui applicanda erat, cum non habuerit ius, niſi poſt ſententiam. Secundò, Iudicem peccare mortaliter, dum commune bonum Reipublicæ poſtulat aliquē occidi reum, ipſum liberando, immò Iudex fit reus omnium malorum, quæ ſequuntur ob rei deliberationem. Ratio, quia tenetur ex officio conſulere bono communi, & damna Reipublicæ impedire, ille autem, qui damna non impedit, cum teneatur ex iuſtitia impedire, non ſolum grauiter peccat, verum etiam damna, quæ ſequuntur, ipſi imputantur. Nauar. *cap.* 23. *num.* 14. Arragonius 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 4. Salon. *ibidem*, Couar. 2. *var. cap.* 9. *num.* 2. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 6. Molina *tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 48. *num.* 3.

An Iudex poſſit condonare pœnam illi, à quo ipſe veritatem criminis commiſſi extorſit, promiſſa impunitate, &c.

BRACTEA XII.

R. DVPLICEM eſſe ſententiam; Prima affirmat poſſe condemnare ad pœnam debitam, v.g. ad mortem, quia Iudex non tenetur illam promiſſionem ſeruare, vtporè perniciosam Reipublicæ, & reus ſibi debet imputare, quod tali promiſſioni fidem præſtiterit. Ita Clarus *lib.* 5. *quæſt.* 55. Negatiuam ſententiam tuentur Reginaldus *lib* 25. *n.* 135. Nauar. *lib.* 2 *cap.* 3. *num.* 242. Salon. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. Em. Sà *verbo iudiciales actus num* 18. Couar. 1. *variar. cap.* 2. *num.* 19. Antonius Gomez *tom.* 3. *var. reſolut. cap.* 12 Dec. *tract. crimin. lib.* 7. *cap* 45. Farinacius *in praxi crimin part.* 3. *quæſt.* 81. *num.* 276 *& num.* 280. & alij aſſerentes, Reum in eo caſu puniri non poſſe, niſi adſint alia indicia ſufficientia, coniecturæ, & præſumptiones commiſſi criminis, aut niſi reus deſtitutus ſpe promiſſionis adhuc perſeueret in confeſſione criminis, aut niſi alioquin magnum immineat Reipublicæ damnum. Ratio eſt, quia illa confeſſio fuit extorta per dolum, & conſequenter non videtur ſufficiens ad condemnationem. Secundò, talem Reum aliquando puniri poſſe, vt ſi magnum immineat Reipublicæ damnum, & ad illud auertendum neceſſaria ſit punitio, quia bonum publicum præferendum eſt priuato. Ita Reginaldus *lib.* 24. *num.* 133. Farinacius *loco cit. num.* 137.

An Iudex teneatur ad reſtitutionem hæredibus ſi poſtquam præter ordinem iuris crimen, vel extorſit, vel deprehendit, reum condemnat?

BRACTEA XIII.

R. IVDICEM obligari ad reſtitutionem condemnando perſonam non ſibi ſubditam, aut in crimine exempto. Ratio, quia manifeſtè facit ei iniuriam, cum non habeat ad id auctoritatem, & ſi dignus erat morte; vnde ſi illi iniuriæ aliquod damnum eſt coniunctum remanet obligatio reſtituendi. Quod ſi proprius Iudex condemnati ratum habeat factum, ſeu ipſum approbat ille liberatur ab obligatione reſtituendi. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quod Iudex proprius ratum habet alterius iudicium cenſet ipſum tanquam à ſe factum, & proinde liberat ipſum ab obligatione reſtituendi. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 18. *num.* 121. & alij. Secundò Iudicem ob non ſeruatum iuris ordinem, etiam obligari ad reſtitutionem, quia fecit iniuriam Reo, ideòque tenetur ad reſtitutionem, quod ex pluribus capitibus contingere poteſt: primò ſi ex priuata ſcientia condemnet reum: ſecundò, ſi cognitio criminis ſit extorta per iniuriam. Ita Sotus *de ſecret. membr.* 1. *concluſ.* 5. Nauar. *cap.* 18. *num.* 59. & alii. Secundò, multis modis extorqueri poteſt per iniuriam: primò, ſi Iudex inquiſitionem incohet nulla præcedente infamia, aut denunciatione iuridica: ſecundò, ſi metu tormentorum, vel tormentis expreſſit, cum tamen non eſſent indicia idonea ad torquendum, & ſi dolo induxit promittens impunitatem, quia iniuria paria ſunt confeſſionem eſſe factam dolo; & metu, vtraque .n. eſt per iniuriam elicita. Ita Gomez *cap.* 12. *num.* 6. & Clarus *quæſt.* 55. Tertio, ſi pecuniam extorſit, quam non poterat ob exemptionem. Quartò, ſi confugiētem ad locum ſacrum extraxit contra ius, tunc enim tenetur illum reſtituere in illum locum, nec poteſt vlterius progredi, niſi legitimè in eius poteſtatem deueniat.

Sciendum quod ſi alia via Iudex poterat eum dānare iuridicè non tenetur ad reſtitutionem, quia tunc non in re ipſa, ſed ſolum in modo ferendi damnum iniuria commiſſa eſt, cum idem damnum alia ratione inferre poſſet, & per conſequens non obligatur ad reſtitutionem damni, quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad modum. Secundò, ſi Iudex erraſſet in aliquo, in quo Princeps poſſet diſpenſare, quia tunc remittere poteſt Iudici reſtitutionem. Tertiò, quando Iudex contra iuris ordinem procedentem reum fecit confiteri crimen, curare debet ne ei damnum ſequatur, aliter tenebitur ad reſtitutionem.

An Iudices obligentur ad reſtitutionem, ſi aliquid accipiunt?

BRACTEA XIV.

R. IVDICES habentes certum ſtipendium non poſſe aliquid accipere pro ſtipendio, & ſi aliquid accipiunt obligari ad reſtitutionem. Eſt communis Doctorum apud Molinam *diſp.* 83. Reginald. *lib* 25 *num.* 659. Nauar. *cap* 17. *num.* 33. Ratio eſt, quia cum habeant iuſtum ſtipendium tenentur ex iuſtitia pro eo pretio officium exercere; ſi ergo plus accipiunt, iniuſtè id agunt, atque adeò obligantur ad reſtitutionem. Secundò, ſi non habeant certum, & iuſtum ſtipendium poterit accipi incrementum

mentum vſque ad limites iuſti pretii, maximè ſi conſuetudine ſit iam introductum, & ſimiliter quando pretium non eſt certum poſſunt accipere, quod iuſtũ eſt arbitrio prudentis. Tertiò ſi quis petat à Iudice, vt aliquid faciat vltra id, quod tenetur ex ſuo munere, vt v. g. vtatur maiori diligentia, &c. poſſe pro eo moderatum, & iuſtum ſtipendium accipere vltra proprium. Ratio, quia illud onus cenſetur appretiabile pepunia, & ad id non obligatur ex iuſtitia, & ratione officii. Quartò, Iudicem Eccleſiaſticum habentem beneficium, cui annexa eſt iuriſdictio ad aliquid agendum non poſſe aliquid accipere; etiamſi beneficium ſit tenue, quia beneficium datur propter officium, & conſequenter datur ad ſupplenda onera beneficio adnexa, & beneficiarius eo ipſo, quod beneficium acceptat, videtur etiam acceptare onera illi adnexa, & loco ſtipendii recipit fructus beneficii. Ita Nauar. *cap.25. num.*12. Clauis regia *lib.* 12. *cap.*13. *num* 9. *&* 10. Siluester *verb. Iudex quæſit.* 10. Angelus *verbo Iudex num.*16. Quintò, Iudicem Eccleſiaſticum non poſſe aliquod ſtipendium, vel expenſas pro acceſſore, Notario, & aliis officialibus accipere, nam beneficium obtinuit propter officium, cum autem officium ipſius ad ſui executionem requirat acceſſorem, &c. Iudex ordinarius debet acceſſorium, &c. ſuis ſumptibus adhibere, vt ſuum præſtet officium; delegatum verò poſſe petere ſtipendium pro acceſſore, aliiſque officialibus, modo non petat mala fide, vt ſi acceſſor inutilis ſit; Iudex verò ſæcularis, tam Ordinarius, quam Delegatus poteſt aliquid pro acceſſore, notario, aliiſque officialibus accipere, quia redditus aliunde non habet.

An Iudices poſſint accipere à litigantibus aliquid in cibo, & potu?

BRACTEA XV.

R. Talia munera poſſe accipi à quocũque Iudice tam Eccleſiaſtico, quam ſæculari, tam Ordinario, quam Delegato. Ratio, quia nullo iure cenſetur prohibita eorum acceptio; tum quia ſolent dari in parua quantitate, & per conſequẽs animum Iudicis ad iniquè iudicandum corrumpere non conſueuerunt. Ita Siluester *verbo Iudex quæſit.*8. Tabiena *eod. verb. num.*8. Caietan. *in ſum. verb. Iudicis peccata*, Reginaldus *lib* 25. *num.*619. Farinac. *part.*3. *criminal. quæſt.* 11. *art.*13. *num.*337. Secundò, iudicem ſæcularem poſſe petere expẽſas, quas facit dum proficiſcitur extra domicilium, & domum, nam compenſatio expenſarum iuſta eſt, nec ratio naturalis dictat Iudicem aſtringi ad expenſas, quas in aliorum vtilitatem facit; Iudex verò Eccleſiaſticus non poteſt accipere expenſas, dum proficiſcitur extra domicilium ad locum ſuæ iuriſdictionis, nam habet beneficium pro officio, & fructus beneficii pro ſtipendio, & expenſis accipit, exceptis tamen duobus caſibus: primus, quando Epiſcopus proficiſcitur extra Diœceſim ad viſitandam prouinciam. *Cap. cum Apoſt. de cenſib.* Secundus, quando accedit ad conſecrandam aliquam Eccleſiam. *Cap. cum ſit Romana de ſimonia*; cum enim hic ſit labor extraordinarius iure optimo indulgeri potuit facultas accipiendi expenſas moderatas, non habita ratione expenſarum, quas domi feciſſet. An verò Iudices Delegati Eccleſiaſtici poſſint expenſas accipere, controuerſia eſt inter Doctores, nam Siluester, Angelus, Azorius, & alii putant Iudicem delegatum ad ſpecialem cauſam poſſe accipere; ſecus ſi delegatus ſit ad vniuerſitatem cauſarum. At reſpondeo, nec delegatum in ſpeciali cauſa poſſe aliquid accipere, præciſa tamen conſuetudine in contrarium, iuxta Gloſſ. *cap. ſtatutum*, quia ſicut Ordinarius non poteſt eas accipere, ita nec eius delegatus, & ſicut non poteſt accipere ſtipendium, ita nec expenſas. Bonacina *diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.*8. *propoſ.*2.

An ſi Iudex aliquid accipiat pro ferenda ſententia iuſta obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XVI.

R. Affirmativè. Ratio eſt, quia Iudex ex iuſtitia obligatur dare ſententiã iuſtam, & qui aliquid, accipit ad faciendum id, quod ex iuſtitia iam tenetur, obligatur ad reſtitutionem. Tum etiam, quia quod accipitur pro opere debito ex iuſtitia, accipitur per tacitam iniuriam ob metum iniuriæ prouenientem ab eo, cui datur pecunia. Ita Medina *cod. de reſtit. quæſt.*2. *dub* 2. Rebellus 2. *part. lib.* 18. *quæſt.*20. Petrus Nauar. *lib.*4. *cap.*2. *num.*97 Vaſq. *cap.*7. *dub* 6. Leſſius *lib.*2. *cap.*14 *dub.*9 *num.* 63. Secus autem ſi detur ſolum ad alliciendum animum Iudicis ad ferendam ſententiam iuſtam, aut ex mera liberalitate, nam in tali caſu Iudex poteſt recipere, nec tenetur receptum reſtituere. Ita Suarez *in encherid. caſuũ conſcientiæ lib.*5. § *cui reſtituen.* Dian. *tract* 6. Miſcel. *reſolu.*4. Secundò, reſtitutionem faciendam eſſe tradenti. Ratio, quia tradens non eſt factus incapax ad recuperandum, & alter accepit inuito tradẽte. Ita Vaſquez *cap.*7. *dub* 9. cum aliis ab ipſo citatis. Si verò Iudex nullum habeat ſtipendium aſſignatum à Republica, vel à Superiore poteſt aliquid accipere pro ferenda iuſta ſententia. Ratio conſtat ex ſupradictis.

MALLEATIO LXXIX.

De Accuſatore.

Quid ſit accuſatio, & quas requirat ſolemnitates?

BRACTEA I.

R. Accuſationem eſſe delationem rei de crimine ad vindictã publicam libello factam; vt docet Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 14. *num.*11. Leſſius *lib.*2. *cap.*30. *dub.*1. Azorius *lib.*13. *cap.*19. ex Iulio Claro *practicar. ſententiar. quæſt.*112.

Sciendum ad ipſam faciendam iure communi plura requiri: Primò, vt fiat in ſcriptis: Secundò, vt exprimatur dies, & annus, quo intentatur: Tertiò, nomen accuſatoris, & accuſati: Quartò, ſpecies delicti: Quintò, locus, & etiam tempus, nempè annus, & menſis quo delictum commiſſum eſt: Sextò, inſcriptio accuſantis, qua accuſator ſe obligãt ad pœnam talionis. Secundò, inter denunciationem, & accuſationem hanc eſſe differentiam, quod accuſatio ſemper datur in ſcriptis, cum ſolemnitatibus recenſitis, in denunciatione verò non ſunt neceſſariæ prædictæ ſolemnitates, nam denunciatio fieri poteſt ſolis verbis; præterea denũciator non ſe ſubiicit pœnæ, talionis ferendæ, nec tenetur probare crimina,

quæ denunciat; accuſator verò ſuſcipit in ſe onus probandi. Ita Azorius *cap.12.* Clauis regia *lib.12. cap.14.* & alii communiter.

An Accuſator debeat præmittere correctionem fraternam ante accuſationem?

BRACTEA II.

R. Regulariter non eſſe præmittendam ante accuſationem correctionem fraternam ex iuſtitia, quando crimen probabile eſt iudicio, ſed poteſt ſine iniuria accuſationem inſtituere. Ratio eſt, quia finis accuſationis non eſt emendatio delinquentis, ſed punitio, vt exemplo vnius alii deterreantur, ne adſint malefactores, & ne pax Reipublicæ turbetur. Dixi regulariter, quia aliquando præmittenda eſt correctio, quando ex accuſatione plus damni timetur, quam ſperetur boni, vel quando delictum eſt occultum, & ex præmiſſa monitione ſpes adeſt emendationis, nam maius bonum ex charitate præferendum eſt minori, excipienda tamen ſunt aliqua crimina, contra publicum bonum, in quibus charitas non obligat, præmittendam eſſe correctionem fraternam, vt hæreſis, falſificatio monetæ conſpiratio in Principem, & ſimilia; periculum .n. quod imminet pluris æſtimandum eſt, quam priuatum illud bonum; quando tamen certo conſtaret omne periculum caueri poſſe priuata admonitione, poſſe præmitti; ſecus autem eſt in alijs delictis, ex quibus non impendet incommodum, niſi ipſi peccatori, vel alteri priuato.

An quis poſſit aliquem accuſare de iniuria ſibi illata?

BRACTEA III.

R. Licitum eſſe accuſare aliquem de iniuria ſibi illata. Ratio, quia accuſatio eſt actus virtutis iuſtitiæ, ſed actus iuſtitiæ ſi debito modo fiat licitus eſt; ergo accuſatio ſi debito modo fiat licita eſt, ſecluſa vindicta, & odio. Et eſt ſententia communis Doctorum. Et ita S. Thomas *quæſt 68.* Caietan. Bannez *ibidem,* Sotus *lib.5. de iuſtit. quæſt. 5.* Nauar. *cap.25.* Secundò, licet ſit licitum accuſare aliquem de iniuria illata, tamen non quempiam teneri ſaltem de iniuria ſibi illata accuſare, vt patet ex illis verbis Matthæi 6. *Dimitte nobis debita noſtra ſicut, & nos dimittimus, &c.* & Rom.12 *Non nos defendentes, &c.* non ergo eſt obligatio ad contrarium. Tum quia lex ciuilis ita habet, *leg. vnica cod. vt nemo inuitus agere, vel accuſare cogatur.*

Quæ requirantur ex parte accuſatoris, vt accuſatio ſit licita?

BRACTEA IV.

R. Tria cauenda eſſe ab accuſatore, calumniam, præuaricationem, & tergiuerſationem. Ita S. Thomas *quæſt. 68 art 3.* Sotus *de ſecret. membr. 2. quæſt. 5.* & alij cum Sayro *cap. 5. nu. 12.* Calumnia eſt impoſitio falſi criminis ex malitia, & ſcienter ſiue ſit in cauſa criminali, ſiue ciuili, vtrobique peccatum, & inducit obligationem reſtitutionis arbitrio boni viri. Calumniator dicitur, qui verum crimen, ſed quod probari non poteſt in iudicio ſciēter obijcit alteri eodem modo obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti; item ſi in ciuilibus rem ſibi debitā peteret modo indebitā, & adhibitis falſis inſtrumentis, & falſis teſtibus, &c. & ſi ea ratione rem ſuā tantum recuperet, peccabit tantum contra charitatem, non contra iuſtitiam. Nauar. *cap.25. nu.32.* Toletus *lib 5 cap 57.* & alij. Præuaricatio eſt quando quis cum fraude abſcondit crimina, de quibus accuſatio propoſita erat, diſſimulando, & inducendo veras probationes contra eum, vel acceptando falſas exceptiones, vt vincatur; & ſi id fiat in cauſis criminalibus præter peccatum mortale aderit obligatio reſtituendi. Ita S. Thomas *quæſt. 68. art. 3.* in ciuilibus autē, quia tantum ſolet intendi proprij iuris conſecutio cum quiſque renunciare poſſit ſi velit, liberum illi erit deſiſtere ea ratione à cauſæ proſecutione ob lites, & diſpendia, ſicut liberum illi erat eam incohare. Tergiuerſatio eſt, quando abſque iuſta cauſa deſiſtit quis ab accuſatione obligante eum ratione boni communis, vel præcepto Iudicis procedentis in cauſa ex officio. Dixi abſque iuſta cauſa, quia in cauſa propria ſi in proceſſu cognoſceret erraſſe ex metu iuſto, & propter Principis auctoritatem, & imperium poſſet vti tergiuerſatione.

An qui non accuſat delinquentem, peccet, & teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA V.

R. Eum, qui non accuſat delinquentem contra bonum publicum, vel priuatum, peccare mortaliter contra Charitatem, ſed non obligari ad reſtitutionem, modo non teneatur ex officio accuſare. Ratio cur mortaliter peccet contra Charitatem eſt, quia quilibet tenetur ex Charitate proximo ſuccurrere grauiter egenti, cum quilibet Deus mandauerit de proximo ſuo; quod non obligetur ad reſtitutionem patet, quia talis obligatio oritur ſolū ex violatione iuſtitiæ. Qui verò obligantur ex officio accuſare delinquentes non accuſando, peccant mortaliter contra iuſtitiam, & obligantur ad reſtitutionem; quia qui non facit, quod ex officio tenetur facere, peccat contra iuſtitiam, & ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi. Ita Salonius 2. 2. *quæſt. 68. art. 1.* & alij. Secundò, in cauſa ciuili nullum teneri ſub præcepto accuſare; Ratio, quia quiſque poteſt renunciare ius ſuum; Tertiò, in criminalibus de crimine pernicioſo, cuius damnum alia ratione impediri nequit, accuſare aliquis obligatus eſt, licet plerumque ſufficiat denunciare iudicē, vel canonicē: Plerumque dico, quia interdum contingere poteſt; vt bono communi non ſatis prouideatur, vel perſonæ particulari, niſi contra reum proceſſus iudicialis inſtituatur, tunc lege Charitatis obligatur denunciare, vt impediat damnum Reipublicæ, vel priuato imminens, quando alia via impediri non poteſt. Quartò, quando crimen peractum eſt, ſiue ſit contra priuatam perſonam, ſiue publicam, etiamſi teſtes habeat, quibus probare poſſet, nullus tenetur accuſare, vel denunciare iudicē. Ratio, quia vindicta criminis peracti non ſpectat ad priuatam perſonam, ſed publicam. Quintò, de alijs criminibus non pernicioſis in futurum nemo accuſare obligatur, ſicut conſtat *ex leg. vnica Cod. vt nemo inuitus agere, &c.* Similiter etiam quando crimen non eſt in damnum tertij, etiamſi nondum ſit factum, & accuſatione impediri poſſit, nemo tenetur ad accuſandum, ſed

tantum

tantum ad corripiendum ſi ſpes ſit emendationis. Ita Saytus *lib.* 12. *cap.* 16. *num.* 9. & alij.

An qui non denunciat, cum teneatur ex officio, obligetur ad ſoluendam pœnam, quam delinquens ſoluiſſet, ſi denunciatus fuiſſet?

BRACTEA VI.

AFFIRMATIVA reſpondet Petrus Nauarrus *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 142. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 20. *dub.* 3. Salonius *loco cit. queſt.* 78. Arragonius *ibidem*, Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 18. Ratio, quia non accuſando violauerunt iuſtitiam, ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi. Sed R. Non obligari ad reſtitutionem. Ita Nauarrus *cap.* 20. *num.* 34. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. *nu.* 72. Silueſter *verb. reſtitutio* 3. *queſt.* 5. Corduba *in ſumm. queſt.* 66. & alij. Ratio eſt, quia pœna non debetur niſi poſt ſententiam, & ſicut qui defraudarunt vectigalia, non tenentur ex iuſtitia ad ſoluendam pœnam ante Iudicis ſententiam, ita neque videntur teneri, qui non accuſauerunt ante ſententiam, niſi fortè ſpeciali pacto ita ſe obligaſſent. Ita Vaſquez *cap.* 7. *de reſtitut.* Molina *diſp.* 739. & alij. Tertiò, teneri ad reſtituendum damnum, quod contingit Reipublicæ, vel tertiæ perſonæ ob ommiſſam delinquētis denunciationem. Ratio, quia peccarunt contra iuſtitiam cum damno Reipublicæ, vel priuatæ perſonæ non denunciando, quos ex officio tenebantur denunciare; quare qui non denunciauit defraudantem vectigalia pro mercibus, quas defraudator tranſtulit non ſoluto vectigali, tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti.

An accuſator poſſit deſiſtere ab accuſatione incepta?

BRACTEA VII.

R. POSSE, & debere deſiſtere, ſi deprehendit ſe erraſſe, cum putauit aliquem eſſe auctorem criminis, vel ſi res incipit eſſe dubia perſeuerante dubio poſt diligentem inquiſitionem, vel denique ſi videt ſe probare non poſſe, quia tunc pergere in accuſatione eſſet calumniari. Secundò, poſſe accuſatorem deſiſtere, ſi Iudex accuſationem refutet nolendo eam admittere, vel ſi reſcindat admiſſam, hoc autem facere poteſt Iudex, ſi videt libellum habere aliquem defectum ſubſtantialem. Secundò, ſi accuſatur aliqua perſona, quæ non poteſt ſine magna Reipublicæ perturbatione puniri, quia tunc Iudex ſupremus poteſt incohatam accuſationem abolere, etiamſi accuſator priuata cauſa, vt ſuas iniurias perſequatur, accuſet, vt docet Caiet. *queſt.* 68. *artic.* 3. Ratio eſt, quia Iudicis ſupremi eſt primariò gerere curam boni communis, ad quod refertur bonum priuatorum, ac proinde ipſius eſt cauere damnum publicum etiam cum incommodo priuatorum: Iudex autem inferior ob eandem cauſam poteſt ab initio accuſationem non admittere, & repellere, idq; non ordinariè, & poteſtate, ſed ex quadam quaſi tacita voluntate Principis, ſeu ex epicheia, admiſſam tamē non poteſt ex auctoritate abolere, ſed poteſt ſuſpendere, & diſſimulare, & interim totum negotiū Principi exponere. Tertiò, ſi perſona illa bono publico cenſetur neceſſaria, vel valdè conducibilis; tunc enim Princeps, ſeu Iudex poteſt accuſationem abolere, inferior autem Iudex poteſt eam non admittere, & admiſſam impedire, ſi non agitur de iniuria partis; Si verò agitur de iniuria partis, non poteſt; ſed tenetur parti ius dicere, nec poteſt ſe prætextu maioris boni eximere. Tertiò, in cauſa ciuili poteſt actor à lite recedere, ſiue per gratiam, ſiue per tranſactionem, ſi tamen actio ſit famoſa, qualis eſt actio furti, non poteſt in ea tranſigere poſt litis conteſtationem, ſine Iudicis auctoritate, alioquin notatur infamia, vt patet *leg. furti* §. *pactus de his, qui notantur infamia*. Quartò, in cauſa criminali ante litem incohatam licitum eſt deſiſtere per gratiam, poſt verò litem incohatam non eſt licitum ſine Iudicis auctoritate, neque etiam ſine conſenſu rei, ſi fuit ſubiectus tormentis, vel ex accuſatione infamatus. Quod ſi taliter deſtiterit, incurrit pœnam Senatuſconſulti Turpiliani, quo punitur infamia, & quinque libris auri, ſi crimen erat publicum; ſi autem erat priuatum, punitur pœna extraordinaria arbitrio Iudicis, *leg. ſi quis*, Silueſter *verb. accuſatio*.

In quibus caſibus quis excuſetur à denunciatione, ſeu accuſatione?

BRACTEA VIII.

R. IN pluribus: Primus, neminem teneri in debitis ab alijs in ſui damnum, ſeu in cauſa propria denunciare delinquentem, niſi aliter poſtulet bonum publicum, ſi ex denunciatione magnum immineret periculum, & detrimentum denuncianti; vnde quis niſi iuridicè interrogatus non tenetur vi præcepti, aut monitorij manifeſtare complicem delicti; ſicut nec vxor tenetur denunciare maritum, cum cenſeatur vna perſona cum marito, & damnum & dedecus vnius redundat in damnum, & dedecus alterius. Ita Franciſcus Pegna *director. inquiſit. part.* 2. *comment.* 78. Suarez *tom.* 5. *dub.* 20. *ſect.* 3. *num.* 10. & alij. Similiter filium non obligari vi monitorij, aut præcepti denunciare delictum Patris, neque è conuerſo Patrem delictum filij. Ratio, quia ex tali denunciatione immineret periculum denuncianti, cum delictum Patris redundet in infamiam filij, ſicut etiam è conuerſo: Immò Auila *diſp.* 5. *dub.* 2. & alij apud Lazarium *de blaſphemia queſt.* 12. *nu.* 22. extendunt hanc doctrinam ad Generos, Soceros, Fratres, & alios intra quartum gradum, & praxis Neapolitana *cap.* 2. *num.* 6. Angelus, & Silueſter *verb. familia* extendunt ad familiam, cum ad commune bonum familiæ ſpectet, vt euitentur diſcordiæ, & diſſenſiones inter familiares. Excipitur tamen ab hac doctrina crimen hæreſis, & crimen læſæ maieſtatis, quia in his duobus caſibus agitur de communi bono Reipublicæ, quod præferendum eſt priuato; & ideò Pater contra filium, & è contra poteſt denunciare. Tertius, cum quis crimen cognouit, & accepit ſub ſecreto naturali tanquam Conciliator, Aduocatus, Medicus, Socius, & Adiutor criminis, tunc non tenetur, nec debet manifeſtare, etiamſi tanquam teſtis interrogetur, & præcedat infamia delicti, & ſemiplena probatio; tenetur enim ſeruare ſecretum, vt potè præceptum de iure naturali, & diuino, & ſi aliquid reuelabit, tenebitur ad reſtitutionem damni ſequuti. Ita Salonius 2. 2. *queſt.* 71. *art.* Arragon. *ibidem*, Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *part.* 2. *num.* 222. Nauarr. *cap.* 18. *num.* 12. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 14. Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 28. & alij. Quartus caſus, non eſſe

obliga-

obligationem denunciandi ea, quæ probare non poteſt; Ratio eſt, quia delictum, quod probari non poteſt ita ſe habet, ac ſi neſciretur. Tum quia denuncians præſumitur calumniator, quoties probare non poteſt. Excipiuntur tamen iſti caſus: Primus quando non præcipitur denunciatio, ſed ſolum teſtificatio, quia tunc tenetur teſtari, etiamſi probare nõ poſſet, ſi iuridicè interrogatur. Ita Nauarr. *loco cit. num.* 135. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 14 *num.* 33. Auila 2. *part cap.* 5. *diſp* 5. *dub.* 4. & alij. Secundus, quando præcipitur denunciari delictum reſpiciens fidem, & Chriſtianam Religionem, vt eſt hæreſis, vel blaſphemia hæreticalis, quia in iſtis caſibus creditur vni teſti: Ita Bannez 2. 2. *quaſt.* 68. *art.* 1. Salon. Arragon. *ibidem*, Lazarius *de blaſphemia quaſt.* 15. *num.* 55. Praxis Neapol. *cap.* 58. *dub.* 3. *num.* 5. Tertius, quando crimen vergit in graue detrimentum Communitatis. Quartus caſus eſt matrimonii, in quo qui aliquod impedimentum nouit, tenetur illud denunciare, quamuis probare non poſſit, nam vnus teſtis ſufficit ad impediendum matrimonium, *Cap. præterea de ſponſal.* & eſt communis. Quintus non eſſe obligationem reuelandi ea, quæ verè, & realiter non ſcimus. Ratio, quia aliter faciẽdo denũcians exponeret ſe periculo leuitatis, & reum dãno, quod fortaſsè reciperet reuelãdo ea, quæ non ſcimus verè, & realiter. Ita Reginaldus *lib.* 34. *num.* 63. Clauis regia *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 3. Rodriquez *in ſum. part.* 1. *cap.* 79. & alii. Sextus cum Superior iubet manifeſtari delictum ad emendationem delinquentis, vel ſatisfactionem partis læſæ, vel ne malum proximo inferatur præmittendam eſſe fraternam correctionem modo ſperetur emendatio per correctionem, & obediatur Euangelio, *Vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Ex quo fit, vt ſi facta denunciatione delinquens ſit iam emendatus, non liceat amplius illum denunciare. Ratio, quia præſumitur Superior nolle ſibi fieri denunciationem, cum iam ſufficienter ſit ipſius intentioni ſatisfactum. Ita Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 27. Nauar. *cap.* 25. *num.* 40. Vaſquez *de reſtitut. cap.* 9. §. 3. Silueſter *verbo denunciatio*, Sotus *de iuſtit. quaſt.* 5. *art.* 1. Auila 2. *part. diſp.* 5. *cap* 5 Filiucius *tract.* 14. *cap.* 2. *quaſt.* 1. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 247. & plures alij, modo Iudex intendat ſolum emendationem, vel ſatisfactionem. Quando Iudex non inquirit ad pœnam, ſed ſolam correctionem intendit, vel ſatisfactionem partis denunciandus eſt delinquens, etiamſi non præceſſerit infamia, vel ſemiplena probatio, vel accuſatio cum indiciis. Ita Reginaldus *lib.* 24. *num.* 51. Si rem quidem alienam accipit; ſed in recompenſationem debiti lui ex iuſtitia, & liquidi, tunc etiamſi præcipiatur manifeſtatio, ſub excõmunicatione non tenetur manifeſtare. Ratio, quia manifeſtatio, & excommunicatio cadunt ſupra iniuſtum detractorem, non autem ſupra compenſatorẽ, vel alio iuſto titulo detinentem. Secundò, non modo ligari excommunicatione compenſantem, ſed neque etiam ſcientes, licet excommunicatio lata ſit contra compenſantes, vel etiam contra ſcientes. Ratio, quia nemo tenetur ſe, aut innocentem prodere. Tum quia quando principalis non ligatur, neque ligatur minus principalis. Ita Arragon. 2. 2. *quaſt* 62. *art.* 2. Salon. 2. 2. *quaſt.* 66. *art.* 5 Leſſius *lib.* 2. *cap* 12. *dub.* 10. *num.* 6. Molina *diſp.* 691 Petrus Nauar. *lib* 13. *cap.* 3. *part.* 1. *num.* 407 Azorius 3. *part. lib* 1. *cap.* 15. & plures alii apud Clauem regiam *lib.* 9. *cap* 14. *num.* 12. *& lib.* 15. *cap.* 14. *num.* 10. Vnde non modò compenſationis conſcius non tenetur manifeſtare, ſed etiam poteſt iurare ſe nihil ſcire, intelligendo intrà ſe, vt teneatur manifeſtare. Ita Molina *diſp.* 692. Nauar. *cap.* 13. *num.* 166. Arragon. 2. 2 *quaſt.* 69. *artic.* 2. Bannez, Salon. *ibidem* Valentia *tom.* 3. *diſp* 5. *quaſt.* 13. *pun.* 2. Vaſquez *in opuſcul. de reſtit. cap.* 5. *nu.* 55. Filium ſpiritualem poſſe vi monitorii denunciare Patrem ſpiritualem; Ratio, quia poteſt eſſe teſtis contra ipſum; ergo poteſt ipſum denunciare.

An qui non denunciat debitorem, quem nouit, non poſſe reſtituere ob impotentiam, incurrat excommunicationem latam contra non denunciantes?

BRACTEA IX.

R. NEGATIVA, quia ſicut detinens rem alienam ratione impotentiæ, excuſatur à reſtitutione, & ab excommunicatione, ſi qua lata eſſet contra habentes rem alienam, ita etiam qui nouit habere rem alienam, nec poſſe eam reſtituere, excuſatur ab excommunicatione lata contra non denunciantes. Tum etiam quia nemo obligatur ad opus inutile. Ita Clauis regia *lib.* 12 *cap.* 14. *num* 31. Lazarius *quaſt.* 13 *&* 15. Rodriquez 1. *part. cap.* 79. *num.* 10. Suarez *tom.* 5. *diſp* 20. *ſect.* 2. *num.* 7. & *ſect.* 3. *nu.* 15. Secundò, habentes ſcripturas, teneri illas exhibere, quando fertur excommunicatio contra habentes, & non exhibentes ſcripturas, quoties exhibendo, vel relaxando non patitur graue damnum. Ratio eſt; quia Superiori iuſtè præcipienti tenetur ſubditus obedire. Ità Praxis Neapol. *cap.* 2 *num.* 1. Clauis reg. *lib.* 12. *cap.* 20. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 20. *ſect.* 3. & alii: Tranſumptum autem non tenetur prodere ex vi monitorii, aut præcepti, quo præcipitur ſcripturas prodere, quia monitorium intelligitur de illa ſcriptura, quæ in iudicio fidem faciat: ſimplex autem tranſumptum non autenticum non facit fidem in iudicio. Ita Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 13. Bonacina *diſput.* 5. *de cenſuris quaſt.* 6. *pun.* 1.

Quando incipiat obligatio denunciandi vi monitorij?

BRACTEA X.

R. INCIPERE à die, & hora, qua publicatur monitorium, excepto primo die, modo eodem die notitia habeatur monitorii; tẽpus enim conſtitutum in monitoriis incipit currere à die ſcientiæ. Ita Henriquez *lib.* 13 *cap.* 18. *num.* 100. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 13. Excipitur primus dies, quia dies publicationis non eſt numerandus intra conſtitutos dies, iuxtà axioma dies termini non cõputatur in termino. *Cap. ſtatutum de præbendis lib.* 6. Quod ſi dies publicationis ignoratur, obligatio videtur ſolum incohare à die ſcientiæ computato æquali termino, quia non cenſetur peioris conditionis, qui ignorauit publicationem monitorii, quam qui nouit, & per conſequens videtur illi concedendus æqualis terminus. Suarez *loco cit ſect* 2. *num.* 14. Henriquez *loco cit.* Graff. *de ſentent. excommunic. conſ.* 6. *num.* 17 & alii. Secundò, qui non denunciauit tempore aſſignato teneri denunciare quamprimum commodè poterit. Ratio eſt, quia terminus non apponitur ad finiendam obligationem denunciandi, ſed ad eam ſollicitandam. Quando autem aliquis terminus apponitur non ad finiendam obligationẽ, ſed ad eam ſollicitandam, non ceſſat obligatio ceſ-

ſante

ſante termino. Ita Nauar. *cap.* 25. *num.* 56. Rodriquez 1 *part. cap.* 79 *num.* 18. Reginaldus *lib.* 24. *num.* 63. Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 14. & alii. Tertiò, qui non denunciauit præfixo termino, ligatur excommunicatione, niſi adfuerit iuſta cauſa non denunciandi, ſemperque tenetur denunciare ſub eadem excommunicatione. Ita Nauarr. *cap.* 17. *num.* 134. Graff. 1. *part. deciſ. lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 10. Quartò, eum, qui per impotentiam, vel ignorantiam edicti non denunciauit tempore præfixo, tenetur ſublata ignorantia, vel alia iuſta cauſa excuſationis denunciare ſub obligatione excommunicationis, modo cenſura non ſit lata ſolum contra contumaces præteritos, qui iuxta terminum iam lapſum non denunciauerunt. Ita Suarez, & Rodriquez *locis citatis.*

Quæ perſonæ ab accuſatione iudiciali repellantur?

BRACTEA XI.

R. Expelli excommunicatos, infames, publicos proditores, vſurarios, concubinarios publicos, & quoſcunque iure infames. *Cap. prohibetur* 2. *quæſt.* 1. *leg. qui accuſare ff. de accuſatione*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 5. Clarus *lib.* 5. *art.* 10. Farinac. *in Praxi criminali quæſt.* 12. *num.* 27. Secundò, ob reuerentiam, & decentiam ſuorum maiorum, ſubditi prohibentur accuſare ſuos Prælatos, Serui Dominos, Filij Parentes. *Cap. prohibentur citat.* Tertiò, ob reuerentiam ſtatus Clerici prohibentur accuſare laicos, & præcipuè in cauſa ſanguinis; Excipiuntur tamen crimen hæreſis, crimen læſæ maieſtatis, & alia, quæ vergunt contra bonum publicum, aut priuatum innocentis, aut contra proprium; præmiſſa prius proteſtatione, qua oſtendatur ſe non prætendere vindictam ſanguinis, ſed bonum commune, vel proximi, vel proprium. Ita Conar. *in Clement. ſi furioſus*, Iul. Clarus *lib* 5. *quæſt.* 14. Farinac. *in Praxi crimin. quæſt.* 12. *num.* 12. Ratio eſt, quia iure naturæ vnicuique mandatum eſt de proximo ſuo, & vnuſquiſque poteſt ſibi conſulere ad præcauenda propria damna; Excluditur etiam Inimicus. Ita Farinac. *loco cit. num.* 34. Clarus *quæſt.* 34.

An accuſatio poſſit reddi iniuſta?

BRACTEA XII.

R. Accusationem tribus modis reddi iniuſtam, & corrumpi, qui ſunt, calumnia, præuaricatio, & tergiuerſatio: Calumnia eſt falſa crimina ſcienter intendere: præuaricatio eſt vera crimina abſcondere: in hoc autem non ſemper ſubeſt iniquitas, quia nemo tenetur omnia crimina detegere, neque ſua, neque proximi; tergiuerſari eſt in vniuerſum ab accuſatione deſiſtere, hæc autem non eſt ſemper cum iniuria coniuncta. Ita Iuriſconſulti, Iuris Canonici, & Iuris Ciuilis, *ff. ad Senatuſconſult. leg. accuſator*. Cum Reo quis falſum crimen imponit, dicitur calumniari, eſt enim calumnia ſub dolo Rei vexatio per fraudem, neque verò ille tantum calumniatur, qui falſum crimen imponit, verú etiam qui occultum, quod iure probari non poteſt in iudicio propalat; præuaricari contingit dupliciter, vno modo fraudem extruendo Reipublicæ, nempè inclinando in fauorem Rei, & hoc eſt præuaricari, quoniam variari idem eſt, quod flecti; contingit hæc præuaricatio dupliciter vno modo diſſimulando omnia, quæ in commodum Reipublicæ detegere tenetur, atque adeò probationes negligendo, & altero modo falſas admittendo accuſationes, & exceptiones quæ præuaricatio altero nomine dicitur colluſio, quaſi tunc Accuſator, & Reus ſimul illudant Reipublicæ, aut parti læſę: Secundo modo contingit ei accuſato fauere prorſus, & in vniuerſum ab accuſatione deſiſtendo, & illa dicitur tergiuerſatio, quaſi Accuſator terga cauſæ vergat. Ita Sotus *de iuſti. lib.* 5. *quæſt.* 5. *art.* 3. & alij.

An Accuſator, qui in accuſatione defecerit, pœna talionis teneatur?

BRACTEA XIII.

R. Affirmative. Ratio, quia iuſtum eſt, vt ille, qui per accuſationē in periculum quempiam induxit grauis pœnæ ſimilem, & ipſe ferat. Ita colligitur ex Iure Canonico, & Ciuili, vt patet *ff. ad Senatuſconſult. Turpil. leg. mulier, & leg. quæſitum*; cum ergo leges deficientem in probationes talionis pœna adiudicent, oſtendunt non ſolum eū, qui falſum crimen imponit, verum & qui occultum, quod probari non poteſt, detegit eidem ſubiacere ſuplicio. Ratio naturalis eſt, quia Accuſator conſtituitur pars Reo aduerſa contendens eum in ſupplicium adigere: Iudex autem Medicus inter ambos ſedet Iuſtitiæ protector, ſed æqualitas Iuſtitiæ id exigere apparet, vt periculum, quod quis alteri per iniuriam arat, in ipſum recidat; ergo pœna talionis eſt iuſta, & per conſequens Accuſator, qui in probationibus deficit, tenetur pœna talionis.

MALLEATIO LXXX.

De Reo.

An liceat Reo occultum crimen teſtis detegere ad ſe defendendum?

BRACTEA I.

R. Non eſſe contra iuſtitiam detegere occultum crimen teſtis ad ſe defendendum, & ad infirmandum teſtimonium maximè ſi alius modus illius repellendi non ſit commodus. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia cuique licet ſe defendere eodem genere armorum, quo oppugnatur; ſi ergo teſtis falſum crimen teſtetur contra Reum, vel verum, ſed occultum poterit ad ſe defendendum Reus detegere crimina teſtis, vt ſic infirmet eius teſtimonium. Secundò, ſi Reus ita faciendo non excedat debitam moderationem, nec etiam peccabit contra charitatem. Ratio eſt, quia ſicut qui ſe ab inuaſore defendens, & ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ illum perimat, non peccat, ita in iſto caſu qui detegendo crimen teſtis non excedit moderamen non peccat, peccaret autem contra charitatem ſi teſtis non ſe ſponte ingeſſiſſet ad teſtificandum, ſed vocatus à Iudice, & cauſa Rei non eſſet magni momenti, vel alia ratione minus pręiudiciali poſſet teſtem repellere. Tertiò, Reus ſaltem ex charitate ita tenetur reſpondere, & ſe defendere, vt quam minimè accuſatorem lædat, vt ſi de occulto accuſetur ſufficit, vt ſimpliciter neget, quia contra charitatem

eſſet proximo maius malum inferre, quam ad defenſionem ſit neceſſarium. Quartò, Reus accuſatus de crimine, quod iuridicè probari nequit, non faciat contra iuſtitiam ſi crimen neget, vel dicat, ac cuſatorem mentiri, & calumniari. Ita colligitur ex Dmo Thoma *quæſt.69.art.2.* dicente, Reum ſe poſſe tueri quacunque via, modo non dicat mendacium. Siueſter *verbo reſtitutio 3. quæſt.3.* Nauar. *cap.12. n.49.* Petrus Nauar. *lib.2.cap 4. num.398.* & alii. Ratio eſt, quia accuſator in iſto caſu contra dictamen ſuæ conſcientiæ loquitur. Tum quia falſum præſumitur in iudicio, quod probari nequit. Si verò delictum non ſit occultum, & iuridicè probari poſſit Reus mortaliter peccat contra iuſtitiam, dum huiuſmodi notam calumniæ, & mendacii accuſatori imponit. Ratio eſt, quia reus nullum haber ius imponendi hanc notam, cum accuſator iure ſuo vtatur, nullumque committat mendacium accuſando.

An Reus à Iudice interrogatus, teneatur fateri veritatem?

BRACTEA II.

R. Reus non tenetur aperire veritatem, quando Iudex non interrogat iuxta ordinem iuris. Ita colligitur *ex cap. qualiter, & quando 17. cap. cum opporteat 19. & cap. inquiſit. 21. de accuſat.* eſtque communis Doctorum ſententia. Ratio eſt, quia Iudex, qui iuridicè non procedit, non poteſt imponere Reo obligationem ad crimen aperiendum vel ad iurandum, & multò minus poteſt eum corporaliter torquere. Tum etiam, quia præceptum Iudicis non obligat, niſi quando ius dat ei poteſtatem: hanc autem non dat, niſi quando procedit iuridicè: tunc autem Iudex non procedit iuridicè, quando interrogat de crimine occulto, de quo nec ſit fama, nec Iudicia ſufficientia, nec ſemiplena probatio contra Reum.

Sciendum, In tali caſu Reum non teneri iurare de calumnia: continet autem iuramentum de calumnia. Primò, quod putet ſe bonam cauſam tueri. Secundò, quod non tacebit veritatem interrogatus à Iudice. Tertiò, quod non adhibebit ſcienter falſas probationes. Quartò, quod non prorogabit litem fraudulenter. Quintò, quod nihil promiſit, vel promitteret alicui cauſa litis, quod iure non permittatur. Secundò, in eodem caſu reum non teneri reſpondere ad mentem Iudicis, aut iurare, ſed poſſe æquiuocare, & artificiosè ludere interrogationes. Tertiò, ſi dubitet, an Iudex iuridicè interroget, non tenetur fateri veritatem. Ratio eſt, quia nemo tenetur cum graui ſuo, vel alterius incommodo obedire, niſi legitimè ei conſtet, Superiorem poſſe percipere: at cum dubitet rationabiliter non ei conſtat, ergo, &c. Tum etiam, quia in dubio fauendum eſt Reo. Ita Leſſius *lib 2.cap.31.dub.3 num.*10. Reginaldus *lib.24. num 46.* Caietan. *2.2.quæſt.69. art.2.* Azor. *3.part.lib.13. cap.28.* & alij. Quartò, Reum teneri veritatem aperire, dũ ſeruato iuris ordine interrogatur, etiamſi manifeſtata veritate damnandus ſit ad mortem. Ita S.Thom. *2. 2. quæſt.69.art.1.* Nauar. *cap.25.num.52.* & alii. Ratio, quia in tali caſu Iudex habet ius interrogandi, & eliciendi veritatem ob publicum bonum, ſi ergo Reus eam non fateatur delinquet contra ius, & poteſtatem ſuperioris; ergo, &c.

Sciendum 2. Eſſe aliquos caſus, in quibus Reus non tenetur, vt primò ſi Iudex quærat de aliquo facto, quod ſine peccato ſaltem mortali patratum eſt, vt v. g. ſi quis occiderit inuadentem cum iuſto moderamine, vel abſque notabili exceſſu non tenetur fateri ſe occidiſſe, etiamſi ſparſa ſit infamia, nec teſtis tenetur illud teſtari. Secundò, ſi quærat aliquas circunſtantias, ex quibus oriri poſſit vehemens ſuſpicio, quod reus eſſet auctor criminis. Tertiò, in re parui momenti occultare veritatem, aut mentiri in iudicio non eſt peccatum mortale, ſi abſit iuramentum, vt ſi mentiatur circa aliquam circunſtantiam facti, vnde ſtatus cauſæ non pendet, quia materiæ tenuitas in præceptis excuſat à mortali. Quartò, probabile eſſe reum non peccare mortaliter negando crimen in cauſis tam capitalibus, quam non capitalibus, in quibus imponeretur grauis pœna temporalis quandiù eſt ſpes euadendi. Ita Leſſius *lib.2.cap. 31.num.13.* Rodriquez *tom.2. quæſt.regul.quæſt.19.art.4.* Em. Sà *de Reo num.6.* & alii. Ratio, quia lex humana non obligat cum periculo mortis vbi non intercedit bonum commune, quod tunc damnum pateretur: at humanum præceptum eſt humana lex quædam; ergo cum tantum intercedit bonum priuatum vindictæ ſcilicet priuati hominis interfecti, vel bonis ſpoliati non obligabit interfectorem ad fatendam veritatem cum periculo ſuæ vitæ. Tum etiam, quia nemo poteſt cogi ad teſtificandum contra ſanguine iunctum; ergo etiam nemo tenetur teſtari, quando inde ſibi graue damnum metuit, nemo euiquam eſt magis ſanguine iunctus, quam ipſe ſibi, nec maius poſſet eſſe damnum, quam vitæ, ergo non tenetur contra ſe fateri. Ex quibus ſequitur non teneri intrare ad mentem Iudicis, ſed poſſe vti amphybologia, vel æquiuocatione, vel mentali reſtrictione, & iuxta illam reſpondere. Quintò, Sacerdotem non teneri cogere Reum ad veritatem aperiendam quandiù ſpem habet euadendi in cauſis, in quibus valdè grauis pœna imponitur. Dixi *quandiù eſt ſpes euadendi,* quia ſi cognoſcit crimen facilè probari poſſe, & conuinci ceſſat ratio celandi, & tenetur veritatem aperire. Ita Leſſius *loco cit.*

An Reus condemnatus ſecundum allegata, & probata debeat obedire?

BRACTEA III.

R. Quando ſententia re ipſa eſt iniqua, vel quia nititur falſa præſumptione, aut falſis probationibus, &c. non obligat in conſcientia, quamuis ſit data ſecundum ordinem iuris. Ratio eſt, quia ſententia eſt veluti lex quædam priuata, ſed lex non obligat ad id, quod eſt contrarium fini legis: quare cum finis ſententiæ ſit, vt cuique tribuatur, quod ſuum eſt, ſi ex eius obſeruatione contrarium eueniret non obligat. Ita Sotus *5. de iuſtitia quæſt.6. art.4.* Reginaldus *lib.24 num.146.* Leſſius *lib.2.cap.31. dub.4.* & alii, imò citrà ſcandalum, & vim contra Iudicem, & miniſtros reum poſſe ſe defendere. Dixi citra ſcandalum quia Iudex habet ius exequendi ſententiam, quam ſeruato iuris ordine tulit, ergo reus facit illi iniuriam per vim ſe defendendo. Ita S.Th. *2.2.qu.69. art.4.* Reginald. *lib.24. num. 147.* & alii. Secundò, quando ſententia eſt iuſta, Reus non poteſt per vim ſe defendere contra Iudices, aut Miniſtros, ne ſententiam talem exequantur. Ita D. Thomas *qu.69.art.4.* Sotus *lib.5.qu.6.art.4.* & alii. Ratio eſt, quia Iudex habet ius exequendi talem ſententiam & ad id compellitur auctoritate legum, & Reipublicæ,

bliçæ, & cum Reus non poſſit ſuam innocentiam probare tenetur obedirè.

An Reus poſſit fugere è carcere

BRACTEA IV.

R. Reum non ſolum ante ſententiam, verum etiam poſt Iudicis ſententiam poſſe fugere è carcere, niſi iurauerit ibi permanere. Ita Couarru. *lib.1.var.cap.2.num.11.* & eſt communis ſententia. Ratio eſt, quia ſicut fugere poteſt ne à miniſtris iuſtitiæ capiatur, ita etiam fugere poteſt, ne in carcere detineatur. Tum etiam, quia non conijcitur in carcerem, vt ibi ſponte maneat, ſed vt ibi detineatur interim dum cauſa eius excutitur, quod etiam poſſit fugere poſt ſententiam patet etiam, quia non poteſt ei præcipi cum obligatione, vt cum tanto damno ſuo ibi maneat, quia hoc præceptum eſſet nimis difficilè, inhumanum, & quodammodo ſuperans humanam conditionem. Tum etiam, quia nemo poteſt condemnari ad faciendum aliquid, vnde ei mors ſequatur per ſe: atqui ſponte manere in carcere in hoc caſu eſt aliquid facere, vnde mors, vel graue damnum ſequatur; ergo, &c. Dixi *per ſe*, quia per accidens poteſt aliquid facere, ex quo per accidens, ſeu ab alio mors inferatur, vt manere in carcere, aſcendere ſcalas, prębere iugulum, &c. Ex quibus ſequitur, damnatum ad carcerem perpetuum, vel ad triremes poſſe inde fugam arripere, quia non damnatur, vt ibi ſponte maneat; & hæc videtur valdè grauis pœna, quam Reus non tenetur ſponte pati. Ita Salonius 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 4. Bannez *ibidem*, Leſſius *loco cit.* Em. Sa §. *de Reo num.*10. & alij; damnatus verò ad temporaneum carcerem non poteſt fugere. Ratio, quia hæc pœna non eſt ita grauis, quin reus qui ob ſua crimina iuſtè ad eam eſt damnatus debeat eam ſponte ſubire, ſicut ſoluere mulctam pecuniariam, ire in exilium, &c.

An Reus poſſit effringere carceres, vt effugiat?

BRACTEA V.

R. Affirmativa. Et ita Nauar. *cap.*17. *n.*102. Leſſius *loco cit. num.*36. Caiet. 2. 2. *qu.*69. *art.* 4. *dub.*3. Arragonius *ibidem dub.*3. Bannez *ibid. dub.*2. & alij. Ratio, quia qui poteſt licitè fugere, licitè etiam poteſt adhibere media ad fugam: at medium eſt fractio carceris; ergo, &c. Nec propterea dicetur talia vim facere publicæ poteſtati, quia publica poteſtas poſita eſt in Iudice, & miniſtris, quibus afferre vim non poteſt, non autem in carceribus, &c.

Sciendum, quod ſi occaſione fugæ carcere pertuſo etiam alij fugiant, fugiens non tenetur de damno, quod inde actoribus, vel Reipublicæ venit, quia illorum fuga per accidens ſequitur ex facto fugientis; nec etiam tenetur ad reparationem carceris perfracti, cum vtatur iure ſuo.

An alij poſſint Reo fugam conſulere, & auxilium ad eam præſtare?

BRACTEA VI.

R. Cuicunque licitum eſt fugere, licitum eſt etiam alijs illi fugam conſulere, & vinculorum diruptionem, modo non ſint officiales iuſtitiæ. Ita Caiet *quæſt.*69. *art.*4. Sotus *lib* 5. *de iuſt. qu.*6 *art.*4 & alij. Ratio eſt, quia licitum eſt conſulere, & ſuadere id, ad quod alter habet ius. Ratio verò cur miniſtri iuſtitiæ, vel officiles fugam conſulere nequeant, eſt quia ipſis incumbit onus ex officio impediendi fugam, & curandi, vt reus detineatur. Ita Leſſius *lib.*2. *cap.*31. *dub* 6. Em. Sà §. *Reo*, & alij. Secûdò, probabile eſſe etiã eidẽ captiuo poſſe porrigere inſtrumenta, quibus vincula reſcindat, & carcerem effrangat. Caietan. *loco cit.* Salon. 2.2. *quæſt.*69. *art.*4. Ratio eſt, quia ſi quis poteſt alicui conſulere finem, poteſt etiam illi præbere media ad illum conſequendum, cum conſilium non videatur aliud eſſe quam ſpirituale, quoddam inſtrumentum, quamuis præbens huiuſmodi inſtrumentũ exponat ſe periculo pœnæ, & grauis punitionis. Verum ſi ob aliquam peculiarem cauſam id eſſet prohibitum, non eſſet licitum præbere illi inſtrumenta, &c. Ratio eſt, quia fieri poteſt, vt hæc prohibitio ſit ordinata ad bonum publicum, & bonum publicum præferẽdum eſt priuato. Tertiò, licitum etiam eſſe decipere cuſtodem, vt reus opportunitatem fugiendi capiat. Ratio eſt, quia habet ius fugiendi; ergo licitè poteſt adhibere media ad fugiendum præciſa vi, & iniuria in cuſtodem, per vim, & iniuriam non licet, quia cuſtos habet ius detinendi reum, conſequenter ius ipſius violatur, dum vis, & iniuria illi præfertur; ergo, &c. Ita Clauis regia *lib.*12. *cap.*18. *num.*16. Reginaldus *lib.*24. *num.*150. Vnde non peccant, qui pecuniam, vel munus tradunt cuſtodi intentione conciliandi ſibi eius beneuolentiam, vt inde capiant occaſionem fugiendi. Similiter, qui cibum, aut potum cuſtodi porrigit, quo ſomno corripiatur, vt inde fugiendi opportunitatem accipiat, non enim infert vim cuſtodi, vel iniuriam; ſecus dicendum ſi poculum veneno, aliove prauo liquore infectum cuſtodi præbeat, quia tũc infert vim, & iniuriam cuſtodi. Reginaldus *loco cit. num.*150. Tertiò, licet licitum ſit præbere reo inſtrumenta, quibus frangat carcerem, non tamen eſſe licitum iuuare reum effringere exterius carceres. Ratio eſt, quia ſolus reus ad id ius habet propter maximum incommodum, quod ipſi imminet. Tum etiam, quia nihil Iudicibus poſſit ſatis eſſe firmum, & tutum ad cuſtodiam reorum, quod cederet in maximum Reipublicæ damnum. Vltimò, reus negans veritatem in iudicio, non tenetur ſoluere pœnam, quam ſoluiſſet, ſi veritatem aperuiſſet. Ratio eſt, quia pęna non debetur ante ſententiam. Tum etiam, quia negans veritatem in iudicio, non violat iuſtitiam commutatiuam, & ex ſola violatione iuſtitiæ commutatiuæ oritur obligatio reſtituendi. Leſſius *lib.*2. *cap.*31. *dub.*8. *num.*30. Reginaldus *lib.*24. *num.*145. Nauar. *cap.*18. *num.*49. Quod tamen intelligendum eſt, modo reus non teneretur ad ipſam ſoluendam ante ſententiam, tunc non eximitur ab eius ſolutione ob negatam in iudicio veritatem. Secundò, modo talis pœna non debeatur iure naturę ob actionem iniuſtam: quamobrem, qui negatione veritatis eſt alteri cauſa iniuſta damni tenetur ad reſtitutionem, quamuis ad illius reſtitutionem legitima Iudicis ſententia non condemnetur. Ita Azorius *inſtitut. moral. part.*3. *cap.*25. & alij.

MALLEATIO LXXXI.

De officio teſtis.

Quis dicatur teſtis idoneus?

BRACTEA I.

R. TESTES idoneos, ſeu omni acceptione maiores eos eſſe, quibus nihil iniuriæ opponi poteſt, cur minus illis ſit fides adhibenda, ſeu cur non ſint ad teſtificandum adhibendi, minus idonei ſunt, quibus aliquid opponi poteſt, vel ex natura Rei, vel ex iuris diſpoſitione.

Sciendum in cauſis criminalibus iure Canonico repelluntur mulieres ob fragilitatem ſenſus, & ingenij mutabilitatem. Ita habetur *cap. forum* 10. & *cap. mulierem* 33. *quæſt.* 5. iure tamen ciuili in omni cauſa admittuntur, præterquam in teſtamento, *leg. qui teſtamento* 26. §. *mulier*; Secundò, in criminalibus repellitur minor viginti annis, *leg. in teſtimonium ff. de teſtibus*; dictum tamen eius facit indicium ſufficiens ad capiendam informationem, non tamen ad torturam, aut condemnandum, in cauſis autem ciuilibus admittitur pubes ideſt maſculus quatuordecim annorum, & fœmina annorum duodecim. Ita Silueſter *verbo teſtis quæſt.* 1. Gomez *cap.* 12. *num.* 103. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 5. *num.* 37. Tertiò, inimicus eius contra quem teſtimonium dicitur, repellitur in ciuilibus, & criminalibus, modo præceſſerit grauis inimicitia, vel lis in magna parte bonorum, ſed hoc relinquitur arbitrio Iudicis definiendum. Quartò, aſcendentes, & deſcendentes accuſatoris, item collaterales vſque ad quartum gradum repelluntur; quod intelligitur etiam de affinibus. Ita Fariuac. *de teſtib. quæſt.* 54. Cardinalis Tuſcus *tom.* 1. *concl.* 201. ad defendendum Reum poſſunt admitti, eiuſque innocentiam probandam. Clarus *quæſt.* 24. *num.* 12. Quintò, repellitur domeſticus ipſius procedentis in cauſa ipſius. Fariuac. *loco cit. qu* 55. Sextò infamis infamia iuris, qualis eſt omnis, qui de aliquo crimine eſt damnatus, infamis autem in infamia facti etiam regulariter repellitur, poteſt tamen aliquando admitti in ſubſidiũ, quando aliter veritas cognoſci nequit, ſed cum tortura. Clarus *loco cit. num.* 13. Septimò, periurus, qui iam in aliqua cauſa falſum cum iuramento depoſuit repellitur, quia præſumitur facilè ſecundò peieraturus. Octauò, ſocius criminis ordinariè repellitur, *leg. fin. cod. de accuſatoribus*, & *cap. veniens* 10. *de teſtib.* licet admittatur in criminibus exceptis, vt in hæreſi, crimine læſæ maieſtatis, falſæ monetæ, maleficio, ſortilegio, furto famoſo, aut etiam in crimine, quod ſine ſocio committi non poteſt. Nonò, repellitur perſona vilis, & inops, de qua ſuſpicio eſt, vt pecunia corruptus falſum deponat: ſecus ſi ſit honeſta.

Secundò, quod etſi teſtis minus idoneus non probet ſemiplenè, facit tamen aliquod indicium, quod cum alijs coniunctum ſufficit ad torturam, niſi repellatur ob ſubiectionem, vel reuerentiam, quam debent accuſatori, vt in caſibus ſupradictis.

Tertiò, minus idoneos admitti tanquam idoneos quando delictum eſt commiſſum in loco, vel in tempore, vbi copia teſtium haberi nequit, vt in campo, ſylua, cubiculo, &c. vt patet *cap. fin. de teſtib.* item ſi alter teſtium ſit valdè dignus fide poteſt ſupplere defectum alterius minus idonei, ita vt ſimul efficiant plenam probationem.

An teſtis legitimè interrogatus teneatur ſemper fateri veritatem?

BRACTEA II.

R. REGVLARITER teneri dicere veritatem, niſi excuſetur ab aliqua cauſa. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1 Bannes, Salon. Arragon. *ibidem* Reginaldus *lib.* 24. *nu.* 46. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 29. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *qu.* 14. *pun.* 1. & alij. Ratio eſt, quia faceret contra obedientiam Iudici debitam, & Iudex habet ius procedendi ad veritatem legitimè extorquendam.

Sciendum in ſubſequentibus caſibus teſtes obligari dicere veritatem; primus ſi auctor laboret infamia: ſecundus, & ſi non laboret infamia, tamen ab eo imminet damnum Communitati, nec poteſt auerti, niſi per Iudicem: tertius, ſi damnum immineat alicui priuato, nec poſſit aliter impediri: quartus, ſi delictum ſemiplenè probatum eſt: quintus ſi procedatur via accuſationis, & delictum plenè probari poſſit, in iſtis caſibus teſtis citatus, tenetur dicere veritatem. Et ita colligitur ex *leg. inuiti* 8. & 19. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. Secundò, in pluribus caſibus teſtem non teneri teſtari, vel denunciare: primò, quando aliquid ſcitur ex confeſſione ſacramentali, etiamſi ex taciturnitate Reſpublica maximum damnum pateretur; & eſt communis Doctorum: Secundò, ſi ſub ſecreto naturali aliquid dictum fuit, vel ratione concilij, vel auxilij petendi cauſa ad ſalutem animi, vel corporis, vt conſiliator, adiutor, aduocatus, &c. tunc quis tenetur tacere, etiamſi de auctore eſſet infamia, vel ſemiplena probatio, Ita Corduba *lib.* 1 *quæſt* 43. *dub* 2. Nauar. *cap.* 25. *num.* 46. Petrus Nauar. *lib* 2. *cap.* 24. *num.* 222. Leſſius *loco cit.* & alij. Ratio, quia præceptum iuris naturæ, & obligatio magis obligat, quam iuris poſitiui præceptum, & obligatio; excipitur tamen quando teſtificatio eſt neceſſaria in ordine ad bonum commune, quia tunc perferendum eſt priuato, & obligatio reticendi etiam iurata non obligat, ac proinde talis tenetur aperire, ac ſi non promiſiſſet. Ita Leſſius *loco cit.*

Tertiò, ſi auctor non laborat infamia, nec timetur damnum in futurum, quia videlicet ſperetur emendatio, idque etiamſi duo, vel tres alij ſciant. Ita Silueſter *verbo inquiſitio num* 71. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 169. Quartò, ſi procedatur via accuſationis, & teſtis iudicat, rem probari non poſſe, quia ipſe tantum, & accuſator cognoſcant. Quintò, ſi teſtificatione immineat aliquod damnum ipſi teſti. Sextò, ſi ſciuit à perſonis non ad modum fide dignis, perinde enim eſt, ac ſi neſciret. Nauar. *cap.* 25. *num.* 46. In caſibus, in quibus non tenetur quis reuelare abſque iuramento, neque etiam tenetur, ſi iuraſſet dicere veritatem, modo iurauerit ſe non dicturum cum interna reſtrictione, quatenus intelligat, ſe dicturum veritatem, quatenus iure teneatur, quia ſi iuraſſet abſque ea reſtrictione debet reuelare omnia, quæ ſine peccato poteſt ne ſit periurus.

An teſtis interrogatus de pluribus rebus ſub iuramento, & in omnibus mentitur committat plura peccata?

BRACTEA III.

R. Cvm Henriquez *lib.5.cap.5.* & cum alijs ab eo citatis eſſe ſolum vnum peccatum, etiamſi multiplicet execrationes, & iuramenta ſuper eadem re, quia omnes illæ negationes, etiam firmatæ iuramento, cenſentur moraliter vna actio, & tranſgreſſio obligationis dicendi veritatem, & circunſtantia diuerſorum iuramentorum non eſt neceſſe in confeſſione ſit explicanda.

Secundò, teſtem non teneri dicere veritatem quādo crimen eſt notorium, & publicum, ſed ignoratur auctor ipſius, quem tamen ipſe ſcit. Ita Thurianus *tom.2.in 2.2.diſp* 50.*dub.*5. Filiucius *tom.2. tract* 40.*cap.* 6.*num.*185. Leſſius *lib.2.cap.29.dub.*14 *num.*118. Bonacina *de legib.diſp.*10.*quæſt.*2.*pun.*5.*num.*14. Petrus Nau. *de reſtitut.lib.*2. *cap.*4.*num.*167. Salon. 2. 2. *tom.*1 *quæſt.* 69. *art.*2. & alij. Ratio eſt, quia quando dubium eſt, an Iudex iuridicè interroget probabilis ſententia eſt ipſum non interrogare iuridicè, nec in eo caſu ſubditum teneri obedire, quia poteſt amplecti probabilem opinionem, quæ affirmat Iudicem non eſſe Superiorem in eo caſu. Vnde ſequitur poſſe teſtem occultare veritatem, licet contrariam ſententiam ſequantur Arragon, 2.2.*quæſt.*69 *art.*2. Ioannes Valerua *in differentijs vtriuſque fori verb.inquiſitio num.*9. Miranda *de ordine iudiciar.tom.*1.*quæſt.art.*6.*concluſ.*3. & alij, quorum opinio cenſetur etiam probabilis.

An teſtis iuridicè interrogatus teneatur ex iuſtitia reſpondere, ita vt dicendo ſe nihil ſcire, teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA IV.

R. Non obligari ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia teſtis peccat quidem contra charitatem non dicendo veritatem, non tamen violat Iuſtitiam commutatiuam, nam ante mandatum Iudicis non tenetur ex iuſtitia commutatiua reuelare, ſed ſolum per mandatum Iudicis, & per conſequens nulla erit violatio iuſtitiæ commutatiuæ. Secundò ſi reus per alios teſtes iam conuictus erat, quia tunc teſtimonium accedens nihil efficit, non tenetur ad reſtitutionem, & ſi iniuriam fecerit falſum teſtimonium ferendo, quia non cenſetur cauſa efficax damni, quod ex prioribus teſtimonijs iam cenſetur illatum. Ita Pitigian. *in pract.criminal.canon.de teſtib. cap.*6. dummodo Iudex per ſubſequens teſtimonium non fuerit factus firmior ad irrogandam pœnam. Tertiò, ex eodem Pitigian. *cap.citato*, Caiet. 2.2.*q.*70. *artic.*4. Petro Nauar. *lib.*2. *cap.* 2. *num.*253. quod qui falſum teſtimonium dixit ex ignorantia, vel obliuione inculpabili, ratione cuius contingit aliquem dānari non obligatur ad reſtitutionem, quia neque ratione iniuſtitiæ, & damnificationis, cum non peccauerit ſaltem mortaliter, idcircò non obligatur ad reſtitutionem ex damno illato. Ita Siluester *verbo teſtis quæſt.*8. Sotus 5.*de iuſtit.quæſt.*7.*art.*4. Caietanus 2.2.*quæſt.*70.*art.*4. Leſſius *loco cit.dub.*7. Diana *tract.*5. Miſcel.*reſolut.*105. & alii.

An teſtis teneatur denunciare quando ſcit nullum alium ſcire delictum?

BRACTEA I.

R. Negativa. Ita Ioannes Delacruz *in direct. conſcient.part.*1.*lib.*4. *dub.*13. vbi aſſerit, ſi accuſator habeat ſolum vnum teſtem, iſte dum ſibi non conſtat de alio conteſte poteſt dicere ſe nihil ſcire. Ratio, quia dum teſtis ſciat neminem alium illud delictum a reo perpetratum eius teſtificatio nihil probaret, niſi ad vexandum reum, quia ex ſola ipſius depoſitione condemnari non poteſt. Vnde abſque cauſa teſtis infamat delinquentem, cum ſciat probandum non eſſe delictum. Secundò, teſtem ſingularem non ſufficere ad plenā probationem ſi agatur de condemnatione ad mortem, vel danda ſententia in præiudicium notabile alicuius. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.*70. *art.*3. ibique Caietan. Bannez, Salon. Arragonius; ſi verò ſint ſingulares conteſtes, qui ſic deponerent de eodem delicto, iiſdemque circunſtantijs vtique ſufficerent; at ſi agatur de cauſis lenioribus, vt de condemnatione ad pœnam pecuniariam, vel corporalem leuem ſufficere teſtimoniū vnius fide digni, cum ſic expediat bonæ gubernationi, in grauioribus etiam citra mortem ſatis eſt vnus teſtis magnæ auctoritatis. Ita Sayrus *cap.*20.*num.*15. Tertiò, teſtes ſingulares ſufficere ad indicia contrà Reum, & ſi ſint omni exceptione maiores ſufficiunt ad torturam. Quartò, ad probandum aliquem eſſe hæreticum ſufficere teſtes ſingulares, ex quibus vnus deponat de vna hæreſi, & alter de altera. Ratio eſt, quia ad plenam probationem requiruntur duo, aut plures teſtes einſdem Rei in ſpecie, neque enim probari poteſt hæreſis communi, niſi probetur aliqua hæreſis in ſpecie: ad hāc autem non ſufficiunt teſtes ſingulares ex *practicar. inquiſitor.* vt ex Pegna *in comment.director.inquiſit.* patet.

An teſtis de auditu faciat plenam probationem?

BRACTEA II.

R. Si propriè loquendum eſt non ſatis eſſe; per teſtem enim de auditu ſumitur is, qui audiuit alium affirmantem ſe vidiſſe, quia huiuſmodi cognitio tantum ſpectat ad fidem humanam tantum indicandum de veritate delicti. Secundò, in delictis, quæ conſiſtunt in voce, vt blaſphæmia, contumelia, detractione, &c. teſtis de auditu æquiualet teſti de viſu, quia tale delictum non poteſt ſenſu alio percipi, quam auditu; nec requiritur, vt ſimul audiens audiat delinquentem loqui, ſatis eſt tantum audire eius vocem; quando teſtis habet plenam notitiam eius vocis.

An qui noluit teſtari in fauorem alterius obligetur ad reſtitutionem damni ſecuti?

BRACTEA III.

R. Neminem ex iuſtitia teneri ad teſtandum in fauorem alterius, ſed ſolum ex charitate, quando videt teſtimonium ſuum eſſe neceſſarium ad vitandum proximi damnum. Ita Leſſius *lib.*2.*cap.*30.*dub.*8. Salon. 2. 2. *quæſt.*70. *art.*1. Bannez *ibidem dub.*3. Clauis regia *lib.*12.*cap.*20.*nu.*26. Rebell.

lib. 2. *de reſtitut. ſect.* 8. *num.* 63. & alij. Ratio cur non obligetur ex iuſtitia, eſt, quia non magis obligatur ad teſtandum in fauorem, quam illi ſubueniendum in alijs neceſſitatibus cui non tenetur ex iuſtitia. Ratio, cur teneatur ex charitate eſt quia quilibet proximo indigenti, tenetur ex charitate ſubuenire. Secundò, non obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia nolendo teſtari non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, & obligatio reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ, non autem charitatis. Tertio, teſtis, qui accepit pecuniam pro vero teſtimonio ferendo non tenetur ad reſtitutionem pecuniæ acceptatę. Ratio, quia teſtis ex ſola charitate tenetur teſtari, & conſequenter nolens teſtari abſque pecunia peccat ſolum contra charitatem, & peccatum contra charitatem non obligat ad reſtitutionem. Ita Valentia *tom. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *pun.* 6. Nauar. *cap.* 25. *num.* 43. & alii.

An teſtis, qui fugit antequam citetur ad ferendum teſtimonium, peccet contra iuſtitiam, & obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

R. Non obligari ad reſtitutionem. Ita Salon. 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 1. Bannez *ibidem dub.* 3. Leſſius *loco cit. dub.* 8. *num.* 58. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 20. Rebellus *lib.* 2. *de reſtitut. quæſt.* 14. *ſect.* 8. *num.* 63. & alij. Ratio eſt, quia nemo obligatur præcepto Superioris, priuſquam id debito modo ei imponatur, ſicuti ſe abſcondit à conſpectu Superioris, ne ab eo aliquod mandatum recipiat, non obligatur mandato, quamuis malè faciat ſe abſcondendo. Secundò, probabiliter defendi poſſe, non peccare contra iuſtitiam, qui poſt citationem fugit, vel aliqua fraude vtitur, vt euitet teſtimonium, poſtquã legitimè citatus eſt, vt ſi dicat, Reum eſſe ſibi inimicum, &c. Ita Molina, & plures apud Leſſium *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 8. Contrariam ſententiam tuentur Nauarr. *cap.* 25. *num.* 41. Sotus 5. *de iuſtit. quæſt.* 7. *art.* 1. Salon. *loco cit.* & alij. Tertiò, probabile eſſe eũ, qui iurauit dicere veritatem, ex iuſtitia non teneri eam dicere, ſed virtute obedientiæ, & Religionis, quia iuramentum nõ confert vllum ius iuſtitiæ in eum, cuius cauſa iurat, non enim intendit aliquid ei promittere, ſed iurare ſe hoc facturum, nempè quod ſit dicturus veritatem, quam nouit; ſecus ſi promiſerit. Quartò, teſtem, qui per impudentiam crimen aliquod detexit, non obligari ad reſtitutionem, ſi bona fide detexit, quia putabat ſe legitimè de hoc interrogari à Iudice: ſi tamen ſine ſuo detrimento poſſet, & ſperet retractationem profuturam, tenetur lege charitatis retractare, ita tamen, vt non obligetur ad reſtitutionem, ſi non retractauerit. Ita Malderus citatus à Diana *tract.* 5. Miſcel. *reſolut.* 101.

An teſtis, qui falſo teſtimonio impedit ſententiam, & conſequenter pœnam fiſco, vel alijs applicandam, teneatur ad reſtitutionem?

BRACTEA IX.

R. Negativvs, quia huiuſmodi pœna non obligat ante ſententiam Iudicis, vt communiter Doctores tradunt, & per conſequens non eſt ſoluenda ante ſententiam, qua ipſa pœna iubeatur ſolui; ergo non ſecuta ſententia, non debetur pœna. Tum etiam, quia illud falſum teſtimonium, quo ſententiam impedit, non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ſed ſolum contra charitatem, & obedientiam, & iuſtitiam legalem, quæ virtutes non obligant ad reſtitutionem, cum non teneatur lege iuſtitia verum fateri, ſed lege obedientię, & iuſtitiæ legalis. Contrariam ſententiam tuetur Molina *tom.* 1. *diſp.* 95. *num.* 36. Layman *in Theolog. moral. lib.* 3 *ſect.* 3. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. Sotus *de iuſtit. quæſt.* 6. *art.* 6. Ratio eſt, quia impediens iniuſtè, vi, vel fraude, aut mendacijs rem non debitam, vel legatum, quod Teſtator volebat alteri relinquere, tenetur ad reſtitutionem; ergo magis tenebitur, quando res eſt debita, & in caſu noſtro.

An teſtis interrogatus debeat detegere Reum, cui promiſit ipſum non eſſe reuelaturum?

BRACTEA X.

R. Affirmativs, etiamſi promiſſio, ſit firmata iuramento, quando iam de delinquente ſemiplena infamia fuerit, aut probatio. Ratio eſt, quia ſecluſa promiſſione tenetur ſub reatu culpæ id manifeſtare, & cum iuramentum, & promiſſio non poſſint eſſe vinculum iniquitatis, id eſt cum non obligent ad illicitum, obligare non poſſunt ad contrarium, ſeu contradictorium illius, ad quod ſecluſa ea promiſſione ſub reatu culpæ tenetur. Vnde quando promiſſioni, aut pacto non manifeſtandi aliquid, ſuperuenit iuramentum poſt id iam agnitũ, etiamſi firmentur iuramento non efficiunt, vt qui alioquin teneretur reuelare poſt eam promiſſionem, aut pactum iuratum non poſſit, aut non teneatur illud manifeſtare, immò non ſecus tenetur illud manifeſtare, ac ſi ea promiſſio, & pactum non adueniſſent, Molina *loco citando*. Si verò ante crimen agnitum præcederet promiſſio, aut etiam iuramentum de illo non manifeſtando, quando per ſe ipſum in futurum videret de illo patrari, aut per ſe ipſum illud agnoſceret, teneretur tunc illud Iudici manifeſtare, ſi iuridice interrogaretur. Ratio eſt, quia in eo euentu promiſſio, & iuramentum de non manifeſtando, eſſent de re illicita, hoc eſt de eo crimine non manifeſtando, quando in futurum eſſet obligatio illud manifeſtandi, Molina *tom.* 1 *de iuſtit. tract.* 3. *diſp.* 4.

Quin agendum quando Teſtes ad inuicem diſcordes ſunt?

BRACTEA XI.

R. Si diſcordes ſint in pertinentibus ad ſubſtantiam facti Teſtes, Actoris, & Rei, iudicandum eſt pro Reo. Ita Sanctus Thomas *quæſt.* 70. *artic.* 2. ibique Doctores, Syluester *verbo teſtis quæſt.* 7. Syrus *cap.* 21. *num.* 13. Ratio, quia vbi iura ſunt æqualia potior eſt ratio poſſidentis, Reus autem eſt in poſſeſſione vitæ ſuæ, famæ, & bonorum; ergo, &c. ſi diſcordes ſint in pertinentibus ad accidentia facti, quæ non attingunt ſubſtantiam, nõ præiudicat talis diſcordia teſtimonio. Ratio eſt, quia circa talia non ſolent homines ita attenti eſſe hoc ipſo, quod accidentalia ſunt; ſi teſtes eiuſdem partis Rei, & Actoris inter ſe diſcordes ſint, tunc prudentia Iudicis opus eſt ad cognoſcendum, qui potius fa-

cere

cere debeat, vt ex numero Teſtium, ex dignitate, & fauorabilitate cauſæ, & alijs circunſtantijs. Ita Filincius *tract.* 49. *cap.* 8. *num.* 246. *&* 247. ex Sayro *loco cit. num.* 14.

An ſtandum ſit primo, an ſecundo dicto, cum Teſtis contraria dicit?

BRACTEA XII.

R. QVANDO vnum dictum eſt in Iudicio, & alterum contra iudicium ſtandum eſt dicto in iudicio, ſiue hoc primum, ſiue ſecundum. Ratio, quia dictum in iudicio firmatur iuramento, conſequenter præferendum eſt, tum propter Iudicis auctoritatem, tum propter iuramenti præſtiti Religionem. Quando verò vtrumque fuit in iudicio, ſed in diuerſis actibus, & examinationibus ſtandum eſt priori dicto; modo aliud non dicat in articulo mortis coram Iudice cum iuramento, tunc enim præſumitur verum dicere, quia nullus in mortis articulo præſumitur immemor propriæ ſalutis. *leg. vlt. Cod. ad leg. Iuliam*, Azorius 3 *part. lib.* 13. *cap.* 18. Couar. *lib.* 2. *var.* Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 6. & alij.

Dicta Teſtium dubia qualiter interpretanda?

BRACTEA XIII.

R. VERBA Teſtium dubia in benigniorem partem interpretanda ſunt, *Cap. cum tu, & ibi Gloſſ.* Secundò, verba Teſtium dubia ad hoc, vt probent, impropriari poſſunt, Butr. Abb. & Felin. & alij *in cap. cum tu*. Tertio, verba Teſtium dubia propriè ſunt interpretanda vulgariter, & ſecundum populi intelligentiam non autem iuxta ſubtilitates Iuriſperitorum, & legaliter accipienda sũt, & ſecundum vſum loquendi, & ciuiliter interpretanda ſunt, Rom. *conſ.* 300. *num.* 1. & alij. Quartò, quod verba Teſtium dubia ſonent potius in factum, quam in ius.

Sciendum, quod Teſtis dubia depoſitio in aliqua parte declaratur per aliam partem depoſitionis ipſius, item declaratur per alias depoſitiones clariores, ſimiliter verba, & depoſitiones dubiæ declarationẽ recipiunt à ſubiecta materia, Gram. *conſil. ciuil.* 39. *n.* 24. & alii. Secundò, recipiunt declarationem a capitulis, & articulis, ſuper quo examinantur; item ab inſtrumentis, & aliis ſcripturis in actis productis, Butr. *in cap. ad audientiam num.* 12. *de reſcriptis*.

Sciendum 2. Quod Teſtium dubia dicta contra producentem interpretanda eſſe, Abb. *in cap. cum clamor*, & alij. Item non valere depoſitionem dubiam, & obſcuram, niſi iterum deponant, & dicta ſua declarent; Similiter inde finitam depoſitionem Teſtis non æquipollere vniuerſali. Secundò, Teſtiũ depoſitio interpretanda eſt humano modo, & moraliter, non autem phiſicè veluti ſi dicat, ſemper, quotidie, &c. debet intelligi de continuatione morali, non autem phyſica, Abb. *in cap. proem. decretal. num.* 3.

Sciendum 3. Studendum eſſe pro poſſe ad interpretandas Teſtium depoſitiones ne inuicem contrarientur, tum quoad ſe ipſos, vel quoad alios Teſtes, cum reſpectu partium, & earum conſtitutis, & confeſſionibus, de quibus videri poteſt, Farin. *de text. queſt.* 65. *&* 66. *&c.* quæ breuitatis cauſa libenter omitto.

MALLEATIO LXXXII.

De officio Aduocati.

Qua ſcientia requiratur in Aduocato?

BRACTEA I.

R. DEBARA ſcire ius, in quo verſatur, & cognoſcere ſufficienter merita, & iuſtitiam cauſarum ſecundum iura. Ita communiter Doctores: Si notabiliter ab ea ſcientia deficiat, eſt in lata culpa, & vltrà peccatum mortale tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti, Clientibus ob imperitiã ſuam, ſatis tamen eſt in ſingulis cauſis eam diligentiam adhibere, quæ iudicio peritorum in ſua parte cenſetur ſufficiens pro ratione cauſæ. Addunt Doctores debere primò admonere Clientem, vt referat omnem veritatem negotii: Secundò, curet habere factum in ſcriptis, vt rectum reſponſum dare queat. Tertiò, poſt facti cognitionem interroget Clientem de legitimis probationibus ſi velit accuſare, ſi ſit Reus, an habeat legitimas probationes ad ſui defenſionem; Quartò, debet mitti iudicio, legibus, & doctrina, nec falſa crimina extra, aut falſos Teſtes, aut falſas producere probationes. Filincius *tract.* 40. *cap.* 10. *num.* 280.

Quinam prohibentur exercere munus Aduocati?

BRACTEA II.

R. TRIA genera perſonarum prohiberi: Primò, furioſi, amentes, impuberes, & puberes vſque ad decimum octauum annum, quia ante non cenſetur habere integram rationem, & perfectũ ſenſum ad id munus: Secundò, ſurdi, & muti etiam prohibentur, & cæci: Tertiò, prohibentur Clerici, & Monachi in Sacris conſtituti, vel in minoribus beneficiati. Ob neceſſitatem Monaſterii, Monachi de licẽtia ſui Abbatis in ciuilibus poſſunt eſſe Aduocati coram Iudice laico. Clerici in Sacris conſtituti, vel in minoribus beneficiati, vel in propria cauſa, vel pro Eccleſia ſua, vel pro coniunctis, & miſerabilibus perſonis coram Iudice laico poſſunt eſſe Aduocati, coram Iudice verò Eccleſiaſtico omnes exiſtentes in Sacris poſſunt exceptis Epiſcopis, & Sacerdotibus, qui tantum in prædictis cauſis poſſunt; hi enim etiã quoad cauſas ſæculares Aduocati eſſe poſſunt; coram Iudice verò ſæculari tantum in prædictis cauſis. Denique in minoribus ordinibus conſtituti non beneficiati Aduocati eſſe poſſunt in omnibus cauſis ciuilibus, ſicut laici, in criminalibus etiam poſſunt, modo non geſtent tonſuram Clericalem. Filincius *tract.* 40. *num.* 10. Petrus Nauar. *cap. non dicatis* 12. *qu.* 1. Silueſter *verb. Aduocatus queſit.* 7 Angelus *eodem verbo*, Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 22. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 29. *dub.* 2. Tabiena *verb. Aduocatus*, Reginaldus *lib.* 25. *num.* 663.

Quæ fidelitas ſeruanda ab Aduocato in patrocinando?

BRACTEA III.

R. Fidelitatem poſitam eſſe in quatuor conditionibus: Prima, vt non adducat falſas leges, vel abrogatas, vel doctrinam reprobatam, vel bonas leges in falſos ſenſus retorqueat. Secunda, vt defendat litem varis, & ſolidis rationibus, non falſis cauillis: Tertia, vt non inſtruat Clientem ad iurandum falſum, vel falſas ſcripturas, aut falſos Teſtes inducendos, nec in grauamen alterius partis quærat dilationes ad rem non facientes: ſi iuſta cauſa vtatur indebitis mediis, non tenetur ad reſtitutionem; Si verò iniuſtam cauſam non habeat, tenetur ad reſtitutionem damni & intereſſe. Quarta, vt non manifeſtet merita cauſæ Aduerſario, quia tunc veluti præuaricator puniendus eſſet.

An quæ obligetur Aduocatus, qui cauſam iniuſtam ſuſcipit defendendam?

BRACTEA IV.

R. Non modo peccare mortaliter, ſed etiam obligari ad reſtitutionem damni ſequuti aduerſæ patri ob patrocinium illius cauſæ, & expenſarum factarum, & eorum omnium, quæ per litem amiſit; tenetur etiam ſuo Clienti reſtituere expenſas, ſi illum non admonuit de iniuſtitia litis; verum ſi Cliens monitus de iniuſtitia cauſæ noluit deſiſtere, Aduocatum debere illum deſerere, non tamen ſecreta cauſæ prodere parti, niſi id foret neceſſarium ad graue aliquod damnum proximi impediendum; tunc enim deberet Iudici aperire, vt occurrat, quia quiuis ex charitate tenetur proximi damna impedire, quantum ſine ſuo damno poteſt. Secundò, Aduocatum Rei, qui eum defendit fraudibus contra fiſcum, non teneri ad compenſandum emolumentum, quod fiſco prouenisset ex condemnatione, quia pœna non debetur niſi ſecuta ſententia: iniuria autem, quæ fit Reipublicæ, eſt contra iuſtitiam legalem, non particularem, quæ ſola obligat ad reſtitutionem. Tertiò, Aduocatum Fiſci, qui negligenter agit cauſam illius, nec etiam teneri ad compenſationem earundem, quia officium eius non eſt curare, vt fiſcus diteſcat confiſcationibus, ſed vt ſeruentur leges, & puniantur violantes leges; ſi tamen notabiliter negligens ſit in officio ſuo, tenebitur ad reſtitutionem damni, & ſtipendii pro rata illius negligentiæ. Quartò, ſi Clienti intenteretur actio criminalis, & Aduocatus ita eum defendat, vt accuſator deficiat, & ideò condemnetur ad pœnam talionis, non teneri propterea ad compenſationem illius damni, quia id ſequitur per accidens, & ipſe non tenetur iuuare cauſam alterius. Filiucius *loco cit.* Secundò, ſi ignoranter in principio ſuſcipit cauſam iniuſtam defendendam, ſi ignorantia probabilis ſit, neque peccat, neque tenetur ad reſtitutionem; ſi vincibilis non excuſatur neque à peccato, neque à reſtitutione; Tertiò, ſi ita animo diſpoſitus ſit, vt quamcumque cauſam, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam defenderet, peccat quidem ob talem prauam diſpoſitionem, ſi tamen poſteà adhibita diligentia putans defendere cauſam iuſtam, defendat cauſam iniuſtam, excuſatur à culpa, & à reſtitutione. Ita plures apud Filiucium *loco citato*: Quartò, Aduocatus quando initio litis cauſam cenſebat iuſtam, ſed in progreſſu aduertit iniuſtam, tenetur admonere Clientem de iniuſtitia, & eam deſerere: D. Thomas *quæſt. 71. art. 3. ibique* Caietanus.

An Aduocatus poſſit defendere cauſam dubiam?

BRACTEA V.

R. Si vtraque opiniones ſunt æquè probabiles, poteſt quam velit ſuſcipere, ſiue Rei, ſiue Actoris. Ratio, quia habet ius experiendi in iudicio iuſtitiam tam etiam; quia pars, cuius cauſa eſt probabilis, non peccat ſe defendendo, aut accuſando; ergo neque peccat Aduocatus cauſam ipſius defendendo. Reginald *lib. 25. num. 673 dub. 9.* Filiucius *tract. 40. cap. 10. num. 285.* Secundò, ſi cauſa Rei ſit minus probabilis, quam Actoris, abſolutè tamen ſit probabilis, poteſt Aduocatus eam tueri. Ita Sotus *lib. 5. quæſt. 9. art. 3.* Ratio, quia ſicut Reus poteſt ſe tueri, ita & etiam Aduocatus poteſt illum defendere. Tertiò, ſi cauſa Actoria ſit minus probabilis, quam Rei, poteſt Aduocatus eam ſuſcipere, dummodo probabilis ſit, quia ſatis eſt Aduocato, quod cauſa ſit probabilis; idcircò poteſt ſe ſubiicere Iudicis determinationi. Quartò, poſſe regulariter Aduocatum relicta opinione probabiliori, ſequi opinionem minus probabilem non ſolum iuris, ſed etiã facti, etiam in cauſa ſanguinis, & amiſſionis omnium bonorum. Ratio, quia ſicut Cliens poteſt iuſtè litigare, ita Aduocatus poteſt iuſtè illi conſulere, & eum defendere, cum non imprudenter agat, quia ratione probabili ducitur. Ita Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 9.* & alij apud ipſum, Thurrianus *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 71. art 3.* Lorca *in part. 2. tom. 1. disp. 39. memb. 2.* Villabos *in tom. 1. tract. 1. difficult. 14 num. 5.* Contrariam ſententiam tuentur Maiderus *in part. 2. quæſt. 14. art. 56. diſp. 86. aſſert. 8.* Manticus *in part. 2. tom. 1. quæſt. 19 art. 6. dub. 6.* Ioannes Delacrux *in directet. conſcien. part. 2. precep. 8. art. 5. dub. 1.* & alii, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis Rei, & in dubio fauendum eſt Reo.

Ex qua culpa obligetur Aduocatus?

BRACTEA VI.

Sciendum, quod alibi diximus, culpam triplicem eſſe, latam, leuem, & leuiſſimam, & conſulentes quibus incumbit ex officio conſulere, aut eſſe imperitos, & non conſulere ſecundum regulas iuris, aut eſſe peritos, & ſecundum regulas iuris conſulere. His poſitis.

R. Qui exercet officium Aduocati, tenetur de damno ina lata culpa ſequuto. Ratio eſt, quia tenetur ſcire ea omnia, quæ ſciunt homines illius conditionis. Secundò, Aduocatum, qui conſulit, & defendit ſuum Clientem iuxtà regulas iuris, & ſufficienti diligentia vtitur, qua ſolent vti homines illius conditionis ad conſulendum, & eum defendendum, non teneri de damno ſua leui culpa ſequuto, niſi fortè pretium accipiat, vt vtatur maiori diligentia. Ratio, quia nemo tenetur adhibere maiorem diligentiam, quam paſſim homines eiuſdem conditionis adhibeant in tali officio; ergo ipſa ſuppoſita non tenetur de leui. Ita Rebellus *1. part. lib. 1. de contract. quæſt. 10. num. 12.* Silueſter *verb. culpa num. 6.* Sotus *de iuſtit. quæſt. 6. art. 2.* Azor. *3. part lib. 4. cap. 13. dub. 7.* Quod ſi pretium accipiat, vt vtatur maiori diligentia, illa debet vti, & non vtendo teneretur de leui, cum exerceat

ceat officium in vtilitatem vtriuſque. Vnde ſi Aduocatus adhibeat illam diligentiam, quam cæteri Aduocati boni adhibere conſueuerunt, non tenetur ad reſtitutionem damni, quod patitur Cliens amittendo cauſam, quam non amiſiſſet, ſi maiorem diligentiam adhibuiſſet. Tertiò, Aduocatum, qui ſe iactat, & oſtentat diligentiorem, & peritiorem, quam alij debere vti maiori diligentia, quam alij vtantur, & obligari de leui ad reſtitutionem damni ſequuti. Ratio, quia Aduocatus non ignorans opinionem, quam alij de ipſo conceperunt, cenſetur implicitè maiorem diligentiam promiſiſſe, conſequenter ea non adhibita, tenetur ad damni reſtitutionem de leui, & quanti valebat ſpes illa Clientis ſperantis ſe victorem futurum in cauſa, Aduocato eam diligentiam adhibente. Ita Rebellus *loco cit. num.* 7. Azor. *lib.* 4. *cap.* 7. *quæſit.* 2. Quartò, Aduocatum, qui ſe iactauit periti ſſimum, aut qui alium Aduocatum periti ſſimum excluſit, vt ipſe cauſam ſuſciperet, non ſolum tenetur de leui, ſed etiam de leuiſſima, nam tenetur eam diligentiam adhibere, quam adhibuiſſet Aduocatus peritiſſimus, qualem ipſe excluſit, vel quem ſe oſtentauit. Ita Rebellus *loco cit.*

An Aduocatus teneatur gratis pauperibus patrocinari?

BRACTEA VII.

R. In extrema neceſſitate pauperis, & quando nemo alius illi patrocinium præſtiturus eſt, quiuis Aduocatus tenetur etiam illi gratis ſuccurrere. Ita D. Thomas *quæſt.* 71. *art.* 1. & alij communiter omnes. Ratio, quia patrocinium eſt quædam eleemoſyna, quam quis in extrema neceſſitate poſito debet facere; & quiſque tenetur quo ipſe inſtructus eſt, extremè egenti illud impendere. Vnde Aduocatus obligatur patrocinium exhibere extremè egenti. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 7. Secundò, Aduocatum obligari ſub peccato mortali in re graui gratis patrocinium egenti extremè impendere. Ratio, quia in materia graui cenſetur peccare contra præceptum charitatis. Ita plures citati à Bonacina *de legib. diſp.* 10. *quæſt.* 3 *pun.* 4. *propoſ.* 2. Tertiò, in caſu extremæ neceſſitatis etiam cum ſuo incommodo tenetur pauperi patrocinari. Ratio, quia ſicut diues in extrema neceſſitate tenetur dare eleemoſynam de neceſſarijs ad ſui ſtatum, ita patrocinium exhibendum erit pauperi in extrema neceſſitate ab Aduocato, etiam cum ſuo incommodo. Quartò, pauperi in graui neceſſitate poſito, tenetur Aduocatus patrocinari gratis ſub peccato, dummodo præter operam, quæ illi neceſſaria eſt ad ſuum ſtatum ſuſtentandum aliquid temporis, vel induſtriæ illi ſuperſit. Ita Silueſter *verbo Aduocatus num.* 11. Sot. *lib.* 5. *quæſt.* 8. *art.* 1. & alij. Ratio, quia ſicut diues in graui neceſſitate poſito tenetur facere eleemoſynam ex ſuperfluis ſtatui, ita Aduocatus patrocinari, detrahendo de tempore, quo vacare debet cauſis, ex quibus lucratur ſuperflua ſtatui.

In quibus caſibus Aduocatus obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA VIII.

R. Peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, dum Cliens cauſam perdidit ex negligentia Aduocati, aut imperitia. Ratio, quia ratione officii tenetur eſſe inſtitutus conuenienti peritia, cum pro idoneo Aduocato ſe gerat, & vt talis ſtipendia exigat, & non faciendo, quod ex iuſtitia tenetur facere, peccat contra iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem.

Sciendum tamen non teneri in omnibus eandem diligentiam adhibere, ſed maiorem, vel minorem iuxta cauſæ conditionem, vt ſi ſit difficilis, & magni momenti, tenetur magis laborare, quam ſi ſit facilis, vel parui momenti. Leſſius *dub.* 8. Secundò, quando Aduocatus patrocinatur cauſæ, quam aduertit eſſe iniquam, obligatur ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ parti obueniunt ratione illius patrocinii, vt expenſarum factarum, &c. Ratio, quia cenſetur cauſa iniuſta damni. Vnde parti contrariæ obligatur ad reſtitutionem ex peccato commiſſionis, quia fuit illi cauſa paſſiua damni; Clienti verò tenetur ex peccato omiſſionis, quatenus illum non admonet de iniuſtitia cauſæ, quia ratione officii tenebatur ipſum admonere.

Sciendum 2. Quod ſi Cliens admonitus de iniuſtitia cauſæ noluit deſiſtere, Aduocatus debet illum deſerere, non tñ ſecreta parti prodere, niſi id eſſet neceſſarium præcepto charitatis ad impediendum graue damnum proximi. Tertiò, Aduocatum obligari ad reſtitutionem, ſi parti contrariæ manifeſtauit ſecreta cauſæ, ob quorum manifeſtationem Cliens cauſam perdidit, quam alioqui licitè viciſſet; fecit enim contra proprium officium, nec debitam adhibuit diligentiam ad cauſam in fauorem Clientis obtinendam. Niſi fortè periculum ſi, vt pars contraria graue damnum iniquè patiatur. Quilibet enim tenetur quantum poteſt ſine ſuo graui detrimento proximi damnum impedire. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 8. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 29. *dub.* 3. Reginald. *lib.* 25. *num.* 669. Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 25. *pun.* 4. Arragon. 2. 2. *quæſt.* 71. *art.* 2. & 3. Sotus *lib.* 1. *de iuſtitia quæſt.* 8. *art.* 3. & alii plures. Quartò, Aduocatum non teneri ad reſtitutionem fiſco, dum cauſam alicuius defendit, quam ſi non defendiſſet, fiſcus illius bona recepiſſet. Ratio, quia pœna non debetur ante ſententiam, & ſicut Reus non obligatur ad ſolutionem ante ſententiam; ita nec Aduocatus ad reſtitutionem. Tum etiam, quia hoc damnum fiſco ſequitur per accidens, & præter intentionem Aduocati. Ita Leſſ. *loco cit.* Salon. 2. 2. *quæſt.* 71. *ar.* 4. & alii.

An Aduocatus poſſit tranſigere cum parte contraria, dum in principio litis credebat cauſam eſſe iuſtam, quam poſteà cognouit iniuſtam?

BRACTEA IX.

R. Negatiua cum damno partis, quia tranſactio ſolum eſt admittenda in cauſa dubia, & idcircò peccat, dum aduertens alteram partem proſequi cauſam iniuſtam inducit alteram ad tranſactionem cum damno; Si verò ad tranſactionem inducat ſine damno, aut ſine deceptione, vel vi, vel metu, non peccat, quia nulli facit iniuriam.

Ita Valentia, & Azotius *locis citatis*, Nauar. *cap.* 25. *num.* 28. Leſſius *loco cit. num.* 40. & alii.

Quot ſtipendij poſſit accipere Aduocatus?

BRACTEA X.

R. Vbi pretium taxatum eſt à Principe, vel Magiſtratu, vel conſuetudine recipere aliquid vltrà taxam, eſt peccatum, niſi exceſſus liberaliter donetur, vel alia iuſta cauſa accipiatur, & obligatur acceptum reſtituere danti. Ratio, quia peccat contra iuſtitiam; ergo obligatur ad reſtitutionem. Secundò, ſi pretium non eſt iure, vel conſuetudine taxatum, Aduocatus tantum recipere poteſt, quantum iudicio prudentis iuſtum videtur, habita ratione laboris, dignitatis, ſcientiæ Aduocati; & difficultatis cauſæ, &c. Ita S. Thom. 2.2. *quæſt.* 71. *art.* 4. Salonius, Bannez, Arragon. *ibidem*, Azorius 3. *part. lib.* 13. *cap.* 29. *dub.* 7. Clauis regia *lib.* 12. *cap.* 23. *num.* 24. Regnaldus *lib.* 25. *num.* 676. Tertiò, Aduocatum non poſſe cum Cliente paciſci de quota litis, vt v. g. de medietate, &c. Ratio, quia huiuſmodi pactum vetitum eſt ne via, & aditus Aduocatis aperiatur vincendo lites per fraudes, vt promiſſa parte fruantur. *leg. ſi quis Cod. de poſtulat.* & *leg. ſumptus ff. de pact.* Nauarr. *cap.* 15. *num.* 30. Siluester *verbo Aduocatus quæſit.* 17. Clauis regia *loco cit. num.* 30. poteſt tamen paciſci cum Aduocato, ſiue lis vincatur, ſiue non de tanto pretio, quia tunc ceſſat periculum fraudis, & huiuſmodi promiſſio permiſſa eſt, *leg.* 1. *ff. mandati.*

An Aduocatus poſſit recipere integrum pretium promiſſum pro lite, ſi Cliens deſerat litem, vel cum Aduerſario componat?

BRACTEA XI.

R. Poſſe Aduocatum ſtatutum pretium recipere, dum litem non proſequitur eo, quod Cliens cum aduerſa parte compoſuerit. Ratio, quia per ipſum non ſtat, ne promiſſam operam præſtet. Tum quia ſicut conductor, qui ob ſuam culpam non vtitur re conducta, tenetur integram ſoluere penſionem, ita qui operam Aduocati conducit & eam, ſua compoſitione facta non vtitur, tenetur integram ſoluere penſionem, niſi aſſignata ſit ratione temporis, quia tunc non obligatur Cliens ſoluere integram penſionem, ſed quæ ei debetur ratione temporis. Secundò, ſi compoſitio Clientis cum contraria parte proueniat ex culpa, vel impedimento ipſius Aduocati, vt ſi in morbum incidit, &c. tunc Cliens non tenetur ſoluere totam penſionem, ſed ad ratam temporis, quo ipſius operam conduxit; Si verò ob Clientis defectum cauſam deſerit, vt quia Cliens aliquid confeſſus, ex quo Aduocatus cauſam iniuſtam cognouit, tunc poteſt integrum ſtipendium recipere. Ita Silueſter *verb. Aduocatus*, Tabiena *eod. verb.* Clauis regia *lib.* 23. *num.* 33. & alij. Tertiò, Aduocatum, cui pro tota lite aliquid determinatum pretium promiſſum fuit, poſſe integrum ſtipendium accipere, ſi lis perdita fuit, vel victa ante ſtatutum tempus; Si verò ſtipendium promiſſum fuit ad ratam temporis, ſolum ad ratam ipſius temporis poteſt recipere, & retinere, & non totum. Ita Clauis reg. *cap.* 24. & alii.

An Aduocatus conductus ſub certa annuali penſione ad patrocinandum in omnibus cauſis, ſi per annum nullam litem habuerit; poſſit petere ſtipendium?

BRACTEA XII.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia iſte contractus eſt ex vtraque parte oneroſus, & ſi per anni nullam habuit litem, poterat tamen habere. Tum etiam; quia Aduocatus paratus fuit ex ſua parte adimplere promiſſum, & ſi lites non habuit Aduocato non eſt imputandum, debetur etiam ſtipendium ratione obligationis, qua Aduocatus erat adſtrictus ad patrocinandum, quæ licet non ſit reducta ad actum, tamen eſt appretiabilis pecunia, maximè quia talis Aduocatus propter obligationem, quam habuit, non poterat aliam recipere, aut obligationem auocandi contra ſuum Clientem. Tum etiam, quia ſi lites multiplicatæ eſſent, ſtipendium non eſſet auctum, nec Aduocatus poſſet maius ſtipendium petere; ergo eodem modo ſi per annum Cliens nullas cauſas habeat, quas Aduocatus patrocinetur, tenetur ad totum ſtipendium. Ita Gutier. *practicar. quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 32. *num.* 1. & alii. Secondò, Aduocatū, qui ſponte officium Aduocati ſuſcepit gratis, nullum poſſe prætendere ſtipendium finita lite. Ratio, quia eo ipſo, quod gratis ſuſcepit, ceſſit iuri ſuo; & ſtipendium aliaſque expenſas condonaſſe cenſetur; Si verò non gratis, nec liberaliter, ſed animo mercedis officium patrocinandi ſuſcepit, poteſt mercedem, quæ Aduocato tradita fuiſſet, prætendere. Ratio, quia Operarius eſt dignus mercede ſua. Ita Bonacina *de legib. diſp.* 10. *quæſt.* 3. *pun. vlt.* Quia ſicut famulus, qui obſequia præſtitit animo recipiendæ mercedis, poteſt ſibi compenſationem facere in rebus Domini, ita Aduocatus, qui animo mercedis patrocinandus eſt, poteſt ſtipendium exigere, & ſi illud non recipit, poteſt ſibi compenſationem facere, cum ex iuſtitia debeatur ei ſtipendium, ſeruatis tamen regulis compenſationis.

An Aduocatus poſſit eſſe Iudex in cauſa, cuius fuit patronus?

BRACTEA XIII.

R. Negatiuè propter affectionem, & præſumptionem, quæ eſt contra eum, iuxta *leg. Præt. ff. de iuriſd. omn. Iudic.* ſed quia dicta lex fundatur in præſumptione; puto cum Corduba *in ſumm. quæſt.* 259. ſolum procedere in foro exteriori, & in foro conſcientiæ ſi ceſſet omnis inordinatus affectus dictum Iudicem non peccare, dummodo ſententiam proferat ſecundum leges nullo habito reſpectu ad affectionem. Secundò, Aduocatum excommunicatum vitandum illicitè exercere tale officium. Ratio, quia exercendo cum aliis participat contra obligationem cenſuræ, tamen illius acta eſſe valida, quia nullo iure conſtat irritari. Tum etiam, quia geſta Actoris, & Rei excommunicati valida ſunt; ergo etiam Aduocati ipſorum, niſi repellatur, aut ei obiiciatur excōmunicatio. Ita Sayrus *lib.* 2. *cap.* 7. Filiucius *tract.* 12. *cap.* 17. *quæſt.* 7. Hugolinus *cap.* 17. *num.* 2. aſſerentes tunc acta ratione publici officii eſſe inualida, quoties officium, quod exercetur eſt publicum auctoritate, & vtilitate, vt eſt officium

ficium Iudicis, &c. Secus ſi ſit publicum ſolum au-ctoritate, vtilitate priuatum, vt eſt officium Aduocati. Tertiò, Aduocatus excommunicatus qui exercuit officium, poteſt pretium promiſſum petere, & iuſtè retinere. Ratio, quia nullo iure conſtat id non poſſe. Tum quia exercuit opus pretio æſtimabile. Ita Suarez *diſp.16.ſect.num.3.* Auila *2.part.diſp.7.dub.3.* & alii contra Hoſtienſem, & alios.

An Aduocatus qui cauſam Rei ſuſcipit, fiat irregularis, quando ſequitur mors accuſatoris, qui compertus eſt calumniator?

BRACTEA XIV.

R. Negative, quia eius mors ſequitur ſolum per accidens ex facto Aduocati cooperantis ad defenſionem innocentis, per ſe autem prouenit ex calumnia ipſius accuſantis. Ita Hugolinus *de irregularit.cap.9.* Molina *diſp.74.* Suarez *diſp.47. ſect.4. num.6.* Secus autem dicendum quando Aduocatus petit accuſatorem puniri pœna talionis, ſeu ſanguinis, quia tunc cenſetur cooperari in cauſa ſanguinis, nec illi prodeſt proteſtatio, cum non agatur de rebus ipſius. Idem dicendum, quando Aduocatus iniuſtè defendit reum, & ob iniuſtam ipſius defenſionem ſecuta eſt mors, vel mutilatio Accuſatoris, tunc enim actione ſua iniuſta cenſetur cauſa omnium malorum inde prouenientium, conſequenter cenſetur reus irregularitatis ex delicto, niſi bona fide fecerit, credens accuſationem fuiſſe iniuſtam; tunc enim ratione bonæ fidei videtur excuſandus ab irregularitate, ſicuti excuſatur à delicto. Ita Bonacina *de cenſuris diſp.7. quæſt.4. pun.3. propoſ.1. num.5.* & alii ab ipſo citati. Secundò, Aduocatum eſſe irregularem, ſi eius imperitia reus fuit condemnatus morte, quam euaſiſſet, ſi munus ſuum ille obiiſſet. Ratio, quia mors imputatur ipſius culpæ, vt patet à ſimili de morte ægroti, quæ ſequitur ex prætermiſſa à Medico diligentia. Ita Nauar. *cap.27.num.248.* Hugolinus *loco cit.* §. *1. num.4.* & alii communiter. Tertiò, Aduocatum Accuſatoris fieri irregularem ſecuta morte, vel mutilatione eius, contra quem agebat. Ratio, quia cenſetur cooperari in cauſa ſanguinis, vel mutilationis, & per conſequens eſſe irregularem, etiamſi præmittet proteſtationem. Ita Filiuc. *tract.19. num.257.* Couar. *part.2.§.5.* Hugolin. *de irregularit. cap.6.§.9.* Henriq. *cap.12.num.8.* Suarez *diſp.47.ſect.3.* Ratio, quia cooperantes in cauſa ſanguinis incurrunt irregularitatem, niſi excipiantur à iure: ſed Aduocati non excipiuntur à iure ob proteſtationem, nam in *cap. Prælat. 2. de homicid.* ſolum excuſantur accuſatores, ſeu denunciatores, in cauſa propria, non verò Aduocati; ergo incurrunt irregularitatem. Et ita Layman *ſect.5.tract.3.part.3,cap.7.nu.5.* Molina *tom.4 tract.3. diſp.74. num.10.* Thurrianus *de cenſib. lib.9. diſp.66. dub.3.* Petrus Corneyo *in 3. part. D. Thomæ. tract.5 de irregularit. diſp.11. quæſt.6.* Reginald. *tom.2. lib.30 tract.2.cap.11 num.133.* & alii.

An Aduocatus peccet differendo expeditionem ſcripturarum, cum præiudicio Clientis?

BRACTEA XV.

R. Peccare, & obligari ad reſtitutionem ſi ex illa retardatione ſequatur aliquod damnum Clienti. Ratio, quia nimis retardando faciunt negligenter rem ſui Clientis, & contra proprium officium agunt. Secundò, peccare Aduocatum qui cauſas prius acceptatas alijs poſtponunt, aut qui plures cauſas acceptant, quam poſſint intra præfixum terminum abſoluere, & expedire, niſi eas acceptent ſcientibus hoc ipſis clientibus, tunc enim poſſunt excuſari, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. Ita Toletus *lib.5.cap.61.* Reginaldus *lib.25.num.68.* Clauis regia *lib.12.cap.26.* & alij.

An Aduocatus teneatur ieiunare?

BRACTEA XVI.

R. Affirmative. niſi forſan in aliquo die coactus fuerit nimium ſtudere ob cauſam clientis, aut ita debiles ſint, vt ſufficienter ſtudere non poſſint ieiunando, vt cauſis clientum ſatisfaciant. Secundò, Aduocatum conſulere in die feſto non eſt peccatum. Ita Azorius *part.2. lib.1. cap.27.* Suar *cap.30.num.9.* Reginaldus *lib.19. num.35.* & alii. Ratio eſt, quia ius ſolum prohibet, ne cauſæ forenſes agantur in die feſto: ſed non prohibet, ne Aduocatus conſulat, etiamſi id faciat lucri cauſa.

MALLEATIO LXXXIII.

De officio Procuratoris.

De Conditionibus requiſititis in Procuratore?

BRACTEA I.

R. Qvatvor eſſe; prima eſt ſcientia ſufficiens ad munus tale, & alioquin peccat, & obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti ob ſuã imperitiam. Secunda, diligentia, quæ in tribus conſiſtit: Primò, vt petat terminos iuſtos in cauſa, probet quę, & quando probanda ſunt. Secundo, vt reſpõdeat in termino cauſæ, appellet ſuo tempore, alioquin tenetur de damno parti læſæ. Tertiò, vt multis litibus non occupetur, ſed eas tantum ſuſcipiat, quibus ſufficiat abſoluendo cauſas prius ſucceptas. Tertia, conditio eſt veritas, quam ſeruare debet, tam in ſeipſo, quam in ſuis Clientibus, non auctor mendacij, vel falſos teſtes inducat, nec petat dilationes ſuperfluas. Quarta eſt iuſtitia, quæ poſita eſt: Primò, vt cauſam iniuſtam non ſuſcipiat, etiamſi habeat aliquod caput iuſtum: Secundò, vt cauſas prius ſuſceptas prius procuret, & non plures accipiat, quã infra debitum tempus abſoluere poſſit; quod ſi cum multas habeat adhuc cogatur accipere, debet manifeſtare, ſe non poſſe illis vacare, niſi poſt tale tempus, & ſi clientes inſtent, tunc acceptare poteſt: Tertiò, vt non inducat partes ad iniquam concordiam: Quartò, vt non differat cauſam, aut peruertat Iudicem, vel ex induſtria prolonget. vt longius ſtipendium accipiat: Quintò, vt debito modo pro-

curationem exerceat non petendo terminos impertinentes, nec manifeſtando crimina occulta contrariorum teſtium quando non eſt neceſſarium: Sextò, vt non exigat ſtipendium immoderatum, nec accipiat munera, niſi iure conceſſa, & permiſſa, comeſtibilia. Ita Filiucius *tract.40.cap.10.num.295.*

An ſi Procurator habet Scribam gratis ſcribentem acta, poſſit ſibi retinere ſtipendium debitum?

BRACTEA II.

R. Si in gratiam Procuratoris ea faciant, quia ſint Iudices ediſcentes practicam, poſſe ſibi retinere ſtipendium. Ratio, quia apud Procuratorem remanet obligatio eos alendi, & docendi practicam; verum ſi in gratiam principalis actoris id faciant, non poteſt aliquid recipere, ſed debet eſſe in beneficium principalis. Secundò, ſi Procurator in aliqua cauſa aliquem ſibi ſubſtituat, poteſt ſibi partem ſtipendii retinere, dummodo hoc faciat de conſenſu ſaltem tacito principalis, & ſine damno eorum, quorum patrocinium ſuſcepit. Ratio, quia nulli facit iniuriam, non Clienti, cum per alium idoneum ſuppleat, neque ſubſtituto, cum illi iuſtum ſtipendium tradat, & ipſe ſubſtitutus ſit contentus tali ſtipendio, volenti, & conſentienti nulla fit iniuria. Tertiò, litigans pro alio non gratis, ſed animo mercedis accipiendæ, ſi ipſe Procuratoris officium agat, poteſt accipere, & retinere ſtipendium debitum. Ratio, quia eius opera eſt appretiabilis pecunia, & per conſequens digna ſtipendio. Tum etiam, quia eſt animus recipiendi mercedem. Si litigando pro alio, & exercendo officium Procurator perdidit ob id aliquod lucrum, vel acceſſit aliquod damnum, poteſt retinere ſtipendium. Ratio, quia ex iuſtitia debetur ratione lucri ceſſantis, vel damni cauſati, nam propter aſſiſtentiam in lite repetitur lucrum perſonale, quod amiſſum fuit. Abbas *cap. finem litib. num. 30. de dolo, & contumacia*, & Summiſtæ *verb. Procurator.*

An Procurator, qui cauſam Clientis ſuſcipit gratis, quia amicus, &c. poſſit parta victoria ſtipendium retinere?

BRACTEA III.

R. Non poſſe ſi abſolutè in gratiam conſanguinitatis vel amicitiæ ſuſcepit cauſam clientis. Ratio, quia liberaliter cenſetur iuri ceſſiſſe ratione conſanguinitatis, &c. Si verò Clientis negotium ſuſcepit ex intentione mercedis, poteſt ſibi retinere ſtipendium ſuo labori adæquatum. Ratio patet ex ſupradictis. Secundò, quando abſolutè cauſam Clientis ſuſcepit ratione conſanguinitatis; &c. non modo Cliens non obligatur ſoluere ſtipendium, ſed nec etiam damnum emergens, vel lucrum ceſſans. Ratio, quia Procurator cenſetur non modo condonaſſe ſtipendium debitum, ſed etiam damna illi adnexa; & per conſequens ex neutro capite poteſt aliquid tanquam ex iuſtitia ſibi debitum accipere.

Ex qua culpa obligetur Procurator

BRACTEA IV.

R. Teneri primò de damno ſua lata culpa ſecuto. Ratio, quia tenetur ſcire, quæ homines illius conditionis ſcire debent. Tum etiam quia exercendo cauſam litis debet vti ea diligentia, qua homines illius conditionis vti ſolent, & non vtendo cenſetur in culpa lata, & per conſequens obligatus ad reſtitutionem damni ſecuti per ſuam culpam, vel imperitiam. Secundò, non tenetur de damno ſua leui culpa ſecuto, niſi fortè pretium accipiat pro adhibita maiori diligentia in lite, vel exercendo officio Procuratoria. Ratio, quia regulariter nemo obligatur adhibere maiorem diligentiam, quam homines illius conditionis vti ſolent, & per conſequẽs non tenetur de leui. Tum etiam quia in foro conſcientiæ nemo tenetur ex culpa leui, vel leuiſſima in officio, ſed ſolùm ex graui, quia nemo tenetur in officio, vel artificio eſſe diligentior, vel prudentior quã paſſim homines eiuſdem conditionis eſſe ſolent, & ideò Procurator non tenetur eſſe diligentior, aut prudentior, quam paſſim homines eiuſdem cõditionis eſſe ſolent, Vnde ſi contingat cauſam amittere, eo quod non præſtitit, quod diligentiſſimus præſtitiſſet, tamen ſi bona fide præſtitit, quod ſolent diligentes præſtare in ſimilibus cauſis, non obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib.2.cap.30.dub.7.*

An Procurator, qui fungitur officio Aduocati, vel Notarij, poſſit eorum ſtipendium retinere?

BRACTEA V.

R. Affirmatiue, modò id faciat ſine Clientis damno, & iniuria. Ratio, quia id nullo iure prohibetur, ne Procurator eorum munera exerceat, & eorum ſtipendium accipiat, modò ad id cenſeatur idoneus; ſecus verò dicendum eſt, ſi Procurator non ita eruditè conſilia conficiat, & non cõſentientibus Clientibus, qui vel & cõſilia per inſtructiores Aduocatos non ſolum ſubſcribi, verùm etiam proprio marte confici. Secundò, Procuratorem peccare differendo expeditionem cauſarum, quando id fit cum incommodo Clientis, & obligari ad reſtitutionem damnorum inde obuenientium. Vnde peccant, & reſtitutioni ſunt obnoxij, qui cauſas prius acceptatas negligunt, vt poſteriores proſequantur, & qui plures cauſas acceptant, quam intra præfixum tempus abſoluere poſſunt.

In quibus caſibus differat Procurator ab Aduocato?

BRACTEA VI.

R. Differre: primò, quia cum Procuratore contrahitur, & mandati actio in eum competit, quandoquidem litem alterius plerunque abſentis nomine proſequendam ſpontè ſuſcipit: Aduocatus verò obligatione mandati non conſtringitur, ſed Clienti in iudicio præſenti, & pro ſe etiam agenti, aut aduerſario reſpondenti patrocinium aliquod, aut defenſionem præſtat. Siluester *verbo Procurator.*

Sciendum, quod ſicut nemo inuitus contrahere,

ita

ita etiam nemo officium Procuratoris ſuſcipere cogitur. *leg. invitus cod. de Procurator.* ſed Aduocatus vt certæ perſonæ, quæ ſeipſam ſatis defendere non poteſt, patrocinium ſuſcipiat, à Iudice compelli poteſt. *l.1.§. ait Prætor 1.ff. de poſtulando,* & officio Aduocationis priuari poteſt, ſi iuſta excuſationis cauſa non allata pro altero poſtulare renuat. Ita Armilla *verbo Aduocat.*

An Clericus poſſit eſſe Procurator?

BRACTEA VII.

R. Clericum in Sacris, vel beneficiatum coram Iudice ſæculari in cauſis ſæcularibus nõ poſſe exercere officium Procuratoris, niſi in cauſa propria, vel ſuorum, vel Eccleſiæ, aut perſonarum miſerabilium. Ita *in cap.1. de poſtulando:* in cauſis autem Eccleſiaſticis coram Iudice ſæculari poſſe officium Procuratoris agere, & coram Iudice Eccleſiaſtico, niſi ſint Sacerdotes, quia is poſtulare non permittitur, exceptis quatuor caſibus ſupradictis, & ſimile dictum ſuit de Aduocato. Secundò, Laicum poſſe eſſe Procuratorem ad defendendum in cauſis ſpiritualibus. Et ita colligitur ex Barboſa *in lib. 1. 6. Decretal.* & ita etiam Flaminius Pariſienſis *de reſignatione beneficior. lib. 9. quæſt. 3. num.* 14. Quod tamen non poteſt facere nomine proprio. Ita Tiraquel. *de iure maritigloſſ. 5. num.* 178.

An pactum de quota litis à Procuratore cum Cliente factum, valeat?

BRACTEA VIII.

R. Tale pactum irritum eſſe, vt dictum eſt ſupra de pacto ab Aduocato facto de quota litis. *leg. 7. ff. mandati, leg. ſi qui Cod. de poſtulando, leg. litem Cod. de Procurat.* An valeat pactum non expreſſe de quota litis obtentæ, vt certa aliqua pars detur in caſu victoriæ, v. g. ſi domus, de qua litigatur valeat centum, quinquaginta ducatos, obtenta victoria litis Procuratori dentur quinquaginta. Nauar. *lib. 1. conſ. 4. de pactis, & in manual. cap. 25. aut.* ſine peccato conuenire poſſe, vt certa quantitas iuſta pro labore ſoluatur, ſiue victoria litis obtineatur, ſiue non, immò de certo præmio præter ſolum ſtipendium dando, ſi victoria proueniat, modo moderatum ſit ex lege ſpeciali non prohibitum.

Sciendum peccata Procuratorum à Nauar. *cap.25. num.* 28, ſeptem præcipua numerari. Primum, ſi cum non ſit idoneus Procurator, officium exercet: Secundum, quando defendit cauſam, quam ſcit eſſe iniuſtam, cum obligatione reſtituendi damna parti aduerſæ, & ſuæ, ſi eam de hac re non admonuit: Tertium, ſi perdit cauſam ſuæ partis iuſtam ob notabilẽ ſuam ignorantiam, vel negligentiam: Quartũ, quando ob nimias dilationes, & illicitas ſubornationes teſtium notabiliter officit parti aduerſæ habenti alioquin cauſam iuſtam, & vltra peccatum mortale, eſt obligatio reſtituendi damna, & intereſſe: Quintum, ſi Aduerſario ſecreta ſuæ partis pandit, aut pauperi non ſubuenit: Sextum, qui ſtipendium immoderatum accipit, aut fauet parti aduerſæ: Septimum, ſi conuenit de quota litis, licet poſſit conuenire, vt certa quantitas detur pro ſuo labore.

An Procurator teneatur ieiunare?

BRACTEA IX.

R. Affirmatiuè; & ita Ioannes Delacrux *in directør. conſcientiæ part. 1. precept. 3. art. 4. dub. 9.* Ledeſma *in ſum. tom. 2. tract. 17. cap. 2. concluſ. 5. dub. 3.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. cap. 17. nu. 216.* Verum ſi labor ita in aliquo die ieiunij eſſet exceſſiuus, vt neceſſe fuerit multum tranſeundo de loco ad locum ambulare, vel ita debiles ſint, vt ſufficienter ieiunando non poſſit cauſis Clientum ſatisfacere, tunc eos non eſſe obligatos ad ieiunium. Ita Facundez *præcep. 4. lib. 1. cap. 8. num.* 19.

An Procurator dubitans de falſitate vnius inſtrumenti tamen ipſum in actibus producit, & litem vincit; ſine quo litem perdidiſſet, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA X.

R. Primo Procuratorem peccare mortaliter producendo in actibus inſtrumentum, de quo dubitat, an ſit verum, antequam vſus ſit diligentia ad ſciendam veritatem. Ratio, quia exponit ſe periculo producendi falſum; ergo, &c. Secundò, obligari ad aliqualem reſtitutionem damni ſequuti per illam productionem inſtrumenti cum tali dubio, ſi per illam productionem litem vicit, niſi poſteà conſtet certò de veritate illius inſtrumenti, aut aliunde etiam eſſe victurum litem.

An Procurator reuocari poſſit?

BRACTEA XI.

R. Ante litem conteſtatam etiam ſine cauſa libere poteſt Procuratorem reuocare, poſteà verò ipſo nolente nequibit, niſi ſiat inimicus Domini, vel ſuſpectus, vel affinia aduerſatij, aut hæres, ſeu ingrediatur Religionẽ, vel diu peregrinetur, aut carceratus, ſeu ægrotus, aut alia rationabilis cauſa ſubſit. Ita plures citati à Barboſa *loco ſupra cit. num.* 71. Rationabilis cauſa erit, ſi timeat de colluſione. Ita plures apud Barboſam *loco cit.*

MALLEATIO LXXXIV.

De officio Notarij, ſeu Tabellionis.

Quot conditiones requirantur in Notario?

BRACTEA I.

R. Quatuor conditiones requiri. Primò ſcientiam ſaltem mediocrem eorum, quæ ad officium pertinent; vnde ſi aliquid per ignorantiam committeret, obligatur ad reſtitutionem. Secundò, vt ſciat in particulari, ad quid obligetur. Tertiò, requiritur veritas, & fidelitas, iuramentum enim præſtat, quod officium fideliter exercebit, in eo autem poſita eſt fidelitas, vt caueat ab omni falſitate, & vt vſurpet verba, & ſcribat, quæ partes protuliſſe

tuliſſe noſcet. Quartò, vt ſeruet apud ſe copiam, & originalia omnium inſtrumentorum, & petentibus ſolùm det tranſumptum, non debet occultare inſtrumenta, quæ ab alio exiguntur, præcipuè ſi contineant legata, conficere debet acta de his, quę viſu, & auditu percipiuntur, debet certiores facere partes de obſcuris præcipuè mulieres, & ſimplices, & integrè ſcribat teſtium depoſitiones. Quintò, vt conficiat inſtrumenta iuſta, & non vſuraria, ſeu contra libertatem Eccleſiaſticam, vt iuſtum pretium exigat, & nihil ſupra taxam accipiat, ſi non eſt taxatum, accipiat id, quod iudicio prudentis iuſtum videtur: ſi quid vltra pretium ſponte donetur gratis accipere poteſt, modò non ſit humana lege prohibitum; quod ſi prohibitum ſit, peccabit accipiendo, ſed non obligabitur ad reſtitutionem, niſi lex ipſum inhabilem faciat ad retinendum.

An Notarius obligetur ad reſtitutionem, quando in conficiendo inſtrumento prætermiſit aliquam ſolemnitatem, ex qua pars damnum patitur?

BRACTEA II.

R. Obligari ad reſtitutionem. Ratio, quia ob ſuam imperitiam, & ignorantiam cenſetur cauſa iniuſta damni. Tum etiam quia cēſetur eſſe in culpa lata, de qua obligatur ad reſtitutionem. Secundò grauiter peccare Notarium, dum occultat, & non manifeſtat inſtrumentum cōfectum, & obligari ad reſtitutionem damni, ſi aliquod ſequatur ex illa occultatione. Ratio, quia eſt perſona publica, & ad obſequium omnium deputatus, & petentibus debet tranſumptum originalis dare, & denegando facit contra proprium officium cum damno alterius. Ita Nauarrus *cap.25.num.*53. Reginaldus *lib.*25. *cap* 57.*num.*684 Toletus *lib.*5 *cap.*6.*num.*5 Tertiò peccare etiam Notarium, & obligari ad reſtitutionem hæredibus, qui ab inteſtato ſucceſſiſſent conficiendo teſtamentum carentis iudicio, ſeu non vtentis ratione. Ratio, quia conficiendo teſtamentum cenſetur cauſa efficax damni legitimis hæredibus, cum efficiat teſtamentum inualidum, cuius cauſa hæredes damnum iniuſtè patiuntur: ſi verò confecerit bona fide putans non carere vſu rationis, non modo excuſatur à peccato, ſed etiam ab obligatione reſtituendi. Ita Nauarrus *loco citato num.*54. Silueſter *verbo Tabellio.qu.*8. Reginald. *loco cit.nu.*683. & alij.

An Notarius conficiens inſtrumentum contra libertatem Eccleſiæ incurrat excommunicationem?

BRCATEA III.

R. Affirmatiue, vt patet ex *cap. grauem*, & *ex cap. Nouerit de ſententia excommunicationis.* Ita Silueſter *verbo excommunic.*9.*num.* 31. Angelus *eodem verbo* 7.*caſ.*5. Reginaldus *lib.*9.*num.*263. & *lib.*25 *num.*691. & alij. Ratio, quia conficiendo talia inſtrumenta cooperatur contra libertatem Eccleſiaſticam, quod ſub pœna excommunicationis eſt prohibitum. Secundò, licere Notario Chriſtiano inſtrumentum ſcribere vſurarium inter Chriſtianum, & Iudæum; dummodo in gratiam Chriſtiani illud conſcribat, & ab eo vocatus; ſicut enim non peccat Chriſtianus promittens vſuras, ita nec Notarius eam promiſſionem ſcribens: tenet enim ſe ex parte Chriſtiani, & cum eius opere conſentit, non autem cum vſura Iudæi. Ita colligitur ex Medina *de vſuris quæſt.*4. & Azorio *cap.*22.*qu.*16.

Sciendum plura eſſe peccata Notariorum. Primò peccant, ſi non ſeruant capitula iurata, vt ſi faciant teſtamentum falſum, ſi reuelent abſque iuſta cauſa ſecreta eis commiſſa, ſi conficiant inſtrumentum vſurarium. Secundò, qui reſcindit, vel delet teſtamentum in totum, vel ex parte, vel ſolemnitatem omittit dolo, vel lata culpa. Tertiò, ſi non tradat inſtrumentum rogati, quando dare tenetur, vel non informet ſatis partem ignorantem, quæ debet renunciare alicui iura, vel non ſeruiat pauperi, vt debet. Quartò ſi conficiat inſtrumenta de re illicita, vel ſtatuta vſuraria ſcribat. Quintò, ſi faciat teſtamentum inſani, & eſt obligatus ad reſtitutionem, vt ſupra dictum eſt.

An Notarius, qui in diebus feſtiuis celebrat contractum Ruſticorum, peccet?

BRACTEA IV.

R. Non peccare, dummodo non adſit ſcandalum. Et ita Layman *in Theolog. moral. lib.*4. *tract.*7.*cap.*2.*num* 8. Rodriquez *tom.*1.*cap.*122. Philiarcus *tom.*1.*par.*2.*lib.*3.*cap* 23. Ratio, quia Ruſtici in diebus feriatis regulariter non poſſunt adeſſe in Ciuitate; & ob ſimilem cauſam ait Suarez *de relig. tom.*1.*lib.*2.*cap.*3.*num.* 25. in paruis Oppidis ſolent iudicia litigantium in feſtis permitti, quia in profeſtis non adſunt Ruſtici, & agrorum cultores, &c. Secundò, Notarium non peccare reſcribendo acta in diebus feſtiuis. Ratio, quia ſcribere, & retroſcribere non eſt opus ſeruile, ſed liberale. Ita Nauarrus ex aliqua parte *cap.*13. *num.* 14. Clauis regia *lib.*7.*cap.*2 *num.*15. Franciſcus Gallettus *in margarita caſuum conſcientiæ verbo feſta*, Molphesius *in ſumma tom.* 1. *tract.*11.*cap.*17. *num.* 42. Medina *lib.*1.*cap* 14.§ 8. Lopez *par.*1.*cap.*52. Suarez *de religione tom.*1 *lib.*2.*cap.*15.*num.*4. Ratio, quia ſcribere non eſt commune Dominis, & ſeruis; actio ſeruilis eſt, quæ communis dominis, & ſeruis, ſi etiam qui reſcribit, id faciat lucri cauſa. Ratio, quia actiones liberales etiam in die feſto fieri poſſunt lucri cauſa.

An Notarius factus Clericus ſit puniendus à Iudice Laico pro falſitate commiſſa, quando erat Laicus?

BRACTEA V.

R. Negatiue; & ita tenet Marſilius *deciſ.*159. Gotzerius *de defenſionibus reorum tom* 1.*defenſ.* 20.*cap* 9.*nu.* 1. Carolus de Graſſis *de effectibus Clericorum effect.*8.*nu.*15 Secundò Notarium effectum Clericum non poſſe exercere officium Notarij, ſed debere deſiſtere, ſi ſit in ſacris, & beneficiarius, quia omnis Clericus arcetur à negotijs ſæcularibus; Clericum verò ſolùm minoribus initiatum poſſe officiũ Notarij exercere, etiam imperialia, quia hoc illi nullo iure vetatur. Tertiò Notarium ſcribentem in cauſa ſanguinis ſecuta morte, vel mutilatione eſſe irregularem. Ratio, quia ſcribendo in cauſa ſanguinis cenſetur cooperari morti: cauſa autem cooperans ſecuta morte, vel mutilatione eſt irregularis.

An

An Notarius poſſit abſque iuſſu contrahentium apponere clauſulas conſuetas?

BRACTEA VI.

R. Poſſe Notarium abſque iuſſu contrahentium in inſtrumentis apponere clauſulas conſuetas, quia earum adiectio ex præſumpta contrahentium mente fit, dummodo non alterent actum, qui geritur, & in aliam ſpeciem transferant. Ratio primæ partis eſt, quia conſueta poni inſtrumentis cenſentur ex contrahentium voluntate expreſſa à Notariis, quia Notarius à contrahentibus rogatus, vt conficiat inſtrumentum, cenſetur omninò rogatus conſuetas clauſulas eidem actui adiicere, vt plures apud Couaruu. *de teſtamentis 2. rubr. part. num.* 14. docent. Ratio ſecundæ partis eſt, quia quando mutatur adiectione verborum forma contractus cenſetur prolata contra intentionem contrahentium. Ita Couar. *loc. cit.*

An Notarius teneatur legere inſtrumentum perfectum coram teſtibus, & contrahentibus?

BRACTEA VII.

R. Teſtamentum dictante teſtatore ſcriptum coram teſtibus legitimis, iterum ipſi teſtatori, & teſtibus legi non eſſe neceſſarium, quādo actus ipſe teſtandi à teſtatore perfectus ita fuit, vt nihil ei addere tunc propoſuerit, nec eiuſdem actus probario fit ſcriptura, ſed ipſorum teſtium depoſitione. Ita plures apud Couaruu. *de teſtam. cap. relat. n.* 11. Secundò, quando teſtator, qui rogauit Notariū, eumq; vocari fecit ad ſcribendum teſtamentum, tūc donec ſcriptū teſtamētū lectū fuerit corā teſtatore, & teſtibus, imperfecta eſt eius volūtas; & ideò nec teſtibus probari poterit, cum ex lectionis defectu præſumatur voluntatis imperfectio. Ita plures Doctores apud Couarum. *de teſtam. cap. relat.* qui dicit eſſe frequentiorem ſententiam Doctorum, qua probatur publicum Notarij inſtrumentum, vt fidem faciat legi oportere ipſis teſtibus, & contrahentibus, poſtquam ſcriptum eſt, etiam eiſdem præſentibus. qui huius ſententiæ refert plures Doctores. *cap. ſtatuto relatum.* Tertiò, Notarium conficiente inſtrumentum ſimoniacum poſſe opponere de nullitate illius propter ſimoniam. Puteus *deciſ.* 330. *lib.* 2. & alii.

DE NONO, ET DECIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Non concupiſces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, &c.

MALLEATIO LXXXV.

De concupiſcentia.

Nono præcepto prohibetur concupiſcentia alienæ vxoris, & deſiderium cuiuſcumque actus Venerei illiciti. Decimo Præcepto prohibetur deſiderium rei alienæ, ſicuti nono Præcepto prohibetur inordinata concupiſcentia boni delectabilis. Sic decimo Præcepto prohibetur inordinata concupiſcentia boni vtilis. Idcircò agam de concupiſcentia, & de alijs peccatis in materia luxuriæ, de qua tractant S. Thomas 2. 2. quæſt. 153. *& alij.*

Quid ſit deſiderium, vel concupiſcentia?

BRACTEA I.

Sciendum nomine concupiſcentiæ intelligi paſſionem appetitus ſenſitiui proſequentis bonum delectabile, cuiuſmodi ſunt amor, deſiderium, ſpes, gaudium, ſiuè voluptas, ita, vt videre licet apud S. Thomam 1. 2. *diſput.* 28. *cap.* 1. Talis paſſio concupiſcentiæ diuiditur à S. Thoma in antecedentem, ac conſequentem. Antecedens paſſio eſt, quæ naturaliter exurgens omnem voluntatis deliberationem præuenit, ac proinde ſecundum ſe nec meriti, nec peccati capax eſt. Conſequens paſſio eſt, quæ voluntatis arbitrio excitatur, vt ad promptiorem, ſeu expeditiorem operationem inſeruiat. Quo poſito.

Sciendum 2. Concupiſcētiam haberi per inuidiam, quæ nihil aliud eſt, quam inordinata triſtitia de bono proximi, quatenus illud apprehenditur, vt diminutiuum propriæ gloriæ, & excellentiæ. Dixi primò inordinata, quia ſi ordinata ſit non imputatur ad culpam, eſt autem ordinata quoties elicitur ex bono fine. Dixi ſecundò, vt diminutiuum propriæ excellentiæ loco differentiæ, qua diſtinguitur inuidia ab alijs peccatis.

Sciendum 3. Inuidiam eſſe peccatum mortale ex genere ſuo contrarium charitati. Ratio, quia charitas gaudet bono proximi, inuidia verò triſtatur de bono proximi. Ita Nauarrus *cap.* 23 *num.* 18. Reginaldus *lib* 17. *num.* 129. Toletus lib. de ſeptem peccatis *cap.* 66. D. Petrus à S. Ioſeph *cap,* 10. *de decimo præcepto decalogi.*

R. Deſiderium, ſeu concupiſcentiam eſſe actum voluntatis, quo ipſa fertur in obiectum futurum. Ita communiter Doctores. Ratio, quia in hoc differt à delectatione, quia delectatio eſt actus intellectus, quo ipſe delectando fertur in obiectum præſens: deſiderium eſt actus voluntatis, quo ipſa fertur in obiectum futurum.

Sciendum 4. Deſiderium de obiecto futuro duplex

eſſe; vnum ſub conditione licita, & alterum ſub conditione illicita; deſiderium ſub conditione licita nõ eſt peccatum. Vnde ſi Petrus videndo aliquam puellam diceret, acciperem eam in vxorem, & ex ea maximam voluptatem perciperem, non peccat. Ratio, quia actus deſiderij de re aliqua illicita ſub motiuo honeſto, vel conditione, qua poſita ille actus non eſſet peccatum, non eſt peccaminoſus. Ita Valentia 1.2. *diſput.6 quæſt.4.pun.*4. Vaſquez *diſput.26.cap.* 2. Em. Sâ *verbo peccatum num.*2. Clauis regia *lib.*8.& alij. Deſiderium verò ſub cõditione illicita ſemper eſt peccatum; vnde ſi quis vidẽdo puellã diceret, maximam ex hac voluptatẽ perciperẽ, ſi cum illa dormirẽ, peccat mortaliter peccato ſtupri, ſi illa puella ſit virgo, vt infra dicetur. Similiter ſi aliquis videndo coniugatã diceret, ego libenter rem cum illa haberem, peccat mortaliter peccato adulterii. Ita ſi Religioſus videndo mulierẽ hæc verba proferret, ſi non eſſem Religioſus libenter cũ tali muliere peccarem, peccat mortaliter peccato illius qualitatis, cuius eſt mulier; quia etſi nõ eſſet Religioſus, peccaret etiã contra iuſtitiam; ſicuti etiam ſi diceret, ſi non eſſem Religioſus, profectò te occiderem, &c. Ratio, quia deſiderium elicitur de re turpi ſub ea conditione, qua poſita adhuc eſſet malum. Secundò, maximam eſſe differentiam inter hæc duo verba, ego vellem peccare, & ego volo cum tali peccare: priora verba denotant actum deſiderii ineſſicacem: poſteriora verò actum eſſicacem deſiderii; prior actus cum ſit ineſſicax, habet ſuam malitiam, & bonitatem à motiuo ipſius: poſterior verò ab obiecto eiuſdem actus voluntatis, actus deſiderii eſſicax dicit ordinem ad executionem; actus verò ineſſicax non dicit ordinem ad executionem, vt cum quis habet ſolummodo velleitatem, non autem voluntatem; tunc deſiderans dicitur ſolùm habere velleitatem, quando cum deſiderio non coniungit media proportionata: tunc dicitur habere voluntatem, quando cum deſiderio coniungit media proportionata.

An ſit peccatum habere actum deſiderij de re illicita ſub conditione licita?

BRACTEA II.

R. Non eſt peccatum habere actum deſiderii de re illicita, ſeu moraliter mala ex motiuo honeſto, vel ſub conditione licita. Ita Vaſquez *diſput.* 26 Clauis regia *lib.* 8. *cap.*7, Valentia 1.2. *diſput.6 quæſt.4 pun.*4 Ratio, quia actus ineſſicax voluntatis ſuam malitiam, vel bonitatem deſumit à motiuo, ſeu conditione; motiuum autem, ſeu conditio cenſetur licita, ergo, &c. Vnde qui recepta iniuria diceret, ſi non eſſem Chriſtianus, vel ſi in me non eſſet timor Dei, vltionem peterem, non peccat; ſimiliter non peccat, qui dicit, ego hodie benè comederem, ſi non eſſet dies ieiunii, vel comederem carnes, ſi liceret; non tamen excuſatur à peccato, qui talia loquitur, ſi aliquod infortunium meis hoſtibus contingeret, gauderem, cum non liceat gaudere de malo proximi, etiam inimici: peccat etiam ille, qui adoleſcenti dicit, ego ſi eſſem adoleſcens, vt tu vendicarem me de tali iniuria. Ratio, quia proteſtatur, ſi eſſet iuuenis facere rem intrinſecè malam, nimirùm vindictam; ſi verò diceret, ſi non eſſet Dei offenſa, ego vindictam facerem, non peccat, cum actus qui elicitur de obiecto malo ſit ſub conditione licita, nimirùm ſi non eſſet Dei offenſa. Secundò, deſiderium de re illicita, ſeu moraliter mala ex motiuo in-

iniuſto, vel ſub conditione illicita in materia graui ſemper eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia deſiderium ineſſicax deſumit ſuam malitiam, vel bonitatem à motiuo; cum autem motiuum ſit iniuſtum, ſequitur etiam deſiderium eſſe iniuſtum, & in materia graui eſſe peccatum mortale. Tertiò, deſiderium eſſicax deſumere ſua malitiam, vel bonitatem ab obiecto, ita vt obiectum ſit iniuſtum, deſiderium ſit peccaminoſum; ſecus verò non. Vnde qui deſiderat fornicationem, vel adulterium, peccat mortaliter, quia voluntas faciendi malum, & malum ſunt idem in genere moris; & Chriſtus in Euangelio dicit, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.*

Vnde deſiderium deſumat rationem ſpecificam peccati?

BRACTEA III.

R. Desiderivm eſſicax deſumere ſuam ſpeciem malitiæ, ſeu bonitatis ab obiecto; ſi enim obiectum bonum accedens ſit certa quadam habitudine conformitatis ad ſubſtantiam rationalem, liberam, etiam actio circa tale obiectum bona, & honeſta erit certa ſpecie virtutis; contra ſi obiectum indecens ſit certa quadam ratione deformitatis ad ſubſtantiam rationalem liberam, etiam actio circa tale obiectum mala, & inhoneſta erit in certa ſpecie vitii, iuxta illud Oſeæ cap. 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Ita S. Thomas *qu.*14. *art.*2. Ideò deſiderium amandi Deum, bonum, ac honeſtum eſt, ſecundum ſpeciem virtutis charitatis Theologicæ, quia Deus optimus peculiari quadã ratione voluntatis congruit, & deſiderium faciendi eleemoſynam bonum eſt ſub ſpecie virtutis miſericordiæ, quia miſeria proximi quatenus ſubleuabilis peculiari ratione hominem decet; deſideriũ faciendi furtũ opus malum eſt ſub peccato iniuſtitiæ, quia rationalem ſubſtantiam peculiari modo dedecet rem alienam à Domino inuito auferre; deſiderium verò adulterandi, fornicandi, &c. eſſe peccatum mortale propter rationem allatam.

An deſiderare, vt fornicatio ſit licita, ſit peccatum mortale?

BRACTEA IV.

Vasqvez *in* 1.2. *diſput.*116. *cap.* 2. ait non ſemper eſſe peccatum mortale deſiderare, vt id, quod eſt intrinſecè malum, non eſſet malum, ſed licitum; ſed attendendum eſſe motiuum, ex quo quis moueatur. Sed

R. Cum Azor. *tom.*1. *lib.*4. *c.*6. *quæſit.*10. Sanch. *in ſum. tom.*1. *lib.*1. *cap.*2. *n.*23. & alii eſſe peccatũ mort. Ratio, quia bonũ totius naturæ, ac ordinis naturalis nõ põt poſtponi, ac eius imutatio, q̃ grauiſſimũ malũ eſt deſiderare ob particulare eius bonũ, & p cõſequẽs, &c.

Sciendum diſcrimen eſſe inter actus malos, nam quidam ſunt, qui per ſe, & natura ſua mali ſunt, qui naturaliter oppoſitionem habent cum regula rationis, ſeu dictamine conſcientiæ, vt eſt fornicari, Deũ, ac proximum odiſſe, adulterari, &c. quidam mali ſunt non ex natura ſua, & intrinſecè, ſed ſolùm extrinſecè, & ex prohibitione legis, vt die feſto laborare, Miſſam non audire, non comedere carnes in Quadrageſima, & aliis diebus prohibitis. Et ita Layman *in*

Theolog. moral lib. 1. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *quaeſt.* 10. & alii, qui aſſerunt conſenſum conditionalem non eſſe mortalem, quando verſatur circa res ſolo iure poſitiuo prohibitas, vt ſupra dictum eſt, ego benè comederem, ſi dies non eſſet ieiunii, vel comederem carnes, ſi liceret. At in his, qui per ſe, & natura ſua mali ſunt, vt fornicatio, adulterium, &c. non eſſe licitum, & optare etiam ſub conditione licita, quia immutatio in rebus natura ſua prohibitis deſiderari non poteſt ob bonum particulare.

An Mater, quae deſiderat mortem filiarum eo, quod non poſſit eas nubere iuxtà ſuum deſiderium, peccet mortaliter?

BRACTEA V.

R. Ivxta Navar. *in manual. cap.* 15. *num.* 10. optare mortem alicuius, vel de illa gaudere ob haereditatem habendam eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia charitas obligat praeferre vitam proximi de vitijs, & emolumento temporali; Tum etiam, quia optare mortem, vel de illa ſimpliciter gaudere, eſt intrinſecè malum, & non ſunt facienda mala, vt veniant bona; licet in aliquibus caſibus particularibus poſſit honeſtari aliquo bono fine, nimirum ob ſalutem ſpiritualem proximi, & ne viuendo afferat infamiam familiae, &c. in quibus caſibus poteſt quis deſiderare mortem non quidem directè, ſed indirectè; & ideò matrem poſſe filiabus optare mortem eo, quod ob deformitatem, vel inopiam non poſſit eas iuxtà ſuum deſiderium nuptui tradere, & ne viuendo amittant honorem, & afferant ignominiam familiae.

An poſſit quis deſiderare diuitias, &c.

BRACTEA VI.

Sciendvm tribus modis contingere, vt quis poſſit deſiderare diuitias: Primò ſi appetat eas, quae ſibi non conueniunt, vel maiores, quam par ſit: Secundò, ſi eas appetat illicitis medijs: Tertiò, ſi cauſa eas acquirendi, vel conſequendi non vereatur malum admittere. Quo poſito

R. Regulariter appetere diuitias, non eſſe niſi peccatum veniale; Saepètamen poſſe effici mortale, vel ratione nocumenti, quod alicui poteſt inferri, vel materiae mortaliter illicitae, vel ſi appetantur, vt ſummum bonum, ſeu finis vltimus. Ita Caietan. 2. 2. *quaeſt.* 131. *art.* 1. *&* 2. & alii.

Sciendum 2. Tale deſiderium oriri ex ſuperbia, & ambitione, & ſicut haec eſt inordinatus appetitus excellentiae, ita etiam appetitus, ſeu deſiderium diuitiarum, &c. eſt inordinata paſſio, ſeu inordinatus appetitus diuitiarum: Si autem diuitiae appetantur moderatè ex actione bona, & iuſta, nullum erit peccatum, etiamſi nullus alius finis ſpectetur. Et ita colligitur ex D. Thoma *quaeſt.* 131. Ratio eſt, quia per ſe eſt obiectum indifferens, & proximè accedens ad rationem honeſti. Si verò deſideret aliquis diuitias cum damno alterius, erit peccatum, cum deſideret priuationem boni alterius, deſiderando alteri malum, vt ſibi ſit bonum, Ita Leſſius *lib.* 4. *dubit.* 4. *nu.* 27. & alii.

An ex deſiderio oriatur obligatio reſtituendi?

BRACTEA VII.

R. Ex ſolo, & ſimplici deſiderio non oriri obligationem reſtituendi. Ratio eſt, quia ex actu merè interno nulla oritur obligatio; deſiderium autem eſt actus voluntatis internus; ergo &c. Ex deſiderio verò cum actu externo coniuncto oritur obligatio reſtituendi, vt v. g. ex deſiderio adulterandi coniuncto cum actu adulterij oritur obligatio reſtituendi damnum illarum pro adulterio, & ex deſiderio ſtupri coniuncto cum ſtupro, oritur etiam obligatio reſtituendi, ſicuti etiam ex deſiderio habendi, vel retinendi rem alienam oritur obligatio reſtituendi.

Ad quid teneatur Adultera, quae prolem ſuſceptam ex adulterio, marito ſuppoſuit?

BRACTEA VIII.

R. Qvod quando mulier habet bona paraphrenalia, aut alia bona, de quibus valet ſufficientes damnum illarum filijs legitimis reſtituere, nullo modo tenetur ſuum crimen reuelare. Ratio eſt, quia quando reſtitutio commodè poteſt fieri in eodem genere non eſt facienda ex alijs, quae ſunt ſuperioris generis, vel ex penſionibus. Secundò, quod quando adultera non habet bona propria, quibus filijs legitimis ſatisfaciat, nec credit ſe profuturam aperiendo veritatem, non tenetur ſe prodere, & adulterium manifeſtare. Ratio eſt, quia tunc tenetur ſolummodo adulterium manifeſtare, vt ea manifeſtatione impediat damna, quae filijs legitimis ſequuntur; ergo ſi ex ea manifeſtatione nullum ſperetur emolumentum, non tenetur ſe prodere; Si verò ſit moraliter certa, quod ſe ipſam prodendo proficiat, quia talia dabit iudicia, vt filius ex adulterio natus illi credere teneatur, ſi nullum eſt vitae, vel publicae &c. periculum tenetur adulterium declarare, ne filij legitimi, aut haeredes damnificentur. Ratio eſt, quia adulterium ſoli filio, & ſecreto prodere poteſt poſita tali certitudine, vt illi credere teneatur: maius enim bonum eſt, vt haereditas vero haeredi remaneat, quam ſit malum illa infamia adeò ſecreta, & apud filium. Eodem modo reneretur manifeſtare crimen ſuum marito, ſi illa ex manifeſtatione probabiliter crederet impedienda eſſe damna, neque timeret aliquod in ſe periculum, quia nimirum maritus eſt vir prudens, & timoratae conſcientiae, quia crediror rem celaturus. Ita Salon. 2. 2. *quaeſt.* 62. *art.* 6. Couar. *in regula peccatum num.* 6. §. 1. Caietan. *in ſum. verb. adulterium,* Molina *tom.* 3. *diſput.* 102. Si verò adultera probabiliter iudicet ſe prodendo nihil profuturã, vel ſine mortis periculo id non poſſe manifeſtare, in iſto caſu nõ tenetur delictũ manifeſtare, ſed tenetur alijs viis procurare, ne filij legitimi, & haeredes ratione huius erroris aliquod detrimentum capiant. Ita Valent. *tom* 3. *diſt.* 5. *quaeſt.* 6. *part.* 7. & alii v. g. ſuadendo filio adulterino, vt profiteatur Religionem haereditatis incapacem, ſi ad eam cenſeatur idoneus, dummodo poſt ingreſſum in religioſos renunciet haereditatem, vt docet Nau. *cap.* 16. *n* 46. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 3. *quaeſt.* 6. *pun.* 7. Molina *tom.* 3. *diſp.* 100. & alii. Quod ſi hoc perſuadere non poteſt, tunc debet ei perſuadere, vt initietur, in Ordinibus Sacris,

Sacris, & accipiat beneficium, quo contentus aliis hæreditatem relinquat. Arragonius 2. 2. *queſt.* 62. *art.* 6. Rebellus *part.* 1. *lib.* 3. *queſt.* 10. & alii; & ſi neque perſuadere poſſit, procuret vt filii legitimi plus accipiant de hæreditate quam filii illegitimi, vnde tenetur ſuadere viro, vt filiis legitimis relinquat plus quam illegitimo, vel filio legitimo inſtituat primogenituram, & illegitimo ſolum relinquat penſionem annuam, & ſi hoc non ſufficit ex bonis paraphernalibus habitis extra dotem, tenetur legitimos recompenſare. Ita Valent. *tom* 3. *diſp* 5. *queſt.* 6 *pun.* 7 & alii; & ſi hiſce modis non poteſt ſatisfacere, tenetur donare in vita, vel relinquere in morte tantum, quantum filiis legitimis erit opus, vt fiat compenſatio de illis bonis, de quibus ipſa poteſt diſponere. Nauarr. *cap.* 16. *num.* 46. Arragon. 2. 2. *queſt.* 62. *art* 6. & alii; & ſi hæc omnia non ſufficiunt, tenetur bona mariti plus laborando augere, vltra quam per matrimonium obligatur, ſolitos ſumptus in veſtitu imminuere, cum commodè poteſt, ſpectata cōditione ſtatus, &c. Si tandem omnibus his ſit deſtituta remediis, quod nihil præſtare poteſt, tunc ſufficit contritio, & propoſitum reſtituendi quando potuerit. Ita Nauarrus *cap* 16. *num.* 45 & alii communiter.

An teneatur Adultera cum periculo famæ, & vitæ, &c. adulterium reuelare?

BRACTEA IX.

R. Eam non obligari cum propriæ vitæ periculo reuelare adulterium, etiamſi ampliſſima hæreditas, aut primogenitura, &c. ad filium adulterinum tranſire debeat. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 15. *queſt.* 2. Nauar. *cap.* 17. *num.* 90. Medina *Cod. de reſtitut. queſt.* 3. *cauſ.* 4. Sotus *lib.* 4 *queſt.* 7 *art.* 2. Nauar. *lib.* 2. *de reſtitut. cap.* 4 *num* 408 Bannez 2. 2. *queſt.* 62 *art.* 6. Arragon. *ibidem*, & alii. Ratio eſt, quia vita pro nullo bono temporali eſt exponenda: hæreditas autem quæcunque eſt bonum temporale, ergo, &c. Tum quia nemo tenetur reſtituere res inferioris ordinis cum detrimento rerum ſuperioris ordinis: at ſi Adultera pro reſtitutione hæreditatis teneretur ſe prodere, cum periculo vitæ permutaretur ordo ſupraſcriptus; ergo; &c. Tum etiam, quia vita, cum ſit maximum bonum naturale nulla pecunia eſt æſtimabilis; ergo contra rationem iuſtitiæ commutatiuæ eſt, mulierem adulteram obligare ad ſubeundam mortem propter rei pecuniariæ reſtitutionem. Secundo, adulteram non teneri cum præiudicio ſuæ famæ manifeſtare adulterium. Ita Nauarr. *cap.* 16. *nu.* 44. Caiet. 2. 2. *queſt* 62 *art.* 6. & *in ſum. verb. adulteriū.* Leſſius *lib.* 3. *de iuſtit. cap.* 10. *dub.* 7. & alii. Ratio conſtat ex ſupradictis, quia res inferioris ordinis non ſunt reſtituendæ cum præiudicio rerum ſuperioris ordinis, & fama eſt ſuperioris ordinis, quam ſint diuitiæ; ergo, &c. Tum etiam, quia fama propria eſt pretioſior, & charior quacunque re temporali iuxta illud *prouerbior.* 22. *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ*; ergo contra iuſtitiæ æqualitatem eſt velle adulteram obligare, vt pro hæreditate reſtituenda filiis legitimis propriæ famæ diſpendium patiatur.

An filius teneatur credere matri dicenti ſe eſſe illegitimum?

BRACTEA X.

R. Filium regulariter non teneri credere matri, quamuis iuranti ipſum eſſe illegitimum, etiamſi ſciat ipſam adulteram fuiſſe, cum non ſequatur eſſe illegitimum eo, quod mater aliquando commiſerit adulterium. Ratio eſt, quia melior eſt conditio poſſidentis bona fide. Tum quia allegauti ſuam turpitudinem cum præiudicio, nulla debetur fides, vt ait Gloſſ. *ad cap. officij de pœnit. & remiſſ.* Dixi regulariter, quia poteſt eſſe caſus, in quo filius teneatur credere matri aſſerenti ipſum eſſe illegitimum, vt ſi mater euidenter per teſtes idoneos oſtendat illi ex tempore partus, & aliis circunſtantiis virum, cuius ſe putat filium legitimum toto illo tempore abfuiſſe, aut quando mater probat maritum fuiſſe impotentem, aut aliqua alia ratione conſtat eum tunc non habuiſſe acceſſum ad vxorem. In quo caſu non poteſt adire hæreditatem, quia eſt moraliter certus eam non deberi. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 7. Arragon. Bannez, Salon. 2. 2. *queſt.* 62. *art.* 6. Molina *tom* 3. *diſp.* 101. & alii. Hinc ſequitur filium regulariter non teneri credere matri aſſerenti etiam cum iuramento, etiamſi hoc aſſerant in articulo mortis ipſum eſſe ſpurium, ſi mater tempore conceptionis habitabat cum viro; nec teneri abdicare à ſe hæreditatem, quando bona fide poſſedit tanto tempore, quanto opus eſt ad præſcriptionem, etiamſi poſteà conuincatur, & credat ſe eſſe ſpurium. Ita Syluester *verbo adulterium*, Angelus *eodem verba num.* 6. Bannez *loco cit.* & alii; & Confeſſarium debere vti magna prudentia, ne vltra modo compellat adulteram in articulo mortis detegere ſuum adulterium. Ratio eſt, quia filius non tenetur illi credere. Tum quia fieri poteſt, vt ipſa liberetur ab infirmitate, & occidatur a marito, nec etiam conſulendum eſt, vt adultera detegatur poſt mortē per Confeſſariū, quia periculum eſt, vt proles adultera occidatur. Ita Henriquez *lib.* 11. *cap.* 21 *nu.* 2. Azor. *cap.* 6. *queſit.* 2. & alii.

An Adulter teneatur aliquid reſtituere marito Adulteræ pro iniuria, etiamſi partus non ſit ſecutus?

BRACTEA XI.

R. Adulterum pro ſolo actu adulterii ad nullam reſtitutionem teneri marito. Ratio, quia licet ille actus ſit iniuſtus, non tamen ea eius iniuſtitia, ſi nullum ſecutum ſit damnum oritur obligatio reſtituendi. Ita Sotus *lib* 5. *de iuſtitia queſt.* 2. *art.* 7 Ratio, quia iniuriæ, ſecluſo omni damno, non debetur ex rigore iuſtitiæ, niſi ſatisfactio, quæ fit per contritionem. Secundò, ſi maritus pro iniuria ſibi illata pecuniam exigat in compenſationem, adulter in conſcientia non tenetur eam ſoluere. Ratio eſt, quia damnum, pro quo oritur reſtitutio nullum eſt ſecutum. Tum etiam, quia hæc ſatisfactio pecuniaria pro iniuria adulterii. Iure eſt interdicta, vt habetur *in leg. tranſigere Cod. de tranſactionib.* ne maritus videatur ſuæ vxoris lenocinium facere. Secundò, adulterum teneri ob filium ex adulterio ſuſceptum, & quem indubitanter credit eſſe ſuum ad reſtitutionem in ſolidum cum matre damnorum, quæ patitur maritus ad reſarcienda damna, quæ patitur. Ratio

eſt,

eſt, quia qui cauſam damni dat, ad illius damni reſtitutionem tenetur: atque adulter eſt cauſa damnorum; ergo cùm adultera tenetur ad reſtitutionem alimentorum, quæ fecit maritus adulteræ in educanda prole illegitima, ſaltem poſt tertium natiuitatis annum, quia Pater relinquendo filium inter filios legitimos mariti, eſt illi cauſa damni contra ipſius voluntatem; ergo obligatur ad reſtitutionem. Dixi ſaltem poſt tertium natiuitatis annum, quia vſq; ad tertium iure communi ſpectat ad matrem alere filiū, vt colligitur *ex leg. nec filium.* Ita Leſſius *lib. 2. cap. 10. dub. 7. num. 42.* Azor. *3. part. lib 5. cap. 6. quæſt. 2.* Tertiò, quando adulter non credit, nec habet aliquam certitudinem, quod partus ſit ſuus, non tenetur ad vllam reſtitutionem damni ſecuti. Ratio eſt, quia in dubio æquali melior eſt conditio poſſidentis. Ita Nauar. *cap. 16. num. 48.* Silueſt. *verb. adulterium quæſt. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 6.* Quando verò duo carnaliter cognouerunt mulierem, ex qua ſuſcepta eſt proles, ſed dubitatur cuiuſnam ſit proles ſuſcepta, vtrunque teneri ad reſtitutionem pro ſua rata parte, & altero nolente reſtituere alter in integrum obligatur. Ita Molina *tom. 3. diſp. 101.* Rebellus *lib. 3. q. 10.* & alij, qui docent teneri adulterum in foro conſcientiæ reſtituere partem damnorum maiorem, vel minorem pro quantitate dubij maiori, vel minori.

An Adulter teneatur in foro conſcientiæ credere Adulteræ dicenti prolem, quam genuit eſſe ſuum?

BRACTEA XII.

R. Negative, ſi tempore conceptionis maritus, cum adultera habitabat, etiamſi partus ſuſceptus aſſimiletur adultero, niſi indicia habeat ſufficientia, quæ ipſi omninò perſuadeant prolem eſſe ſuam, vt ſi tempus partus reſpondeat tempori adulterij commiſſi, & maritus tempore conceptionis erat abſens, vel antea filios ex ſua vxore non genuerat, &c. quia hæc indicia ſunt manifeſta, illum eſſe filium ſuum. Ita Molina *tom. 3. diſp. 101.* Azorius *3. part. lib. 5. cap. 6. quæſt. 9.* & alij. Secundò, quod ſi filius illegitimus credit ſe talem eſſe in conſcientia, tenetur non adire hæreditatem, vel ſi eam adiuit, tenetur ipſam reſtituere filiis legitimis; Si verò illegitimus ſit in ſtatu honeſto educatus, & conſtitutus, nec habet aliunde, vnde poſſit viuere, poteſt ſibi retinere ex bonis Patris putatiui, quantum opus eſt ad ſuam ſuſtentationem moderatam. Ratio, quia ſicut ipſa adultera tenetur iure naturæ educare filium etiam illegitimum, ita filius poteſt accipere etiam ex bonis paternis alimenta neceſſaria ad ſui ſuſtentationem, & quamuis illegitimus efficiatur per leges incapax hæreditatis, ita tamen ſemper eſt intelligendum, vt non derogetur iuri naturali, quo Parentes tenerentur alere filios. Ita Sanchez, & Salon, 2. 2. *quæſt 62. art. 6.* Azor. *3. part. lib. 3. cap. 6.* Tertiò, filius illegitimus non tenetur reſtituere bona Patris putatiui, quæ bona fide conſumpſit, putans eſſe legitimum, niſi quatenus ex eis factus ſit locupletior, nec tenetur etiam reſtituere, quæ apud ſe extant, ſi ea fine præſcriptionis bona fide poſſedit. Ratio, quia ea bona ſibi acquiſiuit iure præſcriptionis. Ita Silueſter *verb. adulterium quæſt. 3.*

An quandò Adultera non habet alium filium, quam illegitimum peccet, ſi in teſtamento appellet ipſum legitimum?

BRACTEA XIII.

R. Non peccare. Ratio, quia filius illegitimus communi hominum opinione habetur pro legitimo. Tum quia tale mendacium cenſetur officioſum ordinatum ad tuendam vitam, & famam, &c. Secundò, ſi nulli eſſent hæredes, quibus maritus poſſet neceſſariò relinquere ſua bona præter illegitimum, tunc adulter ad nullam reſtitutionem tenetur, ſi maritus adulteræ filium illegitimum tanquam legitimum hæredem relinquat. Ratio, quia nullo iure cenſetur cauſa damni, & ſi, vt alium poterat inſtituere hæredem, ita & etiam filium illegitimum, cum non ſit peioris conditionis, quam ſit alia tertia perſona. Si verò ſint alij, quibus veriſimiliter fuiſſet bona ſua relicturus, tunc tenentur adulteri eis reſtituere damnum datum arbitrio prudentis, & quanti æſtimaretur ſpes illa inſtituendi hæredem.

An qui virginem non conſentientem deflorat, obligetur ad reſtitutionem?

BRACTEA XIII.

R. Eum, qui virginem non conſentientem deflorat, teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia peccat contra iuſtitiam, & per conſequens obligatur. Vnde qui vi, metu, fraude, mendacijs, &c. extorſit copulam à virgine, obligatur ad reſtitutionem damni ſecuti, eam ſibi copulando in matrimonium, vel dotando, vel ſaltem procurando, vt nubat iuxtà conditionem ſui ſtatus; non obligari tamen ad reſtitutionem qui virginem deflorat precibus etiam importunis iteratis, ſiue blanditijs. Ratio eſt, quia preces licet ſint importunæ, & aſſiduæ, tamen non auferunt voluntarium, & non faciunt, quod ipſa liberè non conſentiat. Ita Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 5.* Sanchez *lib. 4. diſput. 10.* Molina *diſput. 106.* Silueſter *verbo luxuria quæſt. 5.* & alij; modo tamen preces, & blanditiæ non ſint coniunctæ cum minis; quia in iſto caſu obligaretur ad reſtitutionem, cum auferant voluntarium; ſicuti eſſent, ſi eſſent preces alicuius magnatis, cui ipſa apertè, & liberè non poſſet recuſare; is enim metus reuerentialis dicitur, & inducit inuoluntarium. Petrus Nauarrus *lib. 2. cap. 3. num. 434.* Idem dicendum eſt de eo, qui promiſſis, & muneribus attraxit virginem ad ſtuprum, ad reſtitutionem non teneri. Ratio eſt, quia promiſſa non tollunt voluntarium, ſed blandè alliciunt, multoque magis munera, & ideò non obligatur ad reſtitutionem, cum ipſa cenſeatur liberè conſenſiſſe.

Ad quid teneatur corruptor ſi puellam decipit promiſſione matrimonij?

BRACTEA XV.

R. Si promiſit coniugium, & ea ſpe, ſeu conditione vſuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiamſi fictè promiſiſſet. Ita communiter Doctores: Ratio, quia hæc promiſſio facta eſt in modum contractus: Vnde cum ipſa ex parte ſua compleuerit contractum, tenetur etiam ipſe contractum complere, alioquin ſi tali artificio vti liceat infinitis fraudibus humana commercia paterent. Tum quia ipſa conſentiendo bona fide pro coniugio futuro in ſtuprum, ius iuſtitiæ acquiſiuit ad ipſius coniugium, cui iuri non poteſt corruptor ſatiſfacere, niſi ducendo eam in vxorem. Ita D. Thomas *in 4. diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 2. Sotus *in 4. diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 3. Nauar. *cap.* 16. *num.* 18. Rebellus *lib.* 3. *quæſt.* 8. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 3. Molina *diſput.* 106. Vnde ſequitur non ſatis eſſe eam dotare, vel largis donationibus damnum ſarcire, ſi ipſa nolit acquieſcere. Excipiuntur tamen ab iſta doctrina aliquot caſus, quibus non tenetur eam ducere, ſed ſufficiet damnum ſarcire. Primus, ſi ipſe longè ſit nobilior, vel opulentior, idq; ipſa ſciuerit, tunc enim facilè potuit ſuſpicari ipſum ſimulatè nuptias promittere, vt ea frueretur. Dixi ſi ipſa ſciuerit, quia ſi omninò ignorauit ipſius conditionem, & exterius non habuit vllam cauſam ſuſpicandæ fraudis, tenebitur eam ducere, ſi ipſa velit. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. *num.* 22. Ratio, quia tenetur ex parte ſua contractum implere, ne ipſa detrimentum patiatur, neque illa facit iniuriam exigendo promiſſum, quia pretio fuit corpus pro corpore bona fide; reliqua, vt diuitiæ, nobilitas per accidens ſe habent ad hunc contractum. Secundus, ſi ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat ipſum non ſincerè agere. Ratio eſt, quia in his caſibus puella facilè poteſt aduertere, vel ſuſpicari, ipſum reuera nihil ſeriò promittere, ſed fictè. Tertius, ſi aliquod legitimum impedimentum interuenerit, vt ſi frater eius affinis, ſi ducat aliam per verba de præſenti, ſi Sacros Ordines ſuſcipiat, vel ſcandalum ex tali matrimonio ſequeretur. Denique ſi Pater nolit eam dare. Quartus, ſi illam contingat potius cum alio fornicari, prior non tenebitur eam ducere. Ratio, quia in promiſſione ſponſalium hæc conditio tacitè ſubintelligitur. Quintus, ſi dicenti ſe virginem promiſit nuptias, vt ea poteretur, & poſteà deprehendat non eſſe virginem, non tenebitur ſtare promiſſis. Ita Lopez 1. *part. cap.* 76. Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 13. *dicto* 3. Ratio eſt, quia ſicut eam decepit, ita viciſſim ab ea deceptus eſt, itaque eſt cõpenſatio viciſſim. Sextus, ſi putabat illam eſſe virginem, & in coniunctione deprehendit eam reuera non eſſe virginem, quamuis ex verbis eius deceptus non fuerit. Quo caſu non tenebitur illam ducere, quia illa cauſa ſufficiens eſt ad ſoluenda ſponſalia. An teneatur illam dotare, diſſenſio eſt inter Doctores? & vtrumque cenſetur probabile, ſi ſciebat eam non eſſe virginem, & promiſit ei matrimonium fictè ad obtinendam copulã ea ſecuta, tenebitur illam ducere, ſi ipſa velit, quia ipſe deceptus nõ fuit, & illa ex parte ſua præſtitit conditionẽ. Ita docet Silueſt. *verb. matrim.* 4. *qu.* 8. Pallud. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 2. licet contrarium cenſeatur probabilius. Ratio eſt, quia corrupta exigendo tale matrimonium pro corporis ſui vſura nimiũ exigit, non enim tanti æſtimatur copula cum corrupta, vt eius matrimonio debeat cõpenſari.

An in caſu, in quo propter ſtatus diſparitatem, vel ob aliam cauſam, excuſatur ad ducendam eam in vxorem, teneatur ſaltem eam dotare?

BRACTEA XVI.

R. Negatiue; & ita Silueſter *verbo matrimon.* 4. *quæſt.* 8. Tabiena *ibidem* 2. *quæſt.* 7. Armilla *verb. reſtit. num.* 22. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3. & alij. Ratio eſt, quia puella fraudem facilè potuit aduertere, & non præſumitur decepta, ſed fingere deceptionem. Ita Silueſter *verbo matrimon.* 4. *quæſt.* 8. Tabiena *verb. matrim.* 2. *quæſt.* 7. & alij. Tum etiam, quia credere debuit talem non cenſeri nuptias promiſiſſe, quando in promiſſione datur diſparitas conditionis, vel alia cauſa nota puellæ non attendendi promiſſionem. Secundò, ſi puella è contrario eſt genere nobilior, & nolit cum corruptore matrimoniũ contrahere, corruptorem non teneri ad aliud, quam ad adimplendum promiſſum, quia ſic abundè videtur ſatisfacere promiſſioni. Tertiò, quando vir, & puella ſunt ſtatu, & conditione pares, & puella non vult contrahere matrimonium cum eo, qui eam violauit non, teneri violatorem eam dotare, vel damnũ alia ratione reſarcire, ſi alioquin eſt paratus promiſſionem adimplere. Rebellus *part.* 2. *lib.* 3. *quæſt.* 8. Decius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 3.

An qui promiſit mulieri coniugium eo pacto, vt non permittat ab alio cognoſci, teneatur ſtare promiſſis, ſi ab alio fuit cognita?

BRACTEA XVII.

R. Non teneri: Ratio, quia conditio appoſita in ſponſalibus fuit honeſta; ergo ſi mulier pactum non ſeruauit, nec corruptor etiam tenetur ſtare promiſſis; nec tenetur eam dotare; vel alia ratione ſarcire damnum. Ratio eſt, quia ex vi promiſſionis ſolum tenetur eam ducere cum pacto, vt non ſe tradat cognoſcendam alteri, quæ obligatio extinguitur per ſuperuenientem fornicationem. Secundò eſt, qui defflorauit virginem vi, fraude, vel promiſſione futuri matrimonij ad nihil teneri, ſi puella reuera benè nupſit, ac ſi non fuiſſet violata, nec maritus eius defectum deprehendit, aut nihil curauit, quia tunc nullum damnum ex eo ſtupro eſt paſſa, neque patietur in futurum; quare ſi puella æquè benè nupſit, ac ſi fuiſſet virgo, nihil debet ei neceſſariò reſtitui. Quod ſi maritus tempore conſumandi matrimonium hunc defectum detexit, & ob hunc eam durè, nimiumque ſeuerè tractauit, tunc iudicio prudentis erit ei aliquid reſtituendum arbitrio prudentis. Petrus Nauarrus *cap.* 15. *num.* 19. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 10. *dub.* 2. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 13. Molina *diſp.* 109.

An qui habuit copulam cum deflorata, ſed putata a virgine; teneatur ad reſtitutionem, ac ſi eſſet virgo?

BRACTEA XVIII.

R. Non obligari ad reſtitutionem ob violatam virginitatem, quia reuerà virgo non erat; ſed obligari ad reſtitutionem ratione infamiæ, ſi res venit in publicum; quia licet in ſecreto corrupta ſit, tamen in publicò pro virgine habebatur. Vnde reuera detrimentum paſſa eſt in fama, & per conſequens obligatur ad reſtitutionem arbitrio prudentis. Ita Nauar. *cap. 15. num. 19.*

An qui ante vouerat ingredi Religionem, ſi poſtea puellam ſub promiſſione vera, vel ficta matrimonij deceperit; poſſit ingredi?

BRACTEA XIX.

R. Non poſſe, ſed teneri eam ducere in vxorem; & ita communiter Doctores, ſi ipſa ignorauit verum: Ratio, quia ingreſſus Religionis iam factus ei illicitus, quia non poteſt ingredi, niſi grauem iniuriam irrogando puellæ. Tum etiam, quia hic concurrent duæ obligationes, vna Religionis, altera Iuſtitiæ commutatiuæ: at Iuſtitia commutatiua, quæ ponit æqualitatem inter damnũ, & compenſationem habet maiorem vim obligandi, quam virtus Religionis; quoniam de iure naturali tenemur damnum reſarcire. Tum etiam, quia puella bona fide ex parte ſua compleuit contractum cum damno ſuæ pudicitiæ; ergo alter tenetur complere ex parte ſua. Dixi, ſi tamen ipſa votum eius ignorauit, quia ſi ſciebat corruptorem habere talem impedimentum, non poteſt vrgere ipſius nuptias, quia mala fide contraxit, cum videret ipſum non poſſe nuptias promittere, ſicut ea, quæ nupſit cum eo, quem ſciebat habere votum caſtitatis, non poteſt petere debitum. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 4.* An ratione amicitiæ teneatur aliquid dare? Reſpondeo negatiuè; Ratio eſt, quia non fuit ab ipſo decepta, ſciebat enim cum ipſo non poſſe contrahere ob impedimentum voti Religionis; & idem dicendum eſt de viro, qui prius deflorauit puellam, & poſteà vouit caſtitatem, ſiue Religionem, nam tenetur potius ad damnum reſarciendum, quam ad votum implẽdum. An his caſibus impetrare debeat diſpenſationem voti? Reſpondeo negatiuè, quia executio voti facta eſt illi illicita, conſulendum tamen, vt petatur, aliàs teneretur ſe abſtinere à petendo debito; Verum ſi ea mortua ſuperſtes fuerit, tenebitur votum implere; Secus dicendum eſt de eo, qui promiſit puellæ ducere illam in vxorem, quam tamen neque corrupit, nec infamia notauit, & nihilominus anteà caſtitatis, vel Religionis votum emiſerat, quia tunc tenetur ſeruare votum. Ratio eſt, quia ſunt duæ obligationes ſimplices, & illa, quæ eſt facta Deo magis obligat; præcipuè cum ſit ſine damno tertij; ita etiam qui poſtquam promiſit mulieri matrimonium, & poſteà fecit votum Religionis, tenetur ad implendum votum Deo factum. Ita Petrus Nauar. *cap. 22. nu. 27.* quia ſponſalia diminuuntur per votum ſubſequens, vel antecedens Religionis, ſuppoſito quòd in iſto caſu promittens non habuerit copulam cum puella.

An publicæ meretrices poſſint pro locatione ſui corporis ſtipendium accipere, & retinere?

BRACTEA XX.

R. Poſſe huiuſmodi meretrices publicas abſque obligatione reſtitutionis in pretium locationis ſui corporis aliquid accipere, & retinere. Ratio eſt, quia talis locatio corporis eſt pretio æſtimabilis; ergò, &c. Tum etiam quia promiſſio, ſeu donatio iure naturali valida, & nulla lege poſitiua prohibita transfert dominium; etiamſi ab extrinſeco ſit illicita: at donatio, quæ fit meretrici pro vſu ſui corporis, & ſi vitietur ab extrinſeco, iure tamen naturæ valida eſt, cum fiat pro actu, qui eſt pretio æſtimabilis. Tum etiam quia ſic definitur *in leg. idem ff. de condit. ob turpem cauſam*, vbi dicitur, quod licet meretrix eſt, non tamen turpiter facit in eo, quod pretium accipit pro actu meretricio. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 62. art. 5.* Valentia *tom. 3. diſput. 5. quæſt. 6. pun. 5.* Molina *tom. 3. de contr. diſput. 94.* Arragonius 2. 2. *quæſt. 62. art. 5.* & alij. Secundò, huiuſmodi meretrices non ſolùm datum ante factum, ſed etiam promiſſum poſſunt exigere poſt factum. Et ita communiter omnes; immò ſi nullo conſtituto pretio meretrix copiam ſui corporis fecit, obligatur is, qui cum ea peccauit ſoluere conſuetum pretium. Ratio eſt, quia illa cenſenda eſt non gratia, ſed pro conſueto pretio copiam ſui corporis feciſſe. Molina *tom. 1. n. 94.*

An aliæ mulieres, quæ non ſunt publicæ meretrices poſſint pro copula illicita pretium accipere?

BRACTEA XXI.

R. Poſſe pretium promiſſum accipere, & exigere, & acceptum in conſcientia retinere. Et ita Sotus *lib. 4. quæſt. 7. art. 1.* Bannez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5.* Arragonius *ibidem*, Molina *tom. 1. diſput. 94.* Lopez 1. *par. cap.* 105. Petrus Nauarrus *lib. 4. cap. 2. num. 11.* & alij. Ratio, quia talis locatio corporis licet illicita eſt tamen pretio æſtimabilis, immò pluris æſtimatur, quam locatio corporis publicæ meretricis. Tum quia pretium non datur pro peccato, ſed pro locatione corporis in delectationem alterius, nec is, qui dat, dat propter peccatum, ſed propter actum, quo mulier ei ſeruit ad voluptatem.

Sciendum, quòd licet fœmina coniugata non ſit domina ſui corporis, neque illius vſus, ſed eius vir, nihilominus poteſt aliquid accipere pro locatione corporis, cùm vir non habeat omnimodam poteſtatem ſupra corpus mulieris, ſed ſolùm in ordine ad actus coniugales, & mulier eſt domina actionis liberæ committendi adulterium, & pro hac libera ſua actione poteſt mercedem accipere. Secundò, adulterium, qui pro copula habenda pretium promiſit teneri poſt ipſam perpetratam in conſcientia illud ſoluere. Ratio eſt, quia promiſit pretium non pro peccato adulterij, ſed pro vſu corporis adulteræ, qui eſt pretio æſtimabilis. Ita Bannez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5.* Couaruu. *in reg. peccatum par. 2. §. 2.* Tertiò adulterum, qui mulieri ſuperfluum vltra pretium aliquid promiſit, tenetur illud ſoluere. Ratio eſt, quia ſimplex promiſ-

ſio de iure Diuino, & naturali in conſcientia obligat, niſi exceſſus ad prodigalitatem pertingeret, quia tunc quantum ad exceſſum implere nō tenetur, quia id ſine peccato fieri non poteſt; tenetur tamen, ſi promiſit, & peccatum iam conſummatum eſt dare illi pretium conueniens iudicio boni viri habita conſideratione facultatis, ac qualitate conditionis mulieris. Ita Bannez 2.2 *quæſt.20.art.5.* Rodriquez *par.2.cap* 40. & alij. Quartò, adulterum non obligari ad exceſſum ſtipendij prodigi, etiamſi promiſſionem confirmaret iuramento. Ratio eſt, quia iuramētum promiſſorium de re illicita non eſt validum, neque obligatorium, immò eſt peccatum illud exequi, ac prodigalitas ſaltem eſt peccatum veniale; ergo, &c. Verùm ſi Amaſius prodigè dederit mulieri, factum tenet, & illa eſt domina eius, quidquid datum eſt, dummodo conſtet de intentione dantis, & donans nō ſit filiusfamilias, quia iſte ſecundum communem ſententiam alienare non poteſt, poterit tamen tantum dare meretrici, quantum ludere. Ita Bannez 2.2.*quæſt.62.art.5.* Sotus *lib.4.quæſt.7.art.1.* & alij.

An huiuſmodi mulieres petendo pretium promiſſum pro locatione ſui corporis peccent?

BRACTEA XXIII.

R. Non peccare in recipiendo, neque in petendo pretium promiſſum pro copula illicita. Ita D. Thomas 2.2 *quæſt.62.art.5.* Caietanus, Bannez, Arragonius *ibidem*, Valentia *tom. 3 diſput.5. quæſt 6.pun 5.* Rodriquez *par.2.cap.* 40. & alii. Ratio eſt, quia copia quam iſtæ mulieres præbent pro delectatione, eſt pretio æſtimabilis; ergo, &c. Tum etiam quia ſi mulier petendo, & recipiendo pretium peccat, ſequeretur, quod leges humanæ, quæ concedunt publicæ meretrici repetitionem pretii, & in foro externo cogunt fornicarium illud ſoluere, eſſent iniuſtæ, quia id concedendo viderentur cooperari ad mortale, quod eſt falſum; ergo, &c. cum pretium non petatur, nec accipiatur pro fornicatione, quatenus eſt intrinſecè mala, & à Deo prohibita, ſed quatenus eſt actio libera, & vſui humano accommoda, ſcilicet fornicaria vtilis, & delectabilis.

An fœmina coniugata poſſit pretium ſuæ turpitudinis in ſuos vſus conuertere?

BRACTEA XXIV.

R. Fœminam conjugatam eſſe dominam pretii, quod acquirit per adulterium. Ratio eſt, quia maritus non eſt abſolutus dominus corporis vxoris, ſed tantum eſt dominus corporis vxoris quoad actus coniugales. Vnde mulier ſi ſi aliquid acquirit adulterando, quamuis illi faciat iniuriam, tamen cenſetur domina pretii accepti, nec tenetur illud marito reſtituere, ſed poteſt illud vertere in vſus ſibi placentes. Et ita Sotus *lib.4.quæſt.7. lib.1.* & alii. Quod etiam dicendum eſt de turpiter acquiſitis à filia non eſſe reſtituenda patri, ſed poſſe ipſam ea conuertere in vſus ſibi placentes. Ratio, quia ſicut vir in illicitè acquiſitis ab vxore nullum habet ius, ita nec etiam in turpiter acquiſitis à filia.

An Religioſus poſſit dari aliquid meretrici?

BRACTEA XXV.

R. Nullo modo poſſe ob votum paupertatis, quod emittit in profeſſione, etiamſi haberet licentiam à ſuo Prælato expendendi aliqua in vſus ſibi placentes. Ratio eſt, quia iſta licentia intelligitur ſemper pro rebus licitis, non autem illicitis, etiamſi illud ſit datum ab aliquo ſeculari; Religioſo conditione, vt datum expendat in vſus prophanos, ſeu meretricios. Ratio, quia dominium rei datæ eo ipſo trāſit in Monaſterium, vel Religionem, immò nec ipſemet Prælatus ob rem turpem poteſt aliquid dare, & ſi donaret, valida non eſſet donatio, cum non habeat facultatē donandi, niſi in vſus pios, & donatione remuneratoria, & proinde quod ab eis accipitur reſtituendum eſt Monaſterio, niſi Monaſterium ad vitandam infamiam Religioſi, ſeu Prælati illud condonet.

An mulier fornicaria, quæ fraude, &c. quidquam extorquet pro vſu ſui corporis, teneatur illud reſtituere?

BRACTEA XXVI.

R. Mulieram fornicariam, que vi, metu, fraude, aut dolo aliquid extorquet ab Amaſio pro vſu ſui corporis fingendo, v.g. ſe eſſe virginem, vel non cognitam, niſi ab vno, &c. cum tamen verum non ſit, & ob id maius pretium accepit, quam accepiſſet, ſi nulla fraus intercederet teneri ſuperfluum reſtituere. Ita Nauarrus *cap.17.num.*81. Medina *cod. de reſtitut. quæſt.* 20. Ratio, quia ſuperfluum non cenſetur liberè donatum. Secundò mulier, quæ ſecluſa fraude, dolo, &c. blanditiis, & verbis amatoriis aliquid extorquet dicendo illum amare ſupra cæteros, & alia huiuſmodi ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia is, qui dat illū exceſſum iuſti pretii liberè dat, nam licet blanditiæ minuant voluntatem venereā, tū appetitum, & voluntatem ſimpliciter augent. Verùm ſi preces, & blāditię eſſent adeò exorbitantes, & importunę, vt voluntarium excludēt, & voluntariū mixtū inducant, in ipſo caſu teneretur reſtituere exceſſum pretii. Ita Rebellus *par.2 lib.3 quæſt* 8. Nauarrus *cap.17.num.*41 Sotus *lib 4.quæſt.7.art.1.* Tertiò, mulierem fornicariam, quæ petit ab Amaſio aliquid pretioſum coram aliis perſonis, coram quibus cogitur donare, alias amitteret ſuum honorem tenetur illud reſtituere. Ratio eſt, quia dat, inuoluntariè, ſaltem mixtè dat, non daturus, ſi ſine ſuo dedecore denegare poſſet; ergo non transfert dominium rei donatæ & per conſequens mulier non poteſt illud retinere, ſed tenetur reſtituere danti. Ita Bannez 2.2.*quæſt.62.art.5.*

An meretrix emendata poſſit dici meretrix?

BRACTEA XXVII.

R. Meratricem emendatam non poſſe amplius dici meretricem. Ita Marſilius *in leg.5. num.* 20. *cod. de rapt. virg.* Gutier. *de benef. in cap. Raynus.* Rolandus *conſil.63.num.14.lib.*2. Rota coram Seraphino *deciſ.999.* & alii. Ratio colligitur in *leg. penult. ff. de his, qui not. infam.* vbi decernitur non nouiſſe famæ mulieris quæſtum in ſeruitute factum, ex

ex cap. ſi quis vxorem 32. quæſt. 1. vbi dicitur, quod adultera poſt ſatisfactionem pœnitentiæ non poteſt adultera vocari. Tum etiam quia in dignoſcenda qualitate perſonarum inſpicitur vltimus ſtatus, & poſtrema conſuetudo. *leg. ſi mater*. Cum ergo ſtatus mulieris emendatæ ſit ſtatus honeſtatis, meritò non debet meretrix reputari.

Ex quibus mulier probetur, aut præſumatur meretrix?

BRACTEA XXVIII.

R. Ex pluribus mulierem probari meretricem. Primò, ſi reperiatur deſcripta in matricula meretricum; matricula enim probat ſtatum perſonæ. *leg. ex eo tempore ff. de milit. teſtam. leg. matriculam*. Secundò, ſi conſtet, quod palam ſine delectu ſe proſtituat. *leg. palam ff. de ritu nuptiar*. Tertiò, ex teſtibus deponentibus talem eſſe meretricem, dummodo aſſignent concludentem rationem ſcientiæ, Bald. *in leg. ſi eod. de colluſ. detegen*. Quartò, ſi probetur, quod paſſa fuerit ſe tangi turpiter à pluribus, quam à duobus, etiamſi teſtes non deponant de concubinatu. Baldus *conſil. 206. lib. 4.* Alexander *conſil. 13. lib. 7.* etiāſi teſtes ſint ſingulares, quia vbi agitur de probando meretricio, agitur de probando quid in genere, quod quidem probatur ex teſtibus ſingularibus. Imola *in leg. inter partes ff. de re iudicata*, Corn. *conſ. 91. lib. 1.* Alba *conſ. 25.* Natta *conſ. 478.*

R. 2. Præſumptiuè mulierem eſſe meretricem probari ex variis circumſtantiis veriſimilibus. Botring. *in leg. neque natales cod. de probat.* Brac. *in tract. de indiciys & tortura in 4 quæſt.* 1. quia in hac materia admittitur argumentum à communiter accidentibus. Baldus *in leg. neque natales*.

Sciendum inter cæteras veriſimiles circumſtantias afferri. Prima, ſi probetur, quod de nocte ianuam aperuit intrare volentibus. Baldus *in leg. data opera*, Natta *conſil. 205. num. 4. lib. 1.* Surdus *conſil. 469. num. 37.* Secundò, ſi probetur, quod ſcholares, aut alias extranei ſine cauſa ad eam accedant, & cum ea loquuntur. Baldus *in leg. neque natales cod. de probat.* nam quando ſcholaris loquitur cum muliere extranea, non præſumitur loqui ad bonum finem. *Iaſon. in leg. non hoc*. Tertiò, ſi probetur, quod nunc vnam domum, nūc aliam ingreditur ſine legitima cauſa. Angelus *in leg. ſi qua illuſtris ff. Senatuſconſult. Orfician*. Quartò, ſi probetur recipere pecuniam pro concubitu. Baldus *in leg. idem ff. de condit. ob turp. cauſ.* Maſcardus *de probat. concluſ.* 1063. *num.* 27. vbi ſufficit, ſi hoc probetur per vnum teſtem nobilem. Quintò, ſi probetur, quod verſetur in loco, vbi aliæ meretrices verſantur, nam ſatis quæ præſumitur, quales ſunt ſocii, cum quibus verſatur. *leg. ſi plures ff. de adminiſtr. tutel.* Bermondus *in tract. de concubinis verſ. de ſtupr.* Sextò, argui poteſt meretrix ex habitu, & veſte meretricia, vt colligitur *leg. item apud labeonem* §. *ſi quis virgines ff. de iniur. cap. ſi Iudex Laicus de ſententia excomm.*

An meretrices ſint tolerandæ in Chriſtiana Republica?

BRACTEA XXIX.

PRIMA ſententia eſt non eſſe tolerandas, & ita Nauarrus *in manuali cap. 17. num. 195.* Gutter. *can. quæſt. lib. 2. cap. 7. num. 29.* Ratio, quia damnatur in ſcriptura Deuter. 23. expreſsè Dominus prohibet, ne ſit meretrix, neque ſcortator de filiabus Iſrael. Secundò, quia meretrices multa damna inferunt, facultates abſumunt, iram Dei prouocant, earum familiaritate homines non ſecus, ac venenis inficiuntur. Et ideò Periander Rex apud Corinthios meretrices omnes vndis ſumergi iuſſit. Scipio Scorta, & aruſpicea depellit. Quibus non obſtantibus.

R. Principes Chriſtianos gratia maioris mali vitandi lupanaria tolerare. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 10. Gloſ. *in cap. inter opera, verbo reuocare*, Alexander *in leg. ſi adulterium cum inceſtu* §. 1. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* Præpoſitus *in cap. qui ſincera num.* 5. Paleotus *de nothis, & ſpuriys cap. 16. num. 6.* & alij. Vnde reſultat, quod coitus cum meretrice, quamuis ſit peccatum mortale, tamen in foro exteriori iuſtis ex cauſis non punitur, Bartolus *in l. verum num. 2 ff. de furtis* Ozaſc. *deciſ.* 77. *num.* 33. motiuum huius tolerantiæ eſt, quia hominum tanta eſt libido, vt ſi meretrices à Ciuitate tollantur, periculum planè ſit, ne matrimonium, & virginem pudicitia in diſcrimen ponatur, quod malum vt euitetur, viſum eſt mulieres aliquas libidini indulgentes tolerare, & ſub hac ratione à principio naſcentis Eccleſiæ fuerunt toleratæ. Dixi toleratę, vt intelligatur conſueuiſſe eas tantum tolerare, non autem probare, non enim poteſt Chriſtianus Princeps concedere explicitè, meretricandi licentiam, permittere, & tolerare differunt in eo, quia permittitur aliquid quando conceditur licentia illud faciendi. Toleratur actus dupliciter: primò, quando taliter pęna contra facientes: ſecundò, quando delictum relinquit impunitum, & hoc modo tolerantur meretrices.

An meretrix licitè ducatur in vxorem?

BRACTEA XXX.

R. MERETRICEM, quamuis publicam non impediri, quominus matrimonium contrahere poſſit. Ita Textus *in cap. opera*, ibique Doctores communiter. Secundò, ducere in vxorem meretricem animo, & intentione eam à turpitudine reuocandi eſſe opus licitum, & pium. Tertiò, ducere in vxorem meretricem, vt eam in meretricio confoueat, & de quæſitis ex meretricio viuat, eſt peccatum. Ratio, quia abutitur Sacramento matrimonii. Tum quia tale matrimonium eſt directè contra bonum prolis. *Cap. nouerint 32. quæſt. 1.* ibi Turecrem. *cap. 1. num. 3. & 4.* Angelus *in ſumm. verbo meretrix num. 2.* Menoch. *conſ. 18. n. 12.* & alii.

Sciendum, quod ſi meretrix ducta in matrimoniū animo, & intentione reuocandi eam à peccato, ſi poſt matrimonium contractum, iterum committat adulterium virum non poſſe compelli ad ipſam recipiendam. Ita *cap. ſignificaſti de diuortio*, Gloſ *in cap. de bened. verbo recipere 32. quæſt.* 1. Pœnitentem poſt adulterium poteſt maritus eam ſibi reconciliare. Gloſ. *in cap. 3. de adult.*

Condemnatus ad mortem, ſi offerat deſponſare meretricem, an ſit liberandus?

BRACTEA XXXI.

R. REGVLARITER non eſſe liberandum. Ita Gulielmus de Benedictis *in cap. Raynutius* Iacob de belniſo *in praxi tit. lenon num.* 33. Boer. *deciſ.* 217. *num.* 20. Tiraquel. *de pœnis temperalibus*

libus conſ. 58. & alii. Ratio, quia Reipublicæ intereſt principaliter, & primariò delicta puniri, *leg. ita vulneratus* §. *quod ſi quis ff. ad leg. Iul.* & hac via delicta, vt plurimum remanerent impunita, cum quilibet vxorem non habens, poſſet hoc modo pœnam vitare. An conſuetudo, quod condemnatus ad mortem liberetur, ſi offerat ſe ducturum meretricem, ſic valida. Reſpondeo eſſe nullam, quia eſt inductiua peccati, atque fuiſſe iudicatum aduerſus hanc Pariſiis refert Papon. *lib.* 22. *tit.* 7. limitatur tamen dummodo condemnatus ad mortem non ſit propter raptum, aut ſtuprum admiſſum, nam de iure canonico rapta, ſeu ſtuprata conſentiente admittitur ad eam deſponſandam, *Cap. fin. de raptor.* & diſpoſitio iuris canonici in hac parte derogauit diſpoſitioni iuris ciuilis *in leg. vnica* §. *ſin autem, Cod. de rapt. virg.*

An filia meretricaliter viuens, poſſit exhæredari?

BRCATEA XXXII.

FILIAM meretricaliter viuentem poſſe à Parentibus exhæredari, *leg. ſi filiam, C. de inoffic. teſtam.* §. *aliud quoque*, & ita Bed. Bald. Salyc. Iaſo, & reliqui *in leg. venam, Cod. de inoffic. teſtam.* Molina *de iuſtitia tract.* 2. *diſp. ibid.* Sanchez *de matrimon. lib.* 4. *diſp.* 24. *num.* 7. Quod intelligendum eſt non modo de filia, ſed etiam de nepote, ſiue ſit in poteſtate Patris, ſiue ſit emancipata: Nam ſicut emancipatio non liberat parentes ab obligatione inſtituendi liberos, ita non abſoluit liberos à reuerentia, & obſeruantia, qua tenentur erga parentes: & multo magis poteſt dote priuari, nam cauſæ, quæ ſufficiunt ad exhæredationem, ſufficiunt ad priuationem dotis, & alimentorum, *leg. ſi quis iure.* Specul. *in tit. qui filij ſint legitimi* §. 1. *num.* 16. Conat. *in leg. quoſliberos num.* 10. Surdus *de alimentis tit.* 7. *queſt.* 4. Hoc tamen non procedit in matre meretrice, quæ cum nequeat in perſona filiæ improbare exercitium, quod ipſa profitetur, conſequenter non poteſt filiam propter meretricium exhæredare, *leg. in arenam, Cod. de inoffici teſtam.* ibique Bart. Bald. Fulgoſ. & alij.

Sciendum filiæ pœnitenti, & emendatæ non poſſe à Patre denegari alimenta, *ita leg. necare ff. de liber. agnoſcend.* cum hoc valdè durum eſſet, & contra pietatem parentum, nec etiam poſſe exhæredari, ita Specul. *in tit. qui filij ſint legitimi* §. *penult.* Autr. & Abbas *in cap. quanta vallis*, Campegius *de dote part.* 1. *queſt.* 13. Iaſ. *in leg. ius ciuile num.* 29. *ff. de iuſtit. & iure, & leg. in arenam num.* 6. *Cod. de inoffic. teſtam.* Marſil. *in leg. vnica num.* 21. *Cod. de raptor. virg.* Caſtaneus *de conſuetudine*, licet plures ſequantur contrariam ſententiam; vt Felin. *in cap. Rodulphus num.* 6. *de reſcriptis*, & alij & in Senatu Pedemontano ſecundum opinionem Felini fuiſſe iudicatum, refert Theſaurus *queſt. forenſ. lib.* 1. *queſt.* 70. *ſub num.* 2.

An filia, quæ vni tantum ſe proſtituit, poſſit à parentibus exhæredari, & dote priuari?

BRACTEA XXXIII.

NEGATIVE. Ratio, quia per authent. illa filia poteſt exhæredari, quæ luxurioſam vitam egerat, at illa, quæ ſemel, aut bis vni tantum ſe proſtituit, non cenſetur luxurioſam vitam agere, ergo non poteſt exhæredari, ita etiam *in leg. ſi filiam, Cod. de inofficioſo teſtam.* vbi conceditur Patri exhæredandi filiam, eo quod turpiter, & cum flagitioſa lędicate viuebat eo Patri facti narranti reſpondetur eam poſſe exhæredari, ergo illa ſola poteſt exhæredari, quæ meretricaliter viuit, & non ea, quæ vni tantum ſemel, aut bis ſe proſtituit.

An filia poſſit exhæredari peccando in corpus ſuum, ſi parentes eam vſque ad vigeſimum quintum annum diſtulerint matrimonio collocare?

BRACTEA XXXIV.

NON poſſe exhæredari. Ratio eſt, quia id non ſua culpa, ſed parentum commiſiſſe præſumitur Authent. *verum de appellat. cognoſc.* Authen. *ſed, & ſi poſt, Cod. de inoffic. teſtam.* Gloſſ. *in cap. hoc caſt. ſanctum in queſt.* 2. & *in cap. de raptor.* 36. *queſt.* 1. Surdus *tit.* 7. *queſt.* 4. *nu.* 37. & alij. Quod tamen intelligendum eſt modo parentes ſint in culpa, quia ſi non eſſent in culpa, quia egiſſent de filia maritanda, & virum non reperiſſent propter filiæ deformitatem, tunc ſi filia maior 25 annis in propriu corpus peccaſſet, poteſt exhæredari, quia textus, *Et parentes diſtulerint eam marito, & forſan ex hoc contigerit in ſuum corpus peccare, quia non ſua culpa, ſed parentum id commiſiſſe cognoſcitur*, quæ culpa cum ceſſet, vbi per parentes non ſtetit quo minus, ceſſare etiam debet diſpoſitio, *leg. illud ff. ad aquiliam leg. aſſigere* §. *quamuis de iur. patr.*

R. Secundò, Filiam, quæ poſtquam peccauit in corpus ſuum, reddit in gratiam parentum, non poſſe amplius exhæredari ex antecedenti cauſa. Ita Iaſon. *in leg. filio, quem pater* 23 *num.* 10. Cagnol. *ff. de liber. & poſthum. in leg. fin. num.* 18. *ff. de liber. præter. pact.* Conar. *in cap. Raynutius num.* 17. *de teſtam.* & alij. Ratio eſt, quia exhæredatio nititur in indignatione propter ingratitudinis peccatum, quæ tollitur per reconciliationem, ceſſante cauſa, ceſſat effectus. An per reconciliationem Patris tollatur exhæredatio iam facta, Bart. *in leg.* 3. §. *fin. ff. de adim. legat.* exiſtimat reuocari, & illum ſequuntur Iaſ. *in Authen. licet num.* 24. *Cod. de liber. preter* Caſtr. *in leg. fin. Cod. de pact.* & plures alij Legiſtæ, quia ceſſante indignatione, ceſſat exhæredatio; Contrariam opinionem tenent Aretin, *in leg. filio, quem pater ff. de liber. & poſthu.* quem etiam plures ſequuntur. An actus, per quos prætenditur pœnitentia parentum, an ſint iudicialiter probandi. Reſpondeo ad probationem ſufficere duos teſtes. Ita Bald. *in leg. errore num.* 3. *Cod. de teſtam.* Francis. Aretinus *in leg. filio ſub num.* 1. Ratio, quia vbi agitur de probando facto extrinſeco, licet concernat teſtamentum, tamen probatur per dictos teſtes, Oldrad. *conſ.* 297. Bald. *in leg. errore num.* 3. & 4. *Cod. de teſtam.* at pœnitentia, ex qua prætenditur reuocatio exhæredationis eſt actus; qui poteſt fieri extra teſtamentum, vt probatur in lege in ipſius, ergo, &c.

R. 3. Filiam, quæ poſtquam peccauit in corpus ſuum, redijt in gratiam parentum, & nupſit ſtupratori, poſſe conſequi dotem maternam, & bona materna extradotalia. Ratio eſt, quia matrimonium cum ſtupratore iure canonico eſt permiſſum, *cap. fin. de raptor.* cuius diſpoſitio eſt attendenda, quia corrigit in hac parte diſpoſitionem iuris ciuilis, *cap.* 4. *de non. operimum.* ergo parentes tenentur ad dotem, nec ſecus, ac tenebantur ante ſtuprum. Ita Couaruu. *de ſponſal. part.* 2. *cap.* 8. *paragr.* 6. Surdus *de aliment. tit.* 1.

tit. 3. quæſt. 6. ſub num. 9. licet plures teneant opinionem contrariam.

Meretrix an amittat nobilitatem, & an reuerſa ad bonam frugem, eam recuperet?

BRACTEA XXXV.

R. Meretricem non amittere nobilitatem, licet amittat priuilegia nobilitatis; ita ex *leg. Senatoris filia 47. ff. de ritu nuptiarum*, Baldus *in leg. Senatoris, & in l. cum in antiquioribus quæſt. 8. cod. de iure deliber.* Aret. *conſil. 74. num. 16.* Tiraquell. *de nobilit. cap. 24. num. 1. &c.* Bonifacius *de nobilit. 194.* Triniſanus *deciſ. 33. num. 6 par. 2.* Quod intelligendum eſt de priuilegijs concernentibus eius incommodum, nam ad id habetur perinde, ac ſi nuſquam nobilitatem maculaſſet. Et textus *in leg. 1. cod. de infamibus lib. 12. leg. nec infames cod. de decurionibus lib. 12. leg. nec infames cod. de decurionibus lib. 10.* & ex alijs iuribus.

Sciendum dubium eſſe, an per meretricium matris præiudicetur nobilitati filiorum, ad quod reſpondeo, ſi ſermo ſit de filijs natis, ſeu conceptis ante meretricium nobilitati filiorum non obeſſe. Tum quia filij quoad nobilitatem ſequuntur conditionem patris, non autem matris. Tum etiam quia ſufficit, quod parentes gaudeant nobilitate tempore quo filius fuit natus vel conceptus *leg. emancipatum* neque ſequens caſus parentum filijs præiudicat *leg. filium* &c. & *leg. emancipatum ff. de Senat.* ſi verò ſermo ſit de filiis natis, dum ante meretricio, ſi tunc verſarentur in caſibus, in quibus habeat locum præſumptio, quod ſit filius mariti, & maritus ſit nobilis in iſto caſu, meretricium matris filijs non præiudicat *leg. emancipatum, leg. filium ff. de Senator.* limitatur tamen iſte caſus, ne procedat, vbi requiritur nobilitas ex vtroque latere, cum non poſſint filij ex parte matris nobilitatem prætendere. *leg. Senat. 47. ff. de ritu nupt.*

Meretrix an poſſit expelli à locis honeſtis?

BRACTEA XXXVI.

R. Poſſe ab honeſtis locis expelli. Ita Textus *in leg. non aliter ff. de vſu, & habita,* & *in leg. ſi pendentes,* Bart. Bald. Caſtrenſ. & reliqui *in leg. 2. de ſumm. Trinit.* & fide catholica, & alij communiter.

Sciendum meretricem non ſolùm poſſe expelli à domo conducta, ſed etiam à domo propria ipſius meretricis, nam & in domo propria tenemur honeſtè verſari *leg. non aliter ff. de vſu, & habita*, quod intelligendum eſt de meretrice habitante in Ciuitate, vbi meretricibus eſt præſcriptus locus proprius ad habitandum, quia tunc ſiue domus ſit conducta, ſiuè propria ipſius meretricis poteſt expelli à locis honeſtis, quia eo ipſo, quod elegit vitam meretricialem, videtur ſe ſubieciſſe legibus loquentibus de meretricibus. Si verò in Ciuitate meretricibus non ſit aſſignatus locus proprius, tunc regulariter meretrix non poteſt expelli à locis honeſtis, ex eo ſolo quod ſit meretrix, ſiuè domus ſit propria, ſiuè conducta. Ratio eſt, quia vbi meretricibus non eſt aſſignatus locus proprius, præſumitur aſſignata tota Ciuitas, ſi verò meretrix in Ciuitate habitet prope Monaſterium Monialium, tunc enim indiſtinctè expelli poteſt. Textus *in authent. de lenonibus §. quaſdam verò*, ſicuti etiam poteſt expelli, ſi habitet prope Palatium Principis. *leg. 4. cod. de ſpectaculis lib. 11.*

R. 2. Honeſtati congruere, vt meretrices in certo loco collocentur, vbi exemplo minus obeſſe poſſint. *leg. 4. cod. de ſpectaculis publicis*, licet ſub Pio V. cum meretricibus fuiſſet locus deſignatus Reipublicæ non expedire compartum fuit, & latius eſſe indicarent Pontifices loca apud Eccleſias, & quædam alia præcipua à meretricum habitatione eximere, & à loci peculiare deſignatione abſtinere.

Domus an licitè poſſit locari meretrici?

BRACTEA XXXVII.

R. Poſſe locari. Ita Alber *in leg. ancilla num. 30.* Molina *diſput. 500. num. 3.* Azorius *lib. 12. cap. 18. quæſt. num. 5.* Ledeſma *in ſumma par. 2. tract. 27. cap. 9.* Rebellus *lib. 14. quæſt. 17. num. 8.* Gutier. *can. quæſt. lib. 2. cap. 7. num. 26.* Sanchez *de præceptis decalogi lib. 1. cap. 7. n. 20.* Valent. *2. 2. diſp. 5 q. 20 pun. 5.* & alij. Ratio, quia meretrix ex eo quod ſit meretrix priuatur rebus ad vſum neceſſariis, at habitatio eſt neceſſaria ad vſum; ergo, &c. Tum etiam quia habitatio denegatur tantum illis, qui in Ciuitate non tolerantur. *Cap. vnico de vſur. lib. 6.* at meretrices ex cauſa publicæ vtilitatis ad euitanda maiora ſcandala tolerantur; ergo non poteſt ei denegari habitatio.

R. 2. Quando domus ſita eſt in loco, in quo habitare conſueuerunt meretrices ſimul, & honeſtæ perſonæ meretricem non admitti ad licitationem domus etiamſi maiorem offerant penſionem, dummodo penſio, quæ offertur ab honeſta perſona, ſit iuſta; ſi verò domus ſita ſit in lupanari, & ad domum licitandam concurrunt plures meretrices, tunc omnes admittuntur ad licitandam, quia cum ſint eiuſdem conditionis, non eſt ratio, cur vna admittatur potius quam alia.

Coitus cum meretrice an ſit punibilis?

BRACTEA XXXVIII.

R. Eſſe in foro exteriori impunibilem ex parte vtriuſque. Gloſ. *in leg. vnica cod. de rapt. virginum in leg. ſi vxor ff. ad leg. Iul. de adulter.* Boer. *deciſ. 317.* etiamſi meretrix eſſet nupta; quia accedentes ad eam non puniantur in foro externo, licet meretrix ipſa teneatur de adulterio in vtroque foro. Alexander *conſil. 99 lib. 5. num. 6.* Caterius *in praxi §. circa quartum num. 367.* Marſilius *in leg. vnicam num. 43. & 45. cod. de rapt. virg.* Capycius *deciſ. 44. num. 2.* & alij. limitatur in caſu, quo quis coiret cum meretrice inuita, nam tunc punitur, aut quis coiret cum Hebræa, aut ſi meretrix eſſet Monialis profeſſa, vel ad vitam honeſtam conuerſa. Ricinlus *de perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſantur lib. 2. cap. 25.*

Fornicatio Clericorum cum meretrice an ſit punibilis in foro exteriori?

BRACTEA XXXIX.

R. Fornicationem Clerici in ſacris eſſe in foro exteriori punibilem, licet non ſit probanda. Ratio eſt, quia per ſuſceptionem ordinis ſacri emittitur votum caſtitatis, quod idem dicendum eſt de Clericis in minoribus conſtituti. *Cap. Clericus, cap. quidam, & cap. Clerici 81. diſt.* & licet in Laicis ſimplex fornicatio non puniatur, tamen in delictis non eſt par conditio Laicorum, & Clericorum,

ſed Clerici eo gravius debent puniri, quò maiori ferventiori honore. *leg. Presbyteri cod. de Epiſcopis & Clericis, cap. ſicut dignum de homicid. cap. quidam de iureiurādo, cap. excommunicamus ... credentes*; ſola enim qualitas Clericatus gravat delictum. *Cap. homo Chriſtianus 40. diſt. cap. præcipuè 11. quæſt. 13. cap. quia ſanctitas 51. diſt. §. fortiori*, idem dicendum erit de Clerico Religioſo profeſſo, & cum fornicationem eſſe punibilem in foro externo, quia & ipſi fornicantes committunt ſacrilegium, propterea quod caſtitas eſt annexa regulæ. *Cap. cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monachorum*, Butr. *in cap. ſignificaſti de adulter.*

Sciendum, quod licet Clerici fornicantes cum meretricibus ſint punibiles in foro externo, tamen ipſæ meretrices non eſſe punibiles; quia ex univerſali conſuetudine conſueverunt tolerari, eorumque exercitium non conſuevit pœna temporali puniri. *leg. 4. §. ſed & meretricis ff. de condic. ob turpem cauſam.*

Filius natus ex Clerico in minoribus conſtituto, an legitimetur per ſubſequens matrimonium?

BRACTEA XL.

R. Legitimari per ſubſequens matrimonium, ita Præpoſitus *in cap. tanta quæſt. 6 qui filij, ſicut legitimi*, Nicolaus de Vbaldis *in tract. de ſucceſſ. ab inteſtato in 6. ſpecie filiorum*, Gutier. *pract. quæſt. quæſt. 104. lib. 2.* Covarru. *de ſponſ. par. 2. cap. 8. §. 5.* Purpuratus *conſil. 92. num. 4.* & alii; etiamſi Clericus eſſet beneficiatus, quia beneficium non impedit contrahere matrimonium, ſed per matrimonium contractum vacat ipſo iure beneficium. *Cap. 1. & 3. de Clerico coniugato*; & talis legitimatio prodeſt etiam in feudis, quia in taliter natis habet locum diſpoſitio loquens de filiis natis ex legitimo matrimonio. Purpuratus *conſil. 92. lib. 1.* Decius *conſ. 155.*

Vidua meretrix an gaudeat privilegio leg. unicæ, Cod. quando inter pupillum, viduam?

BRACTEA XLI.

R. Viduam meretricem, aut luxurioſè viventem non gaudere privilegio *leg. unic.* Et ita Baldus, Salycetus *in leg. hic ſolis Cod. de revoc. donationib.* Lucas de penna *in leg. 3. Cod. de privil.* Felinus *in cap. ſignificantibus*, Covarru. *pract. reſolut. cap. 7.*

Meretrices an poſſint cogi ad deferendum ſignum, quo ab honeſtis matronis diſtinguantur?

BRACTEA XLII.

R. Poſſe cogi. Et ita Salycetus, Fulgoſ. Ca... *in leg. mina Cod. de Epiſcopis aud.* Decius *in leg. ſemper in contractibus num. 4. ff. de reg. iur.* Sola *ad conſtitutiones Sabaudiæ lib. 4. tit. de publ. meretr.* Bonacoſſa *quæſt. criminal. verbo meretrix*, & alii. Ratio eſt, quia iuſtum, & æquum eſt, ut quilibet deferat habitum, quo ſignificet profeſſionem, quam facit, quod habuit locum, non modò in Republica Romana, ſed etiam apud omnes nationes.

R. 2. Meretricem non poſſe cogi ad fornicandum. Ita Covarru. *variar. reſol. lib. 3. cap. 4. num. 2.* Nevia *in ſylva nupt. lib. 4. §. eſt nubendum num. 36.* Farinac. *de delictis carn. quæſt. 145.* Didacus Perez *lib. 2. tit. 23* Cenedus *collect. 26. num. 2.* & alii. Ratio, quia ſicut quis non poteſt cogi ad res ſuas vendendas, ita nec meretrix poteſt cogi ad fornicandum; quia quod eſt diſpoſitum in rebus multò fortius procedit in perſonis, etiamſi meretrix requiratur à patrono, etiamſi ſit ancilla, & requiratur ab eius domino.

R. 3. Meretricem non poſſe cogi ad detegendum eos, cum quibus turpe commercium habuit, ubi non alia cauſa agitur de illis puniendis ex officio, & ita reſpondit Sacra Congregatio ſcribens Epiſcopo Rippæ Tranſonæ 23. Martij 1615.

Meretrix an poſſit teſtari?

BRACTEA XLIII.

R. Meretricem poſſe teſtari de omnibus bonis ſuis, etiam ex meretricio quæſtu, & ad libitum diſponere. Ita Baldus *in leg. 1. ſub num. 2.* Fulgoſ. *in leg. 4. §. ſed quod meretrici*, Abbas *in cap. quia clerique de immunitate Eccleſiaſtica num. 14* Natta *conſil. 150.* & alii. Meretrice non diſponente ſuccedunt illi venientes ab inteſtato. Gabriel. *conſil. 17. num. 5. lib. 2.*

R. 2. Meretricem ex acquiſitis lucro meretricio poſſe facere eleemoſynam, fundare, vel dotare Eccleſiam, & in ea quærere iuspatronatus. Paulus de Citadinis *in tract. de iurepatron. in 2. conſid. acquirendi quæſt. 23. & 24.* Gigas *de penſion. quæſt. 16. num. 2.* Gratian. *diſcep. 218. num. 13.* & Riccius *decſ. 134.* & alii. An meretrix ex lucro meretricio facere poſſit oblationes, vel decimas ſolvere, dictum fuit cum de Parocho, &c.

An meretrix teneatur reſtituere acquiſita ex meretricio lucro?

BRACTEA XLIV.

Sciendum tripliciter aliquid poteſt dici illicitè acquiſitum primo modo, quando acquiſitio ipſa continet injuſtitiam, prout eſt illa, quæ fit ex furto, & rapina, & uſura. Secundo modo dicitur acquiſitio illicita, quia eſt à iure prohibita, ut quando coniux capit ex donatione alterius coniugis. Tertio modo, acquiſitio non dicitur illicita, ſed turpis, & eſt illa, quæ provenit ex actu fornicario, quæ non poteſt dici injuſta, ſed turpis.

R. Quæſita per meretricem publicam non ſunt reſtituenda. Ratio, quia licet ſint turpiter acquiſita, non tamen iniuſtè, & obligatio reſtituendi oritur ex actione injuſta. Ita Paludanus *in 4 ſentent. diſt. 25.* Sotus *de iuſt. & iure lib. 4. quæſt. 7.* Covarru. *in regula peccatum lib. 6. quæſt. 2. § 2. num. 4.* Azorius *par. 3. lib. 4. cap. 21.* Suarez *de relig. tom. 1. cap. 6. num. 5.* Balthaſar *de poteſt. lib. 2. cap. 15. num. 1.* & communiter Theologi, & Canoniſtæ ex promiſſione facta meretrici naſcitur actio, dictum fuit cum de reſtit.

Accepta

Accepta per puellam cauſa ſtupri, vel per adulterium poſsint retineri?

BRACTEA XLV.

R. Posse retineri, & ita Gabr. *in 4. diſt. 15. qu. 3. art. 3.* Sotus *de iuſt. & iure lib. 4. quæſt. 7. art. 1.* Nauarr. *in man. cap. 17. num. 34.* Molina *tract. 2. diſp. 44.* Roſell. *verb. reſtitut.* Tabiena *num. 10.* Armill. *num. 19.* Balth. *loco cit. num. 18.* Ratio, quia licet talis acceptio ſit turpis, non eſt tamen iniuſta, & per conſequens non obligat ad reſtitutionem.

Sciendum in hac materia inter publicam meretricem, & puellam, ſiue adulteram occultè fornicantem eſſe differentiam, quia publica meretrix poteſt pro mercede ſibi promiſſa agere in iudicio, quod tamen facere non poteſt mulier, quæ occultè fornicatur, quia agendo detegeret propriam turpitudinem, *leg. mortalem*, vbi Doctores.

Sciendum 2. Non eſſe licitum pro actu meretricio exigere vectigal à meretricibus, tamquam meretricibus, ſecus autem ſi ab illis exigatur non tamquam à meretricibus pro actu meretricio, ſed pro rebus, in quibus meretrices comprehenduntur tamquam cæteri de populo, nam tunc tale vectigal iuſtè exigitur ab illis, ne videantur ex ſtatu meretricio commodum reportare, *cap. intelleximus de iudic. cap. ſi verè de ſent. excom.*

An meretrici ſint miniſtranda Sacramenta?

BRACTEA XLVI.

R. Sacramentum pœnitentiæ non poſſe miniſtrari meretricibus, dum in ſtatu meretricali verſantur. Ratio, quia eſt incapax abſolutionis.

Sciendum, quod licet meretrices non poſſint abſolui, quia ſunt in ſtatu peccati mortalis, tamen ſi accedant ad confeſſionale poſſe audiri. Ratio, quia quamuis prædicta confeſſio non proſit ad Sacramentum, tamen prodeſt, vt verbis ſalutaribus monitia diſponatur ad relinquendum peccatum. *Cap. quod quidem de pœnit. & remiſſ.* Obligantur etiam ad ſatiſfaciendum præcepto. Ita *cap. omnis de pœnit. & remiſſ.* Adr. *in 4. ſenten. tract. de confeſſ. dub. 4.* Nauarrus *in cap. 1. §. diligens num. 14.* Em. Sa *verbo excommunicatio num. 43.* Ratio eſt, quia Textus *in cap. vſuris*, loquitur de omni fideli, & per dictionem vniuerſalẽ nec refert, ſi dicatur, quod cum meretrices dum perſiſtunt in peccato nequeunt abſolui, & conſequenter huiuſmodi præceptum eſſe fruſtratorium; quia licet talis confeſſio non proſit ad abſolutionem, tamen prodeſt modo ſupradicto. Verùm ſi meretrix pœnitentia ducta accedat ad Confeſſarium; tunc non ſolùm poteſt audiri, ſed etiam abſolui, quia vbi adeſt pœnitentia, abſolutio non denegatur. *Cap. ſi quid de corpore, & cap. qui recedunt 26. quæſt. 6. cap. pœnitentes 50. diſt. cap. 2. vbi gloſſa* meretrix tunc dicitur animum induxiſſe ad pœnitentiam, quando reliquit re ipſa peccatum, & occaſionem peccandi. *Cap. cum de omni de vita, & honeſt. Cleric. cap. peccatum de reg. iur. in 6.* ſi meretrix ſit in infirmitate conſtituta, & in periculo mortis; tunc dummodo faciat, quod in ſe eſt, non eſt ei deneganda abſolutio *cap. ſi presbiter, & cap. agnouimus cap. ſi quis de corpore cap. qui recedunt cap. pœnitentes 50. diſt.* Dicitur facere quod in ſe eſt ſi recedat a domo in qua meretricium exercuit, & ſi id facere non poſſit deteſtetur vitam præteritam cum propoſito ſe emendandi.

R. Meretricem poſſe ſuſcipere Sacramentum Euchariſtiæ, ſi publicè conſtet de eius pœnitentia; ſecus verò non ob periculum ſcandali. *Cap. ſi peccauit 2. qu. 1.* in quo caſu poteſt etiam ſuſcipere Sacramentum Extremæ vnctionis, ſi oſtendat ſigna pœnitentiæ, ſi verò decedat impœnitens, non ſunt miniſtranda illi Sacramenta. Viual. *in candel. tit. de Extrema vnctione verbo de ſuſcipientibus.*

R. 3. Meretrix, quæ pœnitentiam egit, & obtinuit abſolutionem à peccatis, poteſt, & debet in Eccleſia ſepeliri. *Cap. 15 qui in infirmitate 26. quæſt. 6 cap. quibus, & cap. cum gratia 13. quæſt. 2.* ſi verò meretrix pœnitentiam diſtulit ad mortis articulum, quia Eccleſiæ de ſcandalo ſatiſfacere non poteſt, quamuis poſſit abſolui, & Sacrum Viaticum augere tamen in odium criminis, & terrorem aliarum, videtur, quod non debeat in loco ſacro ſepeliri. Ita Ricciulus *lib. 2. de perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſantur cap. 40.*

Concubinatus quomodo ſit prohibitus?

BRACTEA XLVII.

R. Concubinatum conſideratum vti contubernium prolis ſuſcipiendæ cauſa de iure pandectarum reperitur toleratus in non habentibus vxorem. *leg. 1. & 2. ff. de contubern. leg. Maſſurius ff. de verb. ſignific.* Bart. *in leg. 3 ff de concubin.* Felinus *in cap. cum ſit generale*, Io. a Gatron. *in rubr. Cod. de inceſt. nupt. pœna* 28. vxoratis, neque de iure pandectarũ fuiſſe permiſſum. Ratio eſt, quia ſublata conſideratione ſuſceptionis filiorum, quæ ceſſat in habentibus vxorem concubinatus reſoluitur in fornicationem, quæ improbata, etiam de iure pandectarum. Textus *in l. Panthonius ff. ita parente quis fuerit manum.*

R. 2. De iure Authent. non poteſt ſine grauiſſimo peccato haberi concubina, etiam ad prolem ſuſcipiendam. Ita Felinus *in cap. cum ſit generale num. 13. de foro compet* Mandoſ. *conſ. 102. num. 8.* Menoch. *conſ 461. num. 20. lib. 5.* Maſtril. *deciſ. 152. num. 23. par. 2.* & communiter Theologi Canoniſtæ.

R. 3. Filios ſuſceptos ex concubinatu eſſe capaces ſucceſſionis, non quia de iure Authent. concubinatus ſit admiſſus ad ſuſcipiendam prolem, ſed quia ſunt certi Ita Aretinus *in cap. cum ſit generale de foro compet.* Menoch. *de arbitr. caſu 418. num 21.* Lupus *de illegitim. comment. 1. §. 1.* Vaſquez *illuſtr. quæſt. cap. 102. num. 11.* nec refert, quod copula ſit illicita, quia niſi lex vlterius procedat imponendo pœnam non repellit prolem à ſucceſſione. Bartolus *in leg 2 ff de concubin.* Matth. Sill. *de ſucceſſ. ab inteſt. membr. 2. art. 1, num. 7.* Gozad. *conſ. 21, num 5.* & alij.

R. 4. Concubinatum nunc temporis, tàm in vxoratis, quam in ſolutis eſſe interdictum in vtroque foro, ita vniuerſaliter omnes. Ratio, quia iure ciuili hodie prohibetur. De iure verò Canonico eſt improbata quælibet carnalis coniunctio præter vxoriam. Textus *in cap. nemo, & cap meretrices 32. quæſt. 4. cap. nubendi 27 quæſt. 2.* D. Thomas *2. 2. quæſt. 15. art. 4.* Abbas *in cap. tanta, qui fil. ſint legit.* Nec poteſt citra hæreſim hæc opinio reuocari, ſtante diſpoſitione Sacri Concilij Trident.

De

De pœnis concubinarum?

BRACTEA XLVII.

R. Plvres eſſe pœnas. Primò, poteſt cogi, vel ab vxore, aut à Iudice, vt concubinam dimittat. Ratio, cur poſſit cogi ab vxore, eſt, quia intereſt vxoris propter multa maritum concubina carcere, quia illi infertur iniuria, cur poſſit cogi à Iudice, eſt, quia cum concubinatus ſit contra honeſtatem, poteſt Iudex cogere homines ad honeſtè viuendum. *l.3.§.iuris præcepta ff.de iuſtit.& iure*, & etiam poſſunt cogi ſub pœna excommunicationis. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24.de reformat.* præcedentibus tamen debitis informationibus ſpecialiter factis. Dixi ſpecialiter, quia non ſufficeret generalis, quod omnes dimittant concubinas. Decian. *tract.crim.tom.2.cap.21.num.50.*

R.2. Sacros Canones fœminas concubinas non afficere pœna excommunicationis. *Cap fraternitatis 34.diſt.c.2.* Ratio eſt, quia mulieres ſunt propriorum affectuũ ſequaces eorũ propria paſſio eſt luxuria, qua de cauſa viſum eſt cum eis à pœna excommunicationis abſtinere, excipiuntur duo caſus: primus, quando fœmina damnata per ſententiam parere recuſat: ſecundus, quando eſt concubina Clericorum.

An propter concubinatum liceat coniugi petere diuortium?

BRACTEA XLVIII.

R. Licere vxori petere diuortium ex cauſa concubinatus, vel adulterij. Ita Theologi *in 4 ſentent.diſt.35.* & cum Theologi concordãt canoniſtæ. Caſtrenſ. *in cap.intelleximus num.3.de adult.* Cardin. *in cap 2 de diuort.* Turrecremata *in cap. Apoſtolus art.2.num.32.quæſt.1.* Rolandus *conſil.50.* Butr. *in cap. gaudemus*, Cantera *quæſt.criminal.cap 4.nu.18.* Sanchez *de matrim.lib.10.diſp.3 num.6.* Ratio eſt, quia concubinæ ſunt vxoribus plurimum infenſæ, ideòque inſurgit contra maritum ſuſpicio ſæuitiæ, quæ iuſta eſt cauſa, vt vxor poſſit à marito recedere, quoadusque ſibi ſufficienter cautum non ſit.

Concubina quando poteſt dici emendata?

BRACTEA XLIX.

R. Concvbinam dici emendatam, quæ per triennium abſtinuit à contubernio tantum enim ſpatium temporis requiritur, vt inducta dicatur mediocris purgatio peccatorum. Baldus *conſil.354.lib.3.* Marſilius *in leg 2.num 1.* Iaſon *in leg. in arenam. Cod. de inoffic. teſtam.* Porta *conſil. 21. num.29.* Verùm ſi ingrederetur Monaſterium mulierum pœnitentium, in quo in ingreſſu profitentur, ſubitò dicitur emendata. *leg.imperialis Cod.de nupt.* cum alijs.

Sciendum, quod vt concubina ſit capax legati, ſufficit, ſit emendata tempore mortis legantis. *leg. penult ff de leg.præſt.leg.in fraudem §.1.ff.de his, quibus, vt vndique*, Bart. *in l.non oportet 54.* Gloſſ. *in leg.miles, ita §. mulier*, Bermoudus *de concubin.§. contra prædictos num.14.* Gulielmus de Benedict. *in cap. Raynutius verbo vxorem deciſ.5 num.161.* Quod idem dicendum eſt de diſpoſitione cauſa mortis factis, quia in ea ſufficit capacitas tempore mortis. Bart. *in leg. non oportet ff.de leg.2.* Ratio, quia donatio cauſa mortis ad inſtar legati reputatur. Si verò donatio fuerit facta inter viuos, inſpicitur tempus, quo donatio fuit facta. *leg ſed interim §.1.ff.donat.inter virum,& vxor.leg. ſi prædia 19.* & ſi inſtitutio ſit facta per viam inſtitutionis habilitas requiritur de tempore conditi teſtamenti, mortis teſtatoris, & aditionis hæreditatis. *leg.ſi cognatis ff.de rebus dubijs §.in extraneis*, Berous *conſil. 203. num.1.lib.2.*

Sciendum 2. Bona concubinæ præſumi comparata ex bonis concubini, vt probat Baldus *in leg.1. num.3. Cod.de natural.liber.* Cremen. *ſingul.6.* Ratio eſt, quia vxor, & concubina æquiparantur. *leg. maſſurius ff. de verbor.ſignificat.* atque ideò ſi iſta præſumptio militat in vxore. *leg.quintus ff. de donat. inter virum, & vxor.* & vxor pariter militat, vt concubina *l.2.Cod.eodem tit.*

Donatum concubinæ an poſſit repeti?

BRACTEA L.

R. Qvod quando copula inter concubinas non eſt punibilis in foro externo in tali caſu, quia donatio eſt valida, idcircò non datur repetitio dati. Ita *in leg.donationes 32.ff.de donat.* & ita S. Thomas *2.2.quæſt.32.art.1.* D. Antoninus *par.2.cap 5.* ſi verò copula in foro externo ſit punibilis, vel vti quia eſt cum puella ſtuprata, vel adultera, aut cum Clerico in ſacris conſtituto, tunc an repeti poteſt, dubium eſt. Quidam cenſent repeti poſſe. Et ita Cornelius *in leg. hereditas num.3.cap.de his, quibus* Ruinus *conſil.109. nu.3 lib.3.* Alij verò cenſent donationem eſſe validam, & per conſequens datum repeti non poſſe, ſed quæ ſit noſtra opinio, dictum fuit cum de reſtitutione.

Lenocinium qui dicantur committere?

BRACTEA LI.

S. Ciendvm nomen lenonis eſſe à leniendo, ſeu alliciendo, vel quod adoleſcentulas alliciat, vel quod animos leniendo corrumpat, & ideò leno dici poteſt is, qui ſciens conſueti quæſtus gratia, alterius voluptati operam præſtat. Quibus poſitis.

R. Varijs modis poſſe aliquem lenocinium committere. Primò, qui ſuadent, vt puella ad ſcelus inducatur. Secundò, præbentes domum, vel locum, in quo peccatum patretur. Tertiò, præbentes locum, in quo conueniant ad ſermonem habendum, vel tractandum de peccato carnali committendo, etiamſi debitum non fuerit tunc conſumatum. *l. qui domum ff. ad leg.iul.de adult.* Quartò, cooperantes aliquo modo ad peccatum.

R.2. Vxoris lenonem dici, qui aliquid accipit, vt patiatur vxorem adulterari. Secundò, leno vxoris dicitur is, qui deprehenſam in adulterio vxorem retinuit. Ratio eſt quia debet vir iraſci vxori, quæ matrimonium eius violauit, nam qui vitium vxoris celat patronus, efficitur eius turpitudinis. *Cap.quemadmodum § fin.de iureiur.cap.132.quæſt.1.cap.ſi vir de adult.* licet nunc maritus poſſit vxorem ad meliorem frugem conuerſam ſibi reconciliare. Angelus *in leg.mariti lenocinium §.quod ait*, Follerius *in praxi verbo item qui fuit leno num.27.* Menochius *de arbitr.caſu 534.num.31.* Tertiò, leno vxoris dicitur maritus, qui eam tradit alteri ad adulterandum. Quartò, vir dicitur leno, qui adulterio damnatam vxorem ducit. *leg. caſtitati §.qui autem Cod.ad leg.Iul. de adulter.leg. mariti lenocinium §.quod ait*, licet hodie non obſeruentur.

Sciendum ſolam patientiam mariti etiam craſſam

non operari, vt ipſe poſſit dici leno ſuæ vxoris. Ita Textus *in leg. 2. §. cæterum qui patitur, & leg. mariti §. quod ſi patiatur ff. ad leg. Iul. de adult.* etiamſi mulier cōmittat adulterium cum his, qui conuerſantur cum marito, nam licet talis conuerſatio ſit periculoſa, nihilominus dummodo nō probetur certa ſcientia adulterij in marito, poteſt non notari tanquam leno, dummodo patientia mariti non procedat ex quæſtu, quia tunc talis patientia includit cōſenſum, qui quæſtui additus facit verum lenocinium.

De pœnis committentis lenocinium?

BRACTEA XLII.

R. PRIMO committentem lenocinium incurrere omnes pœnas, quibus afficiuntur cæteri lenones in maiori pœna, cum lenocinium mariti ſit omnium turpiſſimum. Secundò, maritum non poſſe exigere promiſſum ex cauſa lenocinij, etiamſi promiſſum ſit ſtipulatum. Tertiò, maritus poteſt priuari iure petendi debitum. Quartò, repellitur ab accuſatione adulterij per vxorem.

R. 2. Parentes ob lenocinium filiarum priuantur patria poteſtate, quam habeant in filias, quibus impoſuerunt neceſſitatem peccandi. *leg. ſi lenones Cod. de Epiſcopis aud.* Menochius *de arbitr. caſu* 534. Secundo, priuantur vſuſfructu bonorum aduentitiorum, eo quod malè ſe geſſerint in officio paterno. Tertiò, puniuntur pœna extraordinaria, quæ ſolet eſſe acrior, quam ſit in lenonibus extraneorum, quia ex qualitate perſonarum pœna poteſt minui, vel augeri. Bart. *in l. aut facta ff. de pœnis.*

R. 3. Domini, qui ſeruis imponunt neceſſitatem peccandi priuari dominica poteſtate. *leg. lenones.* Ratio eſt, quia parentes, & domini in hac materia purificantur, nec ius habent ab ancillis, & ſeruis exigendi operas carnales, nutrices verò puellarum, ſeu matronæ ad curam adoleſcentularum deputatæ, ſi lenocinium admiſerint, mulctantur pœna mortis. Menoch. *de arbitr. caſu* 534 *num.* 32.

Famulus, quando dicatur lenocinium committere pro Domino?

BRACTEA XLIII.

R. FAMVLVM committere lenocinium pro domino, quando agit cum muliere, eamque allicit, vel inuitat, vt fornicationis gratia accedat ad dominum, vel agit, vt recipiat dominum in domum ſuam, vel quando defert epiſtolas amatorias, ſcienter eſſe amatorias. Ratio, quia hæc ſunt inſtrumenta proxima ad peccatum patrandum, ſicut etiam committit lenocinium, quando defert internuncia, & determinationem diei, vel loci, in quo debent ſimul conuenire.

R. 2. poſſe famulum citra lenocinium præſtare domino ſeruitia indifferentia, quando ignorat, quod dominus ſit illis abuſurus, quia in dubio præſumendum eſt, quod ſit vſurus in bonum. *leg. merito ff. pro ſocio.*

Sciendum dubium eſſe, an famulus poſſit miniſtrare ſeruitia indifferentia, quando nouit illis dominum abuſurum? Ad quod reſpondeo iuxta alibi dicta ſeruum intra crimen lenocinij poſſe ſeruitia præſtare indifferentia, dummodo ea præſtet animo, & intentione explendi obligationem famulatus, non autem adiuuandi dominum in praua eius voluntate. Ita Valentia 2. 2. *quæſt.* 23 *diſput.* 1. *pun.* 4. Sanchez *de de præceptis decalogi lib.* 1 *cap.* 7. *num.* 8 Ratio, quia ſeruitium indifferens poteſt præſtari domino, quamuis improbo, & peccatori, dummodo præſtans habeat cauſam præſtandi, qualis eſt obligatio famulatus. Cum ergo famulus teneatur ex officio famulatus præſtare domino ſeruitia indifferentia, meritò etiam ſi illis dominus abutatur, famulus non peccat, quia ex eius parte concurrit iuſtitia, & abuſus eſt ex parte domini. Vnde famulus poteſt parare equum ad equitandum, etiamſi ſciat, quod dominus velit ad concubinam accedere, aut ad meretricem, dummodo principalis intentio ſerui ſit explere propriam obligationem famulatus. Et pari ratione aurigam poſſe currum præparare, quia dummodo intentio non ſit praua, eos à peccato excuſat communis ratio famulatus. Sanchez *loco citato num.* 22. Secundò, poſſe famulum lectum ſternere, menſam parare, & in illa miniſtrare, etiamſi ſciat dominum cum meretrice cœnaturum, & cubaturum, hæc enim omnia reſpectu famuli ſunt indifferentia. Nauarrus *conſil.* 4. *de pœnit. & remiſſ.* Em. Sà *verbo peccatum num.* 9. Sanchez *loco citato num.* 14. Tertiò, licere famulo deferre munuſcula concubinæ domini ſui, nam dummodo vlterius non procedat, hic etiam eſt actus indifferens reſpectu famuli, quamuis reſpectu domini ſit grauis. Sanchez *num.* 29. Nauarrus *loco citato*. Quartò, excuſari famulos aperientes ianuas concubinæ, nam & hic actus eſt indifferens. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap. vlt. quæſt.* 8 Nauarrus *conſil.* 5 *de pœnit. & remiſſ.* Sanchez *loco citato num.* 30. An liceat famulo expectare dominum cuſtodiæ cauſa, v. g. ad effectum illum admonendi, adueniente marito concubinæ, vel meretricis? Ad quod reſpondeo poſſe poſita iuſta cauſa. Ratio eſt, quia hic eſt actus indifferens, ſicuti antecedentes, dummodo famulus non intendat cooperari peccato, nam aliquem admonere, vt periculum vitet, eſt de ſui natura bonum, quia etiam poſt peccatum admiſſum laudabile eſt hominem à periculo tueri. Ita Sanchez *loco citato num.* 30. Tum etiam, quia obligatio miniſtrandi opera indifferentia domino abuſuro, oritur ex generali præcepto charitatis, quo tenemur vitare ea, quæ proximo ruinæ cauſam præbere poſſunt, quam occaſionem famulus cum notabili damno vitare non tenetur iuxta alibi dicta. Damnum autem notabile in hac materia dicitur, vbi famulus difficilè reperiret dominum, qui prædicta ſeruitia à famulis non exigeret, vel ſi reperiret, non poſſit ab eo conſequi emolumentum ſufficiens, ad propriæ familiæ ſuſtentationem, &c.

An à pœna lenocinij quis excuſetur propter egeſtatem?

BRACTEA XLIV.

ALIQVI Doctores, vt Afflictus *in conſtitutionibus lib.* 3. *ſub rubr.* 44. Menochius *de arbitr. caſu* 534. *num.* 14. Viuius *deciſ.* 454. Farinacius *de delictis carn. quæſt.* 144. *num.* 62. & alij affirmant excuſari. Ratio eſt, quia licitum eſt parentibus propter famis neceſſitatem proprios filios vendere. Tiraquellus *de retractu conſanguinitatis* §. 26. *gloſſ.* 1. *num.* 13. Couaruuia *variar. reſolut. lib.* 3. 14. *nu.* 4. Ergo videntur excuſandi, ſi ob neceſſitatem proſtituant. Sed

R. Non excuſari à pœna lenocinij, nec eſſe licitum ob egeſtatem proſtituere filias. Ratio, quia eſt intrinſecè malum, quod autem eſt intrinſecè malum nunquam poteſt fieri. Tum etiam quia per textum *in leg. mater authent.* 10. §. *mulier ff. ad leg. Iul. de adulter.* vbi mulier non excuſatur, ſi lenocinium fecerit vitandi adulterij gratia, nam quia non licet mulieri meretricari ſub prætextu paupertatis. Conarru. *in regula peccatum par.* 2. §. 1. *num.* 5, *de regulis iuris lib.* 6 Menochius *conſil.* 30 *num.* 30. *lib.* 1. Marſilius *conſil.* 13. & alij. Ergo neque licet lenocinari, quia lenocinium facere non minus eſt peccatum, quam corpore quæſtum quærere. *leg. palam* §. *lenocinium*, nec obſtat ratio adducta, quod propter neceſſitatem famis liceat parentibus vendere filios, cum ſit magis peccatum proſtituere filiam, quam vendere, & ſeruitutì emancipare; nam venditio non tribuit ius emptori cogendi mancipium ad ſibi præſtandum operas carnales, & ideò argumentum non eſt bonum licet vendere, ergo licet etiam proſtituere, quia deſumitur à minore ad maius affirmatiuè.

Sciendum inſpecta iuris communis cẽſura pœnam lenocinij eſſe capitalem. Authent. *de lenon.* §. *preconſamus*; & ita etiã docet Gomez *ad l. Tau.* 81. *n.* 73. & 74. Sola *in conſtit. Sab. tit. de lenon.* Farinac. *de delictis carn. qu.* 14 *n.* 57. & alij. Ratio, quia lenocinium eſt crimen improbariſſimum. *leg. palam* §. *lenocinium ff. de ritu nupt.* Fœdius adulterio, & nocet charitati magis, quam violentia. *l.* 1 *C. de rapt. virg.* cum aptius ſit ad mores corrumpendos. *l.* 1. *ff. de var. & extraord. crim.* & ideò cauſa lenonis ſemper odibilis fuit, & à Clemente Matheorum Tirrano quatuor lenas, quæ apertiſſimè lenocinari ſolebãt ſacris incluſas aquis ſubmerſas fuiſſe. Athenus *lib.* 10. Nunc verò temporis propter faciñoris frequentiam ex communi conſuetudine receptum eſt, vt puniatur pœna arbitraria citra pœnam mortis, vt docet Gomez *loc. cit.* Secũda pœna eſt, quod leno, qui procurauit, vt vxor, ſeu filia, aut alia coniuncta domini concuberet, ſeu alias luxurioſè ſe tractaret cum alio, amittit feudum. Iſern. *cap* 7. *n.* 16. quibus modis feud. amittit. Tertia pœna eſt infamia, quam lenones contraxerunt ipſo iure. *l. Athletas* § *ad Pretor. ff. de his, quibus not. infam.* & ideò leno eſt irregularis, & repellitur à teſtimonio ferendo. Alex. *conſ.* 150. *num* 7. *lib.* 5. nec excuſat à pœnis minoritas licet minuat Farinac. *de delict. carn. qu.* 144. *n.* 31. & 32. nec etiam paupertas, cum in criminibus paupertas non excuſet. Bald. *in l. acceptam n.* 67. *C. de vſur.*

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

De præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis.

MALLEATIO I.

Præmiſimus iam aliqua de hiſce Præceptis in Malleationibus, dum de Sacramentis, &c. ageremus: hic tamen ad ſeruandum ordinem doctrinæ, aliqua etiam breuiter attingemus.

An in Eccleſia extet Præceptum audiendi Miſſam?

BRACTEA I.

R. In Eccleſia extare præceptum audiendi miſſam, & eſt communis ex Suarez *tom.* 3. *diſp.* 88. *ſect.* 1. & colligitur *ex cap. miſſas de conſ. diſt.* 1. Quod Caput licet ſit Concilij Prouincialis, tamen tota Eccleſia illud communi conſenſu recepit, & quamuis ibi tantum fiat mentio Dominicæ, ſub eatamen cæteri dies feſti pari ratione comprehenduntur. Ex quo colligitur à tempore Apoſtolorum fuiſſe introductum conſuetudine, vt omnes Chriſtiani diebus Dominicis, & feſtis conuenirent in Eccleſia ad rem Diuinam audiendam. Ratio, quia dies feſti ſunt deputati ad Diuinum cultum, & ſicut in his ab aliquo abſtinendum eſt, vt vacetur Deo, ita aliquid agendum ad eius cultum.

Sciendum nomine auditionis miſſæ intelligi eam actionem, per quam quis intereſt miſſæ humano modo, ſcilicet mente, & corpore, vt ſcilicet corpore præſens ſit, atque animo piè intentus, ſeu ſacris verbis, ac ceremoniis, ſiue Deo ipſi per preces, cœleſtium rerum conſiderationem, aliamq; piam mentis attentionem. Vnde amentes, &c, dum miſſæ ſacrificium celebratur, non dicuntur miſſam audire; quia nequeunt humano modo intereſſe. Secundò, eum, qui commoratur in Eccleſia tempore miſſæ mente ſua reuoluens negotia, non dici miſſam audire, quia non intereſt mentaliter, cum voluntariè vagetur aduertens ſe mente vagari, licet Coninchus 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 6. *dub. vnic. num.* 597. & alii aſſerant, quod Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, ideoque mortaliter non peccet Clericus ſi officium Canonicum externa oris, & corporis compoſitione perſoluat, & fidelis quilibet, ſi ſecundum externum corporis habitum miſſæ decenter interſit, licet interna mente, aut rebus diuinis non intendat. Verum contra hanc ſententiam eſt Suarez *diſp.* 83. *ſect.* 3. & alii communiter. Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit auditionem miſſæ, vt eſt actus humanus, & religioſus, & non poteſt eſſe actus humanus, & religioſus ſine debita attentione; & ideò verior ſententia eſt non ſatisfieri præcepto ab eo, qui voluntariò vagatur, ſi plenè aduertat ſe diſtractum eſſe. Secundò, præceptum audiendi miſſam eſſe eccleſiaſticum valdè tamen conſentaneum iuri naturali, & diuino. Quod ſit eccleſiaſticum patet illis verbis. *Vt omnes fideles vſum rationis habentes integram miſſam cum attentione audiant.* Sumitur *ex cap. ſi quis etiam, cap. omnes fideles, cap. miſſas de conſecratione diſt.* 1. Ita Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 4. Quod verò ſit conforme iuri naturali, & Diuino, patet etiam, quia præceptum ſacrificandi eſt de iure naturæ; vnde apud omnes gentes ſeruatum eſt, quamuis deſignatio huius, vel illius diei ad ſacrificandum ſpectet ad ius poſitiuum humanum. Et ita S. Thomas 2. 2. *quæſt* 122. *art.* 4. Et quod ſit de iure diuino colligitur ex illis verbis, *Hoc facite in, &c.* & ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 25. *num* 1. Nauar. *cap.* 21. *num.* 1. Tabiena *verb. miſſa num.* 46. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. Laym. *in ſum. part.* 3. *cap.* 5. §. 8. & alii.

Qualem obligationem inducat hoc præceptum?

BRACTEA II.

R. Hoc præceptum inducere obligationem ſub mortali ex genere ſuo; & ita Suarez *de dieb. feſtis cap.* 15 Silueſt. *verb. miſſa* 2. *quæſt.* 1. Caietan. *verbo feſtorum violatio cap.* 1. Nauar. *cap.* 21. *num.* 2., & alii. Ratio, quia materia ex ſuo genere eſt grauis, cum pertineat ad virtutem religionis; ergo tale præceptum obligat ſub mortali; Tum etiam, quia omiſſio Diuini Officii in Sacerdote, & tranſgreſſio ieiunii, eſt peccatum mortale ex ſuo genere, ergo etiam omiſſio miſſæ. Ita Coninchus *quæſt* 83. *art.* 6. *num.* 285. Toletus *cap.* 8. Henriquez *cap.* 25. *num.* 7. Armilla *verbo miſſa num.* 31. Tabiena *eodem verbo num.* 51 S. Antonin. 2. *part. tit.* 9. *cap.* 11. Dixi ex ſuo genere, quia inaduertentia, aut inculpabilis ignorantia, poteſt ab eo excuſare, ſicut etiam excuſat paruitas materiæ vt dicetur.

Sciendum totam miſſam audiendam eſſe ab initio ad finem; vnde voluntariè ſine cauſa nulla pars miſſæ omittenda eſt, & eius omiſſio eſt peccatum grauius, vel leuius iuxta quantitatem partis omiſſæ, & quidem ad mortale pertingit, quando plus quarta parte miſſæ omittitur; cenſetur autem quarta ab initio vſque ad Euangelium excluſiuè, vel à communione finita ad finem; vnde non peccat mortaliter, ſi quis ab Initio Euangelii miſſam audiat vſque ad finem; quod ſi incipiat à fine Euangelii audire miſſam, probabile eſt etiam non peccare mortaliter, ſi deinde audiat in fine Euangelium Ioannis, quia vnicum Euangelium eſt de præcepto tantum audiendum ex Suarez *tom.* 3. *diſp.* 88. *ſect.* 2. Similiter ſi quis à principio interfuerit miſſæ vſque ad ſumptionem, & finita ſumptione diſcedat, non peccat mortaliter, cum non videatur omittere materiam notabilem; peccat

verò venialiter, quia nondum dicitur perfectè præceptum Eccleſiæ adimplere, cum Eccleſia præcipiat auditionem totius Miſſæ à Confeſſione vſque ad benedictionem. Rodriquez *cap.123.num.*1. Nugnus *queſt.* 83.*art.6.dub.*2.& alii. Secundò, ad ſatisfactionem præcepti ſufficere Miſſam priuatam, etiam extra Parochiam. Ratio patet ex vſu, & conſuetudine fidelium. Nauarrus *cap.21.nu.*5. Siluester *verbo Miſſa 2.queſt.* 5. & alii. Tertiò, eum ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, qui Miſſam audit, ſiuè de Sancto, ſiuè de mortuis. Ita Tabiena *verbo Miſſa num.*48. Toletus *lib.6. cap.*7. Azorius *inſtitut. moral. lib. 7.cap.6 queſit.*3. licet optimum conſilium audire Miſſam tempori accommodatam.

An ſatisfaciat præcepto, qui dimidiam partem Miſſæ audit ab vno Sacerdote, & alteram dimidiam ab altero?

BRACTEA III.

R. Satisfacere præcepto. Ratio, quia qui dimidiam partem Miſſę audit ab vno Sacerdote, & alteram dimidiam ab altero præſtat quidquid in præcepto continetur. Ratio, quia Eccleſia non præcipit, vt ab eodem Sacerdote totum, & integrum Miſſæ ſacrum audiatur, ſed ſimpliciter vt tota Miſſa audiatur. Et ita Maior. *in 4. diſt.45.queſt.*2. *art.*1. Nauarrus *in manuali cap* 21.*num.* 2. & alii. Tum etiam quia duæ medietates Miſſæ conſtituunt vnam Miſſam, ſicut vnum dicitur ſacrificium, quando deficiente vno Sacerdote alter ſupplet, & perficit, quod ab altero fuerat inchoatum, ita etiam ex duabus partibus vna Miſſa conſtitui poteſt, non tamen ſatisfacit præcepto, qui ſimul duas partes Miſſæ audit, eo quod non poteſt commodè eis ſimul attentas aures pręberе. Ita Azorius *loco cit.cap.3.queſit.*3.

An qui Miſſam ritu Græcorum, &c. audit, ſatisfaciat?

BRACTEA IV.

R. Satisfacere. Ita Sotus *in 4. diſt. 13.queſt.* 2. *art.* 1. Ratio, quia talis eſt vera Miſſa, & præceptum datum eſt indifferenter de vera Miſſa audienda, & nō eſt datū, vt ipsā audiamus Romano ritu, & non alio ritu, tau more factam. Vnde ſi quis ritu Ambroſiano in Mediolanenſi Diœceſi Miſſam audierit, præceptum implet, ac ſeruat, quia licet ſacrificium Miſſæ Græcè, vel Syriacè fiat, eſt tamen verum Miſſæ ſacrificium, cuius ritus ſunt à Sanctis Patribus inſtituti.

Quid faciendum cum quis aliquam partem Miſſæ omiſit?

BRACTEA V.

Sciendum eum non peccare, qui omittit partem Miſſæ vſque ad epiſtolam excluſiuè, quia non dicitur partem notabilem Miſſæ omittere; ſi verò omittat partem Miſſæ vſque ad Euangelium incluſiuè regulariter peccare mortaliter. Ratio eſt, quia tunc cenſetur omittere partem notabilem. Quo poſito.

R. Si pars, quę omittitur, nō eſt notabilis, tunc aut inuoluntariè cum cauſa omittitur, & ſic nullum eſt peccatum: vndè in tali caſu non eſt ſupplendus defectus per aliam Miſſam, aut volūtariè ſinè cauſa, & ſic ſemper eſt veniale ſaltem, neq; tamen eſt obligatio ſupplendi per aliam Miſſam. Secundò, ſi pars, quæ omittitur, eſt notabilis, tunc aut inuoluntariè omittitur, & caſu, & ſic ſi poteſt, tenetur ſupplere per aliā ad implendum pręceptum, quia ipſum non impleuit, aut voluntariè ſine cauſa omittitur, & ſi quidem fiat animo audiendi Miſſam, & ſupplendi, eſt peccatum mortale, & nihilominus manet obligatio implendi, ſi tempus non eſt elapſum, in quo poteſt implere: ſi autem fiat animo audiendi aliam Miſſam, non eſt peccatum, dummodo alia audiatur. Ita ex Suarez *tom.3.diſp.*88.*ſect.*2. Tertiò, in caſibus dictis ſufficit ad implendum pręceptum audire tantum partem omiſſam quacunque ex cauſa ille defectus ortus ſit. Sotus *diſp.13.queſt.2.art.*1. & alii apud Azorium *loco cit.cap.3. queſit.*3. Ratio, quia præceptum obligat ſolùm ad audiendam vnam Miſſam: vnde ex duabus imperfectis poteſt vna conſtitui, ſaltem in ordine ad implendum pręceptum; ergo, &c.

Quibus diebus vi præcepti teneatur quis audire Miſſam?

BRACTEA VI.

R. Quemlibet Chriſtianum obligari audire Miſſam diebus Dominicis, ac feſtis, niſi legitimo detineatur impedimento. Ita Nauarrus *cap.21.num.*1. Nugnus *queſt.* 73. *art.* 6. & alij apud Henriquez *lib.9 cap.25.num.*1. Ratio eſt, quia vt ſupra dictum fuit, extat principium audiendi Miſſam in diebus feſtis. Secundò, obligari audire Miſſam diebus feſtis ſola conſuetudine introductis, ſi talis conſuetudo ſit auctoritate Epiſcopi introducta. Ratio, quia vt ſic cenſetur dies feſti auctoritate Epiſcopi conſtituti; ſi verò talis conſuetudo auctoritate Epiſcopi nō ſit approbata, non tenetur quis vi præcepti audire Miſſam. Ratio, quia populus non habet auctoritatem dies feſtos inſtituendi, quamuis imperare queat per ſuos Magiſtratus, & Rectores, vt à publicis operibus abſtineatur. Quòd etiam dicendum eſt de his diebus feſtis, qui gratia Principum ſunt conſtituti; in his igitur tantummodo feſtis, qui cauſa Dei, & Sanctorum Cœli ciuium agi, & coli ſolent, obligatur quicunque Miſſæ ſacrificio intereſſe.

An in die Natalis fideles teneantur tres Miſſas audire?

BRACTEA VII.

R. Non obligari vi præcepti tres Miſſas audire, ſed ſatis eſſe, ſi vna ex tribus audiatur. Ratio, quia Eccleſia præcipit abſolutè auditionem Miſſæ in die feſto, qui autem vnam Miſſam audit, in die Natali dicitur audire Miſſam abſolutè: ergo, &c. Ita Nauarrus *cap.21.num.*2. Naldus *verbo Miſſa num.*10. Siluester *verbo Miſſa 2.num.*1. S. Antoninus 2.*par.tit.9.cap.*10.§.1. Henriquez *lib.9.cap* 25. *num.* 3. & alij; licet regulariter omnes tres Miſſæ audiri debeant.

An

De conditionibus requiſitis in audienda miſſa?

BRACTEA VIII.

R. An audiendam miſſam primò requiri præſentiam corporis; vnde qui domi eo tempore, quo dicitur miſſa intentus eſſet rebus Diuinis non ſatisfaceret huic præcepto, quia non aſſiſteret miſſæ, cum requirat illa præſentiam corporalem eius, qui dicitur aſſiſtere. Secundò, hanc præſentiam corporalem eſſe intelligendam moraliter, ita vt quantum eſt in eo, qui aſſiſtit, poſſit audire, & videre, ſeu potius percipere quid agatur, licet actu non audiat, & percipiat; vnde ſecus qui miſſæ intereſt, cum deuotione ſatisfacit præcepto, etiamſi longè diſtet à Sacerdote, quia intereſt corpore, & mente. Item ſurdum, & eum, qui Sacerdotem ſubmiſſa voce celebrantem non audit ſatisfacere præcepto, modò aſſiſtat cum deuotione, nam verbum *Audire miſſam* in iure accipitur pro intereſſe cum deuotione; qui verò domi è Regione Eccleſiæ poſitę, v. g. per feneſtram, vel portam Eccleſiæ miſſam audiat, vel videat, quia non dicitur moraliter pręſens, idcircò non dicitur ſatisfacere pręcepto. Verùm ſi miſſa in aliqua platea diceretur, quia tunc multò amplior intelligitur corporalis præſentia, tunc ſatis eſſet è domo miſſam audire, & videre, quia moraliter talea ſunt præſentes actioni, quæ fit in platea. Tertiò, ad audiendam miſſam requiritur intentio audiendi miſſam; vnde non ſatisfacit præcepto qui coactus cogitur adeſſe, quando actualiter habet voluntatem non audiendi, & ſi illi liberum eſſet, non impleret pręceptum; ſecus ſi mutaret voluntatem in ipſo actu, & haberet intentionem audiendi. Quartò, ſatisfacere præcepto qui audit miſſam intentione virtuali implendi pręceptum, quia ad ſatisfaciendum pręcepto non requiritur intentio actualis, ſed virtualis, etiamſi cum intentione virtuali ſatisfaciendi coniuncta ſit praua intentio, vt v. g. audiat miſſam animo inſpiciendi fœminas, &c. Ita Suar. *diſp.* 88. *ſect.* 3. Petrus Nauarrus *cap* 21. *nu.* 10. Quintò, qui miſſam audiuit in die feſto neſciens eſſe feſtum, non teneri aliam miſſam audire, quamuis poſteà intelligat eſſe diem feſtum. Ratio, quia re ipſa miſſam audiuit. Ita ex Diuo Thoma 2. 2. *quæſt.* 104. *artic.* 3. Henriquez *cap.* 25. *num.* 6. Siluestro *verbo hora num.* 14. & aliis. Sextò, qui ſemel miſſam audiuit animo non ſatisfaciendi pręcepto auditione illius miſſæ, ſed cum intentione audiendi aliam, non teneri aliam re ipſa audire. Ratio, quia adimpleuit pręceptum, & Eccleſia non pręcipit intentionem adimplendi pręceptum, quia præceptum ſolum obligat ad actum, quem præcipit; vnde ſufficit huiuſmodi actum elicere, & non eſt neceſſe, vt actus fiat ex intentione formali, aut virtuali implendi præceptum. Ita Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. & *num.* 9. Vaſquez *in part.* 2. *quæſt* 100. *art* 9. & alii. Ex quibus colligitur ſufficere ad ſatisfaciendum pręcepto audire miſſam, vel recitare officium, non autem neceſſe eſſe habere intentionem implendi huiuſmodi præcepta.

De attentione requiſita in audienda miſſa?

BRACTEA IX.

S. Ciendvm triplicem eſſe attentionem, vnam verbalem, quæ eſt ad verba, ſecunda ad ſenſum, quæ eſt ad ea, quæ dictis, vel factis ſignificantur: tertia ad Deum, & hæc eſt omnium optima.

Prima ſent. eſt attentionē non eſſe neceſſariam ad ſatisfaciendū pręcepto audiendi miſſam, ſed ſatis eſt quod audiat, non exerceat actionem externam incompoſſibilem cum actione interna. Et ita Coninchus *quæſt.* 83 *art.* 6. *num.* 301.

R. Attentionem virtualem eſſe neceſſariam ad ſatisfaciendum præcepto audiendi miſſam. Ratio eſt, quia ſi attentione virtuali non audiret miſſam, ſed eſſet diſtractus, non eſſet mente præſens, ſed ad ſatisfaciendum præcepto requiritur, quod audiens miſſam ſit corpore, & mente præſens; ergo, &c. Vnde non ſatisfacit præcepto qui dum dicitur miſſa, confabulatur, nugatur, aut dormitat, vel ita ridet cum aliis, vt impediatur attentio ſaltem ad verba. Item non ſatisfacit pręcepto qui tempore miſſę plugit, aut alios docet. Ratio, quia non cenſetur mentaliter præſens, cum exerceat actus, qui communiter excludunt attentionem. Ita Azorius *cap.* 5. *quæſit.* 1. Angelus *verbo feria num.* 43. Graf. *lib.* 2. *deciſ. cap.* 35. *num.* 8. Bartholom. ab Angelo, *de miſſa* §. 821. & alii. Secus dicendum eſt de eo, qui moderatè confabulatur, vt non omninò impediatur attentio ad miſſæ ſacrificium audiendum, quia de iſto poteſt dici habere attentionem requiſitam. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. Quod etiam dicendum eſt de eo, qui ſe veſtit audiendo miſſam, vel recitando officium; cum iſtæ actiones non excludant attentionem virtualem.

An tempore miſſę poſſit quis recitare Diuinum Officium?

BRACTEA X.

R. Affirmativè: Ratio, quia eodem tempore poteſt quis per diuerſos actus ſatisfacere pluribus præceptis, quando vnum præceptum non eſt impeditiuum alterius. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 1. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 2. *pun vlt.* Suarez *de Sacrament. diſp.* 38. *ſect.* 6 *num.* 5. Azorius *part.* 1 *lib.* 7. *cap.* 5 *quæſit.* 7. Henriquez *lib.* 9 *cap.* 25. *num.* 5. Sanchez *in opere morali lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 11. & alii. Ratio eſt, quia ille præcepto ſatisfacit qui facit id, quod pręcepto, & lege præſcribitur, ſed poſſumus eodem tempore facere per diuerſos actus, quod præcepto, ſeu lege præſcribitur audiendo miſſam, & recitando Diuinum officium; ergo, &c. Tum etiam; quia qui attendit ad Diuinum officium, attendit etiam ad miſſam.

Sciendum differentiam eſſe inter intentionem voluntatis, & animi attentionem: intentionem voluntatis eſſe propoſitum, ſeu voluntatem, qua quis ſtatuit miſſam audire ritè, ac legitimè, vt debet; at attentio eſt actus intellectus, qua ad id attendit, quod in miſſæ ſacrificio dicitur, aut fit, aut ſenſum eorum, quæ dicuntur, aut Diuina, quæ ſignificantur, nec ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto, vt quis velit audire, &c. ſed requiritur, vt ſit etiam attentus auditor: intentionem ſufficere ab initio ſatisfactionis præcepti, hoc eſt ſi in principio conſtituat rem Diuinam audire, & ſi poſteà nihil amplius cogitet, quia dum accidit, cenſetur virtualiter in prima voluntate perſiſtere, dummodo ab ea per actum contrarium non receſſerit. At verò attentio toto tempore durare debet, nec enim ſufficit, dum audit miſſam, vt ad vnam partem tantum attendat, & ad aliam, non quia ſi in parte notabili voluntariè diſtractus eſſet, peccaret mortaliter,

An qui confitetur peccata ſua tempore miſſæ, ſatisfaciat præcepto?

BRACTEA XI.

R. Non ſatisfacere pręcepto; Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit aſſiſtere miſſæ per modum orationis: qui autem peccata ſua confitetur, dum dicitur miſsa, non videtur aſſiſtere per modum orationis; ergo, &c. Tum etiam, quia dum quis confitetur ſua peccata, mente non poteſt intereſſe ſacrificio miſsæ; ergo non ſatisfacit; Tum etiam, quia eodem tempore pręſtat diuerſos actus, quorum vnus impedit alium, cum impoſſibile ſit habere attentionem ad confeſſionem, & ad ea, quæ dicuntur, vel fiunt in miſsa.

Quinam præcepto teneantur audiendi miſſam?

BRACTEA XII.

R. Omnes fideles baptizatos adultos cuiuſcuis conditionis obligari ad audiendam miſſam ſtatutis diebus. Dixi *fideles*, quia infideles non ſubduntur legibus Eccleſiæ, *baptizatos*, quia cathecumini non ſunt in ſtatu, quo ſubduntur Eccleſiæ: Dixi denique *adultos*, quia infantes, & generaliter omnes expertes rationis non tenentur, quia incapaces ſunt pręcepti, & quia pueri cum ſeptennium attingerint, incipiunt vti ratione, idcirco eo ætatis anno incipiunt hoc præcepto ligari. Ita Nauar. *cap.* 21. *num.* 1. Nugnus *quæſt.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. & alij.

Sciendum exemptos eſſe ab hoc præcepto obſtricto vinculo excommunicationis, etiamſi ſponte ſua in excommunicationem inciderint, nam qui ſponte ſua morbum contraxit, quamuis peccauerit, cum cauſam morbi dedit, dum tamen morbo tenetur à præcepto audiendi miſſam liber eſt; ergo qui excommunicati ſunt, etiam ſua culpa non peccant audiendo miſſam.

An quibus conceſſum eſt priuilegium aſſiſtendi Diuinis officijs tempore interdicti, obligentur diebus feſtis intreſſe ſero?

BRACTEA XIII.

R. Cum Nauar. *cap.* 21. *num* 3. Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 7. *art.* 1. Nugno 3. *part quæſt.* 83. *art.* 6. & alijs teneri intereſſe. Ratio, quia præceptum audiendi Sacrum in die feſto obligat omnes non legitimè impeditos; ergo obligat etiam laicos habentes etiam priuilegium audiendi Sacrum; poſito enim huiuſmodi priuilegio non dicuntur impediti. Tum quia ſi quis in vincula coniectus facultatem obtineret à Iudice audiendi miſſam, teneretur ea obtenta ipſam impedire eo, quod ceſſet impedimentum; ergo etiam tenetur in iſto caſu. Secundò, quando Vrbes, vel Oppida interdicto Eccleſiaſtico ſubiecta ſunt, & in eis aliquod eſt templum, in quo Pontificis priuilegio Diuina officia celebrari queant incolas debere eo ſe conferre, vt rem Diuinam audiant, ſi commodè poſſint: ſecus verò minimè, vt v. g. ſi huiuſmodi templum procul abſit ab Vrbe, vel Oppido, aut paruum ſit ſacellum, quod plures capere non poſſit.

An habens priuilegium perſoluendi, vel audiendi Diuina officia, poſſit ſimul cum ſua familia miſſam audire?

BRACTEA XIV.

R. Affirmatiue; & ita Nauar. *loco cit. nu.* 188. Sotus *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1. Em. Sà *verb. interdictum num.* 21. Toletus *lib.* 1. *cap.* 20. Hugolinus *cap.* 9. §. 4. *num.* 2. & alij, modo inter eos non adſit aliquis, qui dederit cauſam culpabilem interdicto, nec ſit aliquis, qui ſe fingat ex familia, cum verè non ſit. Ita colligitur *ex cap. ſicut de priuileg. in* 6. Nomine familię veniunt ſerui, & alij, qui concomitantur habentem priuilegium, quamuis non habitent ſecum domi, modo non ſit aſſumpti in famulatum, & comitatum in fraudem interdicti: Nomine familię intelligitur etiam vxor, filius, nepos, &c. Ex quibus infertur, famulos tempore interdicti poſſe tantum Sacro intereſſe, quatenus ibi adſunt in comitatu ſui domini. Vnde ſi dominus non ſit domi, non poſsunt famuli Eccleſiam adire ad audiendam miſsam, eo quod non ſit illis conceſſum intereſſe Diuinis, niſi quatenus comitantur habentem priuilegium.

Quidam Comes obtinuit priuilegium à Sede Apoſtolica dicendi miſſam in Oratorio domus, & quia in dicto continentur hæc verba, Nec non in tuorum filij Comes, genitricis, &c. præſentia: quæritur an liceat rem Sacram fieri in præſentia genitricis, &c. abſente Comite, cui conceſſum eſt indultum?

BRACTEA XV.

R. Affirmatiue: Ratio, quia beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum, quale eſt iſtud præiudiciale nulli, cũ eadẽ ratio diſpenſationis nimirum vtilitas animæ, commoditas, &c. ęquè matrem, ac filium principaliter comprehendat. Secundò, quia verba conceſſionis gratiæ non ſunt correlatiua, ſed abſoluta, & alia ab alijs independentia, vt patet ex illis verbis: Necnon in tuorum filij Comes, genitricis, &c. celebrari liberè, ac licitè poſſitis, & valeatis, quæ non indicant aſſiſtentiam illuſtriſſimi filij, vt conſtat ex ſubſequentibus verbis, & quilibet veſtrum poſſit, cum particula; Et cenſeatur disiunctiua, & per conſequens ea verba ad Comitiſsam matrem, Comitem filium, &c. diſiunctiuè referantur: Concludo itaque miſsæ ſacrificium poſse celebrari abſque aſſiſtentia filij Comitis, cum ſatis ſit diſiunctiuè Comes genitrix, filius, ſingillatim interſint. Ita Pelizarius *in manual. regular. tom.* 1. *tractat.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 149. Diana *par.* 9. *tract.* 1. *de Orator. priuat. reſol.* 2. & alij ab ipſo citati.

An qui miſſæ ſacrificio non intereſt die Dominico, in quem ſimul incidit feſtum alicuius Sancti duo peccata committat, aut vnum?

BRACTEA XVI.

R. Committere ſolum vnum peccatum: Ratio eſt, quia peccata non diſtinguuntur ſpecie, vel numero per ordinem ad diuerſa præcepta, quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur ex eodē motiuo: ſed præceptum audiendi miſſam in die Dominico, & die feſto licet ſit duplex, tamen quia hæc præcepta ſunt condita eodem motiuo ſequitur, quod non inducant duas turpitudines, itaut vtramque debeat exprimere in confeſſione peccatorum, ſed ſolummodo vnam. Secus dicendum eſſet ſi eſſent condita ex diuerſo motiuo, quia præcepta lata ex diuerſis motiuis conſtituunt materiam præceptam in diuerſis virtutibus, & perfectionibus, peccata autem diuerſis virtutibus, & perfectionibus ſpecie diuerſis oppoſita ſunt ſpecie diuerſa: ergo, &c. Tū etiam, quia peccatum formaliter conſiſtit in priuatione perfectionis debitæ: eadem autem priuatio reperiri poteſt in aliquo actu prohibito vno, vel pluribus præceptis, vt in præſenti caſu.

An quiſque in ſua Parochia diebus Dominicis, teneatur miſſam audire?

BRACTEA XVII.

R. Antiquitus regulariter quiſque tenebatur audire miſſam in ſua Parochia diebus feſtis de iure communi. Et ita colligitur *ex cap. vt Dominicis, & in cap. ſi quis etiam de conſecr. diſt.* 1. & ex Conſtitut. Sixti Quarti, quæ incipit *vices illius*, quæ habetur inter extrauagantes, vbi dicitur, Cum iure ſit cautum diebus Dominicis, ac feſtis Parochianos teneri audire miſſam in eorum Parochiali Eccleſia. Quod tamen intelligendum eſt non vt ſit obligatus audire miſſam abſolutè in Eccleſia Parochiali, ſed ſolum quod audiat miſſam in Parochia. Secundò, ius commune, quo quiſque in ſua Parochia audire debeat, abrogatum eſſe generali in toto Chriſtianorum Orbe conſuetudine, cum paſſim vbiq; locorum, & gentium videamus Chriſtianos diebus feſtis extrà Parochiam miſſam audire, & idcircò his diebus optimè quis ſatisfacit præcepto audiendi miſſam, vbicunque illam audiat; etiamſi in Sacello, vel Oratorio priuata auctoritate extructo Sacrum audit, dummodo id ex contemptu ſui Parochi non fecerit. Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit miſſæ auditionem, & nunc non amplius præſcribit locum, & ideò non peccat, ſecluſo contemptu Parochi. Ita Toletus *lib.* 2. *cap.* 7. Rodriquez *lib.* 7. *cap.* 6. *quæſit.* 8. Nauar. *cap.* 21. *num.* 5. Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 2. Graff. 1. *part. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 5. Bartholomæus ab Angelo *de miſſa* §. 789. & alii.

An familia poſſit miſſam audire in priuato Oratorio, non præſente Domino?

BRACTEA XVIII.

Prima Sententia eſt negantium poſſe familiam miſſam audire in priuato Oratorio. Ratio, quia cum particula eſt, ſit coniunctiua, & non disiunctiua, priuilegium videtur conceſſum directè, & per ſe Domino dependenter verò à Domino, & indirectè familiæ, ſed

R. Cum ſententia ſecunda miſſam in Oratorio priuato poſſe celebrari in præſentia ſolius familiæ, quia in iſto caſu illa particula &, non cenſetur copulatiua, ſed disiunctiua. Tum etiam, quia beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum, præſertim cum nulli ſit præiudiciale; Tum etiam, quia ratio conceſſionis æqualiter militat in Domino, & in familia; & ita Pelizzarius *in man. regul. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 149. Diana *part.* 9. *tract.* 7. *de Oratoriis priuatis reſol.* 2. & alii ab ipſo citati.

An ſi quis audiat miſſam die feſtiuo in Oratorio alicuius magnatis, ſatisfaciat præcepto?

BRACTEA XIX.

R. Satisfacere, ſi iuſta, & rationabili cauſa id faciat. Ratio eſt, quia verè iſte materialiter, & formaliter adimpleuit præceptum, quod materialiter adimpleuerit, patet, quia aſſiſtit miſſæ, quod verò formaliter patet etiam ſupponendo, quod ipſam attentè audierit, cum autem præceptum audiendi miſſam non obliget ſub alia ratione, ſequitur ipſum adimpleuiſſe præceptum, & per conſequens ſatisfeciſſe præcepto; & ita Pelizzarius *in man. regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 8. *num.* 181. Tum etiam, quia præceptum Eccleſiaſticum audiendi miſſam obligat ſolummodo, & ſimpliciter ad miſſam audiendam ſine adiuncta circumſtantia loci, ergo qui die feſtiuo miſſam audiuit in Oratorio priuato alicuius magnatis ſatisfecit præcepto, cum de illo verificetur talis propoſitio, quod miſſam audierit, ita plures citati apud Bonacinam *de Sacramentis diſp.* 4. *quæſt. vltima punct.* 12. *num.* 4. Sunt plures, qui tenent contrariam ſententiam eo, quod in conceſſione priuilegii dicitur, *Volumus autem, vt familiares ſeruitiis locis non neceſſariis præter ſupradictos ibidem miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi miſſam in Eccleſia diebus feſtiuis minimè liberi cenſeantur*: Ad hoc fundamentum reſpondet Pelizzarius *loco cit.*

R. 2. Commorantes in domo magnatis habentis indultum priuati Oratorii audientes miſſam in dicto Oratorio ſatisfacere præcepto, ſi iuſta, & honeſta cauſa id faciant. Ratio colligitur ex ſupradictis; & ita Pelizzarius *in man. regul. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 149. & alii citati à Bonacina *de Sacram. diſp.* 4. *quæſt. vltim. punct.* 12. *num.* 4.

An extraneus, qui peruenit ad aliquem locum, in quo celebratur dies feſtus, qui non celebratur in proprio territorio, teneatur miſſam audire?

BRACTEA XX.

R. Negative; & ita Henriquez *cap.* 25. *num.* 2. Suarez *tom.* 1. *de religion. lib.* 2. *cap.* 14. *nu.* 33. Naldus *verb. miſſa num* 15. & alij, niſi habeant intentionem manendi maiorē partem anni. Ratio eſt, quia non habendo talem intentionem non eſt ſubditus illius loci; Secus verò dicendum ſi feſtum illud celebratur etiam in eius territorio, aut ſit colendū, & celebrandum ex iure communi; quamuis fortè ex conſuetudine non celebretur in proprio territorio; ſicut neque peccat mortaliter Parochianus, in cuius Parochia celebratur dies feſtus non audiendo miſſam, ſi ante meridiem futurus ſit extrà limites parochiæ, in qua nō celebratur dies feſtus; nā iſte pro tempore, qui reperitur extrà terminos illius Parochiæ, exemptus manet ab obligatione audiendi miſſam, & gaudet priuilegio loci, in quo reperitur, nec ante lapſum meridiem peccauit miſſam non audiendo, cum poſſet illud differre vſque ad meridiem; in meridie autem liber eſt ab obligatione. Ita Naldus *verb. miſſa num.* 15. Suarez *lib.* 2 *de relig. cap.* 14 *num.* 21. Henriquez *cap.* 25. *num.* 2. & alij. Quod ſi dicatur qui ſummo mane habet opportunitatem audiendi miſſam præuidens non poſſe pro reliqua parte diei miſſam audire ob iuſta impedimenta, tenetur ſummo mane miſſam audire; ergo etiam qui præuidet fore, vt circà meridiem non ſit futurus intrà limites loci, in quo feſtum celebratur, tenetur præuenire miſſam audiendo. Reſpondeo diſparitatem eſſe inter vnum caſum, & alium, quia qui præiudicet fore, vt circa meridiem nequeat miſſam audire ob aliqua impedimenta, non eximitur ab onere præcepti, cum præceptum obliget, vt miſſa audiatur quacunque hora moraliter loquendo fieri poteſt intra meridiē, alter verò, qui recedit à proprio territorio, eximitur ab onere præcepto, quod non viget loco, ad quem ſe confert.

Cuius Sacerdotis miſſa ſit audienda?

BRACTEA XXI.

R. Miſſam poſſe audiri à quolibet Sacerdote, non ſolum validè, ſed etiam licitè, modo non adſit aliqua prohibitio. Ratio, quia Eccleſia præcipit ſolum auditionem miſſæ; ergo Eccleſiæ præceptum adimpletur, etiamſi audiatur miſſa cuiuſuis Sacerdotis. Dixi niſi adſit aliqua prohibitio, quia non poſſumus audire miſſam excommunicati ſuſpenſi, & interdicti, cum iſti prohibeantur à iure, miſſam verò excommunicati tolerati poſſumus audire; vt patet ex Concil. Conſtantienſi. Secundò, miſſam Sacerdotis degradati, & depoſiti non poſſumus audire, cum prohibeatur ab Eccleſia dicere. miſſam verò Sacerdotis concubinarii poſſumus audire, cum id non prohibeatur à iure. Ita Henriquez *loco cit.* Suarez *ſect.* 6. *num.* 13. Rodriquez *loco cit. num.* 10.

De cauſis excuſantibus ab audienda miſſa?

BRACTEA XXII.

R. Plvres eſſe cauſas, quibus Chriſtianus excuſatur ab audienda miſſa. Primò, impotentia phyſica, vel etiam moralis, eſt legitima cauſa excuſans ab auditione miſſæ, & ideò excuſatur infirmus, in carcere detentus. Verum ſi infirmus conualeſcat, & dubitetur verum incurrat periculum morbi exeundo domo ad miſſam audiendam, debet vti diligentia ad ſciendam veritatem, & manente dubio poteſt domi manere, & non peccat non audiendo miſſam, quilibet enim tenetur ſe ipſum diligere; excuſantur etiam ab auditione miſſæ deputati ad cuſtodiam infirmi grauiter laborantis, ſi ſine præiudicio infirmi exire è domo non poſſint, nec habeant alium, quem ad cuſtodiam infirmi ſubſtituant. Ita Henriquez *loco cit. num.* 10. S. Antoninus 2. *part. tit.* 9. *cap.* 10. §. 2. Silueſter *verbo miſſa* 2. *num.* 2. Tabiena *eodem verbo num.* 47. Armilla *ibidem num.* 29. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. & alij. Secundò, excuſantur etiā ab auditione miſſæ, qui eam non poſſunt audire abſque incommodo graui, aut proximi, ſiue ſit animæ, ſiue corporis, ſiue famæ, ſiue honoris. Ita Azorius *cap.* 7. *quæſit.* 1. Tertiò, excuſantur etiam nutrices, quæ ſecum ferre non poſſunt puerum lactantem, & quem etiam domi relinquere non poſſunt abſque præiudicio. Quartò, excuſantur etiam ab auditione miſſæ qui ipſam audire non poſſunt, niſi aliquod graue negotium prætermittant, & quod in aliud tempus differri non poſſint. Quintò, excuſantur iter habentes, quando audiendo miſſam eos dimitterēt, quibus opus habent ad iter peragendum, cum viam ignorent, aut latrones timeant: excuſantur etiam mollitores, quoties neceſſe eſt illis ob bonum publicum mollere: excuſantur etiam paſtores, qui non poſſunt ſine detrimento gregis miſſam audire: qui tamen neceſſarii non ſunt ad cuſtodiam gregis, tenentur miſſam audire. Sextò, excuſantur qui in Oppidis, vbi vnica miſſa ſolum celebratur, coguntur remanere domi ad cuſtodiam, vel ad cibos præparandos: Ita Toletus *cap.* 9. Rodriquez *cap.* 123. & alii. Septimò, excuſari fœminam honeſtam, quæ caret veſte conuenienti, ita vt non poſſit exire in publicum ſine præiudicio honoris, & famæ. Ita Em. Sà *verbo miſſa auditio num.* 3. Azorius *loco cit.* Graff. 1. *part. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 5. Silueſt. Tabiena, Armilla *locis cit.* & alii. Octauo, excuſatur qui habet inimicitias, & ſecurus è domo non poteſt exire, ita vt timeat ſe ab hoſtibus aggrediendum. Sot. *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. *art.* 1. Angelus *verb. feria num.* 42. & alii. Nono, excuſantur etiam famuli, aut vxor, qui rixas timent, ſi ad miſſam accedant: ob id excuſatur vxor, quæ non accedit ad miſſam, vt obediat viro zelotipo. Ita Henriquez *loco cit. num.* 10. & 13. Bartholomæus ab Angelo *loco cit.* §. 8. 28 & alii. Secundò, excuſantur qui longius diſtant ab Eccleſia, ſi commodè nequeant miſſam audire, & in iudicanda diſtantia opus eſt prudentia, conſiderata circumſtantia temporis, & perſonæ. Suarez *diſput.* 88. *ſect.* 6.

An

An puella, quæ ſe credit ab adoleſcente laſciuè concupiſcendam, ſi domo exeat, teneatur miſſam prætermittere?

BRCATEA XXIII.

R. Tenari miſſam audire, nec obligari domi manere. Ratio eſt, quia ob delictum alterius non debet ſe priuare libertate exeundi domo, nec prætermittere adimpletionem præcepti, Tum etiam, quia hoc damnum, & ſcandalum per accidens ſequitur, de quo non eſt curandum, licet Sotus conſulat miſſam relinquere, & non teneri ipſam audire. Ratio illius eſt, quia præceptum miſſæ non obligat, quoties illius omiſſione impeditur damnum notabile. Secundò, excuſantur ab auditione miſſæ puellæ, quæ iuſſu parentum domi manent propter honeſtum finem. Ratio eſt, quia culpa carent cum parentibus obtemperent domo non egrediendo.

An qui non poteſt miſſam ob aliquod impedimentum audire, teneatur alias orationes recitare?

BRACTEA XXIV.

R. Negative; & ita Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 5. & 6. Azorius *lib.* 7 *cap.* 7. *quæſit.* 14. Ratio eſt, quia cum præceptum ſit de miſſa audienda diebus feſtis, non verò de aliis orationibus recitandis, ſequitur eum, qui non poteſt non teneri recitare alias orationes, quia præceptum affirmatiuum obligat ſolum pro materia præcepta. Tum quia nullum huiuſmodi præceptum extat, quo quis teneatur loco miſſæ dicere orationes. Secundò, propter conſuetudinem excuſari à peccato Viduas, quæ mortuo cania luctus, & triſtitię domi ſe continent ad certum tempus, modo diutius non abſtineant ab audienda miſſa, quam poſtulat recepta conſuetudo, Ita Hieronymus Lyam. *in ſum. part* 5. *cap.* 5. §. 12. Bartholom. ab Angelo *de miſſa* §. 827. & alii.

An ſi ſimul concurrant miſſa, & Diuini verbi prædicatio, ita vtrumque ſimul audiri non poſſit præferenda ſit auditio Diuini verbi, auditioni miſſæ?

BRACTEA XXV.

P. Rima ſententia eſt Angeli *in verb. feriæ num.* 45. & aliorum exiſtimantium auditionem verbi eſſe præferendam auditioni miſſæ, etiam dum miſſam præcepto audire quis debet, quod probare nituntur ex eo, quod *in cap. omnes fideles de conſecrat. diſt.* 1. decernitur vbi miſſam eſſe audiendam, vt ſcripturæ audiantur, *& in cap. Sacerdoti de conſecrat. diſt.* 1. dicitur Sacerdote verbum in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excõmunicetur, & ex eo, quod habetur *in cap. interrogo* 1. *quæſt.* 1. vbi ex Auguſtino refertur, Interrogo vos fratres dicite mihi, quod plus videtur vobis Corpus Chriſti, an verbum Chriſti ſi vultis verè reſpondere, hoc dicere deberis, quod non ſit minus Dei verbum, quam Chriſti corpus, & ex aliis locis, & eiuſdem ſententię fuiſſe S. Bernardinum teſtatur Roſella *in verb. Dominica num.* 5. Sed

R. Miſſam, quæ precepto Eccleſiæ audiri debet eſſe Sacrę Diuini verbi auditioni anteponendam, Ratio, quia quę precepta ſunt, pretermitti nõ debẽt, vt ea, de quibus tantum datum conſilium obeamus, atque præſtemus; in omittendo enim precepto, cum id à nobis impleri poteſt peccamus; in omittendo verò conſilio non item.

An ignorantia excuſet à peccato non audiendo miſſam?

BRACTEA XXVI.

R. Ignorantiam inculpabilem excuſare fideles ab audienda miſſa, ſi ignorantia ſit facti, vt v. g. inuincibiliter quis ignoret eſſe diem feſtum, & ex hoc miſſam non audiat; ſi verò ignorantia ſit iuris, non excuſat, niſi habeat coniunctam aliquam aliam cauſam. Ratio, quia ius in diebus Dominicis, & feſtis miſſam audiendi, eſt, aut eſſe debet omnibus Chriſtianis notiſſimum: ſunt tamen aliqui rudes, & ignari, vt v. g. Ruſtici, & Paſtores inter pecora enutriti, & ſemper verſari, vt id iuris bona fide interdum ignorent, & ideò iſti excuſentur à peccato non audiendo miſſam. Secundò, ignorantia poteſt ex aliqua cauſa contingere. Vnde ſerui, famuli, filii familias bona fide putant aliquando ſe eſſe liberos à precepto audiendi miſſam, dum iuſſu Domini, vel Parentis aliud obire coguntur, iuſtè quoque excuſantur quicunque bona fide putaſſent eſſe legitima cauſa, impeditos etiam ſi aliquando fallantur, Silueſter *verbo miſſa* 1.

An excommunicatio excuſet ab audienda miſſa?

BRACTEA XXVII.

R. Fideles excommunicatos excuſari ab audienda miſſa. Ita Silueſter *verbo miſſa num.* 1. Nauar. *cap.* 23. *num.* 3. Azorius *lib.* 7. *cap.* 7. *quæſit.* 1. Ratio, quia impoſſibile eſt aliquem obligari ad id. à quo per cenſuram tenetur abſtinere, & quod ſine peccato pręſtare non poteſt. Vnde excuſatur etiam ab audienda miſſa, qui non habet alium Sacerdotem, niſi excommunicatum vitandum, vel ſuſpenſum, & nominatim denunciatum. Ratio eſt, quoniam arctioris vinculi eſt pręceptum de vitando excommunicato, quam pręceptum de Sacro audiendo, eo quod id iubeat Eccleſia ob communem corũ ſalutem, & vt ad bonam vitæ frugem reuocentur. Secundò, non peccare excommunicatum contra pręceptum audiendi miſſam, qui cum commodè poſſit abſolutionem excommunicationis obtinere, non obtinet. Ratio, quia per excommunicationem priuatur ne audiat miſſam, & priuatus auditione miſſę, &c. neque ob pręceptum miſſę tenetur tollere impedimentum cenſurę.

An conſuetudo excuſet ab audienda miſſa?

BRACTEA XXVIII.

R. Conſuetudinem ex cauſa rationabili introductam, & toleratam ab Epiſcopis excuſare ab auditione miſſę: ſic primò excuſantur mulieres poſt partum abſtinentes ab ingreſſu

Eccleſię.

Eccleſię. Secundò, excuſantur virgines nobiles, quādo ſunt nubiles, vbi eſt conſuetudo, vt non exeant in publicum, donec nuptui tradantur. Verùm ſi exeant ad choreas, aut ſe exhibeant videndas, tenētur etiam ire ad Miſſam. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 9.* Graffius *1. par. lib. 2. deciſ. aurear. cap. 36. num. 5.* Caietanus *in ſumma verbo feſtorum violatio*, Armilla *verbo Miſſa nu. 30.* Sotus *in 4 diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.* & alij. An excuſentur fœminæ ab auditione Miſſæ præciſa debilitate ob menſtrua temporalia? Reſpondeo non excuſari. Et ita Nauarrus *cap. 21. num. 9.* & alij.

An qui exit ante benedictionem ſub finem Miſſæ dari ſolitam Eccleſiæ præceptum impleat?

BRACTEA XXIX.

R. Præcepto Eccleſiæ ſatisfacere eum, qui egreditur ante benedictionem dari ſolitam in fine Miſſæ, eo quod partem Miſſæ notabilem minimè prætermittit, & licet *in cap. Miſſas de conſecratione diſt. 1.* dicatur ante benedictionem Sacerdotis, nemo exire præſumat, & ſubiungitur, alioquī exeunte, ab Epiſcopo confundantur; & *in cap. omnes fideles de conſecrat. diſt. 1.* qui non perſeuerāt vſque dum Miſſa peragitur, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes conuenit communione priuari. Reſpondeo in illis locis temeritatem eorum reprehendi, qui plures ſimul egrediuntur, ita penes Sacerdotem, vt qui ſacris operatur, remaneat.

Spectacula diebus feſtiuis an fieri poſſint?

BRACTEA XXX.

Sciendum ſpectacula reddi illicita ratione temporis, quo repræſentantur, veluti ſi rappręſententur tempore Quadrageſimali, nam cum tale tempus ſit ad pœnitentiam deputatum omnia ſpectacula prophana, quamuis honeſta ſunt eo tempore prohibita. Quibus poſitis.

R. Diebus feſtiuis de iure ſpectacula celebrari non poſſe. Ita Nauarrus *in manuali cap. 13. num. 12.* Scaccia *de iudic. cap 5 num. 17.* quod poteſt probari ex Concilio Toletano *in cap. irreligioſa de conſecrat. diſt 3.* ex Cōcilio Carthaginenſi *in cap. qui die de conſecrat diſt. 1.* ex lege *omnes Cod de fer.* ex leg. *illud Cod de ſpectac. in leg. Theodoſ.*

R. 2. Conſuetudine introductum eſſe rappræſentandi ſpectacula diebus feſtiuis Diuinis Officijs expletis. Ratio, quia tunc non impeditur Diuinus cultus, & ceſſante cauſa, ob quam à iure prohibentur diebus feſtiuis ſpectacula, ceſſat etiam diſpoſitio iuris *leg. adigere §. quamuis* Conſuetudo celebrandi ſpectacula diebus feſtiuis Diuinis Officijs non expletis non ſuffragatur. Ratio eſt, quia talis conſuetudo eſt excluſiua cultus Diuini, atque ideò non ſuffragatur.

Officium hiſtrionatus an ſit licitum, & quæ ſpectacula licita ſint, vel illicita?

BRACTEA XXXI.

R. Officium hiſtrionatus ex ſe conſideratum non eſſe illicitum, quamuis reddi poſſit illicitum ratione alicuius circumſtantiæ, Ita D. Thomas *2. 2. quæſt. 168. art. 3.* & alij. Ratio, quia ſicuti requies eſt neceſſaria corpori defatigato, ita ludus honeſtus eſt neceſſarius ad humanæ vitæ conuerſationem. Ariſt. *moral. lib. 10. cap. 6.* & ethicorum *lib. 4.* At honeſti hiſtrionis officium eſt ordinatum ad ſolatiū hominibus exhibendum; ergo ex ſe conſideratum eſt licitum, ſiuè rappreſententur heroum geſta, ſeu hilares, aut triſtes rerum ſucceſſus, aut ad vires iuuenum exercendas, dummodo periculo careant. D. Thomas *2. 2. quæſt. 40. art. 1.* Angelus *in ſumma verbo torneamenta num. 1.* Nauarrus *in manuali cap. 15. num. 9.* Aragonina *2. 2. qu. 64. art. 5.* Molina *de iuſtit. & iure quæſt 111.* & alij.

Sciendum ſpectacula reddi illicita. Primò, ratione temporis, vt ſi fiant tempore feſtiuo Diuinis Officiis nondū expletis, vt dictum fuit. Secundò, ratione materiæ, vt ſi contineant notabilem ſuperſtitionem, aut rappręſentētur luxurioſa, aut rappræſentētur ſpectacula cruenta, quia tunc carent omni recreatione. Vel ſi ordinentur ad vulnera, & mortem cuiuſmodi ſunt, in quibus homines, vel pueri lapidibus ſe petunt. Balthaſar Gomez *in tract. de poteſtate in ſeipſum lib. 1. cap. 11. num. 16.* Tertiò, reddi illicita ſpectacula ratione loci, vt ſi rappręſententur in Eccleſia. Quartò, ratione perſonę, vt ſi prophana rappręſentētur à Clericis. *Cap. cum decorē; cap. Clerici de vita, & honeſtate Clericorum.* Ratio eſt, quia his ſpectaculis dehoneſtatur vita Clericorum.

Hiſtriones an ſint tolerandi?

BRACTEA XXXII.

R. Pro vtraque parte eſſe auctores, nam quidam dicunt eijciendos eſſe è Ciuitatibus, quidam affirmant eſſe tolerandos, quia bono publico ſunt obnoxij, dummodo caueantur circumſtantiæ, per quas ſpectacula redduntur illicita.

Sciendum, quod exercentes ſpectacula, ſiue ſint maſculi, ſiuè fœminæ eſſe infames, ſiuè matrimonio copulatę. *Cap ſi quis viduam, & eiectam 34. diſt.* ſiue quęſtus gratia, ſiuè non exerceat officium hiſtrionis, & per conſequens hiſtrionem eſſe irregularem; ita vt non poſſit promoueri ad ordines. Ratio, quia cum Eccleſiaſtici ordines ſint honores, iuri, & rationi cōſonum eſt ab honoribus infames arceri, nec etiam ad beneficia abſque diſpenſatione Papæ, Innocentius *in cap. cum decorem*, & ib. Hoſtienſis *num. 1.* Ioannes Andreas *num. 2.* Cardin. *num. 1* Butrius *num. 5.* Imola *num. 7.* Abbas *num. 2.*

R. 2. Clericum exercentem officium hiſtrionis præter irregularitatem priuari priuilegio Clericali, ſi ter monitus non reſipiſcat. Ita *cap. vnico de vita, & honeſtate Clericorum.* Et ibi Doctores communiter. Abbas *in cap. perpendimus num. 6. de ſentent. excommunicationis.* Nauarrus *conſil. 25. num. 1. de priuileg.* Ratio eſt, quia per hiſtrionatus exercitium non modicum detrahitur dignitati Clericali, ideòque carere debent priuilegio, quod illi competit, non ratione perſonæ, ſed ratione dignitatis. *Cap. contingit de ſentent. excommunicationis, cap. ſi diligenti de foro competenti, cap. cum non ab homine §. in art. de ſentent. excommunic. cap. perpendimus eodem tit.*

Sciendum circa hanc materiam quatuor dubia cōtingere. Primum, an annus per diſpoſitionem textus requiſitus *in cap. vnico* ſit vtilis, & continuus. Secundum, an diſpoſitio habeat locum in Monachis. Tertium an procedat in conſtitutis in ſacris. Quartum, an procedat quoad priuilegium Canonis? Ad

primum

primum reſpondeo annum eſſe continuum. Quia vbi tempus præfigitur à lege, ſiuè communi, ſiuè municipali ſemper intelligitur de continuo. Caſtrenſis *in leg. 2. Cod de dilat.* Gutier. *canon. quæſt. cap. 12. num. 25.* Ad ſecundum reſpondeo affirmatiuè, quia appellatione Clericorum veniunt etiam Monachi. *Cap. duo ſunt genera 17. quæſt 1. cap. locum illorum de ſentent. excommunicationis, cap. Monachi, & cap. de Monialibus, cap. Religioſus §. quamuis eodem tit.* Ad tertium, quod non procedat in conſtitutis, in ſacris cenſent. Menochius *in cap. vnico,* & alii. Ratio, quia conſtitutus in ſacris etiam quod exerceat hiſtrionatum, non deſinit eſſe Clericus. Alii verò ſentiunt procedere etiam in conſtitutis in ſacris, & ita Archidiaconus *in cap. vnico de vita, & honeſtate Clericorum,* & ibi Io. Andreas *num. 3.* Gemin. *num. 6.* Ratio, quia priuilegium tollitur in pœnam indignitatis. Ad quartum, pariter affirmatiuè, quia textus auferendo priuilegium vtitur dictione vniuerſali *omni careant priuilegio.* Dictio enim *omnis* tamquam vniuerſalis comprehendit omnes ſpecies. *Cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſ.* & operatur perinde, ac ſi eſſent omnes ſpecies expreſſæ ſpecialiter. *cap. ex parte de officio deleg.*

MALLEATIO II.

De præcepto Ieiunij.

Quot modis accipiatur Ieiunium?

BRACTEA I.

R. IEIVNIVM quatuor modis accipi poſſe. Primò, pro abſtinentia à vitijs, & fuga peccatorum. Secundò, pro abſtinentia à qualibet re per modum cibi, & potus, & hoc dicitur Ieiunium naturale, quod frangitur quoties aliquis cibus, vel potus tranſmittitur ad ſtomachum. Tertiò, pro Ieiunio Eccleſiaſtico, quo præcipitur vna comeſtio in die. Quartò, pro parſimonia, & temperantia, qua non plus cibi, & potus ſumitur, quam ratio naturalis dictat, & committitur peccatum contra Ieiunium hoc quarto modo conſideratum; primò, quando finis vltimus in cibis conſtituitur; ſecundò, quando quis cibo, & potui ita indulget, vt inde ſibi graue nocumentum præiudicat: tertiò, quando quis per intemperantiam dat cauſam ebrietati.

Quid ſit Ieiunium Eccleſiaſticum?

BRACTEA II.

R. ESSE abſtinentiam ciborum voluntariam iuxta modum ab Eccleſia omnibus fidelibus præſcriptum, vel iuxta conſuetudinem introductam. Ita Paludanus *in 4. diſt. 15 quæſt. 4.* Toletus *lib. 6. cap. 1.* Primò, dicitur abſtinẽtia voluntaria, quia eſt actus virtutis, vt docet D. Thom. 2. 2. qu. 147 *art. 1.* Secundò, dicitur ciborum, nõ autem potus, quia potus, etiamſi ſit vini, & nutriat; non tamen ſoluit Ieiunium. Ratio eſt, quia potus ordinatur potius ad diſtributionem cibi per corpus, & ſanguinis refrigerium, quam vt per ſe corpus alat; & ideò Eccleſia nõ prohibuit potum. Tertiò, dicitur etiam ciborum ad excludendas medicinas, & potiones, quæ licet nutriant, tamen ſumuntur ob infirmitatem, ideòque non ſoluunt Ieiunium Eccleſiaſticum. Quartò, dicitur iuxta modum, quia cum ab Eccleſia inductum ſit Ieiunium, ſeruanda eſt regula Ieiunij ab Eccleſia præſcripta, quæ in tribus principaliter conſiſtit: primò, in abſtinentia à quibuſdam cibis: ſecundò, in vnica refectione: tertiò, in hora determinata. An tempus ſit de ſubſtantia Ieiunij dicetur infra.

An qui pluries bibit in die, peccet contra præceptum Ieiunij?

BRACTEA III.

R. NON violare Ieiunium, qui extra conſuetam corporis refectionem bibit multoties. Ratio eſt, quia id conſuetudo à tempore immemorabili permittit, ſicut docent Innocentius *in rubr. de obſeruantia ieiunij*, Abbas *cap. ex parte num. 2. de celebratione Miſſarum,* Nauarrus *cap. 21. num. 13.* Medina *Cod. de ieiunio quæſt. 11. §. ſequitur amplius*, Viualdus *in append. aurea*, vbi *de quadrageſimali ieiunio num.* 45. Azorius *cap. 10. quæſt. 7.* & alii, ſiuè ſumatur ante prãdium, ſiuè poſt, etiamſi plus quam ſit par, & neceſſitas poſtulet, quoniam contra temperantiam quidem peccatum erit, & non contra Ieiunium. Vnde S. Thomas 2. 2. *qu.* 147 *art. 6.* dicit Eccleſiam nõ prohibere in diebus ieiuniorum potum, quandoquidem is per ſe, ac principaliter non tendit ad corpus nutriendum, ſed ad ſitim ſedandam, & cibi connexionem adiuuandam, quamuis vinum per accidens aliquantulum nutriat. Verùm ſi iuſculum, lac, vel ſimilis potio ſumatur, quæ ad nutriendum principaliter refertur Ieiunium, non dubiè violatur.

Cuius virtutis ſit actus Ieiunium?

BRACTEA IV.

R. IEIVNIVM eſſe actum virtutis temperantiæ, & obedientiæ. Ratio eſt, quia virtus temperantię ſimpliciter non habet; vt eliciat actus Ieiunii Eccleſiaſtici, ſed tantum abſtinentiæ cuiuſdam moderatæ iuxta præſcriptum rationis, vt ergo ſit principium, à quo Ieiunium Eccleſiaſticum proueniat, hæc autem non eſt, niſi obedientia, qua præceptum traditum ab ipſa de ieiunando integrè, & perfectè ſaluatur: poſſe etiam ieiunium dici actum Religionis, Charitatis, & iuſtitiæ, quatenus ſcilicet ab iſtis virtutibus imperatur, & ſit ad colendum Deum ex amore Dei, & ad reddendum illi, quod debemus. Silueſter *de ieiunio.*

Sciendum tres eſſe vtilitates Ieiunii Eccleſiaſtici; prima, vt auertat flagella impendentia, & ſatisfaciat pro peccatis: ſecunda, quod impetret quæuis beneficia, præſertim ſi orationi coniungatur: tertia, quod ſit meritorium mercedis apud Deum etiam vitæ æternæ.

An præceptum Ieiunij obliget ſub mortali?

BRACTEA V.

R. PRÆCEPTVM Ieiunii regulariter obligare ſub peccato mortali, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet. Ita Panormitanus *in rubr. de obſeruat. ieiun. num. 11.* ex Archidiacono *diſt. 76. cap. vtinam,* & Gloſſ. *diſt. 25. cap. vnum orarium,* & Armilla *verbo ieiunium*

*nium num.*7.teſtatur hanc eſſe communem Doctorum ſententiam, & Couaruu.*lib.*4 *var.reſolut cap.*20. *num.* 10. docet ieiuniorum Canones, & conſtitutiones, ita obligare conſcientias, vt qui ieiunia in dicta prætermittunt etiam citra vllum contemptum, ſed ſolum quia nolunt ieiunium ſeruare, cum poſſint, lætaliter peccent; id probat ex *cap. non licet de conſecrat. diſt.* 3. *cap. non oportet diſt.* 3 *quadrageſima de conſecrat. diſt.* 5. in quibus ponuntur verba ſignificantia præceptum, ergo præceptum Ieiunii obligat ſub mortali.

A quibus abſtinendum ſit in Ieiunio?

BRACTEA VI.

R. Abstinendvm eſſe à carnibus Eccleſiaſtica conſuetudine, ac traditione; & ita teſtatur Clemens Romanus *lib.*5 *conſtitut. cap.*17. Philo apud Euſebium *lib* 2. *cap.* 16. Hieronymus *de viris illuſtribus in Philone* Origenes *lib.*3. *in Iob*, Epiphanius *in compendiaria doctrina*, Teophilus Alexandrinus *epiſtola* 2. *ad Epiſcop. Ægypti*, Theodoretus *in epitome diuinorum decretorum, cap. de abſtinentia*, Iſidorus Hiſpalenſis *lib.*2. *de Eccleſiaſticis officijs cap. vlt.* & alii plures; quare hæc à carnibus abſtinentia, omnium ieiuniorum diebus vbique in Eccleſia obſeruatur: tempore Quadrageſimæ abſtinendum etiam eſſe ab ouis, & laticinijs; extra verò Quadrageſimam iure communi nõ ſunt prohibita. Ita S. Thomas *loc. cit. art.*8 Paludanus *diſt.*15. *quæſt.*4. *art* 4. Gabriel. *diſt.*16. *quæſt.*1. *art.* 1. Angelus *verbo ieiunium*, & alii.

Sciendum, vt ſupradictum fuit in definitione Ieiunii, in Ieiunio attendendam eſſe locorum conſuetudinem; conſuetudo enim eſt optima legum interpres, & ſicut poteſt legem inducere, ita etiam poteſt leges abrogare, & ideò abſtinendum eſt ab illis cibis, à quibus per conſuetudinem longæuam abſtinetur; & ideò in locis, in quibus conſuetudo viget non comedendi laticinia tempore Ieiunii, ea non ſunt comedenda.

An cui conceſſum eſt priuilegium comedendi carnes tempore Ieiunij, ſit etiam diſpenſatus in Ieiunio?

BRACTEA VII.

Sciendvm præceptum duplex eſſe vnum affirmatiuum, & alterum negatiuum; præceptum affirmatiuum in ieiunio eſt illud, quæ præcipitur vna comeſtio: præceptum negatiuum conſiſtit in abſtinentia à cibis vetitis: præceptum affirmatiuũ non ſemper obligare, ſed in determinato tempore; præceptum negatiuum obligare ſemper, & ad ſemper. Secundò, quod diſpenſatus in præcepto negatiuo non cenſetur diſpenſatus in præcepto affirmatiuo neque è contra, cum hæc duo præcepta ſpecie inter ſe differant. Quo poſito.

R. Diſpenſatus in præcepto negatiuo comedendi carnes non cenſetur diſpenſatus in præcepto affirmatiuo, quo prohibetur facere plures comeſtiones. Ratio, quia hæc duo præcepta ſpecie differunt, & diſpenſatus in vno non cenſetur in alio diſpenſatus. Tum etiam quia priuilegium diſpẽſationis eſt odioſum; & per conſequens ſtricte interpretandum; tum etiam quia neceſſitas, & iuſta cauſa, quæ diſpenſat in præcepto negatiuo, non eſt iuſta in præcepto affirmatiuo, cum quis poſſit ieiunare, cum non poſſit non comedere carnes; & ideò pluribus cõceditur facultas ſumendi plures refectiones in die Ieiunii, paucis verò conceditur facultas comedendi cibos vetitos. Tum etiam quia abſtinere a carnibus non eſt de eſſentia præcepti affirmatiui Ieiunii, ſed negatiui, cum eſſentia præcepti affirmatiui Ieiunii abſolutè conſiſtat in vna refectione. Et ita Bonacina *de legibus diſput.*3. *quæſt.*1. *punc.*2. *num.*3. Reginaldus *tom.* 1. *lib.*4. *cap.*14. *num.*168. Leſſius *lib.*4. *cap.*2. *dub.*6. *num.* 45. & alii; licet negatiuam ſententiam tueantur multi, nimirum diſpenſatum in præcepto negatiuo, cenſeri etiã diſpenſatũ in præcepto affirmatiuo. Ita Azorius *lib.* 7. *cap.* 10. *quæſit* 3. Toletus *lib* 6. *cap.*3. *num.*4. Ratio illorum eſt, quia ſupponunt abſtinentiam à carnibus eſſe de eſſentia Ieiunii, ſed nos dicimus eſſentiam Ieiunii conſiſtere in præcepto affirmatiuo, & non in negatiuo, & abſtinentiam à cibis eſſe de eſſentia præcepti negatiui, & Ieiunium aliquando comprehendere duo præcepta, aliquando vnum.

An quando in Quadrageſima conceditur priuilegium comedendi oua, concedatur etiam priuilegium comedendi lac, butyrum, caſeum, &c.

BRACTEA VIII.

R. Affirmative, & cui data eſt facultas oua comedendi poſſe iure vti caſeo, butyro, lacte, &c. Ratio, quoniam ex his ſolent oua parari. Tum etiam quia hæc omnia eiuſdem penitus videntur eſſe rationis, cum ea ex carne ducant originem; ergo cui vnum conceditur, videtur eſſe & alterum quoque conceſſum. Sic ait Medina *in ſua inſtruct. confeſſ. lib.*1. *cap.*14 §. 10. Azorius *loco citato quæſit.* 4 & alii. Secundò diſpenſatum, vt poſſit edere carnes, ſeu laticinia, poteſt ſimul edere piſces. Ita Reginaldus *tom.*1. *lib.*14. *cap* 14. *num.* 168. Filincius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.*2. *cap.*9. §.5. *num.*3. Azorius *par* 1. *lib.*7. *cap.*10. *quæſit.* 5 Ratio eſt, quia hoc ſine peccato fieri poteſt, vt ſi vna cum carnibus non noceant piſces, vel quia parum de ipſis comedendo facultas appetitiua excitatur, & ſi hoc fiat, contra temperantiam fit, non tamen Ieiunium frangitur. Tertiò, cui prohibentur carnes non prohiberi laticinia, niſi aliter exprimatur. Ratio eſt, tum quia ſunt res diſtinctę, quarum vna prohiberi poteſt alia non prohibita, & vna concedi poteſt alia non conceſſa. Ita Azorius *lib.*7. *cap.*10. *quæſit.*3 & 5. Paludanus *in* 4. *diſt.*15. *quæſit.*3. *art.*4. Reginaldus *lib.* 4. *num.*145.

An adueniente neceſſitate comedendi carnes debeat quis petere licentiam?

BRACTEA IX.

R. Negativa per ſe loquendo, modò neceſſitas ſit euidens, & certa. Ratio, quia obligatio legis tollitur per ſuperuenientem neceſſitatem; ergò non eſt neceſſe licentiam petere. Dixi per ſe loquendo, quia ad euitandum ſcandalum, vel ratione alterius circunſtantiæ licentia eſſet petenda. Dixi ſecundo modo neceſſitas ſit certa, & euidens, quia ſi erit dubia, petenda erit licentia ab Epiſcopo, vel à Parocho, quia in caſu neceſſitatis Parochus poteſt in hac materia diſpenſare.

An ſi quis voueret ieiunare, teneatur abſtinere à laticinijs, extra Quadrageſimam?

BRACTEA X.

R. Negativè, ſed ſatisfaceret voto, ſi in Ieiuniis extra Quadrageſimam comedat laticinia, & oua. Ratio eſt, quia cenſetur vouiſſe iuxta conſuetudinem, de conſuetudine autem eſt, vt in ieiuniis extra Quadrageſimam comedantur laticinia; ergo, &c. Quod etiam dicendum eſt de Ieiunio indicto à Confeſſario, vel ab aliquo Iubilæo poſſe ſeruari cum eſu laticiniorum. Et ita Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 4. propter rationem allatam, quia Confeſſarius, & Iubilæum cenſentur indicere Ieiunium iuxta conſuetudinem introductam. Secundò, qui fecit votum de ieiunando tali die in pane, & aqua peccaret mortaliter, ſi biberet vinum in notabili quantitate; at eo bibito in ea notabili quantitate, vt frangat Ieiunium, non peccaret amplius ipſum bibendo. Verùm ſi promiſit ſe illa die nihil manducaturum, præter panem, & aquam, tūc quoties biberet vinum, peccaret mortaliter, quia toties frangeret præceptum negatiuum. Ita Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 45. & alii.

Quotuplex refectio ſumi poteſt in die Ieiunij?

BRACTEA XI.

R. In die Ieiunii ſolùm præcipi vnam refectionem, & conſequenter vna refectio ſumenda eſt, & abſtinendum à multiplici. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 6. Couaruu. 4. *variar. cap.* 20. Medina *Cod. de ieiunio quæſt.* 1. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 154. & alii; licet conſuetudine introductum ſit ſumere veſpere ientaculum, ſiuè ſecundam refectiunculam, modò non excedatur in quantitate, quia non eſt introducta conſuetudo ſumendi magnam cibi quantitatem, ſed exiguam. Iacobus de Graffiis *in deciſ. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 29. Azorius *cap.* 8. *quæſt.* 8. Eman. Sà *num.* 8. ſentiunt non eſſe excedendam quantitatem trium vnciarum, alii extendunt ad ſex vncias, alii verò ad octo, alii etiam extendunt ad quartam partem eorum, quæ ieiunanti ſufficerent ad ordinariam ſuam cœnam. Et ita Reginaldus *in praxi tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 14. *dub.* 10. *num.* 185. Layman. *in Theolog. morali lib.* 4. *tract.* 8 *cap.* 1. *num* 9. Filiucius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 3. *quæſit.* 7. Sed

R. In hoc non poſſe dari regulam certam, ſed ſtandum eſſe conſuetudini receptæ in ſingulis Regionibus, & iuxta qualitatem complexionis ſumentis illā refectiunculam, quia aliquando poteſt eſſe, quod vni complexioni quinque vnciæ ſint ſatis, alteri verò complexioni parum ſint; & ideò hæc regula ſeruanda erit, quod cōſiderata propria complexione non plus ſumatur in ientaculo, quam quartam partem eorum, quæ illi ſufficerent ad ordinariam cœnam, & proinde qui ratione complexionis indiget maiori cœna, poteſt magis ſumere, quam ille, qui indiget minori cœna. Qualitas verò cibi huius refectiunculæ poteſt ſumi de his cibis, quibus veſcimur, vel ante prandium, vel in prandio, vel poſt prandium; & ideò potius quantitas attendenda eſt, quam qualitas; & ideò etiam piſciculus poteſt comedi, quia cum tali comeſtione ſubſiſtit ſubſtantia Ieiunij modo his cibis non vtamur, qui tempore Ieiunij in prima refectione prohibentur. Licitum eſt etiam colatione ius vlſum aliquod ſumere, dummodo non ſit ex coctis cibis, quæ tunc ſumi vetantur, atque ſit tantum, vel cum pane, vel cum fructibus, aut herbis, neque extendant eam quantitatem, quæ eſt in more poſita.

Sciendum poſſe excuſari nobiles à peccato, qui maiore collatione vtuntur, quam cęteri. Ratio, quia nituntur conſuetudine, quæ ex eo rationabilis cenſeri poteſt, quod ipſi ſoleant debilioris eſſe valetudinis, & aſſueti eſſe pluribus, & delicatioribus cibis, dummodo tamen non excedant modum. Ita Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 16. *dub.* 10. *num.* 185.

An peccet, qui mane ſumit ientaculum dilato prandio ad Veſperas?

BRACTEA XII.

R. Peccare venialiter, ſi id abſque iuſta cauſa faciat. Ratio, quia facit contra conſuetudinem legitimè introductam. Ita Toletus *lib.* 6. *cap.* 2. *num* 9 non frangit tamen Ieiunium, quia variat tantum illius circunſtantiam temporis; ſi autem iuſta cauſa id faciat, neque peccat venialiter, vt v. g. ob iter peragendum, ob concionem faciendam, &c. Ita Toletus *lib.* 6. *cap.* 8. Naldus *verbo ieiunium*; & alij.

An qui Ieiunij præceptum perrumpit, toties peccet, quoties comedit?

BRACTEA XIII.

R. Negativè, ſed ſolummodo peccare in ſecunda refectione. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 10. Gabriel *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 3. *art.* 3. Angelus *verbo ieiunium quæſt.* 22. Silueſter *verbo ieiunium quæſt.* 8. Roſella *verbo ieiunium num* 4. Nauarrus *cap.* 21. *num.* 15. Ratio eſt, quia hæc eſt differentia inter præceptum affirmatiuum, quod præceptum affirmatiuum non obligat ſemper, & ad ſemper; & ideò quando quis fecit aliquid contra præceptum affirmatiuum, non autem ipſum obligate; at verò præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper; & quia præceptum vnicæ comeſtionis eſt affirmatiuum; idcircò committit ſolummodo peccatum in ſecunda refectione, qua violatur tale præceptum, & non amplius in alijs refectionibus: at præceptum negatiuum non comedendi carnes, quia obligat ſemper, & ad ſemper; idcircò comedens peccat in omnibus comeſtionibus. Verū ſi in ſecunda refectione comedens eandem quantitatem ſolummodo comedat ex iſta comeſtione non violatur obligatio præcepti poſitiui; ideò poſt illam comeſtionem tenetur adhuc ſeruare Ieiunium, & ſi denuò comederet in magna quātitate peccaret mortaliter.

An qui duplici titulo obligatur ad Ieiunium, vt v. g. quia dies Quadrageſimæ, & vigilia alicuius Sancti dupliciter peccet, ſi frangat Ieiunium?

BRACTEA XIV.

R. Negativè: ratio eſt, quia etiamſi duplici titulo, hoc eſt duplici pręcepto, obligetur, tamen peccata non multiplicantur numero ex multiplicitate pręceptorum, niſi ea præcepta perti-

ñeans ad diuerſas virtutes, vt cum violatur Ieiunium ex præcepto Eccleſiæ, & ex voto, vel talia præcepta ſunt condita ſub diſtincto motiuo: & in iſto caſu hæc duo præcepta nō ſpectant ad diuerſas virtutes, cum ſpectēt ſolummodo ad virtutem temperātiæ, & obedientiæ, & eodem motiuo præcepta ſint condita, nimirum motiuo temperantiæ: idcirco ſequitur, quod violans Ieiunium, non committat duo peccata, ſed vnum.

An violet Ieiunium, qui ſeruata ciborum qualitate ventrem adeò replet, vt non ſentiat difficultatem Ieiunij?

BRACTEA XV.

R. NON violare Ieiunium, ſed ſatisfacere, modò à cibis in die Ieiunij vetitis abſtineat. Ratio eſt, quia præſtat id, quod Ieiunium præcipit; ergo ſatisfacit præcepto Ieiunij, etiamſi cibum immoderatè capiat, & Ieiunii finem, aut meritum non aſſequatur. Ita Cousrun. 4. *variar. cap.* 30. *num.* 11 Abulenſis *in cap.* 6. *Matthæi quæſt.* 166. Reginaldus *lib* 4 *num.* 163. Medina *Cod. de ieiunio quæſt.* 6. & alij. Quod ſi dicatur, ille non ſatisfacit præcepto, qui facit contra intentionem, & finem Eccleſiæ præſcribentis Ieiunium, nam *regula* 88 *iuris in* 6. dicitur is committit in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem: ſed qui cibum immoderatè capit, nititur contra voluntatem, & finem legis; ergo, &c. Reſpondeo eum non ſatisfacere præcepto, qui facit contra intentionē obiectiuam, nō qui facit contra intentionem finalem. Intentio obiectiua eſt illa, quæ reſpicit id, quod præſcribitur, & præcipitur: finalis verò reſpicit finem, & effectum, ad quem conſequendum lex aliquid præcipit; cum ergo intentio obiectiua legis Ieiunii reſpiciat abſtinentiam à cibis vetitis, & à multiplici refectione, non verò finem, & effectum Ieiunii, ſequitur illum ſatisfacere præcepto Ieiunii, qui à cibis vetitis abſtinet, ſemelq; tantum in die comedit, quamuis fine, & fructu Ieiunii defraudetur.

An collatio ſerotina in vigilia Natiuitatis Domini ſumenda ſit in maiori quantitate ratione conſuetudinis?

BRACTEA XVI.

R. REGVLARITER id non poſſe fieri. Ratio, quia hoc eſſet violare Ieiunium Eccleſiaſticum; & ita Nauarrus *in manuali cap.* 21. *num.* 15. Rodriquez *in ſumma tom.* 1. *cap.* 23. *num* 10. Poſita verò iuſta cauſa, vt v.g. ratione vigiliæ noctis ſenectutis, & vt poſſint ſufferre laborem in audientia Diuinis Officiis eiuſdem noctis ſentio id poſſe fieri, & ſub hac ratione conſuetudinem introductam eſſe Et ita Azorius *lib.* 7. *cap.* 8 *quæſt.* 8. his verbis. Ea autem conſuetudo induci cœpta eſt in Eccleſia, quia omnes ea nocte vigilabant, & in templo Diuinis Officiis atterant; & ideò in peruigilio Natalia conſuetudine introductum eſt, vt duplo maior ſolitò refectiuncula ſit iuxta qualitatem perſonarum, quia ſunt perſonæ aliæ prouectionis, & grandioris ætatis, aliæ infirmioris, aliæ itidem maiore opera, & labore diuturno fatigatæ, aliæ minori. An talis extenſio militet etiam pro Religioſis? Reſpondeo affirmatiuè; & ita Lyamas *in ſumma par.* 3. *cap.* 3. §. 25. Ratio eſt, quia in his non modo datur eadem cauſa diſpenſationis in exceſſu, ſed etiam maior, cum ſint cāturi Diuinum Officium, &c. & ideò concludo, quod ſimpliciter quatenus eſt Ieiunium vigiliæ Natiuitatis Domini non licet in maiori quantitate ſumere ientaculum; poſita verò vna ex his cauſis licere, non ſolùm Laicis, ſed etiam Religioſis, & ſub hac ratione conſuetudinem fuiſſe introductam.

An licitum ſit habenti cauſam non ieiunandi inuitare ſerò amicum ad cœnandum ſecum?

BRACTEA XVII.

R. PECCARE; & ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 20. Azorius 1 *par. lib.* 7. *cap.* 20. *quæſt.* 11. Rodriquez *cap.* 23. *num.* 6. Ratio eſt, quia inuitando amicum dat illi occaſionem peccandi, nimirum frangendi Ieiunium; tum etiam quia petit ab amico rem, quam ipſe præſtiturus non eſt ſine peccato; ergo, &c. Quod ſi dicatur inuitare aliquem ad cœnam eſſe actum indifferentem, & per conſequens inuitantem ad cœnam non peccare? Reſpondeo hunc actum in genere conſideratum eſſe indifferentem, verò in ſpecie, & in iſto caſu particulari non eſſe actū indifferentem, ſed malum, cum agatur de violatione Ieiunii. Ex quibus ſequitur eos grauiter peccare, qui prætentione vrbanitatis, & hoſpitalitatis cū inuitant ad cœnandum ſecum, quem certò norunt, vel probabiliter credunt, vel dubitant teneri ad ieiunandum Ieiunium: non peccare tamen famulum, qui in die Ieiunii iuſta cauſa parat cibos, aut miniſtrat domino, Ieiunium violaturo. Ita Azorius *par.* 7. *cap.* 31. *dub.* 12. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 194. & alii. Ratio eſt, quia ratione famulatus debet obedire domino iuſta cauſa, etiam in re extrinſecè mala: actus autem violationis Ieiunii nō eſt intrinſecè malus, ſed extrinſecè: ergo, &c. Iuſta autem cauſa facit, quando id ratione famulatus, vel officii præſtat. Similiter vendentes in diebus ieiuniorum cibos prohibitos non peccare. Ratio eſt, quia extrinſecè non videntur cooperari peccato illorum, qui mala fide emunt, ſed ſolummodo extrinſecè, quod iuſta cauſa poteſt fieri.

An caupo peccet, ſi in die Ieiunij cœnam apponat?

BRACTEA XVIII.

R. IN locis Catholicorum apponere cibos vetitos in menſa ad cœnam eſſe graue peccatum, niſi fortè in aliquo caſu particulari iuſta cauſa id fieret. Ratio primæ partis eſt, quia apponendo cibos vetitos videtur cooperari ad violandū præceptum negatiuum Ieiunii. Ratio ſecundæ partis eſt, quia in caſu euidentis neceſſitatis id poteſt fieri, quia neceſſitas non habet legem, vel etiam ſi hoſpitans ſit infirmus, aut priuilegiatus, quia priuilegiatus ab obligatione legis eximitur. Secundò, Cauponem peccare, ſi in die Ieiunii cœnam apponat, quando credit hoſpitantem non excuſari à Ieiunio, dummodo ſine incommodo poſſit negari. Ratio eſt, quia tenetur impedire offenſionem Dei, & lapſum proximi quantum commodè poteſt: at apponendo cœnam his, quos certo ſcit obligari, ad Ieiunium cooperatur præbendo illi inſtrumentum peccandi, quod facilè potuiſſet negare. Dixi dummodo ſine incom-

incommodo, &c. quia ex charitate obligatur impedire offenſionem Dei quãtum commodè poteſt, cum graui ſuo incommodo non tenetur ad negandam cœnam, ſi ipſa negata grauius eſſent offenſuri Deum murmurando, conuiciando, maledicendo. Si verò dubium ſit, an teneantur hoſpites ad ieiunium, tunc decenter interrogari poſſunt, & iuxta reſponſum faciendum, & ſi non poſſunt eos interrogare præſumi poteſt eos excuſari, quia in dubio de nemine præſumendum, quod velit peccare. Ita Leſſius *loco citato dub.4.num.24.*

An qui ob negotium interrumpit prandium, poſſit abſoluto negotio refectionem reaſſumere ſine violatione Ieiunij?

BRACTEA XIX.

R. Refectionem debere eſſe moraliter continuatam, alioquin vnica non erit, ſed repetita. Ita Azorius *lib.7.cap 9 queſt.*2. Leſſius *lib.4.cap.2.num.*11. Filiucius *tract.27.par.2.cap.2. queſt.* 10.& alij; ſi tamen à refectione nondum finita diſcedere quis cogatur confecto negotio reuerti poteſt, eamque perficere, dummodo habuerit intentionem continuandi ipſam. Caietanus *verbo ieiunium* §. *accidit tamen.* Azorius *lib.7.cap.9 queſt.*1. Valentia *diſput.9. queſt.2.pun.* 3. Leſſius *loco citato*. Ratio, quia refectio cenſetur moraliter vna propter intentionem, conſideratis etiam circumſtantiis negotij, temporis, loci. Si verò interrumpit animo non reuertendi, non poteſt iterum deinde accumbere, & comedere poſt interpoſitum temporis interuallum. Ratio eſt, quia refectio non diceretur moraliter continuari, conſequẽter duplex reputaretur; ſi verò modica interceſſerit mora, etiamſi habuerit animum non reuertendi, poteſt reuerti mutata intentione. Ratio eſt, quia reputatur vna comeſtio moraliter. Similiter eum non frangere Ieiunium, qui paulò poſt refectionem, iterũ parum comederet. Ratio, quia talis comeſtio cẽſetur continuari cum priore. Ex quibus colligitur excuſari à violatione Ieiunii lectores, & miniſtros mẽſæ in Monaſteriis, ſi aliquid prius accipiant, quia id faciũt, vt viribus nõ debilitatis offici prũæſtare poſſint; vt docet S. Benedictus *in cap.*38. ſuæ regulæ. Tum etiam quia illa comeſtio eſt inchoatio refectionis, quæ poſtea ob iuſtam cauſam ab eis interrumpitur. Ita Caietanus *verbo ieiunium.* Nauarrus *cap.*21.*num.*13. Leſſius *lib.4.cap.2.dub.2.n.*11.

Sciendũ, quod licet non ſit peccatũ mort. comedere paucas bucellas extra tẽpus refectionis ſolitę cauſa potus, vel, &c. ſi tamen ſæpius id fiat eodem die, ita vt illæ paruæ comeſtiones ſimul ſumptæ efficiant ſummam notabilem, erit peccatum mortale. Ratio eſt, quia crebræ illæ comeſtiones licet exiguæ ſimul ſumptæ æquiualent comeſtioni notabili, nam effectus ſingularum manet, & ita corroborant naturam, & tollunt Ieiunii difficultatem, perinde ac ſi ſimul fierent, ſicuti qui cõmittit furta leuia, peccat ſolummodo venialiter; at verò quando ſimul ſumpta efficiunt ſummam notabilem, furans peccat in accipiendo id, quod coniunctum cum prioribus furtis paruis efficit ſummam notabilem mortaliter. Tum etiam ratione iniuſtæ retentionis cum retineat rem alienam inuito domino.

An illis diebus, quibus licet comedere laticinia, ſit etiam licitum vti lardo pro butyro?

BRACTEA XX.

R. Qvi habet licentiam comedendi carnes in die Ieiunii poſſe etiam comedere quodcunque genus carnis, ſcilicet bouem, hædum, leporem, & lardum etiam, aliaſque carnes noxias. Ratio, quia in tali caſu edendo carnes noxias peccabit quidem contra præceptum temperantiæ, ſed non peccabit aduerſus præceptum poſitiuum de abſtinẽdo à carnibus in die Ieiunii. Secundò, cui conceſſum eſt vti laticiniis in diebus Ieiunii non poſſe regulariter vti lardo, vel alio ſagimine pro butyro. Ratio, quia hæc ſunt de carne, quæ prohibentur, ſicut etiam carnes prohibentur. Dixi regulariter, quia ſi aliter per conſuetudinem eſſet receptum, ſtandum eſſet conſuetudini.

Qua hora ſit reficiendum in die Ieiunij?

BRACTEA XXI.

R. In die Ieiunii reficiendum eſſe circa meridiem; & ita colligitur ex communi conſuetudine Eccleſiæ. Ita Abulenſis *queſt.*172. Azorius *lib.7.cap.*11.*dub.*5. Nauarrus *cap.*21 *num.*27. Reginaldus *lib.4.n.*158.& alii.

Sciendum circunſtantiam temporis non eſſe de eſſentia Ieiunii, ita vt qui præfinitum tempus non obſeruat, violet Ieiunium, ſed eſſe accidens, quod poſita iuſta cauſa poteſt ſeparari à Ieiunio, vt v.g. ratione itineris ſuſcipiendi, vel alia ſimili cauſa, vt v.g. ratione conſuetudinis, vel ratione diſpenſationis, vel occupatio grauis concionis habendæ poſt meridiem, perlegendi in Academia, negotii gerendi, ad quod libera mens à cibo, & potu requiritur.

An ſit peccatum, refectionem multum anticipare in die Ieiunij ſine cauſa?

BRACTEA XXII.

R. Qvi abſque cauſa notabiliter anticipat refectionẽ, nõ peccat mortaliter, ſed ſolũ venialiter. Ita Innoc Sr. *in rub. de obſer. ieiun.* Archid. *in cap. vnũ orarium, verb. ieiunantibus diſt.*25. Angel. *verbo ieiunium* §.2. Toletus *lib.6.cap* 2.*num.* 9. Leſſius *lib.* 4 *cap* 2 *dub.*2.*num.*13. Molpheſius *in ſumma tom.*1.*tract.* 10 *cap.*5 *num* 16. Filiucius *tom.2.tract.* 17 *par.* 2. *cap.* 4. *num.*70.& alij. Ratio, quia determinatio temporis, vt dictum, eſt tantum circunſtantia accidentalis, cum cuius violatione ſubſtantia Eccleſiaſtici Ieiunij conſiſtere poteſt; & ideò ſi abſque iuſta cauſa fiat, non eſt peccatum mortale, ſed ſolummodo veniale. Qui verò prandium notabiliter anticipatè ſumit ex iuſta cauſa, neque peccat venialiter. Ratio, quia qui aliquid facit ex iuſta cauſa, prudenter operatur; qui verò prudenter operatur, non peccat venialiter. Tum etiam quia Ieiunium ſeruandum eſt ex præcepto Eccleſiæ, conſuetudo autem potuit hoc modo præceptum Eccleſiæ moderare, vt is non ſit reus læthalis culpæ, qui horam comedendi notabiliter præuenit. Ita Azorius, Leſſius, Nauarrus, Reginaldus *locis citatis*. Secundò, eum ſatisfacere præcepto Ieiunij, qui horam prandendi notabiliter prorogat, immò eſſe

magis meritorium, quia magis difficultatam Ieiunii auget, & conformis eſt moribus veteris Eccleſię, nam ex indulgentia hora vicinior conceſſa eſt. Ita Azorius *loco citato quæſt.* 5. Nauarrus *cap.* 20. *num.* 27. S. Antoninus *in* 2. *par. tit.* 6. *cap.* 2. §. 2.

An diſpenſatus circa horam, ſit diſpenſatus etiam in Ieiunio?

BRACTEA XXIII.

R. Evm, qui priuilegio Pontificis diſpenſatus eſt in hora Ieiunij non aſſe diſpenſatum in lege Ieiunii. Ita Azorius *loco citato quæſit.* 6. Filincius *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 4 *num.* 76. & alii. Ratio eſt, quia determinatio temporis eſt ſolùm circunſtantia accidentalis, quæ à Ieiunio ſeparari poteſt abſque violatione ſubſtantiæ eiuſdem, & ideò diſpenſatus in accidenti, non cenſetur diſpenſatus in ſubſtantia Ieiunii. Secus dicendum eſt de eo, qui obtinuit priuilegium bis comedendi, hic enim non ſolùm poteſt bis comedere, verùm etiam poteſt anticipatè comedera, quia non modò cenſetur diſpenſatus in accidente Ieiunii, verùm etiam in ſubſtantia eiuſdem.

Quo iure quis obligetur ad Ieiunium?

BRACTEA XXIV.

R. Qvemlibet obligari ad Ieiunium iure humano Eccleſiaſtico. Ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 30. Ratio, quia ſi eſſet iure Diuino, non potuiſſet in eo fieri tanta variatio in tempore, modo, cibis, ætate ieiunantium, exceptione, &c. ſed ab omnibus eodem modo ſeruari debuiſſet, nec conſuetudo aliquid immutare valuiſſet. Tum etiam quia ſi aliquod Ieiunium eſſet de iure Diuino, hoc maximè eſſet Ieiunium Quadrageſimæ: ſed hoc non fuit inſtitutum à Deo, ſed ab Eccleſia; ergo, &c. Ita apud Leſſium *loco citato num.* 30. apud Reginaldum *lib.* 4. *num.* 130. Ad illud verò, quod D. Ambroſius ſermone 23. dicit, Quadrageſimam à Domino conſecratam, & ſermone 25. non leue peccatum eſt fidelibus Quadrageſimam a Domino indictam non ieiunare. Reſpondeo Quadrageſimam dici indictam à Domino, aut præſcriptam in Euangelio, aut conſecratam à Chriſto, quia Eccleſia occaſionem præcipiandi Quadrageſimam ſumpſit ex Chriſti exemplo, ex Prophetis, & ex Euangelio, Ita Bonacina *de legibus diſput. vlt. quæſt.* 1. *pun.* 5. *num.* 1. Secundò, Ieiunia induci poſſe, & auferri per conſuetudinem, ſeruatis conditionibus eiuſdem. Ratio, quia conſuetudo legitima vim habet legis. Tum quia aliqua Ieiunia de facto fuerunt per conſuetudinem abrogata; ergo ſignum eſt Ieiunia per conſuetudinem poſſe induci, & abrogari, vt fuit abrogatum Ieiunium Rogationum, Aduentus, &c. Et ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 15. Reginald. *loco cit. num.* 133. Leſſius *loco cit. dub* 9.

Quanta ſit obligatio huius præcepti?

BRACTEA XXV.

R. Hoc præceptum obligare ſub mortali ad ſui obſeruantiam; & ideò peccare mortaliter, qui abſque iuſta cauſa illud violat. Ita communiter. Ratio, quia præcepta obligāt pro capacitate materiæ, & grauitate: at materia præcepta capax eſt, quia opus virtutis ad ſalutem, aut neceſſariū, aut valdè vtile, & in ſuo genere res grauis eſt, & Eccleſia abſolutè illud præcipit: ergo qui abſque iuſta cauſa facit contra hoc præceptum, peccat mortaliter. Dixi, ſi abſque iuſta cauſa, quia hac poſita non obligat præceptum, nec etiam obligat, vel non peccabitur ſaltem mortiferè, ſi bona fide putetur adeſſe, ſed ſi ſit dubia, requiritur diſpenſatio Superioris.

Quibus diebus ſit Ieiunium ſeruandum?

BRACTEA XXVI.

R. Ieivnandvm eſſe ex iure communi, & ex præcepto Eccleſiæ tempore Quadrageſimæ, & hanc obligationem incipere à feria quarta Cinerum vſque ad Sabbatum Sanctum incluſiuè; conſtat autem hoc tempus Quadrageſimale quadragintaſex diebus, ex quibus quadraginta dies ieiunātur; in ceteris verò ſex diebus, qui ſunt dies Dominicales ſolùm abſtinetur à carnibus, & lacticiniis, & non ieiunatur, quia ex conſuetudine antiqua Eccleſiæ bis comeditur. Secundò, ex iure communi, & ex præcepto Eccleſię ieiunantur quatuor tempora, quod Ieiunium tribus de cauſis fuit inſtitutum. Primò, ad expianda peccata, quæ per ea quatuor tempora committimus, vernum ſcilicet, æſtiuum, autumnale, & hyemale. Secundò, quia ſicut Deus anni, & Solis curſum regit, ſic petimus, vt per ea vitæ noſtræ curſum, & actiones dirigat. Tertiò, vt offeramus Deo primitias quatuor anni temporis; veris, æſtatis, autumni, & hyemis: tribus autem diebus ieiunatur, vt reſpondeat Ieiunium triplici menſi in quacunque anni parte, ita vt in toto anno tot Ieiunii dies ſint, quot mēſes. Tertiò, de iure communi, & ex præcepto Eccleſię tenetur quis ieiunare in vigiliis plurium ſolemnitatum, & in vigiliis plurium Sanctorum, vt v. g. in vigilia Pentecoſtes, Natiuitatis Domini, in vigilia Aſſumptionis B. Virginis, in vigiliis Apoſtolorum, S. Io. Baptiſtæ, S. Laurentii. Aliis diebus præcedentibus feſta non tenetur quiſquam ieiunare, etiamſi in Breuiario dicatur vigilia de præcepto, vt v. g. in vigilia Natiuitatis B. Virginis, Purificationis, Viſitationis, & aliis, non tenetur quis ex præcepto Eccleſiæ ieiunare, ſed ſolū ex voto, aut deuotione, vt omnes fideles faciunt in vigiliis feſtiuitatum B. Mariæ Virginis.

An quis poſſit ieiunare die Dominico?

BRACTEA XXVII.

R. Olim in Eccleſia prohibitum fuiſſe ieiunare die Dominico ob lætitiam, & celebritatem diei, in qua memoria reſurrectionis Chriſti peragitur. Secundò, ad refutandum hæreticorum errorem, qui negantes Chriſti reſurrectionem diem Dominicum in luctu, & Ieiunio tranſigebant ad contemptum Eccleſię, ſicuti docet S. Ambroſius epiſtola 8. ad Epiſcopos per Æmiliam. Verùm non fuiſſe olim in omnibus Eccleſiis ſimpliciter prohibitum colligitur ex S. Hieronymo epiſtola ad Lucinium 28. vtinam omni tempore ieiunare poſſemus, quod in actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die Dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus, & ſubdit, ſed vnaquæque Prouincia abundat in ſuo ſenſu. Quibus verbis inſinuat quibuſdam Eccleſiis fuiſſe prohibitum die Dominico ieiunare. Tertiò,

nuns

hunc temporis non eſſe illicitum die Dominico ieiunare Ita Nauarrus *cap.21.num.227.* Reginaldus *lib. 4 num.*138. Valentia *tom.3.diſput 9.quaſt.2. pun.* 4. Em. Sa *verbo ieiunium num.*7. Leſſius *lib.4.cap.2.dub.9 num.* 68. Ratio, quia ieiunio colitur Deus, & Dominicus dies in honorem Dei fuit conſtitutus; ergo licitum eſt præciſo ſcandalo, contemptu, & alio peccato die Dominico eum colere Ieiunio. Vnde & multi Heremitæ diebus Dominicis ieiunabant, vt ex vitis Patrum conſtat.

Quinam teneantur ex præcepto ieiunare?

BRACTEA XXVIII.

R. Tenari ad hoc præceptum omnes Chriſtianos ſanæ mentis cuiuſcunque ſint perfectionis, aut dignitatis, niſi iuſta aliqua cauſa excuſentur. Ita communiter Doctores *in 4.diſt.15.& 16.* Canoniſtæ *in rubrica de obſeruat.ieiuniorum,* Summiſtæ *verbo ieiun.* Ratio huius præcepti in omnibus locum habet, omnes enim egent mortificatione carnis, & caſtigatione corporis, vt ſubdatur ſpiritu, & ſic Deo ſatisfiat pro peccatis. Dixi Chriſtianos, quia tantum eos, qui ſunt in Eccleſia ſubduntur Eccleſiaſtico præcepto. Secundò, ſanæ mentis, quia carentes vſu rationis non ſunt capaces præcepti. Tertiò, dixi cuiuſcunque ſint perfectionis, &c. quia vt S. Leo ſermone 11. de Quadrageſima ait, nemo tam ſanctus eſt, vt non ſanctior, nemo tàm deuotus, vt non debeat eſſe deuotior.

An peregrini teneantur ad ieiunia illius loci?

BRACTEA XXIX.

R. Peregrinum, qui non habet intentionem manendi in loco aliquo præciſo ſcandalo, & contemptu non obligari ad Ieiunia illius loci. Ita Bonacina *de legibus diſput.1.quaſt.1.pun 6.nu.* 49. Sanchez *de matrim.tom.1.lib.3.diſput.28.num.* 9. & alii. Ratio eſt, quia peregrinus præciſo ſcandalo non cenſetur ſubditus legibus illius loci. Si verò habuerit intentionem manendi maiorem partem anni, vel conſtituendi ibi domicilium; tunc tenetur ſeruare Ieiunia loci, ſicuti etiam tenetur ſeruire reliquas conſuetudines, & leges. Ratio, quia intentione manendi ibi maiorem partem anni, &c. fit ſubditus, & per conſequens tenetur legibus, & conſuetudinibus illius loci. Secundò, non teneri ciuem abſentem ad Ieiunia ſui Oppidi, niſi ſint iuris communia. Ratio, quia ſtatuta, & conſuetudines locales ſunt affixa loco, & obligant tantum exiſtentes in illo loco. Hinc eſt, vt vbi incolæ veſcuntur carnibus, vel ouis certis diebus, poſſint etiam peregrini ibidem exiſtentes, etiamſi in eorum patria non liceret, dummodo talis comeſtio iure communi non prohibeatur.

An diſcedens ex Oppido, vbi non ieiunatur, poſſit comedere etiam carnes, vt alij illius loci, quamuis Veſpere, vel meridie acceſſurus ſit ad locum, vbi ſeruatur Ieiunium?

BRACTEA XXX.

R. Qui diſcedit mane ex Oppido domicilij, vbi eſt Ieiunium, non poteſt quidem in loco domicilij veſci carnibus, licet veſpere peruenturus ſit ad locum, vbi non ieiunatur. Ratio eſt, quia quandiù eſt in loco ſui domicilij ſubditur legibus illius, & per conſequens obligatur præcepto abſtinendi à carnibus; pòteſt tamen ſumere ientaculum, quia non tenetur abſtinere à ſecunda refectione hoc ipſo, quod in loco, ad quem peruenturus eſt, non ieiunatur.

Quid facere debeat dubitans, an teneatur ad præceptum Ieiunij?

BRACTEA XXXI.

R. Dubitantem, an teneatur ad Ieiunium debere recurrere ad Superiorem pro diſpenſatione in re dubia, & id remittere debet petentium ſubditorum conſcientiæ, nam ad ipſum ſpectat tunc diſpenſare, quando cauſa eſt dubia, & ipſi diſpenſando iuſtam cauſam efficiunt. Ita Caietanus 2.2.*quaſt.*147.*art.*4. Filiucius *tom.* 2. *tract.* 27.*par.*2. *cap* 6.*num.*129. Ledeſma *in ſumma tract.*17.*cap.*2. *concl.* 5. & alij. Secundò, qui bona fide credit ſe habere iuſtam cauſam non ieiunandi, & propterea non ieiunat, is non peccat mortaliter. Ita Paludanus *in 4 diſt.* 15.*quaſt.*4.*art.*1. Silueſter *verbo ieiunium* §. 21. ideòque ſi cauſa non ſit omninò ſufficiens, peccabit venialiter defectu debitæ diligentiæ inquirendi, an cauſa iuſta eſſet, nec ne.

An poſſit quis per alium ieiunare?

BRACTEA XXXII.

R. Negativa: Ratio eſt, quia obligatio ieiunij perſonalis eſt, vt potè ab Eccleſia impoſita ad affligendum corpus, &c. obligatio autem perſonalis non poteſt per alium adimpleri. Ita Reginaldus *lib.*4. *num.* 187. & alij: poſſe tamen vnum pro alio ieiunare, ita vt ſatisfactio ieiunij proſit illi, pro quo ieiunium ſuſcipit. Ita Gloſſ. *Cap. Presbytero diſt.* 82. *& cap. Pœnitentia diſt.* 3. Secundò, qui non poteſt ieiunare, non tenetur aliquid aliud facere pro obligatione ieiunij. Ratio eſt, quia *leg. manif. Cod. de ſolutionib.* habetur, debitorem vnius rei non liberari ſoluendo aliam. Ita Petrus Nauar. *cap.* 21. *num.* 22. Reginaldus *loco cit.* & alij. Tertiò, qui non poteſt ieiunare vno die, non teneri alio die ieiunare, niſi fortè vigore alicuius priuilegij tranſtulerit ieiunium in alium diem. Ratio eſt, quia obligatio ieiunij ab Eccleſia præſcripti eſt affixa diei, & tranſit cum ipſo die, vt patet etiam de præcepto audiendi miſſam in die feſto, quod tranſit etiam cum ipſo die. Ita Nauar. *cap.* 21. *num.* 27. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 18. & alij Quartò, in ieiunio debito ex voto ſtandum eſſe intentioni vouentis, ſicut enim lex vim habet ex voluntate legiſlatoris, ita votum

ex intentione vouentis, qui legem, & obligationem voti ſibi imponit.

An Religioſi teneantur ſeruare ieiunia, quæ ſeruantur in Oppido, in quo ſuum habent Monaſterium?

BRACTEA XXXIII.

R. Cum diſtinctione, vel ea ieiunia ſunt tantummodo per conſuetudinem particularem introducta, vel generali conſuetudine recepta ſunt: ſi priori modo Religioſi non tenentur ea ſeruare: Ratio eſt, quia ſicut Laici, & Clerici ſęculares non tenentur ieiunijs apud Religioſos per conſuetudinem introductis; ergo neque Religioſi tenentur ad ieiunia conſuetudine Laicorum, aut Clericorum recepta. Tum quia conſuetudo obligat ſolummodo quatenus recepta eſt: ſed hæc non cenſetur recepta a Religioſis, qui ſeorſim viuunt; ergo, &c. Si verò ieiunia generali conſuetudine recepta ſunt, ſeruari debent etiam à Religioſis. Ratio eſt, quia conſuetudo generalis omnes generaliter obligat; ergo etiam obligat Religioſos. Tum etiam, quia Religioſi tenentur ſeruare feſta, quæ communi viu coluntur in Oppido, in quo ſitum eſt Monaſterium; ergo etiam tenentur ſeruare ieiunia, quæ generali conſuetudine recepta ſunt. Ita Reginaldus *lib.* 4. *num.* 135. & alii. Secundò, nec Religioſos teneri ſeruare ieiunia, quæ anctoritate Epiſcopi indicuntur. Ratio, quia Religioſi exempti ſunt à iuriſdictione Epiſcoporum; ergo ipſorum legibus non ligantur.

An proficiſcens à Ciuitate, vbi non ſeruatur ieiunium; & accedens meridie ad locum domicilij, vbi ſeruatur, teneatur ſeruare ieiunium ſi nondum violatum eſt?

BRACTEA XXXIV.

R. Posse mane ſumere ientaculum, & non obligari ad ieiunium. Ratio eſt, quia mandatum ieiunii reſpicit integrum diem, vt indiuiduum obiectum, ſed cum ille potuerit licitè comedere in loco, à quo diſceſſit, meritò non tenetur ad ieiunium per integrum diem, & cum ſine peccato potuerit mane ientaculum facere, poteſt etiam ſerò cœnare, cum ieiunandi obligatio indiuidua ſit conſiſtens in vnica comeſtione, quam ſemel violans comedendo, non tenetur amplius eo die à cibis abſtinere. Ita Diana *tract.* 9. *de ieiunio reſolut.* 3.

Quænam ætas iuſtam habeat excuſationem ieiunij?

BRACTEA XXXV.

R. Ante vigeſimumprimum annum exactum neminem teneri ad ieiunandum. Ratio eſt, quia vſq; ad talem ætatem regulariter ſunt debiles; & ideò ante eam ætatem ſunt in ſtatu augumenti, & indigent frequenti cibo. Ita S. Thomas 2. 2. *queſt.* 147. *art.* 4. & communiter cum eo Doctores. Vnde Eccleſia noluit eos legibus ieiunii obligare, eo quod multo indigeant alimento propter caloris vim in eis abundantem, quo facilè cibus omnis abſumitur. Tum etiam, quia cibus non ſolum in eis operatur, vt nutriat, ſed etiam vt incrementum naturæ debitum præſtet. Ita Durandus in 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 10. Antoninus 2.*part.tit.*6 *cap.*2.§.4. & Nauar. *in manuali cap.* 20. Verum quia in die ieiunij extant duo præcepta, vnum negatiuum non comedendi carnes, alterum affirmatiuum de vnica refectione ſumenda, licet adoleſcentes ante vigeſimum primum annum expletum non teneantur præcepto affirmatiuo ieiunii, obligantur tamen præcepto negatiuo non comedendi carnes, & alios cibos prohibitos, niſi alia iuſta de cauſa excuſentur. Ita Nauar. *cap.* 20. *num.* 18. Toletus *lib.* 6. *cap.* 3. Rodriquez 1. *part. cap.* 24. Reginaldus *lib.* 4. *num.* 205. & alii.

An Religioſi ante eam ætatem profeſſi debeant ſeruare ieiunium, quod ipſius Religionis Inſtitutum præcipiat?

BRACTEA XXXVI.

R. Debere ſeruare ieiunium præſcriptum à Regula, vel Conſtitutionibus. Ratio eſt, quia ad huiuſmodi obligationem vi profeſſionis ſe obligauerunt, non verò tenentur præcepto Eccleſiæ, cum huiuſmodi adoleſcentes ante vigeſimum primum annum completum Eccleſia non obligauerit. Ita Rodriquez 1. *part. cap.* 24. Naldus *verbo Religioſ. num.* 21. Azorius *lib.* 7. *cap.* 17. *quæſit.* 2. & alij; licet plures ſequantur opinionem contrariam, nimirum ante vigeſimum primum annum expletum, non teneri ad illud ieiunium. Ita Medina *lib.* 1. *cap.* 14. §. 10. & alii. Secundò, adoleſcentes, qui nondum ex præcepto Eccleſiæ tenentur ad ieiunium non cōſecuturos Iubilæum, niſi ieiunent, quoties in Iubilæo præſcribitur ieiunium, licet Confeſſarius poſſit cum tali diſpenſare, ſicut cum infirmo, ſi ita debiles ſint, vt non poſſint ieiunare, quia datur facultas commutandi tantum ijs, qui non poſſunt moraliter loquendo ieiunare.

An Ægroti, & alij, qui infirma valetudine laborant, vt v. g. dolore capitis, vertigine, &c. teneantur ieiunare?

BRACTEA XXXVII.

R. Non eſſe obligatos ad ieiunium, quando notabilis eſt eorum infirmitas, quia eorum valetudini magis expedit, vt bis, aut ter modico cibi quam ſemel tantum in die vtantur immodico; quando vero dubitatur, an infirmitas talis ſit, quæ det iuſtam excuſationem, Medici conſilio, vel Superioris indulgentia res eſt definienda. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 2. S. Antoninus 2. *part. tit.* 6. *cap.* 11. §. 6. Summiſtæ *verbo ieiunium*, Nauar. *in manuali cap.* 21. *num.* 16.

An licitum ſit paruulis ante ſeptennium completum comedere carnes?

BRACTEA XXXVIII.

R. Licitvm eſſe; Ratio eſt, quia paruuli non ſubduntur præceptis Eccleſiæ tam affirmatiuis, quam negatiuis, & ideò cum non ligentur legibus, non obligantur abſtinere à carnibus, etiamſi conſuetudo eſſet in contrarium. Ratio eſt, quia ſicuti ante ſeptennium non ſubduntur legibus, ita à fortiori neque ſubduntur conſuetudini, quæ eſt lex non ſcripta, etiamſi puer ante ſeptennium ſit doli capax, nullo tamen præcepto obligatur, cum leges poſitiui iuris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri eſt ſolitum, non intendat obligare, & per accidens in vno, vel alio puero rationis vſus acceleratur. Ita Tannetus *in 2.2. diſp. 3. quæſt. 3. dub. 5. num. 99.* Em. Sà *verbo ieiunium num.* 17. Diana *tract. 9. de ieiun. reſol.* 42.

An ſine fractione ieiunij licitum ſit ſumere parum cibi ne potus noceat?

BRACTEA XXXIX.

R. Licitvm eſſe: Ratio eſt, quia talis ſumptio cibi eſt potius per modum medicamenti, ne potus noceat, quam per modum nutrimenti, & ſicuti licitum eſt in die ieiunii ad ſedandam ſitim bibere, ita etiam licitum eſt accipere aliquid cibi, ne potus noceat, cum principale trahat ad ſe ſuum acceſſorium. Ita Molpheſ. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 25. Homobonus de Bonis *de examine Eccleſiaſticor. part.* 2. *trat.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 20. & alii. Vnde Em. Sà *verb. ieiunium num.* 8. ait, ieiunium non violat potus aquæ, aut vini, neque etiam ſi quid edatur, ne potus noceat, dummodo id non faciat in fraudem ieiunii, ſed ne potus noceat.

Sciendum, quando cauſa eſt dubia, an quis ratione infirmitatis ſit obligatus ad ieiunium, vel non, poſſe nos Medici, Confeſſarii, vel alterius boni viri iudicium, & conſilium ſequi, eo quod cauſa, de qua nos ambigimus ipſis euidens, & certa videatur; tunc enim leges declarant ipſi, ſed non relaxant. At verò quando cauſa ipſi eſt dubia, & incerta, auctoritate Superioris opus eſt, quia neceſſaria eſt iuris relaxatio, ad quam Medicus, vel Confeſſarius, vel alius vir bonus poteſtatem non habet. Ita Angelus *verb. ieiun. num.* 19.

An auctoritate Superioris ieiunia poſſint transferri?

BRACTEA XL.

R. Absqve cauſa auctoritate Superioris ordinarii ieiunia non poſſunt transferri, aut in aliud pietatis opus commutari, ſed ſpectat ad Summum Pontificem. Ita Innocentius, Hoſtienſis, & Abbas *in cap. conſil. de obſeruat. ieiunij*; poſita verò iuſta cauſa poteſt Epiſcopus ieiunium tráſferre, vel in aliud opus pium commutare. Vnde v. g. ſi dies ieiunii S. Ioannis Baptiſtæ incidat in feſtum Corporis Chriſti, poteſt ieiunium transferre in præcedentem diem, v. g. in vigiliam Corporis Chriſti. Similiter ſi vigilia S. Mathiæ cadat in vltimum diem Bacchanalium poteſt transferre in antecedentem diem, vt vitetur occaſio pluribus peccandi ob violationem ieiunii in illo vltimo die Bacchanalium.

An metus alicuius mali excuſet à ieiunio?

BRACTEA XLI.

R. Metvm iuſtum eſſe legitimam cauſam excuſantem à ieiunio, qualis eſt metus cadens inconſtantem virum. Vnde metus mortis, ſeruitutis, iacturæ bonorum, vel ex toto, vel ex magna parte incurrat, excuſat à ieiunio. Caietan. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3. & *in ſum. verb. ieiunium.* Similiter excuſat vxorem virum habentem durum, ſeuerum, &c. qui ſe viderit, aut nouerit eam ieiunare, indignatur, malè tractat eam, tunc vxor non obligatur ieiunare: Similiter ſi ſit ob ieiunium macrem, debilem, deformem, futuram ſe, & ob id à viro malè tractandam, & fore illi occaſionem peccandi cum aliis mulieribus, in tali caſu, vt ſe pulchram ſeruet ad euitandum peccatum mariti, non obligatur ieiunare. Item fœminam viro hæretico nuptam, quam tamen ſinit ritus Catholicos ſeruare, at non patitur eam ieiunare, non quid id faciat odio, & contemptu Catholicæ Religionis, ſed quod dicat ea ieiunia eſſe cum detrimento, & incommodo ſuæ familiæ, tunc vxor non obligatur ieiunare, vt maioris boni iacturam deuitet, nempè communem familiæ diſcordiã, & perturbationem. Ita Angelus *verb. ieiunium num.* 7. Roſella *eodem verbo num.* 27. Silueſter *ibid. quæſt* 9. Nauar. *in manuali cap.* 21. *num.* 19. Innocentius, Abbas *in rubr. de obſeruando ieiunio*, Paludanus *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 10. S. Antoninus *part.* 2. *tit.* 26. *cap.* 2. citati ab Azorio *lib.* 7. *cap.* 29. *quæſit.* 7. Item excuſantur Catholici tranſeuntes per loca Hæreticorum, Turcarum, &c. quibus vel in ipſo itinere, vel in hoſpitij, vel in comitatu ſociorum cibi prohibiti offeruntur, quos ſi reijciant, produnt ſe ipſos, vel eſſe Chriſtianos, vel Catholicos, ob idque periculum mortis ſubeunt, aut amiſſionis bonorum, aut tormentorum, tunc non obligantur ieiunare præciſo ſcandalo, & contemptu Religionis, quia in iſtis caſibus obligantur ieiunare etiam cum periculo mortis. Ratio eſt, quia hoc non eſt eorum falſam, & vanam ſectam ſectari, aut profiteri, aut veram deſerere fidem, aut religionem, cum etiam quis apud Chriſtianos, & Catholicos comedere poſſit carnes ad euitandum mortis periculum.

An fœminæ prægnantes, & lactantes teneantur ad ieiunium?

BRACTEA XLII.

R. Foeminas grauidas, & lactantes paruulos excuſari a ieiunio. Ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 39. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 2. *pun.* 2. Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 28. *quæſt.* 6. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *dub.* 5. *num.* 100. Graff. *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 37. *num.* 44. Toletus *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 3. & alii. Ratio eſt, quia indigent cibo pleniore, quia pro ſe, & pro fœtu, vel partu egent; appetunt enim ſæpè vehementer aliqua, & niſi deſiderio ſatisfaciant ſuo, periculum eſt, ne fœtus proijciatur; & ideò neceſſe eſt, vt cibo reficiantur nutriendi, & educandi cauſa fœtum. Tum etiam, quia tales mulieres non ſunt ita robuſtæ naturæ, vt vnica refectio-

ne

ne poſſent ſe ipſas, & fœtum ſuſtentare, & ideò non obligantur ad ieiunium, licet aliquæ ſint robuſtæ & virilis naturæ. Ratio eſt, quia diſpenſatio legis fundatur in accidentibus communibus, non autem in caſibus particularibus.

An ſenes ſexagenarij obligentur ad ieiunium?

BRACTEA XLIII.

PRIMA Sententia eſt, Senes ſolum poſt ſeptuageſimum ætatis annum expletum ſolutos eſſe à ieiunio, quia in tali ætate infirmi, & imbecilles ſunt. Vnde *in leg. vlt. cod. qui ætatem lib.* 10. is, qui ſeptuageſimum annum exceſſerit, ab oneribus perſonalibus eximitur; ergo etiam ſoluitur ab obligatione ieiunii. Ita Gabriel. *in* 4. *diſt.* 16. *queſt.* 3. *art.* 1. *notab.* 4. Silueſter *verbo ieiunium queſt.* 6. Toletus *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 2. & alii. Sed

R. Senes in ætate ſexagenaria conſtitutos excuſari à lege ieiunii; & ita Laym. *in ſum. part.* 3. *cap.* 5. §. 20. vbi aſſerit, quod interrogatus de hac re Pius V. viua voce reſpondit eſſe ſolutos. Ratio, quia natura in illa ætate langueſcit, & ad interitum properat, & ſanitas dictorum Senum non eſt firma, & conſtans, ſed fallax, & incerta, & media inter morbum, & perfectam ſanitatem, vt teſtatur Galenus *lib.* 5. *&* 6. *de ſanit. tuenda,* & licet aliqui ſexagenarij fortes, & validi videantur, tamen eorum natura prolabitur, & ad interitum tendit, atque adeò adminiculo cibi indiget, vt non tam præſenti ſtatui, quam futuro conſulatur.

An Mendici excuſentur à ieiunio?

BRACTEA XLIV.

R. MENDICOS, qui oſtiatim mendicant, ſolutos eſſe à lege ieiunii, cum non quando illi, & quantum volunt edere poſſint. Tum etiam, quia propter paupertatem alimento carent ſufficienti ad vnam refectionem in die ieiunii ſumẽdam; immò ſi alium cibum non habeant, niſi prohibitum eum in die ieiunii comedere poſſunt, quia Eccleſia non vult, vt quis obſeruandam legem ieiunii vitæ, vel valetudinis periculum incurrat, quia ſicut iugum Chriſti ſuaue eſt, ita etiam Eccleſiæ. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *queſt.* 3 *art.* 2. Ricardus *ibidem art.* 3. *queſt.* 4. Durandus *ibidem queſt.* 10. Angelus *verbo ieiunium num.* 15. Silueſter *eodem verb. queſt.* 9. Nauar. *cap.* 21. *num.* 16. & alii.

An Operarij obligentur ad ieiunium?

BRACTEA XLV.

R. AGRICOLAS, Fabros ferrarios, vel Lignarios, vel Cementarios, vel alios Operarios, qui opera laborioſa exercent, excuſari à ieiunio. Ita Azorius *lib.* 7. *cap.* 27. *queſit.* 8. Leſſ. *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 42. & alii. Ratio eſt, quia iis cibus non ſufficit ſemel tantum in die ſumptus ob immodicos, & inimicos corporis labores. Tum etiam, quia Eccleſia non obligat cum graui incommodo, labor autem, cum quo non ſufficit laboranti vnica refectio is dicendus eſt, ex quo grauis, vel mediocris afflictio ſequeretur ſeruato ieiunio, nam præcepta Eccleſiæ benignè accipienda ſunt. Quod non modo intelligendum eſt de Operariis pauperibus, verum etiam diuitibus, qui nulla neceſſitate coguntur ad ſeruiliter laborandum, vel curant ſuos famulos exercere opera ſeruilia, quia cum ieiunii obſeruatione ſtare non poſſunt; excuſari etiam à ieiunio, cum non ſint peioris conditionis, quam Operarii pauperes, cum in omnibus eadem ratio excuſationis reperiatur. Secundò, Operarios minimè aſſuetos ieiuniis non modo non obligari ad ipſum ſeruandum diebus, quibus laborant, verum etiam non teneri ad ieiunium eo die, quo laborem intermittunt. Ratio, quia cum non ſint ieiuniis aſſueti nimium affligerentur, ſi ieiunium ſeruare cogerentur, cum labore ſolito ſuperſedent. Tum etiam, quia labore diei præcedentis ita feſſi, ac defatigati ſunt, vt ſi ſemel tantum in die proximè ſequenti comedant, grauiter vexentur; Tum quia redderentur inepti ad laborem ſequenti die ſuſcipiendum, & per conſequens non obligantur.

An Curſores, Mulliones, &c. & qui toto die pedibus iter faciunt, ieiunium ſeruare debeant?

BRACTEA XLVI.

R. ITER facientes pedites excuſari à ieiunio, ſi conficiant duodecim, vel, &c. milliaria. Ratio eſt, quia ex obiecto labor iſte inducit obligationem, & ideò Mulliones, Curſorem, &c. & cœteri, qui pedibus proficiſcuntur, non obligari ad legem ieiunii; qui verò equitant, vel vehuntur in curru diſtinguendum eſt de breui, & longo itinere, nam de breui dicendum eſt obligari ad ieiunium. Ratio eſt, quia non nimis debilitantur, itaut non poſſint ieiunare; qui verò longum iter ſuſcipiunt, excuſantur à ieiunio. Ratio eſt, quia tali itinere nimis debilitantur, & Eccleſia non obligat ad ieiuniũ cum tanto incommodo. Quod etiam dicendum eſt de itinerantibus in curru, vel lectica; ſi enim longum iter ſit, inducere ſolet debilitatem, & per conſequens ſic itinerantes non eſſe obligatos ad ieiunium quia currus valdè concutit, & defatigationem inducit; Secus verò dicendum eſt ſi iter ſit breue, aut currus, vel lectica ſint ita commoda, vt nullam, aut ſaltem modicam defatigationem inducant. Secundò, qui ita laboraret malo fine, v. g. ad inimicum occidendum, vel ad quærendam concubinam, &c. vel etiam ad ludendum ludo pilæ, non eſſe obligatum ad ieiunium, licet peccet ex malo fine. Ita Medina *cap.* 14. §. 10. etiamſi hoc fieret in fraudem ieiunii, tamen poſita tali defatigatione excuſantur à ieiunio, nec eſſe obligatum ſolitum ludere ludo pilæ, ipſum relinquere propter obligationem ieiunii, quia ludus pilæ non eſt medium de ſe ordinatum ad complementum, & obſeruationem ieiunii, neque Eccleſia obligat ad abſtinentiam à ludo, vt ieiunio quis vacet. Ita Ledeſma *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 27. *concluſ.* 6. *cap.* 2. *difficult.* 5.

An peregrinatio ſit cauſa ſufficiens frangendi ieiunium?

BRACTEA XLVII.

R. QVAMLIBET peregrinationem non eſſe ſemper ſufficientem cauſam ſoluendi ieiunij ab Eccleſia præcepti; nam opus ieiunij fermè ſalubrius eſt animæ, quam peregrinatio ſine ieiunio, atque communi præcepto Eccleſiæ ſatisfacere ad meritum obedientiæ pertinet; & ideò peregrinationem voluntariam non ſemper excuſare ab obligatione præcepti, niſi peregrinatio ad locum pium videatur eſſe valdè vtilis ad cultum Diuinum, vt quia eſt perſona magnæ auctoritatis, ex cuius peregrinatione augebitur communis deuotio; in iſto caſu excuſatur à ieiunio, cum non poſſit ſimul ieiunare, & peregrinari, neque peregrinationem differre ob votum, vel deuotionem alicuius diei. Secundò, peregrinationem longinquam cauſa pietatis ſuſcipere quis poteſt, etiamſi ſit dies ieiunij, in quo propter corporis defatigationem ieiunare quis non poſſit. Ita Gabriel in 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 3. *art.* 1. *notab.* 4. Tertiò, ſi peregrinationem ex voto, vel Confeſſarii præcepto debeatur, & tes ita accidat, vt alio, quam ieiunii die commodè inſtitui non poſſit, iuſtam hanc eſſe cauſam ſoluendi ieiunii, ſi id cum peregrinatione ſeruari nequeat.

An qui ob ieiunium non poteſt dormire, excuſetur?

BRACTEA XLVIII.

R. EVM ſerò aliquid poſſe accipere, vt ſomnum neceſſarium capiat, vel capitis vertiginem reprimat, &c. Ita Silueſter *verb. ieiunium num.* 9. Armilla *eodem verb. quæſit.* 3. Medina *eod. de ieiunio quæſt.* 11. & alii. Secundò, eos etiam ſimiliter non obligari ad ieiunium, qui notabilis alicuius damni vitandi cauſa, vel ad acquirendum magnum lucrum cogerentur laborare. Vnde defatigatio ſequeretur. Item, qui ſuo officio fungi nequeunt cum ieiunio; vnde vir non poteſt reddere debitum ieiunando, & vxor non valens ſe gratam ſeruare ob maciem, vel pallorem, excuſatur à ieiunio. Tertiò, neceſſitas propria, ſiue in anima, ſiue in corpore, excuſat à ieiunio. Ratio, quia non eſt Eccleſiæ intentio, vt per ieiunium homo aliquid amittat in bonis præſtantioribus, qualia ſunt animæ, vel corpori neceſſaria. Quartò, neceſſitas familiæ, vel decentia ſtatus excuſat à ieiunio; vnde qui non poteſt aliter alere familiam, dotare filias, &c. niſi laboret, & defatigetur, non obligatur ad ieiunium, quia illud bonum præſtantius eſt, & neceſſarium.

An excuſetur à ieiunio, qui data opera, vt non ieiunet, venatur, vel aliud ſimile facit?

BRACTEA XLIX.

R. QVI data opera in die ieiunii ſuſcipit iter agendum, vel ludit, aut venatur, vt habens iuſtam cauſam non ieiunandi, nõ obligatur ad ieiunium. Ita Sanctius *in ſuis ſelectis diſp.* 4. *num.* 24. & Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. & alii. Ratio eſt, quia dum defatigatio acquiritur, non adeſt ieiunii præceptum, dum verò iam acquiſita eſt, adeſt impoſſibilitas ad ieiunandum. Tum etiam, quia Eccleſia non prohibet aliquem in die ieiunii ſuſcipere longum iter, ludere pilæ, &c. ergo talis iuſtè vtitur iure ſuo, & vtendo tali iure non obligatur ad ieiunium.

An Pater, ſeu Dominus teneatur compellere filios, ſeu ſeruos ad ſeruandum ieiunium?

BRACTEA L.

R. NEGATIVE; poſſe tamen eos admonere, & curare lege charitatis, vt ieiunium ſeruent, non tamen illos poſſunt compellere, aut cogere ad ieiunia ſeruanda; nimis enim rigoroſum, & durum id eſſet. Ita Filiucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 91. Diana *tract.* 9. *de ieiunio reſolut.* 28. & aliinon tamẽ eos obligari miniſtrare cibos familiæ, quibus ieiunium ſoluant. Ratio, quia cooperarentur ipſorum peccato; vnde præbere quidem debent familiæ commoda alimenta, & non prohibita in iure, vnde ſuſtentetur, & ieiunet, non tamen ea, quæ contrariantur ieiunio, vel ad illud frangendum alliciãt.

An fœmina grauida ad vincendas tentationes carnis cum periculo fœtus, poſſit ieiunare?

BRACTEA LI.

R. NEGATIVE: Ratio eſt, quia tale ieiunium eſſet contra charitatem proximi, nimirum in ruinam fœtus, cum probabiliter ex tali ieiunio præſumatur periculum ipſius. Tum etiam, quia aliter poteſt vincere tentationes carnis; Tum etiam, quia præciſo conſenſu non erunt peccaminoſæ. Et ita Homobonus de Bonis *in exam. Eccleſiaſtic. part.* 2. *tract.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 27. vbi contra Fernandez, qui affirmatiuam tenent ſententiam *in examin. Theolog. moralis part.* 4. *cap.* 22. §. 6. *num.* 1. ita ait, non eſt audiendus Fernandez, qui dicere auſus eſt, fœminam grauidam, quæ carnis ſtimulis ad incontinentiam laceſſentibus vrgetur, teneri etiam cum prolis, vel fœtus diſcrimine, & extinctione, ieiunare, ſi exiſtimat ſe eos non niſi abſtinentiæ macie, & debilitatione ſuperaturam; nam cum alia remedia, vt orationem, Sacramentorum frequentationem, & alia huiuſmodi adhibere poſſit, non debet tantæ iacturæ ipſam prolem exponere. Tum etiam, quia ſicut ad ſedandas tentationes, non debet quis ieiunare cum probabili periculo vitæ, ita nec etiam fœmina grauida debet ieiunare ad ſedandas tentationes cum probabili periculo abortus, quia ieiunando cum tali probabilitate poſitiuè concurrit ad mortem fœtus, vel ad abortum.

An ſartores, & barbitonſores, & ſutores excuſentur à ieiunio?

BRACTEA LII.

R. SARTORES, & barbitonſores non excuſari à ieiunio. Ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 43. Azorius *par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 27. *qu.* 8. Layman *in Theologia morali lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 206. & alii. Ratio eſt, quia eorum labor

labor cenſetur exiguus, & non ita defatigat corpus, vt poſſint excuſare a Ieiunio, quia iſtæ artes non ſunt nimis laborioſæ; & per conſequens in his exercendis eſt parcus corporis motus, parua virium reſolutio, quæ ad reſtaurationem ſubſtantiæ non requirit frequentem cibi ſumptionem, & ideò à Ieiunio non poſſunt excuſari. Secundò, ſutores ex communiori ſententia poſſe excuſari à Ieiunio, quia dicta ars videtur laborioſa. Ita Leſſius *lib.4.cap.2.dub 6.num.43.* Bonacina *de legibus diſp.vlt.quæſt.1.num.*10.& alii.

An Prædicatores, & Magiſtri, qui publicè alios docent, teneantur ad Ieiunium?

BRACTEA LIII.

R. Prædicatores tempore Quadrageſimæ excuſari à Ieiunio. Ratio eſt, quia tale munus cenſetur valde laborioſum, & maximè defatigat corpus, ideòque indigent cibo ad reſtaurandas vires, vt poſſint perſeuerare, alias etiam diebus excuſantur, ſi hoc munus non poſſint exercere ieiunando. Et ita Filiucius *tom.2 tract.27.par.2.cap.6.num.*154. Graffius *par.1 lib.2.cap.37.num* 54. Azorius *par.1.lib.7. cap.28.quæſt.*1. Nauarrus *cap.21 num* 16. Gabriel. *in 4. diſt 16 quæſt.3.art.*2. Reginaldus *tom.1.lib.4.cap.17.num.* 219. Ratio eſt, quia Ieiunium præcipitur, vt promotiuum ad bonum, & non impeditiuum maioris boni, & mens Eccleſiæ eſt ita ieiunia præcipere, vt alia pietatis opera, quæ pro loco, & tempore ſe offerunt, non impediant, etiamſi Prędicatores ex mercede concionentur. Ita apud Dianam *tract.9.de ieiunio reſolut.*11. Quod etiam dicendum eſt de Magiſtris, qui publicè alios docent, & de Confeſſariis, qui in aliquo die maximè defatigantur audiendo confeſſiones multò. tum.

An Aduocati, & Procuratores teneantur ieiunare?

BRACTEA LIV.

R. Ivxta alibi dicta regulariter obligari, verū ſi aliquando labor ſit ita exceſſiuus, vt patrocinando, diſputando, deambulando per Ciuitatem maximè defatigent corpus non obligari ad Ieiunium, vel etiamſi ita debiles ſint, vt ſufficienter ſtudere non poſſint, vt poſtea cauſis Clientum ſatisfaciant. Ita apud Dianam *loc citato reſolut.*12.

An Dominus poſſit vos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſunt operari ſine fractione Ieiunij?

BRACTEA LV.

R Negative; & ita obtinuit conſuetudo recepta ab omnibus timoratis, qui non propter Ieiunium ſubtrahunt ſeruis de labore, neque operarios dimittunt. Igitur non tenetur Dominus eum ſolum laborem ſeruis imponere, & eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſint ieiunare, ſed poterit eundem laborem ſeruis imponere, & operarios quoſcunque vocare, licet Ieiunium non ſint ſeruaturi. Ita Fernandez *in examine Theolog.mor.par.2.cap.*8. §.2. *num.* 15. Immò Facundez *præcep.4.lib.1.cap.6.num.6.* putat dominum poſſe conducere operarios pacto, vt non ieiunent eo die, quo ſuo labori incumbunt. Ratio, quia cum dicti operarij non teneantur vi præcepti Eccleſiæ ieiunare, nec etiam peccabit dominus id paciſcendo.

An inter Paſcha, et Pentecoſten ſit aliquod Ieiunium?

BRACTEA LVI.

R. Inter Paſcha, & Pentecoſten nullum eſſe ieiunium ex præcepto, excepta tamen vigilia Pentecoſtes; vnde Iſidorus *in cap poſt Paſcha diſt.76.* poſt Paſcha, inquit, vſque ad Pentecoſten traditio Eccleſiæ abſtinentiæ rigorem in prandijs relaxauit; & hoc in reuerentiam Reſurrectionis. Secundò, poſſe quempiam ex voto, aut deuotione his diebus Ieiunare; vnde idem Iſidorus. *Cap. poſt Paſcha. ſupra citato*, ſi quis Monachorum, vel Laicorum tempore Paſchali ieiunare capit, non prohibetur; & ita plures Sancti Patres antiqui his diebus in Heremo dicuntur abſtinuiſſe.

Sciendum antiquitus Ieiunijs adiungi eleemoſynas conſuetum fuiſſe, preces, & alia huiuſmodi pietatis officia: vnde *in cap ſolent de conſecrat. diſt.*1. ex Concilio Cabilonenſi dicitur, auditis Miſſarum ſolemniis, & veſpertinis officiis, & elargitis eleemoſynis cibum accedendum eſt; præterea diebus antiquis, diebus. Et Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum Chriſtiani Ieiunia ſeruabant, & deinde pernoctantes ad ſacras ædes conuenientes vigilias agebant; poſtea verò conſuetudine ſunt vigiliæ ſublatę, & Ieiunia remanſerunt, ac vigiliarum nomen ipſis Ieiuniis attributum eſt: conſuetudine quoque factum eſt, quod Ieiunia careant illis comitibus, quos antea habebant, nimirum precibus, & eleemoſynis, quorum veſtigia remanent etiam in aliquibus diebus, in quibus Chriſtiani ieiunando eleemoſynas faciunt, & preces particulares Deo fundunt.

Quæ ſit vtilitas Ieiunij?

BRCATEA LVII.

R. Ieivnii plures eſſe vtilitates: primò, pręſtat corpori bonam valetudinem arcēdo omne plenè genus morborum, nam omnes ferè morbi ex eo proueniunt, quod homo plus ingerat, quam natura poſſit rectè conficere, ac diſpenſare, & ſuperflua diſcutere: Ieiunium verò cauſam morborū tollit, nam facit, vt perfecta ſit concoctio, & facilè cōſumit, & diſcutit prima, ſecunda, vel tertia concoctione ſuperfluum, quod alioqui. iſtorum morborum eſt cauſa. Secundò, Ieiunium conducit ad laſciuiam corporis coercendam: vnde Ciprianus in Ieiuniis, inquit, vitiorum licentia ſicatur, petulantia marcet, concupiſcentis languet, fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur Æthnæ ardentis incendium: Ieiunium ſi diſcretione regatur omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat, & exornat. Tertiò, tentationes extinguit carnis, eamque ſpiritui ſubiicit, hæ enim ferè proueniunt ex humiditate, & caliditate, Ieiunium autem ſiccat, & refrigerat. Quartò, Ieiunium mentem ad Deum attollit, & euehit; vnde S. Ambroſius *lib. de Elia, & ieiunio cap.*8. Quid eſt Ieiunium, niſi ſubſtantia, & imago cęleſtis, continentiæ magiſterium, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, caſtigatio carnis, forma ſobrietatis, norma virtu-

virtutis, purificatio animæ, miſerationis expenſs, lenitatis inſtitutio, charitatis illecebræ, ſenectutis gratia, iuuentutis gloria, & cuſtodia: ieiunium denique eſt infirmitatis alleuamentum, alimentum ſalutis. Quintò, ſenſus externos, & internos euacuit, ac proinde etiam intellectum ſerenat, & ad omnes ſuas functiones aptiorem reddit, conſumptis enim humoribus, & vaporibus caput replentibus magna ſerenitas oritur menti, & facilitas ad ſtudia, ad orationem, meditationem, & rerum Diuinorum contemplationem. Sextò, animam ad Diuinas illius rationes, aliaqꝫ Chariſmata præparat, idque duplici ratione. Primò, quia mens in ſereno verſans aptior eſt à Deo tangi, & cęleſtia ſentire. Secundò, quia ſe à carnis ſolatiis auocantes merentur ſolatia ſpiritus. Septimò, flagella impendentia vertit, & pro peccati reatu ſatisfacit. Vnde Ambroſius Ieiunium, inquit, eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, purificatio animæ, reconciliationis ſacrificium, incrementum virtutis.

Sciendum peccata Ieiuniis deleri, & extingui, quia culpæ per charitatem, cuius ſtudio Ieiunia ſuſcipimus, expiãtur. Tum quia culpa Diuinæ gratiæ beneficio condonata pęnæ illi debitæ Ieiunio remittuntur, & cum peccati pœna perſoluitur, peccatum ipſum tolli, & aboleri dicitur, nam peccatorum pœnæ non rarò peccata in ſacris litteris nominantur. Secundò, Ieiunia, vel ſponte ſuſcepta, vel maiorum auctoritate inducta, vel Sacerdotis in ſacra confeſſione iniuncta, ſi ex charitate oriuntur peccatorum veniam promerentur; hoc eſt pœnas culpis ante dimiſſis debitas remittunt, & delent, Ieiunia etiamſi extra charitatem Dei fiant, peccatorum tamen veniam impetrare ſolent, quia nimirum impetrãt à Deo vel veram cordis pœnitentiam, vel idoneam ad ſalutatem Sacramentorum ſuſceptionem, quibus peccata abolentur, licet id impetrẽt miſeratione, & benignitate Dei, qui ſæpè pijs peccatorum operibus, & officijs, quamuis extra charitatem factis moueri, flecti, ac placari ſolet. Octauò, quæuis beneficia impetrat pręſertim orationi coniunctum. Nonò, eſt meritorium mercedis apud Deum, etiam vitæ æternæ.

An qui non ieiunauit die, in quo duplici titulo obligatur, teneatur hanc circunſtantiam aperire in confeſſione?

BRACTEA LVIII.

R. NEGATIVE; & ita Vaſquez *in 3. par. tom. 4. quæſt. 91. art. 1. dub. 4. num. 9.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 9. diſput. 15. num. 6.* Ratio eſt, quia licet ſint duo tituli obligantes ad Ieiunium, tamen malitia peccati, & tranſgreſſio cenſetur vna cum eodem motiuo ſint conditi, nimirum ſub motiuo temperantiæ; idcircò ſatis erit in confeſſione dicere ſe violaſſe Ieiunium. Verùm ſi præcepta eſſent condita ſub diſtincto motiuo, nimirum ſub motiuo Temperantiæ, & ſub motiuo Religionis, nimirum voti, teneretur aperire hanc circunſtantiam, ſe ſcilicet violaſſe ieiunium, ad quod tenetur ratione præcepti, & ratione voti, quia tunc tranſgreſſio cenſetur habere duas malitias, vnam contrà virtutem temperantiæ, & alteram contra virtutem Religionis.

An inordinatè appetere cibum, ſit peccatum?

BRACTEA LIX.

R. INORDINATE appetere cibum eſſe peccatum gulæ; & ita communiter omnes.

Sciendum crimen gulæ dupliciter accipi: primò generalius, vt etiam compræhendit inordinationem, quæ contingit in potu, & hoc modo diuiditur à quibuſdam in comeſſationem, & ebrietatem tamquam in ſpecies, quarum meminit Apoſtolus *ad Romanor. 13. non in comeſſationibus, & ebrietatibus, &c.* Secundò, ſtrictè, vt opponitur virtuti abſtinentiæ ſtrictè acceptæ; & hoc modo ſicut abſtinentia eſt virtus, quæ facit nos moderatè appetere, & vti cibo, & potu, ita gula eſt cibi, potuſque appetitus inordinatus, ſeu excedens rationis præſcriptum, quod fieri poteſt quinque modis indicatis hoc verſu

Præproperè, lautè, nimis ardenter ſtudioſè.

Quia exceſſus ſpectari potes, vel circa ipſum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa illius ſumptionem, circa cibum, vel ratione ſubſtantiæ eſt exceſſus, cum appetuntur cibi pretioſiores, quam conueniat ſtatui, & hoc inſinuatur per aduerbium *lautè*; ratione qualitatis, vt cum in condimentis, & ſtudio præparandi eſt exceſſus, & hoc indicat *ſtudioſè*: ratione quantitatis cum nimium comeditur, ideſt plus, quam natura requirat, qui modus eſt frequẽtiſſimus; circa ipſam ſumptionem poteſt eſſe exceſſus, vel ratione modi, vt ſi quis voraciter comedat, hoc ſignificat *ardenter*; vel ratione temporis debiti tempus præueniendo, vel etiam ſæpius, quam deceat comedendo, quod inducat *Præproperè*; differunt enim hæ inordinationes ſecundum D. Thomam ſpecie; vnde etiam diuerſæ in diuerſis reperiuntur, alii enim ſolũ peccant in pretioſitate ciborum, alii in qualitate, alii in quantitate, alii in voracitate, alii in crebritate ſedendi, & quia omnes iſtæ inordinationes ſunt contra virtutem abſtinentiæ, idcircò dicimus eſſe peccatum regulariter veniale. Ita Caietan. *verb. gula*, Nauar. *cap. 23. num. 119.* fieri autem mortale per accidens, vt infrà dicetur.

An poſſint aſſignari aliæ ſpecies peccati gulæ?

BRACTEA LX.

R. ILLAS ſolas eſſe ſpecies peccati gulæ, quæ conſtituuntur per circunſtantias inducentes diuerſas inordinationes oppoſitas virtuti abſtinentiæ: tales autem videntur ſolum quinque ſupradictæ, quia inordinatio, quam inducunt, non repugnat propriè alteri virtuti, quam abſtinentiæ; circunſtantiæ verò, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti non conſtituunt ſpeciem gulæ, ſed alterius vitii, ad quod illa ordinatio per ſe pertinet, ex. g. ex eo, quod cibus ſit nociuus, non cõſtituitur alia ſpecies gulæ, quia nocere naturæ ſuæ, non eſt contra virtutem abſtinentiæ, ſed contra charitatem ſui; vnde in vſu talis cibi non eſt alia inordinatio propria gulæ, quam quod cibus nimis ardenter appetatur, itaut ex eius affectu homo velit nocere valetudini.

An

An comedentes, vel bibentes abſque neceſſitate, ſed ob ſolam voluptatem, peccent ſolummodo venialiter?

BRACTEA LXI.

R. Esse ſolum peccatum veniale, dummodo ex tali comeſtione, &c. non ſequatur graue damnum. Ita Sanctius in ſelectis *diſp.2. nu.* 14. vbi hæc dicit deficiente nocumento corporis, & ſalutis comedere, vel bibere abſque neceſſitate ſolũ ob delectationem capiendam, ſcilicet ob frigiditatem potus, vel ſuauitatem cibi neutique contra rationem erit; ſed talis comeſtio, aut potio liberè fit, vt appetitus naturalis ſuis fruatur actibus. At velle delectare appetitum ſuis operationibus, quæ contra rationem non ſunt, nullatenus peccatum eſt; cum ſcelus repetite, ſit impoſſibile, niſi contra rationem tendat operans, nam ſi ob ſolum cibi delectationem peccatum gulæ committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatum etiam eſſet odorari res aromaticas ob ſolam delectationem capiendam boni odoris, & eſſet ſcelus res inſpicere pulchras ob ſolam delectationem, quam viſus in viſiōne capit, & eſſet crimen audire muſicam ob capiendam auditus delectationem. Quod tamen intelligendum eſt de peccato mortali, quia comedens, vel bibens abſque neceſſitate peccat venialiter, cum peccet abſq; cauſa contra virtutem abſtinentiæ.

An in quibus caſibus peccatum gulæ ſit mortale?

BRACTEA LXII.

R. PECCATVM gulæ eſſe mortale in pluribus caſibus: Primus eſt quando in delectatione cibi, & potus ponitur vitæ finis, vt cenſetur fieri ab iis, qui nihil quærunt aliud, quam edere, & bibere, ei delectationi poſtponentes Diuinam voluntatem, itaut locum habeat in eo illud Apoſtoli ad Philippenſes 3. *Quorum Deus venter eſt*. Secundus, quando ex appetitu cibi, & potus aliquis id agit, à quo abſtinere ex præcepto obligatur ex mortali, vt is, qui diebus vetitis veſcitur carnibus, aut in diebus ieiunij illud frangit, cum ſeruare poſſit, aut is, qui lautis, aut pretioſis cibis veſcendo contrahit debita, ſeque impotentem reddit ad ea ſoluenda, aut qui non ſuccurrit proximo grauem neceſſitatem patienti, aut qui ideò filias ſuas in ſtatu debito non collocat. Tertius, quando damnum notabile corpori infertur, vt cum quis cibi, & potus ſumptione grauiter offendit ſanitatem corporis, itẽ cum alteri cauſa eſt eiuſdem incommodi illum in talem finem ad edendum, & bibendum inducendo. Quartus, quando graue ſcandalum datur proximo: Quintus, quando cibus, & potus eſt contra naturã: ſic veſci carnibus humanis, aut ſanguinem humanum bibere, mortale peccatum eſſe docent communiter Theologi: Sextus caſus, quando ex cibi, aut potus ſumpti quantitate, & qualitate probabiliter timetur peccatum aliquod mortale committendum, & nihilominus non abſtinetur à ſumptione. Septimus, quando quis ob gulæ voluptates peccatum aliquod mortale committit, vt v. g. furatur, contractus iniquos facit, &c.

Qui ſint effectus gulæ?

BRACTEA LXIII.

R. PLVRES eſſe effectus: Primus, eſt hæbetudo mentis, vaporibus enim ex immodico vſu cibi, & potus cerebrum repletur, & animus patitur. Secundus, eſt inepta lætitia, quia mens hæbetata in voluptate illa fœlicitatem ponit, & exterius ſe effundit per ſigna lætitiæ. Tertius, eſt ſtultiloquium, quia mens dum nimis intenta voluptati ex potu, & cibi perceptæ non conſiderat quid ſit dicendum: Vnde fit, vt temerè dicatur quidquid venit in os. Quartus, eſt ſcurrilitas, quia ex inepta lætitia ſequitur, vt multa indecora, ac etiam turpia agantur, aut dicantur riſus mouendi gratia. Quintus, eſt immunditia, quia excesſus in cibo, & potu ſæpè parit vomitus, & alias fœdas ſuperfluorum excreationes.

Quæ remedia conſulenda à Confeſſario contra guloſum?

BRACTEA LXIV.

R. PLVRA eſſe remedia conſulenda; Primum, peccatum gulæ eſſe perniciem bonorum temporalium, & ſpiritualium, cum patefaciat in animam aditum vitijs omnibus, & intercludat virtutibus. Vnde Lucæ 21. Dominus dicit, *Attendite ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate;* Secundum, breuitas voluptatis, quæ ex hoc peccato percipitur, nec enim diutius durat quamquam dici edatur, & bibitur: Tertium, eſt multiplex fructus, quem profert contraria abſtinentia, ex qua quoad corpus prouenient ſanitas, vita longa alacritas, &c. quoad animam verò aptitudo ad orandum, contemplandum, ſtudijs vacandum, ad vitanda peccata, & ſectandas virtutes, &c. Quartum, eſt euitatio occaſionum huius vitij, nempè non conuerſate cum epulonibus, & temulentia, fugere comercia, in quibus modum ſeruare difficile eſt, præſertim in his, in quibus ſuperuacanei ſumptus fiunt in cibo, & potu, iuxtà illud Prouerbior. 23. *Noli eſſe in conuiuijs, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad comedendum conferunt*. Quintum, memoria felis, & aceti, quo Chriſtus in paſſione potatus eſt, & temperantiæ, qua ipſi diſcipuli vſi ſunt, atque Sancti illi Patres, qui putabant vitioſum cibo cocto veſci, vt D. Hieronymus in ſuis epiſtolis meminit. Sextum, eſt ſpectatio Cœnæ Cęleſtis, decet enim in huius mundi quaſi ientaculo ſobrios nos eſſe, vt in illam Cœnam admiſſi mereamur ſatiari ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis illius inebriari.

An ſi quis in die Veneris delectetur ſenſibiliter de eſu carnis mente concepto, peccet mortaliter, ac ſi eas re ipſa comederet?

BRACTEA LXV.

R. NEGATIVE, quia qui delectatur de rebus, poſitiuo ſolum præcepto, aut voluntario voto prohibitis, non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia præceptum poſitiuum humanum per ſe non prohibet actus internos, ſed ſolum externos; ergo

ergo etiam qui ſenſibiliter delectatur de comeſtione carnis in die Veneris, non peccat mortaliter. Ita plures citati apud Dianam *tract.* 5. Miſcel. *reſolut.* 5.

An aliquando licitum ſit veſci carne humana?

BRACTEA LXVI.

R. Ferinum, & peccatum mortale eſſe regulariter veſci carnibus humanis. Ita S. Thom. *quæſt.* 142. *artic.* 4. & alij. Ratio eſt, quia ordo naturæ poſtulat, vt aliquis veſcatur alimento ſecundum ſubſtantiam inferiore, ac indigniore, quod proinde tamquam ſui alendi cauſa conditum decerpere, vel occidere poſſit, vt ſunt iumenta, &c. repugnat ergo præſtantiæ humanæ naturæ corpore humano vti in alimentum. Tum etiam, quia eſt contra naturalem pietatem corporibus defunctorum debitam, quibus impendendum eſt officio ſepulturæ veſci carnibus humanis. Tum etiam, quia ſi eſſet licitum, humana carne veſci etiam eſſet licitum occidere hominem, quidquid enim in cibum conceſſum eſt, licitum eſt occidere, & præparare; ergo ſicut licitum occidere hominem viuum, ita neque eſt licitum comedere ipſum mortuum.

An ſaltem in extrema neceſſitate licitum ſit humana carne veſci?

BRACTEA LXVII.

PRima ſententia eſt negatiua. Et ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *pun.* 1. Azorius *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *quæſit.* 4. & alij. Ratio, quia id iuri naturali repugnat, ideoque intrinſecè, ac per ſe malum. Secunda ſententia affirmat in extrema neceſſitate poſſe veſci carne humana. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 148. *art.* 2. Abulenſis 4. *Regum cap.* 6. *quæſt.* 32. Nauar. *cap.* 23. *num.* 123 Toletus *cap.* 60. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. Em. Sà *verbo comedere num.* 1. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 18. *num.* 11.

R. Iuxtà ſecundam ſententiam licitum eſſe in extrema neceſſitate veſci carne humana. Ratio eſt, quia licitum eſt cauſa morbi vti carne humana in medicamentis, vt dicetur; ergo etiam licitum erit in extrema neceſſitate veſci carne humana. Secundò, licitum eſt haurire ſanguinem humanum ex vena adoleſcentis detractum cauſa conciliandi vigorem corpori ſenili, & propagandæ ſenectutis. Tum etiam, quia caro mortua eſt re inferior, & licitum eſt eam exponere feris, & auibus dilaniandam, quando viui ob ſua crimina id ſunt commeriti; ergo etiam in caſu neceſſitatis extremæ poteſt quis veſci carne humana.

Sciendum quædam abſolutè ſpectata eſſe quidem à natura hominis aliena, ſiue naturali iuri repugnantia, quæ tamen in extrema neceſſitate permiſſa ſunt, v. g. ſibi ipſi brachium abſcindere, vel, &c. ob ſanitatem totius corporis, & quemadmodum in his caſibus non fit iniuria humanæ naturæ, quando leuius nocumentum poſtponitur maiori nocumento, ita etiam quando in caſu extremæ neceſſitatis quis veſcitur carne humana, non facit iniuriam humanę naturæ, quando aſſumitur mortuus, vt alter à morte liberetur.

Quid ſit ebrietas?

BRACTEA LXVIII.

SCiendum ſobrietatem eſſe ordinatum appetitum, vſumque potionis vim inebriandi habentis. Ita S. Thomas *quæſt.* 149. *art.* 1. Ei aduerſatur ebrietas, quæ eſt exceſſus in potu inebriante voluptatis cauſa, donec vſus rationis adimatur. Secundò, ebrietatem dupliciter accipi: Primò, pro defectu vſus rationis nimio potu inducto; vnde dicitur quis ebrius, & ſic non eſt propriè peccatum, ſed peccati effectus. Secundò, pro ipſa potione, quę hunc defectum efficit, & ſic eſt peccatum. Vnde

R. Ebrietas eſt exceſſus in potando cauſa voluptatis vſque ad violentam vſus rationis priuationē, vel eſt violenta rationis priuatio ob nimium potum aſſumptum cauſa voluptatis. Dicitur primò in prima definitione exceſſus in potando, quia ſicut gula conſiſtit in exceſſu, in cibo, & in potu non inebriante, ita ebrietas in exceſſu vini, vel cuiuſuis alterius potus inebriantis. Secundò, dicitur cauſa voluptatis, ſi enim cauſa medicinæ, v. g. ob ſanitatis recuperationem ex præſcripto Medicorum, tunc non eſſet ebrietas, etiamſi vſque ad interceptam mentem ſumeretur, vt docet Caietanus *in ſum. verb. ebrietas*, Silueſter *verbo ieiunium quæſit.* 5. Nauar. *cap.* 23. *nu.* 119. & alij. Tertiò, dixi vſque ad violentam vius rationis, &c. dupliciter aufertur rationis vſus modo naturali, & violento, naturali per ſomnum, hic modus à natura eſt inſtitutus ad ſpirituum, & virium inſtaurationem, nam per quietem nulla fit diſſipatio, & copioſa nouorum ſpirituum generatio: Violentè aufertur quando tanta vaporum copia cerebrum implet, vt etiam in vigilia ratione vti non poſſet; quæ etiam poſſunt accommodari ſecundæ definitioni traditæ.

An ebrietas ſit peccatum iure naturali damnatum?

BRACTEA LXIX.

R. Ebrietatem eſſe iure naturali damnatam; Ratio eſt, quia abſolutè conſiderata eſt per ſe intrinſecè mala, & proinde contra rectam rationem, cum per ebrietatem vſus rationis eripiatur; ac proinde eſſet contra naturam hominis, ſicut ſobrietas eſt hominis naturæ conſentanea: Tum etiam, quia ebrietas conſiſtit ex immoderato potu ad voluptatem; at contra rectam rationem facit, qui immodicè bibit ad voluptatem. Secundò, non modo ebrietatem eſſe damnatam iure naturę, ſed etiam Iure Diuino, nam hanc lex æterna condemnat, quia cibum, & potum ad ordinem naturalem non niſi gratia conſeruandæ ſalutis admittit; & hinc efficitur, vt ebrius vſu rationis adempto, neque hominis officia obeat, neque quod bonum eſt, & æquum velit, aut præſtet; quo etiam fit, vt is quoque peccet, qui per ſe, vel per alios ebrietatem alicui verbo, aut facto molitur, aut parat.

Quale peccatum ſit ebrietas?

BRACTEA LXX.

R. Esse peccatum mortale; & ita Leſſius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 15. Filiucius *tract.* 30. *cap.* 1. *num.* 13. & alij ex S. Thoma *quæſt.* 150. *art.* 2. Ratio eſt, quia grauis deformitas cenſetur, magnumque malum abiecta rationis poteſtate, qua nihil in homine præſtantius ad Brutorum ſtoliditatem voluptatis gratia vltrò ſe adijcere. Tum etiam, quia ſe inebrians, priuat ſe violentè non ſolum vſu rationis, ſed etiam poteſtate propinqua vtendi; hoc autem cenſetur maximum malum, & grauis inordinatio, quia præcipuum bonum hominis, & quo à Brutis diſtinguitur, eſt poſſe vti ratione, & ſua omnia, hac regula dirigere. Tum etiam, quia ebrietas multa alia grauia mala ſecum trahit, ob quę meritò graue crimen cenſeri debeat; tollit enim memoriam, diſſoluit ſenſus, ſanguinem corrumpit, obtundit viſū, debilitat neruos, perturbat auditum, confundit intellectum, balbutit linguam, perturbat viſcera, totū corpus maculat, ſingula membra infringit, ſubſtantiam diſſipat, ſecretum aperit, luxuriam fouet, diſcordias ſuſcitat, corpus fœdum, imbecillum, & morbidum efficit, reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum non ſolum ad opera pietatis, ſed etiam ad ſtudia litteraria, ad polytica, ad mœchanica. Vltimò facit hominem beſtijs ſimilem, ac etiam viliorem: Vnde D. Auguſtinus *ſermone* 231. conſiderent ebrioſi, ſi peiores animalibus iudicandi ſint; cum enim animalia amplius, quam eis opus eſt bibere nolint, illi, & duplex amplius, & triplo, quam eis expedit potum accipiunt; & vnde trium, vel quatuor dierum refectionem poterant habere, vno die cum graui peccato contendunt perdere, potius quam expendere, & vtinam potum tantummodo perderent, & non etiam ipſi perirent; & D. Baſilius homilia in ebrietatem ait: Qua in re dic homo miſer à Brutis differs, non ne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepiſti reliquæ creaturæ factus Dominus, & Imperator: hac igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter beſtias ratione carentes numerari potes, & illis ſimilis videri.

Sciendum ebrietatem duplicem eſſe, vnam, qua homo priuatur omninò vſu rationis, & alteram, qua nimium quidem bibit, non tamen priuatur vſu rationis: prior ebrietas communi omnium Doctorum conſenſu eſt peccatum mortale, nam D. Paulus in 1. ad Corinthios *cap.* 6. Inter eos, qui regnum Dei non poſſidebunt, ponit ebrioſos. Tum etiam, quia vt conſtat, hominem per talem ebrietatem nulla vrgente cauſa ſeipſum afficere magno damno, nimirū priuatione vſus rationis, per quam Bruto ſimilis redditur, quod mortale eſt tamquam contrarium charitati, qua ſeipſum diligere tenetur; De poſteriori autem ebrietate communis doctrina eſt non eſſe plus, quam peccatum veniale; quod per accidens fiat mortale, nimirum in iis caſibus, in quibus peccatum gulæ fit mortale; & facilius, quā crapula, quia magis fouet alia vitia, quoniam venter mero æſtuans facilè deſpumat in libidinem; vbi enim ebrietas, ibi & libido dominatur, *Cap. venter, & cap. luxuriam diſt.* 35. Quapropter Apoſtolus ad Epheſios 5. ait, *Nolite inebriari vino*, in quo eſt luxuria, & *Prouerb.* 20. luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas.

An etiam ſit peccatum mortale alium inebriare?

BRACTEA LXXI.

R. Esse peccatum mortale inducere alterum ad ebrietatem. Ita Tabiena *verbo ebrietas nu.* 2. Angelus *verb. ebrietas* §.1. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 4. *num.* 6. Reginaldus *lib.* 32 *num.* 58 Ratio eſt, quia nunquam licitum eſt inducere aliquem ad rem intrinſecè malam, & quæ ita intrinſecè mala eſt, vt ſine peccato fieri non poſſit; ſed voluntaria ebrietas voluptatis cauſa ſuſcepta, ita intrinſecè mala eſt, vt ſine peccato fieri non poſſit; ergo, &c. concedo tamen cum Leſſio *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 33. ob bonum publicum licitum eſſe aliquem inebriare, quando nō poſſit alia ratione malum impediri, niſi inebriando auctorem, qui illud machinatur. Ratio eſt, quia ſicuti ebrietas cenſetur licita, ſi ordinetur ad ſalutē corporis prudentis Medici iudicio, quanto magis erit licita, ſi erit ordinata ad bonum publicum, v. g. ad detegendam aliquam proditionem, &c. Quod ſi dicatur non eſſe facienda mala, vt veniant bona; & per conſequens non licere aliquem inebriare ob bonum publicum, Reſpondeo in iſto caſu talem inebriationem non eſſe malam, ſed licitam, vt potè ordinatam ad bonum publicum.

An peccata per ebrietatem admiſſa culpæ tribuantur?

BRACTEA LXXII.

R. Cum diſtinctione, vel ebrietas eſt culpabilis, vel non. Secundò, vel malum inde ſecuturum poterat præuideri, vel non poterat; ſi ebrietas non eſt vllo modo voluntaria commiſſa in ebrietate, non ſunt peccata. Ratio, quia non ſunt voluntaria in ſe, nec in ebrietate, quæ ex hypotheſi fuit omninò inculpabilis, ob quam etiam cauſam nequeunt circumſtantiæ peccata cenſeri, cum non cenſeantur voluntariæ, nec in cauſa, nec in effectu. Ita D. Thomas *quæſt.* 150. *art.* 4. Caietan. *ibid.* Bonauentura *in* 2. *diſt.* 22. *art.* 2. *quæſt.* 3. Si verò ebrietas ſit aliquo modo culpabilis, & malum præuideri poterat, ſi quod ſequatur in ebrietatem, ad culpam imputabitur. Ratio, quia illud malum licet non ſit voluntarium in effectu, eo quod in ſtatu ebrietatis liberè, & voluntariè non fiat ob defectum vſus rationis, cenſetur tamen voluntarium in cauſa ex eo, quod cum fuerit præcognitum non ſit vſus qualibet diligentia ad ipſum præcauendum.

Sciendum fieri poſſe, vt ebrietas ſit mortifera, & malum ex ea ſecutum etiam grauiſſimum non imputetur ad culpam, vel ſi imputetur ſolum ad venialem, ſi malum nulla ratione præuideri poterat, quia quod nullo modo cognitum eſt, nec cognoſci potuit, adhibita morali diligentia nullo modo voluntarium eſt, ac proinde non peccatum, aut ſolum veniale; ſic à mortali excuſari poteſt homicidium in ebrietate commiſſum ab eo, cui nihil omninò occurrit, quod excitaret dubitationem, vel timorem talis mali ſibi euenturi ex ebrietate, vel ſi aliquatenus dubitauerit, aut timuerit cautionem adhibuit humano modo ſufficientem, ne quid tale contingeret; quando autem perfectè quis aduertit periculum mali, ſi hoc malum graue ſit, tenetur ſub peccato mortali vitare periculum. Vnde ſi hoc etiam per ſe ſit

peccatum mortiferum, ſicut eſt ebrietas in voluntate illa praua, qua periculum acceptat, vel non vitat, erit duplex malitia mortalis, altera quatenus terminatur expreſsè, vel implicitè ad ebrietatem, altera, vt reſpicit malum inde ſecuturum; quartum alteram habet ab ebrietate, vt per ſe ſpectatur, alteram ab eadem, vt eſt cauſa continens periculum alterius mali.

Ex quibus ſignis probetur ebrietas?

BRACTEA LXXIII.

R. Ebrietatem probari ex aſpectu. Baldus *in leg. ob qua vitia §. id autem.* Secundò, ſi factus ebrius non meminerit poſtridie, quid tunc dixerit, aut egerit, quomodo domum venerit, aut cubitum iuerit, à quo ductus ſit, vel adiutus. Tertiò, ſi ea commiſit, quæ mente ſanus nunquam ſolet, vt ſi turpia, & abſurda locutus ſit, cum alias caſtus ſit, & prudens; ſicque de alijs, quæ cum omninò inſolita ei fuerint, indicia ſunt rationis conſopitæ per imaginationis perturbationem ex vino prouenientem. Quartò, qui neſcit diſcernere inter bonum, & malum, licitum, & illicitum, vitare mala, & eligere bona, non videtur ebrius ; ebrietate primo modo accepta, ſed ſolùm ſecundo modo accepta, etiamſi verbo, vel opere oſtendat ineptam lætitiã, & cerebrum ſit turbatum, vt domus aliqua verti videatur, & ambulando titubet, & vertiginem patiatur; non tamen tantam, quin ſolita officia exequi poſſit, & ſi non ſine difficultate. Ita Caiet. *verbo ebrietas.*

An ebrius factus rationis impos, & peccata per ebrietatem faciens ſit immunis, & liber à pœna legis conſtituta in eos, qui illud crimen admiſerint?

BRACTEA LXXIV.

R. Qui factus eſt abſque vlla ſua culpa ebrius, ſi deinde peccata committat, liber, & immunis eſt à pœna debita peccatis. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 150. *art.* 4. Si verò ſua culpa in ebrietatem incurrit, dignus eſt venia non ex toto, ſed in parte, quia leuius eſt delictum per ebrietatem patratum, quam ſi ſcienter fieret, eo quod eſt minus voluntarium. Quod ſi afferatur illud Auguſtini *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 44. vbi ait Loth culpandum non quantum inceſtus, ſed quantum ebrietas meretur. Reſpondeo nolle aliud dicere quam id, quod Ariſtoteles *lib.* 3. *Ethicorum cap.* 5. ait, ebrijs duplices pœnas meritò eſſe irrogatas, & propter ebrietatem, & propter delicta per ebrietatem commiſſa, quę tamen delicta leuius puniuntur, quam ſi cum ſcientia patrarentur.

An contractus facti ab ebrio in ebrietate ſint validi?

BRACTEA LXXV.

R. Contractus factos in ebrietate non valere, vt matrimonium, venditionem, emptionem, &c. ebrius enim quando ebrius eſt, reputatur amens, atque ab amente facti contractus ſunt nulli. Vnde ſequitur eum, qui ab ebrio lucratur ludendo, aut dono aliquid accipit obligari ad reſtitutionem. Quod intelligendum eſt de ebrio primo modo dicto, qui omninò priuatus eſt vſu rationis, quia ſi erit ebrius ſecundo modo, quia adhuc habet rationis vſum contractus ab eo celebrati cenſentur validi, licet in foro exteriori diſſoluãtur, quia ebrioſis ſuccurri ſolet per miſericordiam iuris, quod nihilominus impunitam non derelinquit ebrietatem.

An ſit peccatum prouocare aliquem ad bibendum ad æquales calices?

BRACTEA LXXVI.

R. Prouocationem ad bibendum eſſe peccatum mortale, ſi fiat animo ſe, vel alterum inebriandi, vel ſi prouocans facilè aduertat prouocatum inebriari, niſi fortè aliqua iuſta cauſa excuſet. Ratio, quia inebriare ſe ipſum directa, vel indirecta voluntate eſt peccatum mortiferum, ſicut etiam inebriare alterum, & quia plerunque vbi tales prouocationes, & certamina potandi fiunt, ſequitur ebrietas, & alia peccata non leuia, ideò grauiſſimè conſuetudo à Sanctis Patribus reprehenditur, cum reſonet, quid alienum à ratione, & in moribus turpe, nam regula bibendi ſtatuitur, non ratio, non neceſſitas naturæ, non bona valetudo, non animi vigor, aut ſenſuum alacritas, ſed venter alterius, vel tota ventris, viſcerum, & venarum capacitas. Dixi, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet, quia poſita iuſta cauſa poteſt quis alterum prouocare ad bibẽdum cum periculo ebrietatis vtriuſque, vt v.g. ſi ita conſuetudo poſtulet, &c. Caueant tamen Clerici, ne id faciant, cum illis ſit prohibitum crapulis, & ebrietatibus incumbere, nam *in cap. Epiſcopus diſt.* 35. præcipitur, vt Epiſcopus, aut Præsbyter, aut Diaconus ebrietati ſeruiens deponatur, cęteri communione priuentur, & ex Concilio Agatenſi *diſt.* 35. *cap. vlt.* habetur, vt is, quem conſtiterit ebrium fuiſſe ſpatio triginta dierum à communione ſummoueatur, aut tradatur ſupplicio, quæ pęna alternatiuè imponebatur, non vt electio eſſet penes ſuperiorem, ſed pro perſonæ qualitate; hodie verò ab officio, & beneficio ſuſpendendus eſt, ſi monitus à Superiore ſe non abſtinuerit, vel qui alios ad ebrietatem incitant, vel ad æquales hauſtus ſe obligant, niſi admoniti emendauerint, ſuſpendantur ab officio, vel beneficio; quas pœnas, & alia huiuſmodi Pontificibus, aut ſacris Concilijs conſtitutas Concilium Tridentinum *ſeſſ* 22. *cap.* 1. *de reformat.* præcipit ad vſum reuocari ab Ordinarijs, ac etiam maiores imponi.

An ſi ebrius in ebrietate committat homicidium, ſiat irregularis?

BRACTEA LXXVII.

R. Ebrium, qui aliquod delictum commiſit ſub cenſura vetitum in ebrietate, modò pręuiderit delictum ſecuturum, illudque noluerit præcauere incurrere cenſuram. Ratio, quia ad incurrendam cenſuram nihil aliud requiritur, quam peccatum, & factum ipſum ſub cenſura prohibitum; ſed iſte peccauit, quãdo ante ebrietatẽ præuidit delictum ſecuturum tempore ebrietatis, & nihil aliud deerat ad incurrendam cenſuram præter factum ſub cenſura prohibitum; ergo poſito tali facto incurrit

cenſuram. Secus dicendum eſt, ſi ante ebrietatem vlus ſit diligentia, ne ſequeretur tale delictum, ob quod impoſita eſt cenſura. Ita Bonacina *diſput. 1. de cenſuris quæſt.1.pun.4.num.*8.& alij citati ab ipſo. Secundò eum, qui abſque culpa ſua in ebrietatem inciderit irregularem non fieri, quãuis aliquẽ occidat; & ita omnes conueniunt, vt ait Couarruuias *in Clement. ſi furioſus par.3.* ſed dubium eſt de eo, qui ſponte ſua factus eſt ebrius, an in Irregularitatem incurrat, ſi aliquem occiderit, quamuis arma ſumere, & alios lędere non conſueuerit. Prima opinio affirmat; & ita Couarun. *loco citato*, Ricardus *in 4 diſt.15.tract.3.quæſt.* 7. Silueſter *verbo homicidium 3. quæſt.* 4. Roſella *verbo homicidium 4.num.*5. Armilla *verbo irregularitas num.* 8. & alii. Ratio eſt, eo quod dat operam rei illicitæ, & periculoſæ. Secunda negat ex eo, quod *in Clement. ſi furioſus de homicid.* habetur furioſum non contrahere irregularitatem, etiamſi alterum per amentiam occiderit, & culpa ſua in amentiam deuenerit; circa quas Azorius *lib.7.cap.33.quæſt.5.* ſic ait, reuera in iudicio magis primæ opinioni ſtandum exiſtimo; ac in foro conſcientiæ ſecunda ſententia probabilior mihi videtur, nam Iudices cum videant ebrium non excipi *in Clementina ſi furioſus*, & rei illicitæ, ac periculoſæ operam dare vtique iudicabunt eum irregularem eſſe: at in foro conſcientiæ eadem videtur eſſe ratio de ebrio, ac de amente; ergo ſi amens rationis impos, quamuis ſua culpa in amentiam incurrerit, irregularis non fit, ſi alterum occidat, conſequens eſt, vt nec ebrius irregularitatem contrahat.

MALLEATIO III.

De præcepto confitendi.

An extet in Eccleſia præceptum confitendi?

BRACTEA I.

R. Extare in Eccleſia præceptum confitendi ſemel in anno; & ita colligitur *in cap. omnis vtriuſque de pœnitent. & remiſſ.* editum in Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio VIII. vt quicunque eſt, ſiuè vir, ſiuè fœmina Chriſti fidem, & Religionem profeſſus, vſus rationis compos effectus omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat totis viribus implere. Qui modus loquendi indicat præceptum, & non conſilium tantum, vt quidam rati ſunt ſolùm conſilium dari, non præceptum, & pęnam eo capite conſtitutam, videlicet alioqui, & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ coerceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura, irrogari iis, qui in Paſchate Euchariſtiam non ſuſcipiunt, non autem his, qui ſemel ſua peccata in anno non confitentur; & ita Durandus *in 4.diſt.17.quæſt.24.* dicit tantum eſſe conſilium, non præceptum, vt ſemel quot annis peccata confiteamur: tamen eſſe communem ſententiam Doctorum non eſſe conſilium, ſed præceptum confitendi ſemel in anno. Ita S. Thomas *in 4.diſt.17. quæſt.3. art.1.* & alii communiter. Patet etiam ex communi doctrina Eccleſiæ; vnde inter eius præcepta numeratur cõfeſſio annua, & pueri antequam communicent, ex obligatione confitentur ſemel in anno ſaltem. Tũ etiam quia qui excuſaretur à precepto communionis, non excuſaretur à confeſſione, cum ſit præceptũ diſtinctũ a cõmunione. Secũdò, hoc pręceptũ nõ eſſe merè Eccleſiaſticum, ſed Diuinum, modificatum ab Eccleſia, nam ſubſtantia illius præcepti eſt iuris Diuini; circunſtantia autem confitendi ſemel in anno eſt Eccleſiaſtica, vt patet ex Tridentino *cap.5.* vbi declarat Eccleſiam non ſtatuiſſe confeſſionem, quia iam iure Diuino inſtitutam eſſe ſciebat; ſed quia Chriſtus dans confitendi præceptum non aſſignauit tempus, ſed illud reliquit Eccleſiæ determinandum; idcircò Eccleſia determinauit, vt præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis fidelibus, cum ad annos diſcretionis peruenissent, impleretur; ratio autem, quæ mouit Eccleſiam, vt hanc determinationem faceret, ſub grauiſſima pœna fuit non quidem periculum obliuionis peccatorum, ſed vt tam neceſſarius, & ſalutaris vſus confeſſionis conſeruaretur, & frequentius vſurpetur à fidelibus.

An tale præceptum poſſit abrogari?

BRACTEA II.

R. Qvatenvs pendet à iure Diuino, non poteſt abrogari, vel diſpenſari. Ratio, quia eſt ius Diuinum, quod nullus poteſt abrogare, & in quo nullus etiam poteſt diſpenſare, cum inferior non poſſit diſpenſare in lege Superioris. Neque obſtat, quod Eccleſia diſpenſet in voto, matrimonio, & ſimilibus, quæ ſunt de iure Diuino, quia talis diſpenſatio non cenſetur propriè diſpenſatio, ſed potius abſolutio vinculi contracti humana voluntate manente integro iure Diuino. Tum etiam quia licet Eccleſia in aliquo caſu poſſit interpretari ius Diuinum, non tamen poteſt in iſto, quia hoc eſt de re ſimpliciter neceſſaria, in qua non diſpenſat, vt patet in ſimilibus, v.g. Baptiſmo, &c. Tum quia nunquam poteſt eſſe expediens talis diſpenſatio. Secundò, quatenus pendet à iure Eccleſiaſtico, poteſt abrogari, & diſpenſari. Et ita Suarez *diſput.36.ſect.1.num.* 5. Ratio, quia hoc pacto pendet præceptum à voluntate Legiſlatoris, vel ſucceſſoris eius habentis æqualem poteſtatem, qualem habet Summus Pontifex.

Sciendum ad hoc, vt licitè fiat talis abrogatio requiri iuſtam cauſam. Ratio, quia in lege nullus licitè poteſt diſpenſare, niſi poſita iuſta cauſa. Tum quia poteſtas data eſt in ædificationem, & non in deſtructionem. Verùm ſi Papa eam abrogaret ſine cauſa, quamuis peccaret id faciens ſine iuſta cauſa, valida tamen eſſet abrogatio, ſicut & diſpenſatio, quam alicui daret, vt poſſit vltra annum confeſſionem differre; Princeps enim poteſt, quem vult à ſua lege eximere, quantumuis peccet eximens ſine iuſta cauſa, qualis moraliter loquendo vix eſſe poteſt reſpectu annuæ confeſſionis. Vnde fit, vt vix vnquam talis diſpenſatio, vel petatur, vel concedatur, vtpotè quæ abſurda, & à ratione aliena videatur, cum tàm communis noſtra neceſſitas, quam adeò ſalutaris vſus confeſſionis ſuadeat non modò ſemel in anno, ſed etiam ſæpius vt in menſe, ac interdum in hebdomada ſemel confiteri. Suarez *tom. 4.diſput.36 ſect.1.num.6.7.* & 8. Reginaldus *lib.6.cap.2.num.20.*

An præceptum confeſſionis obliget in aliqua determinata parte anni?

BRACTEA III.

R. Præceptvm confeſſionis cum ſit affirmatiuum, non pro omni, ſed pro determinato tempore obligare, neque obligat ſtatim poſt

com-

commiſſum peccatum. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 3. num. 8.* Supplementum S. Thomæ *quæſt 6 art. 5* Paludanus *in 4 diſt. 17. quæſt. 2.* Adrianus *in 4. de confeſſ. §. 3. inquirendum eſt*; & ideò ſatisfacit præcepto, qui ſemel in anno confitetur, licet conſuetudine introductum ſit, vt omnes confiteantur tempore Paſchatis, quo tempore fideles non modo ſolent ſatisfacere præcepto communionis, ſed etiam præcepto confeſſionis. Secundò, obligat tale præceptum confeſſionis pro eo tempore, in quo adeſt veriſimilis articulus, vel periculum mortis, & illud cenſetur periculum, & articulus, in quo frequenter ſolet mors contingere, & probabili ſuſpicione viri prudentis iudicio timetur. Ratio eſt, quia præceptum Diuinum confeſſionis, ſi vnquam obligat, certè obligat in probabili mortis periculo, quando ſcilicet talis ſuperuenit caſus, in quo mors ſequi conſueuit; quilibet enim tenetur præcauere periculum ſuæ damnationis, & ſuæ magnæ neceſſitati conſulere. Vnde quando quis ſuſcipit periculoſas nauigationes, tenetur ad confeſſionem, ſicuti etiam tenentur milites, quando inſtat prælium periculoſum, quia tunc imminet probabile periculum mortis. Sotus *diſt. 18. quæſt. 1. art. 4.* Reginaldus *lib. 2. num. 22.* tenetur etiam fœmina, quæ primò paritura eſt, aut quæ experta eſt iam partum ſibi difficilem, & periculoſum. Obligantur etiam Infirmi acuta, & graui febre laborantes; hinc facta eſt ab Eccleſia conſtitutio, quæ habetur *in cap. cum infirmitas de pœnit. & remiſſion.* renouata à Pio V. anno Dñi 1566. quæ incipit *ſuper gregem*, vt cũ Medici vocantur ad curãdos ęgrotos, priuſquam curationem corporis incipiant, eos moneant de peccatorum confeſſione facienda, neque poſt tertium diem illos viſitent, niſi de illorum confeſſione eis conſtet per ſidem Confeſſarij datam in ſcriptis. Tenetur etiam ad confeſſionem damnatus à Iudice ad mortem, quia exiſtit in probabili periculo mortis per ſententiam datam, & tenetur propriæ ſaluti conſulere.

Sciendum multa eſſe tempora, in quibus præceptum confeſſionis per accidens obligat, quia nimirum aliquod aliud præceptum vrget illius impletionem. Primò, cum quis in conſcientia iudicat teneri ſe certo tempore confiteri, quia tunc omittere non poteſt confeſſionem ſine peccato, quia omittendo ipſam faceret contra propriam conſcientiam in materia graui iuxta Apoſtolum ad Romanos 14. *Omne, quod non eſt ex fide*, ideſt quod contra propriam conſcientiam *fit, peccatum eſt*, quia ibi fides pro propria perſuaſione accipitur. Secundus caſus eſt, cum quis ex voto, aut iuramento, quo ſe aſtrinxit, vel ex pœnitentia à Confeſſario legitimè impoſita tenetur aliquo tempore confiteri. Tertius caſus eſt, quum quis eſt ſumpturus Sacramentum Euchariſtiæ, cum ad illius ſumptionem præter contritionem requiratur confeſſio Sacramentalis peccatorum mortalium, quorum ſibi conſcius fuerit is, qui illud ſumpturus eſt, dummodo non detur aliqua iuſta cauſa excuſans.

An præceptum Diuinum confeſſionis obliget extra mortis periculum?

BRACTEA IV.

R. IVXTA Suarez *loco citato* confeſſionis præceptum, etiam extra mortis articulum obligare, quia pœnitentiæ Sacramentum non eſt inſtitutum peculiariter eo fine, vt homo iam tranſiturus ex hac vita vltimò diſponatur, ſed vt curentur eius ſpirituales morbi, & præſcindantur occaſiones incidendi in ſimiles; & ideò probabiliter credi poteſt præceptum confeſſionis iure Diuino etiam extra mortis periculum obligare; ideò frequenter confiteri eſt optimum, & vtiliſſimum remedium aduerſus tentationes, quoniam per confeſſionem ritè factam anima pondere peccatorum exoneratur, & Diuinæ gratiæ habitu tecta roboratur, & valentior redditur ad ſpiritualem pugnam; & ideò ſi reuera hic, & nunc aliquis exiſtimaret confeſſionem eſſe neceſſariam ad vincendam tentationem, & periculũ peccandi mortaliter, obligaretur ad confeſſionem, non quidem ex præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis, ſed ex pręcepto, quo homo tenetur vitare peccatum illud, de quo tẽtatur cum lapſus periculo; & ſicut præceptum obligat ad vitationem peccati, ita etiam obligat ad media neceſſaria ad illud vitandum; & ideò omittendo confeſſionem in eo caſu mortaliter peccaret, nõ quidem tranſgreſſione præcepti Diuini de confeſſione, ſed alterius per quod prohibetur peccatum illud, cui probabili periculo quis exponit ſe per eam omiſſionem.

An is, qui ſuccumbens tentationi, lapſus eſt in peccatum, teneatur quamprimum confiteri?

BRACTEA V.

R. OPTIMVM conſilium eſſe, vt ſtatim ac quis lapſus eſt in peccatum mortale, de eo confiteatur ob innumera damna, quæ ipſum ſecũ affert: tamen non obligari præcepto ſtatim, ac peccauit confiteri, etiamſi habeat copiam Confeſſarij, quia Clementiſſimus Dominus præceptum quidem impoſuit confitendi, illud tamen non limitauit ſtatim, ac quis peccauit, ſed extendit ipſum pro tempore huius vitæ, & Eccleſia illud limitauit ſemel in anno; nec refert, & ſi periculum ſit peccata obliuiſcendi, quia ius Eccleſiaſticum non aſtringit ad ſæpius, quam ad ſemel in anno confitendum. Tum etiam quia alioquin peccatoribus, qui obliuioſi ſunt difficilis obligatio incumbet, vel ſæpius in anno confitendi, vel peccata ſua ſcripto conſignandi, quorum neutrum ex iure Diuino, immo neque Eccleſiaſtico oſtendi poteſt, vti docet Nauarrus *cap. 21. num. 75.* Gregorius de Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 9 pun. 4.* Suarez *diſput. 35. ſect. 3. num. 6.* Coninchus *diſput. 5. dub. 2.* & alij.

An qui nullius eſt peccati læthalis, aut venialis conſcius, debeat ſemel quot annis confiteri?

BRACTEA VI.

R. QVI non eſt conſcius alicuius peccati mortalis, aut venialis non obligatur in Paſchate confiteri. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1.* Sotus *ibidem quæſt. 1. art. 3.* Durandus *quæſt. 9.* Maior. *quæſt. 2.* & alij. Ratio, quia præceptum Eccleſiæ habet: *Omnis fidelis omnia ſua peccata confiteatur*; ergo qui nullo peccato, tenetur confeſſionis præcepto non obligatur; nam vbi tota præcepti, & legis materia, & ſubſtantia deeſt nulla vis, aut auctoritas legis locum habet. Secundò, qui ſolùm peccata venialis habet non tenetur vi præcepti confeſſionem facere, quia vt ſupra dictum fuit præceptum confitendi quoad ſub-

ſtantiam eſt iure Diuino; quoad determinationem verò temporis de iure Eccleſiaſtico; ergo Eccleſia hanc legem indixit de ea confeſſione, quam iure Diuino alioqui facere debemus: at is, qui habet ſolùm peccata venialia non tenetur ea confiteri iure Diuino; ergo nec eorum annuam confeſſionem facere hac lege compellitur; & ita S. Thomas, Scotus, Durandus, Maior *in 4. diſt. 17.*

An Eccleſia poſſit directè, & per ſe iubere confeſſionem peccatorum venialium?

BRACTEA VII.

PRIMA ſententia eſt Soti opinionem refutantis, S. Bonauenturæ, & Ricardi *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 3.* qui videntur aſſerere non poſſe Eccleſiam Sacramenti materiam nouam facere, & mutare veterem à Christo Domino conſtitutam, ſed veniale peccatum, quamuis ſit apta, idonea, & legitima confeſſionis materia, non eſt tamen neceſſaria, ſed voluntaria, cum poſſimus ſponte, & liberè venialia confiteri, neque enim huiuſmodi peccata ſunt neceſſariò confeſſioni ſubiecta, quæ quiſque poteſt in ſacra confeſſione reticere; ergo Eccleſia non poteſt præcipere, vt ea confiteamur, nam eo ipſo mutaret materiam, quia neceſſariò ea ſubijceret Sacramento; quam ſententiam etiam ante Sotum tenuerunt Paludanus *in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art 4.* S. Antoninus *3. par. tit. 9. cap. 13. §. 14.* Sed

R. Cum Silueſtero *verbo confeſſio 1. quæſt. 13.* Caietanus *opuſc. tom. 1. tract. 5. quæſt. 1.* Nauar. *de pœnit. diſt. 6. cap. placuit num. 110.* poſſe ratio, quia quilque poteſt vouere peccatorum venialium cõfeſſionem; ergo etiam Eccleſia poteſt eam iubere, cum præceptum dare poſſit de eo, quod quis poteſt vouere. Tum etiam quia venialium confeſſio eſt opus, & officium virtutis ad ſalutem animæ; ergo etiam Eccleſia poteſt id iubere, cum poſſit præcipere illud, quod ordinatur ad ſalutem animæ. Non tamen ſequeretur ex hoc, quod Eccleſia mutaret materiam confeſſionis, quia non ſequeretur, quod iure Diuino peccatum veniale eſſet materia neceſſaria confeſſionis, cum adhuc etiam poſſit deleri extra confeſſionem. Ita Azorius *lib. 7. cap. 39. quæſit. 14.*

Qua ratione computandus eſt annus, quando præcipitur, vt confeſſio fiat ſemel in anno?

BRACTEA VIII.

R. IVXTA communiorem ſententiam annum computandum eſſe ab vno Paſchate ad ſequens Paſcha, quamuis annus prophanus incipiat à die primo Ianuarij: attamen annus præfixus ad iſtius præcepti obſeruationem ex communi vſu, & praxi videtur incohandus ab vno Paſchate vſque ad ſequens Paſcha, ſeu ab vna Quadrageſima ad aliam Quadrageſimam. Ita Silueſter *verb. confeſſio 1. num. 2.* Suarez *diſp. 36. ſect. 3. num. 8.* Reginald. *lib. 6. cap. 2. num. 35. & 36.* & alij. Nec refert, quod talis modus non conſtet ex verbis præcepti Eccleſiaſtici, quia conſuetudo Eccleſiæ eſt optima legis Eccleſiaſticæ interpres; neque refert etiam, quod cum tempus Paſchæ mobile ſit, fiat, vt inter vnam, & aliam confeſſionem interdum intercedant tredecim menſes, interdum vndecim tantum, quia quamuis id ſit contra conſuetudinem anni vulgaris, non eſt tamen contra rationem anni Eccleſiaſtici, ſeu quem Eccleſiaſtica conſuetudo induxit & ſeruat legitimè. Hinc ſequitur, eum, qui in Natiuitate Domini, aut alio die confitetur ſatisfacere præcepto annuæ confeſſionis, nec poſteà teneri ex vi iſtius Præcepti in Quadrageſima, aut in diebus Paſchalis confiteri, cum iam adimpleuerit præceptum; fieri tamen poteſt, vt alio titulo teneatur confiteri, vt ſi ſuſcepturus ſit Euchariſtiam, & aduertat ſe conſcientiam habere læthalis culpæ, aut conſtituatur in ſmiculo, ſiue periculo mortis. Ita Nauar. *cap. 2. num 9.* Medina *de confeſſ. quæſt. 14.* Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 9. pun. 4.* Reginaldus *loco cit. num. 33.* & alij.

An præceptum impleatur per confeſſionem nullam, aut informem?

BRACTEA IX.

R. PRÆCEPTVM non adimpleri per confeſſionem nullam, ſiue ſit nulla ex parte pœnitentis, quia vel non habuit dolorem ſufficientem, vel quia defecit in integritate, ſiue ſit nulla ex parte Confeſſarij, etiamſi poſſit Pœnitens excuſari propter ignorantiam, quia tamen reuera non implet præceptum, ideò tenetur, cum reuera ſciuerit curare perfectionem illius adeundo Confeſſarium, cui confeſſus eſt peccata, vt perficiat, ſi poteſt, vel ſi non poteſt iterum confiteatur. Secundò, impleri præceptum per confeſſionem informem. Ita Sotus *diſt. 18. quæſt. 3. art. 2.* Henriquez *lib. 1. de pœnit. cap. 3.* & alij. Ratio, quia hoc ipſo, quod confeſſio valida eſt, impletur præceptum, quoad ſubſtantiam: finis autem, qui eſt gratia non cadit ſub præceptum. Secus verò dicendum eſſet ſi confeſſio eſſet informis ob culpam Pœnitentis, quia tunc confeſſio non modo eſſet informis, ſed ea etiam inualida; & per conſequens non adimpleretur præceptum.

An præceptum annuæ confeſſionis ſit datum cauſa Euchariſtiæ ſuſcipiendæ, an verò ob ipſius Sacræ Confeſſionis cultum, & venerationem?

BRACTEA X.

R. PRÆCEPTVM Confeſſionis abſolutè eſſe datum, nimirum ob venerationem, & cultum ipſius Sacramenti. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. artic. 1.* Bonauentura *in 4 diſt. 17. pun. 11. quæſt. 1.* & alij: nam *in cap. omnis vtriuſque ſexus* vtrumque præcipitur, & vt quiſque ſemel in anno confiteatur, & vt in Paſchate Euchariſtiam ſumat, nam ſi annua Confeſſio præciperetur ratione Euchariſtiæ, præceptum non daretur ſimpliciter de confitendo in anno: ſed de Confeſſione facienda, quo tempore Euchariſtia nobis eſt Eccleſiæ lege ſumenda; quo fit, vt vtrumque præceptum per ſe ſeorſum aliquando violetur, ſi quis enim ſemel in anno eſt confeſſus, & deinde læthalis culpæ conſcius in Paſchate Euchariſtiam percipiat, peccat ipſam percipiendo, & tamen ſatisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, cum alioquin eo anno fuerit integrè, & legitimè confeſſus. Item, qui facta annua Confeſſione Euchariſtiam in Paſchate non percipit præceptum Euchariſtiæ negligit, non autem Confeſſionis. Tum etiam, quia ſi præceptum annuæ Confeſſionis eſſet in ordine ad

Eucha-

Euchariſtiam ſumendam ſequeretur eos, qui defectu ætatis non ſunt obligati ad ipſam percipiendam, nec etiam obligari ad præceptum annuæ Confeſſionis: ſed hoc eſt falſum; ergo ſequitur præceptum annuæ Confeſſionis eſſe abſolutum, & non in ordine ad præceptum Communionis. Ita ex Azorio *lib. 7. cap. 39. quæſit. 9.*

An Monachi obligentur tantum confiteri ſemel in anno?

BRACTEA XI.

R. Monachos D. Benedicti ſingulis menſibus debere confiteri. Ita colligitur *ex Clement. ne in agro Dominico §. ſanè de ſtatu Monachorum*. Quod intelligendum eſt non modo de Monachis cuiuſcunque Congregationis S. Benedicti, verum etiam de Monialibus, quoniam perfectionis vitæ genus profitentur, & idcircò arctiori quoque viuendi regula, & norma ſunt alligatæ, etiamſi conſcientiam habeant ſolum peccatorum venialiũ, quia vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & licet laici non teneantur præcepto annuæ Confeſſionis habentes ſolum peccata venialia, tamẽ Monaci tenentur, cum vt ſupra dictum fuit, alligati ſint norma viuendi, & regula arctiori, & niſi aliqua iuſta cauſa excuſet, peccant mortaliter tranſgredientea. Ita Nauarr. *de pœnit. diſt. 6. cap. placuit num. 122.* Caietan. *in opuſcul. tom. 1. tract. 5. quæſt. 1.* Et ſicuti qui voueret peccata venialia ſe confeſſurum ter, vel quater in anno, eiuſmodi votum eum grauiter alligaret, ita in hac parte præceptum Eccleſiæ, quod non eſt minoris vinculi, quam votum propria voluntate ſuſceptum.

An præcepto confitendi ſatisfiat per confeſſionem imperfectam?

BRACTEA XII.

R. Nec iure Diuino, nec humano ſatisfieri præcepto Confeſſionis annuæ per Confeſſionem imperfectam dedita opera, aut per negligentiam, ſeu ignorantiam affectatam. Ratio, quia nec talis facit, nec facere curat quod Chriſtus inſtituit, & quod ſecundum Chriſti intentionem Eccleſia quotannis fieri præcipit, nam vt colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap 5.* ex Chriſti inſtitutione oportet à Pœnitentibus peccata omnia mortalia recenſeri; & ideò Confeſſionem imperfectam facientes non ſatisfaciunt præcepto, ſi ex malitia peccata taceant. Ita Nauar. *cap. 10. num 4.* Coninch. *diſp 5. dub. 9. num. 70.* & alij. Secundò, enim, qui pari modo imperfectam facit Confeſſionem per ignorantiam craſſam, non ſatisfacere præcepto Diuino. Ratio eſt, quia non facit quoad Chriſtus inſtituit, nec excuſatur per ignorantiam, cum adhibita morali diligentia illam vincere potuerit. An autem ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico. Reſpondeo negatiuè, cum ſua culpa nòn fecerit Confeſſionem perfectam, cum non fecerit examen conſcientię neceſſarium. Tertiò, per Confeſſionem imperfectam ex defectu integræ declarationis peccatorum, ſi proueniat ex obliuione, ſeu inaduertentia naturali, impleri pręceptum confitendi, ſiue Diuinum, ſiue Eccleſiaſticum, licet peccata oblita, ſi eorum reminiſcatur, debeat poſtea confiteri ſecundum ſpecies, & circunſtantias.

An ſatisfiat præcepto non accepta abſolutione?

BRACTEA XIII.

R. Pœnitentem, qui ſua culpa à Confeſſario non abſoluitur, non ſatisfacere pręcepto annuę Confeſſionis. Ratio eſt, quia iſte verè, & realiter non confitetur, & per conſequẽs neque implet Eccleſiæ pręceptum: Secus verò dicendum ſi non ſua culpa non abſoluatur, ſed quia diſtulit Confeſſionem de Confeſſarij conſilio ob rationabilem cauſam, vel quia facit Confeſſionem generalem, vel, &c. quia conſilium Confeſſarij excuſat à violatione præcepti, licet non liberet ab obligatione illud implendi quamprimum commodè poterit.

Quo tempore facienda eſſet Confeſſio ex præcepto, ſi Eccleſia tempus non determinaſſet?

BRACTEA XIV.

R. Faciendam eſſe iuxtà prudentis viri iudicium, quatenus Confeſſio non diceretur nimium differri: nimium autem differri videretur, ſi vltra quatuor, vel quinque annos differretur. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 3. num. 4.* & alij. Ex quo ſequitur præceptum Confeſſionis ex vi ſua non ſolum obligare in articulo mortis, verum etiam aliquoties extra mortis periculum. Ratio, quia Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt ad ſalutem animæ, vt curentur morbi ipſius ſpirituales, curam autem morborum animæ non ſolum neceſſariam eſſe etiam in morte, ſed & in vita, quilibet vir prudens iudicabit. Ita Reginaldus *lib. 6. num. 28.* & alij. Secundo, eum, qui eodem anno prætermittit Confeſſionem, & communionem committere duo peccata. Ratio eſt, quia violat duo præcepta ſpecie diſtincta, præceptum annuæ Confeſſionis, & Communionis. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1.* Reginaldus *loco cit. num. 34.* Azorius *lib. 7. cap. 39. quæſit. 9.* & alii.

An qui in Confeſsione Paſchatis omiſit aliqua peccata per obliuionem, & poſteà illorum recordetur, teneatur illa ſtatim confiteri?

BRACTEA XV.

R. Non teneri ea ſtatim confiteri, ſed poſſe eorum differre Confeſſionem vſque ad Confeſſionem ſequentis anni. Ratio, quia Eccleſia obligat tantum ad confitenda omnia peccata commiſſa illo anno, quantum materiæ occurrunt, adhibita diligentia quantum neceſſe eſt ad integritatem Confeſſionis: qui autem facit Confeſſionem modo dicto, integrè ſatisfacit tali præcepto; ergo nõ tenebitur amplius confiteri. Ita Siluius *in addit. ad 3. partem quæſt. 6. art. 5.* Laym. *in Theolog. morali lib. 5. tract. 6. cap. 7. num. 13.* Toletus *lib. 3. cap. 8. num. 1.* Siluelter *verb. Confeſſio 1. num. 3.* Nauarr. *cap. 2. num. 10.* & alii.

An in Paſchate teneatur quis confiteri venialia habendo peccata mortalia, quæ iuſta cauſa reticere poteſt Confeſſario?

BRACTEA XVI.

R. Negatiuè, quando habet iuſtam cauſam reticendi mortalia. Ita Suarez *in 3 par. tom. 4. diſp. 36. ſect. 6.* Ratio, quia vt ſupra dictum eſt, nulla obligatio eſt cõfitendi peccata venialia; ergo ſi quis non poteſt confiteri ex iuſta cauſa peccata mortalia, non tenetur confiteri peccata venialia. Secundò, qui poſt Confeſſionem, & Communionem commiſit aliquod peccatum mortale nondum elapſo anno, in quo prius confeſſus eſt, non tenetur præcepto annuæ Confeſſionis denuò confiteri, ſed poſſe differre Confeſſionem illius vſque ad Confeſſionem ſequentis anni. Ratio eſt, quia cum ſemel integrè confeſſus ſit peccata, non videtur amplius obligatus ad aliam Confeſſionem, cum iam ſatisfecerit præcepto annuæ Confeſſionis. Ita Victoria *in ſum. num.* 137. Reginaldus *lib. 3. num.* 38. Qui verò confeſſus eſt ſolum peccata venialia, & vt ſic ſatisfecit præcepto annuæ Confeſſionis, ſi committat peccata mortalia ante tranſactum annum obligari ea confiteri eodem anno, quia nunquam eo anno confeſſus eſt peccata mortalia, quæ commiſit: præceptũ autem Confeſſionis *in cap. omnis vtriuſque ſexus* obligat ſemel in anno ad Confeſſionem peccatorum mortalium. Ita Vaſquez *quæſt.* 9. *art. 3. dub.* 1.

An aliquando teneatur fidelis anticipare Confeſſionem antequam finiatur annus?

BRACTEA XVII.

R. Fidelem ex vi præcepti Confeſſionis annuæ teneri anticipare Confeſſionem, quoties præuidet fore, vt amiſſa illa occaſione non poſſit confiteri toto anno: & ita Silueſter *verb. Confeſſio* 1. *num.* 2. Tabiena *eodem verb. num.* 41. Henriquez *lib. 4. cap. 3. num.* 3. Vaſquez 3 *part. quæſt.* 90. *art. 3. dub.* 2. Pythigian. 2. *part. diſt.* 17. *quæſt. vlt.* & alij. Ratio, quia Eccleſia obligat ad confitendum peccata commiſſa ſemel in anno: hæc autem obligatio currit toto anno, ideò eſt in illo implenda quo modo poteſt; ergo qui præuidet ſuo tempore impotentem fore ad ſatisfaciendum præcepto, tenetur anticipare, & ſub hac ratione qui tempore Paſchatis præuidet ſe vltimis diebus Paſchatis impediendum fore à ſumptione Euchariſtiæ, tenetur primis diebus communicare, vt ſatisfaciat præcepto, quod poteſt adimpleri præueniendo. Similiter qui præuidet in die feſto ſe non reperturum miſſam, ſi eam differat vſque ad meridiem, tenetur mane peruenire, licet non teneatur ante auroram, cum ante auroram non extet præceptum de audienda miſſa.

An qui non eſt confeſſus anno præterito, teneatur hoc anno quamprimum confiteri ex præcepto annuæ Confeſſionis?

BRACTEA XVIII.

R. Teneri quamprimum confiteri, itaut eo magis, ac magis peccet, quo magis, & magis confeſſionem differt. Ita Sotus *diſp.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 8. Nauar. *cap.* 21. *num.* 45. Suarez *diſp. 36. ſect.* 3. Henriquez *lib. 4. cap. 4. num.* 6. Zerola *de pœnit. cap.* 29. *quæſit.* 12. Reginaldus *lib. 6. num.* 17. Ratio, quia cum Eccleſiæ præcipientis annuam Confeſſionem intentio ſit efficere, vt Confeſſio non differatur nimium, ſequitur vt qui non fecit Confeſſionem determinato tempore, teneatur ad ipſam quamprimum commodè poteſt, quia annus non præfigitur ad finiendam, ſed ad ſollicitandam impletionem præcepti Confeſſionis.

Sciendum, quod dupliciter aliquod poteſt præcipi fieri determinato tempore: Primò, ob reuerentiam, & honorem talis temporis, vt quando alicui determinatur tale tempus ad faciendam aliquam, v. g. orationem, aut ieiunium. Secundò, abſolutè, vt primariò non intendatur circunſtantia temporis, ſed res, quæ præcipitur, & annectatur diei, ne vltrà differatur, vt quando Confeſſarius pro pœnitentia aſſignat ieiunium, vel coronam, v. g. dicendam tali die, in qua Confeſſarius principaliter intendit rem præceptam, ſecundariò verò circunſtantiam temporis, ne pœnitentia vltra differatur; Quando aliquid præcipitur priori modo elapſo tempore, extinguitur etiam obligatio; quando autem aliquid præcipitur ſecundario modo elapſo tempore, non extinguitur obligatio, quia terminus non fuit appoſitus ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandum, & cum præceptum Confeſſionis in iſto caſu fuerit ſimpliciter, & abſolutè præceptum, ſequitur præceptum Cõfeſſionis quamprimum implendum eſſe etiam elapſo anno. Secundò, qui prædeterminato tempore prætermittit Confeſſionem non toties peccare, quoties oblata opportunitate non confitetur. Ita Valentia *tom. 4. diſp. 1. quæſt. 9. pun.* 4. & alij. Ratio patet à ſimili, quia ſicuti non toties peccat qui oblata opportunitate non reſtituit, ſed cenſetur ſolum perſeuerare in priori peccato, ita nec toties peccat qui oblata opportunitate non confitetur, ſed cenſetur ſolum aggrauare prius peccatum, & in ipſo perſeuerare.

An qui diſtulit confeſſionem anni præteriti vſque ad annum ſequentem vnica confeſſione poſſit ſatisfacere vtrique præcepto?

BRACTEA XIX.

R. Poſſe; ratio, quia vnico actu poſſumus duobus præceptis ſatisfacere; tum etiam quia ſi obligatur ad aliam confeſſionem, eſt, quia darentur aliqua peccata, quæ non ſint confeſſa, cum Confeſſio præcipiatur ob Cõfeſſionem peccatorum; ſed hoc eſt falſum, cum ſupponam pœnitentem integrè confeſſum eſſe; ergo erit etiam falſum, quod ipſe ſit obligatus facere duas Confeſſiones, & non poſſit vnica Confeſſione ſatisfacere vtrique præcepto. Tum etiam quia ſi obligaretur facere duas Confeſſiones, ſequeretur debere vnam facere pro anno præterito, & pro peccatis commiſſis in ipſo anno, & alteram pro anno ſequenti, & pro peccatis commiſſis in ipſo anno: ſed hoc dici non poteſt; ergo, &c. Ratio, quia ſupponendo, quod in ſequenti anno fecerit plura peccata mortalia, tenetur etiam ipſa confiteri in Confeſſione, quæ fit pro anno antecedente, alioqui non poſſet abſolui in Confeſſione prioris anni, cum abſolutio habeat impedimentum ad producendum ſuum effectum nimirum peccata mortalia poſterioris anni. Quod etiam dicendum eſt, ſi velit confiteri pro anno ſequente, teneri ſcilicet confiteri peccata mor-

mortalia anño antecedenti facta non confeſſa, ſi velit abſolui, & participare effectum abſolutionis alioquin non poſſe;ergo vna Confeſſione poteſt ſatisfacere pro vtroque præcepto. Ita Molpheſius *in ſumma tract. 7. cap. 10. num. 37.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num.* 8.

An vt quis ſatisfaciat præcepto, debeat confiteri per interpretem?

BRACTEA XX.

R. Neminem teneri per interpretem confiteri præcepto Diuino, & Eccleſiaſtico, etiam in articulo mortis, niſi fortè pœnitens in tali caſu nequeat actum contritionis elicere. Ita Layman *in Theolog. morali lib. 5 tract. 6. cap. 6. num.* 5. Filiucius *tom. 1. tract. 7. cap. 3. num. 62.* Facundez *præcept. 2. lib. cap. 6. num. 6.* & alij. Ratio, quia *in cap. omnes vtriuſque ſexus* præcipitur Confeſſio facienda ſoli Sacerdoti, nõ fieret autem ſoli Sacerdoti, ſi pœnitens per interpretem teneretur ſua peccata confiteri. Tum etiam quia Confeſſio debet eſſe ſecreta, non eſſet autem ſecreta, ſi fieret per interpretem, quia publica eſſet; ergo nec iure Diuino, neque Eccleſiaſtico tenetur confiteri per interpretem. Dixi etiam in articulo mortis, niſi fortè pœnitens in tali caſu nequeat actum contritionis elicere, quia ſi probabiliter dubitat de ſua contritione, tunc ex charitate tenetur confiteri per interpretem, ne ſe periculo damnationis exponat, cum debeat adhibere media ad ſalutem propriam neceſſaria, & in tali caſu medium efficax cenſetur confiteri per interpretem. Si verò ſecurus ſit de contritione, tunc non obligatur confiteri per interpretem propter rationes allatas, quamuis ſi velit, poſſit confiteri, cum habeat iuſtam cauſam prodigendi ſuam famam. Ita Suarez *diſput. 36. ſect. 6. num.* 5. Valentia *diſput. 7. quæſt. 11. pun.* 1. Sayrus *de pœnitent. cap. 12. num.* 17. Henriquez *lib. 4. cap. 4. num.* 4. & alij. Secundò, neminem teneri ſua peccata ſcribere, ſi aliter non poteſt confiteri quam per ſcripturam, vt ſi Confeſſarius ſurdus ſit, vel ſi pœnitens ſit mutus. Ratio eſt, quia talis modus confitendi non vacat periculo publicationis, & ideò iure Diuino, & Eccleſiaſtico quis non tenetur per ſcripturam confiteri præciſo mortis periculo; quia in iſto caſu, ſi non ſit certus de ſua contritione, tenetur per ſcripturam confiteri. Ratio, quia in articulo mortis debet aſſumere omnia media neceſſaria ad ſuam ſalutem; ergo ſi non ſit certus de contritione, debet aſſumere tale medium, nimirum per ſcripturam confiteri. Ita auctores ſupra citati.

An ad ſatisfaciendum præcepto ſufficiat implicitum propoſitum de cætero non peccandi?

BRACTEA XXI.

R. Non ſatisfacere præcepto, qui in Confeſſione explicitè, vel implicitè non elicit actum doloris. Ita Suarez *in 3. par. tom. 4. diſput 36. ſect. 7. num* 3. Nauarrus *cap. 10. num.* 4. Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 5 num.* 10. Em. Sà *verbo confeſſio num.* 1. Ratio eſt, quia qui non habet propoſitum implicitum, vel explicitum inualidè abſoluitur; ergo non ſatisfacit præcepto, cum præceptum Confeſſionis ſit in ordine ad abſolutionem. Secundò, qui habet propoſitum implicitum non amplius peccandi, &c. validè abſolui, & per conſequens ſatisfacere præcepto. Ratio eſt, quia per propoſitum implicitum ſatis diſponitur ad iuſtificationem. Ita Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 6.* his verbis: Ad iuſtificationem extra, & intra Sacramentum per ſe, ac neceſſariò non requiritur expreſſum propoſitum ſeruandi mandata Dei, ſiuè à peccatis abſtinendi, ſed ſufficit implicitum, quod in ipſa deteſtatione peccatorum virtualiter continetur. Ratio, quia vno ſimplici actu deteſtationis peccatorum ex motiuo ſupernaturali homo ſufficienter diſponitur ad iuſtificationem, & tamen fieri poteſt, vt de vita in poſterum inſtituenda, aut peccatis euitandis nihil cogitet, præſertim ſi morti propinquus ſit.

An peccet, qui duos Confeſſarios habens, vni confitetur peccata mortalia, alteri verò venialia?

BRACTEA XXII.

R. Non peccare, ſi id ex iuſta cauſa faciat. Ita Layman *in Theologia morali lib. 5 tract. 6. cap* 8. *num.* 14. Suarez *in 3 par. tom. 4. diſput. 22. ſect. 1. num.* 22. Henriquez *lib. 5 cap 16 num.* 6. & alij. Ratio eſt, quia id non cenſetur contra integritatem Confeſſionis, cum vtraque Confeſſio ſit integra; ſi verò hoc nõ fiat ob iuſtam cauſam, cenſetur ſaltem peccatum veniale, quod per accidens fieri poteſt mortale, ſi ea ratione exponat ſe periculo labendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi, vel ſi ob hanc cauſam pœnitens maneret in occaſione proxima peccati mortalis. Ita Layman *loco cit. num.* 24.

An pœnitens non implens pœnitentiam grauem impoſitam pro venialibus, peccet mortaliter?

BRACTEA XXIII.

R. Quod licet obligatio implendi pœnitentiam legitimè imperatam ex genere ſuo grauis, & ſub mortali peccato ſit tamen ob materiæ leuitatem efficitur leuis, eiuſque tranſgreſſio venialis, vt ſi quis exiguam pœnitentiam, aut partem pœnitentiæ abſque contemptu implere permittat. Secundò, non implentem pœnitentiam grauem impoſitam pro venialibus, vel pro mortalibus aliàs cõfeſſis non peccare mortaliter, ſed ſolùm venialiter. Ita Suarez *loco citato ſect. 4. num.* 4. Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 15. nu.* 7. quia vt ait, durum videtur, quod quando culpa leuis eſt, quod obligatio pro ea ſatisfaciendi ſit grauis, & per conſequens obliget ſub mortali, licet per accidens fateatur fieri poſſe mortale, ſi alioquin homo verſetur in probabili periculo peccandi mortaliter, niſi remedia pœnitentiæ ſibi imperatæ exequatur, licet plures alii ſequantur opinionem contrariam, nimirum pœnitentiam grauem impoſitam pro peccatis venialibus obligare ſub mortali.

Cui facienda ſit Confeſſio pro ſatisfactione præcepti?

BRACTEA XXIV.

R. Eos omnes ſatisfacere præcepto, qui ſemel in anno confitentur Confeſſario approbato ab Ordinario illius Diœceſis, etiamſi ſit regularis. Ratio, quia ex eo, quod eſt approbatus ſuffi-

cientem

cientem cenſetur habere iuriſdictionem ad abſoluendum. Vnde Parochus non poteſt denegare Euchariſtiam ei, qui dicit ſe eſſe confeſſum approbato Confeſſario, modo ſit fide dignus, & non ſit peccator publicus, nam viro fide digno fides præſtari poteſt, licet alicubi per conſuetudinem ſit introductum, vt ijs fides non habeatur, niſi ſchedulam, & atteſtationẽ Confeſſionis afferant. Ita Henriquez *lib.5.cap.3.num.3.* & alij.

Quomodo Confeſſio debeat eſſe integra, vt quis ſatisfaciat præcepto?

BRACTEA XXV.

SCIENDVM integritatem Confeſſionem duplicem eſſe: vnam materialem, & alteram formalem. Integritas materialis eſt, quando in Confeſſione aperiuntur omnia peccata, quæ pęnitens fecit ſecundum ſpecies, numerum, & circunſtantias. Integritas formalis eſt, quando pęnitens manifeſtat ea peccata, quæ commodè poteſt manifeſtare tacendo ea, de quibus habet iuſtam cauſam reticendi. Quo poſito.

R. Ad ſatisfaciendum præcepto ſufficit, vt Confeſſio ſit integra integritate formali, non autem integritate materiali; & ideò quando pęnitens iuſta de cauſa tacet aliquod peccatum, Confeſſio cenſetur integra formaliter, licet non ſit integra materialiter. Et ita communiter omnes.

An peccata venialia, & dubia ſint manifeſtanda ob integritatem Confeſſionis?

BRACTEA XXVI.

R. PECCATA venialia non eſſe neceſſaria ad integritatem Confeſſionis. Ita colligitur ex Tridentino *ſeſſ.14.cap.5* Ratio, quia ſunt tantum materia ſufficiens, ex quo ſequitur poſſe ſine vllo peccato omitti, vel omninò, vel ex parte pro arbitrio pęnitentis. Secundò, quod licet Confeſſio peccatorum venialium poſſit præcipi, & aliquibus præcipiatur, vt Monachis Benedictinis, tamen Cõfeſſio venialium non poteſt præcipi, tanquam id ſit neceſſarium ad integritatem, & perfectionem Confeſſionis. Ita Sotus *diſt.18.quæſt 1.art.3.* & alij. Ratio, quia materia Sacramenti non poteſt mutari, & per conſequens cum peccata venialia ſint ſolùm materia ſufficiens, non poſſunt præcipi, vt confiteantur tanquam materia neceſſaria. Secundò, peccata dubia tenentur confiteri tanquam pars integralis Confeſſionis, ſi dubiũ verſetur circa aliquod peccatum mortale, vt ſi quis dubitet ſe aliquod peccatum commiſiſſe, vel ſcit ſe commiſiſſe peccatum aliquod, quod dubitat eſſe mortale. Ratio, quia non manifeſtando illud exponit ſe periculo omittendi aliquid, quod verè commiſit. Tum quia in dubijs tutior pars eſt eligenda, & in iſto caſu tutius eſt confiteri, quam non ob rationem allatam. Vnde qui dubitat, an habuerit delectationem veneream, vel aliquid fecerit, quod ſit peccatum mortale, tenetur ad Confeſſionem illius dubij, ſicut etiam tenetur ad Confeſſionem, qui ſcit ſe peccatum mortale commiſiſſe, ſed dubitat, an illud confeſſus ſit.

An ſit contra integritatem addere aliquid in Confeſſione, præter facti veritatem?

BRACTEA XXVII.

R. A Narratione facti remouenda eſſe ea omnia, quæ videntur ſuperflua, nec ad finem Confeſſionis quidquam conferunt, non tamen propterea ſi contrarium fieret Confeſſio, eſſet nulla, vel grauis iniuria fieret Sacramento. Secundò, mentiri in Confeſſione circa circunſtantias non pertinentes ad Sacramentum non eſſe peccatũ mortale, ſed tantum veniale, quia cum non ſit contra materiam Sacramenti, non continet iniuriam grauem, licet in Sacramento fiat. Tertiò, mentiri circa venialia, vel circa mortalia, iam alias ritè confeſſa, & abſoluta non eſt, niſi peccatum veniale. Ratio eſt, quia tale mendacium cenſetur de materia leui, cum non ſit circa materiam neceſſariam ad integritatem Sacramenti; mentiri verò in Confeſſione circa materiam neceſſariam ſemper eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia tale mendacium eſt materia grauis ſacrilegii, cum ſit circa materiam neceſſariam in his, quæ pertinent ad ſubſtantialem cauſam.

An articulus mortis ſit cauſa ſufficiens faciendi Confeſſionem integram ſolùm formaliter?

BRACTEA XXVIII.

R. ARTICVLVM mortis eſſe cauſam ſufficientem non faciendi Confeſſionem integram materialiter, ſed ſolùm formaliter, quando commodè omnia peccata non poſſunt fateri. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia Eccleſia præcipit ſolummodo ea, quæ commodè poſſunt fieri, cum autem in aliquibus caſibus in articulo mortis ſit impoſſibilis integritas materialis, nimirum Confeſſio omnium peccatorum, idcircò ſequitur eam in articulo mortis regulariter non cadere ſub præceptu. Ita communiter omnes. Secundò, nocumentum proprium, vel alienum eſſe cauſam ſufficientem non faciendi Confeſſionem integram materialiter. Ita omnes Theologi ex Suarez *diſput.23.ſect* 2. Nauarrus *cap.7.num.3.& 4.* & alii. Ratio, quia præcepta poſitiua non obligant cum tanto periculo, nimirum cum nocumento proprio, vel alieno. Tertiò, ſi ex reuelatione complicis in Confeſſione timeatur aliquod damnum complicis in vita, vel in fama; tunc præceptum integritatis Confeſſionis non obligat ad manifeſtandum illud peccatum. Ratio eſt, quia pręceptum integritatis materialis Confeſſionis non obligat cum damno alterius. Si verò ex manifeſtatione complicis non timeatur damnum præter ſolam notitiam eius Confeſſario, tunc poteſt reticere illud peccatum, ſi habeat ſpem habendi alium Confeſſarium, cui complex non ſit notus; ſi verò non habeat aliam ſpem, tunc illud peccatum non debet fateri ſuo Confeſſario, etiam cum periculo reuelationis complicis. Quartò, obliuionem, & ignorantiam eſſe cauſam ſufficientem tacendi aliquod peccatum in Confeſſione ſine præiudicio integritatis formalis Confeſſionis, dummodo obliuio, vel ignorantia ſit inuincibilis. Ita Nauarrus *cap.9.num.12.* Henriquez *lib.2.cap.12.* & alii communiter. Ratio, quia præceptum non præſumitur adeò ſtrictè obligare, & ſicut ignorantia excuſat ab aliis præceptis, ita & etiam excuſat ab integritate materiali Confeſſionis, ſicuti etiam excuſat obliuio

inculpabilis. Ita Conlnch. *diſp. 7. dub. 9. n. 70.* Zerola *in praxi de pęnit. cap. 6. quæſit. 31.* & alii communiter. Ratio eſt, quia pręceptum integritatis confeſſionis non obligat ad impoſſibile; impoſſibile autem eſt pęnitentem fateri peccata oblita. Si verò eorum poſtea recordetur, tenetur poſtea illa confiteri, vt ab his abſoluatur directè, & vt pęnitens ſatisfaciat præcepto confitendi peccatum ſecundum ſpecies, numerum, & circunſtantiam. Sunt etiam plures aliæ cauſæ excuſantes ab Integritate materiali Confeſſionis, de quibus dictum eſt cum de Sacramento Pęnitentiæ.

An in articulo mortis ſufficiant tantum ſigna contritionis ad abſolutionem?

BRACTEA XXIX.

R. SI in articulo mortis infirmus non poſsit loqui, & præbeat ſigna contritionis in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ petendo, vel vocando Confeſſarium, vel tundendo pectus, &c. vel coram Confeſſario, vel alijs, qui aduenienti Cōfeſſario fidem faciant petitæ Confeſsionis, ſeu doloris exhibiti per ordinem ad Confeſsionem poteſt abſolui. Ita Suarez *diſp. 23. ſect. 1. num. 5.* Henriquez *lib. 1. de pęnit. cap. 9.* Ratio eſt, quia cenſetur adeſſe materia ſufficiens, nempè Confeſsio peccati generaliter per ſigna. Si verò prædicta ſigna in abſentia Confeſſarij præſtita ſint, poſteà verò aduenienti Cōfeſſario, ita infirmus eſt ſenſibus deſtitutus, vt exprimere nequeat vllum peccatum, aut exhibere ſigna doloris, non poſſe Confeſſarium Sacramentalem abſolutionem impendere. Ratio, quia in iſto caſu nulla cenſetur materia præſens, ſupra quam cadat abſolutio. Si verò adſint teſtes, qui fidem faciant de dolore præſtito, vel de petitione ipſius Confeſſarij, &c. poteſt. Ratio quia talis fides doloris eliciti habetur pro materia, cū manifeſtatio præſentium teſtium ſupplere poſsit vicem Confeſsionis in abſentia factæ.

An pueri lege annuæ Confeſſionis teneantur?

BRACTEA XXX.

R. EOS teneri ſtatim, ac ſunt rationis compotes. Ratio colligitur ex præcepto Eccleſię, quod obligat omnes fideles baptizatos, ſiue ſit vir, ſiue fœmina, cum ad annos diſcretiones peruenerint ſua peccata confiteri. Tum etiam, quia omnes fideles tenentur confiteri ſua peccata commiſſa poſt baptiſmum; ergo tenentur etiam pueri compotes vſus rationis, cum etiam ipſi in numero fidelium recenſeantur. Tum etiam, quia huiuſmodi pueri tenentur ad reliqua præcepta; ergo etiam obligantur ad Confeſsionem poſt quam peruenerunt ad vſum rationis. Ita Nauar. *cap. 21. num. 88.* Henriquez *lib. 4. cap. cap. 5. num. 2.* Vaſquez *quæſt. 90. art. 2. dub. 4.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 9. pun. 4.* & alij, licet ante duodecimum annum non poſsint puniri pœna lata contra non confitentes ſemel in anno; & ita cōmuniter Doctores. Secundò, eum, qui culpæ poſt baptiſmum commiſſæ conſcius ſibi non eſt, nullius recordari valens facto diligenti conſcientiæ examine, non obligari pręcepto confitendi. Ratio eſt, quia tale preceptum, ſiue Diuinum, ſiue Eccleſiaſticum datur ſolum pro lapſis in peccatum, vt de Diuino cōſtat per illud Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur, &c.* de Eccleſiaſtico verò conſtat *ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pęnit. & remiſſ.* Tertiò, omnes fideles obligari ad Confeſſionem poſt baptiſmum lapſos in peccatum etiam internum tantum fuerit. Ita colligitur ex Conc. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* Quod etiam dicendum eſt ſi habuerint ſolum peccata dubia de peccatis mortalibus, licet Confeſſarius curare debeat quantum poteſt, vt materiam certam, & determinatam extorqueat. Quartò, habentes ſolum peccata venialia non obligari præcepto confitendi, nec præcepto Diuino nec humano, licet ratione ſcandali vitandi teneantur ad Confeſſionem, ne ab alijs putentur tranſgreſſores præcepti, Ita Regin. *lib. 6. num. 46.*

An Papa obligetur ad Confeſsionem?

BRCATEA XXXI.

R. PAPAM teneri ad Confeſſionem iure Diuino, ac etiam Eccleſiaſtico non coactiuè, ſed vi directiua. Quod obligetur iure Diuino, patet, quia Papa ſubditur iuri Diuino; quod etiam obligetur præcepto Eccleſiaſtico ex vi directiua, & ex honeſtate, patet etiam, quia licet Papa ex vi coactiua non ſit ſubditus legibus Eccleſiaſticis; nihilominus ex vi directiua, & ex quadam æquitate, tenetur ad obſeruantiam legum ab Eccleſia conditarum. Ita Azorius *cap. 40. quæſit. 11.* Henriquez *lib. 1. de Sacram. pęnit. cap. 3. num. 2.* Clauis regia *lib. 3. cap 4. nu. 4.* Couar. *cap. Alma mater de ſentent. excommun. in 6. part. 1. §. 1. num. 5.* Reginaldus *loco cit. num. 49.* & alij.

An Cathecumini obligentur ad Confeſsionem?

BRACTEA XXXII.

R INFIDELES neque iure Diuino, neque Eccleſiaſtico obligari ad Confeſſionem Sacramentalem. Ita ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 2.* dicente, Eccleſiam in neminē iudicium exercere, qui non prius in ipſam per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Tum etiam, quia obligatio confitendi impoſita iure Diuino non eſt alia, quam quæ ſequitur ex poteſtate relicta à Chriſto in Eccleſia ad exercendum pœnitentiale iudicium, quę poteſtas cū tradita ſit tantum in domeſticos fidei, quos ipſe Dominus lauacro baptiſmi corporis ſui membra ſemel effecit, ſequitur iure Diuino infideles non obligari ad Confeſſionem, & multo minus iure Eccleſiaſtico, cum Conſtitutionibus Canonicis illi non arctentur, *vt in cap. gaudemus de diuortijs* habetur. Secundò, Cathecumenos neque etiam obligari ad Sacramentalem Confeſſionem iure Eccleſiaſtico, vel Diuino. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 5. num. 3.* Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt 1. art. 3.* Zerola *de pęnit. cap. 10. quæſt. 18.* Vaſquez *part. 90. art. 2. dub. 1. num 8.* Ratio conſtat ex ſupradictis, quia cum nondum ſint baptizati, non ſubduntur legibus Eccleſiæ, cum Eccleſia non exerceat iudicium, niſi in eos, qui prius per baptiſmi ianuam ingreſſi ſunt Eccleſiam.

An qui non habet copiam Confeſſarij, excuſetur ab executione præcepti de confeſſione facienda?

BRACTEA XXXIII.

R. Qvi non habet copiam Confeſſarij, nec habere poteſt, niſi longum iter ſuſcipiat, excuſari ab obligatione pręcepti Confeſſionis. Ratio eſt, quia Eccleſia non obligat ad obſeruantiã præceptorum cum maximo incommodo, cum Domini iugum ſuaue ſit, à qua ſuauitate exiſtimandum non eſt Sanctam Eccleſiam ipſius Spouſam velle recedere. Si verò habere poteſt ſine magna difficultate, & incommodo copiam Confeſſarii, vt v. g. ſi iter, quod ſuſcepturus eſt ad ipſum adeundum non ſit nimis longum, tunc obligatur ad obſeruantiam pręcepti, quia licet præcepta non obligent cum graui incommodo, obligant tamen cum aliquali incommodo. Ita Reginaldus *loco cit. num.* 51.

An qui timet fractionem ſigilli excuſetur ab obſeruantia precepti?

BRACTEA XXXIV.

R. Evm; qui ſibi, aut alteri timet probabiliter reuelationem ſigilli, excuſari ab obligatione præcepti confeſſionis. Ita Suarez *diſp.* 46. *ſect.* 1. *num.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Nugnus *in addit. quæſt.* 6. *art.* 6. Ratio eſt, quia Eccleſia non obligat ad obſeruantiam præcepti cum tali probabili periculo. Secus verò dicendum eſt ſi periculum non ſit probabile, vel ſi erit ſolummodo timor, aut ſuſpicio, quia tunc obligatur ad obſeruantiam præcepti. Verum ſi de aliquibus peccatis mortalibus timeat probabiliter reuelationem, de alijs verò probabiliter non timeat, debet confiteri ea, de quibus probabiliter non timet, ea verò, de quibus probabiliter timet reuelationem, poteſt reticere. Ita Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *pun. ult. num.* 3. Vnde ſequitur, illum excuſari a præcepto confitendi Diuino, & Eccleſiaſtico, qui non poteſt ſua peccata confiteri ſub ſecreto ſigilli Confeſſionis, vt ſi Confeſſarius ſit ſurdus, aut ſi pœnitens nequeat explicare ſua peccata, niſi ab alijs audiatur, quia Eccleſia non obligat cum tanto incommodo. Ita Suarez, & Henriquez *loc. cit.* & ideò qui non poteſt confiteri, niſi per Interpretem, non obligatur ad Confeſſionem, niſi in articulo mortis modo ſupradicto; ſicut etiam non obligatur confiteri, niſi per ſcripturam, quia eſt mutus, cum Eccleſia non obliget cum tanto incommodo, licet in articulo mortis aliquando teneatur, vt ſupra dictum eſt.

Sciendum, quod qui lubricam habet memoriam non obligatur peccata ſcribere, vt ſuo tempore confiteatur, quia fieri poteſt, vt ſcriptura deperdatur cũ periculo infamiæ; Secus dicendum eſt ſi poſſit ſua peccata ſcribere abſque probabili periculo, vt ſcriptura deperdatur, quia ſi velit poteſt ea ſcribere, non tamen obligari.

MALLEATIO IV.

De præcepto Eccleſiæ communicandi in Paſchate.

Quando nam fideles obligentur ad præceptum ſumendi Euchariſtiam ex præcepto Diuino?

BRACTEA I.

R. Omnes fideles obligári ſub mortali ex præcepto Diuino in articulo mortis naturalis, aut violentæ. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 4. Vaſquez 3. *part. diſp.* 213. *cap.* 2. Reginaldus *lib.* 29. *nu.* 74. Ratio eſt, quia præceptum iſtud ſi quando obligat, tunc maximè obligabit, cum obſeruatio illius maximè neceſſaria eſt, ad quem datum eſt, nempè ad animæ corroborationem, & conſeruationem in ſpirituali vita: at eiuſmodi neceſſitas contingit maximè in articulo mortis ob pugnas, & infeſtationes Dęmonum; ergo, &c. Pręterea perpetua Eccleſiæ conſuetudo fuit, & eſt, vt curetur præberi Sacroſanctum Euchariſtiæ Viaticum exiſtentibus in probabili articulo mortis. Vnde Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 13. *cap.* 6. ſtatuit retinendum eſſe morem conſeruandi Euchariſtiam, & deferendi ad ægrotos, eumque vocat vetuſtiſſimum, ſalutarem, & neceſſarium morem.

Sciendum hoc præceptum non eſſe ita accipiendum quaſi ſtatim, ac quis aduertitur verſari in probabili mortis periculo debeat Euchariſtiam ſumere, cum enim finis præcepti ſumendi Euchariſtiam in tali periculo ſit, vt per eam ſumptionem homo ſe præparet ad tranſitum ex hac vita ſatis id aſſequetur ſumendo paulò ante mortem; cauendum tamen eſt ne ſumptio ita differatur, vt quis exponat ſe probabili periculo moriendi ſine Viatico. Secundò, eum, qui paucis diebus antequam in tale periculum incurreret, Euchariſtiam ſumpſiſſet, non obligari iterum ipſam ſumere occurrente ipſo periculo. Ratio eſt, quia cum tempus breue eſt iam periculum moraliter imminet quantumuis homo illud ignoret. Tertiò, quamuis præceptum non vrgeat, conſilium tamen dandum eſſe verſanti in periculo mortis, vt quamprimum ſalutari Euchariſtiæ Viatico ſe muniat, etiá ſi non multo ante illud ſumpſerit, quia conſentaneũ eſt, vt primo quoque tempore, & cum expreſſa intentione impleamus id, quod nobis incumbit in ſummam noſtram vtilitatem, & vrgente magna noſtra neceſſitate. Ratio, quia qui non communicat in articulo mortis, videtur etiam occaſionem magni ſcandali præbere, ad quod tollendum optimum conſilium eſt, quamprimum Euchariſtiam percipere. Dixi in articulo mortis naturalis, aut violentæ, quia non modo in morte naturali, ſed etiam in violenta tenetur quis ſumere Viaticum, ſi commodè poteſt. Ratio eſt, quia præceptum Communionis obligat in articulo mortis ex iure Diuino; ergo tenetur Euchariſtiam ſumere, & per conſequens Iudex tenetur etiã Reo concedere tempus ad ſumendam Euchariſtiam, & ſic decernitur *in cap. tanta diſt.* 86. *Cap. quæſit.* 13. *diſt.* 2. & motu proprio Pii Quinti edito anno 1569. vt refert Henriquez *lib.* 9. *cap.* 5. *num.* 4. Reginaldus *loco cit. num.* 70. & alij; & ideò peccare Iudices non concedentes tempus ſumendi Euchariſtiam damnatis ad mortem, niſi detur aliqua iuſta cauſa excuſás. Non tenetur tamen Iudex liberare Reum nolentem confiteri, & Euchariſtiam percipere, etiamſi certò

ſcit

ſciat ipſum in peccato mortali periturum. Sotus *lib. 5. de iuſtitia quæſt. 1. art. 2.* Ratio eſt, quia daretur occaſio vtendi ea aſtutia, vt Rei ſe impœnitentes fingerent, vt liberarentur. Tum quia punitio publica non refertur ad bonum eius, qui punitur, vt emendetur, ſed in bonum publicum, vt cœteri terreantur; bonum autem publicum præferendum eſt priuato. Quartò, Reo petenti Confeſſionem obligari, Iudicem ipſam concedere, etiamſi timeatur fore, vt conceſſo debito tempore ad ſumendam Euchariſtiã Reus arripiatur, & aliqui ſcandalum patiantur, nam Iudex tenetur facere id, quod per ſe; per ſe autem loquendo tenetur concedere tempus ſumendæ Euchariſtiæ; ergo, &c. Quintò, fideles non ſolum teneri ex iure Diuino communicari in articulo mortis, verum etiam aliquoties in vita. Ita S. Thom. *quæſt.* 80. *art.* 11. Sotus *diſt.* 12. *art.* 11. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 8. *pun.* 4. Camerota *de Euchariſtia cap.* 10. *dub* 1. Reginald. *loco cit. num.* 66. & alii communiter. Ratio, quia Chriſtus præcepit Euchariſtiam ſumi in ſpiritualem animæ cibum, & in memoriam ſuæ paſſionis: at non tantum in mortis periculum, neque extra illud tantum ſemel in vita, ſed ſæpius opus eſt nobis tali cibi ſumptione memoriam paſſionis Domini recolere; ergo etiam extra periculum mortis ſumenda eſt Euchariſtia: tempus autem, ad quod obligat præceptum Diuinum communicandi extrà mortis periculum præciſa determinatione Eccleſiæ definiendum eſt iudicio prudentis, ita vt ipſius executio non minus differatur; nimium autem differretur, qui per triennium, aut quadriennium differret ſumptionem Euchariſtiæ, licet nunc temporis determinatum ſit tempus ab Eccleſia communicandi in Paſchate.

An ſit melius communicare frequentius, quam rarò?

BRACTEA II.

R. Melivs eſſe communicare frequentius, quam rarò; & hoc colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. *& ſeſſ.* 22. *cap.* 6. optat Sacra Synodus, vt in ſingulis miſſis fideles aſtantes communicarent. Quod colligitur etiam ex Sanctis Patribus. Ratio, quia digna Communio eſt per ſe bonum, & abſtinentia per accidens, ratione ſcilicet indiſpoſitionis, vel irreuerentiæ. Tum quia ſumptio Euchariſtiæ prouenit ex charitate, abſtinentia verò ex timore. Tertiò, quia fructus Sacramenti ex opere operato, & voluntas communicandi excedunt affectum abſtinentiæ, & reuerentiæ, cum præſertim eſus ipſe aliqua diligentia adhibita maximè iuuet ad deuotionem ipſam, & reuerentiam. Tertiò, non poſſe in particulari vllam regulam dari de frequentia Communionis, quæ omnibus fidelibus expediat, ſed pro diuerſitate ſtatuum, & morum id eſſe prudentis iudicio definiendum. Tertiò, optimam videri conſuetudinem communicandi ſingulis Dominicis, quia ſic & fructus ſufficienter percipitur, & reuerentia conſeruatur. Quartò, non eſſe omittendam Communionis frequentiam propter peccata venialia, & eo, quod homo modicum admodum deuotionis feruorem in ſe ſentiat, quia deuotio eſt effectus ſumptionis Euchariſtiæ, ſicut calefactio eſt effectus acceſſionis ad ignem, & ante cauſam, ſiue ſine ea velle effectũ habere alienum eſt à ratione. Quintò, nullo iura eſſe prohibitum communicare ter, vel etiam quotidie in hebdomada, vt patet exemplo naſcentis Eccleſiæ, in qua quotidie fideles communicabant; nõ eſſe tamen licitum ſæpius in die communicare, nam in *cap. conſuluiſti de celeb. miſſ.* ſancitũ eſt ne Sacerdos in die ſæpius celebret, aut communicet, excepta natiuitatis ſolemnitate, aut priuilegio, aut particulari caſu, qualis caſus eſt ſi periculum ſit, vt Sacramẽtum veniat in manus hæreticorum vel comburatur; & laicum à fortiori non poſſe ſæpius in die cõmunicare, ſed ſolummodo ſtatutis diebus; hora autem, qua debeat ſumere Euchariſtiam non eſt determinata, ſed poteſt ipſam ſumere quacunq; hora diei, modo ſit ieiunus. Ratio, quia circa hãc nulla extat prohibitio. Ita Silueſt. *verb. Euchariſt.* 3. *quæſit.* 14. Em. Sà *verb. Euchariſt.* Azor. 1. *part. lib.* 10. *cap.* 25. *quæſit.* 8. Henriq. *cap.* 53. Quod tamen intelligendum eſt per ſe loquendo, nam per accidens, vt ratione ſcandali vitandi Euchariſtia non poteſt qualibet hora diei ſumi, & ideò extra neceſſitatem non videtur permittẽdum, vt aliquis ſumat Euchariſtiam ſub veſperis, vel intempeſta nocte. Ratio eſt, quia adeſt periculum ſcandali, & eſt contra communem conſuetudinem, & praxim.

Quando fideles obligentur ex præcepto Eccleſiaſtico ſumere Euchariſtiam?

BRACTEA III.

R. Præceptvm Eccleſiaſticum obligare omnes fideles vtriuſq; ſexus, quando ad annos diſcretionis peruenerunt. Ita colligitur *ex cap. omnis vtriuſq; ſex. de pœnit. & remiſſ.* & ex Tridentin. *ſeſſ.* 13. *can.* 9. Quando verò cenſendus ſit fidelis ad annos diſcretionis perueniſſe difficultas eſt, circa quam non poteſt reddi certa regula. In hoc ferè omnes cõueniunt pro varietate locorum, educationis, & ingenii variari. Vnde iuxta Cathechiſmum *in cap. de Euch.* D. Thom. & alios, quos citat Suar. *diſp.* 70 *ſect.* 1. id determinandum in particulari relinqui debere arbitrio prudentum, & Confeſſarii, ad quos pertinet explorare, & à pueris inquirere, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint; & hoc iudicio poteſt fieri à decimo anno vſque ad 14. quia moraliter loquendo neq; ante illum incipit, neq; vltra hunc differtur vſus plenior rationis. Quod intelligendum eſt de obligatione cõmunicandi extrà mortis articulum, nam in mortis articulo cum non ſit determinatum tempus ab Eccleſia cuique Chriſtiano habenti rationis vſum ſufficientem ad peccandum, & capaci Sacramentalis Confeſſionis dãdum eſt Euchariſtiæ Viaticum. Ita Nauar. *cap.* 21. *nu.* 57. Tertiò, mortaliter peccare Patrem, Tutorem, &c. qui notabiliter negligit procurare, vt ſui liberi, pupilli ad Communionem obligati eam ſumant debito tempore. Ratio, quia tenentur ex officio ſicut à peccato reuocare, ita ad bonum promouere.

An hoc Sacramentum ſit neceſſarium fidelibus neceſſitate medij, aut præcepti?

BRACTEA IV.

R. Svmptionem Euchariſtiæ ſecundum ſe conſideratam propriè loquendo non eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem. Ita Sanctus Thomas *quæſt.* 65. *art.* 4. Suarez, & Coninchus *quæſt.* 73. *art.* 3. Gabriel *diſtinct.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 2. Ratio, quia duo tantum Sacramenta ſunt neceſſaria neceſſitate medij Baptiſmus, & Pœnitentia, quia hæc tantum duo Sacramenta ſunt inſtituta tanquam media per ſe iuſtificationis: Baptiſmus quidem ſimpliciter, & pro omnibus ſpectata lege Dei ordinaria. Pœnitentia autem ſuppoſito peccato

mortali, & pro lapſis. Secundò, ſumptionem Euchariſtiæ fidelibus adultis eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti non tantum in articulo mortis per modum Viatici, ſed ſæpius in vita. Quod ſit neceſſaria neceſſitate præcepti colligitur ex verbis Chriſti Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis*, & Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem, neceſſitas autem, ſeu obligatio huius præcepti in eo conſiſtit, vt homo propoſitum habeat ſuſcipiendi hoc Sacramentum tempore opportuno, conſequenter re ipſa ſuſcipiat, cum temporis opportunitas, vel moralis neceſſitas adeſt. Quod verò ſit Diuinum præceptum ſumendi Euchariſtiam tempore mortis dictum eſt ſupra; & ita Sotus *in* 4. *diſt*. 11. *quæſt*. 1. *art*. 11. Valentia *tom*.4.*diſp*.6.*quæſt*.8. *pun*. 4. Suarez *diſp*. 69. *ſect*. 3. Vaſquez *diſp*. 214. *ſect*. 2. Et patet ex Concilijs, & praxi Eccleſiæ maxima diligentia cauentis ne infirmi ſine Viatico diſcedant. Quod etiam fideles in vitæ ſuæ decurſu Sanctam Euchariſtiam ſumere Diuino Chriſti præcepto teneantur, dictum eſt ſupra affirmatiuè, quia Sacramentum inſtitutum eſt per modum Spiritualis Cibi, & potus nutrientis, & confirmantis animam, & per conſequens fidelem, ratione huius nutrimenti ſpiritualis iure Diuino aliquoties obligari in vita ad ipſam ſumendam. Ita D. Thomas *quæſt*. 80 *artic*.11. & alij Doctores ſupra citati.

An ſumptio Sacramenti ſub vtraque ſpecie ſit licita?

BRACTEA V.

R. Extra Sacrificium non extare præceptum ſumendi Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie. Et ita ex Trident. *ſeſſ*. 21. *cap*. 1. vbi dicitur nullo Diuino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad ſumendam Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie. Neque contrarium colligitur ex Io. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, &c.* Cum verba illa intelligenda ſint ſub diſtinctione, & non copulatiuè. Verum Eccleſiam conſtituere poſſe, vt vel ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie ſumatur Sacramentum. Ratio eſt, quia quæ ad accidentales modos, ſeu ritus Sacramentorum pertinent, ea Chriſtus non præcepit, ſed ea Eccleſiæ diſponenda reliquit. At verò communicare ſub vna, aut vtraque ſpecie ad accidentalem tantum modum ſumptionis Sanctæ Euchariſtiæ ſpectat; ergo ad ea Chriſtus nihil præcepit, ſed Eccleſiæ diſponendum reliquit ſecundum temporum, & locorum circunſtantias determinandum. Secundò, ex legitima cauſa poſſe Pontificem diſpenſare, vt Sacramentum ſumatur ſub vtraque ſpecie, & ideò Clemens Sextus conceſſit id Regi Galliæ, Paulus Tertius diſpenſauit cum Boemijs ſub conditione ſi ab errore diſcederent, Imperator etiam dum coronatur, ſumit vtramque ſpeciem, item Diaconus ſolemniter miniſtrans Papæ celebranti. Henriquez *cap*. 44. §. 2. Suarez *diſp*. 71. *ſect*. 3. & alij.

An amentibus ſit danda Euchariſtia?

BRACTEA VI.

R. Iis, qui ab infantia perpetuo amentes fuerunt, Euchariſtia eſt deneganda. Ita Sanctus Thomas *quæſt*. 80. *art*. 9. Sotus *in* 4. *diſt*. 12. *quæſt*. 1. *art*. 9. Henriquez *lib*. 8. *cap*. 42. & alij. Secundò, qui poſt rationis vſum in amentiam inciderunt, dandam eſſe Sanctam Euchariſtiam in articulo mortis, non ſolum ex Concilio, verum etiam ex præcepto. Ratio, quia præceptum communicandi in articulo mortis eſt præceptum Diuinum; cum autem præceptum Diuinum obliget hominem præditum vſu rationis ſequitur, Euchariſtiam dandam eſſe illi, dumtaxat in mortis articulo etiamſi inciderit in amentiam. Quod ſit illi dandam dumtaxat in articulo mortis patet, quia tanti Sacramenti dignitas, ac reuerentia poſtulat, vt ſine graui cauſa, ac neceſſitate non detur, niſi his, qui cum actuali diſpoſitione, & deuotione accipere poſſunt; talis autem neceſſitas ſolum in articulo mortis cernitur, ne amentes abſque Sacro Viatico diſcedant, quod ante amentiam, ſeu explicitè, ſeu implicitè deſideraſſe eo ipſo præſumitur, eo ipſo, quod catholicè vixerunt; cum verò propoſitum, ac deſiderium ipſi in tali ſtatu per ſe exequi non poſſint, Eccleſia meritò ſuplet. Excipitur tamen niſi conſtet, vel præſumi debeat aliquem in ſtatu peccati mortalis, atque impœnitentem in amentiam incidiſſe. Item ſi amens ſine periculo irreuerentiæ communicare non poſſit; Similiter ſi ſpes ſit, amentem recepturum vſum rationis, tunc tale tempus expectandum eſt, vt maiore cum reuerentia, ac fructu Sacramentum ſuſcipiatur. Tertiò, ſemifatui, qui debilem, & imperfectum vſum rationis obtinent, poſſunt percipere S. Euchariſtiam, modo eum rationis vſum obtineant, vt peccare, & Sacramentalem abſolutionem accipere, atque inter cibum ſpiritualem, & prophanum diſcernere poſſint, alioquin ad S. Euchariſtiam non ſunt admittendi.

An mutus, & ſurdus à natiuitate Euchariſtiam percipere poſſint?

BRACTEA VII.

R. Mutum, & ſurdum à natiuitate Sacramentum Pœnitentiæ accipere poſſe. Ita Sanchez *lib*. 1. *de matrim. diſp*. 8. quia nutibus, ac ſignis peccata ſua confiteri poſſunt, & cum poſſint percipere tale Sacramentum, & etiam alia, ſequitur etiam poſſe percipere Sacramentum Euchariſtiæ, ſaltem Paſchali tempore, & in mortis articulo, ſi alioquin non indiſpoſiti appareant. Et ita Abbas *in cap. cum apud nos*. 6. *de ſponſalib*. quia licet talia homo diſtinctè, & doceri, & intelligere omnia non poſſit, quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum concurrunt, ſufficit tamen ſi ad S. Euchariſtiam accedat tanquam ad cibum non prophanum, ſed ſpiritualem in animæ ſuæ ſalutem diuinitus inſtitutum.

An energumenis ſit Euchariſtia danda?

BRACTEA VIII.

R. Illis dandam eſſe, dummodo ſine irreuerentia Sacramenti communicare poſſint. Ita docet Concilium Arauſicanum *Can*. 14. Sanctus Thomas 3. *part. quæſt*. 8. *art*. 9. Sotus *lib*. 4 *diſt*. 12. *quæſt*. 1. Suarez *tom*. 3. *diſp*. 69. *ſect*. 2. Excipitur tamen niſi tales energumeni ſint, qui propter publica ſcelera tanquam reciſi, & excommunicati ab Eccleſia Diabolo traditi ſunt ad vexationem, aut ſi conſtet, & præſumi poſſit propter ſcelus quodcunque, adeoque in ſtatu peccati incidiſſe illos in poteſtatem Diaboli. Secundo, qui ſunt excommunica-

nica-

nicationis vinculo obſtricti, aut interdicto ſubiecti, excuſari ab huiuſmodi præcepto, niſi per ipſos ſteterit, quo minus ab excommunicatione, & interdicto abſoluantur, & quando ſunt ita impediti, vt abſolui nequeant, excuſantur.

A quo fideles debeant percipere Sacramentum Euchariſtiæ?

BRACTEA IX.

R. Fideles poſtquam ad annos diſcretionis peruenerunt, obligantur Euchariſtiam ſumere tempore Paſchatis à proprio Sacerdote. Et ita colligitur *ex cap. omnis vtriuſque ſexus*, & ex Tridentino *ſeſſ. 13. canon. 9.*

Sciendum nomine Paſchatis in Eccleſiaſtica determinatione ſumi communiter pro ſola die Dominica reſurrectionis Domini, ſed iuxta declarationem Eugenij Quarti pro tempore quindecimo dierum à Dominica Palmarum ad Dominica in Albis incluſiuè, ita vt communicans quocunque illorum dierum ſatisfaciat Eccleſiaſtico præcepto. Et ita Azorius 1. *part. lib. 17. cap. 41 quæſt. 2.* S. Thom. *in 4. ſententiar. diſt. 13. quæſt. 3. art. 4.* Silueſter *verbo Euchariſt. 3. num. 6.* Caietan. *verbo Communio*, & alij, vel etiam intelligi tempus à Dominica Quadrageſimæ vſque ad Octauam Paſchæ, vbi legitima conſuetudine receptum eſt, vt præceptum communicandi in Paſchate ita extendatur. Ita Nauar. *cap. 21. num. 45.* Azor. *loco cit. quæſt. 4.* Reginaldus *lib. 29. num. 77.* Henriquez *lib. 8. cap. 5. num. 1.* & alij. Secundò, hoc præceptum non poteſt impleri, niſi Euchariſtia ſumatur à proprio Sacerdote, vel ab alio de eius licentia. Ita Nau. *cap. 21. num. 52.* Suarez *diſp. 72. ſect. 2.* Azorius *loco cit. quæſt. 6.* Reginaldus *num. 90. & 94.* etiamſi communicauerit in Eccleſijs Religioſorum habentium priuilegium adminiſtrandi Euchariſtiam, quia cum ſit odioſum, intelligitur ſemper ſaluo iure Parochi; cui Summus Pontifex non præſumitur derogare.

Qualis ſumptio Euchariſtiæ ſumatur ad ſatisfaciendum præcepto?

BRACTEA X.

Sciendum tres modos ſumendi S. Euchariſtiam à S. Patribus afferri; Primus eſt Sacramentalis tantum, vt fit cum re ipſa quidem ſumitur Sacramentum, ſed ſine effectu gratiæ Sacramentalis, quia ſumitur indignè, & cum peccati mortalis conſcientia. Secundus modus, quo ſumi poteſt Euchariſtia eſt ſpiritualis, ille ſcilicet, qui fit per votum, & deſiderium huius Sacramenti, ad quem requiritur primò, vt terminetur formaliter ad ipſam Euchariſtiam. Secundò, vt huiuſmodi votum proficiſcatur ex fide viua, id eſt formata charitate; hæc enim parit fructum, & vtilitatem, ex quibus intelligitur, vt baptiſmum, ſic Euchariſtiam ſuſcipi poſſe in voto, nempè firma fide credendo Chriſtum in ea verè contineri, ſinceroque Charitatis affectu ipſum complectendo, ſeque illi vniendo. Tertius modus eſt Spiritualis, & Sacramentalis ſimul, quo quis dignè, & cum debita diſpoſitione ſumit hoc Sacramentum, vt fit ab his, qui prius ſe probantes tanquam veſte nuptiali induti ad hanc Diuinam menſam accedendo percipiunt re ipſa Sacramentum, & effectum ipſius, nimirum gratiam. Quo poſito

R. Satisfieri huic præcepto ſumendo Euchariſtiam hoc tertio modo, non item ſumendo ſecundo modo; De primo modo dubium eſt, an ſatisfaciat præcepto, qui tantum Sacramentaliter ſumit, ad quod reſpondeo ſatisfacere tam Diuino, quam Eccleſiaſtico. Ratio eſt, quia hoc præceptum obligat ſolummodo materialiter, & non formaliter, ſiue ſecundum rem, & ſubſtantiam, non autem ſecundum modum; at qui le communicat primo modo, ſatisfacit materialiter, & ſecundum ſubſtantiam obligationi; ergo, &c. Tùm quia lex, ſiue Diuina, ſiue humana præcipiens actum non præcipit illius modum, niſi is eſſentialis ſic eidem actui, ſicuti ſicuti eſſentiale eſt orationem fieri cum attentione, & Confeſſionem fieri cum integritate. At conſcientiæ puritas non eſt de eſſentia Sacramentalis Communionis, quia negari non poteſt eum reuera percepiſſe Euchariſtiam, qui voluntariè, ac ſcienter ſumpſit Euchariſtiam, quamuis indignè ſumpſerit, & per conſequens impleuiſſe præceptum quoad ſubſtantiam actus.

Sciendum 2. Communicando cum conſcientia peccati mortalis eo tempore, quo præceptum Diuinum obligat non tantum perpetrari peccatum omiſſionis tranſgreſſione præcepti affirmatiui, ſed etiam peccatum commiſſionis tranſgreſſione præcepti Diuini negatiui de non ſumenda indignè Euchariſtia, iuxta illud Pauli in 1. ad Corinthios 11. *Probet autem ſe ipſum homo*. Secundò, eum, qui peccati mortalis reuera reus eſt, ſed id neſcit, putatque bona fide ſe legitimè contritionem habuiſſe, aut ritè de eis confeſſum eſſe recipiendo Euchariſtiam ſatisfacere præcepto tam Diuino, quam Eccleſiaſtico. Tertiò, Communicantem in Paſchate cum peccati mortalis conſcientia Sacramentaliter tantum ſumendo Euchariſtiam, peccare quidem mortaliter contra ius Diuinum indignè ſumendo, non tamen contra præceptum Eccleſiaſticum; quod implet ſecundum eius ſubſtantiam conſiſtentem in reali ſumptione Sacramenti, quam ipſe exequitur. Nec refert, quod non exequatur modo debito, quia modus non cadit in præceptum, niſi ſit de eſſentia actus. Quartò, excommunicatum, aut alia cenſura Eccleſiaſtica impeditum à perceptione Euchariſtiæ, ſumendo eam peccare tam contra ius Diuinum, quam contra ius Eccleſiaſticum: contra ius Diuinum, quia indignè ad illam accedit; contra Eccleſiaſticum, quia prohibetur à ſumptione Sacramenti.

An Parochus in ſua Parochia poſſit facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam alteri ſimplici Sacerdoti delegare, etiamſi non ſit ab Epiſcopo approbatus ad miniſtranda Sacramenta?

BRACTEA XI.

R. Affirmatiuè; & ita Suarez *diſput. 72. ſect. 2.* Ratio eſt, quia in adminiſtrante ſimpliciter Euchariſtiam non requiruntur qualitates, quæ requiruntur in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, nimirum ſcientia, & prudentia, quæ per Epiſcopum debent cognoſci, an in miniſtrante Sacramenta ſint; ſed requiritur tantum, vt ſit Sacerdos; ergo Parochus ſine auctoritate Epiſcopi poteſt ſimplici Sacerdoti delegare auctoritatẽ

miniſtrandi Sacramenta. Secundò, deficiente Parocho, & vrgente articuli mortis neceſſitate poſſe fideles accipere Euchariſtiam à ſimplici Sacerdoti, ſiue ſæculari. Ratio eſt, quia in eo articulo, vt Eccleſia ſimplici Sacerdoti cõcedit poteſtatẽ adminiſtrãdi Sacramentũ pęnitẽtię iuxtà *cap. quod in te de pęnit. & remiſſ.* ita & Sacramentum Euchariſtiæ. In alijs verò neceſſitatibus ad hoc, vt de manu licitè ſimplicis Sacerdotis poſſit quis percipere Euchariſtiam requiritur præſumpta rationaliter Parochi voluntas, vel certè Epiſcopi. Tertiò, ſumentem in Paſchate Euchariſtiam de alterius manu, quam proprij Sacerdotis ſine licentia ipſius non ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico, vt patet *ex cap. omnis vtriuſque ſexus de pęnit. & remiſſ.* Si verò Parochus liberum relinquat ſuis ſubditis, vt in Paſchate, vbi voluerint Sacroſanctam Euchariſtiam ſumant, poſſe, tunc ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiaſtico etiam de Religioſorum manibus eam ſumere, non obſtante Clementina prima.

An qui in aliena Parochia commoratur ad certum tempus, obligetur Sacram Euchariſtiam in ea ſumere?

BRACTEA XII.

R. Id licere peregrinis viatoribus, & his, qui extrà Parochiam ſuam ad certum tempus, vel domicilium habent, vel commorantur; eos verò, qui in ipſo tempore Paſchatis in aliena Parochia degentes ad ſuam accedere commodè nequeunt, Eugenius Quartus declarauit iure poſſe in Parochia, in qua degunt Euchariſtiam accipere. Ita Azorius *lib. 7. cap. 41. quæſit.* 8. Caietan. *verb. abſolutio à peccatis*, Sotus *in 4. diſt.* 18. *quæſt. 4. artic.* 2. Nauar. *in cap. placuit de pęnit. diſt. 6. num.* 27. & alij.

An Sacerdos debeat miniſtrare Euchariſtiam quoties petitur?

BRACTEA XIII.

Sciendum duplicem obligationem eſſe in Miniſtro Sacramenti Euchariſtiæ: Primam ratione officij ex iuſtitia, quæ conuenit Parochis, & Superioribus animarum. Alteram ex charitate, quæ cõprehendit licitè miniſtrantes, reſpectu cuiuſcunque exiſtentis in neceſſitate. Quo poſito

R. Teneri proprium Paſtorem, ſiue obligatum ratione officij miniſtrare S. Euchariſtiam, quoties oues rationabiliter, & opportunè petunt. Ita Adrianus *quæſt. 5. de confeſſ. dub.* 8. Sotus *diſt.* 12. *art. 6.* Nauarr. *cap. placuit de pęnit. diſt. 6. num.* 162. Ratio eſt, quia Parochi aluntur à Subditis non ſolum ad neceſſaria, verum etiam ad vtilia, & opportuna ſaluti animarum; & ideò non ſolum tenentur in diebus feſtis, ſed etiam alijs Sacrum facere in Parochiã, & Confeſſiones audire quando Subditi indigent; Secus verò dicendum eſt de Miniſtro, qui ſolum ex charitate obligatur miniſtrare Euchariſtiam, quia iſte denegãdo non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet; licet non debeant eſſe difficiles regulariter in miniſtrando tale Sacramentum: immò potius Subditorum deuotionem adiuuent, & quoad fieri poteſt alliciant.

An peccatori ſit miniſtranda Euchariſtia?

BRACTEA XIV.

R. Publico peccatori ſemper eſſe denegandam. Et ita communiter omnes. Ita colligitur *cap. multi 2. quæſt.* 1. vbi dicitur hic de conuictis aliquo crimine, ſed eadem eſt ratio de aliis, quorum peccatum ita eſt publicum, vt nulla tergiuerſatione poſſit celari. Tum etiam, quia tales non habent ius petendi, nam eorum ſtatus manifeſtus eſt, & ius Diuinum exigit, vt ipſis non detur. Secundò, peccatori occulto occultè petenti Euchariſtiam deneganda eſt; & ita communiter omnes; & colligitur *ex cap. ſi tantum 6. quæſt.* 2. vbi dicitur, Epiſcopum, qui nouit aliquem eſſe peccatorem, debere, ſi ſolus ipſe nouit ſecretò eum monere, & communione priuare; tum quia peccator occultus nullum habet ius ad tale Sacramentum; ergo ſi occultè petat, poteſt illi denegari. Ita Filiucius *tract. 4. de Euchariſt. cap. 9. num.* 278. Si verò peccator occultus publicè petat Euchariſtiam, non eſt illi deneganda. Ita communiter Doctores, & colligitur *ex cap. ſi tantum, cap. Sacerdos de officio Ordinarij*. Ratio eſt, quia ad bonum Eccleſiæ gubernatorem pertinet, vt bona communia diſpenſentur à Miniſtro communi non ſecundum priuatam ſcientiam, ſed publicam, quia alioquin ſequerentur multa ſcandala, &c.

An quilibet fidelis poſſit Euchariſtiam, aliaque Sacramenta recipere in Cathedrali?

BRACTEA XV.

R. Quemlibet poſſe in Cathedrali Eccleſia Sacramenta recipere, modo Subditus ſit illius Diœceſis. Ratio eſt, quia Eccleſia Cathedralis eſt mater omnium, cum in illa reſideat communis Diœceſis Paſtor, qui verè eſt proprius Sacerdos, & Paſtor omnium illius Diœceſis, etiam inuito Parocho poſſe adire Epiſcopum pro Sacramentis ſuſcipiendis. Ratio, quia Epiſcopus eſt propriè Paſtor vniuerſalis, & ad ipſum ſpectat curam vniuſ animarum ſuæ Diœceſis. Ita *cap. quæcunque* 10. *quæſt.* 1. & *cap. præcipimus* 12. *quæſt.* 1. & omnes communiter *in cap. omnis vtriuſque ſexus de pęnit. & remiſſ.* Secundò, Laici inſeruientes Religioſis, & in Monaſteriis commorantes non obligantur ſumere Euchariſtiam in Parochia, ſed poſſunt illam ſumere in Eccleſiis Monaſterii, & vt ſic ſatisfacere præcepto annuæ Communionis. Ratio, quia videntur commorando in Monaſteriis exempti à Parochia; tum quia ſicut ibi poſſunt ſepeliri inconſultis Parochis, ita etiam videntur ibi poſſe Sacramenta ſumere. Et ita Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 23. num.* 12.

An qui non communicauit in Paſchate, teneatur poſtea quamprimum communicare?

BRACTEA XVI.

R. Tranſactis diebus Paſchalibus obligari etiam communicare ſtatim, ac commodè poteſt, & non ſe communicando non committit nouum peccatũ, ſed ſolummodo auget prius. Ita Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 40. quæſit.* 5. Graff. *part. 1. lib. 2. cap. 38. num.* 25. Suarez *diſp. 70. ſect.* 2. Conin-

chus

ebus *quaſt.* 80. *art.* 11. *dub.* 4. Ratio eſt, quia dies Paſchales non præſignantur ad finiendam obligationem præcepti, ſed ad ſollicitandam, ne differatur vltra dies Paſchales, cum intentio principalis Eccleſiæ ſit obligare fideles ſaltem ſemel in anno ad ſumptionem S. Euchariſtiæ. Vnde cum in Paſchate præcipiatur Communio duo iubentur, vnum vt eo tempore Euchariſtia ſumatur, alterum, vt niſi eo die id fiat, id præſtetur prima opportunitate oblata. Quod autem præceptum Communionis ſit abſolutè datū, & non cum determinatione temporis patet ex verbis, quæ habentur *in cap. omnis vtriuſque ſexus* ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum. Tum quia ſic videtur communi vſu, & conſuetudine Eccleſiæ receptum, cum Eccleſia ſoleat eos, qui non communicarunt in Paſchate, vel poſt aliquod tempus interdicere, eoſque ab interdicti vinculo non abſoluere, donec confiteantur, & decernant communicare. Tum etiam, quia ſicut ſi Confeſſarius præcipiat ieiunium in feria ſexta, ſi ea die Pœnitens non ieiunet, debet alia die ieiunare, quā commodè poteſt, & qui obligatur debitum ſoluere tali die, ſi tunc non ſoluat, non ex hoc liberatur ab obligatione ſoluendi, ſed debet alia die ſoluere, ſic etiam qui ſtatutis diebus Paſchalibus Sanctam Euchariſtiam non ſumit, obligatur eam ſumere quamprimum commodè poterit, cum principalis intentio Eccleſiæ ſit obligare fideles ad ſumptionem ipſius Euchariſtiæ, ſecundariò verò in diebus Paſchalibus.

An qui iam ſatisfecit præcepto Communionis Dominica in Palmis, vel alia die, poſſit diebus Paſchalibus communicare vbicunque voluerit?

BRACTEA XVII.

Affirmative: Ratio, quia iam adimplèuit præceptum Communionis in propria Parochia: ergo non amplius de iuſtitia, vt ſatisfaciat præcepto, obligatur in ea ſumere, aut de manu Parochi, cum nullo iure obligetur tribus diebus Paſchalibus, ſi velit Communionem percipere, ipſam ſumere in Parochia; ergo ſi velit communicare, poteſt à quocunque eo die Communionem ſumere. Tum quia priuilegia, in quibus conceditur facultas Euchariſtię adminiſtrandæ, excepto die Paſchatis, intelliguntur formaliter pro Communione Paſchatis, & de ſatisfactione Præcepti, non autem de aliis Communionibus, quæ ſiunt deuotionis gratia. Ita Nugnus *quaſt.* 82. *art.* 3. Rodriquez *in ſum. cap.* 64. *de communion. num.* 1. & alii.

An qui præuidet ſe in Paſchate à Sacra Communione impeditum iri, teneatur tempus præſcriptum præuenire?

BRACTEA XVIII.

Negativs, dummodo intra eum annum ſemel communicarit: Ita Suarez *diſput.* 70. *ſect.* 2. *dub.* 3. Coninch. *quaſt.* 80. *art.* 11. *dub.* 4. Ratio, quia nemo obligatur ad anticipandum præceptum, niſi tali anticipatione ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de Communione Paſchali; ſed ſuppoſita tali anticipatione non ſatisfacit præcepto, quia ante prædictum tempus præceptum Communionis non obligat; ergo adhuc remaneret obligatus ad communicandum, vt ſatisfaceret præcepto. Tum etiam, quia præceptum debet eo tempore impleri, pro quo eſt impoſitum, niſi vllum interueniat iuſtum impedimentum: Præceptum autem, de quo agimus impoſitum eſt pro tempore Paſchali; ergo Communio, quæ hoc tempus anteceſſit, non eſt impletiuā illius, maneſque eadem obligatio, quæ erat antea. Dixi dummodo intra annum, quia ſi poſt vltimum Paſchale tempus nunquam quis ſumpſit Euchariſtiam, & præuideat tempore Paſchali ſe impeditum iri ad ipſam ſumendam, in iſto caſu tenetur præuenire ne vltra annum Sacram Communionem differat contra Eccleſiæ præceptum, vt ſingulis annis ſaltem in Paſcha Euchariſtiæ Sacramētum ſuſcipiatur, cum enim in hoc Sacramento duo ſint, vnum principale, ac ſubſtantiale, alterum acceſſorium, vt tempore Paſchali tanquam omnium congruentiſſimo Sacramentum ſuſcipiatur, tametſi anticipando non poſſit ſumens Euchariſtiam implere hoc ſecundarium, & acceſſorium, poteſt tamen adimplete, quod eſt magis principale, & ſubſtantiale. Ita Laym. *in Theol. mor. lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 8.

An poſſit Miniſter non celebrans communicare ſe ipſum?

BRACTEA XIX.

Non extare ius aliquod, quod requirat neceſſariò diſtinctionem inter miniſtrantem, & ſuſcipientem. Ratio, quia nec tale ius legitur, nec ſola conſuetudine colligitur, cum potius olim legamus ſolitos fideles communicare ſe ipſos, vel in Eccleſia ſumentes propriis manibus, ad quod fœminæ vtebantur linteis quibuſdam, quę Dominicalia vocabantur: Henriquez *cap.* 54. *lib.* 1. vel ad proprias domos deferendo, ibique ſe communicando propter imminens periculum tyranni. Ratio ergo diſtinctionis oritur ex eo, quod non omnes habent ius diſpenſandi, ſed ſolus Sacerdos, ideoq; alii ab eo non poſſunt ſumere, neque etiam Diaconus, niſi de licentia Præsbiteri. Secundò, extra caſum neceſſitatis Sacerdotem non debere communicare ſe ipſum. Ratio eſt, quia Sacerdos extra caſum neceſſitatis non habet iuſtam cauſam communicandi ſe ipſum, cum iſte caſus ſolum concedatur in caſu neceſſitatis, & non extra. Quod ſi ægrotet, & non adſit Sacerdos, ſi Diaconus hoſtiam deferat, poteſt propriis manibus ſe communicare. Ita Durandus *diſt.* 13. *quaſt.* 4. *num.* 7. Tertiò, Laicus extra caſum neceſſitatis non debet communicare ſe ipſum Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 3. in caſu autem neceſſitatis nihil obſtare videtur, quo minus ſe ipſum communicare poſſit ceſſante ſcandalo exemplo Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium ſubitura Sacramentum Euchariſtiæ, quod ſecum habebat propriis manibus ſumpſit.

An ſola fides ſit ſufficiens ad dignè ſumendam Euchariſtiam?

BRACTEA XX.

R. SVMENTEM Euchariſtiam debere eſſe baptizatum: Ratio, quia baptiſmus eſt ianua Sacramentorum: quam ob rem infidelis communicans non dicitur recipere Euchariſtiam formaliter, ſed materialiter tantum. Secundò, ſolam fidem non eſſe ſufficientem ad dignè ſumendam Euchariſtiam. Ita ex Concilio Tridentino *ſeſſ* 13. *cap*. 7. Ratio eſt, quia cum vera fide poteſt quis habere peccati mortalis conſcientiam, iuxta illud Math. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine*, cum qua tamen conſcientia nemo poteſt accedere ad ſumptionem Euchariſtiæ.

Sciendum eum non modo habere conſcientiam peccati mortalis, qui affectum habet peccandi, ſed etiam is, qui & ſi affectum non habeat ad peccatum mortale, tamen ſciens illud à ſe anteà commiſſum eſſe, & adhuc in ipſius anima, quoad maculam, & reatum perſeuerare non dolet de illo, nec illud deteſtatur ſufficienter ad illius expulſionē.

Quæ intentio requiratur in ſuſcipiente Euchariſtiam?

BRACTEA XXI.

R. QVAMLIBET intentionem eſſe ſufficientem, ſiue ſit habitualis, ſiue actualis, ſiue virtualis, explicita, vel implicita, vnde vt ſupra dictum eſt Euchariſtiam adminiſtrari poſſe ei, qui poſt vſum rationis lapſus eſt in amentiam, quia cenſetur ſaltem habitualiter habere intentionem ſumendi ipſam implicitè, licet ſi amentia non ſit perpetua, ſed habeat lucida interualla, debeat expectari tempus, quo ipſa habeat, modo non ſit periculum vomitus, vel alterius irreuerentiæ. Ratio eſt, quia hoc nullo iure prohibetur. Tum etiam, quia adeſt neceſſitas amentis, qui per Euchariſtiam cum attritione præmiſſa ante amentia, poteſt gratiam obtinere, & conſequenter ſaluari. Amentibus verò, qui nunquam habuerunt vſum rationis perfectum non eſt danda, cum in illis non poſſit ſupponi intentio ſaltem habitualis recipiendi ipſam. Ita Bonacina *diſp*. 4. *quæſt*. 6. *num*. 5.

An in ſumente Euchariſtiam requiratur quod ſit in gratia?

BRACTEA XXII.

R. SVMENTEM Euchariſtiam requiri, quod taliter ſint in gratia, vt non habeat conſcientiam peccati mortalis. Vnde in eo, qui ſcit ſe peccato mortali contaminatum requiri pœnitentiam tamquam neceſſariam diſpoſitionem ad conſequendum eiuſdem Sacramenti ſalutarem Diuinæ gratiæ effectum ad vitandum peccatum mortale, quod indignus ſumens committit iuxta Apoſtolum, *Iudicium ſibi manducat, & bibit*. Ita S. Thom. *quæſt*. 80. *art*. 5. Suarez 3. *part*. *diſp*. 66. *ſect*. 1. *&* 2. Henriquez *lib*. 8. *cap*. 45. & alij. Secundò, peccata venialia non impedire dignam ſumptionem, vel effectum huius Sacramenti. Ita S. Thomas *quæſt*. 79. *art*. 8. quia potius Sacramentum ex operè operato delet venialia, quibus voluntas ſuſcipientis neque actualiter, neque virtualiter inhæret. S. Thomas *quæſt*. 79. *art*. 4. & *in* 4. *diſt*. 12. *quæſt*. 2. *art*. 1. *quæſt*. 1. Peccata verò venialia, quæ actu in ſumptione Sacramenti committuntur, neque etiam impedire eius effectum, qui eſt gratiæ habitualis augmentum, & remiſſio peccatorum venialium. Ita S. Bonauentura *in* 4. *diſt*. 12. *pun*. 2. *art*. 1. *quæſt*. 1. & alii. Ratio, quia Sacramenta ex opere operato conferunt gratiam his, qui non ponunt obicem: at qui eſt in peccato veniali, non cenſetur habere obicem ad gratiam; ergo, &c. licet qui cum peccato veniali actuali S. Euchariſtiam ſumit præter illud plerunque aliud veniale committit, nimirum irreuerentiæ, ſi ſcienter cum peccato veniali accedat ad Sacramentum Euchariſtiæ. Ita Suarez *diſp*. 66. *ſect*. 1. Tertiò, peccatum mortale per ſe loquendo, & immediatè impedire effectum huius Sacramenti. Ita S. Thomas *quæſt*. 80. *art*. 4. S. Bonau. *in* 4. *diſt*. 9 *art*. 2. *quæſt*. 3. & alij communiter; & ideoque cum conſcientia peccati mortalis communicans committit graue peccatum ſacrilegij, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt peculiariter, vt hominem cum Chriſto vniat, cui vnioni, quam maximè repugnat peccatum mortale, quippe quod hominem à Deo auertit, & inimicum reddit. Vnde D. Paulus ad Corinthios 2. *Probet autem ſe ipſum homo*, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.

An qui non habet peccatum mortale, neceſſaria ſit illi actualis deuotio ad dignè ſumendam Euchariſtiam?

BRACTEA XXIII.

R. Ex defectu actualis deuotionis in ſumptione Euchariſtiæ impediri ſpiritualem guſtum, ſeu perceptionem Cœleſtis dulcedinis, quam hic Diuinus Cibus ſolet animæ deuotè aſſumenti afferre; ideoq; valdè vtile eſſe ad conſequendum ex huius perceptione Sacramenti talem effectum, cum actuali deuotione ipſum ſuſcipere, proque in Deum motu, ſiue gratitudinis, ſiue amoris, &c. ad quem prouocamur tanti beneficij magnitudine, ſicut & peccatorum noſtrorum deteſtationem. Verum ſi ex aliqua cauſa, v. g. infirmitatis, &c. deficiat talis actualis deuotio non ex hoc Sacramentum deſinit producere ſuũ effectum cum carentia actualis deuotionis non reddat recipientem incapacem gratiæ Sacramentalis; & ideò actualis deuotio exigitur, vt vtilior, & magis fructuoſa diſpoſitio requiratur ad guſtum ſpiritualem, non autem vt diſpoſitio neceſſaria ad recipiendum primarium effectum Sacramenti.

An homo ante ſumptionem Sacramenti debeat ſe ponere in gratia per Confeſſionem, ac ſatis ſit per contritionem?

BRACTEA XXIV.

R. REGVLARITER eum, qui habet conſcientiã peccati mortalis debere ſe probare, & diſponere ad gratiam per Confeſſionem, & non per contritionem. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ*. 13. *cap*. 7. his verbis: Et ne tantum Sacramentum indi-

gnè, atque adeò vt in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, ac declarat ipſa Sancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat quantumcunque ſe contritos exiſtiment habita copia Cõfeſſarij neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Ratio eſt, quia 1. ad Corinthios 11. habetur: *Probet autem ſeipſum homo, &c.* ex quo ſequitur accedentem ad Euchariſtiam ſumendam debere ſe probare per Confeſſionem vt consuetudo Eccleſiaſtica declarat. Ita Suarez *diſput. 66. ſect. 3.* Nauarrus *cap. 22. num. 10.* Valentia *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 8. pun. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 31.* Rodriquez *in ſumma cap. 65. de commun. num. 1.* Chamerota *cap. 10. dub. 11.* & alij. Quod non modo dicendum eſt de eo, qui habet conſcientiam peccati mortalis, ſed etiam de eo, qui dubitat aliquod peccatum commiſiſſe, & ſi dubium præponderet, ita vt dubitans magis tendat in partem negatiuam, quam affirmatiuam. Ita Em. Sâ *verbo Confeſſio num. 7.* Suarez *de pœnitent. diſp. 22. ſect. 9. num. 1.* Azorius *1. par. lib. 11. cap. 4. quæſit. 3.* Clauis regia *lib. 1. cap. 3. num. 4.* Valentia *tom. 4. diſput. 7. quæſt. 9. pun. 3.* Sanchez *in ſumma lib. 1. cap. 10. num. 66.* & non modo ſi dubium præponderat, verùm etiam ſi dubium ſit æquale, obligatur etiam ad Confeſſionem. Ratio, quia non confitendo exponeret ſe periculo recipiendi Euchariſtiam indignè, & per conſequens committendi peccatum ſacrilegij. Ita Reginaldus *lib. 29. cap. 6. num. 99.* Silueſter *verbo Confeſſio 2. num. 2.* Suarez *loco citato num. 6.* Verùm ſi æqualiter dubitans deponat practicè dubium, tunc non neceſſe erit illi præmittere Confeſſionem ante ſumptionem Euchariſtiæ. Ita auctores citati. Dixi regulariter, quia dantur plures caſus, in quibus ſumendo Euchariſtiam non tenetur præmittere Confeſſionem Sacramentalem. Primus caſus eſt neceſſitas communicandi, vel celebrandi, ſi non adſit copia Confeſſarij, vt eſt articulus mortis, & in eo conſtitutus non habeat copiam Confeſſarij, habens tamen commoditatem communicandi, quia tunc ſatis erit, vt eliciat actum Contritionis. Secundus caſus eſt infamiæ, vt quando non poteſt omittere Communionem ſine graui infamia, quia cum præceptum poſitiuum Confeſſionis ſit affirmatiuum, nõ obligat ad ſemper, & cum tanto rigore, vt oporteat ad illius obſeruationem ſubire detrimentum in fama, quod grauiſſimum eſſe iudicatur. Vnde qui præmiſſa peccatorum Confeſſione percepturum cum aliis acceſſit ad linteum, ſed poſtquam acceſſit, recordatur alicuius peccati obliti, non tenetur recedere, & adire ad Confeſſarium, nam exponeret ſe periculo infamiæ indicando ſe aliis habere cõſcientiam alicuius peccati mortalis, cum peccatum veniale non impediat ſumptionem Euchariſtiæ. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 49.* Rodriquez *in ſumma cap. 65. num. 1.* Silueſter *verbo Euchariſtia 2. num. 10.* Sotus *in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 46.* & alii. Verùm ſi commodè, & abſque ſuſpicione infamiæ, aut ſcandali poteſt recedere, tenetur recedere, vt ſe ſuſtificet à tali peccato per Cõfeſſionem, quia præceptum Confeſſionis obligat ad confitendum omnia peccata mortalia, niſi aliqua iuſta cauſa excuſet. Quando autem poteſt commodè recedere, in iſto etiam caſu non datur iuſta cauſa excuſans; ergo, &c. Tertius caſus eſt ratione ſcandali, vt quando ſequeretur ſcandalum omittendo Miſſam, vel Communionem, nam ex Charitate vitandum eſt ſcandalum. Verùm cum duplex ſit ſcandalum, vnum generale, quod conſiſtit ſolùm in ſimplici admiratione aliud ſpeciale, quod præter admirationem præbet etiam occaſionem malè iudicandi, detrahendi, vel murmurandi, hic non loquimur de ſcandalo vllo generali, quia talis admiratio non eſt res magni momenti, nec affert graue damnum, ſed loquimur de ſcandalo ſpeciali, quo aliis præbetur occaſio malè iudicandi, &c. Vnde qui ratione ſcandali vitandi, vel alia iuſta cauſa cogitur communicare, vel celebrare non tenetur Confeſſionẽ præmittere, ſi non habeat copiam Confeſſarii approbati, etiamſi habeat copiam alterius Confeſſarii non approbati, vel excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti. Cenſetur enim carere copia Confeſſarii habentis facultatem abſoluendi. Verùm ſi talis ſit in articulo, vel periculo mortis tenetur confiteri, dummodo habeat copiam Sacerdotis, vel Confeſſarii excommunicati vitandi, ſuſpenſi, &c. Ratio, quia quilibet in illo caſu habilitatur à iure. Azorius *1. par. lib. 20. cap. 31. quæſt. 2.* & alii communiter. Quartus caſus eſt neceſſitas proſequendi Miſſam incohatam, vt quando Sacerdos inchoata Miſſa meminit alicuius peccati mortalis, ſi poſt conſecrationem recordetur illius, ſatis eſt, quod eliciat actum Contritionis. Si verò ante conſecrationem non tenetur relinquere, vt confiteatur, nec tenetur etiam ad ſe vocare Confeſſarium, etiamſi commodè poſſet, quia regulariter eſſet periculum ſcandali. Suarez *diſput. 66. art. 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 46.* Valentia *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 8. pun. 3.* Coninchus *quæſt. 80. art. 4. dub. 2. num. 16.* & alii. Similiter Sacerdotem, qui incohata Miſſa recordatur ſe eſſe excommunicatum, aut non ieiunum, non teneri Miſſam relinquere, nec vocare ad ſe Confeſſarium propter periculum ſcandali, & infamiæ, quia ingereret aliquam prauam ſuſpicionem in audientibus Miſſam, &c. Denique ſi antequam Miſſa ſit inchoata recordetur alicuius peccati, tenetur exuere ſe ſacris veſtibus, & quærere Confeſſarium, vt confiteatur, quia ex parte ſacrificii excuſari non poteſt, cum actio ſacra nondum ſit inchoata. Poterit tamen excuſari ratione ſcandali, vel infamiæ, vt v. g. ſi iam exiuit è Sacriſtia, vt accedat ad Altare, aut ſi iam eſt propè Altare, &c. Quintus caſus eſt neceſſitas ſatiſfaciendi ſuo officio, qualis ob longiorem diſtantiam ab aliis Sacerdotibus ſolet eſſe in Parocho ruſticano qui tenetur Miſſam celebrare diebus feſtis, vt populus Miſſam audiat; nam quando nequit copiam Confeſſarii habere poteſt propter eiuſmodi neceſſitatem celebrare non præmiſſa Confeſſione cum interiori tamen contritione. Quod etiam dicendum eſt de omnibus, ad quos ſpectat quocunque titulo ratione officii celebrare non habentibus copiam Confeſſarii, poſſe celebrare, non præmiſſa Confeſſione Sacramentali, ſed ſolùm cum Contritione interna.

Sciendum illum, qui tenetur in Paſchate communicare non teneri per ſe loquendo ſumere Euchariſtiam, non præmiſſa confeſſione peccatorum. Ratio, quia neceſſitas ſumendi Euchariſtiam in Paſchate, quam Eccleſiaſticum præceptum imponit, non eſt cauſa ſufficiens, vt ille qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, poſſit licitè Communionem percipere non præmiſſa Confeſſione Sacramentali, niſi infamia, vel ſcandalum adiungeretur. Quod etiam dicendum eſt de eo, qui ratione præcepti Eccleſiaſtici tenetur in die feſto Miſſam audire, vel celebrare; hic enim vt ſatisfaciat præcepto celebrandi, non poteſt celebrare, niſi præmiſſa Confeſſione, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis. Ratio, quia non dicitur eſſe in neceſſitate celebrandi ratione præcepti Eccleſiaſtici, cum præceptum Diuinum celebrandi, ſeu communicandi præmiſſa Confeſſione Sacramentali præponderet præcepto Eccleſiaſtico Miſſæ. Quod item dicendum eſt de eo, qui non ex præcepto Diuino, aut naturæ, ſed ſolùm ex deuotione, aut ratione voti vult Communionem percipere, vel ob magnum

fructum

fructum, quam ob frequentiam Communionis ſolet percipere non poſſe eam ſumere, niſi præmiſſa Confeſſione. Ita plures citati apud Bonacinam *diſput.4. quæſt.6.pun.1 num.26.* Ratio eſt, quia non præſumitur adeſſe neceſſitas communicandi, & præceptum Diuinum præmittendæ Confeſſionis præualere debet actui, qui non eſt in præcepto, ſed ex mera deuotione.

Quanta loci diſtantia requiratur inter pœnitentem, & Confeſſarium, vt pœnitens dicatur non habere copiam Confeſſarij?

BRACTEA XXV.

R. RELINQVI hoc iudicio prudentis viri habita conſideratione loci, temporis, & perſonæ, quia fieri poteſt, vt reſpectu vnius perſonæ ſpatium vnius Leucæ ſufficienter inducat diſtantiam, propter quam excuſetur pœnitens celebrando, vel Communionem percipiendo ſine præmiſſa Confeſſione, vt ſi Parochus in die feſto incidat in peccatum matutino tempore, quo debet pœnitentum Confeſſiones excipere, & celebrare eodem tempore, & non poſſit ad Confeſſionem accedere abſque ſcandalo, vel infamia. Ita Nugnus *quæſt.30.art.4.* Reginaldus *lib.29.cap.6.num.*103. Henriquez *cap. 47. num.60.* & alii. Vnde illa diſtantia ſufficiens poteſt cenſeri, quæ ob difficultatem itineris, vel breuitatem temporis, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum ſcandali, vel infamiæ pœnitens non poteſt hic, & nunc Confeſſarium adire ſine magno incommodo.

An pœnitens celebraturus ex neceſſitate, ſi habeat peccata mortalia reſeruata, & alia non reſeruata, teneatur confiteri?

BRACTEA XXVI.

R. RESPECTV non reſeruatorum teneri confiteri. Ratio eſt, quia reſpectu horum non cenſetur habere iuſtam cauſam, qua ſe eximat à Confeſſione, cum directè poſſit abſolui à non reſeruatis, modò tamen Sacerdos celebraturus ex neceſſitate propoſitum habeat comparendi pro peccato reſeruato coram legitimo Superiore, vt ab eo directè abſoluatur. Secundò, qui habet peccatum mortale reſeruatum, & aliqua venialia non teneri per ſe loquendo ante celebrationem, vel Communionem præmittere Confeſſionem venialium, etiamſi communicaturus putet ſe non eſſe contritum. Ita Suarez *diſput.66.quæſt.3.* & alii. Ratio eſt, quia peccatum veniale, nullum ponit obicem ad conſecutionem effectus Sacramenti Euchariſtiæ. Tertiò, qui præmiſſo examine conſcientiæ credit ſe eſſe in ſtatu gratiæ, licet revera non ſit, quia habet peccatum mortale, quod inuincibiliter ignorat recipere fructum, & effectum Sacramenti, ſi actum Contritionis, vel ſaltem Attritionis eliciat. Ratio, quia accedendo bona fide ad Sacramentum non cenſetur ponere obicem ad gratiam elicito Contritionis, vel Attritionis actu. Ita S.Thomas *3.par.quæſt.79.art.3.* Suarez *diſput. 63.ſect.2.* Henriquez *lib.8.cap.45.num.2.* Tertiò, committere ſolùm vnum peccatum, qui cum poſſit, ſuſcipit Euchariſtiam, non præmiſſa Confeſſione, quando non obligatur ad Confeſſionem iure Diuino, vel naturæ, ſed ſolùm per ordinem ad Communionem. Ratio, quia cenſetur ſolummodo committere peccatum contra vnum præceptum; nimirum in ordine ad ſumptionem Sacramentum Euchariſtiæ; ſi verò alio titulo teneretur, tunc peccaret dupliciter: primo peccato omiſſionis contra præceptum Confeſſionis: ſecundò, peccato omiſſionis per indignam Euchariſtiæ ſumptionem. Ita Azorius *lib.1.cap.* 30. Nugnus *quæſt.80.art.4.* & alii: quartò, accedendo ad ſumptionem Euchariſtiæ non præmiſſa Confeſſione non peccare contra præceptum Eccleſiaſticum, ſed tantum contra præceptum Diuinum præmittendæ Confeſſionis ante ſumptionem Euchariſtiæ, iuxta illud D.Pauli 1.ad Corinthios 11. *Probet autem ſeipſum homo, &c.* Cum hoc præceptum cenſeatur a Deo, & per cõſequens Diuinum, & non Eccleſiaſticum, & per conſequens accedentem ad Euchariſtiam non peccare contra ius Eccleſiaſticum, ſed Diuinum præceptum. Ita Couarru. *cap. alma mater 1. par. §. 1.* Sotus *in 4. diſt.15.quæſt.1.art.4.* Valentia *tom. 4. diſput. 6. quæſt.8.pun.3.* Azorius *1.par. lib.10.cap.31.* Reginaldus *lib.29.num.103.* & alij.

An quando quis non poteſt confiteri, ſed conteri Attritio putata Contritio ſufficiat?

BRACTEA XXVII.

R. REGVLARITER, qui eum habet iuſtam cauſã non præmittendi Confeſſionẽ teneri conteri de peccatis. Ratio eſt, quia requiritur, quod ſumens ſit in gratia. Secundò eum, qui cum Attritione cognita Attritione accedit ad ſumptionem Euchariſtiæ peccare mortaliter, quia indignè manducat panem, & bibit calicem, & conſequenter non poſſe recipere effectum gratiæ Sacramenti, quia ratione Attritionis cognitæ ponit obicem effectiui Sacramenti. Tertiò eum, qui cum Attritione exiſtimata Contritione accedit ad ſumptionem Euchariſtiæ recipere effectum eiuſdem. Ratio, quia ſicut ratione bonæ fidei excuſatur à peccato, ita non cenſetur ponere obicem, quin recipiat effectum Euchariſtiæ. Ita Reginaldus *lib.29.quæſt.4.ſect.3.num.* 109. his verbis: Excuſabitur autem à tali peccato indignæ manducationis, poteritque tanquam non ponens obicem recipere primam gratiam, & iuſtificari ille, qui putat ſe contritum, quamuis reuera non ſit, aut exiſtimat quidem ſe tantummodo attritum, ſed ex ignorantia excuſabili putat ad hoc Sacramentum, nihilominus licere ſibi accedere, ſiuè quia ſic fortè doctus eſt à ſuis Doctoribus, ſiuè quia ſentit ſe habere propoſitum abſolutum, & efficax non peccandi de cętero, neque aliquid amplius quantum capere poteſt ſibi neceſſarium eſſe iudicat.

An qui ſuſcipit Euchariſtiam non præmiſſa Confeſſione, teneatur quamprimum confiteri?

BRACTEA XXVIII.

R. LAICVM, qui non præmiſſa Confeſſione ſuſcipit Euchariſtiam non teneri quamprimũ confiteri, ſed ſolùm determinato tempore, aut quando denuò velit accedere ad Sacramentum Euchariſtiæ, ſed ſatis eſſe pro exoneratione ſuæ conſcientiæ, quod velit confiteri in ſupradictis caſibus. Ita Suarez *diſput.66.ſect.7.* Naldus *verbo Sacerdos num. 5.* & alij. Ratio quia præceptum poſitiuum confitendi prima opportunitate extenditur ſolùm ad Sacerdotes celebrantes in neceſſitate non præmiſſa Confeſſione celebrantem in peccato mortali non teneri

quam-

quamprimum confiteri, quia non dicitur celebraſſe vrgente neceſſitate, ſed ex malitia. Secundò, Sacerdotem celebrantem cum ignorantia peccati mortalis, vel ex obliuione inculpabili, cuius recordatus eſt ſolùm in ipſo actu celebrationis non teneri ex vi præcepti Tridentini quamprimum confiteri, quia nō cenſetur celebraſſe vrgente neceſſitate non præmiſſa Confeſſione, ſed ex ignorantia inuincibili, vel obliuione inculpabili peccati, & per conſequens non teneri quamprimum confiteri ex vi præcepti. Tertiò, Sacerdotē more Laicorum cōmunicantem, vt v. g. die Iouis Sancti abſque præmiſſa mortalium Confeſſione nō teneri poſt Communionem quamprimum confiteri. Ratio eſt, quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante, non autem de communicante more Laicorum, vt in die Iouis Sancti; & per conſequens non confitendo prima opportunitate nō peccare contra præceptum Eccleſiaſticum, nec Diuinum, quia præceptum Confeſſionis faciendæ ante Communionem eſt præceptum Diuinum affirmatiuum, quod non obligat per ſemper, ſed pro certo tempore, & opportunitate, & occaſione obligat.

Quando ſit dicendus aliquis carere copia Confeſſarij?

BRACTEA XXIX.

R. Plvres eſſe caſus: Primus eſt quando verè non adeſt Confeſſarius vllus: Secundus, quando & ſi adſit Sacerdos, tamen non habet vllam iuriſdictionem ſupra mortalia, vt Sacerdos nondum approbatus, tamen non habet adhuc vllam iuriſdictionem: Tertius, quando etiamſi adſit Confeſſarius habens iuriſdictionem, tamen timetur graue damnum ex Confeſſione, vt periculū probabile reuelationis, vel aliud ſimile, ob quod etiam liceret omittere præceptum Confeſſionis ſemel in anno, & quidem ſi omnium mortalium tale periculum timeatur, tunc omninò poteſt omitti Confeſſio: ſi autem alicuius tantum, vel aliquorum illud, vel illa omitti poſſunt cæteris confeſſis. Nauar. *cap.* 7. *num.* 9. Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. Quod ſi tantum haberet vnum mortale, ex cuius Confeſſione timeret periculum, poſſet omittere Confeſſionem ex vi huius præcepti. Quando verò quis habet præſentem Sacerdotem, ſed de propinquo alium expectat, cui ſolet deuotius confiteri, non poteſt tunc omittere Cōfeſſionem, quia tunc non poteſt verè dici Confeſſarium deeſſe, cum abſque incommodo grauis momenti poſſit confiteri.

An qui peccatum mortale commiſit, vel pollutionem, debeat abſtinere per aliquod tempus à ſumptione Euchariſtiæ?

BRACTEA XXX.

R. Qvi peccatum carnale commiſit, vel pollutionem voluntariam ex congruentia, & reuerentia Sacramenti debere ſaltem per vnū diem ſe abſtinere ſub veniali à Communione, etiamſi patrati delicti fecerit Confeſſionem, niſi aliqua iuſta cauſa contrarium ſuadeat. Ratio, quia aliter faciendo irreuerentiam videtur facere Sacramento. Tum etiam, quia affectus talibus peccatis non poteſt percipere Euchariſtiam ea deuotione, qua eſt ſumenda. Dixi modo aliqua iuſta cauſa contrarium non ſuadeat, quia ſi dies feſtus magnæ ſolemnitatis, aut dies Iubilæi, &c. ſuaderet ad Communionem percipiendam non peccaret. Ita S. Thom. *quæſt.* 80. *art.* 3. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 127. Em. Sà *verbo miſſa n.* 25. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 27. Dixi ſecundò pollutionem voluntariam, quia ſi non eſſet voluntaria, vt eſt, quæ contingit abſque culpa ſaltem mortali, vel etiamſi contingat aliquali culpa, modò non relinquat aliquem affectum ex ſe, non excuſare à perceptione Sacramenti. Ita Henriquez *cap.* 61. Ratio eſt, quia par non eſt, vt ſit pœna, vbi non eſt culpa.

An Mulier poſsit communionem percipere ea die, quando nocte antecedenti reddidit debitum marito?

BRACTEA XXXI.

R. Mvlier frequenter communicare ſolita, v. g. omnibus diebus Dominicis, & feſtis eam obligari ad reddendum debitum, quia alioquin periculum eſſet ne peccaret contra iuſtitiam, ſi marito ſeriò, & conſtanter petenti neget. Sanchez *lib.* 9. *diſp.* 2. *num.* 16. Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 2. & etiam contra charitatem ratione ſcandali, quia exinde rixæ, & odium conciliantur; & interdum maritus ea occaſione frequentem vxoris Communionem aduerſari ſolet non ſine Sacramenti irreuerentia: nihilominus mulier communicare poterit, & ſi compulſa neceſſitate debitum marito reddiderit, quia impleuit opus bonum, & ex iuſtitia debitum. Secundò, ſi mulier non frequenter communicat, ſed ſolum in præcipuis feſtiuitatibus, tunc maritum cōmonere, & rogare poteſt, vt abſtineat in honorem feſtiuitatis, aut Sacræ ſuæ Communionis, niſi probabiliter credat ex tali monitione mariti iram, aut offenſionem incurrere debere, quia tunc ſi admonere facilè non poſſit, vel monendo nihil proficiat, debitum debet reddere petenti, atque nihilominus ad S. Euchariſtiam accedere poterit.

An accedens ad Euchariſtiam debeat eſſe ieiunus?

BRACTEA XXXII.

R. Ivre Diuino prohibitum non eſſe Euchariſtiam ſumere poſt cibum, & potum. Ratio eſt, quia tale ius Diuinum, nec ſcriptum, nec traditum habetur, neque ex Chriſti inſtitutione colligitur. Secundò, tale præceptum eſſe de iure Eccleſiaſtico ab Apoſtolis profectum, vt traditur *in cap. liquido de conſecrat. diſt.* 2. & ex vſu Eccleſiæ accepto ab Apoſtolis. Ita Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 2. S. Antonin. 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. *num.* 8. S. Thom. 3 *part. quæſt.* 80. *art.* 9. Rodriquez *cap.* 66. *num.* 1. Toletus *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 6. Pychigianus *diſt.* 9. *quæſt.* 3. *art.* 2. *&* 3. & alii.

Sciendum ieiunium duplex eſſe, vnum naturale, & alterum Eccleſiaſticum: Ieiunium naturale importat abſtinentiam à quslibet re etiam modica comeſtibili per modum cibi, aut potus à media nocte: *ex cap. nihil* §. *nullus* 7. *quæſt.* 1. etiamſi id ſumatur per modum medicinæ, ſeu intentione tantum ſubueniendi alicui occurrenti corporis neceſſitati: Ieiunium Eccleſiaſticum eſt illud, quo præcipitur vnica comeſtio in die, quo pacto dicitur ieiunus, qui in die ieiunii non comedit, niſi vna vice. Dixi per modum cibi,

bi, aut potus, nam ſi aliquid deglutiatur non per modum cibi, aut potus non dicitur frangere ieiuniũ, nec Eccleſiaſticum, nec naturale, quia nihil ſumit per modum cibi, tunc autem aliquid ſumitur per modũ cibi, vel potus, quando ore accipitur ab extrinſeco, & propria actione vitali ad ſtomachum tranſmittitur edendo, aut bibendo, vt mediante actione naturali, & vitali conuertatur in ſubſtantiam aliam. Ita Suarez *diſp. 68. ſect.* 4. Bartholom. ab Angelo *dialog.* 4. §. 125. S. Thom. 3. *part. quæſt.* 8. *art.* 8. Silueſt. *verb. Euchariſt.* 3. *num.* 8. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. *cap.* 25. *num.* 53. & alii. Vnde qui tranſacta media nocte deglutit aliquid zaccari, quod veſperi ore acceperat frangere ieiunium, quia illud cenſetur ſumi per modum cibi, & actione vitali tranſmittitur ad ſtomachum, concoquitur, &c.

An dubitans an aliquid cibi, vel potus ſumpſerit poſt mediam noctem, poſſit communicare, vel Miſſam celebrare?

BRACTEA XXXIII.

R. Dvbitantem an poſt mediam noctem aliquid comederit, aut biberit, poſſe cum tali dubio Communionem percipere, dummodo deponat dubium practicum, licet perſeueret in dubio ſpeculatiuo. Ita Sanctius *in ſelectis diſput.* 42. Lsym. *in Theolog. morali lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 36. his verbis: Nunquid Sacerdos dubitans an noctis medium cœnando exceſſerit altera die ſacrificare poterit? Exiſtimo non improbabiliter permitti poſſe Sacerdoti, vt in tali caſu ſacrificet etiam propter deuotionem, ac nulla cogente neceſſitate, quia lex Eccleſiaſtica de ieiunio communicaturis ſeruando, non videtur tam rectè conſtringere conſcientias in caſu dubio; ſimili modo reſpondeo, ſi dentibus aliquid maſticans dubitet, an deglutinerit, quod à Sacra Communione abſtinere non teneatur, quia in eiuſmodi caſibus fauorabilia præſumere licet, ne conſcientiæ nimis adſtringantur. Ita Layman, & Diana *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 29.

An ſi reliquiæ cibi præcedentis diei inhærentes inter dentes voluntariè deglutiantur, impediant Communionem?

BRACTEA XXXIV.

R. Evm, qui præter intententionem deglutit reliquias ſibi præcedentis inhærentes inter dentes non impediri, quin poſſit percipere Euchariſtiam. Ita Suarez *in* 3. *par. tom.* 3 *diſput.* 68. *ſect.* 4. Henriquez *in ſumma lib.* 8. *cap.* 50. *num.* 4. Ratio, quia deglutio talium reliquiarum pertinent potius ad manducationem præcedentis diei, quam præſentis, præſertim cum tales reliquiæ de præſenti ab extrinſeco non accipiantur per modum cibi. Si verò voluntariè deglutiantur, non poteſt percipere Euchariſtiam, quia tunc viderentur de nouo comedi; & per conſequens talis deglutitio non continuaretur moraliter cum comeſtione cœnæ antecedentis.

An ſi quis mane deglutiat chartam, cretam, aut tabaccum, frangat ieiunium naturale, ita vt non poſſit percipere Euchariſtiam?

BRACTEA XXXV.

R. Qvod qui deglutit chartam, cretam, vel aliud non comeſtibile non frangit ieiunium naturale, ita vt non poſſit ſumere Euchariſtiam. Ratio eſt; quia ieiunium naturale frangitur per ſuſceptionem alicuius rei comeſtibilis per modum cibi, potus, aut medicinæ; ita vt res illa eſa, vel bibita poſſit virtute caloris naturalis conuerti in ſubſtantiam aliti. Et ita communiter omnes dicentes ieiunium naturale conſiſtere in abſtinentia à qualibet re, etiam modica comeſtibili per modum cibi, aut potus; & ita colligitur *Cap. nihil* §. *nullus* 7. *quæſt.* 1. ſed papyrus, creta, vel aliud non comeſtibile non poteſt virtute caloris naturalis conuerti in ſubſtantiam hominis; ergo non frangit ieiunium naturale, ita vt poſſit impedire ſuſceptionem Euchariſtiæ. Quod autem papyrus, creta, vel aliud non comeſtibile non poſſit conuerti in ſubſtantiam hominis; patet, quia neque per ſe, neque per accidens non ſunt nutritiua, & per conſequens non poſſunt conuerti in ſubſtantiam hominis, cum ſolùm id, quod eſt nutritiuum, conuertatur. Ita Sanctius *in ſelect. diſput.* 42. *num.* 23. vbi ſic ait, infertur etiam quod qui parum papyri, aut alterius rei non comeſtibilis deglutiſſet, poſſit communicare, ſolus enim cibus, aut potus impedit communionem. Cuius ſententiæ eſt etiam Diana *tract.* 4. *de Sacramentis reſolut* 38. Secundò, qui ſumit tabaccum mane non frangere ieiunium naturale, ita vt poſſit impedire ſumptionem Euchariſtiæ. Ratio eſt, vt ſupra, quia tabaccum non eſt ex natura ſua nutritiuum, cum ſit puluis tenuiſſimus nullum habens corpus, & per conſequens virtute caloris naturalis non poteſt conuerti in ſubſtantiam hominis. Quod autem aliqui dicunt ipſum non nutrire per ſe, ſed per accidens mouendo per accidens à capite ad ſtomachum pituitam, qua poſtea nutritur homo. Reſpondeo verum eſſe mouere pituitam, & quod pituita conuertatur in ſubſtantiam hominis; ſed falſum eſſe tabaccum nutrire per accidens, quia per accidens non nutrit, nec conuertitur in ſubſtantiam hominis, & licet moueat pituitam à capite ad ſtomachum, non tamen iſte motus frangit ieiunium naturale, quia nihil extrinſecè ſumitur per modum cibi, qua ſumptione ſolummodo frangitur ieiunium naturale. Tum etiam quia ſi motus pituitæ à capite ad ſtomachum frangeret ieiunium naturale nunquam homo naturaliter eſſet ieiunus, cum ſemper in corpore fiat motus humorum, & ſemper fiat nutritio distribuente natura ſanguinẽ ſingulis partibus per venas corporis; & ideò concludo ſumptionem tabacci mane factam nullo modo frangere ieiunium naturale, ita vt poſſit impedire ſumptionem Euchariſtiæ.

An aliquando liceat ſumere Euchariſtiam à non ieiuno?

BRACTEA XXXVI.

R. Dari aliquos caſus, quibus licitum eſt Sacram Euchariſtiam ſumi à non ieiuno. Primus in mortis articulo, ſi commodè ſumi non poſſit à ieiuno, ſiue mors immineat ex morbo, ſiuè ex Iudicis ſententia, ſiuè is diutius expectare nolit, vel non poſſit ob aliquam cauſam. Ratio eſt, quia tunc adeſt neceſſitas tàm infirmi indigentis auxilio Euchariſtiæ, quam adimplẽdi præcepti Diuini. Quod ſi vnquã obligat, eſt in mortis periculo. Tũ quia hoc eſt priuilegium conceſſum infirmo. *Cap. liquidò, cap. Sacram. de conſecrat. diſt.* 2. Quod etiam liceat dare Euchariſtiam non ieiuno in caſu mortis violentæ. Ratio eſt, quia hic dicitur exiſtere in articulo mortis, & ſicut in tali euẽtu poteſt abſolui à reſeruatis, ita etiã poteſt illi adminiſtrari Euchariſtia etiam non ieiuno, quando commodè non poteſt differri in aliud tempus, vel anticipari.

Sciendum, quod licet Euchariſtia ob mortis periculum ſumpta ſit à non ieiuno, ſi ægritudo ſit longæua, poteſt iterum Communionem percipere, ſaltem poſt ſex dierum interuallum, vel ſeptem. Et ita Armilla *verbo Communio num.* 18. Henriquez *cap.* 50. *num.* 1. Em. Sà *verbo Euchariſtia num.* 5. Layman *in Theologia morali lib.* 5. *tract.* 4 *cap.* 6. *num.* 20. dummodo mortis periculum inſtare videatur. Ratio deducitur ex benigna intentione Eccleſiæ, quæ nolit prohibere ipſum poſt cibum, vel potum communicare, ſi moraliter loquendo non poſſit ieiunus; nam maximè indigentem ope, & ſubſidio tanti Sacramenti ad vincendas accurrentes tentationes, & peccandi pericula ſuperanda, nec valentem præſtare, quod præcipitur pia Mater Eccleſia, non videtur velle ſuo præcepto cum tanto ſpirituali diſpendio aſtringere. Secundus caſus, ſi Sacerdoti non ieiuno neceſſitas incumbat ſacrificij percipiendi. Vnde ſi Sacerdos celebrans peracta conſecratione pereat, nec adſit alius præter Sacerdotem non ieiunum tenetur Sacerdos non ieiunus perficere ſacrificium. Ratio eſt, quia præceptum perficiendi ſacrificium eſt ſtrictius præcepto ſumendæ Euchariſtiæ cum ieiunio. Si verò pereat ante conſecrationem nullus tenetur Miſſam perficere, quia ſacrificium non relinquitur imperfectum. Tertius caſus poſt ſumptam ablutionem licitum eſt Sacerdoti ſumere reliquias hoſtiarum à ſe conſecratarum. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. Nauarrus *cap.* 25. *num.* 89. & alij. Ratio eſt, quia ſumptio huiuſmodi reliquiarum cenſetur complementum eiuſdem actionis, tunc enim totum illud eſt per modum vnius actionis moralis, cum referatur ad vnum, idemque ſacrificium, quod plenè abſolutum non cenſetur, dum Sacerdos in Altari perſiſtit; poſt receſſum verò ab Altari non poteſt amplius ſumere reliquias hoſtiæ, cum hæc non cenſeatur actio ordinata ad ſacrificium, cum iam Sacerdos expleuerit miniſterium ſuum. Quartus caſus, ſi graue ſcandalum oriturum ſit, niſi aliquis communicet, aut ſacrificet, qui ieiunus non eſt, quia præceptum Eccleſiaſticum non adeò ſtrictè obligat, vt etiam obliget, quando aliter poſtulat reuerentia Sacramenti, vel neceſſitas hominis, aut grauioris præcepti. Quintus caſus, ſi Sacra Euchariſtia, niſi ſtatim ſumatur, vel incendio abſumenda ſit, vel in ſacrilegas manus infidelium deuentura. Vnde Sacerdos non ieiunus poteſt ſumere Euchariſtiam, ſi aduertat fore, vt alioquin Euchariſtia præueniat ad manus infidelium, qui eam iniurioſè tractabunt, vel ob aliam ſimilem cauſam; nam ab Eccleſia præſcriptum eſt, vt ieiunus ſumat Euchariſtiam ob reuerentiam tanti Sacramenti, maior autem reuerentia exhibetur, ſi Sacerdos non ieiunus Euchariſtiam ſumat ad vitandam prædictam irreuerentiam. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 5. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 122. Coninchus *quæſt.* 80. *num.* 21. & alij communiter. Sextus caſus eſt, quando Sacerdos loco vini conſecrauit aquam non aduertens errorem, niſi poſt aquæ ſumptionem debet de nouo vinum conſecrare, licet fregerit ieiunium ſumendo aquam. Ratio, quia conſecratio vini ſpectat ad integritatem ſacrificij, & eſt præceptum de iure Diuino, quod præponderat præcepto Eccleſiaſtico de ſumendo Euchariſtiam cum ieiunio. Similiter ſi poſt conſecrationem recordetur ſe non eſſe ieiunum, debet progredi in ſacrificio, & ipſum perficere, quia arctius eſt vinculum, & maior obligatio perficiendi ſacrificij iam inchoati, quam ſumendi Euchariſtiam cum ieiunio. Azorius 1. *par. lib.* 10. *cap.* 33. *quæſt.* 3. & alij communiter.

An liceat Sacerdoti non ieiuno ſacrificare, vt infirmum communicet?

BRACTEA XXXVII.

R. Regvlariter Sacerdotem non ieiunum non poſſe celebrare, vt communicet infirmum. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 8 *quæſt.* 2. Sotus *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 8. Silueſter *verbo Euchariſtia* 3. *num.* 6. Valentia *tom.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.* 8. *pun.* 3. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 4. Azorius 1. *par. lib.* 10. *cap.* 30. & alij. Ratio eſt, quia Eccleſiæ conſuetudo talia non permittit ob maximam huius Sacramenti excellentiam, & ideò non eſt vſu receptum, vt Sacerdos non ieiunus celebret ad communicandum infirmum. Dixi regulariter, quia in aliquo caſu particulari poteſt Sacerdos ieiunus celebrare, vt communicet infirmum, vt v. g. ſi infirmus moriturus aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut Extremæ vnctionis ſuſcipere non poſſit, & ſcandalum ceſſet. Ita Maior. *in* 4 *diſt.* 19. *quæſt.* 7. Durandus *in director. confeſſ. par.* 1. *tract. de Euchariſtia cap.* 7. Zambranus *in deciſ. caſ. tempore mortis cap.* 4. *de Euchariſtia dub.* 6. *num.* 3. & alij; licet contraria ſententia ſit probabilior.

An Sacerdos ad communicandum infirmum ob ſolam deuotionem poſſit frangere hoſtiam?

BRACTEA XXXIII.

R. Pro communicando infirmo poſſe Sacerdotem frangere hoſtiam, & particulam dare infirmo. Item poſſe frangere hoſtiam ad communicandum infirmum ob ſolam deuotionem. Et ita Silueſter *verbo Euchariſtia* 3 *num.* 5. Angelus *verbo Miſſa num.* 27. Graffius *deciſ. par.* 1. *lib.* 2. *cap* 38. *num.* 21. Zanardus *in directorio Theolog. par.* 1. *de Sacra Euchariſtia cap.* 9. *num.* 15. Homobonus *de bonis in examine Eccleſiaſtico par.* 1. *tract.* 4. *cap.* 11. *quæſit.* 10. Em. Sà *verbo Euchariſtia num.* 15. Diana *tract.* 14. *de celebratione Miſſarum reſolut.* 27. & *tract.* 4. *de ſacramentis reſolut.* 34. Sanctius *in ſelectis diſput.* 22. *num.* 21. his verbis; Sciat Sacerdos ei non eſſe vetitum partem hoſtiæ diuidere ad communicandum fidelem quolibet die velit ob ſolam deuotionem, nec in hoc efficitur iniuria, vel irreuerentia ſacrificio, quia ſicut participes fiunt aſtan-

tes

tes fructuum ſpiritualium illius ſic merito, & ſiunt fructus tcales realiter hoſtiæ ſuſcipiendo pattem.

An ſi ſonuerit vnum horologium, poſſit quis comedere in media nocte, donec aliud ſonuerit, & die ſequenti communicare?

BRACTEA XXXIX.

R. Qvod ſi diuerſa ſint horologia, & aliquorum ſonnerit hora duodecima, & aliorum non ſonuerit, poteſt, qui tunc ſoluit ieiunium naturale communicare die ſequenti, & ſiuè illa dies, ſiuè ſequens ſola ſit ieiunij, poterit dubitans cœnare, ac ſi diuerſæ eſſent opiniones probabiles, quarum vtramque licet ſequi, & amplecti, quia quis non tenetur ex neceſſitate ſequi vnum horologium, ſed ei liberum eſt ſequi, quod voluerit, ſicuti licitum eſt vnicuique ſequi, quam opinionem maluerit, niſi fortè aſſumpſerit vnum horologium ad ieiunium ordinādum, quia aſſumpto vno debet ſecundum illud regulare ieiunium ſuum. Ita Sanchez *de matrimon. tom.* 1. *lib.* 2. *diſput.* 41. *num.* 4. Facundea *de præcepto Eccleſiæ præcept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Sanchez *in ſelect. diſp.* 42. *n.* 18. Diana *tract.* 4. *de ſacram. reſolut.* 36.

Sciendum ex Diana *loco citato*, quod ſi erit ſolùm vnum horologium, vbi cępit ſonare duodecima aliquis biberet, licet quādo ſonaret vltimus pulſus definiſſet bibere, non poterit die ſequenti communicare, quia quando primus horæ pulſus auditur, iam eſt hora expleta, & horologium eſt tantum teſtis id iudicans, & licet diuerſi ſint pulſus, id euenit, quia nequit vno pulſu hora duodecima indicari, ſicuti vno pulſu hora prima indicatur. Vnde Sanctius *in ſelect. diſput* 42. *num.* 20. ait, quod qui buccellum habet maſticans, & audit primum pulſum horæ duodecimę noctis tenetur incontinenti de ore eijcere buccellam, ſi die ſequenti Sacramentum Euchariſtiæ buccellam velit ſumere, vel Miſſam celebrare; poſtquam verò buccellam eiecerit, non tenetur abluere os, ſi tamen maſticat buccellam de materia carnis, & dies ſequens ſit ieiunij, non tenetur illam eijcere, etiam ſub veniali, non enim cum tanto rigore illud præceptum poſitiuum obligat ſemoto contemptu.

An peccet, qui ſtatim poſt ſumptam Euchariſtiam comedit?

BRACTEA LX.

R. Per ſe loquendo non peccare. Ratio, quia Eccleſia præcipit ſolummodo ieiunium ante ſumptionem Euchariſtiæ non autem poſt communionem: tamen ob maiorem Sacramenti reuerentiam communiter expedit poſt communionem abſtinere à cibo, & potu aliquantulum. Ita S. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 9. Graſſius 1. *par. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 8. & alij, quia reuerentia tanto Sacramento debita exigit, vt Sacer ille cibus prophano, communique cibo non facilè miſceatur. *Ex cap. tribus de conſecrat. diſt.* 2. & *ex cap. ſi conſtiterit de accuſat.* vbi punitur Sacerdos, qui cum præcedenti nocte in taberna fuiſſet, nec poſtea dormiuiſſet, Miſſam dixerit, non quod ſit neceſſarium inter ſumptionem cibi, & Sacræ Communionis interuenire ſomnum, ſed ob oneratum adhuc cibo ſtomachum in impedimentum deuotionis, & reuerentiæ requiſitę ad tanti Sacramenti debitam ſuſceptionem. Vnde conſulendum eſt ſuſcepturo Euchariſtiam aliquantulum differat refectionem poſt ſumptionem Euchariſtiæ, & interim aliquam temporis moram ponat in gratiarum actione poſt Communionem.

Quid faciendum, quando Sacerdos reperit aliquas particulas hoſtiæ, quas dubitat eſſe conſecratas?

BRACTEA XLI.

R. Posse illas ſumere poſt ſumptionem Euchariſtiæ, & ſanguinis, vel etiam poſt ablutionem, nam hæc reputatur vna actio, quæ fuit incohata cum ieiunio. Ita Nauarrus *cap.* 15. *num.* 89. Silueſter *verbo Miſſa* 1. *num.* 3. Henriquez *de Miſſa cap.* 39. *num.* 3. & alij. Secundò, huiuſmodi reliquias non poſſe dari Laicis non ſolùm ante, ſed neque poſt purificationem, niſi moraliter dentur cum hoſtiola. Si verò iam ſint communicati, non poteſt amplius illi dare illas particulas, quia eorum actio communicandi iam cenſetur perfecta, & conſumata per primam ſumptionē Sacramenti, ideòque ſi poſt eam ſumptio reliquiarum ſumat, iam cenſetur denuò communicare, quod non permittitur. Ita Reginald. *lib.* 29. *num.* 123.

An Euchariſtia producat augmentum gratiæ?

BRACTEA XLII.

R. Prodvcere; & fundatur in ſcriptura, Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in eo. Item qui manducat hunc panem, viuet in æternum, & in pluribus aliis locis ſcripturæ. Ratio eſt, quia Euchariſtia per ſe, & ex propria inſtitutione inſtituta fuit augmentum gratiæ conferendum. Ita Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *pun.* 1. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 15 Reginaldus *lib.* 26. *num.* 138. & alii. Tum etiam quia Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi, & potus: at cibus, & potus confert ad vitam corporis augendo; ergo hic ad vitam animæ, quę eſt gratia. Secundò, conferre gratiam actualem, per quam intelligitur animi deuotio, & feruor charitatis cum ſpeciali dulcedine ſpiritus. Tertiò conferre ſpeciale auxilium ad peccata vitanda; vt colligitur ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. vbi docet hoc Sacramentum eſſe inſtitutum, vt antidotum, quo à mortalibus præſeruamur; & hunc effectum eſſe infallibilem in his, qui non ponunt obicem, licet non detur ſtatim, ſed tempore opportuno.

An remiſſio venialium ſit effectus Euchariſtiæ?

BRACTEA XLIII.

R. Remissionem peccatorum venialium eſſe effectum Euchariſtiæ. Et ita communiter omnes Theologi cum S. Thoma *quæſt.* 79. *art.* 4. & colligitur etiam ex Concilio Trident. dum dicit de hoc Sacramento, quo liberamur à culpis quotidianis, quia cum per peccata venialia aliquid in nobis ſemper deperdatur, hoc pane quotidiano reſtauratur. Quod intelligendum eſt, modò non adſit ipſorum peccatorum venialium complacentia, aut in ipſa ſumptione Sacramenti non committantur, quia complacentia venialium impedit ſpiritualem dulcedinem.

dinem, quæ percipitur ex hoc Sacramento. Ita colligitur ex Trident *ſeſſ.13.cap.* 1. & ita S.Thomas 3. *par. quæſt.*78.*art.*1.*&* 2. Valentia *tom.*4. *diſp.* 6.*quæſt.*5 *pun.*1. Suarez *diſp.*65.*quæſt.*10. Vaſquez *tom.*3 *diſp.*205. *num.* 3. Sotus *in* 4.*diſt.*11.*qu.*2.*art.*1. Silueſt. *verb.Euchar.*4.*n.*3. Tabiena *eod.verb.*3.*n.*1. Coninch. *qu.*79. *art.* 5. & communiter Theologi.

Sciendum Euchariſtiam id præſtare duobus modis: primò, ex opere operato conferendo remiſſionẽ abſque actuali diſpoſitione, quæ per ſe ſufficiat ad illa tollenda: ſecundò, mediatè excitando feruorem charitatis, per quam venialia debentur, & reſtituẽdo feruorem charitatis, cuius priuationẽ inducit peccatum veniale.

Secundò, remittere etiam pęnam temporalem, nõ quidẽ ex opere operato, ſed mediatè ex eo, quod excitat actũ charitatis, per quem remittitur pœna iuxta quantitatem feruoris. Ita S. Thomas *quæſt.*79.*art.*4. vnde colligitur communionem oblatam pro alijs, v.g. pro animabus Purgatorij valere tantũ ex opere operantis: eſt enim actus Religionis ſatisfactorius, meritorius de congruo.

An collatio primæ gratiæ ſit effectus Euchariſtiæ?

BRACTEA XLIV.

R. Collationem primæ gratiæ non eſſe immediatè, & per ſe effectum Euchariſtiæ, cum ſint ſolùm duo Sacramenta, nimirum Baptiſmus, & Pęnitentia, quæ producũt primam gratiã. Ita omnes cõmuniter mediatè, & per accidens collationem primæ gratiæ eſſe effectũ Euchariſtiæ, quatenus excitat recipientem ad actum amoris, & contritionis, quibus confertur prima gratia; & licet non producat primam gratiam, producit tamen augmentum ipſius.

Sciendum ad hoc, vt Euchariſtia producat diſpoſitiuè primam gratiam, aut augmẽtum gratiæ neceſſarium eſſe in recipiẽte gratiam habitualem. Ratio eſt, quia augmentum ſupponit exiſtentiam; ergo ſi gratia per Euchariſtiã augẽda eſt, erit neceſſe, vt ſit ad producendũ effectũ auxilij ſpecialis ad peccata vitanda, & feruorẽ charitatis requiritur in recipiente animi attentio, & actualis gratia, quia ſpiritualis dulcedo nõ poteſt eſſe ſine actuali attentione. At verò ad auxilia tantũ recipienda ſatis eſſe videtur actualis gratia ad ſummum, noua verò attentio neceſſariò nõ requiritur.

Quo tempore conferatur huiuſmodi effectus?

BRACTEA XLV.

R. Euchariſtiam ſuos producere effectus, quando aliqua pars hoſtiæ, & ſanguinis deglutita eſt, & peruenit ad ventriculum. Ratio eſt, quia vt Euchariſtia producat ſuum effectum, requiritur, vt applicetur ſuſcipienti: dicitur autem applicata ſuſcipienti, quando aliqua pars hoſtiæ deglutita eſt, ſeu trãſmiſſa ad ſtomachum, quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti, ſed cibus nutrit, quando tranſmittitur ad ſtomachũ; ergo, &c. Ita Valentia *tom.*3.*diſp.*6.*quæſt.*7.*pun.*1. Suarez *tom.* 3. *diſp.*63. *ſect.*4. Reginaldus *lib.*29 *num.*140. Angles *de Euchariſtia quæſt.*3.*art.*1. Henriquez *cap.*43. Coninchus *quæſt.*49 *art* 1.*diſt.*2.*num.*23. Hinc ſequitur eos, qui diu retinent hoſtiam in ore, ita vt ſpecies corrumpantur, antequam deglutiantur non recipere effectum Euchariſtiæ, quia non dicuntur Chriſtum manducare; nam Sacramenta tunc operantur, quando ſunt applicata ſuſcipienti: ſed Euchariſtia non dicitur applicata ſuſcipienti, antequam deglutiatur; ergo, &c. Secundò, dum manent ſpecies in ſtomacho, ſi creſcat diſpoſitio ex parte recipientis, probabile eſt Sacramentalem gratiam augeri non ex opere operato, ſed ex opere operantis. Ita Filiucius *tract.*4.*de Euchar.cap.*6.*num.*175.

An ſi detur caſus, vt communicans tempore ſumptionis ſit in peccato mortali, & eliciat actum contritionis, antequam reliquas omnes partes ſumat, & manducet, recipiat gratiam?

BRACTEA XLVI.

R. Non recipere gratiam. Ita Henriquez *cap.*43. *num.*3. & alij. Ratio, quia totus effectus Sacramenti producitur per ſumptionem primæ partis: ſed communicans in ſumptione primæ partis non erat ſufficienter diſpoſitus ad recipiendam gratiam Sacramenti; ergo non recipit eam, quamuis ſe diſponat per contritionem, antequam reliquas partes deglutiat, eaſque ad ſtomachum tranſmittat; licet plures ſequantur opinionem contrariam, quæ etiam ſatis probabilis cenſetur, vt Caietanus 3.*par.num.*76. *art.*1. Cum Sacramentum producat gratiam in vltimo inſtanti receptionis Sacramenti; & per conſequens ſi recipiens diſponatur ad gratiam, antequam recipiat totum Sacramentum recipere effectum ipſius. Quæ opinio à pluribus Doctoribus, vt probabilis ſuſtinetur.

An Sacramentum Euchariſtiæ temperet fomitem peccati?

BRACTEA XLVII.

R. Moderari fomitem; & ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt antidotus ad præſeruandum hominem à malis: fomes autem eſt prima origo peccatorum; ergo hunc maximè moderari debuit, vt per ſpecialia Dei auxilia, & extrinſecam prouidentiam conferatur ratione huius Sacramenti talis moderatio excitando, videlicet cogitationes, & affectus ad eum finem accommodatos tollendo occaſiones extrinſecas, & arcendo Dęmones.

An reſurrectio corporis ſit effectus huius Sacramenti?

BRACTEA XLVIII.

R. Aliquo modo rectè dici reſurrectionem corporis, & gloriam ſpecialem eſſe effectum huius Sacramenti; & ita colligitur ex verbis Chriſti Ioan.6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum; & qui manducat meam carnem, &c. habet vitam æternam, &c. & ego reſuſcitabo eum, &c.* Vnde à Niceno Concilio dicitur Symbolum reſurrectionis: ab Ignatio Pharmacum immortalitatis, à Cirillo *cap.* 4. in Ioanne *cap.* 6. cibum nutriens ad immortalitatem, à Criſoſtomo, animas ſuſcipientium in fine vitæ rectà deduci in cœlum. Suarez *diſputat.* 64. *ſection.* 2. Ratio; quia per hoc Sacramentum

datur auxilium ſpeciale ad præſeruandum in gratia, & conſequenter ad gloriam conſequendam. Tum etiam quia eadem gloria, quę datur ratione gratię, & charitatis dabitur etiam hoc titulo, propter ſpecialem coniunctionem cum Chriſto factum, ſicut in Chriſto gloria debita ratione vnionis data eſt cum titulo meritorum eius.

An fiat aliqua vnio ſpecialis inter Chriſtum, & ſuſcipientem?

BRACTEA XLIX.

R. RATIONE huius Sacramenti fieri ſpecialem vnionem inter Chriſtum, & ſuſcipientem: & ita colligitur ex pluribus Patribus, quos refert Suarez *diſp. 64. ſect. 1.* & S. Auguſtinus *lib. confeſſ. cap. 10. cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me, nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Tum etiam quia ratione vnionis Sacramentalis coniunctę cum ſpirituali, fit quidem quaſi corporalis, complexus inter Chriſtum, & ſuſcipientem; Vnde quandiù Chriſtus in ſtomacho realiter manet, quantum ex parte ſua probabile eſt ſuſcipientem ſuſcitare ad dilectionem, & affectum. Poſtea verò dici poteſt relinqui moralem quandam habitudinem inter Chriſtum, & ſuſcipientem ratione tranſacti contractus, quę vnio tantum eſt in his, quę reuera, & dignè Eccleſiaſticam ſuſcipiunt.

An recipientes Euchariſtiam recipient æqualem gratiam?

BRACTEA L.

R. RECIPIENTES Euchariſtiam cum ęquali diſpoſitione recipere ęqualem gratiam. Ita S. Thomas *quæſt. 69. art. 8.* Sotus *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 6.* Suarez *diſp. 7. ſect. 5.* Grattius *2. par. lib. 2. cap. 4. num. 13.* Pitigianus *diſt. 4. quæſt. 7. art. 2.* & alii. Ratio, quia ſicut agens naturale ęqualiter operatur in ſubiecto ęqualiter diſpoſito, & approximato, ita etiam Sacramentum ęqualiter operatur. Quod intelligendum eſt de modo ordinario Dei, quia Deus poteſt æqualiter diſpoſito maiorem gratiam conferre in receptione Sacramenti. Verùm talis exceſſus gratię non erit effectus Sacramenti, ſed donum Dei. Secundò, recipientes Sacramentum Euchariſtię cum inęquali diſpoſitione inęqualiter gratiam recipere. Ratio eſt, quia ſicut agens naturale inęqualiter operatur in ſubiecto inęqualiter diſpoſito, ita & etiam Sacramentum inęqualiter operatur in ſubiecto inęqualiter diſpoſito.

An ſuſcipiens Sacramentum Euchariſtiæ à meliore Sacerdote maiorem recipiat gratiam?

BRACTEA LI.

R. NON recipere maiorem gratiam: ratio, quia gratia non confertur ob meritum miniſtri, ſed ob merita Chriſti, quę non minuuntur ob indignitatem miniſtrantis Sacramentum. Tum quia, inquit Nazianzenus *oratione 4.* in ſanctum Baptiſma, ita ſe habet bonus, & malus miniſter, ſicuti ſe habet ſigillum ferreum, & aureum: ſed ſigillum ferreum imprimit eandem figuram, quam imprimit aureum; ergo eandem gratiam confert Euchariſtia miniſtrata à probo miniſtro, quam à malo. Verùm licet recipiens Euchariſtiam à probo miniſtro recipiat eandem gratiam, quam reciperet à miniſtro improbo, nihilominus recipere aliquid aliud, videlicet aliquod auxilium, ſeu motum, quo recipiens Sacramentum ſe pręparet, & diſponat ad gratiam. Ita S. Thomas *quæſt. 64. art. 1.* Reginaldus *lib. 26. num. 35.* Toletus *lib. 2. cap. 20. n. 11.* & alii. Quod intelligendum eſt de ſuſcipiente adulto, quia infantes non poſſunt habere talem motum, ideòque nec poteſt illis tale augmentum impertiri.

Quomodo Chriſtus ſit adorandus in hoc Sacramento?

BRACTEA LII.

R. CHRISTUM adorandum eſſe in hoc Sacramento interno, & externo cultu, ac ſi eſſet in propria ſpecie. Ratio eſt, quia lege naturali, & Diuina tenemur adorare Deum; at hic eſt Deus; ergo, &c. Secundò, adorandum eſſe latria adoratione abſoluta, & perfecta. Ratio eſt, quia hoc Sacramentũ conſtat verè ex Chriſto, & ſpeciebus; ergo eadem adoratione, qua Chriſtus eſt adorandus: hic autem latria adoratur; ergo, &c.

Sciendum duplex eſſe pręceptum adorationis huius Sacramenti, vnum affirmatiuum exhibendi honorem, quod obligat tantum determinato tempore, vt quando occurrit occaſio, ita vt adorationem prætermittere ſit virtualis quidam contemptus, & irreuerentia. Secundò, quando accedimus ad ſacrificandum, quando fideles communicant, quando proponitur adoranda publicè, vt cum eleuatur in Miſſa, vel occurrit in via, &c. Alterum negatiuum, quo prohibemur iniuriam, aut irreuerentiam facere huic Sacramento, & hoc ſemper obligat.

MALLEATIO V.

De præcepto ſoluendi decimas, primitias, &c.

Quid ſit decima?

BRACTEA L.

R. DECIMÆ ſunt pars decima fructuum miniſtris Eccleſię ob ſpiritnale miniſterium ipſorum debita ex omnibus bonis frugiferis. Vnde in decima duo continẽtur, vnum eſt pars fructuũ, quos percipimus, non tamẽ certa, definita, & taxata, ſed tanta, quanta eſt neceſſaria ad commoda Clericorum alimenta, & ſtipendia iure debita; ſiue ea ſit decima, ſiuè octaua, ſiuè vigeſima: Alterum eſt pars certa, & taxata fructuum, quæ ſoluitur ad Clericos commodè ſuſtentandos, & ſuo debito ſtipendio afficiendos: & hęc dicitur decima pars fructuum, quę Parochiali Eccleſię perſoluitur.

Sciendum pręceptum ſoluendi decimas non fuiſſe tempore legis naturalis datum homini, ſed tantum conſilium; in Eccleſia verò dari pręceptum de decimis, & pertinet ad virtutem Religionis, & fundatur in neceſſitate miniſtrorum ob cultum Dei, & eorum congruam ſuſtentationem, vt à Diuino ob cultu diſtraherentur, ſed tantum conſilium ſoluendi decimas fuiſſe in lege ſcripta; vnde Abraham decimam ſoluere memoratur, non ex pręcepto, ſed ex gratitudine, & deuotione, & Iacob cum Patris

iuſſu

iuſſu Meſopotamiam peteret, vt ei vxorem duceret decimam ſuorum omnium bonorum, ſe daturum nō ex precepto, ſed voti Religione promiſit, ſi fuerit, inquit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum, quo operiar, reuerſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederit mihi decimas offeram. Secundò, decimam dupliciter conſiderari poſſe. Primò, quatenus dicit fructus ipſos, qui ſoluuntur in ſubſidium miniſtrorum Eccleſiæ, & ſic eſt res temporalis, cōſtat enim fructua rem eſſe temporalem. Secundò conſideratur, quatenus dicit ius exigendi fructus, & ſic eſt res ſpiritualis, quia miniſtris Eccleſiæ competit ius exigendi fructus ob miniſterium rerum ſpiritualium, v. g. ob Sacramentorum adminiſtrationem iuxta illud 1. Corinth. *Qui ſpiritualia ſeminant, temporalia metunt.*

Sciendum, quod ſi decima conſideretur, vt dicit determinatam aliquam partem, ideſt decimam partem fructuum ob ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ non debetur iure naturę, nec Diuino, ſed ſolùm Eccleſiaſtico. Ratio, quia Eccleſia ſola hanc partem taxauit, & poteſt hanc taxam præcipere; ſi verò conſideretur, vt dicit aliquam partem non definitam neceſſariam ad miniſtrorum ſuſtentationem debetur iure Diuino, iuxta illud ad D. Pauli Corinthios; *Qui ſpiritualia ſeminant, temporalia metunt*: immò etiam iure naturæ, dictat enim ſuſtentationē deberi miniſtris Eccleſiæ, ſic vti debentur tributa Principibus, & ſtipendia alijs miniſtris publicis.

Quotuplex ſit decima?

BRACTEA II.

R. Triplicem eſſe prædialem, perſonalem, & mixtam. Ita Hoſtienſis *in ſumma tit. de decimis* §. 3. Prædialis eſt decima pata, quæ ſoluitur ex fructibus, qui proueniunt ex prædijs, cuiuſmodi ſunt frumentum, vinum, oleum & fructus arborum. *Cap. peruenit, cap. paſtoralis, cap. Apoſtolica de decimis.* Perſonales ſunt, quæ ſoluuntur ex acquiſitis labore. & opera perſonæ, qualia ſunt, quæ proueniunt ex artificio, induſtria, ſcientia, militia, famulatu, venatione, negotiatione, alioque actu lucroſo, dummodo licitus ſit, Ita Siluester *verbo decima queſt. 6.* Angelus *eodem verbo*, & alij. Mixta eſt illa, quæ partim ex hominis induſtria, partim ex prædijs prouenit, vt ſunt fœtus animalium, qui partim ex paſcuis, partim ex animalibus proueniunt interueniente hominis induſtria in illis alendis. Secundò, lana, lac, & caſeus, quæ ex animalibus percipiuntur mel, & cera, quæ ex apibus colliguntur, &c.

An Eccleſia, dominium decimæ habeat, antequam ei tradatur?

BRACTEA III.

R. Non habere dominium, antequam tradatur, nec eam petere actione rei vendicationis, ſed ex lege Canonica, vel Diuina vſu comprobata. Ratio eſt, quia regulariter dominium rei non acquiritur abſque traditione; ergo antequam decima ſit tradita, Eccleſia in ea nullum habet dominium. Tum quia res cenſetur mea, quo adusque ab alijs poteſt diſcerni; ergo decima antequam ſit tradita non cenſetur in ea Eccleſiā habere dominium, cum ſit permixta cum rebus Domini, ita vt ab alijs diſcerni nequeat. Ita Rebuffus *tract. de decimis queſt. 3. & 9.* Federicus de Senis *conſil.* 74. & alij; & ideò ante traditionem cenſetur eſſe Eccleſiæ, non quoad dominium, ſed quia Eccleſiæ debetur lege iuſtitiæ.

An conſuetudine poſſit auferri præceptum decimarum?

BRACTEA IV.

R. Quoad decimam ſuſtentationis non poteſt præceptum decimarum auferri per conſuetudinem. Ratio, quia hoc modo decimæ ſunt de iure naturæ, & contra ius naturæ nulla valet præſcriptio. Quoad decimam verò determinatæ & definitę partis poteſt valere conſuetudo, ſi tota illa non ſit neceſſaria ad congruam ſuſtentationem. Ratio, quia talis decima non eſt de iure naturæ, aut Diuino, ſed ſolùm Eccleſiaſtico, cōtra quod poteſt eſſe conſuetudo in contrarium, & per conſequens talis decima poteſt diminui quoad illam partem, quæ non repugnat congruæ ſuſtentationi. Nauarrus *cap. 17. nu.* 8. Sotus *lib. 9. de iuſtit. queſt* 4. Arragonius 2. 2. *queſt. 87. art.* 1 & alii. Secundò, ad conſuetudinem contra decimas requiritur ſpatium quadraginta annorum; ad præſcriptionem verò tempus immemorabile. Ratio diuerſitatis eſt, quia conſuetudo reſpicit communitatem, quæ eximitur à lege vi ſolius conſuetudinis: at præſcriptio reſpicit priuatam perſonam, quæ non eximitur vi conſuetudinis, cum vnius perſonæ longus vſus non poſſit legem introducere, conſequenter neque abrogare.

An Laico poſſit concedi priuilegium non ſoluendi decimas?

BRACTEA V.

R. Papam poſſe obligationem decimarum de potentia abſoluta tollere quoad quotā, non autem quoad decimas ſuſtentationis. Et ita communiter Theologi, & Canoniſtæ. Ratio, quia decimæ quoad quotam non ſunt de iure Diuino, ſed Eccleſiaſtico: ergo in his Papa diſpenſare poteſt; & quia quoad ſuſtentationem ſunt de iure naturali, idcirco Papa in his diſpenſare non poteſt. Dixi de potentia abſoluta, quia de poteſtate ordinaria nō poteſt, quia non cenſeretur diſpenſator, ſed potius diſſipator. Secundò, poſſe Papam aliquem in particulari eximere à ſolutione decimarum diſpenſando in pręcepto illas ſoluendi. Et ita communiter Doctores, & colligitur ex praxi Eccleſiæ qua conceduntur plura priuilegia eximendi aliquem in particulari ab ipſis, vt patet *ex cap. à nobis, cap. ex parte de decimis* 15. Azorius *lib. 7. cap. 37. queſt. 6.* & alii. Tertiò validam eſſe exemptionem factam Laico à Papa de decimis, etiam ſine cauſa, dummodo id fiat ſine præiudicio iuris naturalis ſuſtentationis congruæ Eccleſiaſticorum. Ita communiter omnes. Ratio, quia huiuſmodi exemptio eſſet tantum in iure Eccleſiaſtico, non autem naturali.

An Laici poſſint percipere decimas?

BRACTEA VI.

SCIENDVM in decimis duo eſſe: primum, ius percipiēdi decimas: ſecundum fructus, qui percipiuntur ex decima. Quo poſito.

R. Laicos non eſſe decimarum capaces priori modo, id eſt quatenus decima dicit ius percipiendi. Ratio eſt, quia tale ius eſt quid ſpirituale, Laici autem ſunt incapaces iuris ſpiritualis. Ita declaratur in *cap. cauſam de praeſcript.* & *in cap. ad hęc de decimis:* fructus verò decimarum quatuor modis à Laicis percipi poſſunt: primò, iure conductionis, vel alterius contractus liciti; nam ſicut Clerici poſſunt fructus decimarum locare, etiam poſſunt Laici eos conducere: ſecundo modo, de conceſſione Epiſcopi; poteſt enim Epiſcopus iuſta cauſa Laicis benè de Eccleſia meritis ad vitam, vel ad aliud certum tempus concedere non quidem ipſum ius percipiendi decimas, ſed vt nomine Eccleſiæ fructus earum conſequantur. Ita Conarru. *lib. 1. variar. reſolut. cap.* 17. *num.* 5. Tertio modo, fructus decimarum à Laicis accipi titulo feudi, quo interdum Pontifices nobilibus viris conceſſerunt fructus decimarum ob merita eorum in Eccleſiam, & vt ipſam poſtea defendant, poteſt id facere ſolus Papa, vt patet ex eo, quod *in cap. quamuis de decimis.* Statuitur his verbis: Statuimus, vt ſi quis alicui Laico in ſęculo remanenti Eccleſiam, decimam, oblationem concesſerit à ſtatu ſuo, ſicut arbor, quæ inutiliter terram occupet, ſuccidatur, cuius prohibitionis iuſta ratio potuit eſſe abuſus, & prodigalitas Prælatorum in concedendo Laicis decimas iure perpetuo in præiudicium cultus Diuini: idcircò prohibitū eſt Prælatis inferioribus Papæ decimas Laicis in feudum concedere, licet ad aliquod tempus ob merita poſſit fructus decimarum concedere Laico. Quarto denique modo, decimæ poſſunt à Laicis accipi titulo conſuetudinis, quod non debet intelligi, vt conſuetudo ſola ſua vi faciat licitam huiuſmodi acceptionem, ſed ſolùm quod conſuetudo immemorabilis vim habeat ſufficientem probationis priuilegij à Sūmo Pontifice, & virtute illius priuilegij præſumpti acceptionem eſſe licitam.

Sciendum 2. Conſuetudinem obtineri poſſe, vt decimæ prædiales non ſoluantur in Eccleſia, vbi eſt prædium, ſed in alia Parochiali. Ratio, quia conſuetudo longi temporis vim habet derogādi iuri humano, & inducendi præſcriptionem. Secundò conſuetudine præſcripta vnam Eccleſiam poſſe obtinere ius decimarum alterius, ſi illius oneribus in ſe ſuſceptis ſpiritualia adminiſtret populo. Ratio, quia decimæ ſunt ſtipendia ſpiritualis miniſterij, ideòque licitè accipiuntur ab habentibus illud quaſi ex officio. Tertiò, conſuetudine non poſſe acquiri ius percipiendi decimas ſeparatum ab omni miniſterio ſpirituali, vel obligatione ad illud. Ratio eſt, quia decimæ ſecluſo priuilegio, aut conceſſione eius, cui debentur, nequeunt iuſtè exigi per eum, qui non miniſtrat ſpiritualia, cum intrinſecum ſit decimis ſtipendium eſſe miniſterij ſpiritualis. Ita Reginald. *lib.* 20. *num.* 95. & alij.

De perſonis, à quibus dandæ ſunt decimæ?

BRACTEA VII.

R. OMNES, & ſolæ illæ perſonæ, quæ in ſpiritualibus ſubditæ ſunt, & è manu Sacerdotis Sacramenta ſuſcipere debēt, ſoluere tenētur decimas. Ita colligitur *ex cap. ex tranſmiſſa, cap. ad Apoſtol. de decimis;* & docet S. Thomas *quæſt.* 87. *art.* 2. & 4. Ratio eſt, quia decimæ dantur tanquam ſtipendiū pro ſpirituali actu, ac miniſterio, quod fidelibus exhibetur. Ex quibus colligitur infideles non teneri ad ſolutionem decimarum: ratio eſt, quia non ſunt ſubiecti Eccleſiæ; nec participant in miniſtratione Sacramentorum: item Iudęos non teneri ad decimas propter rationem allatam. Secundò, decimæ perſonales ſoluendæ ſunt ab his, qui Sacramenta ſuſcipiunt, & illi Eccleſiæ, à qua recipiunt; idque iuxta conſuetudinem receptam. Ita colligitur *ex cap. ad Apoſtolica de decimis.* Ratio eſt, quia vt dictum, huiuſmodi decimæ dantur in ſuſtentationem eorum, qui Sacramenta adminiſtrant, idcircò ſoluendæ ſunt illi Eccleſiæ, in qua percipit Sacramenta. Dixi iuxta præſcriptam conſuetudinem, quia in multis locis huiuſmodi decimæ ſunt ſublatę. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 5. *nu.* 27. Suarez *cap.* 28 & 29. & alij. Vnde regulariter ſcholaris cōmorās in ſtudio debet ſoluere decimas perſonales Parochiæ illius ſtudij, quia in ea recipit Sacramēta. Secundò is, qui in duabus Parochiis habet domicilium, & in vtraque æqualiter habitat, & percipit Sacramenta, debet diuidere decimas perſonales pro rata temporis. Verùm ſi quis in Eccleſiis Regularium perciperet Sacramenta, non debet illis ſoluere decimas, ſed proprio Parocho, cui ex officio incumbit miniſtrare Sacramenta, neque per ipſum ſtat, ne adminiſtret. Ita Federicus de Senis *conſil.* 152. & alij. Tertiò eum, qui habet in confinio duarum Parochiarum domicilium, ita vt diſcerni nequeat, cuius Parochiæ ſit debere decimam inter Parochos diuidere, quia non eſt maior ratio vnius, quam alterius. Quartò, decimam ſoluendam eſſe de omnibus, quæ ex induſtria acquiruntur, de acquiſitis verò per eleemoſynam, donationem, legatum, vel hæreditatem decima non eſt ſoluenda, cùm hæc non dicantur acquiſita ex induſtria. Ita Azorius *cap.* 25. *qu.* 8. Valentia 2. 2. *tom.* 3. *diſp.* 6. *qu.* 5. *pun.* 3. Suarez *cap.* 31. *n.* 6. Quintò, poſſe Parochum denegare Sacramentum decimas non ſoluenti. Ita Reginaldus *lib.* 29. *num.* 102. Molphesius *in ſum. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 62. & 63.

An Sacerdotes, & pauperes teneantur ſoluere decimas?

BRACTEA VIII.

R. SACERDOTES non obligari ſoluere decimas perſonales: ratio eſt, quia ad ipſos pertinet aliis miniſtrare Sacramenta, & conſequenter recipere decimas ab his, quibus ipſi miniſtrant; ergo non obligantur ſoluere. Secundò pauperes teneri ſoluere decimas perſonales. Ita Suarez *cap.* 16. *num.* 15. Ratio, quia ſicut tenentur ad ſoluenda tributa regia, ita etiam tenentur ad decimas Eccleſiæ, licet veriſimile ſit, qui non habent neceſſaria ad congruam ſuſtentationem non obligari ad ſoluendas decimas cum tanto rigore; qui verò ſunt in extrema neceſſitate, non tenentur ſoluere decimas, cum præceptum ſoluendi decimas non obliget eos, qui ſunt in extrema neceſſitate poſitos.

Qui teneantur ſoluere decimas prædiales?

BRACTEA IX.

R. EOS omnes teneri ad decimas prędiales, qui titulo nō ſpirituali habēt prędia alicui Eccleſię ſubiecta, idq; illi Eccleſię, vel illa p̄dia ſubiacent.

iacēt, niſi cōſuetudo habeat, vt alienæ Eccleſiæ ſoluātur, quia in hac re maximè conſuetudo ſpectanda eſt. Ita Valentis *tom. 3 diſp. 6. qu. 5. pun. 5.* Cardinalis Tuſchus *tom 2.* Suarez *cap. 21. 28. & 31.* Azorius *1. par. lib. 3. cap. 35. quæſit. 14.* Leſſius *lib. 2. cap. 39. num. 17.* Reginaldus *lib. 29. num. 89.* Vnde primò tenentur has decimas ſoluere omnes Laici, etiam Iudæi, Pagani, quia eſt onus annexum rei, quam poſſideat. Secundò etiam Clerici, ſi illa prædia titulo patrimonij, vel alio modo non ſpirituali poſſident. Ratio eſt, quia illa prædia per ſe illi oneri ſubiecta ſunt: res autem cum ſuo onere tranſit, & Eccleſia nō debet defraudari ob ſuſceptionem Ordinis Sacri, præſertim cum per accidens ſit, quod à Clericis nunc poſſideantur. Tertiò, Monaſteria, & pia loca, &c. teneri ad ſoluendas decimas, niſi ob neceſſitatem excuſentur, vel niſi aliquo priuilegio, vel conſuetudine, vel alio titulo fuerint exempta. Ita *ex cap. nuper 34. de decimis*, vbi decernitur, vt Ciſtercienſes de terris poſt Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum acquirendis ſoluant decimas Eccleſijs, quibus antea ſoluebantur, niſi eas proprijs manibus colant, niſi aliter cū Eccleſijs componant: & in priuilegiis Monachorū reformatorum D. Bernard. *Burb. exemp. §. 6.* hęc habētur omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis locorū Ordinariis, eorumq; Vicariis generalibus, & aliis Iudicibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, necnon Prælatis, & perſonis, quibuſcunque pręſentibus, & futuris cuiuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis ſint, vel fuerint in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Romano Pontifici reſeruatæ mandatur, ne in poſterum perpetuis futuris temporibus de terris, & poſſeſſionibus noſtris præſentibus, & futuris, quas proprijs manibus excolimus, aut aliis excolendas dedimus, & in futurum quomodolibet tradēmus decimas, taleas; aut aliud quodcunque genus exactionis, etiam prætextu cuiuſcunque viſitationis, aut tranſitus, necnon de hortis, virgultis, & piſcationibus noſtris, ac de noſtris, ac de noſtrorum animaliū nutrimentis exigere, aut extorquere audeant, vel præſumant (& innouantur, præterquam in his, in quibus Concilio Tridentino aduerſantur) ſuper hoc litteræ Martini V. Sixti IV. Innocentii VIII. & aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum prædeceſſorum Pauli V. Ordini Ciſtercienſi conceſſæ: quibus vniuerſus Ordo prædictus à ſolutione decimarum prorſus eximitur, Paulus V. in litteris Apoſtolicis *pag. 98. conſtitut.* Neque obſtat, quod hoc videatur cedere in damnum Eccleſiarum, quæ antea ex illis agris decimas percipiebant, quia ſicut auctoritate Sedis Apoſtolicæ factum eſt, vt tale prædium teneretur ad ſolutionem decimæ, ita eadem auctoritate ob eandem cauſam poteſt liberari, vel illa decima alteri attribui; ita enim hoc onus eſt impoſitum, vt aſſiduè ab illa auctoritate dependeat, & ſic non ſit iniuria illi Eccleſiæ; non enim intendit hoc onus ita imponere in commodum huius, vel illius Eccleſiæ, vt ſibi adimeret poteſtatem illius remittendi, vel relaxandi.

Vter teneatur ſoluere decimas, quando ſunt duo, qui colligunt fructus, v. g. Colonus, & Dominus?

BRACTEA X.

R. Onus ſoluendi decimas incumbere illi, qui ius primariò, & principaliter habet in fructus, niſi tale ius in alterum reiecerit, vt quādo Dominus locauit prædium alteri, tunc vterque teneturad ſolutionem decimarum, quando dominus agri locauit agrum Colono cum onere diuidendi fructus æqualiter, nam vterque ſentit ęquale commodum, & vterque principaliter ius fructuum habet, nec Colonus in ſe onus ſoluendi decimam integrè ſuſcepiſſe cenſetur. Si verò Dominus agri locauit agrum pecunia tranſlato iure fructuum in conductorem, tunc decimæ integræ ſoluendæ ſunt à conductore. Ratio eſt, quia Dominus tranſtulit hoc onus in conductorem minori contentus pretio ob onus tranſmiſſum in conductorem. Tum etiam quia conductor in hoc caſu dicitur primariò, & principaliter ius in fructus habere. Secundò, Colonum mercenarium, qui conductus fuit ad colendum agrum pro certa fructuum parte ad ratam laboris non obligari ſoluere decimas prædiales. Ratio, quia pars debita Colono cenſetur ſtipendium, & illi debetur loco expēſarum, & non tenetur ſoluere decimam pro fructibus aſſignatis ratione ſtipendii. Tum quia onus ſoluendi decimas principaliter ſpectat ad illum, qui habet ius in fructus: Dominus autem agri cenſetur talis, cum nō ipſum ius reiecerit in Colonum, cuius operam certa fructuum parte conduxit. Similiter eum, qui habet ius certæ penſionis, & Cenſus exigendi ex fructibus, qui colliguntur ex prædio oneri decimarum ſubiecto, non teneri decimam prædialem. Ratio eſt, quia penſio ſoluitur ex fructibus iam decimatis; tum quia onus ſoluendæ decimæ ad eum pertinet, qui primariò ius in fructus habet: Cenſualiſta autem non habet primariò ius in fructus; ergo, &c. Ita Azorius *lib. 7. cap. 35. quæſit. 4.* Moneta *tract. de decimis cap. 6. quæſt. 4. num. 59.* & alii.

An Dominus agri, qui ſua culpa non percepit fructus, teneatur ſoluere decimas, quas Eccleſia recepiſſet, ſi agrum coluiſſet?

BRACTEA XI.

R. Non teneri. Ratio eſt; quia non violauit iuſtitiam non colendo agrum; tum quia decima ſoluenda eſt ex fructibus collectis, non autem ex colligendis, vel ex his, qui colligi potuiſſent, ſicuti etiam non tenetur ſoluere decimas ex fructibus, quos combuſſit, aut conculcauit. Ratio eſt, quia Dominus agri non tenetur ſoluere decimas agri ex fructibus, quos ſua culpa non colligit; ergo neque tenetur, ſi ſegetes combuſſit, antequam fructus colligeret. Ita Molina *diſp. 49.* Conat. *par. 2. §. 8. num. 12.*

An Epiſcopus teneatur ad decimas prædiales?

BRACTEA XII.

R. Episcopum non teneri ad decimas debito perſonali attento iure Eccleſiaſtico. Ratio, quia ſi ad eas teneretur, eſſet reſpectu Papæ, cui tanquam Paſtori ſubditur per ſe: at Papę non ſoluunt decimas ſibi obuenientes, nec obligātur ex aliquo iure Eccleſiaſtico, cum nullum ſit; ergo, &c. poſſet tamen Papa, ſi vellet occurrente aliqua neceſſitate exigere ab ipſis non ſolùm decimam decimarum, ſed etiam maiorem, nimirum ſubſidium charitatiuū ad ipſum alendum. Iam verò Papa tum ex redditibus Eccleſiaſticis, & temporalibus ſuis, tum ex iuribus certis, quæ in expeditionibus beneficiorum, &

An opulentia Clerici excuſet à ſolutione decimarum?

BRACTEA XXI.

R. QVOD licet Clerici, quibus debentur decimæ, ſint diuites, aut quod ſint mali, dummodo laborent in vtilitatem populi, illis decimæ ſunt ſoluendæ. Ratio, quia decimę non debentur Clericis, quia boni ſint, aut pauperes, ſed quia laborant pro populo. Tum etiam, quia Chriſtus Dominus iuſſit tributũ dari Imperatori infideli, & decimas Sacerdotibus Iudęorum improbis, cum Matth. 22. dixerit, *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Ita Reginaldus *lib.* 19. *num.* 30.

An decimæ primò debeantur Epiſcopis, quam alijs.

BRACTEA XXII.

R. DECIMAS primariò deberi Epiſcopis: Ratio, quia Epiſcopus eſt principalis diſpenſator ſummę decimarum, quę percipiuntur ex Parochiis. Abbas *cap. cum contingat num.* 7. *de decim. & cap. conquerente de officio Ordinarij*, vbi quarta decimarum inter iura Epiſcopalia ponitur. Quod ſi dicatur decimas iure communi deberi Eccleſiis Parochialibus. Reſpondeo immediatè debere illis, mediatè verò tanquam principali diſpenſatori Epiſcopo, quia Epiſcopus eſt principalis miniſter ſingularum Parochiarum.

Sciendum tria genera decimarum pertinere ad Epiſcopos: Primum, ratione Cathedralis, cuius eſt peculiare membrum, vt potè illius caput: Secundum, ratione Parochiarum ſuæ Diœceſis, quarum ſuo modo membrum eſt, & caput: Tertium, ratione ſuæ menſæ, & perſonæ, in prædiis, quæ ſint intrà ſuam Diœceſim, & nulli Parochiæ applicata ſint. Secundò, poſt Epiſcopum decimas deberi Parochis: Ratio, quia ipſi maximè ex officio tenentur ad miniſtranda ſpiritualia: vnde illis debentur decimæ; poſt Parochos deberi Capitulis Cathedralium, & eorum Clericis præbendatis. Ratio, quia hi omnes habent proprium ius ſupra decimas correſpondentes ſuo beneficio. Simplices Clericos non habere proprium ius ad decimas, neque illis eſſe debitas: Ratio eſt, quia ex vi ſolius Clericatus non ſunt obligati ad miniſtrandum populo in ſpiritualibus, neq; qui ſunt in Sacris obligantur ex iuſtitia: ſicut etiam Religioſi non habent ius ad decimas, neque iis debentur ex iure communi. Ratio, quia non ſunt obligati ad miniſtrandum populo in ſpiritualibus, ideoque nec populus obligatur ex iuſtitia eis ſoluere. Ita Filiucius *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 211.

Quando, & vbi ſoluendæ ſunt decimæ?

BRACTEA XXIII.

R. DECIMÆ prædiales debentur ſtatim, ac fructus à ſolo ſeparati, atque collecti ſunt: Ita habetur expreſsè *in cap. cum homines*, & ita Alenſis *part.* 3. *quæſt.* 51. *memb.* 5. Rebuffus *quæſt.* 11. *num.* 3. Silueſter *verb. decima quæſt.* 7. aliiq; communiter. Neque opus eſt, vt decimæ à Parocho petantur, ſiue exigantur, quia dies ipſe, ſeu tempus ſolutionis pro creditore interpellat; præſertim cum fructus reali obligatione decimarum ex iuris diſpoſitione obligati cenſeantur. Ratio, quia cum præceptum de ſoluendis decimis ſit affirmatiuum, ideoque non obligat pro ſemper, determinatum fuit adimpletioni illius certum tempus, quo accommodatius aſſignari non potuit, quam memoratum, quia maior commoditas ſoluendi tunc eſt, cum fructus habentur integri, neque ex parte conſumpti, atque ex tunc Eccleſia incipit eorundem fructuum habere dominium, quoad partem ſoluendam decimæ nomine, adeò vt non tradere eam ſtatim, & ſine morali mora, ſit retinere alienum, quod nunquam licet inuito iuſte Domino; & ideò peccat quando præſtituto tempore non ſoluit abſque iuſta cauſa. Secundò, ſpectato iure communi non obligatur prædii Dominus, aut Colonus decimas ad horreum Eccleſię, vel Parochi deferre, ſed ſatisfacit obligationi ſuæ ſi moneat Parochum, vt decimas à ſolo ſeparatas, aut collectas auferat. Quod ſi id facere intermittat, & decimæ fructuum in agro damnum aliquod patiantur, Parochi culpæ imputabitur. Couar. 1. *reſol. cap.* 17. *num.* 8. Suarez *cap.* 37. *num.* 9. & alii. Tertiò, perſonales decimæ, ex cuius vbi in vſu ſunt commodiſſimè ſoluuntur elapſis annis ſingulis, ſicuti alii cenſus, & tributa pendi ſolent. Ita Gloſſ. *in cap. reuertimini verb. annus* 16. *quæſt.* 1. Alenſis *part.* 3. *quæſt.* 51. *memb.* 3. Abbas *in cap. peruenit num.* 3. Suarez *cap.* 37. *num.* 3. Quartò, inter decimas mixtas quædam rectius ſoluuntur cum primum fructus percepti ſunt, vt ouium lana, quædam non ſtatim, ſed poſtquam ſine lacte matris viuere poſſunt, vt animalium fœtus, de quibuſdam verò certa regula tradi non poteſt, ſed ex loci conſuetudine priuatis tranſactionibus, &c. petendum eſt. Ita Suarez *cap.* 37. *num.* 6. Quintò, decima ſoluenda eſt in loco, in quo ex recepta conſuetudine ſolui conſueuit, quia potuit in hac re legitima conſuetudo introduci, cum non aduerſetur diſpoſitioni iuris: & ideo Suarez *cap.* 37. Reginaldus *lib.* 19. *num.* 99. & alii putant hanc conſuetudinem ſeruandam, ſi ſpatio decem annorum fuit introducta, & vſu recepta, & ſi legitima conſuetudine receptum ſit, vt Laici decimam in horrea Clericorum deferant, ſeruanda erit conſuetudo, quia vim legis habet: erit autem legitima conſuetudo ſufficiens ad hanc obligationem inducendam, ſi ſpatio decem annorum tanquam ex obligatione ſeruata, nam conſuetudo, quæ iuri non aduerſatur, ſpatio decem annorum introduci poteſt, & vim legis habere. Suarez *cap.* 37. *num.* 8. & alij.

An Parochus poſſit negare Sacramenta his, qui nolunt ſoluere decimas?

BRACTEA XXIV.

R. CVM Reginaldo *num.* 19. *quæſt.* 6. *num.* 102. Quod ſi tales habeant iuſtum titulum recuſandi, Parochus non poteſt illis negare Sacramenta, quia non peccant non ſoluendo; Si verò non habeant iuſtum titulum recuſandi, neque peccatum illorum ſit notorium, poteſt quidem repellere non tamen ante condemnationem Iudicis, quia in propria cauſa nemo eſt Iudex, nec quiſquam ſine cognitione cauſæ poteſt priuari vſu iuris, in cuius poſſeſſione eſt non apertè iniuſta. Quod ſi talium peccatum ſit notorium, Parochus poteſt propria auctoritate eos à Sacramentis repellere, vt potè quos pa-

iam conſtat indignos eſſe illorum participatione, immò quantumcumque peccatum ſit occultum, debet talibus abſolutionem Sacramentalem negare tanquam volentibus perſeuerare in peccato mortali, quale eſt nolentium ſoluere decimas debitas; quandoquidem iniurioſum eſt notabiliter tam Deo, quam Miniſtris ipſius. Tum etiam, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 12. de reformat.* præcipit, vt qui decimas ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, neque ab eo crimine, niſi plena reſtitutione ſequuta abſoluantur.

An Coloni Religioſorum pro ſua portione colonica teneantur ſoluere decimas?

BRACTEA XXV.

AFFIRMATIVAM ſententiam docet Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. diſp. 25. quæſt. 18. num. 32.* tenere Rotam in Bruſentina 17. *Decemb.* 1584. coram Blancardo, quam deciſionem refert, & ſequitur Seraphinus *deciſ. 127. num. 2.* Ratio, quia priuilegia exemptionis à ſolutione decimarum ſunt perſonalia, non autem realia; ergo non tranſeunt ad Colonos: ergo, &c. ſed his non obſtantibus.

R. Cum Diana *tract. 1. de immunitate Eccleſiaſtica reſol. 23.* & aliis negatiuè. Ratio, quia dicta priuilegia cenſentur realia, & non perſonalia; ergo tranſeunt ad Colonos. Quod vero ſint realia, patet ex priuilegiis concessis, quæ non ſunt conceſſa perſonis, ſed rebus; vt clare conſtat ex noſtris priuilegiis *verb. exemptio* §. 6. Mandatur ne impoſterum perpetuis futuris temporibus de terris, & poſſeſſionibus noſtris præſentibus, & futuris, quas propriis manibus excolimus, aut aliis excolendas dedimus, & in futurum quomodolibet tradémus, decimas, taleas, aut aliud quodcunque genus exactionis, &c. & ex pluribus aliis locis, & priuilegiis aliorum Religioſorum, ex quibus clarè videtur priuilegium non eſſe perſonale, ſed reale; & hanc ſententiam nouiſſimè tenet etiã Peyrinus *in priuilegiis minimorum tom. 1. conſtitut. 2. Iulij Secundi* §. 31. *num.* 132. vbi ſic aſſerit. Nota, quod non ſolum domus, & prædia noſtra ſunt exempta à ſolutione decimarum, ſed etiam Coloni, qui conducunt agros noſtros, ſiue conducant ad medietatem fructuum, & dicuntur Coloni partiarii, ſiue vt quotannis certam partem fructuum nobis tribuant in omnem euentum, & reliquum ſibi acquirant, quia priuilegium eſt reale, & priuilegium reale iure communi tranſit ad Colonos. Ita ille, & alii pœnes ipſum.

Quas pœnas incurrunt, qui non ſoluunt decimas?

BRACTEA XXVI.

R. IN *Cap. ſtatuimus 16. quæſt.* 1. & in Concil. Matiſcon. 2. eſſe conſtitutum, vt omnes cuiuſcunque gradus, & conditionis ſint decimas, integras ſoluant his, quibus iure debentur, alioqui excommunicationi ſubiiciantur, & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 12. de reformat.* eandem pœnam confirmat his verbis, qui decimas, aut ſubtrahunt, aut impediunt; excommunicentur, neque ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſoluta abſoluantur. Quod intelligendum eſt modo non adſit impotentia reſtituendi. Et ita Henriquez *lib. 13. cap. 28 num.* 1. Petrus Nauar. *in manual. cap. 17. num.* 59. Moneta *cap. 8. quæſt.* 5. Molina *tract. 2. diſput. 756. num.* 5. Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 20. num.* 19. Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum veriſimile non eſt velle pœnitentem obligari ad impoſſibile: Excommunicatione afficiuntur omnes Religioſi, qui ſuis concionibus, vel aliàs aliquid proferunt, vt auditores auertant à ſoluendis decimis eis, quibus iure debentur: item omnes Religioſi, qui Sacris peccatorum Confeſſionibus, quas audiunt nullum animæ ſcrupulum iniiciunt in his, quorum Confeſſiones excipiunt de ſoluendis decimis, tamdiu ipſo facto ſuſpenduntur, donec eos, quorum Confeſſiones audiuere admonuerint, ſi commodè poſſunt, vt decimas debitas ſoluant, alioquin id non facientes, ipſo facto in excommunicationem incurrunt. Ita Clementina *cupientes de pœnis*, Suarez *diſput. 31. ſect. 6. num* 21. Moneta *cap. 5. num.* 19. Toletus *lib. 6. cap. 20. num.* 6.

Qui ſit Iudex competens in cauſa decimarum?

BRACTEA XXVII.

R. DECIMAM petendam eſſe coram Iudice Eccleſiaſtico, & non Ciuili, ſi quæſtio ſit iuris. Ratio eſt; quia cauſa decimarum eſt Eccleſiaſtica, cum decimæ ob ſacrum miniſterium debeantur, cauſa autem ſpiritualis, & Eccleſiaſtica coram iudice Eccleſiaſtico agenda eſt, *cap. Parochianos de decimis.* Tum quia ſic decernitur *cap. ad hæc de decim.* Vnde Iudicem Ciuilem non poſſe ſimul cum Iudice Eccleſiaſtico cauſam decimarum cognoſcere etiam titulo compromiſſi. *Cap. cum contingat de arbitris.* Nimirum ſi talis perceperit, vel ſoluerit, ſeu etiam an percipiat, ſiue ſoluat decimas, ad effectum quoque, vt is, de quo non dubitatur an iure ſoluere debeat decimas eas ſoluere Eccleſiæ eiuſque Rectori cogatur, vel quia agatur contra detentorem fructuum decimandorum. Couar. *practicar. quæſt. cap. 35. num.* 1. Rebuff. *de decimis quæſt.* 10. *num.* 35. Henriquez *in ſum. lib. 5. cap. 23.* §. 2. Zerola *in praxi Epiſcop. part.* 1. Facundez *præcep. 5. lib. 3. cap. 5 num.* 1. Azor. *part. 1. lib. 7. cap. 36. quæſit.* 5. Homobonus de bonis *de exam. Eccleſiaſticor. part. 2. parte 8. cap. 8. quæſt.* 24. & alii. Cauſa decimarum, quæ datæ ſunt in feudum ſæcularibus, diſcutienda eſt coram Iudice Eccleſiaſtico; licet enim dominium huiuſmodi decimarum, ſcilicet fructuum illorum omninò ſpectet ad laicos, & feudum cenſeatur ſæculare; tamen quia oritur, & dependet à iure ſpirituali, & Eccleſiaſtico non poteſt Iudex laicus de illis cognoſcere. Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 39. quæſit.* 3. Moneta *de decimis cap. 8. quæſt. 1. num.* 15. Facundez *præcep. 5. lib. 3. cap. 5. num.* 5. Similiter de poſſeſſorio decimandi, ſi agatur, ſpectat ad Iudicem laicum, nam matrimonii poſſeſſorium, quamuis agatur inter perſonas merè laicas, quia habet admixtam cauſam, & titulum ſpiritualitatis definiendum eſt à Iudice Eccleſiaſtico. Couar. *de ſponſal. part. 2. cap. 7.* §. 6. *num.* 8. & alii; poſſeſſio enim rei ſpiritualis licet ſit merè temporalis, & laicalis, attamen etiam de poſſeſſione ſolum cognoſcit Iudex Eccleſiaſticus, quemadmodum de ipſa proprietate, non autem laicus, cum qualitas ſpiritualitatis qualitatem temporalitatis abſorbeat, & ad ſe trahat. Valaſc. *conſil. 93. num.* 3. Caualeta *conſil. 258. num.* 8. Couar. *practicar. cap.*

cap. 35. *num.* 1. Gutier. *cap.* 34. *num.* 26. Azorius *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 1. & alij.

An prædia ſint ſpecialiter obligata ad decimas præteritas?

BRACTEA XXVIII.

R. DVOBVS modis id eſſe poſſe: Primò, ex ſpeciali obligatione orta ex lege decimarum ob peculiare onus, quod Eccleſia imponit cuique prædio pro decima morum fructuum: Secundò, ex hypothecaria obligatione inducta beneficio legis in fauorem decimarum, vtroque modo non cenſentur prædia obligara pro decimis, quia onus præteritum decimarum tranſit cum ipſis fructibus, qui indecimati alienantur: eſſet autem vltra æqnitatem idem onus ponere ſuper fructus, & ſuper poſſeſſionem vltra obligationem perſonalem primi Domini poſſeſſoris, qui ſoluere debebat decimas; & ita Filiucius *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 265.

An primitiæ iure communi debeantur?

BRACTEA XXIX.

SCIENDVM nomine primitiarum intelligi non ſolum primos fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum, &c. ſed etiam præcipuos, & optimos, licet probabilius ſit per primitias ſolum intelligi primarios fructus. Quo poſito

R. Primitias iure communi deberi; & ita Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Abbas *in cap. decim.* nam *in cap. decimas* 16. *quæſt.* 7. Gregorius Septimus inquit, oportet congruentius nos decimas, & primitias, quas iure Sacerdotum eſſe ſancimus ab omni populo accipere, quos fideles Domino præcipiente offerunt iuxtà Malachiam, *Inferte omnem decimationem in horreum meum*. Secundò, primitiæ lege Diuina olim debebantur; ſi quidem Deus Malachiæ *cap.* 3. conquæritur de Iudæis, eo quod decimas, & primitias non ſoluerent, & Tobiæ 1. commendatur ſenior Tobias, quod omnia primitiua ſua, & decimas ſuas fideliter offerret. Tertiò, plures tenere ſententiam negatiuam, nimirum homines non teneri ad primitias iure communi, quia nullum ius afferri poteſt in noua lege obligans ad primitias ſoluendas, vel ſi aliqua lex, aut præceptũ aliàs extitit contraria conſuetudine fuiſſe abrogatum. Ita S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 86. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. & alii, quorum ſententia videtur ſatis probabilis.

Quomodo primitiæ differant à decimis?

BRACTEA XXX.

R. PRIMITIAS differre à decimis. Primò, quia decimæ debentur, & ſoluuntur Sacerdotibus, vt ex eis commodè ſuſtententur; at verò primitiæ Deo potiſſimum offeruntur, vt teſtemur eum eſſe noſtrorum bonorum largitorem, ac proinde primitiæ ſunt in honorem, & cultum Dei, quamuis deinde cedant in alimentum Sacerdotum. Secũdò, decimæ potiſſimũ ſoluuntur, vt agnoſcamus, ac profiteamur hiſce muneribus Deum eſſe ſupremum rerum omnium dominum, cuius imperio ſumus ſubiecti, deinde vt quas Deo poſſumus gratias debitas referamus, ſicut gratum animum noſtrum beneficij declaramus his, qui ſunt de nobis benemeriti, & Principibus, ac Regibus non ſolum tributa pendimus, ſed etiam munera offerimus tanquam eorum imperio, dominationi, & poteſtati ſubiecti; tributũ enim, & munus ipſis oblatum noſtræ eſt ſeruitutis indicium, & argumentum, & teſtimonium. Primitias offerimus, vt teſtemur Deum eſſe noſtrorum bonorum datorem, diſtinguitur etiam primitia ab oblatione, quia per primitias intelliguntur primi fructus, per oblationes intelligitur generatim quidquid Deo offertur.

Cui debeantur oblationes?

BRACTEA XXXI.

SCIENDVM nomine oblationis generaliter ſumpto intelligi omnes actiones, per quas quæcunque res ad Diuinum Cultum exhibentur: ſtrictè tamen, & propriè oblationes dicuntur res illæ, quæ immediatè intuitu Religionis Deo ab hominibus abſque immolatione exhibentur, vt ſcilicet; vel in vſum Eccleſiæ, vel in vſum Miniſtrorum cedant, & ſic oblationum nomine contineri quidquid fidelis offert Deo, vel Eccleſiæ, *cap. quis oblationes, cap. Cleric.* 13. *quæſt.* 2. Secundo, oblationum vſum antiquiſſimum eſſe, cœpit autem tempore Cain, & Abel, vel ſecundum alios tempore Noe, vt in Geneſ. 4. & 8. vbi dicitur, *Noe ædificauit altare Domino tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, & obtulit illa in holocauſta ſuper altare*, & *in lib. numeri cap.* 6. habetur, quod Principes Iſrael obtulerunt munera coram Domino, &c. & *in leg. gratiæ*, dum pariter in Altari, vel Eccleſia tempore miſſæ panis, oleum, vinum, mel, cera, & alia huiuſmodi offerre conſueuerunt antiquiſſimus quoque vſus extitit, vt conſtat ex Canonibus Sextæ Synodi, Suarez *de relig. tom.* 1. *lib.* 1. *de Diuino Cult. cap.* 4. *num.* 2. declarat Canonem quinquageſimum ſeptimum, vbi dicitur non oportere offerre lac, & mel, quod Suarez cautum putat propter aliquas ſuperſtitiones, quæ ex oblatione mellis, & lactis introducebantur. Quibus poſitis

R. Oblationes, quæ in vſus Miniſtrorum reponuntur, ſunt de iure Parochiali. *Cap. quia Sacerdotes* 13. *Cap. Sanctor.* 14 *quæſt.* 1. Ratio, quia illis propter Sacramentorum adminiſtrationem ſunt debitæ.

Sciendum 2. Quod vt oblatio verè dicatur oblatio, & ſit Deo accepta, tria requiruntur: Primum, vt offerens ſit chriſtianus: Secundò, requiritur, vt offeratur Eccleſiæ, nam quod priuatæ perſonæ offertur non eſt propriè oblatio, ſed donatio, aut eleemoſyna. Tertiò, vt res oblata ſit licitè, & honeſtè acquiſita; illicitè autem intelligitur acquiſitum quidquid ex furto, vſuris, vel alio illicito exercitio, *nam Eccleſiaſtic.* 28. legitur, *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblatione iniquorum*.

An vbi oblationes de more ſoluuntur voluntariè ſint, an potius neceſſariò præſtandæ?

BRACTEA XXXII.

R. NECESSARIO ſoluendas eſſe: Ita Siluester *verbo decima quæſt.* 2. & alij. Ratio, quia conſuetudo vim habet legis, & laicis poſſunt cogi ad legem ſeruandam.

Sciendum oblationes non deberi ex præcepto,

niſi in quatuor caſibus ſubſequentibus: Primus eſt, cum debentur per modum cenſus, penſionis, aut cõuentionis anteà factæ cum Eccleſia. Angelus *in ſum. verb. oblatio num. 1.* Secundus, cum debentur ex teſtamento, legato, donatione, voto, &c. Tertius, quando Miniſtri Eccleſiæ non habent congruam ſuſtentationem. Quartus, cum alicubi oblationes conſuetudine ſunt introductæ, nam vbi extaret, quod in quibuſdam feſtiuitatibus Parochiani ſoliti ſint facere certas oblationes, illis neglectis, aut non præſtitis poſſunt per Superiorem cógi ad illam conſuetudinẽ ſeruandam, & videtur dici de conſuetudine per decem annos recepta. Ita Nauar. *in manuale cap. 13. nu. 19.* Azorius *part. 1. lib. 3. cap. 7. quæſt. 11.* & alij.

An oblationes iure naturali debeantur?

BRACTEA XXXIII.

R. Si Eccleſiæ, vel Eccleſiarum Rectores indigeant, iure naturali deberi oblationes: ſecus verò minimè, & iure naturali offerri tantum debet, quantum Eccleſiæ neceſſarium eſt ad ſuſtentationem, vel Rectoris indigentiam ſubleuandam, & ad declarandum, Deum eſſe ſummum rerum omnium Dominum.

Sciendum, quod ſicut laici compelli poſſunt ad ſeruandam laudabilem conſuetudinem, ita etiam ipſi Clerici tenentur ad obſeruantiam laudabilis cõſuetudinis præſcriptæ ad aliquod faciendum, & quamuis ex laudabili conſuetudine poſſit recipi aliquid pro ſpiritualibus adminiſtrandis, illud tamen peti non poteſt antequam adminiſtrentur, non obſtante conſuetudine. Ita Abbas *in cap. abolenda nu. 7. de ſepulturis,* Hoſtienſis *in cap. ad Apoſtolicam num. 5. & 6.* Ratio, quia habet in ſe ſpeciem mali, à quo eſt abſtinendum.

Cuius ſint oblationes, quæ fiunt alicui imagini?

BRACTEA XXXIV.

R. Cum diſtinctione, aut huiuſmodi oblationes fiunt in aliquo loco regularium, aut fiũt alicui imagini depictæ in pariete alicuius priuati, aut fiunt in miſſa, vel extrà, imagini depictæ in Capella, ſeu Oratorio exiſtenti iuxtà limites Parochiales Eccleſiæ, ſiue ſit Capella, ſiue Altare in Eccleſia Parochiali, ſiue cœmiterio, &c. Primo modo acquiruntur illis Religioſis, & non aliis. *Cap. 1. de ſtatu Monachor.* Abbas *in cap. Dilectus num. 4.* Secundo modo huiuſmodi oblationes non cedunt domui priuatæ, ſed Eccleſiæ Parochiali, Abbas *in cap. Dilectus nu. 1.* & alii. Quod tamen intelligendum eſt de loco priuato, in quo Deus oſtendit plura miracula, & vel magna mouetur deuotio cum maximo concurſu populi, & fiunt oblationes notabilis quantitatis, & valoris, vt factum fuit apud Eccleſiam B. Mariæ Montis Regalem, & apud Capellam B. Virginis vulgò dictam [del Pillone] propè Vrbem Taurinenſem, & nunc temporis apud Capellam B. Virginis intrà Ciuitatem Cherienſem, vbi ob maximum concurſum populorum maximæ oblationes auri, & argenti, & gemmarum fuerunt à fidelibus factæ. Ita Theſaurus *fori Eccleſ. cap. 28. num. 27. & 30.* Tertio modo oblationes indiſtinctè cedunt Rectori Parochialis Eccleſiæ, *Cap. quia, cap. Sanctorum, cap. nulli 13. quæſt. 12.* Ratio eſt, quia oblationes debentur Parocho Iure Parochiæ, niſi ex coniecturis aliud conſtare poſſit, veluti ſi in ipſo Altari eſſet imago, vel titulus alicuius Sancti, cuius intuitu fierent oblationes, quia tũc oblationes debentur Rectori ipſius Altaris. Felinus *in cap. Dilectus num. 4.* quia Parochus habet fundatam intentionem ſuper oblationes, quæ fiunt intra Parochiam. *Cap. quia 10. quæſt. 1. cap. quoniam de decimis;* ſic vt etiam Parochus habet intentionem fundatam ſuper primitijs in poſſeſſorio. Abbas *in cap. 1. de decimis.*

Sciendum, quod licet Parochiani regulariter non teneantur Dominicis, & alijs diebus feſtis aliquid offerre Parocho in Templo inter audiendum miſſæ ſacrificium, tamen dicuntur teneri in præcipuis feſtiuitatibus, vt in Dominicis diebus, & alijs primarijs feſtis ad oblationes Clericis miniſtrantibus ſpiritualia exhibendas, quando Parochus non habet, vnde ſuſtentetur. Hoſtienſis *in cap. cauſam de verborum ſignificat.* Couar. *lib. 1. var. reſolut. cap. 13. num. 3.* D. Thomas 2. 2. *quæſt. 85.* & ibi Caietanus *art. 1.* & alij. Secundò, eſſe etiam Parochi oblationes, quæ fiunt à mulieribus in purificatione poſt partum; Praxis Archiepiſcopalis Neapolit. *cap. 72. num. 13.* licet purificatio poſt partum non ſit actus neceſſitatis, ſed deuotionis; Ad ſolum Parochum, non ad alios ſpectat purificare mulieres, cum in hoc actu fiat oblatio cãdelæ in honorem oblationis factæ per Beatiſſimam Virginem Mariam Turturum, & Columbarum. Quod idem dicendum eſt de benedictione domorum, & operum, in qua non debent ſe ingerere regulares. Ita Praxis Neapol. *loco cit. num. 17.* Sayrus *Theſauro caſuum conſcientiæ, de cenſuris lib. 4. cap. 16. num. 15.* Et Parochus poteſt cogere eoſdem Parochianos ad oblationes, & ad præſtanda ſibi neceſſaria, quando non habet vnde ſe alat, non obſtante quod poſſit laborando ſibi victum acquirere. *Cap. ad Apoſtolicam, §. quapropter* Couar. *loco cit. cap. 13. num. 3.* Rebuffus *in tract. de decimis quæſt. 21. num. 4.* & alij. Et in tali caſu poteſt illis ſubtrahere ſpiritualia, non tamen propria auctoritate, ſed per Superiorem ipſius Parochi. D. Thom. 2. 2 *quæſt. 86. art. 1.* Caietan. *ibi*, Nauar. *conſil. 2. de decim.* & alij. Neque poteſt propria auctoritate Parochus denegare Sacramenta Parochiano nõ ſoluenti decimas, ſiue primitias; quia nemo debet eſſe Iudex in propria cauſa *leg. qui iuriſdict. ff. d. iuriſdict. omnium iudicum.*

Ad quem ſpectent oblationes, quæ fiunt tempore Iubilei?

BRACTEA XXXV.

R. Oblationes, quæ fiunt tempore Iubilæi, vel in anno Sancto in Eccleſia Cathedrali ſpectare ad Archipræsbiterum eiuſdem Eccleſiæ. Ratio, quia cum Archipræsbiter habeat curam animarum, vt ſuppono, & Sacramentorum adminiſtrationem, habet per conſequens fundatam intentionem in omnibus oblationibus, idque priuatiuè ad Epiſcopum: & ita Abbas *in cap. quoniam notab. 1. de decim.* Maluesiua *de oblat. dub. 4. num. 401.* & alii.

Sciendum, quod nomine oblationis veniunt ea omnia, quæ offeruntur Eccleſiæ quocunque modo in miſſa, vel extrà, & in Eccleſia, vel extrà, vt quæ feruntur ad Capellam in feſtiuitatibus Sanctorum, ſeu ad domum Parochi eiuſdem Eccleſiæ intuitu defunctorum, & quæ ante crucem, & pro deſponſatis dantur, & lampades cum oleo, quæ Eccleſiæ ab aliquibus offeruntur, quæue dantur Nuncio, qui ad talia recipienda per Parochum deſtinatur, & ea, quæ of-

feruntur

ferũtur pro miſſis defunctorum, & quæ pro ſeptimis, & anniuerſarijs panes, & alia, quæ intra hebdomada offeruntur, de quibus omnibus *in cap. cum inter de verborum ſignificat.* Abbas *in cap. cauſam num. 2.* Quod ſi Epiſcopus celebraret in Parochia, tunc oblationes eſſent Epiſcopi. Hoſtienſis *in ſum. tit. de Parochijs §. in quibus*; quia non ſolum Epiſcopus dicitur Rector Parochialis, *Cap. Apoſtolica, cap. Epiſcop diſt.* 96. Sed etiam appellatur Parochus totius Diœceſis, quia tota Diœceſis dicitur Parochia Epiſcopi. Secus autem ſi celebrent in loco exempto, quia tunc ei debentur, ad quem ſpectant iura Parochialia. Felinus *in cap. Dilectus num. 2.* Collationes tamen factæ Sacerdoti celebranti in aliena Parochia cedunt Parocho illius Parochiæ. Abbas *in cap. Paſtoralis num. 2.* de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu, Felinus *in cap. Dilectus num. 1.* quia Parochus habet intentionem fundatam ſuper omnes oblationes contingentes intra limites ſuæ Parochiæ, & ad eum ſpectant, Epiſcopo ſolum debentur oblationes, quando Sacræ Imagines reperiuntur extra omnem Parochiam. Abb. *in cap. quoniam num. 1. de decim.*

MALLEATIO VI.

De præcepto non contrahendi matrimonium tempore prohibito.

Quibus temporibus interdicatur matrimonium.

BRACTEA I.

R. Ex Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 12.* vetitum eſſe contrahere matrimonium à primo die Aduentus Domini vſque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vſque ad Octauam Paſchæ incluſiuè. Quod tempus incipit à media nocte feriæ quartæ Cinerum; tunc enim incipit Aduentus, & Quadrageſima Ritu Romano. Sanchez *lib. 7. diſp. 7. nu.* Reginald. *lib. 31. num. 188.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 2.* Vnde contrahentes his temporibus ſine debita licentia peccant mortaliter, quia faciunt contra prohibitionem Eccleſiæ in materia graui, & ideò de licentia Ordinarij poteſt matrimonium cõtrahi his temporibus ſine ſolemnitate, vt ait Gloſſ. communiter recepta *in cap. Capellanus de ferijs*; excluſa verò licentia, prohibitum eſt his temporibus matrimonium celebrare. Ita Reginaldus *loco cit.* Conſiſtit autem ſolemnitas in benedictione nuptiarum per Parochum, & in ſolemni traductione Sponſæ in domum Sponſi: non eſt tamen vetitum his temporibus conſumare matrimonium, quia iura non loquuntur de conſumatione matrimonij. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 7. num. 21.* Nauar. *cap. 22. num. 71.* Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 31.* & alij.

F I N I S.

Ad gloriam, & honorem Dei omnipotentis, quo inſpirante cœpi, & adiuuante finiui. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Conſolatricis Taurini gratijs, & miraculis corruſcantis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli: nec non SS. Benedicti, Bernardi Abbatum, ac Sancti Caroli, & aliorum Sanctorum, quibus ſit ſempiterna laus, Benedictio: gratiarum actio, in ſæcula ſæculorum.

INDEX MALLEATIONVM, ET BRACTEARVM,

Quæ in ſecundo volumine continentur.

MALLEATIO I.

De præceptis in genere. pag. 1.

Bractea prima. Præceptum quid ſit. pag. 1
Br. 2. Quænam cadant ſub præcepto. ibid.
Br. 3. An actus interni cadant ſub pręcepto. 2
Br. 4. De diuerſitate præceptorum. 3
Br. 5. An modus cadat ſub pręcepto. ibid.
Br. 6. De ſubiecto, cui datur pręceptum. 4
Br. 7. Quomodo pręcepta debeantur impleri. 5
Br. 8. Quæ excuſent à tranſgreſſione pręcepti. ibid.
Br. 9. An qui dat operam actioni bonæ eo tempore, quo adimplendum eſt præceptum, peccet. 6
Br. 10. An vt præceptum obliget ſub mortali, culpam grauem requirat. ibid.
Br. 11. An ex appoſitione pęnæ grauis pręſumatur præcipientem obligare ſub mortali. 7
Br. 12. An pręceptum, & lex ciuilis obligent in conſcientia. ibid.
Br. 13. An præceptum, ceu lex ciuilis fundata in præſumptione obligent in conſcientia. ibid.
Br. 14. Pręceptum, ceu lex iniuſta obliget in conſcientia. 8
Br. 15. Notanda de præcepto Decalogi. ibid.

MALLEATIO II.

De præceptis Decalogi. p. 9

De primo præcepto Decalogi Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. ibid.

Br. 1. De Religione, & Adoratione. ibid.
Br. 2. Quid ſit fides. 11
Br. 3. De obiecto formali fidei. ibid.
Br. 4. An in Beatis ſit actus, vel habitus fidei. 12
Br. 5. An fides Diuina ſit diſcurſiua. ibid.
Br. 6. An fides ſit neceſſaria ad ſalutem. ibid.
Br. 7. Quando nam teneatur homo ex pręcepto elicere actum fidei. 13
Br. 8. Quos articulos teneamur ex præcepto explicitè credere. 14
Br. 9. An homo teneatur aliquando fidem exterius confiteri. ibid.
Br. 10. An qui priuata auctoritate interrogatur, an ſit Chriſtianus, vel Catholicus teneatur ex præcepto reſpondere ſe eſſe Chriſtianum. 16
Br. 11. Quibus licitum ſit fugere tempore perſecutionis fidei. ibid.
Br. 12. An prohibita ſit excommunicatio cum infidelibus. ibid.
Br. 13. Quot ſint ſpecies infidelitatis. ibid.
Br. 14. An Pagani compelli poſſint ad ſuſcipiendam fidem. 17
Br. 15. Quæ prohibeantur Iudęis, qui Chriſtianis Principibus ſubiecti ſunt. ibid.
Br. 16. An Princeps poſſit pmittere Iudęis vſuras. ib.
Br. 17. De hæreſi. ibid.
Br. 18. An dubius in fide ſit infidelis? 18
Br. 19. An error in fide ex ignorantia craſſa ſit ſatis ad hæreſim. ibid.
Br. 20. Quis cenſeatur pertinax contra fidem. ibid.
Br. 21. Quotuplex ſit hęreſis. 19
Br. 22. Quomodo diſtinguatur propoſitio hęretica, non catholica ſuſpecta de hęreſi, &c. ibid.
Br. 23. De pœnis hęreticorum. ibid.
Br. 24. Quid ſit ſpes. ibid.
Br. 25. An extet pręceptum ſpei, & quando obliget. 20
Br. 26. De deſperatione, quę opponitur virtuti ſpei. ibidem.
Br. 27. An is, cui fieret reuelatio ſuæ damnationis debeat, aut poſſit adhuc ſperare. ibid.
Br. 26. Quid ſit Charitas. 21
Br. 27. Quomodo Charitas augeatur in hac vita. ibid.
Br. 28. Quando nam pręceptum Charitatis erga Deum obliget. ibid.
Br. 29 An proximus ſit diligendus. 22
Br. 30. An teneamus proximo ſubuenire cum periculo proprio vitæ, aut facultatum. ibid.
Br. 31. An vnum magis, quam alium diligere poſſimus. 23
Br. 32. An teneamur ex præcepto facere eleemoſynam proximo in neceſſitate conſtituto. ibid.
Br. 33. An qui non dedit eleemoſynam, cum obligaretur, teneatur ad reſtitutionem. 24
Br. 34. An debitor extremam neceſſitatem patiens teneatur reſtituere rem acceptam, ſeu ſoluere debitum creditori ſimili neceſſitate laboranti. ibid.
Br. 35. De quibus bonis facienda ſit eleemoſina. 25
Br. 36. An de bonis turpiter acquiſitis poſſit fieri eleemoſyna. ibid.
Br. 37. Quis poſſit facere eleemoſynam. ibid.
Br. 38 Quo ordine facienda ſit eleemoſyna. 26
Br. 39. An ex præcepto charitatis teneamur diligere proximum. ibid.
Br. 40. De cauſis excuſantibus à correctione fraterna. 27
Br. 41. De peccatis contrarijs charitati in Deum, & in proximum, & primum de odio. ibid.
Br. 42. De peccato inuidiæ. 28
Br. 43. De peccato accidiæ. ibid.
Br. 44. De diſcordia, & contentione. 29
Br. 45. De ſchiſmate. ibid.
Br. 46. De ſuperſtitione. ibid.
Br. 7. De prima ſpecie ſuperſtitionis, quæ eſt idolatria. 30
Br. 48. De ſecunda ſpecie ſuperſtitionis, quę eſt Diuinatio. ibid.
Br. 49 An omnis prędictio ex Aſtris ſit illicita. 31
Br. 50. De tertia ſpecie ſuperſtitionis, quę eſt vana obſeruatio. 32
Br. 51. De quarta ſpecie ſuperſtitionis, quæ eſt maleficium. 33

Br.52. De ſacrilegio. 34
Br.53. De Blaſphemia. ibid.
Br.54. Quibus modis committatur blaſphemia. ibid.
Br.55. De tentatione Dei. 35

MALLEATIO III.

De ſecundo præcepto Decalogi *p.38*
Non aſſumes nomen Dei tui in vanum?
De iuramento?

B.1. Quid ſit iuramentum. 37
B.2. De diuiſionibus iuramenti. 37
B.3. An licitum ſit iurare. 38
B.4. Qualis debeat eſſe materia iuramenti. ibid.
B.5. An iuramentum de materia prohibita lege humana obliget. 39
B.6. An iuramentum confirmet contractum inualidum. ibid.
B.7. An iuramentum factum contra prius iuramentum ſit validum. ibid.
B.8. An ex iuramento animo ficto facto oriatur obligatio. ibid.
B.9. An iuramentum dolo, vel errore præſtitum, ſit validum. 40
B.10. An iuramentum metu extortum obliget. ibid.
B.11. Quinam poſſint iuramentum emittere. ibid.
B.12. An liceat iuramentum expoſcere ab eo, qui exiſtimatur peieraturus. 41
B.13. Vtrum poſſimus in iuramento vti æquiuocatione. ibid.
B.14. An iurans ex conſuetudine peccet mortaliter. ibidem.
B.15. An violans iuramentum peccet mortaliter. 42.
B.16. An obligatio iuramenti tranſeat ad hęredes. ib.
B.17 Quomodo iuramentum ſit interpretandum. ib.
B.18. Quibus modis tollatur, aut impediatur obligatio iuramenti. 43
B.19. An qui facultatem habet diſpenſandi in iuramentis, poſſit diſpenſare nolente eo, in cuius fauorem factum eſt iuramentum. ibid.

MALLEATIO IV.

De voto.

B.1. Quid ſit votum. 44
B.2. De diuiſione voti, 45
Br.3. An votum metu emiſſum ſit validum. 46
Br.4. An votum factum per errorem, aut dolum ſit validum. ibid.
B.5. Quænam ſit materia voti. 47
B.6. An materia voti debeat eſſe poſſibilis. ibid.
B.7. An quiuis actus moraliter bonus ſit apta materia voti. 48
B.8. An matrimonium poſſit eſſe materia voti. ibid.
B.9. An votum de re indifferenti ſit validum. ibid.
B.10. De obligatione voti. 49
Br.11. An qui votum non ſoluit intra certum, & determinatum tempus, teneatur lapſo eo tempore votum perſoluere. ibid.
B.12. An obligatio voti tranſeat ad hæredes defuncti. 50
B.13. An votum ita obliget vouentem, vt nequeat per alium adimplere votum perſonale, reale, aut mixtum. ibid.
B.14. An ſit peccatum non adimplere votum. 51
B.15. An magis meritorium ſit opus ex voto, quam ſine voto. ibid.
B.16. Ad quid obliget votum caſtitatis, & non nubendi. ibid.
Br.17. Ad quid obliget votum Religionis. ibid.
Br.18. Quomodo explicandum ſit votum. 52
B.19. An obligatio voti tollatur per ceſſationem cauſæ, aut notabili mutatione rerum. 53
B.20. De irritatione votorum. ibid.
Br.21. De commutatione voti. 54
Br.22. An qui tempore Iubilæi voluntariè, aut ex obligatione non curauit commutare vota, poſſit tranſacto tempore Iubilæi illorum commutationem obtinere. 55
B.23. Vtrum obligatio voti tollatur per diſpenſationem. ibid.
B.24. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis. ibid.
B.25. An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto Religionis. 56
B.26. An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni Caſtitatis, & Religionis. 57
B.27. An Parochi, & alij Sacerdotes poſſint diſpenſare in votis. ibid.
Br.28. An qui prius votum Religionis emiſit, & poſteà virginem deflorauit promiſſione futuri matrimonii, teneatur potius ad votum, quã ad matrimonium. ibid.
Br.29. An ſit contra votum paupertatis inſcio Superiore ex nummis à pœnitentibus acceptis emere libros, & expoſitos illos in Cella tenere. ibid.

MALLEATIO V.

De tertio præcepto Decalogi. *p.58*
Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.
De obſeruatione feſtorum.

B.1. Ad quem pertineat dies feſtos inſtituere. 58
B.2. Quæ opera prohibeantur in die feſto. 59
B.3. De operibus non ſeruilibus, & forenſibus in die feſto non prohibitis. ibid.
B.4. Quæ opera corporalia prohibeantur in die feſto. 60
B.5. De cauſis excuſantibus laborantes in die feſto. ibidem.

MALLEATIO VI.

De quarto præcepto Decalogi. *p.61*
Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.
De Principe quatenus eſt caput Reipublicæ.

B.1. Quo iure Reges, ſiue Principes ſint inſtituti. ib.
B.2. An Reipublicæ ſit vtilior Principatus vnius, quam paucorum, vel multorum. 61
B.3. An magis expediat Reipublicæ habere Regem per ſucceſſionem, quam per electionem. ib.
B.4. An Regnum, quod ratione ſanguinis ad filium defertur filio primogenito, ipſo iure debetur. ibid.

B.5. An Rex teſtamento filium primogenitum pro arbitrio ſuo, priuare Regno poſſit. 63
B.6. An primogenitus, ſi fuerit Clericus in Sacris Ordinibus conſtitutus ſuccedat in regno. ib.
B.7. Quid dicendum quando filium primogenitum Pater ſuſcepit antequam Rex eſſet, & deinde effectus eo iuſto quoque matrimonio ſecundum filium generauit, vter eorum debeat ſuccedere in Regno. ibid.
B.8. An Regnum deferatur primogenito iure hæreditario, an verò iure ſanguinis. ibid.
B.9. An Reges Chriſtiani in ijs, quæ ciuilia ſunt, ſubiiciantur Summo Pontifici. 64
B.10. Quæ virtutes Regem, & Principem deceant. ib.
B.11. An Regis poteſtas ſit de iure naturali. 65
B.12. Vtrum Chriſtus quatenus homo Rex fuerit tẽporalis, & Dominus Orbis. ibid.
B.13. An Reges, & Principes in ſuis Regnis, & Principatibus habeat ſupremam, ſicut Imperator in ſuo Imperio poteſtatem. 66
B.14. Quot ſint obligationes Principis. ibid.
B.15. De obligationibus ſubditorum circa Princiþes. 67
Br.16. An Reges, & Principes poſſint ferre leges. ibid.
B.17. An Principes teneantur ſeruare leges à ſuis anteceſſoribus latas. ibid.
Br.18. An Princeps poſſit condere legem circa matrimonium ſuorum ſubditorum. 68
B.19. An ſi Princeps diſponat per legem, quæ ad funera, & exequias pertinent, faciat contra libertatem Eccleſiaſticam. ibid.
Br.20. An Princeps prohibens per legem in contractibus adhiberi iuramentum ad vitanda periuria, faciat contra libertatem Eccleſiæ. ibid.
Br.21. Et quid de Principe, qui facit legem, vt nullus Moniales alloquatur ſine licentia ſui Ordinarii. ibid.
Br.22. An Princeps, qui non facit legem contra libertatem Eccleſiaſtica, ſed ab alio factam promulgari curat, incurrat in excommunicationem anllæ. 69
Br.23. An Princeps peccet manifeſtando cum damno tertii legem conditam, ſed nondum promulgatam. ibid.
Br.24. An ſententia Principis vim habeat legis. ibid.
B.25. An Princeps poſſit concedere licentiam, vt aliquis domum exponat ludo prohibito. ibid.
B.26. An Princeps laicus poſſit litteras Apoſtolicas à Legato, vel Nuntio Apoſtolico exigere, vt cognoſcat an ſit verus Sedis Apoſtolicæ Legatus, vel Nuncius. 70
Br.27. An Princeps poſſit aliquem condemnare ſine cognitione cauſæ. ibid.
B.28. An Princeps poſſit auocare cauſas à Iudicibus ordinariis. ibid.
Br.29. An Princeps cum ſola ſubditis poſſit ſe obligare. ibid.
Br.30. An Princeps poſſit reuocare priuilegia conceſſa. 71
Br.31. An Princeps poſſit eſſe capax rerum ſpiritualium. ibid.
B.32. An Princeps poſſit prohibere venationem. ibid.
Br.33. An legitimatus à Principe poſſit recipere ordines. 72
Br.34. An Princeps poſſit ferre leges circa beneficia Eccleſiaſtica. ibid.
Br.35. An Principes poſſint punire Clericum delinquentem ratione officii ſibi ab ipſomet Principe conceſſo. ibid.
Br.36. An Princeps poſſit in Principatu permittere liberam Religionem. ibid.
Br.37. An liceat Principibus permittere meretrices in aliquo loco Ciuitatis. ib.
Br.38. An Princeps poſſit aliquem compellere, vt alicui nubat. ibid.
Br.39. An Princeps poſſit non admittere in Epiſcopũ perſonam ſibi ſuſpectam. ibid.
Br.40. An Princeps abſque violatione iuſtitiæ poſſit remittere delicta abſque cauſa. ibid.
Br.41. An Princeps poſſit concedere monopolium. ibidem.
Br.42. An Princeps admittens inhabilem ad actum ſcienter cenſeatur cum eo diſpenſare. 74
Br.43. An Principes aſſumentes ad officia ineptos, peccent. ibid.
Br.44. An Principes poſſint vendere officia ſui ſtatus. ibid.
Br.45. An Princeps dubius de iuſtitia belli poſſit bellum mouere. ibid.
Br.46. Quid requiratur in Principe, vt bellum ſit iuſtum. ibid.
Br.47. An Princeps poſita iuſta cauſa teneatur bellũ indicare. 75
Br.48. An Princeps poſſit bellum gerere ex opinione probabili, licet ab altero Principe poſſideatur Ciuitas prætenſa etiam cum opinione probabili. ibid.
Br.49. Quando nam cenſeatur iuſta cauſa in Principe ad bellum gerendum. ibid.
Br.50. An ſint Principis, quæ acquiruntur in bello. ib.
Br.51. An Princeps poſſit concedere repreſſalias. ibid.
Br.52. An Princeps poſſit ob iniuſtam interfectionem ſui ſubditi directè interficere ſubditum innocentem alterius Principis. 76
Br.53. An Princeps poſſit dare Vrbem militibus in prędam. ibid.
Br.54. An Principes poſt partam victoriam iiſdem pęnis efficere poſſint hoſtes iniuſtè pugnantes, quibus afficere poterant in ipſo conflictu. ib.
Br.55. An Princeps poſſit tranſitum denegare in ſuo ſtatu exercitui alterius Principis. 77
Br.56. An Princeps, qui conſilium præſtat infidelibus, fauorem, &c. contra Principem Chriſtianum, nec ita potens, & fortis fiat, incurrat in excommunicationem anllæ. ibid.
Br.57. An Princeps poſſit impedire, & detinere victualia, per cuius territorium Romam aduehuntur, vt illa in ſuorum commodum impendantur, dum in ſuo Principatu grauis annonæ charitas vrget. ibid.
Br.58. An Princeps obligetur ad reſtitutionem damnorum, quando cogit ſubditos, vel non ſubditos militare. ibid.
Br.59. An Principes poſſint occidere obſides, ſi qui eos tradidit, violet pactum. 78
B.60. An Princeps nõ capacibus ad militandũ, poſſit ſtipendia dare militum, & ius ea exigendi à Communitatibus, cum aliis acceſſoribus correſpondentibus. ibid.
Br.61. An Principes concedentes locum ad duellum incurrant excommunicationem. ibid.
Br.62. An reſcripto Principis illegitimi legitimi fiant. 79
Br.63. An Princeps ſuis ſubditis fidelibus poſſit impedimenta matrimonij ſtatuere. ibid.
Br.64. An Princeps ſtatuendo pretium legitimum, poſſit excedere limites pretii iuſti naturalis. Ibidem.
Br.65. An Princeps ſtatuendo pretium obliget Clericos ad illud ſeruandum. ibid.

Br.66. An Princeps poſſit cogere Clericum, vt triticum ſuum vendat, ſi ad id neceſſitas cogat. 80

Br.67. An Princeps ſuis ſubditis poſſit imponere tributum. ibid.

Br.68. An quando dubitatur de iuſtitia vectigalis, ſubditus teneatur illud ſoluere. ibid.

Br.69 Quæ conditiones requirantur ad impoſitionẽ iuſti tributi. ibid.

Br.70. An ſi Princeps ob immoderatas largitiones, iniuſta bella, &c. indigeat, poſſit iuſtè imponere tributum. 81

Br.71. Pro quibus rebus Princeps poſſit imponere tributum. ibid.

Br.72. An Princeps poſſit imponere gabellas Clericis. ibid.

Br.73. An Princeps poſſit imponere tributum ſuper bona patrimonialia Clericorum. ibid.

Br.74. An Princeps poſſit exigere à Clericis onus certum, & inuariabile pro bonis ad ipſos quocunque titulo deuenientibus. 82

Br.75. An Princeps propter reparationem pontium, murorum Ciuitatis, poſſit Clericis imponere tributum, ibid.

Br.76. An Princeps poſſit imponere gabellas ſuper bona Clericorum, qui fraude, non animo perſeuerandi aſſumpſerunt habitum Clericalem. 83

Br.77. An Princeps poſſit imponere tributum Colonis Eccleſiaſticorum. ibid.

Br.78 An Princeps Colonis Eccleſiaſticorum poſſit imponere tributum pro quota fructuum, quos colligunt. ibid.

Br.79. An Princeps poſſit imponere vectigal ſuper bona Eccleſiaſticorum, vel Eccleſiaſticorum, quæ laicis ſunt in emphyteuſim data. ib.

Br.80. An Princeps poſt conſuetudinem poſſit Eccleſiaſticis collectas imponere. 84

Br.81. An Princeps poſſit Iudæis concedere priuilegium impunitatis, ſi ſub chriſtiano nomine vixerit in aliquo loco. ibid.

Br.82. An Princeps poſſit Iudæis concedere, vt vtantur nutricibus Chriſtianis, &c. ibid.

MALLEATIO VII.

De magno Cancellario, qui dicitur Pater Principis, & Reipublicæ. *p.85*

Br.1. Vnde dicatur Cancellarius. ibid.

Br.2. De qualitatibus requiſitis in Cancellario. ibid.

Br.3. De officio magni Cancellarii. 87

Br.4. An Cancellarius peccet non arguendo Principem, & non præſtando ea, quæ ſunt ſui officii. 88

MALLEATIO VIII.

De offitio Patris circa filios.

Br.1. An Pater teneatur habere curam filiorum.

Br.2. An Pater, qui non curat, vt filius præcepta Dei, & Eccleſiæ ſeruet, peccet. ibid.

Br.3. An Pater mortaliter peccet exponendo filium hoſpitali. 89

Br.4. An Pater teneatur redimere filium ab hoſtibus captum. ibid.

Br.5. An Pater teneatur alimenta præbere filio. ibid.

Br.6. An Pater teneatur præbere alimenta filio ſpurio. 90

Br.7. In quibus caſibus Pater poſſit denegare alimenta filiis. ibid.

Br.8. An quando Pater non præſtitit debita alimenta filio, quia ipſe aliunde ſe ſuſtentauit, obligetur ad reſtitutionem. ibid.

Br.9. An obligatio alimentorum tranſeat ad hæredes. 91

Br.10. An fundus propter alimenta aſſignata filio emancipato, mortuo filio regrediatur ad Patrem, aut hæredes Patris, an potius ad heredes filii. ibid.

Br.11. An Pater poſſit inſtituere hæredem filium ſpurium, aut naturalem. 91

Br.12. An hæres Patris teneatur alere filium ſpurium. 92

Br.13. An Pater debeat compellere filios ad ſeruandum ieiunium Eccleſiæ. ibid.

Br.14. An Pater poſſit priuare filium hęreditate. ibid.

Br.15. An Pater teneatur ſub mortali conſtituere dotem filiæ volenti nuptui tradi. 93

Br.16. An Pater poſſit exhæredare filium luxurioſè viuentem, aut matrimonium contrahentem inuitis parentibus. ibid.

Br.17. An Pater teneatur dotare filiam, quam poteſt exhæreditare. ibid.

Br.18. An exhæredatio facta à Patre tollatur per ſuperuenientem reconciliationem Patris cum filia, aut per pœnitentiam eiuſdem, vel per profeſſionem in Religione emiſſam. ibid.

Br.19. An quando Pater eſt excommunicatus vitandus, filius illegitimus poſſit cum eo participare. 94

Br.20. An Pater poſſit irritare vota filiorum. ibid.

Br.21. An Pater ſit magis obligatus ſuccurrere filio, quam filius Patri. ibid.

MALLEATIO IX.

De officio Tutoris, & Curatoris circa pupillos, & minores. 94

Br.1. Quis ſit Tutor. ibid.

Br.2. An mater poſſit eſſe Tutrix filiorum. 95

B.3. An Clerici poſſint cogi ad ſuſcipiendam tutelam. ibid.

Br.4. Ad quid obligetur Tutor. ibid.

Br.5. An Tutor, ſeu Curator poſſit bona pupillorum, ſeu minorum alienare. ibid.

Br.6. Quos contractus poſſit Tutor, vel Curator celebrare. 96

Br.7. An contractus, qui fiunt à pupillis, vel minoribus ſine auctoritate Tutoris, vel Curatoris ſint validi. ibid.

B.8. Quæ ſit differentia inter Tutorem, & Curatorem. ibid.

B.9. Tutores, & Curatores qui eſſe non poſſint. ib.

MALLEATIO X.

De officio ludimagiſtri. *p.97*

Br.1. Quot ſint obligationes ludimagiſtri. ibid.

Br.2. An magiſter, qui non vtitur diligentia in erudiendis

diendis pueris, peccet mortaliter, & obligetur ad reſtitutionem. ibid.
Br.3. Ex qua culpa obligetur magiſter. ibid.
B.4. An magiſter aliquando obligetur ex culpa leuiſſima. ibid.

MALLEATIO XI.

De officio filiorum circa parentes, & circa eos, qui eorum curam gerere tenentur. 98

B.1. An filii teneantur amare parentes. ibid.
Br.2. An filii coniicientes iniurias in parentes, peccent mortaliter. ibid.
Br.3. An filius teneatur obedire parentibus. ibid.
Br.4. An filius teneatur obedire Patri in iis, quæ pertinent ad electionem ſtatus Religionis, vel matrimonii. 99
Br.5. An filii debeant ſubuenire Parentibus. ibid.
Br.6. An parentibus redactis ad egeſtatem, teneantur filii egredi è Religione. ibid.
Br.7. An filius poſſit ingredi Religionem parentibus redactis ad egeſtatem. 100
Br.8. An filius poſſit furari ad ſubleuandam extremam neceſſitatem Patris. ibid.
Br.9. An filius, qui aliquid accipit ex bonis Patris, peccet, & teneatur ad reſtitutionem. ibid.
Br.10. An filius, qui gerit negotia Patris, poſſit accipere tantundem, quantum daretur extraneo. 101
Br.11. An filius, qui aliquid accepit à Patre cauſa dotis, vel ad ordines, teneatur illud conferre, ſi ipſe nolit ſuccedere Patri in hæreditate. ibidem.
Br.12. An valida ſit donatio filii in parentes. 102
Br.13. An filius gaudeat priuilegiis Patris. ibid.
Br.14. An filius, qui iurauit Patri ſe non luſurum, donec ipſe Roma non rediiſſet, poſſit ludere, ſi Pater Romæ moriatur. ibid.
Br.15. An filius poſſit à Patre priuari hæreditate. 103
Br.16. An filius vi monitorii teneatur denunciare delictum commiſſum à Patre. ibid.
Br.17. An filius poſſit impediri à Prælato, vel Iudice, ne matrimonium contrahat, quando præuident ex illo futura ſcandala, &c. ibid.
